VNIUERSA PHILOSOPHIA DE MORIBUS, A FRANCISCO PICCOLOMINEO...

Francesco Piccolomini, Rudolf Gōckel

Digitized by Google

K. 399.

Digitized by Google

14 . 8 . K . 5

1

~~XVIIII f 80 f~~

14-11.E.22

Digitized by Google

Digitized by Google

VNIVERSA PHILOSOPHIA DE MORIBVS,

A FRANCISCO PICCOLOMINEO SENENSE,

IN ACADEMIA PATAVINA PHI-loſopho primo in decem gradus redacta,

ET NVNC ITERVM EMENDA-tior in lucem edita & aucta.

ACCESSIT HIS COMES POLITICVS, pro recta ordinis ratione propugnator, Logicæ ſtudioſis & doctrinarum methodicis ſcriptoribus perquam vtilis.

ADDITI SVNT INDICES DVO: VNVS PRImorum capitum, alter ſingularum ſententiarum.

CVM LEMMATIBVS, ET CORRECTIOne RODOLPHI GOCLENII *in Academia Marpurgenſi.*



1 6 0 1.

Cum priuilegio S. Cæſar. Maieſtat. ad decennium.

FRANCOFVRTI,

Ex Officina Nicolai Hoffmanni, Sumtibus Iacobi Fiſcheri.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

AMPLISSIMO
SERENISSIMOQVE
SENATVI VENETO,

CVNCTORVM VIRTVTIS
GRADVVM ALVMNO, PRO-
pagatorique optimo, & munifi-
centiſſimo:

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Franciſcus Piccolomineus perennem
incolumitatem.

ANIMI *meditationes ei iure optimo dicandæ, conſecrandæque ſunt, cui iam diu dicatus, & conſecratus eſt animus: Ei offerenda ſunt munera, cui ob recepta beneficia plura & maiora debemus: Eique ciuiles gradus aptiſſime congruunt, quod ciuilis Imperii exactiſſimum vniuerſo patefacit exemplar. Imperium Venetorum mira animorum conſenſione, oreque omnium, incomparabili quadam gloria ad ſublimia tollitur, latiſſimeque commendatur: erga quod ego interna quadam animi commotione ita ſemper fui affectus, vt nil magis optarim, quam labores, vigilias, ſtudiaque mea, eius amplitudini dicare & conſecrare: propterea, quamprimum à Gymnaſiarcharum Triumuiratu (inter quos tu Ampliſſime* NI-

Digitized by Google

COLAE DE PONTE, *qui modo per gradus virtutis eleuatus in ſolio ſublimi ſereniſſime fulges, prudentiſſime reſidebas) mihi oblata fuit occaſio, in celeberrimam Patauinam Academiam conuolaui, huicque honeſtæ ſeruituti me libentiſſime deſtinaui. Quod eo conſilio, eoque inſtituto feci, vt, cum pro communi auditorum beneficio, tum maxime pro vtilitate nobilium Venetorum, cunctis ingenii neruis laborarem. Id autem cum ſedulo operam præſtitiſſem, res adeo mihi ſucceſſit ad votum, vt innumeri nobiles Veneti ex mea ſchola prodierint, qui & diſputationibus, & ciuilibus concionibus, & libris variis, ſe ſublimes, prudentes & eloquentes Philoſophos patefecerunt: aptos, non ſuam tantum recte formatam rempublicam congruenter gubernare, verum inſuper nouas ex integro ad hominum ſalutem erigere & conformare. Nec mirum profecto. Ingenia enim nobilium Venetorum, ad omnia ſapientiæ, prudentiæ, eloquentiæque præclara ſtudia, aptiſſima ſunt, & deſiderio honoris, timoreque infamiæ, tanquam ſtimulis acutiſſimis, maxime omnium ad ſublimia euehuntur. Cum igitur in præclara Patauina Academia, iam viginti tres integros annos, eam Philoſophiæ partem explicauerim, quæ contemplationi eſt dicata, honorificentiſſime ſemper, & ad votum, à ſplendidiſſimo Senatu auctus, honeſtatuſque fui: iam enim duo de viginti præteriere anni, cum ego dignitate primi loci fui decoratus, annum agens meæ ætatis quadrageſimum primum, in quo temporis curſu nil petii, quod non receperim: nil optaui, quod non ſim conſecutus. Ex animo autem meo huic honorificæ ſeruituti dicato (dum*

to(dum per ferias à grauioribus contemplationis ſtudiis mihi vacare licuit: & recreationis loco, per viridia, ſalutariaque Morum prata, vna cum Academicis, Peripateticis & Stoicis ſpatiari) hæc de ingenuorum animorum ciuili inſtitutione prodiere meditationes, ſumta præſertim occaſione ab ea populari calamitate, quæ ante ſex annos, ob infeſtiſsimam peſtem, Venetias, Patauium, variaſque præclaras vrbes miſerrime afflixit: vt, ſi quam ex contemplationis fontibus, pro leniendis humanis miſeriis, ſalutarem aquam mihi datum eſſet haurire, opera experirer. His itaque ſuaſus rationibus, huiuſmodi animi fructus ſoli Senatui Veneto dicandos & conſecrandos cenſui, ille enim eſt ſol & cœlum, cuius fauore editi, aucti, abſolutique fuerunt: quibus accedit, quod dum mentis aciem in eius amplitudinem conuerto, gradus ſingulos decem, in quos vniuerſam de moribus Philoſophiam diſtribuendam cenſeo, diſtinctiſſime ac exactiſsime in ea impreſſos ac formatos intueor. Primo enim populi eius Imperio dicati, nec non impuberes adoleſcentes, gradum primum, qui perturbationum eſt, nobis aptiſsime offerunt. Mox nobiles, iuuenes, quibus ad publica comitia datur aditus, principia virtutum patefaciunt. Qui tertio ad magiſtratus infra Rogatorum ordinem conſtitutos eleuati, gradum ſemiuirtutum præ ſe ferunt. Elati deinde ad ordinem Rogatorum, gradum quartum virtutum de moribus prudenter oſtendunt. Qui deinde conſiliariorum, magnorum ſapientum, procuratorumque dignitate honeſtati, gradum quintum, qui virtutum rationis eſt, ſplendide illuſtrant. Gradum ſextum humano-

rum ſupremum, heroicæ virtuti dicatum, Dux reipublicæ ſereniſſimus poſsidet: Ex quibus gradibus feliciſsime complicatis conſurgit ſeptimus publicæ amicitiæ, qua mira caritate viri nobiles inter ſe ſunt deuincti: Quibus cumulatiſs me gradus octauus munerum naturæ, & fortunæ famulatur, & fauet: Ex quibus nonus ſummi boni, eximiaque eius Imperii felicitatis conſurgit. Quod ſummum bonum, pro decimi gradus conſtitutione, inſigni prudentia, incomparabilique iuſtitia, per magiſtratus & leges, in communem populorum vtilitatem effundi inſpicimus: adeo vt meditationes meæ ex gradibus Imperii Veneti prodierint, in eoſque felici quodam circulo reuoluantur. Nil vnquam ego animo ingrato deformius excogitare valui. Propterea, ne mihi nota tam fœda inureretur, voluntatem ſaltem pro facultate gratam patefacere mirum in modum exoptaui. Impendi hactenus vitæ meæ meliores annos in huius ampliſsimi dominatus honeſtiſſimum vſum, ſperoque in poſterum me id ipſum effecturum: at animo maiora optanti id non eſt ſatis. Vita enim breuis eſt. Cupio etiam inſeruire defunctus, cupio poſteris quoque huius meæ obſeruantiæ teſtimonium relinquere, quod cum lingua præſtare nequeam, calamo, & Philoſophicis ſcriptionibus, me poſſe aſſequi non deſperaui. Propterea has animi mei meditationes, quaſi prolem ex mente deſiderio perennis venerationis fœcunda ortam, eius Serenitati dicatas & conſecratas volui, vt vice ſui parentis dum vita hac fuerit functus, etiam poſteris proſint, etiam poſteris ſeruitutem, reuerentiam, obſeruantiamque eius viuam & flagrantiſſimam patefaciant.

Tu ita-

Digitized by Google

Tu itaque AMPLISSIME SENATVS; *qui tot illuſtrium ſenatorum prudentia, probitate, ſapientia, eloquentiaque inſignium continuata ſerie, vitam viuis perennem, innocentiſſimam, & pene diuinam; munus hoc, à tibi addicto, dedito, obſtrictoque oblatum, magnis excipe animis. Id enim, niſi ob aliud, ob præſtantiam ſaltem rei, de qua agitur, tua Amplitudini aptiſſimum & congruentiſſimum iudicabitur.*

Diu felix viue & vale, vt virtutum gradus diu ſeruentur incolumes. Patauio Calend. Iulii. 1583.

PRIMA VNIVERSI OPERIS CAPITA.

PARS PRIMA.

Ad vniuerſam Philoſophiam de moribus introductio.

GRADVS PRIMVS.

De interna virtutum moralium materie, nempe de animi perturbationibus.

GRADVS SECVNDVS.

De principiis virtutum.

GRADVS TERTIVS.

De ſemiuirtute, qualis eſt Continentia, Obedientia, Tolerantia, & ſimiles.

GRADVS QVARTVS.

De virtute morali.

GRADVS QVINTVS.

De virtute mentis & rationis.

GRADVS SEXTVS.

De virtute heroica,

GRADVS SEPTIMVS.

De principali quodam vſu virtutis, nempe de Amicitia.

GRADVS OCTAVVS.

De inſtrumentis virtutum, quæ ſunt munera naturæ & fortunæ.

GRADVS NONVS.

De fine virtutum, nempe de ſummo bono.

GRADVS DECIMVS.

De virtute, munere legum & magiſtratuum, per vrbes & reſpublicas effundenda, ſummoque bono propagando.

INDEX

INDEX EORVM, DE QVIBVS IN SINGVLIS GRADIBVS AGITVR.

BIBLIOTECA
ROMA
VITTORIO EM

ET TANQVAM BREVE COMPENDIVM.

In introductione hæc explicantur.

EXCITATVR *homo ad ciuilem ſcientiam: manifeſtatur eius neceſſitas: & ea, quæ pro introductione ſunt declaranda, proponuntur.* *cap.1. fol.1.*

Diſſeritur de ſubiecto ciuilis ſcientiæ, opiniones variæ referuntur, quibus reiectis opinio propria explicatur, & eſt, humanas actiones ex hominis libertate prodeuntes, vt in eis id, quod decet, natum eſt refulgere, eſſe ſubiectum: per totum. *c.2.3.4. f.4.6. & 8.*

Diluuntur tria dubia, ex ſubiecti explicatione prodeuntia. *c.5. f.10*

Definitur ciuilis ſcientia, quod ſit philoſophia humanas actiones componens, ex humana natura interna commotione, ſapientiſq; animi fœcunditate orta, vt in omni vitæ gradu honeſtum attingamus, ſummoque ciuili bono pro facultate fruamur. *c.6 f.13*

Diuiditur Philoſophia ciuilis in tres partes, in eam de moribus, in partem de republica & de cura familiari, ex communi opinione; treſq; cauſæ afferuntur eius diuiſionis, & reiiciuntur. *c.7. f.13*

Ex propria opinione diuiditur ciuilis ſcientia in partes duas; in partem, in qua communia traduntur, & ſunt libri de moribus, & partem, in qua ad propria deſcenditur, & ſunt libri de republ. quorum tanquam appendices ſunt libri de cura familiari. *c.8 f.17.*

Tria diluuntur dubia, ad diuiſionem ciuilis ſcientiæ pertinentia cap.9. f.18.

Inde varia, pulcra, & vtilia colliguntur. *c.10. f.21*

Agitur de inſcriptione librorum moralium, tum cõmuni, tum propria: Communis eſt, dum nuncupatur ſcientia ciuilis, propria vero dum

Digitized by Google

dicuntur moralium Nicomach. c.11.12.f.22.24

Quæritur, an libri moralium Nicomachiorum à Nicomacho filio, vel potius ab Ariſtotele compoſiti fuerint, & oſtenditur, quod ab Ariſtotele. c.13.f.15

Pro patefaciendo ordine partium ciuilis ſcientiæ, agitur vniuerſe de ordine: & primo explicatur, quotuplex ſit ordo. c.14.f.28

Definitur ordo, quod ſit congruens diſpoſitio plurium, vel diſciplinarum, vel partium eiuſdem diſciplinæ, cum inter ſe, tum ad vnum primum, ex rerum natura à dirigente depromta, vt diſciplinæ pro facultate naturam rerum æmulentur, diſtinctaq; legentium animis eam offerant. c.15.f.29

An de ratione ordinis ſit, vt ordinata referantur ad vnum primum, refertur, & reiicitur opinio id negantium. c.16.f.30

Quæritur, an ordo petatur ex natura rei, refertur opinio id negantium, & aſſerentium peti ex noſtro modo cognoſcendi, quæ reiicitur, & oſtenditur peti ex natura rei. c.17 18 f.33.34

Oſtenditur, duo ſola, non tria eſſe genera ordinis: compoſitiuum ſcilicet, & reſolutiuum. c.19 20.f 37.41

Quæritur, an cum in ſcientiis, tum in artibus, vtroque ordine congruenter vti valeamus. Refertur opinio putantium, in ſcientiis ſola compoſitione, in artibus ſola reſolutione licere vti: quæ ſententia reiicitur, & oſtenditur, in vtriſq; vtroq; genere ordinis licere congruenter vti. c 21.22.f.45.46

Explicatur varietas compoſitionis, & diuiſionis. Triplex enim eſt reſolutio, triplexq; compoſitio. c.23.24.f.47.51

Agitur de ordine inter ciuilem, & inſpectricem Philoſophiam: & primo reiecta opinione ſecus opinantium, oſtenditur inſpectricem Philoſophiam docendi ordine primam eſſe. cap. 25. 26. 27. f. 52. 54 57

Diſſeritur de ordine partium ciuilis ſcientiæ: & reiectis quorundam opinionibus, oſtenditur libros de moribus primum optare locum, ſequi libros de Republica: quorum appendices ſint libri de cura familiari. c.28.29 30.f.58.60.61

Conſideratur, quo ordine ſit vſus Ariſtoteles: & oſtenditur eum fuiſſe vſum ordine reſolutiuo. & cauſſa aſſignatur. c.31 f.62

Demum ciuilis ſcientia in decem gradus diſtribuitur. Primo enim occurrit materies virtutis: ſecundo principia virtutis: tertio ſemiuirtus: quarto virtus moralis: quinto virtus rationalis: ſexto virtus heroica: ſeptimo vſus principalis virtutis, & eſt amicitia: octauo inſtrumenta virtutis: nono finis virtutis, & eſt ſummum bonum, quod decimo munere legum, & magiſtratuum per vrbes effundendum, & propagandum eſt. c.32.f.64

GRADVS

GRADVS PRIMVS, DE MATERIE Virtutum.

PRoponuntur ea, quæ de animi perturbationibus ſunt declaranda. cap. 1. f. 65
Explicatur, quæ ſint ſeruanda pro definiendis perturbationibus & à quo ſint definienda. c. 2. f. 66
Conſideratur, quomodo perturbatio partim actio, partim perpeſſio ſit. c. 3. f. 68
Referuntur, & reiiciuntur definitiones perturbationum ab aliis traditæ, & ex propria ſententia definiuntur: quod ſint motio appetentis facultatis ſenſuum, necnon ſpirituum cordis, ab obiecto, quod per vim imaginandi vel iucundum nobis vel moleſtum apparet, pro moleſtia vitanda, fruendaque iucunditate. cap. 4. 5. f. 69. 71
Quæritur, an perturbatio ad facultatem appetentem, vel iudicantem pertineat, & oſtenditur, quod ad appetentem. c. 6. 7. f. 72. 74
Quæritur, an perturbationes locum habeant in mente, & oſtenditur in ea ſolum poſſe habere locum, tanquam in dirigente, non tanquam in ſubiecto. c. 8. 9. f. 76. 79
Agitur de numero perturbationum, & refertur, ac reiicitur communis Latinorum opinio. c. 10. 11. f. 81. 83
Mox pro numeri inuentione, explicatur diuiſio, & connexio appetentium facultatum. c. 12. f. 88
Inſuper conſideratur, vnde petenda ſit diſtinctio appetitus concupiſcendi ab eo iraſcendi, & reiecta opinione multorum oſtenditur quod petenda eſt ab obiecto. c. 13. f. 90
Inſuper quæritur, an vterq; appetitus ſit natus obtemperare rationi, & qui eorum ſit dignior. c. 14. f. 92
Quæritur, an voluptas & dolor ſint perturbationes: & reiecta aliorum opinione, oſtenditur re vera non eſſe perturbationes eiuſdem conditionis cum cæteris, & varia pulcra diluuntur difficultates. c. 15. 16. 17. f. 94. 96. 98
Agitur de reductione perturbationum in capita, & reiectis aliorum opinionibus, oſtenditur prima capita, partim eſſe duo, amorem & odium: partim quatuor, amorem & odium, proſecutionem & fugam. c. 18. 19. f. 100. 102
Quæritur, quomodo amor ſe habeat ad cupiditatem. c. 20. f. 105
Inſuper, quomodo voluptas & dolor ſe habeant ad amorem. cap. 21. fol. 107
Inquiritur numerus minus communium perturbationum: & oſtenditur, quod partim ſunt vndecim, partim innumeræ. c. 22. f. 109
Oſtenditur aduerſus Stoicos, eorumque aſſeclas, perturbationes non eſſe toto genere prauas. c. 23. 24. f. 111. 114

Digitized by Google

Conciliantur Stoici ea de re cum Peripateticis. cap. 25. 26. 27. f. 118. 120. 121

Quæritur, an perturbationes & mores ſequantur corporis temperaturam: & reiecta opinione Galeni, oſtenditur partim ſequi, partim non ſequi. c. 28 29. 30. f. 122. 124. 127

Quæritur, an perturbationes competant iumentis & feris: reiicitur ſententia Stoicorum id negantium, approbatur aduerſa Peripateticorum, & demum oſtenditur litem in ſolis verbis eſſe poſitam. c. 31. 32. f. 130. 132

Oſtenditur hominem pluribus, vehementioribuſq; perturbationibus eſſe obnoxium. c. 33. f. 133

Inquiritur, quæ omnium perturbationum ſit vehementiſſima: & oſtenditur, varia conſideratione varias poſſe dici vehementiores. c. 34. f. 134 c. 35. f. 136. & c. 36. f. 138.

GRADVS SECVNDVS DE PRINcipiis virtutum.

Conſideratur neceſſitas declarationis principiorum, & varia virtutum principia numerantur. cap. 1. fol. 139

Traditur vtile compendium facultatum animæ. c. 2 f. 140

Agitur de ingenio, conſiderantur variæ facultates cum ingenio complicatæ: & reiectis nonnullorum opinionibus, quid ſit ingenium, ex ſententia maniſ-ſtatur. c. 3. 4 f. 145. 149

Ingeniorum varietates, varietatumque cauſſæ referuntur. cap. 5. fol. 150

Agitur de habitu, oſtenditur quis proprie ſit habitus: conſideratur, an ſit primum principium operandi: an ſit qualitas, vel potius relatio: & oſtenditur, quod re vera qualitas non eſt. cap. 6. 7. 8. f. 153. 154. 156

Declaratur, quid ſit mos, aſſuetudo, exercitatio, & actio. c. 9 f. 159

Quæritur, an actiones præcurrentes habitum ſint eiuſdem ſpeciei cum ſequentibus. c. 10. f. 161

Inſuper explicatur, quomodo præcurrentes actiones conſtituant habitum. c. 11. f. 162

Declaratur: quid ſit agere ſponte, inuite, non ſponte, per vim, per inſcitiam, & inſcientem. c. 12. f. 164

Declaratur, quid ſit ſponte, abſolute, & pro tunc. c. 13. f. 166

Inſuper, num ſponte operari ſoli competat homini. c. 14. f. 169

Dubia varia ad violentam notitiam pertinentia diluuntur. cap. 15. fol. 170

Quæritur, an motus elementorum in orbem ſit violentus. cap. 16. fol. 172

Inſuper, num appetitio boni, & pulcri violenta ſit. c. 17 f. 174

Præterea,

Præterea, num motus ſubiecto æque reſpicienti oppoſita per vim competat, & num interitus ſit naturalis, vel violentus. cap. 18. fol. 176

Num ea, quæ fiunt ira, vel alia animi perturbatione, fiant ſponte: refertur ſententia Platonis, & cum Ariſtotele conciliatur. cap. 19. 20. 21. f. 178. 180. 181

Agitur de voluntate, conſultatione & praelectione. c. 22. f. 184

Quæritur, an conſultatio eſſe poſſit de attinentibus ad alios. cap. 22. fol. 184

An conſultatio ſit de fine. c. 23 f. 185

An conſultatio locum habeat in artibus. c. 24. f. 187

An conſultatio locum habeat in ſcientiis. c. 25 f. 189

De praelectione primo quæritur, quomodo ad electionem ſe habeat. c. 26. f. 190

Inſuper, num competat feris. ibid.

Præterea, an poſſit eſſe ipſius finis. ibid.

An incontinens agat cum praelectione. ibid.

An praelectio eſſe poſſit ſine conſultatione. ibid.

An ſeparatæ mentes, & natura, vtantur conſultatione & praelectione. c. 27. f. 192

De voluntate primo quæritur, an tantum ſit ipſius finis. cap. 28. fol. 194

Secundo, an ſit eorum, quæ fieri nequeunt. ibid.

Tertio, quodnam ſit illud bonum, quod ſtatuitur obiectum voluntatis. c. 28. 29. f. 194. 197

Agitur de hominis libertate: declaratur quotuplex ſit libertas. c. 30. f. 200

Afferuntur rationes aduerſus libertatem hominis. c. 31. f. 201

Rationes comprobantes libertatem hominis. c. 32. f. 203

Diluuntur rationes aduerſæ. c. 33. 34. & ſeq. f. 205. 207. & ſeq.

Inquiritur origo libertatis: & reiectis cæterorum opinionibus, oſtenditur ſolutionem à materie, eſſe originem potiorem, & primam. c. 39. f. 215

Definitur liberum arbitrium. c. 40. f. 128

Quæritur, an agens per rationem efficiat duo oppoſita per ſe. ibidem.

Inſuper, num feræ & iumenta agant oppoſita. ibid.

Quæritur, in qua animæ facultate collocata ſit libertas arbitrii, & primo oſtenditur, quod in ratione. c. 41. f. 222

Afferuntur rationes pro parte eorum, qui voluntati libertatem tribuunt. c. 42. f. 226

Propria refertur ſententia, & oſtenditur, quomodo in omni mentis facultate locum habeat libertas arbitrii modo ei conſentaneo. c. 43. f. 228

Digitized by Google

Proponuntur, & diluuntur dubia quædam ad libertatem arbitrii pertinentia, & quæritur an voluntas ſit vis agens, vel patiens. c. 44. f. 230

Explicantur quinque modi, quibus homo ad actionem ſe habere poteſt, & diluitur quædam virorum diſſolutorum ratio. cap. 45. fol. 233.

GRADVS TERTIVS, DE Semiuirtute.

Diuiduntur illa, quæ ſemiuirtutes dicuntur, & proponuntur quæ ſunt declaranda. c. 1 f. 235

Agitur de ſemiuirtutibus nobis per naturam competentibus: & ſunt ſemina, igniculi, & propenſiones ad virtutes, nobis per naturam competentes: quæ quatuor quaſi ſpiritibus deducuntur ad frugem, timore infamiæ, deſiderio honoris, amore Dei, & amore proximi. c. 2. f. 236

Agitur de inſtinctu naturæ: explicantur inſtinctus varii, & hæc eius definitio traditur: naturalis inſtinctus, eſt inſita per naturam inſtigatio, inſequens animam animalium vt natura eſt: diuina prouidentia eis inſerta, vt ſuam perfectionem aſſequantur. cap. 3. fol. 237

Pulcra nonnulla proponuntur dubia ad naturæ inſtinctum pertinentia, & diluuntur. c. 4 f. 240

Diſcutitur pulcra ea quæſtio: an homo per naturam ad virtutes, vel ad vitia potius ſit procliuior. c. 5 f. 241

Afferuntur rationes pro omni parte, referuntur opiniones variæ, & demum oſtenditur partes omnes hominis ad proprium bonum eſſe procliuiores, & opiniones variæ componuntur. c. 6. 7. 8. 9. fol. 243. 244. 245. 247.

Agitur de obedientia: & oſtenditur, quid ſit, quibus congruat, à quo ducat ortum, & quos vſus præbeat. c. 10. 11. 12 f. 248. 249. 251

Diſſeritur de tolerantia, & continentia: quæritur, an ſint (nam Plato eas euertere videbatur) & oſtenditur, quod ſint. c. 13. f. 252

Oſtenditur, quotuplex ſit, & quid ſit, cum tolerantia, cum continentia, & oſtenditur, ſoli homini, non iumentis competere. cap. 14 fol. 254

Quæritur, an ſciens peccet; & primo, an artifex ſciens peccet: ſecundo, an ſpeculator ſciens peccet: tertio, an moralis ſciens peccet. cap. 15. fol. 256

Ariſtoteles cum Platone ea de re conciliatur. c 16 f. 257

Diſcutitur celebris illa quæſtio, an homo ſponte fiat malus, ſponteque peccet: Plato id inficiatur. c. 17 f. 259

Ariſto-

Digitized by Google

Ariſtoteles acriter in Platonem inuehitur, diluuntur rationes Academicorum, ac demum Ariſtoteles cum Platone conciliatur. c.18.19.20 f.261.262.264.

Quaritur, qui peccet magis, num qui ſponte, vel qui inuitus aberrat: & oſtenditur, in attinentibus ad mores magis eos peccare qui errant ſponte, & in ceteris contra ſe habere. c.21.f.267

GRADVS QVARTVS, DE VIRtute Morali.

Oſtenditur vtilitas conſiderationis virtutis: & proponuntur, quæ de ea ſint conſideranda c.1.f.269

Cumulatiſſime explicatur, quotuplex ſit virtus. c.2.f.270

Definitur virtus moralis: referuntur, & reiiciuntur variæ definitiones: demum traditur propria eius definitio [illegible] eſt: virtus moralis eſt habitus appetitionis ſenſuum, natus præ[illegible]: in ea mediocritate quæ ad nos refertur, quaque à prudentia habitu definitur, collocatus: comparatus more, vt ciuili felicitate fruamur. cap.3.4 fol.272.274

Declaratur cur virtus ſit habitus, cur attinens ad appetitum ſenſuum, quomodo ſit medium quoddam, & extremum: & à quo petenda ſit regula decernendi medium. c.5.f.276

An virtus moralis in medio ſit poſita. c.6.f.279

Quaritur, in qua anim[illegible]ultate ſit collocata virtus moralis: refertur opinio Scoti & Stoicorum putantium in intellectu & voluntate eſſe poſitam. c.7.f.280

Reiicitur ſententia Scoti rationibus variis. c.8 f.283

Similiter euertuntur fundamenta, & reiiciuntur ſolutiones Scoti c.9.f.286

Explicatur opinio propria: & manifeſtatur, proxime & proprie virtutes morales eſſe in appetitu ſenſuum, vt in dirigente autem eſſe in intellectu & voluntate: & diluuntur rationes aduerſæ. cap.10.11 f.288.289.

Quaritur de iuſtitia, an ſit in appetitu ſenſuum, vt ceteræ virtutes: vel potius in voluntate, vt eſt communis opinio, cuius fundamenta referuntur. c.12.f.292

Oſtenditur iuſtitiam, vna cum ceteris virtutibus moralibus, in appetitu ſenſuum eſſe poſitam: & aduerſæ rationes diluuntur. cap.13.14.f.293.295.

Explicatur ſententia Academicorum, in qua animi parte collocata ſit iuſtitia. c.15.f.297

Agitur de modo, quo virtutes morales acquiruntur: & primo explicatur ſententia Ariſtotelis, & modi tres manifeſtantur, quibus in nobis gignitur virtus. c.16.17.f.299.300

Mox explicatur ſententia Platonis. cap.18.f.302
Agitur deinde de diuiſione virtutum moralium ex ſententia Academicorum in quatuor gradus, in naturales, ciuiles, purgatrices, & animi purgati. c.19.f.304
Diſſeritur aduerſus relatam virtutum diuiſionem. c.20.f.306
Quæritur, an virtutes morales ſint ſpecies diſtinctæ; vel potius omnes prudentia ſint, & ſola materie diſtinguantur, vt multi putarunt. c.21 f 308
Explicatur opinio Ariſtotelis de diſtinctione virtutum, & oſtenditur eas propria forma diſtingui. c.22.f 309
Quæritur, à quo petenda ſit diſtinctio moralium virtutum & oſtenditur, quod primo petenda eſt à fine. c.21.f 311
Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur virtutes morales non diſtingui ſpecie. c.24.f.313
Agitur de numero virtutum moralium: & varia referuntur, ac reiiciuntur opiniones. c 25.26 f 314.316
Explicatur opinio propria, & primo agitur de virtute vniuerſali: quæ eſt & amor & temperantia, & fortitudo, & iuſtitia. c.27.f.318
Mox diſſeritur de virtutibus in parte conſideratis. c.28.f 321
Proponuntur formulæ ſingularum virtutum ex ſententia Ariſtotelis, & ſingulæ virtutes definiuntur. c.29.f.325
Agitur de iuſtitia. c.30 f.330
Declarantur affectiones nonnullæ ſimiles virtuti, & vitio: qualis eſt verecundia, indignatio, & ſimiles. c.31.f.333
Quæritur: an indignatio & miſericordia, locum habeant in ſapiente. ibid
An verecundia ſit virtus. ibid.
An pudor locum habeat in viro probo. ibid.
An pudor locum habeat in ſene. c.32.f.335
Proponuntur difficultates ad numerum virtutum pertinentes. cap.33. f.338
Oſtenditur, quod virtutes modo aliquo ſunt vna, modo alio ſunt duæ, tres, octo, vndecim, & innumeræ. c.34 f.339.
Agitur de pietate, ſanctitate & religione. c.35.f.341
Inſuper agitur de fide, ſpe & caritate. c.36 f.342.
Cum vniuerſa virtus, quæ etiam vniuerſa iuſtitia dicitur, ſit vna, quæritur quomodo ſit vna, & reiicitur ſententia Alexandri. cap.37. f.345.
Oſtenditur ex propria ſententia virtutem vniuerſam eſſe vnam, per connexionem, & communia ligamenta ſingularum partium diſtinctæ formæ; vt etiam pulcritudo vna dicitur. c.38.f.346
Agitur de mutua connexione omnium moralium virtutum, & octo earum declarantur communia vincula. c.39 f.348

Dubitatio

Dubitatio aduerſus dicta, & opinio Scoti ſecus ſentientis refertur. cap. 40. f. 350

Quatuor præaccipiuntur conducentia ſolutioni difficultatis de conne-xione virtutum. c. 41. f. 342

Tria alia ad id ipſum pertinentia declarantur. ibid.

Quæritur, an virtutes, ſeruata ſemper proportione, ſimul omnes creſcant. ibid.

Reiicitur hac de re ſententia D. Thomæ. ibid.

Conciliatur Scotus cum D. Thoma. c. 42. f. 354

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur virtutes non eſſe iunctas. c. 43. f. 356

Quæritur, an virtus recipiat magis, & minus; & refertur ſententia Stoicorum, diluitur ſophiſma Cuſſani. c. 44 f. 358

Oſtenditur virtutes partim recipere, partim non recipere magis, & minus. ibid.

Explicatur locus in Porphyrio. ibid.

Declarantur ſex cauſæ, ob quas virtus in homine per gradus recipiatur. c. 45. f. 360

Diluuntur rationes oſtendentes virtutem, nec magis, nec minus recipere. ibid.

Explicatur locus Auerrois in 7. phyſ. 18. c. 46 f. 362

Comparantur inuicem morales virtutes in dignitate, & præſtantia: & primo vniuerſa virtus præfertur virtutibus in parte conſideratis. c. 47. f. 365

Oſtenditur virtutem vniuerſam præſtantiorem eſſe per rationem iuſtitiæ, quam virtutis. c. 58 f 366

Comparantur virtutes morales in parte conſideratæ; & pro variis afferuntur rationes, ob quas præferendæ videntur. c. 49 f. 368

Referuntur de ordine dignitatis virtutum opiniones nonnullæ: & demum oſtenditur virtutes ſingulas aliqua ratione principatum obtinere, abſolute tamen præferendam eſſe iuſtitiam. cap. 50 51. f. 371. 373

Quæritur, an verum ſit; quod virtute morali non valeamus non vti, vel male vti. c. 52 f. 374

Demum illuſtribus nonnullis ſententiis gradus virtutum moralium abſoluitur. c. 53. f. 376

GRADVS QVINTVS, DE VIRtute Mentis.

PRoponitur de virtute mentis, & rationis agendum; eaque in ſuas partes diuiditur. c. 1 f 379

Proponuntur, & diluuntur dubia, ad numerum virtutum pertinentia, & explicantur loca quædam Ariſt. in calce primi & in calce ſecundi Poſteriorum. c. 2 f 380

Quæritur, ad quem pertineat de virtutibus mentis verba facere, & explicatur locus in calce primi poſteriorum. c.3.4 f.382.385

Quæritur, an virtus mentis ſit qualitas, vel relatio. c.5.f.387

Inſuper quæritur, in qua animi parte recipiantur, & ſeruentur huiuſmodi virtutes, & relatis quatuor opinionibus, oſtenditur virtutes rationis in phantaſia recipi, & in memoria ei iuncta ſeruari. cap.6. f.389

Diluuntur dubia ex ea reſolutione emergentia. c.7 f.391

Quæritur, quomodo virtutes rationis inter ſe diſtinguantur, refertur opinio Scoti, explicatur opinio propria, & ea Scoti reiicitur. cap.8 9 f. 394.396

Agitur de opinione ex ſententia Platonis & Ariſtotelis. c.10 f.400

Declaratur fides ciuilis physica, & Theologorum. c.11 f.402

Inquiritur, quid ſit Padia, & quinque aliorum opiniones referuntur, & reiiciuntur. c.12 f.403

Explicatur ex propria opinione, quid ſit padia, & declaratur locus in 1. phyſ. c.13 f.406

Agitur de diuiſione padiæ, & dubia nonnulla ad eam pertinentia diluuntur ac exploditur error Theodori. c.14 f.408

Agitur de virtutibus mentis, de quarum ratione eſt, vt ſemper recta & vera ſint, & explicatur, quomodo ſemper ſint vera, capit.15 fol. 410

Aſſignatur ordo, tum neceſſitatis, tum dignitatis, inter virtutes mentis. c.16.f.412

Quæritur an habitus ille mentis, qui intelligentia dicitur, ſit, & quid ſit: & explicatur locus in primo Poſteriorum. c.17 f.413

Dantur tres diuiſiones intelligentiæ, & explicatur locus in 6. moral. c. 18 f.414

Diluuntur tria dubia ad intelligentiam pertinentia, & explicatur in 6. mor. c.19 f.418

Agitur de ſapientia, & primo de nominis ſignificationibus, eiuſque diſtinctionibus. c.20 f.420

Declaratur, quid ſit ſapientia, & treſdecim eius priuilegia referuntur, & Ariſt. cum Simonide conciliatur. c.21.f.423

Quæritur, an ſapientia ſit habitus vnus ſimplex diſtinctus à ceteris, vel potius mixtus ex ſcientia, & intelligentia, & oſtenditur, quomodo vtrunque ſit verum. c.22 f.424

Quæritur, quas cauſſas conſideret ſapiens, euertitur ſententia Auerrois, oſtenditur, quod conſiderat omne genus cauſſæ, capit.23. folio 426

Elucidatio quæſtionis de ſubiecto metaphyſicæ, & explicatio loci in 6. metaphyſicæ. c.24 & 25.f.429.433

De his, qui inter Græcos ſapientiæ cognomine fuerunt honeſtati, an re vera fuerint ſapientes, an Græci fuerint ſapientiæ primi parentes,

tur ſoli Græcorum ſapientes celebrantur. c.26.f.434
Comparatur Ariſt. cum Platone, & vtrique varia ratione principatus tribuitur, manifeſtatur, qui legitime philoſophantur, & quorũdam illuſtrium ſapientum fit mentio. c 27.f 438
Agitur de ſcientia, oſtenditur quotupliciter vſurpatur nomen eius, & quotuplex ſit particularis ſcientia. c.28f.442
Conſideratur, quomodo in nobis ſcientia producatur, explicatur opinio Platonis, oſtenditur, quomodo res quinque modis eſſe poſſint; declarantur duo modi reminiſcentiæ, & modi quatuor, quibus homo ad ſcientiam ſe habere poteſt. c.29.f 445
Quæritur, an ſcientia ſit reminiſcentia, & fundamenta explicantur eorum, qui reminiſcentiam eſſe cenſent. c.30.f.450
Reiicitur ea ſententia, quod ſcientia ſit reminiſcentia: quæritur, an modo aliquo poſſit dici reminiſcentia, & rationes diluuntur, quibus eam eſſe reminiſcentiam oſtendebatur. c 31.32.f.454.456
An ſimile ſimili cognoſcatur, afferuntur rationes pro omni parte, referuntur opiniones quatuor, & demum (reiecto Lambini errore) quomodo ſimile cognoſcatur ſimili, & quomodo non, explicatur. c. 33 f 460
Proponitur agendum de prudentia, explicatur quotuplex ſit, referuntur variæ eius definitiones, & ex ſententia hæc traditur: prudentia eſt habitus cum ratione vera, ad ea agendum dirigens, quæ homini bona ſunt. c.34.f.464
Explicantur pertinentia ad internam prudentiæ conſtitutionem, & eius affectiones referuntur. c.35.f.466
Quæritur cauſa producens prudentiam, referuntur opiniones variæ, & conciliantur. c.36.f.468
Quomodo prudentia nectatur cum virtute morali. ibid.
Cur ſeniores ſint prudentiores: cur mares ſint prudentiores. ibid.
Cur nationum nonnullæ prudentiores. ibid.
Cur in Senatu Veneto tot prudentes fulgeant. ibid.
Diuiditur prudentia in partes. c.37.f.470
In qua prudentiæ parte verſentur iuriſperiti. c.38 f.471
Referuntur nonnulla, quæ prudentiæ attribuuntur. c 39 f 473
Declaratur, quomodo temperantia præſertim prudentiam ſeruet. ibid.
Quomodo dicatur prudentia non eſſe virtutem, & Lambini error detegitur. ibid.
Cur in attinentibus ad prudentiam, qui ſponte errat, magis delinquat. ibid.
An prudentiæ ſit obliuio. & locus in ſexto moralium explicatur. ibid.
Referuntur ſalutares vtilitates, quas prudentia affert. capit 40.folio 476
Quæritur, an prudentia dignitate præſtet virtuti morali. cap. 41. folio 478

Et an ſit verum, quod virtus in fine, prudentia in mediis verſetur, & controuerſia in Scoto, D. Thoma, & Ariſtotele referuntur. ibid.

Diluitur dubitatio, & oſtenditur, quomodo prudentia praſcribat, & non praſcribat finem virtuti morali. c.42.f.480

Quaritur, an viri ciuiles, religioſi, & contemplationi addicti ſint prudentes. c.43.f.482

Proponitur ea celebris quaſtio de praſtantia contemplationis, & actionis, qua vertitur inter ciuiles, & eos qui contemplationi incumbũt: & aſſeruntur rationes pro praſtantia ciuilis vita. c.44.f.483

Idipſum praclaris auctoritatibus comprobatur. c.45.f.487

Aſſeruntur mox rationes pro praſtantia contemplationis. c.46.f.493

Inſuper aſſeruntur pro eadem praſtantia auctoritates. c.47.f.493

Reſoluitur dubitatio, pugnantes ſententia componuntur, & declaratur, qua ſit hominis magis propria, & num contemplatio, vel actio. c.49.f.495

Diluuntur rationes, qua aduerſus contemplationem fuerunt allata. c.49.f.498

Proponitur de arte agendum, referuntur quatuor ſignificationes nominis artis, & propria definitio eius traditur. c.50.f.503

Explicatur qua ſit recta ratio artis, & declaratur quomodo ſit, & non ſit principium primum. c.51.f.405

Declaratur, quid ſit actio, & effectio, quaritur, an qui publice legunt, agant, & efficiant, & oſtenditur, quomodo actio poſſit eſſe finis. c.52.f.506

Explicantur materies, efficiens, & finis artis. c.53.f.511

Quaritur & explicatur, an artifex vtatur conſultatione, & praelectione, inſuper, num fortuna cum arte complicetur. c.54.f.512

Varia artium traduntur diuiſiones, & qua ſit potiſſima, declaratur. c.55.f.515

Declaratur, qua ſint artes ingenua, & in tres gradus diſtribuuntur. c.56.f.517

An ars valeat efficere ſubſtantiam. c.57.f.520

An corpora artificioſa diſtinguantur à Phyſicis. ibid.

An fiant à ſimili, cur priſci artifices praferantur. ibid.

A quibus ſcientiis qua artes prodeant. ibid.

An ars praſtet natura: rationes pro praſtantia artis. c.58.f.523

Rationes pro praſtantia natura. c.59.f.525

An ars aliqua conſideratione poſſit iudicari praſtantior. c.60.f.528

GRA-

GRADVS SEXTVS, DE VIRtute Heroica.

DE nomine Herois, vnde deductum, & quid ſignificet, cap. 1. fol. 529

Quid ex ſententia Ariſtotelis ſit Heros, & quomodo à Diis ducat ortum. c 2 f 531

Quid ſit oppoſitum Herois. ibid.

Error Plutarchi. ibid.

Quæ ſit eminentia Heroicæ virtutis ex ſententia Ariſt. c 3 f 532

Quomodo virtus Heroica ſit ſplendor virtutis moralis. ibid.

Cur inuentores diſciplinarum dicantur Dii. ibid.

In qua virtute Heroicus ſplendor maxime fulgeat. c. 4 f 535

Quomodo virtus Heroica ſe habeat ad morales, quarum eſt eminentia, num ſcilicet diſtinguatur ſpecie. c 5 f 537

In qua animæ facultate ſit collocata virtus Heroica, & oſtenditur in omni appetitu ſenſuum, præſertim tamen in facultate iraſcendi. c. 6 f 541

Oſtenditur Error aſſerentium virtutem Heroicam eſſe euulſionem perturbationum. c. 7. f. 542

Declaratur, vnde ortum ducat fulgor Heroicæ virtutis, & oſtenditur, quod ortum ducit ex variis. c 8 f. 543

Euertitur eorum ſententia, qui dixerunt, ex ſententia Ariſt. virtutem Heroicam eſſe eandem cum ſanctitate & feritatem cum prophanitate. c. 9. f. 545

In quo hominum gradu, & conditione, & num in fœmina Heroica virtus ſit nata reperiri c 10. f. 546

Exempla nonnulla Heroicæ virtutis ex Repub. Venetorum deprompta. c. 11 f 547.

Cauendum, ne vitium nomine virtutis honeſtetur, & conſideratur actio Lucretiæ, Cleopatræ, & Æneæ c. 12 f 550

De feritate, & tres eius fauces explicantur. c. 13 f. 552

Quæritur, an feritas ſit deterior vitio. c. 14 f. 533

Quomodo per virtutem, & præſertim per Heroicam, homo reddatur ſimilis Deo. c. 15 f 555

Quæritur, an homo pro vitanda miſeria vitio, & feritate, debeat præeligere mortem, oſtenditur primo, quod non c. 16 f 557

Mox oſtenditur, quod ſic, rationibus, & auctoritatibus. c. 17 f 559

Explicantur ſex conducentia pro reſolutione difficultatis. cap. 18. fol. 561

Elucidatur, & reſoluitur dubitatio quatuor aſſertionibus. cap. 19 fol. 562

Diluuntur rationes aduerſæ. c. 20 f 564

An homo recta ratione debeat nonnunquam ſibi tradere mortem. c.21 f.566

Agitur breuiſſime de ſingulari certamine, & conſideratur, an concedi poſſit. c.22.f.567

Conceſſo ſingulari certamine, quæritur; num dimicans recta ratione teneatur permittere interfici, vel potius ſe victum tradere. cap.23.folio 571.

GRADVS SEPTIMVS, DE VSV QVOdam virtutis, nempe de amicitia.

Quotuplex ſit amicitia. c.1.f.573

Quid ſint amabile, amor, dilectio, beneuolentia, concordia, amicus, amicitia, & deſiderium. c.2.f.575

Relatis variis amicitiæ definitionibus, propria traditur. c.3.f.576

Tradita amicitiæ definitio explicatur, & declarantur cauſæ amicitiæ. c.4 f.577

Quæritur an amicitia ex indigentia oriatur ibid.

Refertur opinio Ciceronis id negantis, & defenditur opinio Platonis id aſſerentis. c.5 f.581

Num amicitia nobis fato competat, vel potius prælectione. cap.6.fol. 583

An ſit neceſſe, vt qui amat, vice verſa ametur. c.7 f.584

Quæritur, an amicitia ſit virtus, & primo oſtenditur, quod non. cap.8. f.586

Mox oſtenditur, quod ſic. c.9.f.587

Demum reſoluitur dubitatio per quatuor aſſertiones. c.10.f.589

Declaratur, quomodo amicitia dici poſſit vniuerſa virtus, & quomodo medium ſeruet. c.11.f.590

Quæritur, an amicitia ſit virtute præſtantior, afferuntur rationes pro vtraque parte, & diluitur dubitatio. c.12.f.591

Quæritur, an amicitia ſit bonum externum, vel internum, & num melius ſit diligi quam honore affici, & diluitur dubitatio. cap.13.f. 592

Quæritur, quid ſit præſtantius, num amare, vel amari, afferuntur rationes pro vtraque parte: refertur & reiicitur opinio Leonis Hebræi. ibid.

Explicatur ſententia Platonis & dubitatio per ſex aſſertiones reſoluitur. c.14 f.594

An amicitia in eo potius ſit poſita, vt amemus, vel in eo vt amemur, & cur amicitia priuata inter paucos verſetur. c.15.f.598

An amicitia præferenda ſit coniunctioni ſanguinis. c.16 f.600

An inter fratres ſit vera amicitia moralis. ibid.

An ſibi vnuſquiſque maxime debeat eſſe amicus. c.17 f.602

Oſten-

Oſtenditur, qua ratione homo teneatur ſe primo, & maxime diligere, & non teneatur. c.18 f.604
Duæ proponuntur, & diluuntur difficultates, ad ſui dilectionem pertinentes. c.19 f.606
Quibus hominum conditionibus congruat amicitia. c.20 f.607
Per quæ diſſoluatur amicitia. c.21 f.609
An iræ amantium ſint amoris redintegratio. ibid.
An felix egeat amicis. c.22 f.610
An in aduerſa, vel in ſecunda fortuna magis egeamus amicis. cap.23. f.612
Tres difficultates ad rem eandem pertinentes proponuntur, & diluuntur. c.24 f.614
An amicis aliqua donare valeamus, & quomodo amicorum omnia ſunt communia. c.25 f.615
An amicus debeat amico optare, & pro eo quærere ea bona, quæ ſi conſequatur, euertitur æqualitas, & oſtenditur id debere fieri, & declaratur, ob id non vere deſtrui amicitiam, ſed ad eminentiorem gradum eleuari. c.26 f.617
Referuntur nonnulli fructus amicitiæ, oſtenditur, quomodo amor ſit cæcus & oculatiſſimus. c.27 f.619

GRADVS OCTAVVS, DE INSTRVmentis Virtutum.

De bono vniuerſe ſumpto, & variæ definitiones referuntur. cap.1. fol.622.
De primo bono, nec non de bono proprio rerum pendentium à primo. c.2 f.624.
Afferuntur variæ diuiſiones boni. c.3 f.626
Enumerantur munera animi naturæ & fortunæ. c.4 f.627
Quæritur, an munera naturæ & fortunæ debeant cenſeri bona, & refertur opinio Stoicorum id negantium, & confirmatur. cap.5 folio 629
Oſtenditur munera naturæ & fortunæ debere dici bona. capit.6 folio 632
Declaratur quomodo ea munera ſint bona ſimpliciter, reiicitur ſententia Vicomercati, & explicatur ſententia Ariſtotelis per Ariſtotelem. c.7 f.634
Cur ſolus homo dicatur diues, & num Stoici cum Peripateticis conciliari poſſint. c.8 f.637
An bona naturæ & fortunæ ſint neceſſaria pro felicitate: quidam negant, alii in eis ſummum bonum conſtituunt, Peripatetici ſe medios ſtatuunt. c.9 f.639

Sententia Peripateticorum variis rationibus in dubium reuocatur. c. 10 f. 641
Vniuerſa dubitatio pro parte Peripateticorum tribus aſſertionibus reſoluitur. c. 11 f. 646
Diluuntur rationes aduerſæ; & quid veri includat opinio Stoicorum, declaratur. c. 12 f. 648
Enumerantur bona naturæ & fortunæ; inter eaque ordo conſtituitur: & diuitiæ ceteris poſtponuntur. c. 13 f. 650
Agendum proponitur de nobilitate; oſtenditur vtilitas eius conſiderationis, & quæritur, an nobilitas ſit, & oſtenditur, quod detur. c. 14. f. 652
Oſtenditur, quid ſit nobilitas: & quatuor eius gradus referuntur. c. 15. f. 655
Quatuor illi nobilitatis gradus, exactius explicantur, & declaratur, an principes debeant dici nobiles. c. 16. f. 657
Declaratur ſolum hominem debere inter mortalia dici nobilem, & quæ deceant virum nobilem explicatur. c. 17 f. 660
Varii & ſalutares fructus nobilitatis referuntur. c. 18 f. 661
Declaratur, cur nobiles accuratiore egeant educatione. c. 19 f. 663
Inſuper, cur nobilitati tribuatur antiquitas. ibid.
An à matre prodeat nobilitas. c. 20 f. 664
Quomodo nobilitas cum diuitiis iuncta ſeruetur. ibid.
An pro vita recte inſtituenda magis conferat nobilitas, vel recta educatio. c. 21. f. 666
An in vrbe Tyrannide preſſa locum habeant viri nobiles. ibid.
Quæ illuſtriorem præbeant nobilitatem, literæ vel arma; actio vel contemplatio. c. 22 f. 668
De honore diſſerendum proponitur, & perpendendo ſeptem humanæ vitæ conditiones, ſeptemque metaphoras eis reſpondentes, oſtenditur quam vtilis ſit conſideratio honoris. c. 23. f. 669
Definitio externi honoris, dubia ad eam pertinentia, & quatuor genera cauſarum eius. c. 24 f. 671
Dubitatur primo, quia Ariſtot. in definiendo honore non videtur ſibi conſtare. c. 25. f. 673
Cuius virtutis honor ſit ſignum. ibid.
Quomodo honor tribui poſſit à viro priuato, cum ſit bonum publicum. ibid.
Pro diluendis variis difficultatibus declaratur, honor, laus, gloria, fama, encomium, reuerentia & ſimilia. c. 26 f. 674
Varia, quæ de honore ab Ariſt. dicuntur, conciliantur. c. 27 f. 676
Oſtenditur, an honor ſit præmium virtutis rationalis. c. 28. f. 677
Si habitui non competit honor, quomodo competere poteſt virtuti? cap. 29. f. 679.
Si ſapientiæ à Græcis nullum fuit deſignatum præmium, quomodo honor

honor dicitur premium eius? ibid.
Num artes ſint honore digna. ibid.
Gradus honoris, ex quibus ſumantur. c.30.f.681
An pueris competat honor. c.31.f.683
An competat defunctis. ibid.
An honor ſit bonum laude, vel honore dignum. ibid.
An viri praui valeant honorare. ibid.
An teneamur expetere honorem. ibid.
An honor ſit magis honorantis, quam honorati. c.32.f.686
Cur Deum ſine externa materie magis honorare valeamus, quam homines. ibid.
Ex declaratis de honore varii populares errores exploduntur. cap.33. fol. 689
Capita quædam principalia, quæ inſpicere tenemur pro componendis litibus c.34.f.690
Sex hominum conditiones, ſex officia, ſexq; gradus honoris. ibid.
Singulare certamen recte formatum apprime ſalutare oſtenditur. ibid.
De pulcro & primo explicatur opinio Platonis. c.35.f.695
Mox declaratur opinio Ariſtotelis. c.36.f.697
Traditur definitio pulcri. ibid.
Reiiciuntur inſtantiæ Plotini. ibid.
Agitur de gratia; aſſignantur tres ſignificationes eius; oſtenditur, quomodo gratia ſit vox ab vno. c.37.f.699
Quæritur quid ſit gratia. c.38.f.701
An à pulcritudine ſecernatur. ibid.
Quid ſit, & quinque colliguntur ſatis vtilia. ibid.
Ariſtoteles cum Platone in attinentibus ad gratiam conciliatur. c.39.f.703
Quomodo pulcritudo vna, gratiæ dicuntur tres. ibid.
Cur gratiarum vna ſemper auerſa. ibid.
Parentes gratiarum. ibid.
Quomodo nudæ & indutæ. ibid.
Quæ præſtantior, num gratia, vel pulcritudo. ibid.
Cur Venus, & non gratia, dicitur mater amoris. ibid.
De fortuna, caſu & ſorte, diſputandum proponitur. c.40.f.707
Quid ſint caſus & fortuna, ex opinione aliorum. c.41.f.708
Quid ſint ex opinione Ariſtotelis. c.42.f.713
An caſus & fortuna ſint; & primo afferuntur rationes pro vtraque parte. c.44.f.715
Mox referuntur opiniones variæ, & explicatur ſententia Ariſtotelis. c.44 f.716
Duæ difficultates proponuntur & diluuntur: & oſtenditur, quomodo in cœlo, & primis cauſſis, locum habeant caſus & fortuna. cap. 45.f.718

igitized by Google

An de caſu, & fortuna ſit ſcientia, & ad quam partem philoſophia pertineant. c.46.f.720
Quomodo caſus, fortuna, & ſors inter ſe diſtinguantur. c.47.f.721
Quomodo caſus ſe habet ad fruſtra. ibid.
Quomodo caſus, & fortuna rediguntur ad cauſſam efficientem. c.48. f.724
Quomodo redigantur ad materiam. ibid.
Quomodo omnis fortuna ſit bona. c.49.f.726
Omnis fortuna ſit mala. ibid.
Omnis fortuna ſit neutra. ibid.
Et demum quædam bona, quædam mala. ibid.
Quomodo fortuna ſit cœca & oculatiſſima. ibid.
Conſtans & inconſtans, & ſic de ſimilibus. ibid.
De idolo, & figura fortunæ; & cur à variis vario modo formetur. c.50.f.728
An calor, & fortuna locum habeant in his, quæ æque fieri, & non fieri poſſunt. c.51.f.730
Quinq; modi, per quos fortuna recipit magis & minus. c.52.f.733
Cur fortuna dicatur aduerſa virtuti, inimica ſapienti, dementi autem amica; & num illæ ſententiæ ſint veræ. c.53.f.735
Quid ſit difficilius, num in proſpera, vel in aduerſa fortuna modum ſeruare. c.54.f.737
Agitur de bona fortuna: quæritur, cur nonnulli fortunati, alii infortunati iudicentur. c.55.f.750
Referuntur, & reiiciuntur opiniones aliorum. ibid.
Explicatur opinio Ariſtotelis, & definitur bona fortuna. cap. 56. f.742
Num prudentia fortunæ præſtat, vel vice verſa. c.57.f.745
An homo dici debeat ſuæ fortunæ faber. ibid.
An omnis felix ſit fortunatus. c.58.f.746
Quid deterius: an nunquam experiri fortunam proſperam; vel experiri per aliquod tempus, mox ea priuari. ibid.
Remedia pro lenienda aduerſa fortuna, ex quatuor fontibus hauſta. c.59.60.61.f.748.750.751
Ex conditione bonorum fortunæ. ibid.
Ex conditione propria hominis. ibid.
Ex conditione præſentis vitæ. ibid.
Ex conditione victoriæ. ibid.

GRADVS NONVS, DE SVMmo bono.

PRoponitur agendum de ſummo bono. cap.1.f.754
Explicantur nomina varia ſummi boni. c.2.f.755

Diuidi-

Digitized by Google

Diuiditur ſummum bonum, & oſtenditur de eo eſſe agendum, quod homini hanc vitam viuenti natum eſt competere. cap. 3. f. 756
Quaritur, an homo in hac vita valeat eſſe felix, & oſtenditur, quod non. c. 4. f. 757
Oſtenditur pars aduerſa, quod ſcilicet valeat eſſe felix. c. 5. f. 760
Reſoluitur dubitatio. c. 6. f. 762
Explicatur ea ſententia Platonis, quod homo ſit ludus Deorum. cap. 7. f. 764
Quaritur, ad quam ſcientiam pertineat conſideratio ſummi boni; & oſtenditur, quomodo attinet ad ciuilem, ad phyſicum, & ad diuinum c. 8. f. 766
De conſideratione ſummi boni quatuor pulcra preponuntur & diluuntur difficultates. c. 9. f. 768
Explicantur capita Sectarum philoſophorum, & quatuor principales opiniones de ſummo bono conſideranda proponuntur. cap. 10. f. 770
Pro parte Stoicorum aſſerentium ſummum bonum in habitu virtutum moralium eſſe collocatum, decem rationes afferuntur. cap. 11. f. 772
Afferuntur rationes pro parte Peripateticorum, quod ſummum bonum in actione proba ſit poſitum. c. 12. f. 774
Sententia Ariſtotelis variis inſtantiis in dubium reuocatur. cap. 13. f. 776
Reſoluitur dubitatio, & Stoici in parte cum Peripateticis conciliantur. c. 14 f. 777
Quoniam eſt dubitatio, an voluptas ſit eſſentia ſummi boni; ideo nonnulla ad voluptatis notitiam pertinentia declarantur. cap. 15. f. 779
Explicantur diſtincti gradus voluptatum. ibid.
Oſtenditur, quomodo voluptas omnis bona ſit. ibid.
Explicantur quatuor gradus voluptatis. c. 16. f. 781
Declaratur lis inter Platonem & Ariſtotelem. ibid.
Oſtenditur in viro beato omnes voluptatis gradus conſpirare. ibid.
Varia afferuntur rationes, ad oſtendendum eſſentiam ſummi boni in voluptate eſſe poſitam. c. 17. f. 784
Afferuntur rationes aduerſus voluptatem, & Plato ab apparente controuerſia vindicatur. c. 18 f. 788
Dubitatio quinque aſſertionibus diſſoluitur, & declaratur prima: qua eſt, ſummum bonum cum iucunditate iunctum eſt. cap. 19. f. 790
Declaratur ſecunda, & eſt, iucunditas non eſt eſſentia ſummi boni. ibid.
Idipſum oſtenditur ex opinione Ariſtotelis. c. 20. f. 792

Declaratur tertia aſſertio, iucunditas eſt comes ſummi boni cap. 21. f. 794

Quarta eſt, cum ſit comes & affectio, ſummopere eſt iuncta cum ſummo bono. ibid.

Quinta eſt. Ariſtoteles magis proprie, quam Plato locutus eſt, quamuis de natura rei non diſſentiant. ibid.

Cur viſus ſit Ariſtoteles tantopere voluptatem commendaſſe, & cum ſummo bono coniunxiſſe, & diluuntur aduerſæ rationes. cap. 22. f. 797

Explicatur opinio Platonis de ſummo bono. c. 23. f. 800

Agitur de idea boni, & Platonis ſententia explicatur. c. 24. f. 803

Referuntur rationes, quas affert Ariſtoteles in primo moralium aduerſus ideam boni approbatam à Platone. c. 25. f. 807

Declaratur, rationes illas nec ad rem facere, nec Platonis ſententiam euertere, & Ariſtoteles cum Platone in parte conciliatur. cap. 26. f. 808

Refertur definitio ſummi boni, tradita ab Ariſtotele, quod ſit actio animi ſecundum virtutem optimam, ac perfectiſſimam in vita perfecta. c. 27. f. 811

Declaratur, quæ cauſſæ ſummi boni explicentur. ibid.

Quid ſignificet Ariſtoteles per virtutem optimam & perfectiſſimam. c. 28. f. 812

Quid per vitam perfectam, & opinio aliorum euertitur. cap. 29. f. 815

Oſtenditur, quomodo ante obitum homo poſſit, & non poſſit dici felix. c. 30. f. 818

Conſideratur, an in obitu hominis (ex ſententia Ariſtotelis) ſummum eius bonum aboleatur. c. 31. f. 820

Diuiditur ſummum bonum, & gradus eius explicantur. cap. 32. f. 822

Oſtenditur, quomodo munere felicitatis homo nectatur cum Deo ex opinione Platonis, & gradus explicantur aſcenſus, ac deſcenſus. c. 33. f. 824

Explicantur munera & affectiones, quæ competunt animo iuncto cum ſuperis ex ſententia Platonis. c. 34. f. 827

Declaratur ſummum bonum modo eis conſentaneo in ſingulis mundi gradibus reperiri. ibid.

Declaratur, quomodo ex opinione Ariſtotelis vir felix ſe habeat erga Deum, quomodo ſit ei ſimilis, & viſitetur à Deo. c. 35. f. 828

Agitur de modo, quo mens viri felicis intelligit ſeparatas formas, & explicatur opinio Auerrois & Auicennæ, putantium mentem hominis necti cum ſupernis per eſſentiam. c. 36. f. 829

Afferuntur rationes, & auctoritates pro confirmatione opinionis Auerrois & Auicennæ. c. 37. f. 832

Decla-

Declaratur opinio Ariſt. & oſtenditur, connexionem illam per eſſentiam eſſe commentum quoddam. c. 38. f. 835
Diluuntur rationes aduerſæ, variaque loca explicantur ad eandem rem pertinentia. c. 39. 40. f. 838. 841
Quæritur, an mens nobis iuncta valeat apprehendere de ſeiunctis formis ſolum quod ſint, vt cenſuit D. Thomas, vel etiam quid ſint, vt opinatus eſt Scotus. c. 41. f. 844
Reſoluitur quæſtio, & opiniones, quæ pugnare inter ſe videntur, conciliantur. ibid.
Ad quam animæ partem pertineat ſummum bonum, & opiniones tres referuntur, Scoti, D. Thomæ, Ricardi, & ſex concluſionibus vniuerſa dubitatio reſoluitur. c. 42. f. 849
Quæritur, an ſummum hominis bonum recipiat magis & minus, tres hominum gradus, & conditiones explicantur, demum per duo fundamenta dubitatio diſſoluitur. c. 43. f. 853
An homo valeat eſſe felix, & non percipere ſe eſſe felicem, oſtenditur, quod non, & declaratur, quomodo cognitio, & eius animaduerſio diſtinguantur c. 44. f. 855
Comparantur duo gradus ſummi boni, quorum vnus in actione, alter in contemplatione eſt poſitus, & quæritur quis eorum firmior & conſtantior ſit. c. 45. f. 857
An vir felix in miſerum & miſer in felicem verti poſſit. c. 46. f. 859
An gradus vnus ſummi boni valeat ſine altero ſeruari, & oſtenditur quod perfecte ſeruari nequit. c. 47. f. 861
Comparatur ſummum bonum notum Theologis cum explicato ab Ariſtotele, & differentia oſtenditur. c. 48. f. 864
Declaratur, quomodo ſummum bonum ſit optimum, pulcerrimum & iucundiſſimum, & corrigitur error interpretum quorundam. ibid.
Agitur de miſeria ac ſummo hominis malo. c. 49. f. 867
Declaratur, quodnam ſit vitium perfectum, ex quo prodit miſeria hominis: conſideratur, an dari poſſit vitium vniuerſum. cap. 50. f. 896
Declaratur, quomodo vitio competat dextrum & ſiniſtrum. cap. 51. f. 871
Quomodo ei competat cauſſa. ibid.
Cui animæ parti competat. ibid.
Agitur de diſtinctione, & numero vitiorum. c. 52. f. 873
Comparatur vitium cum Cerbero. ibid.
Conſideratur, quid homini ſit familiarius, num ignorantia vel vitium. c. 53. f. 875
An vitium magis ſit contrarium vitio, vel virtuti. ibid.
An vitium omne puniatur, & quatuor declarantur pœnarum gradus. ibid.

In quo hominis ſexu, gradu & conditione, miſeria præſertim locum habeat: num in fœmina, vel in mare: num in viro priuato, vel publico. c. 54. f. 879

GRADVS DECIMVS, DE VIRTVTE & ſummo bono per vrbes, & populos propagando.

INſtitutum, inſtitutiq; cauſſa manifeſtatur; & capita explicanda proponuntur. c. 1 f. 881
An boni viri, boni ciuis, boniq; principis eadem ſit virtus, & oſtenditur, quod non. c. 2. f. 883
Afferuntur rationes pro parte aduerſa, nempe quod ſit eadem. cap. 3. f. 884
Reſoluitur dubitatio, oſtenditur, quod difficilius eſt eſſe ciuem probum quam virum probum. c. 4. f. 885
Dubia quatuor digna conſideratione ex reſolutione emergentia proponuntur & diluuntur. c. 5. f. 888
Agitur de materie reipublicæ, nempe de ciuibus. c. 6. f. 891
Conſideratur, an dentur homines natura ſerui. ibid.
Declaratur hominem quatuor modis poſſe eſſe ſeruum. ibid.
Declarantur variæ rerumpublicarum formæ. c. 7 f. 894
Explicantur prima earum ſemina. ibid.
Manifeſtantur ſex ſimplices formæ. ibid.
Conſideratur, ex quo petenda ſit diſtinctio rerumpublicarum; & opinio Ariſtot: cum ea Platonis comparatur. c. 8. f. 896
Declarantur formæ ciuilis imperii, quæ ex mixtione ſex ſimplicium prodeunt. c. 9. f. 898
Quomodo in diſtinctis reipublicæ formis vario modo ſeruetur iuſtitia. c. 10. f. 902
Quæ forma reipublicæ præſertim digna ſit nomine reipublicæ, & mereatur dici libera. ibid.
Quæ publicarum adminiſtrationum præſtantiſſima cenſeri mereatur, & dubitatio quatuor aſſertionibus diſſoluitur. c. 11. f. 903
Agitur de origine formarum reipublicæ. c. 12. f. 907
Conſideratur, an de mundi æternitate Ariſtot. cum Platone conſentiat. ibid.
Manifeſtatur quomodo à Deo manarunt imperia ibid.
Agitur de ordine redintegrationis ciuilis adminiſtrationis, & refertur opinio Platonis, Ariſtotelis, & propria. c. 13 f. 910
Conſideratur finis, cuius gratia formatæ ſunt reſpublicæ. c. 14 f. 913
Agitur de magiſtratibus, & primo de eorum neceſſitate ex fine ſumta. c. 15 f. 915
Quid ſit magiſtratus, & quæ eius forma. c. 16. f. 916

De ma-

CAPITVM.

De materie magiſtratuum, in qua recipiuntur, & circa quam verſantur. c.17. f.917
De modis creandi magiſtratus. c.18 f.919
An expediat, vt magiſtratus dentur per vniuerſam vitam. cap. 19. f.920
An magiſtratus debeat praeſſe legi, vel vice verſa. ibid.
An liceat ex magiſtratu elicere lucrum, qua de re Ariſtot. cum Platone conciliatur. c.21 f.924
An diuites vel pauperes, congruentius magiſtratui praſint. ibid.
An vir probus debeat magiſtratum quarere. c.21 f.927
An expediat, vt idem diſtinctis magiſtratibus praſit. ibid.
Sententia pro eorum inſtitutione, qui rite magiſtratibus praeſſe cupiunt. c 22. f 929
Agitur de legibus: & declaratur quid, & quotuplex ſit lex. cap.32. f.931
An lex omnis ſit iuſta. c.24.f.933
An liceat mutare leges. ibid.
An lege ſanciri expediat, vt vxores & nati in republica communes ſint: & Ariſt. cum Platone in parte conciliatur. c.25 f 935
De origine legum. c.26 f. 938
Cur leges in Deos, & in quos Deos referuntur. c.27. f 940
Finis legum, & quadam earum capita. c.28 f. 941
Duodecim leges, quas praſertim natura ſeruat in procreandis rebus; earumq; explicatio. c 29. f 942
Agitur de recta iuuenum inſtitutione, & eius vtilitas declaratur. c.30. f 945
Declaratur, quid ſit, & quibus congruat recta inſtitutio c.31. f 946
An mas, & fœmina ad eadem, eodemq; modo inſtitui debeant, & conſideratur lis inter Ariſtotelem & Platonem. c 32. f 949
Qua ſint ea, qua rectam expoſcunt inſtitutionem, & per qua congruenter inſtituantur. c.33. f. 950
Sexdecim principalia capita, ex quibus pracepta deducuntur, recta iuuenum inſtitutioni inſeruientia. c.34. f. 953

FINIS.

CASTIGATIO ALIQVOT LOCORVM PICcolhom. quod ad λέξιν attinet.

E A.

HÆc particula, quæ ἀναφορικὴ eſt, ſæpe otioſe adhibetur à Piccolomineo, vel requirit ſubiectionem ſeu ὑπόνοιαν harum duarum vocularum: Quæ eſt: Quod ſi alicubi non attendatur, ſententia authoris minus tibi erit perſpicua. Introduct. cap. 1. Quarta eſt ea naturæ, quæ te genuit, pro: Quarta eſt naturæ, quæ: Gradu 1. cap. 15. Dolor ad appetitum cupiendi, ira ad eum iraſcendi pertinet. Hic oratio aut ἐλλείπει, aut πλεονάζει. Legi igitur: Ad iraſcend., vel: Ad eum qui eſt iraſcendi. Gradu 1. cap. 11. Ea diſtinctionis ratio ſumpta ex arduo, &c. Tolle Ea, vel ſupple ſic, Ea diſtinctionis ratio, quæ ſumpta eſt. Gradu 7. cap. 14. Nam ea copia vel eius participatio obtinet locum finis. Hic prorſus redundat Ea. Grad. 5. c. 9. Materia cœli ab ea mortalium varia eſt. L. à materia mortalium, vel: ab ea, quæ eſt mortalium. Grad. 4 cap. 7. Non ad appetitum ſenſus, ſed ad eum mentis pertinet. Lege ſed ad mentis: vel ad eum, qui mentis eſt. Gradu 7. cap. 19. Homo pro ſe perfectionem optare debet quamlibet: vt eam ſeparatarum mentium & Dei. Lege Eam quæ eſt: vel tolle Eam. Introductione cap. 7. Oeconomica non dicitur cenſeri pars vna diſtincta ab ea de repub. pro Ab ea, quæ eſt. Similia exempla ſunt Grad. 5. cap. 13. pag. item 505. 539. 643. 645. 652. 812. 1010. aliiſque locis pene ſexcentis.

Nonnunquam etiam Piccol. Ea minus commodo loco vſurpat pro illa, ut Grad. 1. c. 1. Variis de cauſſis ea communis perturbationum diſtinctio non eſt approbanda: pro communis illa perturb. Grad. 2. cap. 16. Ea ſententia Ariſtotelis de motu ignis eſt falſa, pro: ſententia illa Ariſtotelis: vel Ea redundat. Sic Grad. 5 cap. 51. Sed ea recta ratio eſt originalis forma rei. Ea redundat vel legendum pro Ea illa ſic: Recta illa ratio. Gradus eiuſdem cap. eodem legitur, Ea recta ratio conſtituens artem redigitur ad efficientem, pro: Recta illa ratio, artem conſtituens, vel: Recta ratio, quæ artem conſtituit.

Ordiens,

Ordiens, reſpondens, progreſſuri, loquens, pro: vt reſpondeam, vt ordiar, &c.

Cum his participiis vtitur, ſolet ἀνακολουθεῖν & ita σολοικίζειν. De prima facultate loquens, res videtur dubia. A primo ordiens conſiderandum eſt. A primo ordiens quæritur. Ordiens à primo, putarunt nonnulli. Tu lege, loquendo: ordiendo: vel vt ordiar: vel, pro quęritur quęro: Reſpõdens tamẽ: dũ dicitur, pro reſpõdeo, vel: vt reſpondeã. Sic ordiens á prima ea eſt obſcura, pro: vt ordiar, vt incipiam. Ad quã per gradus progreſſuri, operæ pretiũ eſt verba facere, pro: cum ſimus progreſſuri, vel rectus eſt mutãdus in obliquũ caſum. Talia ἀνακόλουθα ſeu inconſequẽtia Gr. 1. cap. 12. Grad 2. c. 1. Grad. 3. c. 10. Introduct. cap. 16. 19. 24. & aliis locis plus minus triginta. Petrus tamen Plateanus ſcriptor elegantiſſimus in 2. lib. de vocatione c. 11. hic Piccolomineo eſt genuinus. Eorum officia explicaturi à vocantibus initium facientes certum eſt nihil eſſe. Lege tu pro certo habemus. Talia Anacolutha in Terentio, Homero & libr. Noui teſtam. etiam inueniuntur, ac tunc dicuntur Solœcophane.

Ei pro ſibi vel ipſi.

Lapſus hic facilis eſt. Grad. 10. c. 34. Vnuſquiſque cogitet ſe eſſe potentibus, ſed grauibus aliis præditum, ideo ei nitendum eſſe pro viribus. Lege ſibi, Et: Tenentur ingenui iuuenes hoc continẽter meditari nihil eis aduerſius, &c. pro ipſis. Introduct. c. 1. Deus te prolem ei ſimilem ad bonum allicit, pro: ſibi: vel qui es proles ei ſimilis: In Comitis politici procemio, Amici me rogarunt, vt quarundam difficultatum ſolutiones eis tradere non grauarer, pro ſibi. Grad. 5. c. 43. Ob eorum negligentiam, pro ipſorum.

Dum pro qua vel quo vel cum aut quando.

Hoc iudicabat Plato, dum aſſerebat: Grad 2. c. 34. id eſt, cum aſſereret. Grad. 7. cap. 18. Mors nobis videtur dulcis, dum pro amici ſalute eam obimus. Vna amicitia eſt: dum appetitiones ſenſuum cum ratione recta conſentiunt. Altera eſt, dum ſenſus rationẽ mancipat, pro: qua, vel cum. Cap. 9. Tantum vera eſt ea ſententia, dum præeligentes bonum agimus præclare, id eſt, cum vel quatenus. Sic Plato, dum dicit, id eſt, cum. Sic Grad. 2. c. 10. & Grad. 6. c. 21. & 20. Dum pro dummodo cum ſubiunctiuo recte vtitur 20. cap. 6. Grad. Dum fuerit ſimplex.

Saltem.

Hac particula ſæpius recte vtitur, ſed Grad 2. c. 43. ea videtur abuti pro Tantum. Accipitur voluntas pro omni appetitu, &c. vel ſaltem.

Ad id transpoſitum, pro: Ad quod.

Ανακολούθου ὑπαλλακτικοῦ, ſeu ex metatheſi exemplum eſt

Grad. 2. cap. 21. Violentum eſt, cuius principium eſt extra, & id quod agit ad id non conſpirat, pro: & ad quod id quod agit non conſpirat.

Tot.

Cur tot de virtute dico? fine libri 4. pro tam multa, tam copioſe.

Nedum Immo.

Grad. 2 de princip. virt. c. 13. Tunc nedum vero pulcrum non defloreſcit, immo maxime perficitur, pro: Non ſolum vere pulcrum non defloreſcit, ſed vel maxime perficitur. Nam ſemper nedum Piccol. præponit, cum Ciceroniani ſoleant poſtponere. Imo quidem amplificandi nonnunquam particula eſt: Sed in formulis huiuſmodi: non eſt humanitas imo ſæuitia eſt innocentem lædere. Ja es iſt noch wol darzu ein Grauſamkeit. Varro. Tunc vere pulcrum non defloreſcit imo maxime perficitur. Sic Nedum redundat.

Pro tunc pro nunc.

Grad 2. c 3. Sponte pro tunc. Lat. Spontaneum pro tempore pro occaſione. Bona pro tunc, & Grad. 9. c. 29 Felix pro tunc, L. pro eo tempore: pro definito tempore. Opponitur ei Abſolute. Pro nunc, lege hoc loco, hoc tempore, auff diſzmahl/ hoc loci aliis vſitatum, pro hac vice vor diſzmahl/ſed mihi non placet. Vid. Introduct. cap. 13.

Ad Minus.

Medium ad minus quatuor terminos expoſcit. L. minimum, vel ſaltem.

Habitus Inſpectrices.

Grad. 6. c. 15. Veritas homini competit per habitus inſpectrices, L. theoricos ſeu contemplatiuos vel ἕξεις inſpectrices ſeu contemplatrices.

Quod pro Vt.

Grad. 2. c. 7. Quod arte aliquis ſaltet, non habet niſi ab arte, L. vt ſaltet vel quod ſaltat, Adeo quod: pro adeo vt. Grad. 2. c. 10. Frequenter euenit, quod reuocant, pro: vt reuocent. Euenit tamen, quod homo ſeruet: pro vt Grad. 2. c. 32. Sic Grad. 6 c 5. Et Gr. 7. c. 7. Accidere poteſt, quod res amata ſit pretioſa dignaque vt ametur, pro: vt ſit pretioſa dignaque quæ ametur. (Ex quo euenit vt, &c. Ciceronianum eſt.) Grad 1. c. 3. Adeo vt tantum abſit quod feræ careant perturbationibus vt potius eis ſint maxime obnoxia. L. Ac tantum abeſt vt feræ, &c. Sic quoq; Gr. 2. c. 4. Grad. 7 c. 19 hoc eſt illotum. Adeo, quod ſi ei daretur facultas vt euadere poſſet, Deus videtur quod debeat id eligere, pro Adeo vt ſi ipſi daretur facultas, &c. videatur debere. Sic pag. 157. 403. 580. Gr. 5. c. 25. hoc eſt, Adeo quod, vt conſideret omne genus cauſſæ ſat eſt, vt aliquis gradus includat, &c. Leg. Adeo vt ad conſiderationem

Digitized by Google

tionem omnis generis cauſſæ ſatis ſit, vt aliquis, &c. Grad. 2. c. 10. Quod ſecundi quoque diſtinguantur ſpecie, neceſſe eſt, pro: vt ſecundi quoque.

Præſertim.

Non eſt hoc ex euentu, ſed eſt per ſe, & præſertim, pro præſertim lege præcipue vel principaliter. Introd Grad. 1. c. 16.

Vſus eſt nomine filii nedum ob dilectionem verum præſertim vt indicaret, &c. Id eſt non ſolum ob dilectionem, ſed præcipue ſeu maxime. Introd. Grad. 1. c. 12.

Ex quo conſtat cuncta philoſophum in libris de moribus, præſertim retuliſſe ad inſtitutionem publicam: Id eſt, principaliter. Introd Grad. 1. c. 7.

Caſus & fortuna præſertim fulget dum, id eſt maxime cernitur ſeu locum habet, cum. Grad. 8 c. 51.

Alibi voce præſertim incipit ſententiam quod prorſus inuſitatum. Dicit præſertim & primo, proprie & præſertim, pro quo dicendum: præcipue & primo, proprie & primo. Varia tamen ſunt, &c. & præſertim, &c. id eſt, & quidem præcipue. Grad. 2, c. 32.

A longe.

A longe ei obtemperat, lege languidius vel non ita facile, è longinquo vt loquitur Plinius, Grad. 1. c. 14.

Coactio.

Coactio lege cooperatio ſeu ſynergia, συνεργία.

Pro pro ad.

Requiritur pro ordine, vt, &c. id eſt ad ordinem.

Virtus pro ſummo bono neceſſaria, id eſt, ad ſummũ bonum. In Comit. polit. parte prima. Pro moleſtia vitanda, id eſt, ad moleſtiam vitandam. Grad. 1. c. 5. Homo diuitiis eget pro vſu, id eſt ad vſum vel propter vſum. Grad. 8. c 8

Cum tot conſpirent pro euerſione humanæ libertatis, id eſt ad euerſionem libertatis. Grad. 2. c.

Derelinquitur pro, relinquitur.

Sublata libertate nullus derelinquitur virtutis & vitii locus. Grad. 2. c. 32.

Conſpicue.

Hoc conſpicue enunciatum fuit. Grad. 1. c. 3. id eſt perſpicue, plane.

Inſpicere.

Si inſpicimus aliquem iniuria affici, pro: Si videmus: Alibi. Hæc inſpiciuntur bona, id eſt apparent eſſe bona.

De.

Non ita ſe habet de appetitu iraſcendi. Gr. 1. c. 4. pro in appetitu, vel: De appetitu, non ita ſe habet, id eſt, quod attinet ad appetitum, vt ſe habere debet de principe & populo. Grad. 1. c. 12. id eſt, vt ſunt princeps & populus, vel vt habere ſe debent princeps & populus.

Intimius.

Intimius inſpecta, cap.26. Grad. 1. pro penitius conſiderata.

Mediat.

Medium quid eſt, mediæ naturæ eſt, ancipitis conditionis eſt.

Quæ.

Quæ pro vtra, Grad. 1. cap.14.

Vel.

Vel pro an dubitatiua: Vel, vel: pro ſiue, ſiue. Introduct. cap.2. Dubium eſt, quodnam eorum, vel vnum vel plura ſtatui debeat ſubiectum, pro: quodnam eorum, vnumne an plura.

Subnotio.

Subnotio boni pro boni adiunctione græcis eſt ὑπόνοια ἀγαθοῦ. Grad. 1. c. 7.

Præaſſumtum præacceptum.

Præaſſumtum pro anticipatum: quanquam illud tolerabile: Græci dicunt τῇ γνώμῃ προλαμβανόμενον.

Demum.

Demum pro vltimo in initio ſententiæ.

EIVSDEM FARINÆ MVLTA REPERIVNTVR QVOQVE APVD ALIOS.

A.

Actuatio pro formatio, Actuabile pro Quod poteſt informari. Aliqualiter pro aliquo modo, aliqua ratione.

Acuitas pro Acumen, Animaſticus pro pſychologo, id eſt explanatore doctrinæ de anima.

B.

Baſſe pro preſſe ſeu humiliter, Baſſus pro humilis.

Blauetus pro cæruleus.

C.

Complexionatum (vt corpus melius complexionatum meliorem ſortitur animam) pro melius temperatum vel contemperatum.

Correlarie vel corollarie ex his elicio, pro: Ex his deduco corollarium ſeu conſectarium.

Non cadit in definitione vel ratione hominis. Deus cadit ſub fide, pro: Non venit in rationem ſeu definitionem hominis. Deus cadit ſub fidem.

Coexigit, pro: ſimul exigit.

Contrafacere, pro: exprimere, aſſimilare. Contrafactura pro imago.

Chorizare pro ſaltare.

Contrariari pro aduerſari.

Contradiſtinctum ab alio pro diſtinctum ab alio, oppoſitum vel contrarium, alii ἀντιδιῃρημένον.

D.

Deterioro pro deterius facio.

De neceſſitate ſequitur pro: neceſſario ſequitur, hinc conficiatur neceſſe eſt.

De facili probatur pro facile probatur.

Λόγος

Λόγος de formali dicit rationem, pro: Λόγος propriè ſignificat rationem.
De ſe hoc contingens eſt, pro: Per ſe, &c.
Dabilis non eſt materia ſiue forma, pro: Dari non poteſt, dare fas non eſt.
Diſtinctum contra materiam, pro diuerſum vel differens vel diſcretum à materia.
De ſe hoc clarum eſt, pro: Hoc per ſe patet, hoc ex ſe lucet.
De ſe eſt nota propoſitio, pro: per ſe.
Diuerſificare orationem, pro: Variare, diuerſum facere.
Damnificare, pro damnum ſeu detrimentum afferre.
Diſpenſare, pro ſoluere legibus.
Decimare, pro decuſſare: ita †
Dementire, pro mentem amittere.
Difficultare pro difficultatem afferre, difficile reddere.

E.

Econtra, pro contra, ex contraria parte, è contrario.
†Entificare, pro ens fieri, eſſentiam accipere.
Eſto quod ſcripſerit hoc. Eſto: ſcripſerit hoc: quod redundat.
Exceſſiue, pro præter modum, excopiare pro deſcribere.
Exemplificare, pro exempla ſubiicere, adiicere regulis.
Exemplariter clarificare, pro exemplis declarare ſeu planum perſpicuumue facere.
Explicit, pro confectus eſt, abſolutus eſt, finem habet.
Extrinſecus a um, pro exterior. Ebriare, pro ebrium facere.

F.

Fortifico, pro munio. Fameſco, pro eſurio.
Fulminari, pro de cœlo tangi. Fulminatus, pro de cœlo tangi.
Famigeratus, pro fama celebratus. Famigero pro fama celebro.
Feſtare, pro diem feſtum agere.

G.

Grauitare, pro grauitate premere.
Groſſo modo, pro craſſo modo, non exquiſitè, ſed adumbratè.

I.

Irritari paſſiue, ſic vſurpauit Piccol. Tu cum Ciceronianis dices, Imitatione exprimi: aſſequi ſemel legi apud Ciceronem παθητικῶς (quod Piccolom. ſecutus eſt.) Imitari nunquam.
Iniuriari, pro iniuriam alicui infero vel facio.
Infallenter, pro certo, non dubitanter ſine diſputatione.
Intrinſecus, pro interior, inteſtinus.
Irritare, pro irritum facere.
Incompoſſibilia, pro: quæ non poſſunt eſſe ſimul.
Incompoſſibiliter, pro: vt nullo modo vna eſſe poſſint.
Intentum non concludit, pro: Non concludit propoſitum.
Identificatur, pro idem fit cum.

Inconuenit, pro non eſt conueniens, eſt inconueniens, non congruit.

Primo intentionaliter, pro ex principali inſtituto, per ſe.

Immultiplicabile numeraliter, pro: quod non poteſt habere ſeu continere multa ſingularia vt filius Dei.

Indiuiduari ſua propria ecceitate vel haccheitate, pro fieri hoc ſe ipſo.

Infrigidare. pro frigidum facere.

Inintelligibile, pro quod animis & intelligentia comprehendi nequit, quod non eſt fas percipere.

Inordinatio, pro confuſio perturbatio ordinis.

In quantum, pro: Qua, quatenus, ea ratione, qua, ob id ipſum quia, in eo in quo.

Iucundor, pro: in voluptate ſum, iucunditas mihi eſt.

L.

Leuificatiuum, pro effectiuum, ſeu efficiens leuitatis.

Ligonizo, pro fodio.

Lineariter, pro ad lineam ſic oculariter.

Lignamen, pro materia.

Lentare, pro laxare. Liquiditas, pro liquor.

M.

Mobilito, pro mobile facio. Immobilito, pro immobile facio, apud Bonifacium Sy. Cor. Abbatem.

Mollifico, pro mollio. Mulſimentum, pro blandimento.

non Memorare, pro ſilentio inuoluere.

Multiplicari numeraliter, pro habere multa ſingularia.

Melioro, pro melius facio.

Melioreſco, pro melior fio.

N.

Neceſſitare, pro neceſſitatem afferre.

Q.

Qualificatum, pro qualitate definitum qualitate affectum, certa qualitate mixtum, habens certam qualitatem.

ſtatutum Qualificatum, pro certa qualitate fundatum ſeu formatum.

Qualificabile, pro quod poteſt qualitatem recipere.

Quidditari, pro hoc aliquid fieri, eſſentiam accipere.

Quidditare, pro eſſentiam dare. Quidditatiue, pro eſſentialiter.

Quietare, pro Quietum reddere.

O.

Oportet quod ſit, pro oportet vt ſit. Capax adeo huius quod non illius, pro vt non illius.

Originari ab aliquo, pro originem ducere ab aliquo.

Occorporaliter ex aliquo dependere, pro ex occaſione non ex cauſa pendere ab aliquo.

P.

cauſa Particulariʒata, pro: cauſa particularis, contracta per particularem cauſationem cauſa.

Pro ſuo intereſſe agere, pro eo, quod eſt: pro eo quod ſua intereſt agere.

Plurificatio, pro multiplicatio, plurificabile, pro Quod poteſt multiplicari.

Prahabere, pro ante habere.

Principari, pro: dominari vt animus principatur corpori, id eſt, imperat.

Primordialiter (vt voluntas eſt libera primordialiter ſeu radicaliter ab eſſentia anima) pro: ex prima origine à primo ortu ſeu natura.

Pro tanto, pro eatenus.

Punibile, pro dignum pœna.

R.

Rapinari, pro rapere. Ratificare, pro ratum facere, ratum habere. Requiſita pro demonſtratione pro conditiones demonſtrationis. Qua requiruntur ad demonſtrationem.

Rationabiliter, pro: probabili ratione, εὐλόγως.

Reiuueneſcere, pro renaſci.

Relaxus, pro laxus.

Ridicularis, pro ridiculus, iocularis.

S.

Specificari per formam, pro perfici forma.

Specificabile, pro: Quod poteſt perfici ſeu ſpecialis res fieri.

Specificatum, pro contractum ad ſpeciem, definitum ſpecie.

Similitudinarie, pro: per ſimilitudinem, improprie, translatitie, tralate, tralatitie quaſi, cui opponitur proprie, vere, naturaliter. Mollius eſt tranſſumptive.

Synonymeitas, pro ſynonymia. Sic perſeitas, pro per ſe.

Superioritas, pro excellentia.

Superficialiter proponere, reſpondere, intelligere, pro: populariter, leuiter, ἐξωτερικῶς, pro re nata. oben hin.

Secundum quod ſtat ſub nominibus prima intentionis (vt determinatur, quomodo eſſentia generica differat à ſpecifica, ſecundum quod, &c. apud Caietanum in explic. Thom. de Ente:) pro eo quod eſt. Qua ratione ſubiicitur nominibus prima impoſitionis, ſeu primi inſtituti (πρώτης θέσεως.)

T.

hoc Tento, pro hoc probe ſixo.

Tormentare, pro excruciare cruciatibus, ſeu cruciamentis conficere.

V.

Vnigeneitas, pro: Homogenia ὁμογένεια, vnigenea, pro qua eiuſdem ſunt generis.

Digitized by Google

Vltimate pro proxime.
Vocem vel votum dat mihi, pro adeſt pro me, ſuffragatur mihi, praſto eſt ſententia mea.
Verifico, pro probo.

Sic ei, qui ſtudioſus ſimul eſt Latinæ linguæ & philoſophiæ, abſoni voce, hoc eſt, portentoſe alicubi loquentes philoſophi vel ſaltem minus bene, corrigendi ſunt, ne barbaries linguam eius inficiat.

RODOLPH. GOCLEN.
Senior. Philoſ.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

INTRODVCTIO AD DECEM *gradus, uniuerſam ciuilem Philoſophiam includentes.*

Cap. I.

Homo tenetur eſſe de ſua ſalute ſolicitus.

HEus Homo, nobiliſſima creatura, cur in vitę curſu cõſtitutus dormis, & ſtertis? non aduertis, tibi vt peregrino vigiliam maxime cõuenire? cur oſcitãs, & inermis iaces? nonne percipis te in medio inimicorum collocatum, maxime oportere eſſe circumſpectum, & de tua ſalute ſolicitum? cur ad humilia inclinas? nonne audis octo præclaras voces, q̃ te ad illuſtria, & ſublimia inuitãt? Prima eſt vox præpotẽtis Dei, qui cum ſit ipſum bonũ, te prolẽ ei ſimilẽ ad bonũ mirabiliter allicit: altera eſt vox ſeparatarũ mẽtiũ tibi neceſſitudinis nodo coniunctarum, quæ te ad cõmunę parentem hortãtur: tertia eſt vox cœlorũ enarrãtium tibi gloriã ſummi boni, & ad illud dirigentium: quarta eſt naturę, quę te aptiſſimũ genuit ad ſummi boni indagationem: quinta eſt recta ratio; nam rectum ex vero pendet, verum autem eſt idem cum bono, & ad ſolum bonũ ducit: ſexta eſt voluntas, quæ nil vult niſi bonum: ſeptima eſt præmium ſtrenue aſcendẽtibus propoſitum: poſtrema eſt timor mali, in quod deſcendẽtes labuntur, quos mirabiliter à malo reuocãs, in ſublime bonum conuertit. Expergiſcere igitur, indue arma, accingere ad iter ſalutare. Ac vt de tua natura, & conditione ſis conſcius, animo accurate perpende, diuinæ prouidentiæ munere parentibus omnibus natura inſitum eſſe, vt quo eorũ nati impotentiores fuerint, eo maiorem de illis curam ſuſcipiant: quo vero fuerint vegetiores, ac robuſtiores, magis eos negligant, in ſuaque facultate derelinquant. Hoc in

Octo voces inuitantes hominem ad bonum.

Impotentiora diſtinctius curantur.

iumentis, & feris omnibus ſeruare licet: quamprimum enim impotens eorum proles in lucem prodit; vt impotens ſedulo à ſuis parentibus curatur, arte & diligentia fouetur, nutritur, ducitur: Cum vero mox creuerit, & iam robore ac vſu ſuarum virium munita pro ſui ſalute pugnare valet, negligitur, in ſuiſque (vt aiunt) manibus derelinquitur. Hoc ipſum ab vniuerſis rerum parentibus (Deo ſcilicet & natura) erga rerum gradus quaſi natos, primo ſeruari inſpicimus. Quo enim vniuerſi mundi corporei gradus humiliores fuerint, eo vel certius (quaſi impotẽs proles) naturæ inſtinctu in ſuum finem ducuntur, vt in grauibus & leuibus euenire conſpicuum eſt: vel inſtrumentis pro eorum ſalute opportunis, vt pilis, roſtris & vnguibus, cumulatius muniuntur. Quo vero fuerint ſublimiores, proprijſque viribus munitiores, eo magis liberi, ſuimet domini, à ſemetipſis curandi derelinquuntur. Hic euenire putandum eſt, quod tu quoque, O PRÆCLARE HOMO, qui nedum ceteris animantibus præſtas, verum inſuper ſolus diuinæ conditionis es particeps, à natura fere negligi, & ſine animi habitibus, corporis indumentis, inſtrumentiſque pro ſalute opportunis gigni videris: nudus enim in hanc lucem venis, nudus corpore, nudus animo, nudus mente: natus ratione corporis innumeris ægritudinibus angi, ratione animi omni vitiorum genere inquinari, ratione mentis fœdiſſima ignoratione fœdari. Hinc ignauorum, rudiumque quorundam querimoniæ prodiere, qui frequenter de natura, & Deo temere conqueruntur, quia poſtrema perfectione ab eis donati non fuerunt, nec ſine labore, ſtudio, & vigiliis eam aſſequi valent. At reſipiſcant miſeri, & conſiderent, id ex humanæ conditionis præſtantia ortum duxiſſe: animaduertantque Deum & naturam cumulatiſſime humanam conditionem perficere, eamque ſublimiore quodam prouidentiæ gradu ſeruare, cum ei dent arma pro ſalute tuenda, forment corpus munere manuum ad omnia ſibi paranda aptiſſimum, infundant animum omni facultate munitam, natam fieri omnia, dominari mortalibus omnibus, & vſque ad Deum eleuari. His viribus tu inſignis homo, quaſi mortalis Deus munitus, cum ſis proles robuſtiſſima, iure optimo libertate donaris, in tuaque facultate relinqueris. Propterea ſummopere gloriari potes, ſi tuo labore, ſtudio, cura & diligentia perficeris, cum eaque perfectione vere tua, præcipue tibi auctorique Deo placere debes, cum ſis tuæ integritatis miniſter, tuæque perfectionis faber, & de te ſolo conqueri, tuamque ſegnitiem, ac ſocordiam damnare debes, ſi eam non fueris aſſecutus. Tu enim munere artium incommoda omnia corporis declinare, ope contemplationis Thebanam inſcitiæ Sphyngem diluere, auxilio ciuilis ſcientiæ infeſtiſſima

Quomodo homo oritur penitus nudus.

Ignauorum querimonia.

Digitized by Google

ſima vitiorum monſtra proſternere vales: adeo vt ſimul impotens ſis & omnium potentiſſimus; inſcius, & ſapientiſſimus; animo nudus, ac ſplendidiſſime indutus. Verũ, cum ob creditam tibi libertatem ad oppoſita ſis facilis, & in deteriorem partem inclines; ſumma cura, accurataque educatione eges, ne præpoſtere tibi tradita libertate vtaris, ne oblique mees, ſed via recta, quæ regia eſt, in tuam perfectionem progrediaris. Imo cum ſolus ſis rationis particeps, ſolus re vera propria diſciplina formari natus es. Feræ enim & iumenta, quorum nonnulla ex ſententia Ariſtotelis diſciplina corriguntur, *tenuis tantum vmbræ, non autem vera* diſciplinæ ſunt capacia. Hinc Plato primo, mox Ariſtot. in libris de republica ſapienter enuntiarunt: *hominem perperam educatum deteriorem euadere feris: recte vero inſtitutum diuinum reddi.* Per hæc monearis, quam ſolicitus de recta tui inſtitutione, deque tuæ vitæ magiſtra eſſe tenearis: quæ cum ſapientum omnium conſenſione alia non ſit præter veram philoſophiam, iure optimo de ea ſolicitus eſſe teneris. Et quoniam omnia interna quadam naturæ commotione expetunt ſui perfectionem: propterea interna quoque, & diuinior tui portio, per naturam propriam, ſinceram, minimeque labefactatam, ad verum & bonum, hoc eſt, ad philoſophiam eſt procliuis. Ex quo refulget intima quædam philoſophiæ cum tua conditione cognatio, miraque neceſſitas eius. Nam dum dicitur: *omnis homo natura ſcire deſiderat, omnis homo per naturam verum & bonum optat, omnis homo eſt diſciplina capax, omnis homo eſt natus beari, omnis homo eſt natus reddi Deo ſimilis*, quid aliud indicatur, niſi quod omnis homo ad philoſophiam per naturam eſt aptus, ac ordinatus? adeo vt qui philoſophiam aſpernatur, & deſpicit, aduerſetur Deo, præterque naturam ſit affectus. Amplectere itaque, O GENEROSE HOMO, flagranti deſiderio illuſtrem hanc tui animi coniugem, & formatricem philoſophiam. Et quoniam ego tui ſum humilis quædam, & obſcura portio, ego quoque me teneri fateor viribus illis, quas mihi communis parens eſt impartitus, ac ſtudio, vigiliis, & labore ſum aſſecutus, pro ingenuorum animorum recta inſtitutione inſudare: idque ſedulo me præſtiturum polliceor. At quia ex diſtinctione graduum vltimi finis hominis, ex duplici conditione rerum, in quibus philoſophia verſatur, ex duplici principali facultate rationalis animæ, ex duplici ingenua indigentia, nec non ex duplici nodo, quo cum Deo nectimur, duplex philoſophia, quaſi ſol geminus, orta eſt: quarum vna mentis aciem ab ignorationis caligine purgat, altera humanas appetitiones, actioneſque componit: ea diuinior quidem eſt, ſed ſeparatarum mentium magis propria, hæc homini ac-

Cur homo maxime egeat diſciplina.

Nonnullæ beſtiæ ſunt diſciplinæ quodammodo capaces.

Homo per naturam procliuis ad philoſophiam.

Duplex philoſophia, contemplatrix & Actiua.

Digitized by Google

commodatior, rectiuſque vitæ magiſtra nuncupatur: ea perinde eſt, ac fœcundiſſima planta; hæc vero eſt fructus ſalutaris. Propterea ingenuis animis pro facultate prodeſſe cupiens; primo, (vt recta ratio poſtulat) fructus edam: quos ſi ſtudioſis iuuenibus non ingratos perſenſero, plantam quoque communi luci tradam. Verſabor itaque modo in ciuili ſcientia; huius percurram gradus, huius principia, media, & finem conſiderabo. Ad quam, tanquam ad rem ſacram, vt paratiores accedamus; primo, quaſi præcurrentia lumina accendens, capita nõnulla ciuilem curſum illuſtratura explicabo Agam namque primo de materie, ſiue ſubiecto genere ciuilis ſcientiæ: ſecundo ciuilem ſciẽtiam definiam, in principeſque partes diſtribuam: agam tertio de eius inſcriptione: quarto communia quædam de ordine explicabo: quinto deſcendam ad conſiderationem ordinis inter ciuilem, & inſpectricem Philoſophiam: ſexto loquar de ordine partium ciuilis ſcientiæ: ſeptimo in decem gradus iunctos profecto, ac colligatos ea cuncta redigam, quæ ad ciuilem ſcientiam pertinent, & quo ordine in vniuerſo opere à me ſint percurrenda, manifeſtabo. Placeat omnipotenti Deo, vt vniuerſus labor in eius honorem, ingenuorumque iuuenum vtilitatem redundet.

Capita in hac introductione explicanda.

De ſubiecto ciuilis ſcientiæ adæquato & primo referuntur opiniones aliorum. CAP. II.

MVLTA, eaque varia ſunt, de quibus in ciuili ſcientia agitur: & propterea dubium eſt, quodnam eorum, vel vnum, vel plura, ſtatui debeat adæquatum ſubiectum eius. Dum quæritur ſubiectum ciuilis ſcientiæ, nomine ciuilis ſcientiæ vniuerſam philoſophiam ciuilem denoto, non partem eius: ex ſubiecto namque totius ſubiecta partium facile deinde elicientur: nomine autem ſubiecti id intelligi volo, quod adæquatum nuncupatur. Hac de re loquuturus, referam primo opiniones aliorum, ſecundo ſententiam veriorem explicabo, demum dubia ſoluam. Auer. ſtatuens ſubiectum hoc, ſibimet conſtare non videtur. In principio enim paraphraſis librorum de repu. Platonis inquit: *ſubiectum ciuilis ſcientiæ ſunt res voluntariæ, quæ dum fiunt ex noſtro arbitrio pendent, quarum principia ſunt voluntas, & prælectio.* Id ipſum aſſerit in procemio libri phyſicorum inquiens, *philoſophiam de moribus eſſe de actionibus voluntariis.* At in primo moralium Nicomach. cap. 3. inquit: *Inſtitutum in hoc ſermone eſt gubernatio ciuitatum.* Sic modo humanas actiones, modo gubernationem ciuitatum ait eſſe ſubiectum. Poſſemus conciliando dicere humanas actiones eſſe ſubiectum adæquatum: gubernationem vero ciuitatum eſſe principale, quod præcipue optamus in vni-

Quomodo intelligi debeat quæſtio.

Diuiſio eius.
Opinio Auer.

Auer. videtur ſecum pugnare.
Concilium.

igitized by Google

in vniuerſa ciuili ſcientia. Fundamentum Auerrois in paraphraſi librorum de repub. Platonis hoc eſt: *Id eſt ſubiectum ciuilis philoſophiæ, quod congruente ratione reſpondet ſubiecto Phyſicæ & Metaphyſicæ: At ſubiecto Phyſicæ, nempe rebus phyſicis, quarum principium eſt natura, & ſubiecto Metaphyſicæ, hoc eſt, rebus diuinis, quarum principium eſt Deus, recta ratione reſpondent humanæ actiones, quarum principium eſt humana libertas: hæ itaque ſtatui debent ſubiectum ciuilis philoſophiæ.* Recte igitur ex opinione Auer. apparet ciuilis ſcientiæ adæquatum ſubiectum eſſe humanas actiones, vt prodeunt ex humana libertate, & in gubernationem ciuitatum diriguntur. Diuus Thomas non longe ab Auerroe recedere videtur; nam in prooemio librorum de moribus inquit: *Vt ſubiectum naturalis ſcientiæ eſt motus, vel res mobilis, ita ſubiectum moralis philoſophiæ eſt operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo, vt voluntate agens propter finem, &c.* Indicat itaque D. Thom. humanas actiones reſpondere motui, hominem vero reſpondere mobilibus: ac vt ſubiectum naturalis philoſophiæ ab eo dicitur ens mobile, ita ſubiectum ciuilis dicetur homo voluntate agens propter finem. Includit itaque in ſuo ſubiecto D. Thom. humanas actiones, ſecus tamen ac id faciat Auer. qui humanas actiones non pro modo conſiderandi accipit, vt facit D. Thomas, ſed pro re conſiderata. Fundamentum Diu. Thom. eſt, quia officium, & munus humanæ rationis, & diſciplinarum eſt ordinem rerum, in quibus verſantur, iudicare & ſtatuere. Ordo (vt ad rem pertinet) eſt quadruplex; vel eſt naturæ rerum in vniuerſo exiſtentium, qui à philoſopho theorico conſideratur: vel ordo rerum interna ratione à nobis efficiendarum, qui ordo cum ſit internæ rationis, ad logicum pertinet: vel eſt rerum extrinſecus à nobis efficiendarum, & pertinet ad artem: vel demum eſt ordo actionum à voluntate prodeuntium, & hic pertinet ad philoſophum ciuilem. Cum itaque ciuilis philoſophia verſetur in conſideratione humanarum actionum, vt ordinatæ ſunt inter ſe, & ad finem; colligit D. Thomas, eas modo ſupra explicato eſſe ſubiectum. Alii exiſtimarunt ſubiectum eſſe ſummum hominis bonum hanc vitam viuentis: ideo dixere vitam beatam practicam, vel felicitatem, ſubiectum eſſe. Fundamentum horum eſt: quia id debet ſubiectum ſtatui, quod optatur in ea diſciplina, cuius principia, partes, & affectiones conſiderantur, ad quod cuncta referuntur, quæ in ea explicantur, quod præaccipitur, ac prænoſcitur: huiuſmodi in ciuili ſcientia eſt vita beata practica: ea igitur eſt ſubiectum. In approbanda hac ſententia conſentiunt multi viri celebres: differunt tamen, & in quatuor claſſes diſtributi videntur. Nonnulli putantes ſummum bonum in virtute eſſe poſitum, dixere *ſubiectum eſſe*

Fundamentum Auer. ex Analogia ſeu mutuo reſponſu.

Opinio D. Thom.

Fundamentum D. Th.

Ordo quadruplex.

Opinio 2. & eius fundamentum.

Opinio 3. in 4. diſtribuitur.

virtutem: huius ſententiæ fuere Stoici. Alii virtutem cum Ariſt. à ſummo bono ſecernentes, abſolute felicitatem dixere ſubiectum: in quorum numero eſt Epiſc. Caſerta lib. de honore, & de euerſione ſingularis certaminis. Alii virtutem cum ſummo bono nectentes vtrumque dixere ſubiectum: huius opinionis fuit Mag. Alb. qui dixit: *ſubiectum eſſe bonum hominis, vt homo eſt, ſiue perfectum, vt felicitas, ſiue ordinatum ad perfectum, quale eſt quadruplex genus virtutis, morale ſcilicet, rationale, heroicum, & diuinum.* Quarto demum reperti ſunt alii, qui ſummum bonum cum homine coniungentes dixere, hominem vt natum beari eſſe ſubiectum. Præter hos reperti ſunt alii, qui conſiderantes totam ciuilem ſcientiam ordinari ad ſummum bonum ciuitatis, & curam publicam, dixere: *ſubiectum eius eſſe ciuitatem.* Ideo Marſ. Ficinus in dialogum Plat. de ſapientia dixit: *ſubiectum ciuilis ſcientiæ ciuitas eſt, finis eſt commune bonum, miniſtra ſunt artes omnes, officia duo, leges condere, & conditas exſequi.* Et hæc ſunt capita opinionum, quæ dignæ ſunt conſideratione.

Opinio 4.

Diſputatio aduerſus varias aliorum opiniones.

CAP. III.

QVICVNQVE de ſubiecto ciuilis ſcientiæ verba fecerunt, pro re conſiderata vel ſumpſerunt hominem natum beari, vel ſummum bonum, ſiue id virtus ſit, ſiue diſtinctum aliquid à virtute, vel ciuitatem, vel humanas actiones. Qui hominē ſumpſerunt, erraſſe videntur: Res enim conſiderata ea eſt, quæ in illa diſciplina præaccipitur, definitur, eiuſque principia explicantur. homo autem & ad hominis conſtitutionem pertinentia in ciuili ſcientia minime explicantur, ſed cuncta ſupponuntur vt explicata in naturali philoſophia. Quod ſi etiam concederemus hominem ad rem conſideratam pertinere, proculdubio cenſeri deberet aliquid remotum, non proximum: nos autem id, quod proximum eſt, inquirimus. Confirmatur, quia homo natus beari, vel natus libere agere, eſt ſpecies ſubiecti naturalis philoſophi, cum eius affectione: at conſiderare rem naturalem cum ſua affectione, non ciuilis, ſed naturalis philoſophi munus eſt. Demum ex confirmatione verioris opinionis clarior patebit euerſio huius. Similiter alienum à ratione eſſe cenſeo, aſſerere rē cōſideratam eſſe ſummum hominis bonum: quoniam ſummum bonum eſt finis, cuius gratia & ſcopus ciuilis ſcientiæ, non ſecus ac ſanitas artis medicæ; & perſuaſio rhetoricæ, ſcopus autem diſtinguitur à ſubiecto ſcientiæ. Nam ſcientia eſt res ea, quæ conſideratur per imitationem, & repræſentationem, quæ cum referatur ad finem, & ſcopum ſuum, eſt neceſſe, vt ſit diſtincta ab eo; nil enim ad ſeipſum refertur, vel ad ſe dirigitur. Confirmatur, quia

Quid res conſiderata?

Hominem non eſſe rem conſideratam.

Felicitatem non eſſe rem conſideratam.

Digitized by Google

quia ſapientum conſenſione dicimus Ariſto. ſeruare ordinem reſolutiuum, quia à ſummo bono auſpicatur, quod non contingeret, ſi ſummum bonum eſſet ſubiectum, non autem finis, cuius gratia, ciuilis ſcientiæ, à ſubiecto diſtinctus. Præterea per ciuilem Philoſophiam componũtur actiones nedum vitæ ciuilis, verum inſuper omnium graduum vitæ: propterea vita beata non poteſt cenſeri adæquatum ſubiectum eius, neq; etiam pro ſubiecto accipere debemus virtutem. Primo, quia perperam cenſent Stoici in ea eſſe poſitum ſummum bonũ, vt ſuo loco patebit. Secundo, quia virtus conſideratur non primo & principaliter, ſed ingratiã alterius, nempe vt auriga humanarum actionum, & tanquam principium ſummi boni, vitæq; beatæ. Et maxime errare videtur Magnus Alb. qui inquiens, *ſubiectum eſſe bonum hominis, vt homo eſt*, illud deinde diſtribuit in perfectum ac imperfectum, per primum ſignificans quatuor virtutum genera, per alterum felicitatem. Nam virtus, & felicitas, nõ eadem ratione in ciuili ſciẽtia conſiderantur: ſed felicitas, vt ſcopus, virtus vero, vt regula humanarum actionum, ex qua prodit felicitas; quare non pari ratione ſubiectum debẽt ſtatui. Inſuper virtus diuina, & magna ex parte virtus rationalis, minime ad moralem pertinent, nec ſunt materies propria eius, vt ſuo loco patebit: ideo Ariſtot. de diuina virtute non loquitur. Longe etiam minus pro materie, & ſubiecto debemus ſtatuere ciuitatem. Primo, quoniam non idem eſt ſubiectũ adæquatum totius, & partis, ciuitas eſt ſubiectum partis, nempe librorum de repub. vt ab Ariſt. dicitur ſub initio libri de cura familiari. Confirmatur, quoniam id minime debet iudicari ſubiectum alicuius diſciplinæ, quo dempto adhuc ea diſciplina poſſet ſeruari, & reperiri: at demptis ciuitatibus adhuc ſcientia de moribus ſeruari poſſet, quoniam moralis Philoſophia nedum verſatur in attinentibus ad ciuitatem, & rempub. verum etiam ad inſtitutionem priuatam, & domeſticam curam. Inſuper frequenter euenit, vt in vrbe non idem ſit vir probus, & ciuis probus: quare tunc in viro probo ſeruabitur Philoſophia moralis, quamuis, vt talis, non ſit pars ciuitatis. Reliquum itaq; eſt, vt ſolæ humanæ actiones ſtatui debeant materies conſiderationis ciuilis: ſed quia illæ multis modis conſiderari poſſunt, ideo, quinam cenſeri debeat proprius conſiderandi modus, ſupereſt explicandum. Auerroes recte nouit, humanas actiones eſſe materiem, & rem conſideratam: pro modo vero conſiderandi aliquando ſumpſit, vt ex libera voluntate pendent, aliquando vero vt diriguntur ad gubernandas ciuitates, quorum neutrum videtur eſſe verum. Non primum, quoniam eſt modus nimium latus: nedum n. actiones probæ, verum etiam improbæ, & nedum vita beata, verum etiam miſera, libertati noſtræ ſubiicitur: in ci-

Virtutem non eſſe rem conſideratam.

Ciuitatem non eſſe rem conſideratam.

Humanas actiones eſſe rem conſideratam.

De modo conſiderandi opinio Auer.

Digitized by Google

uili autem ſcientia minime ex principali inſtituto vita miſera, & actiones improbæ conſiderantur, ſed ſolum vita beata, & actiones probæ, vt conſpicuum eſt. Alter conſiderandi modus eſt nimium contractus, & anguſtus: quoniam ciuilis ſcientia etiam recte inſtituit, & format hominem viuentem vitam priuatam, vel in vrbe, vel ſeorſum ab vrbe. Præterea modus conſiderandi diſciplinarum dirigentium ad opus, ſemper includit, & ſeruat relationem ad finem, ob quem cuncta conſiderātur in ea diſciplina; quæ relatio ad communem finem ciuilis ſcientiæ in ſubiecto ab Auer. tradito, nō apparet: finis enim communis eſt ſummum bonum. Relatæ itaque opiniones ſatis videntur dubiæ.

De ſubiecto ciuilis ſcientiæ, opinio propria.

CAP. IV.

Primum quod accipitur. VT de ſubiecto ciuilis ſcientiæ dicam, quod ſentio, accipio primo ſubiectum id, quod genus ſcibile dicitur, ſolum ſcientiis proprie competere, non artibus, nec ciuili Philoſophiæ, quæ ad actionem dirigit. Ratio eſt, quia in eis non conſideratur commune aliquid, tanquam ſcibile, ſed ſolum relatum ad operationem; propterea non poteſt recte dici genus ſcibile, ſed effectibile, vel agibile: ſumpto tamen ſubiecto late pro omni eo, in quo vt in propria materie, diſciplina aliqua verſatur, concedere poſſumus arti, & ciuili Philoſophiæ ſubiectum conuenire. *Alterum quod accipitur.* Accipio ſecundo id, in quo verſantur artes & ciuiles conſiderationes, eſſe duplex: vnum eſt materies actionis, vel effectionis: alterum eſt materies, & ſubiectum conſiderationis, & diſciplinæ. Materies effectionis ſunt, vt ferrum, æs, lignum, in quibus verſantur effectiones fabri ærarii, vel lignarii. Materies humanarum actionum ſunt res contingentes in hominum libertate collocatæ: huiuſmodi materies non eſt ſubiectum diſciplinæ, ſed actionum, effectionum, & artificis. Materies autem, & ſubiectum conſiderationis proportione reſpondens ei, quod in ſcientia conſideratur, nil aliud eſt præter id totum, quod agitur, vel efficitur: adeo vt id, quod arte efficitur, & a ciuili Philoſopho agitur, recta ratione reſpondeat ei, quod in ſcientia inſpectrice conſideratur. *Artes quid?* Artes enim nil aliud ſunt, niſi regulæ, & leges conſtruendi opera. Ex his colligo ſingularum artium id eſſe ſubiectum, quod per ſe ab eis eſt natum effici, & ciuilis ſcientiæ, quod eſt natum agi: huiuſmodi autem ſunt humanæ actiones: hæ igitur ſunt res conſideratæ in ciuili Philoſophia. Patet hoc inductione per ſingulas artes: ædificia enim artis ædificandi, ſtatuæ artis ſtatuariæ, picturæ artis pingendi, ſunt genus id, in quo diſciplinæ illæ verſantur. Nam contemplabile, agibile, & effectibile, conſi-

militer

Digitized by Google

militer ſe habent ad habitum contemplandi, agendi & efficiendi. Id autem quod ex habitu morali primo, & per ſe prodit, eſſe humanas actiones per ſe patet. Et quoniam ea, quæ aguntur vel efficiuntur, poſſunt nonnunquam natura, caſu, & forte fortuna fieri, nec ob finem, in quem per ſe ab artifice diriguntur: propterea pro modo conſiderandi accipi debet relatio operis ad habitum, à quo prodit, & id, per quod ad finem dirigitur: veluti ædificia, vt nata prodire ab habitu ædificandi pro conſeruatione hominum, ſunt ſubiectum artis ædificandi. Humanæ actiones conſideratæ à ciuili prodeunt ex habitu prudentiæ, & ex humana libertate: ſcopus & finis, cuius [illegible] arum eſt ſummum bonum: quare in ea conſideratur humana actio, ex hominis libertate prodiens, vt includens id, per quod proxime refertur ad ſummum bonum: refertur autem ad illud per honeſtum, & quod decet: quare ſubiectum ciuilis ſcientiæ eſt humana actio, ex hominis libertate prodiens, vt in ea honeſtum, & quod decet, natum eſt refulgere. Poteſt autem ea particula prætermitti, ex hominis libertate prodiens, quia per ceteras denotatur: non tamen inſulſe Auerr. eam quoque appoſuit. Quod autem hoc ſit ſubiectum ciuilis ſcientiæ, firmiſſima ratione oſtendo. Inquit Philoſophus in ſexto moralium Nicomach. capit. 8. *Prudentiam & ciuilem ſcientiam, rem eſſe eandem:* quare id cenſeri debet ſubiectum vnius, quod eſt ſubiectum alterius: at ſubiectum prudentiæ eſt humana actio, vt in ea natum eſt refulgere honeſtum & quod decet: quare idipſum eſt ſubiectum ciuilis ſcientiæ. Quod autem humana actio ſubiiciatur prudentiæ, patet ex eius definitione: prudentia enim eſt recta ratio agibilium, quæ recta ratio decernit honeſtum, & quod decet. Confirmatur idipſum ex mutua reſponſione partium Philoſophiæ. Vt enim ſcientia diuina ad res diuinas, Phyſica ad res phyſicas, ita ſcientia ciuilis, & humana ad humanas ſe habet: diuina in diuinis, Phyſica in phyſicis, vt in ſubiecto verſantur; quare ciuilis in humanis actionibus conſimiliter verſari debet. Ex quo conſtat conſpicuus error D. Tho. qui cenſuit humanas actiones proportione reſpondere motui cõſiderato à Phyſico: quod dici non poteſt, cum motus ſit affectio corporis phyſici, actio vero materies conſiderationis ciuilis ſcientiæ. Confirmatur demũ ea ſententia auctoritate Ariſt. qui in procemio libri magnorũ moralium patefaciens conſilium, inſtitutumque ſuum dixit: *Quoniam de attinentibus ad mores dicere inſtituimus*, & poſt pauca: *Apparet itaq; vniuerſum negotium, quod circa mores eſt, partem eſſe, atq; principium, &c.* His verbis Philoſophus, ac inſuper inſcriptione patefecit ciuilem ſcientiam in morum cõpoſitione verſari: mores autem ſunt humanæ actiones certo quodam modo efformatæ. Ex his conſtat iure

Subiectum ciuilis ſcientia.

Firmiſſima ratio.

Cõfirmatio.

Exploditur ſententia D. Thom.

Poſtrema confirmatio.

Quid mores ſeu ἤθη.

Digitized by Google

Cicero. optimo Ciceronem pertinentia ad inſtitutionem humanæ vitæ explicaturum, libros conſtruxiſſe de officiis: recte enim nouit, quod qui officia docet, humanas omnes actiones recte componit, quod eſt munus ciuilis ſcientiæ. Ideo dixit; *nulla enim vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt, in eoque excolendo ſita vita eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo, &c.* Conſtat itaque iure optimo humanas actiones ex hominis libertate prodeuntes, vt in eis id, quod decet, natum eſt refulgere, debere iudicari adæquatum ſubiectum [illegible] ciuilis Philoſophiæ. Et quoniam ſubiectum præditum eſt parte aliqua principali; propterea in hoc ſubiecto id, quod principale cenſeri debet, eſt publica hominis actio, vt in ea natum eſt refulgere publicum honeſtum bonum, quod ad rempubl. pertinet, vt ex proœmio moralium Nicomach. elicitur. Inſuper, quoniam ſubiecto principia & cauſſæ competunt, ideo dicendum eſt, humanas actiones varijs principijs eſſe præditas: nam libertas, voluntas, conſultatio, præelectio, habitus moralium virtutum, & ſimilia, diſtincta tamen ratione ſunt earum principia: humanæ perturbationes ſunt materies interna: res contingentes humanæ libertati ſubiectæ, ſunt externa materies, in qua ciuilis homo agendo verſatur, vt in ſexto moralium Nicomach. à Philoſopho aſſeritur: *finis cuius gratia, qui etiam ſcopus dicitur, eſt ſummum bonum:* cuius, cum duo ſint gradus, ſummum bonum in actione poſitum eſt ſcopus proprius & proximus: ſummum vero bonum in contemplatione collocatum eſt ſcopus vltimus & remotus.

Colligitur ſubiectum & pertinentia ad illud.
Pars principalis.
Principia.

Diluuntur dubia nonnulla pertinentia ad id, quod de ſubiecto determinatum eſt.

CAP. V.

VT explicata ſententia de ſubiecto ciuilis prudentiæ clarior reddatur, tria dubia diluenda occurrunt. Primum eſt, quia ſummum bonum videtur debere ſtatui ſubiectum; cum ſit id, de quo Ariſtoteles præaccipit quod detur; quod definit, diuidit; & ad quod cuncta refert, quæ conſiderat. Reſpondeo, ſummum bonum eſſe ſcopum & finem cuius gratia, & propterea non eſſe ſubiectum: & quia ciuilis ſcientia traditur ordine reſolutiuo, ideo primo accipitur & definitur. Inſuper cuncta declarantur in ciuili ſcientia per relationem ad illud, vt ad ſcopum & finem, non vt ad ſubiectum: tanquam enim ad ſubiectum cuncta referuntur ad compoſitionem humanarum actionum. [illegible] ſummum bonum ſit finis, & ex fine pendeat præſtantia diſciplinæ, rationi quoque eſt conſentaneum, vt Ariſtoteles dicata

Prima dubitatio.
Solutio.
Finis in prædictis diſciplinis præcognoſcitur.

Digitized by Google

ceat: conſiderationem ſummi boni ad diſciplinam præſtantiſſimam pertinere. At oritur dubitatio ſecunda, quia ego reiiciens eam ſententiam, quod ſummum bonum ſit ſubiectum, incido in eam: cum enim ſtatuam, humanam actionem, vt in ea natum eſt refulgere honeſtum, eſſe ſubiectum, humana actio honeſta ex ſententia Ariſtotelis videtur eſſe ſummum bonum, cum ex eius opinione ſummum bonum, vt patebit, ſit actio proba, ſiue honeſta. Reſpondens dico, magnam eſſe inter ea duo differentiam: nam pro re conſiderata à me accipitur actiò confuſe ſumta, quæ & recte & perperam componi apta eſt: ſummum bonum accipitur non pro re conſiderata, ſed pro formalitate ei ſuperaddita, conſtituente modum conſiderandi, & contrahente eam. Quod autem differant, ex eo conſpicue patet, quia etiamſi ſummum bonum non ſit actio proba, ſed vel gaudium vel quid aliud ab ea diſtinctum, ſeruatur, quod actio ſit ſubiectum & res conſiderata, quod non ſeruaretur dicendo, ſubiectum eſſe ſummum bonum. At occurrit tertia dubitatio, quia ciuilis ſcientia proportione reſpondet arti medendi, vna enim corporis, altera animi medela eſt: quare vt artis medendi ſubiectum non ſunt effectiones medici, ſed corpus humanum arte ſanabile; ita ciuilis ſcientiæ non actiones, ſed homo natus beari videtur debere ſtatui ſubiectum. Reſpondeo, artem medendi, & ciuilem, conuenire in parte, non in omnibus: differunt enim, quia finis proprius artis non eſt effectio, ſed id quod effectione perficitur, vt domus. & homo ſanus: At finis proprius Philoſophi ciuilis, & cunctarum actionum ab effectione diſtinctarum, in actione includitur: & propterea, vt artis medendi ſubiectum eſt homo arte ſanabilis, vel aliquid ſimile: ita ciuilis ſcientiæ ſubiectum cenſeri debet actio, vt in ea natum eſt refulgere honeſtum, quia hæc ſibi recta ratione reſpondent. Colligamus itaque rem in vniuerſa ciuili ſcientia conſideratam, eſſe humanas actiones, modum conſiderandi, vt in eis honeſtum refulget, coniunctum ex vtriſque, eſſe ſubiectum totum, proportione reſpondens adæquato ſubiecto ſcientiarum: ſummum bonum eſſe finem cuius gratia: res contingentes in hominis facultate collocatas, eſſe materiem externam, circa quam verſantur actiones: hominem natum beari, eſſe finem, cui paratur, & pro quo quæritur ſcopus. Ex ſubiecto totius facile modo eſt elicere ſubiecta partium. Subiectum totius ciuilis ſcientiæ eſt humana actio, vt in ea natum eſt refulgere honeſtum, & quod decet, cum vniuerſe, tum in parte conſiderata. Subiectum librorum, qui inſcribuntur moralia Nicomachia, ſunt huiuſmodi humanæ actiones ſolum vniuerſe conſideratæ, & quatenus homines per eas abſolute viri probi redduntur. Subiectum librorum de republ. ſunt humanæ

Secunda dubitatio.

Solutio.

Tertia dubitatio.

Solutio.

Ἀνακεφαλαίωσις cum poriſmatis.

Subiecta partium ciuilis ſcientiæ.

Digitized by Google

actiones, vt in eis natum eſt refulgere id quod decet, pro recte formanda & conſeruanda rep. vel quod idem eſt, ſunt humanæ actiones, vt ex eis publicum bonum natum eſt conſurgere. Subiectum librorum de cura familiari ſunt humanæ actiones, vt ex eis domeſticum bonum conſurgere natum eſt. Et quoniam per huiuſmodi actiones cum ciuitas, tum familia recte formatur: ideo Ariſtoteles ſub initio primi libri de cura familiari dixit: *ciuitatem eſſe ſubiectum librorum de repub. domum vero curæ familiaris:* ſunt enim ſubiectum pro externa materie, circa quam verſantur, non ſecus ac in lib. rethor. *aurum dicitur ſubiectum auari.* Ex his conſtat, quam recte ciuilis ſcientia dicatur magiſtra vitæ, regulaque humanarum actionum.

Definitio ciuilis ſcientiæ. Cap. VI.

Definitio ab Alcinoo tradita.

QVoniam ex notitia ſubiecti elicitur præcipue definitio diſciplinæ, quæ in eo verſatur, propterea explicato ſubiecto ciuilis ſcientiæ, de eius definitione loquendum eſt. Variæ circumferuntur ciuilis Philoſophiæ definitiones. Alcinous in lib. de doctrina Plat. c. 33. eam definiens inquit: *Ciuilis diſciplina eſt virtus in contemplando & agendo poſita, cuius inſtitutum eſt, ciuitatem bonam beatamq; efficere, ſibiq; omni ex parte conſentientem.* Hæc definitio potius parti de rep. quam vniuerſæ ciuili ſcientiæ competit. Præterea id minus recte dici videtur, quod in contemplando & agendo poſita ſit: cum enim finis ſit actio, & ab eo ſumatur denominatio, abſolute dici debet in actione poſita, vt monet Ariſt. in calce decimi moralium Nicom. Eſt tamen controuerſia inter Platonem & Ariſt. Nam Ariſt. *ciuilem* dicit *abſolute in actione verſari.* Plato vero in lib. de regno, *ſcientiam late ſumtam diuidit in cognoſcentem & agentem, per agentem tamen efficientem intelligit; mox cognoſcentem ait, vel verſari in ſolo iudicio, vt Mathematicam, vel cum iudicio imperare, & talem eſſe aſſerit ciuilem ſcientiam:* quam præſertim in contemplatione ait eſſe poſitam, quia rex non viribus corporis valere debet, ſed mente & intelligentia. Verum lis hæc potius in verbis, quam in ſententia eſt poſita. Ariſt vltimum finem inſpiciens, ab eo abſolutam depromſit denominationem: Plato conſiderauit connexionem cum ſapientia, ac id quod principatum obtinens iudicat, imperat, dirigit, legeſque condit; hæc autem ex contemplatione & cognitione prodeunt: ſic itaque varia ratione, & agens, & contemplans dici poteſt. Euſtratius in procemio moralium Nicom. definiens inquit: *diſciplina de moribus eſt ſpecies moralis Philoſophiæ, quæ in morum hominis compoſitione verſatur:* ratio rei familiaris eſt ſpecies moralis Philoſophiæ, quæ de familiæ, cohabitantiumque in ea conſtitutione conſiderat: ciuilis eſt ſpecies Philoſophiæ practicæ, quæ de ciuitate

Reiicitur.

Lis inter Ariſtot. & Platonem.

Concilium.

Definitio ab Euſtratio tradita.

Digitized by Google

tate, degentiumque in ea, æqua ac concordi adminiſtratione pertractat. Quæ definitiones etiam omni ex parte approbandæ non videntur: primo, quia per eas non omnes cauſſæ explicantur: ſecundo, quia minus recte in definitione ſpeciei dicimus quod ſit ſpecies; non enim definientes hominem dicimus quod ſit ſpecies animalis, ſed quod abſolute ſit animal: præterea illæ ſunt definitiones partium, non vniuerſæ ciuilis philoſophiæ. Proculdubio philoſophia ciuilis vario modo poſſet deſcribi: nam primo, vt eſt eadem cum prudentia, ei conuenit definitio prudentiæ, eſt enim recta ratio agibilium: præterea ratione finis dicitur methodus aſſequendi felicitatem: inſuper dicitur magiſtra humanæ vitæ. At ſi definitionem tradere volumus ex omni cauſſarum genere conflatam, ita dicendum cenſeo: ciuilis ſcientia eſt philoſophia humanas actiones componens ex naturæ interna commotione, ſapientiſq; animi fœcunditate orta, vt in omni vitæ gradu honeſtum attingamus, ſummoque ciuili bono pro facultate fruamur. Ex hac communi definitione facile eſt elicere definitiones trium partium eius, cõtrahendo illas per proprium earum ſubiectum, quod vt notum miſſum facio.

Reiicitur.

Definitio potior.

Diuiſio ciuilis philoſophiæ, & ratio diuiſionis ex opinione aliorum. CAP. VII.

OMnium fere conſenſione philoſophia ciuilis in partes tres diſtribuitur, in vnam de moribus, alteram de republ. tertiam de cura familiari. Ratio diuiſionis à variis varia affertur. D. Thomas, quem Latinorum multi ſequuntur, inquit, *rationem diuiſionis ſumendam eſſe ab his, quorum actiones in finem recte diriguntur*: at per ciuilem philoſophiam vel ſingulorum, vel familiæ, vel ciuilis multitudinis, componuntur actiones: quare ratione horum trium tres ſtatuuntur ciuilis philoſophiæ partes. Cum enim triplex ſit bonum, triplex ſit cura, triplices ſint actiones, neceſſario tres eſſe debent ciuilis ſcientiæ partes. Hæc opinio variis de cauſſis mihi apprime dubia videtur: minime enim verum cenſeo in libris de moribus ſolum conſiderari actiones ſingulorum hominum, & inſtitutionem ſuimet. Quoniam in omni diſciplina primo ea ſunt declaranda, quæ ſunt principia, & communia fundamenta vniuerſæ diſciplinæ, vt monet philoſophus in proœmio phyſ. & cont. 57. ac ſæpe alibi: quare etiam in ciuili ſcientia primo explicanda ſunt communia vniuerſæ philoſophiæ morali, non autem ea, quæ pertinent ad inſtitutionem vnius tantum vitæ generis, nempe ſuimet. Præterea diſciplina vna debet habere vnum commune ſubiectum: ſubiectum commune habet principia communia, communeſque affectiones, quæ primo declarari debent; cum itaque ciuilis ſit diſciplina

Philoſophia ciuilis in tres partes diuiſa.

Reiicitur communis opinio.

Digitized by Google

vna, neceſſe eſt vt ſit prædita communibus principiis; communi fine, communibuſque affectionibus primo declarandis. Falſum itaque eſt putare, quod primo agatur de vno diſtincto genere vitæ, vnoque proprio bono eius. Præterea hoc lucidiſſime patet accurate conſiderando progreſſum philoſophi in libris de moribus: ipſe enim primo verba facit de ſummo bono, non vitæ priuatæ, ſed hominis quamuis vitam viuentis, adeo vt vniuerſe de ſummo bono diſputet, quod eſt communis finis totius philoſophiæ ciuilis. Hoc inſuper ex eo conſpicuum eſt, quia nec in lib. de republic. nec de cura familiari, aliud ciuile bonum præter illud in libris de moribus explicatum manifeſtatur: & definitio ſummi boni tradita in primo moralium Nicomach. vniuerſe de omni ciuili bono vera eſt: omne enim in actione ex perfecta virtute prodeunte poſitum eſt. Inſuper hoc manifeſte aſſeritur ab Ariſtot. in proœmio eius libri dicente: *Nam etſi idem vnius hominis, & ciuitatis bonum ſit: ciuitatis tamen bonum & conſequi, & conſeruare maior quadam res eſſe, & perfectior videtur.* Enimuero præclare nobiſcum agitur, ſi id, quod vel vni ſoli vtile, reperire poſſimus, ſed longe certe pulcrius & diuinius id, quod gentibus & ciuitatibus vſui eſt: huic igitur methodo hæc propoſita ſunt, cum ſit ciuilis quædam, &c. Apertiſſime eo in loco philoſophus proponit declaranda, quæ ſunt communia omni generi ciuilis vitæ, non autem propria vnius. Præterea hoc redditur conſpicuum ex conſideratione virtutum, cum moralium, tum rationalium, quæ ſunt communia principia, communeſque formæ ſingulorum ciuilis vitæ graduum: ideo Ariſtot. 3. de republ. capit. 12. affirmat *per eaſdem res & virum probum, & ciuitatem probam conſtitui.* & in libr. 7. cap. 2. inquit: *eandem eſſe ſingulorum, & ciuitatis felicitatem.* Præterea id ipſum patet perpendendo conditiones legum & magiſtratuum, de quibus agitur in libris de republic. Leges quibus magiſtratus præſunt, nil aliud ſunt, niſi præcepta virtutum in libris moralium Nicom. declaratarum. Propterea dicitur in lib. 5. moralium Nicom. *Leges manare à virtutibus, & ad eas dirigi, & qui ſeruat leges, viuit vitam virtuti conſentaneam.* Adeo, vt conſpicuum ſit in libris de moribus non ſolam priuatam vitam inſtitui, ſed declarari communia, facultate & virtute vniuerſam ciuilem philoſophiam continentia. Et hoc conſpicue enuntiatum fuit ab Ariſtotele ſub initio primi libri magnorum moralium dicente: *apparet itaque rei ciuilis omne negotium, quod circa mores eſt, partem eſſe, atque principium: omnino autem iure mihi videtur negotium hoc debere appellari non morale, ſed ciuile, &c.* Aperte philoſophus affirmat libros de moribus facultate & virtute vniuerſam ciuilem philoſophiam continere. Et in octauo lib. mora-

Digitized by Google

moralium Nicomach. ob id conſiderandam amicitiam affirmat, quia videtur rempublic. continere, & maiore quam iuſtitiam in ſtudio fuiſſe legumlatoribus. Ex quo conſtat cuncta philoſophum in libris de moribus præſertim retuliſſe ad inſtitutionem non ſingulorum, ſed publicam & ciuilem. Imo philoſophus in quinto moralium Nicomach. capit. 2. dubitat, cuius ſit officium ſingulos homines recte inſtituere: de quo minime dubitaſſet, ſed id fuiſſet inſtitutum ſuum in illis libris: alioquin de re vna ageret, & ſub dubio relinqueret, cuius ſit officium de ea agere, quod apprime eſt abſurdum. Propterea eſt altera opinio Anton. Mirandulæ Epiſcopi Caſertæ, viri doctiſſimi: qui in libro de honore inquit: *Vniuerſam philoſophiam ciuilem tradi in libris de moribus.* Libros autem de republic. non eſſe partem ciuilis philoſophiæ, niſi ex euentu, ob hominum ſcilicet deprauationem: nam in libris illis traduntur pertinentia ad magiſtratus & leges: quæ duo inuenta & formata ſunt, non quia abſolute conſtituant ciuilem ſcientiam: ſed vt qui virtutis amore nolunt recte agere, id efficiant formidine pœnæ. Confirmatur, quia ſi omnes homines probi eſſent, nec legibus, nec magiſtratibus egeremus. Præterea idipſum oſtenditur, quia dum habemus principia, media, & finem alicuius methodi, dicimur vniuerſam methodum poſſidere: at in libris de moribus explicatur finis ciuilis ſcientiæ, nempe ſummum bonum, & omnia principia, ac media deducentia ad illud: quare in eis traditur vniuerſa ciuilis philoſophia. Hæc opinio cum Ariſtoteli, tum rationi aduerſatur. Ariſtoteli primo, qui rationem legum ferendarum ſtatuit partem ciuilis ſcientiæ, vt patet ex ſexto moralium Nicom. capite ſeptimo. Ratio autem legum ferendarum, quamuis ex libris de moribus principia ſua prima recipiat, tamen in libris de republic. perficitur, ac in vſum redigitur. Ideo inquit philoſophus prope calcem decimi moralium Nicom. *Cum ſuperiores illi legum ferendarum rationem exquirere, atque inueſtigare omiſerint, operapretium fortaſſe faciemus, ſi nos ipſi de ea, & omnino de omni reipubl. ſtatu commentemur, Vt quantum in nobis eſt, tota, quæ ad res humanas pertinet, philoſophia perfecta ſit, &c.* Præterea cum ciuilis ſcientia & prudentia idem ſit habitus, vt aſſeritur in ſexto moralium Nicom. capit. 8. quia pertinentia ad curam reipubl. ſunt per ſe pars prudentiæ, vt ex eodem loco colligitur, neceſſe eſt vt etiam iudicentur pars, non ex euentu, ſed per ſe ciuilis ſcientiæ. Ideo Ariſt. frequenter libros de moribus ſolum nuncupat partem quandam ciuilis ſcientiæ, non ſcientiam vniuerſam: & dum abſolute loquimur, id ſolum inſpicimus, quod eſt per ſe, non autem quod eſt ex euentu. In proœmio

Secunda opinio.

Euerſio ex Ariſtot.

Digitized by Google

libri moralium Nicomachiorum, inquit: *eam eſſe ciuilem quandam methodum.* In primo rhetor. ait: *Rhetoricam eſſe conflatam ex analytica ſcientia, & ea parte ciuilis facultatis, quæ eſt de moribus.* Sub initio etiam magnorum moralium, quem locum in præcedentibus retuli, ait: *eam eſſe partem, ac principium.* Academici quoque varias numerant partes ciuilis ſcientiæ. Propterea Alcinous in libr. de doctrina Plat. capite 4. inquit: *philoſophia, quæ in agendo verſatur, prima pars mores hominis curat, altera domum gubernat, poſtrema tuetur rempubl.* Fundamentum etiam, quo ea opinio nititur, leue eſt; minime enim verum eſt ſolum formatas eſſe leges, & magiſtratus ob deprauationem hominum, quoniam, vt docet Ariſtoteles, in calce decimi moralium Nicomachio. leges conferunt tribus conditionibus hominum: primo illis, qui recte ad honeſtum parati ſunt, vt cognoſcant quæ ſeruanda, quæve cauenda ſint: ſecundo illis, qui non virtutis dilectione, ſed formidine pœnæ honeſtum amplectuntur: tertio illis, qui corrigi nequeunt, vt eliminentur & extrudantur, ita manifeſtat vnicuique ætati, & conditioni leges conducere. Formæ quoque rerumpublic. & ordines magiſtratuum, non ob ſolam deprauationem formata ſunt: in his enim refulget forma ciuilis philoſophiæ, & fructus eius. Et dum aſſeritur, ſi omnes homines eſſent probi, non egeremus legibus: dico, ſi omnes eſſent probi, etiam non egeremus ciuili philoſophia, quæ vitæ magiſtra eſt: at quod homines non ſint probi, eſt propria quædam eorum conditio, & propterea egent diſciplina, & inſtitutione, quæ refulget per leges. Et dum addunt in libr. moralium omnia tradi attinentia ad ciuilem methodum. Dicendum cum Ariſtot. in calce 10. de moribus, in eis ea ſolum tradi, quæ ſunt communia, & partem theoricam conſtituunt: at pro actione requiritur, vt ad ſingula deſcendamus, tradamuſque præcepta quibus proxime formentur humanæ actiones. Propterea eſt tertia opinio quorundam, qui inquiunt, in libris de moribus declarati ea quæ ſunt communia vniuerſæ ciuili philoſophiæ, & potiſſimum virtutem: & quoniam virtutem quærimus, vt ea vtamur, vſus perfectus eius reſpicit alium: ideo virtutis perfectus vſus aut ciuilis erit, aut familiaris: præter quos nullus remanet, qui ſit proprius priuati hominis: ideo præter moralem ſolæ duæ partes ciuilis philoſophiæ inueniuntur. Hæc opinio etiam omni ex parte vera eſſe non videtur. Primo falſum eſt, quod in libris de moribus potiſſimum conſideretur virtus, imo præcipue conſideratur ſummum bonum, virtus autem conſideratur eius gratia: inſuper, vt proprium ſubiectum, non virtus, ſed actiones hominum conſiderantur. Secundo minime cenſeo verum, quod ſolum ſint duo vſus virtutum

Academici.

Euertitur fundamentum ſecundæ opinionis.

Opinio tertia.

Euerſio.

ium, cum detur tertius priuati hominis erga ſeipſum, qui eſt vſus ſaluberrimus: optima enim victoria eſt ſeipſum vincere, vt dicebant Stoici: ſalutaris pugna eſt dimicare cum ſenſu, moderari perturbationes animi, qui eſt vſus virtutis, non cum alio, ſed nobiſcum, & eſt fundamentum ceterorum vſuum. Hoc lucidiſſime affirmat Ariſtot. in 5. moralium Nicom. cap. 2. inquiens: *Sed de diſciplina cuiuſq; priuata, qua quis abſolute vir bonus eſt, vtrum ſit ciuilis ſcientia, an alterius facultatis cauere, poſterius erit diſputandum: non eſt enim fortaſſis idem virum bonum eſſe, & ciuem bonum, &c.* Ponit aperte Philoſophus vſum virtutis erga ſe, & ſolum ambigit, ad quem pertineat. Quod etiam fecit Cicero in primo de officiis, inquiens: *Nulla enim vitæ pars neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt, &c.* At vbi locum habet officium, etiam habet locum vſus virtutis. Demum ea ſententia mihi eſt dubia, quoniam vt patebit, ratio domeſticæ curæ non debet cenſeri pars vna principalis, diſtincta ab ea quæ eſt de republica.

Tres ſc. vſ. virtutis.

Diuiſio ciuilis Philoſophiæ, & ratio diuiſionis, opinio propria. CAP VIII.

QVemadmodum ceteræ omnes artes & diſciplinæ, quarum finis eſt operatio, in partes duas principes, non in plures diſtribuuntur; quarum vna vulgo theorica, altera practica dicitur: vna in rerum iudicio, principiorumque indagatione, altera in vſu, & operatione verſatur, ita ciuilem ſcientiam in partes duas Principes diſtribuendam cenſeo; quarum prima, quæ tanquam theorica eſt, tradit nobis principia, fundamenta, & ſemina vniuerſæ Philoſophiæ ciuilis, facultateque includit vniuerſam ciuilem Philoſophiam, altera quæ magis practica eſt, deſcēdit ad ordines, ad præcepta propria & leges, diuiſimque ea explicat, quæ competunt vnicuique gradui, & conditioni hominum. Hanc veritatem lucidiſſime patefecit Ariſt in 10. moralium Nicom. cap. poſtremo inquiens: *Cum finis ſcientiæ ciuilis ſit non cognoſcere, ſed agere, non ſat eſt perſpectam, & cognitam habere virtutem, nec ſat eſt communia, & vniuerſa cognoſcere, ſed ad ſingula deſcendendum eſt:* indicans in libris de moribus ſolum communia ſe explicaſſe, & vtitur exemplo artis medendi, ait enim: *nam ne medicina quidem ſatis periti fieri videntur ex commentariorum lectione, atqui commemorare, & tradere conantur illi, non ſolum curationum genera, ſed & quibus remediis ægros ſint curaturi, & quemadmodum medicinam facere oporteat de cuiuſque habitudine corporis, diſtincte ac diſtribute differentes, &c.* Aperte Philoſophus libros de moribus reſpondere affirmat parti theo-

Ciuilis ſcientia in partes duas diuidenda.

Digitized by Google

ricæ artis medendi, cæteros practicæ. In libris de moribus non deſcendit, vel ad vnius, vel ad plurium, vel ad omnim inſtitutionem, ſed præcepta communia tradit conducentia inſtitutioni ſingulorum vitæ generum. Mox vero ad ſingula eſt deſcendendum, & virtute communium principiorum, auxilioque exactæ conſiderationis ſingulorum ad vitam hominum recte formandam conſpirantium, conſtituendæ ſunt formæ rerum publicarum, formandi magiſtratus, & condendæ leges, quæ cum munitæ ſint auctoritate Principis, vim habent cogendi, & ea iubent, quæ proxime formant tum ciuilem, tum domeſticam, tum ſingulorum vitam. Hoc nos docuit Ariſtot in calce 10. moralium Nicom. inquiens: *Quæ leges vtrum ſcriptæ ſint, an non ſcriptæ, nihil referre videtur: neque vero refert, vtrum his legitus vnum, an plures inſtituantur, quemadmodum neque in muſica, & arte corporum exercendorum, & cæteris denique inſtitutionibus, &c.* Apertiſſime Ariſtot. eam veritatem protulit quæ confirmatur, quia homines ſinguli, & familiæ ſunt partes reip. propterea qui totum format, tenetur etiam ſingulas eius partes recte formare. Id optime ſeruauit Ariſt. qui poſt libros moralium Nicomach. collocauit libros de repub. vt patet ex calce 10. lib. & aſſeruit munus eſſe legiſlatoris, accurate decernere pertinentia ad puerorum & iuuenum inſtitutionem: & in primo de republ. agitur de attinentibus ad familias, & de partibus earum, indicans curam familiarem non eſſe diſciplinam re vera diſtinctam, ſed partem conſiderationis de repub. vel appendicem eius.

Preponuntur ac diluuntur tria dubia ad reſolutionem difficultatis pertinentia. CAP. IX.

Prima dubitatio. EX reſolutione propoſitæ difficultatis de diſtinctione ciuilis Philoſophiæ, tria emergunt dubia. Primum eſt, quia inter partes ciuilis ſcientiæ etiam cura rei familiaris numeranda videtur, cum Ariſtot. libros œconomicos diſtinctos à libris de rep. conſtruxerit: & in ſexto moralium Nicom. cap. 8. varias enumerauit partes prudentiæ, quæ etiam ſunt partes ciuilis ſcientiæ. *Secunda dubitatio.* Altera dubitatio eſt, quia recte inſtituere ſingulos homines, eoſque reddere viros probos, non videtur pertinere ad libros de republ. cum frequenter non idem ſit vir prob. & ciuis prob. *Tertia.* Tertia dubitatio eſt de dignitate & præſtantia, vtra nam earum partium ciuilis Philoſophiæ debeat cenſeri pręſtantior. *Solut. prima.* Primæ difficultati reſpondens dico, partes prudentiæ & ciuilis ſcientiæ, multas quidem eſſe; principes tamen eſſe eas ſolas duas, quas retuli. De cura familiari dico eam dupliciter poſſe conſiderari. Primo, vt familiæ ſunt partes reip. ac ita pertinent ad libros de rep. tanquam principia ciuitatis: & propterea Ariſtot. de illis egit

Digitized by Google

egit in primo lib. de republ. & in calce 10. moralium manifeſtat officium eſſe legislatorum & recte formatarum rerumpubl. curam habere de recta educatione, & ſtudio hominum in ſingulis familiis: ſi autem id publice negligatur, tunc ait teneri parentes curam habere de liberis, amicoſque de amicis. Secundo conſideratur familiaris cura quod ad propria quædam præcepta pro conſtitutione & conſeruatione familiæ, pertinentia ad ordinem partium familiæ, & ad nonnulla magis propria, magiſque neceſſaria pro ea conſeruanda, quorum conſideratio minus Philoſophiam ſapit, longiuſque ab ea diſtat: propterea id ſeorſum in diſtinctis libris faciendum eſt, qui debent ſequi libros de repub. & iudicari tanquam appendices eorum, tum quia ad ſingula magis in fine deſcenditur, tum inſuper, quia regulæ propriæ familiæ ſequi debent leges, & regulas reipubl. & cum eis conformari: inſuper, hæc conſideratio debet poni vt diſtincta, quia, vt dixit Ariſtot. in calce 10. moralium Nicomach. *in multis ciuitatibus ea cura à legulatore negligitur.* Ex his colligo primo inter libros de moribus, & de republ. non mediare libros œconomicos, vt multi perperam cenſent: aperte enim Ariſtotel. in calce 10. moralium libros de republ. cum libris de moribus connectit. Colligo ſecundo partim dari, partim non dari, curam familiarem à publica diſtinctam, re vera enim non datur, cum vel ſit pars, vel appendix eius. Colligo tertio conſiderationem attinentium ad familiam partim præire, partim ſequi conſiderationem reipubl. & propterea conſiderari familias ſub initio librorum de republ. & ſeparato ſermone ſequente libros de republ. Erat ſecunda dubitatio, ad quem pertineat recte inſtituere virum probum: qua de re dubitauit Ariſtot. in 5. moralium Nicom. capite ſecundo inquiens: *Sed diſciplina cuiuſque priuata, qua quis abſolute vir bonus eſt, vtrum ſit ciuilis ſcientia, an alterius facultatis cauere, poſterius erit diſputandum: non eſt enim fortaſſis idem virum bonum eſſe, & bonum ciuem.* His verbis Ariſtotel. & dubitat, & viam patefacit diluendi difficultatem, nam, vt ſuo loco patebit, in ſola recte inſtituta republic. idem eſt vir probus, & ciuis probus: & propterea recte formare virum probum primo vniuerſe, abſolute, & quod ad fundamenta probitatis, pertinet ad libros de moribus, vt ad eos, in quibus declaratur virtus, quæ forma, & radix eſt viri probi: proxime tamen & publice id debet fieri per leges recte conditas, & particulares inſtitutiones in recte formata republica, in qua curandum eſt, quomodo educandi ſint pueri, quæ teneantur addiſcere, in quibus exerceri, vt monuit Ariſt. in calce 10. de moribus: idque ſeruauit vna cum Platone in libris de republ. & legibus. Et hoc, quod dico de recta inſtitutione viri probi,

Colligitur primo.

Colligitur ſecundo.

Colligitur tertio.

etiam intelligi debet de abſoluta rectitudine inſtitutionis reipublicæ, & familiaris: ea enim ex notitia ſummi boni, & virtutum elicitur. Tertia dubitatio erat de præſtantia harum duarum partium, num ſcilicet libri de rep. dignitate præſtent libris de moribus. Communis opinio Latinorum eſt, libros de repub. longe antecellere: quia bonum eo eſt præſtantius, quo eſt communius, vt dicitur in procœmio lib. moralium Nicom. libri de rep. ſunt de bono publico, libri de moribus de bono priuato: libri igitur de repub. præſtant, ac eo quidem præſtant, quo publicum priuato præfertur. Confirmatur efficaci ratione: quoniam inter partes ciuilis Philoſophiæ ratio ferendarum legum principatum obtinet, vt dixit Plato in libro de regno, & affirmauit Ariſtot. in ſexto moralium Nicom. cap. octauo: at ratio ferendarum legum eſt munus librorum de republ. vt aſſeritur ab Ariſtotel. in calce 10. moralium Nicomach. his pene verbis: *Nonne igitur deinceps videndum eſt, vnde & quonam modo quis legibus ferendis idoneus eſſe poſſit? &c.* adeo vt poſt libros de moribus rationem legum ferendarum indagandam proponat: & paucis interiectis addit: *leges autem opera ciuilia videntur eſſe, &c.* Iure igitur libri de republic. multorum conſenſione principatum obtinere videntur. Hanc opinionem longe à vero abeſſe cenſeo, nam pars ea de moribus longe præſtat, & domina eſt, quod oſtenditur, & primo: In omnibus artibus, & diſciplinis pars ea, quæ theorica dicitur, longe præſtat alteri: quæ nuncupatur practica: pars enim theorica virtute, & eminentia alteram includit, & dirigit, vt patet de arte medendi. Præterea id aperte aſſeritur ab Ariſtot. in calce 10. moralium Nicom. vbi cum partem practicam neceſſariam dixerit pro obeundis munerum functionibus, addit: *Nihilominus autem ei quidem, qui bonus artifex, & ad res percipiendas & contemplandas idoneus effici velit, ad genus vniuerſum ſit progrediendum, atque in illo cognoſcendo, quoad eius fieri poſſit, elaborandum, in hoc enim ſcientias poſitas eſſe diximus, &c.* Id ipſum latius & clarius patefecit in procœmio Metaphyſicæ. Præterea hoc lucidiſſime oſtenditur per ea, quæ leguntur in procœmio moralium Nicom. quo loci inquit Philoſophus: *Ea diſciplina, quæ conſiderat ſummum bonum, eſt domina, & princeps aliarum:* at ſummum bonum conſideratur in parte de moribus: ea igitur domina, & princeps eſt. Quod inſuper confirmatur, quia virtutum genera, & ſummum bonum, quæ conſiderantur in libris de moribus, facultate, & eminentia, continent vniuerſam Philoſophiam ciuilem: vt etiam aſſeritur ſub initio libri magnorum moralium. Dicamus igitur cum Ariſtot. in procœmio Metaphyſ. deſcendere ad ſingula, hoc eſt, partem practicam, & experientiam ad

Solutio tert. difficult.

Opinio communis.

Euertitur opinio communis.

Digitized by Google

am ad operandum quidem potiorem eſſe, magiſque neceſſariam: abſolute tamen præferendam eſſe partem theoricam, & in ea eminentius includi cognitionem, & artem. Ideo architecti præſtantia & dignitate præferuntur illis, qui proximius operantur, & deſcendunt ad ſingula.

Ex dictis varia pulcra & vtilia colliguntur.

Cap. X.

Ex declaratis in præcedente cap. colligo primo, pertinentia ad ciuilem ſcientiam præcipue, & maxime in libris de moribus explicari: in eis enim finis, principia, & fundamenta omnia ciuilis Philoſophiæ declarantur. *Primum quod colligitur.* Colligo ſecundo, in libris de moribus non bonum ſingulorum hominum, ſed cumprimis bonum publicum explicari. *Alterum quod colligitur.* Ratio eſt, quia in eis agitur de fine, & ſummo bono ciuilis ſcientiæ vniuerſe ſumto: at dum vniuerſe de aliquo agitur, potiſſimum id optatur, quod eſt præſtantius. huiuſmodi eſt bonum publicum, vt etiam aſſeritur ab Ariſtot. in procemio moralium Nicom. Colligo tertio, rationem ferendarum legum præſertim elici ex ſcientia de moribus. *Tertium.* Ratio eſt, quia pro recte ferendis legibus duo maxime ſunt neceſſaria; primum vt cognoſcamus principia vnde manant, & finem, quo tendunt leges: alterum, vt diſtincte noſcamus regionem, conditiones hominum, & loca vicina, vt in ſecundo de republ. cap. quarto monuit Ariſtot. quorum duorum primum obtinet principatum, & eſt regula & menſura cęterorum. Id primum in libris de moribus traditur, & confirmatur, quia leges nil aliud ſunt, niſi præcepta iuſtitiæ, & ſunt fœtus prudentiæ: iuſtitia, & prudentia in libris de moribus explicantur. Colligo quarto, eos errare, qui iuri ciuili nauant operam, nec primo accurate addiſcunt pertinentia ad virtutes, & ſummum bonum: hi verſantur in riuulis, neglecto fonte, & ambulant ſine prænotione finis, in quem tendunt. *Quartum quod colligitur.* Colligo quinto eos, qui legibus incumbunt, neglecta diſciplina morali, minime verſari in ciuili Philoſophia: vere enim ciuilis Philoſophia eſt pars eius theorica, pars autem practica iuncta theoricæ, munere eius redditur Philoſophia, at ſeiuncta ab ea, non eſt Philoſophia, ſed leuis quædam peritia: philoſophari enim eſt rem in ſua principia redigere, & ſe habet de hac, vt de diſciplinis ſubalternis, quæ ſeorſim à ſua ſuperiori, à qua principia recipiunt, leuiſſimæ cenſeri debent. *Quintum ἐπακολούθημα.* *Philoſophari quid?* Demum diluenda remanet ratio ſumta ex auctoritate Ariſtot. in calce 10. moralium Nicom. vbi videtur aſſerere, rationem ferendarum legum ad libros de republ. pertinere. *Obiectio.* Solutio tamen ex dictis petenda eſt: nam ratio ferendarum legum, quod ad ea, quæ principatũ obtinent, ex libris de moribus elicitur, quod au- *Solutio.*

tem ad nonnulla propria prænoſcenda pro condendis legibus, pertinet ad libros de republ. adeo quod condere leges pertinet quidem ad libros de repub. ratio tamen principalis earum condendarum elicitur ex libris moralium. Ideo aſſeruit Ariſtot. in calce 10. moralium: *quod non valent recte condere leges, niſi illi, qui animo cernere, & iudicare poſſunt, quid bene, quid contra conſtitutum ſit, & quæ quibus apta ſint: illi autem, qui hæc ſine habitu perſecuti fuerint, recte iudicandi facultatem ſibi nunquam comparabunt, niſi forte temere, & caſu quodam, &c.* His verbis indicauit, neminem ſine primo habitu recte condendi leges, poſſe eas legitime inſtituere.

De inſcriptione librorum moralium.
Cap. XI.

Inſcriptiones ex Platone.

PLato libros ad ciuilem Philoſophiam pertinentes, variis inſcripſit nominibus: quoſdam nuncupauit de regno, alios de republ. nonnullos de legibus: Philebum conſtruxit de ſummo bono, Charmidem de temperantia, Lachetem de fortitudine, & alios ſimiles, in quibus vel vniuerſe, vel ſingulatim varia ad ciuilem ſcientiam pertinentia, explicauit.

Ex Ariſtot.

Ariſtotel. vero duplici vſus eſt inſcriptione, vna communi, altera propria: communi, dum vniuerſam Philoſophiam, quæ in actione verſatur, ciuilem appellauit: propria vero, dum libros hos de moribus, alios de republic. quoſdam œconomicos nuncupauit. Quod pertinet ad inſcriptionem communem, vniuerſa hæc Philoſophia nuncupatur ciuilis, quoniam tanquam ad principem finem dirigitur ad ſummum bonum, & curam vniuerſæ ciuitatis, cuius familiæ, & homines ſinguli ſunt partes. Quod commune nomen nonnunquam contrahitur ad ſignificandam ſolam partem de moribus, tanquam ad eam, quæ facultate & virtute continet vniuerſam Philoſophiam practicam, vt dixit Ariſtotel. ſub initio primi libr. magnorum moralium, & in eadem ſignificatione in proœmio moralium Nicomach. dixit: *conſiderationem ſummi boni ad ciuilem pertinere.* Nonnunquam vero contrahitur ad denotandos ſolos libros de repub. illi enim politici, ſiue ciuiles nuncupantur, & id fit non ob eorum dignitatem, ſed ob vſum. Quamuis enim ciuilis Philoſophia maxime contineatur in libris de moribus: euenit tamen, vt inquit Ariſtot. in 6 moralium Nicomach cap. 8. vt qui priuatim in rebus ſingulis verſantur, commune ciuilis ſcientiæ nomen obtineant, cuius omnis opera eſt in agendo, & conſultando: populi enim hos ſolos rempubl. adminiſtrare dicunt, hi enim ſoli, vt operarii quidam, in rebus ſingulis verſantur. Proprie igitur nomen ciuilis commune eſt, quod contrahitur ad libros de moribus,

Digitized by Google

ribus, tanquam ad partem principem, ad libros vero de republ. ob vſum; quem inſpiciunt populi. Inſcriptio propria primæ partis eſt, Ἠθικῶν Νικομαχείων, moralium ſcilicet Nicomachiorum. ἦθος, latine mos, proprie conuenit ratione præditis, ac ob eius vires mos dicitur hominum Dæmon, extenditur tamen ſimilitudine quadam etiam ad iumenta, & feras: inde varii dicuntur ferarum, iumentorumque mores. Inſuper mos proprie dicitur de attinentibus ad animum: extenditur tamen etiam ad ea, quæ pertinent ad corpus, dum in eis ſigna quædam animi refulgent. Diuiduntur mores in phyſicos, & aſſuetudine contractos. De phyſicis inquit Ariſtot. in ſexto Nicomachiorum cap. poſtremo: *Singuli enim mores in omnibus hominibus quodam modo videntur ineſſe: natura namque ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, cæteraſque virtutes apti, atque habiles ſumus, cum primum naſcimur.* Ita Galenus dixit: *mores ſequi corporum temperamenta:* proprie tamen mores illi dicuntur, qui aſſuetudine comparantur. Ideo dixit Ariſt. in ſecundo Nicomachiorum cap. primo, *quod ἦθος ἀπὸ τοῦ ἔθους, hoc eſt, ab vſu, & aſſuetudine deducitur.* Diuiditur mos per internum & externum: nomen enim moris nonnunquam dicitur de externa operatione ex aſſuetudine prodeunte; proprie tamen ſolum dicitur de interna diſpoſitione, vel habitu, qui ex aſſuetudine conſurgit, & præſertim de habitu, qui firmus eſt, & conſtans: & propterea dicimus, morem eſſe alteram naturam, quia per comparatum habitum ita facile operamur, ac ſi per naturam operaremur. Diuiduntur inſuper mores per probos, & improbos. At quando hi libri inſcribuntur de moribus, ſignificantur proprii mores, ad animum pertinentes, cum ratione iuncti, formati aſſuetudine, qui probi ſint: huiuſmodi ſunt virtutes morales, quæ vitam hominis recte formant. Vitia enim non ſecus ex euentu à ciuili conſiderantur, ac à medico conſiderentur morbi, & venena. Cum hi libri inſcribantur de moribus, indicatur modus comparandi virtutes, quæ proprie ad ciuilem pertinent: manifeſtatur hos libros eſſe fundamentum, & principium vniuerſæ philoſophiæ ciuilis: indicatur philoſophiam hanc vere humanam eſſe, vere ad hominem pertinere, & vere hominem ſuæ ſortis eſſe auctorem, cum ſuo more ſe perficiat. Nomen hoc de moribus nonnunquam extenditur ad ſignificandam vniuerſam philoſophiam ciuilem; vniuerſa enim nuncupatur philoſophia moralis: ratio eſt, quia vniuerſa ex hominum more pendet, & ad componendos hominum mores parata eſt. Potuiſſet philoſophus hos libros inſcribere De prudentia: cum prudentia, & ciuilis ſcientia idem ſint habitus: De virtute, cum per eam formetur vita ciuilis: Inſuper potuiſſet nuncupare methodum aſſequendi felicitatem,

Inſcriptio propria.

Moris ſignificatio.

Diſtinctio morum.

Digitized by Google

methodumque inſtitutionis humanæ vitæ At ob relatas cauſſas prætulit cæteris eas duas inſcriptiones, quarum vna eſt communis, altera magis propria, & ambæ connexionem habent cum ſubiecto & materie, de qua agitur: humanæ enim actiones prodeunt ex moribus, includuntur facultate in eis, vitamque ciuilem conſtituunt.

De parte altera inſcriptionis Nicomachiorum, & varietate librorum de moribus. CAP. XII.

INſcribitur prima pars ciuilis philoſophiæ, Ἠθικῶν Νικομαχείων, moralium Nicomachiorum. Nicomachus fuit filius Ariſtot. a quo inſcriptionem librorum ſumſit: non quia pro eo ſolo eos compoſuerit, vel ad eum miſerit, ad communem enim vſum eos conſtruxit: ſed id fecit, quia conſueuere veteres nonnunquam libros inſcribere nomine alicuius ſibi ſummopere vel amicitia, vel ſanguine iuncti, vel cuius conditioni eſſent accommodati: quod frequenter fecit Plato, & ſeruauit Ariſt. in ſuis dialogis, & in libris de moribus. Ideo non dixit ad Nicomachum, ſed Nicomachios eos nuncupauit: nec ad Eudemum, ſed Eudemios. Vſus autem eſt nomine filii, nedum ob dilectionem, verum inprimis vt indicaret diſciplinam hanc accommodatiſſime verſari inter patrem & filios, vel inter eos, qui parentis & filiorum ſeruant conditiones, vt ſe habere debet in principe & populis, docente & diſcipulis. Et conſiderandum, quod inter morales libros Ariſt. numerantur Nicomachij, Eudemij, & magna moralia: de quibus lis eſt, an omnes ſint Ariſtot. Qua de re probabiliter ab aliis multa dicuntur, nil enim certi ſcire valemus. Cenſeo tamen ego, reuera omnes diſtincto tempore fuiſſe ab Ariſtotele conſtructos: omnes enim videntur fœtus eiuſdem ingenii, omnes redolent ſtylum, methodum, ordinem, iudicium, & opinionem Ariſtot. Cuius rei ſatis firmum argumentum eſſe poteſt, quia nonnulli libri Nicomachij in Eudemijs ſunt inſerti, in omnibus ſatis conſimiles ſententiæ leguntur in Eudemijs pro reiicienda ſententia Platonis de idea boni fere eædem formantur rationes his, quæ in Nicomachijs: qui libri ſi ab alio fuiſſent conſtructi, verecundari profecto debuiſſet, cum tam aperte alienis rationibus, inuentionibus, & ornamentis vſus fuerit. Cenſeo itaque omnes eſſe fœtus ingenij Ariſt. cæteros tamen eſſe rudes & incoatos, ſolos Nicomachios eſſe fœtum abſolutum & perfectum. Puto enim Ariſtot. id contigiſſe, quod facile multis accidit qui libros de re aliqua conſcribentes, frequenter in ordine ſibi non ſatisfaciunt, conſilium mutant, variant inſcriptionem, ſententiam aliquam emendant, quouſque demum opus vnum ad votum perficiant, in quo ſolo ſibi ſatisfaciant, ita vt ſi debe-

Cur inſcriptionē ſumſerit à filio.

Varietas librorum de moribus.

Digitized by Google

ſi deberent librum edere, ſolum illum ederent combuſtis aliis: at euenit, vt antequam id fiat, morte præueniantur, & cum omnes veniant in manus aliorum, ob famam auctoris ſeruantur omnes, omneſque circumferuntur. Dicamus itaque libros moralium Nicomachiorum abſolutiſſimos eſſe, ceteros eſſe rudimenta, & incoationes eiuſdem auctoris. Quod ſi qua in eis apparet ſententiæ varietas, & aliquid in eis legitur, quod diſſonat à ſententia Ariſt. vt re vera aliquid reperitur, præſertim in Eudemiis: putandũ eſt id contigiſſe, partim quia ab auctore non fuerunt emendati, ſed neglecti potius, partim quia ceteris minori curæ fuerunt: & ob id plures errores in eos irrepſerunt, quam in Nicomachios, qui vt abſolutiores, accuratius ſeruati fuerunt.

An libri moralium Nicomachiorum ſint Ariſtotelis.
CAP. XIII.

ORITVR dubitatio de libris Nicomachiis, num fuerint compoſiti ab Ariſtot. an potius à Nicomacho filio, & ob id Nicomachii dicti ſint. Aſſeruit Cicero in quinto de finibus: *Quare teneamus Ariſtot. & eius filium Nicomachum, cuius accurate ſcripti de moribus libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtot. ſed non video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius, &c.* Suſpicatus igitur Cicero eſt, libros illos eſſe Nicomachi: cuius opinionem ſequuti nonnulli eam his rationibus confirmare nituntur. Primo, quia Diogenes Laertius quatuor ſolos Ariſtot. moralium libros enumerat, cum libri Nicomachii ſint decem. Inſuper Ariſtot. in ſecundo de repub. cap. 1. inquit: *æqualitatem talionis ſeruare ciuitates*, vt in ethicis dictum eſt prius: at hoc non dicitur in Nicomachiis, ſed potius oppoſitũ, nam legitur in quinto lib. cap. 5. *Talio vero non conuenit ad legitimum, neque ad ciuile:* ſed ea ſententia legitur in magnis moralibus cap. vlt. Præterea in ſeptimo de repub. cap. 13. legitur: *Sed beatitudo in contrariis eſt: etenim hoc etiam determinatum eſt in ſermonibus ethicis, quod minime in Nicomachiis reperitur.* Inſuper in ſexto moralium Nicom. legitur: *ſcientia igitur eſt habitus oſtenſiuus, & quæcunque alia adiecimus in analyticis*: at nullibi in analyticis definitur ſcientia. Præterea inquit Diogen. Laertius: *Nicomachus Ariſtotelis ait, Eudoxum dicere, voluptatem eſſe ſummum bonum:* Quod cum dicatur in primo, & decimo moralium Nicomachiorum, colligere valemus, eos libros Nicomachi eſſe. Addunt poſtremo Ariſt. eos libros nec valuiſſe, nec debuiſſe Nicomacho ſcribere, quia paruulus remanſit in obitu patris. His & conſimilibus coniecturis & ſignis vſi nonnulli, conati ſunt ſuadere libros Nicomachios non fuiſſe ab Ariſtotele conſtructos. At proculdubio in re conſpicua conſpicue errant: nihil enim repe-

Opinio Ciceronis.

Confirmatio.

Reiicitur.

Opinio comprobatur.

Digitized by Google

ritur in moralibus Nicomachiis, quod ſententiæ Ariſtot. non ſit ſummopere conſentaneum, quod non ſapiat conſtantiam, ingenium, iudicium, eruditionem, ſtylum, ordinem, & methodum Ariſtot. in eis libris nos reiicit ad externos ſermones, quos nonnulli in idem venire cum circularibus exiſtimant, quod conſueuit facere in aliis, vt patet ex primo cœli, & 13. metaphyſ. in calce decem Nicomachiorum nos dirigit ad libros de repub. inquiens. *Quocirca primum, ſi quid à veteribus recte dictum eſt, id conabimur recenſere: deinde ex collectis rebuſpubl. quæ nam ſint ea, conſiderabimus, quæ ciuitates, & ſingulas reſpubl. corrumpunt & ſeruant.* Hoc in libris de republ. ab Ariſtotele exactiſſime ſeruatur, in quorum 2. ſub initio legitur: *quoniam propoſuimus conſiderare de ciuili ſocietate, quæ ſit optima omnium iis, qui poſſunt viuere maxime ad votum, oportet alias quoque conſiderare reſpub. quibus vtuntur ciuitates aliquæ earum, quæ bene legibus conſtitutæ videntur, &c.* His maniſeſtiſſime patet, libros Politicos, & Nicomachios ex eodem manaſſe parente: cum autem politici à nullo tribuantur Nicomacho, ſed Ariſtot. cogimur fateri etiam Nicomachios ab Ariſtot. fuiſſe conſtructos. Ideo ſuo more frequenter Socratem damnat, in Platonem inuehitur, eos in 1. moralium nuncupat amicos: quod non valuiſſet facere Nicomachus, qui eos minime nouit, niſi impropriе fuiſſet loquutus. Inſuper ad ſuos analyticos libros nos reiicit. Nec memoriæ traditum eſt, Nicomachum eius fuiſſe eruditionis, vt libros tam eximia ſapientia, methodo, ſententiarum conſtantia, poſtremaque perfectione præditos valuerit formare: niſi fingamus (quod viuens Ariſtot. falſum cenſuit) animam eius poſt obitum in filium migraſſe. Mitto varia, quæ pro huius veritatis approbatione poſſem referre. Et inprimis, quia ea opinio potius fuit quorundam Grammaticorum, quam rite philoſophantium: illi enim pluris faciunt vnum Ciceronē, quam vniuerſos philoſophos; quaſi nō ſit conſpicuum Ciceronē frequenter fuiſſe hallucinatum in referendis opinionibus Ariſtot. veluti in explicanda endelechia, fato, fortuna, & ſimilibus, vt etiam in gradu 8. cap. 39. patefaciam. Rationes autem aduerſæ, vt ſunt leuiſſimæ, ita faciliime diluuntur. Nam de Diogene ſecus referente numerum librorum moralium Ariſtot. dico etiam numerum multorum aliorum librorum, qui proculdubio ſunt Ariſtot. ſecus ab eo fuiſſe relatum, ac reuera ſe habeat, nam ipſe quoque nil certi habuit: & tunc multi exſtabant libri, qui mox perierunt; & nonnulli, qui modo exſtant, tunc inuenti, & pro Ariſtoteleis approbati non erant. De æqualitate talionis, quæ dicitur ſeruare ciuitates, & oppoſitum aſſeritur in quinto Nicomachiorum, reſpondeo minime dictum fuiſſe oppoſitum: non

Solutio aduerſatur rationum.

enim

enim Ariſtot. in quinto Nicomach. abſolute damnat *ius talionis, ſed illud damnat pro æqualitate arithmetica, at non pro geometrica.* Ideo inquit in quinto Nicomach. cap. 5. *Quin etiam in communicationibus, rebuſque contrahendis hoc ipſum ius talionis proportione, non æqualitate concluditur, &c.* Damnat itaque Ariſtot. modum, quo eo vtebantur veteres, non abſolute ius talionis. Addebatur ex 7. de repub. quod beatitudo in contrariis eſt poſita, quod non dicitur in Nicomachiis: Reſpondeo, ſi verba Ariſtot. eo loci prolata recte referantur, & intelligantur, in qua recta ſignificatione ea auctoritate vtor in gradu 8. capit. 9. nedum nobis non aduerſantur, verum potius conſpicue noſtram ſententiam confirmant: at quia à ſecus ſentientibus minus recte referuntur, ideo nunc vtens fiduciaria reprobatione, aſſero etiam in Nicomachijs dici, beatitudinem in contrariis eſſe poſitam, cum virtus moralis in medio contrariorum dicatur conſtituta, & aſſeratur virum beatum ſe habere, cubi inſtar, quoniam ab aduerſa fortuna impelli quidem poteſt, at non proſterni. Hæc dicuntur in primo moralium Nicomac. Id quod affertur ex 6. Nicomach quo loci ſcientia dicitur habitus oſtenſiuus, & additur, & quæcunque alia adiecimus in analyticis, &c. eorum ſententiæ aperte aduerſatur: id enim reſpondet ſententiæ prolatæ in 1. Poſter. capit. 2. dum definitur *ſcire, necnon ſcientia oſtenſiua,* & in epilogo 2. Poſter. colligitur: *De ſyllogiſmo igitur, & de demonſtratione, quid vnumquodque ſit, & quomodo ſit, manifeſtum eſt, ſimul autem & de ſcientia demonſtratiua, &c.* Falſo itaque inquiunt ab Ariſtotele in analyticis non fuiſſe definitam ſcientiam, nam definitum eſt ſcire, & ſcientia demonſtratiua, quæ idem ſunt. Inſuper Ariſtot. in 6. Nicomachiorum cap. 3 inquit: *omnem ſcientiam fieri ex præcognitis, & nos reiicit ad analytica:* id autem patefecit in principio libri Poſteriorum. Vrgebant adhuc per Diogenem Laertium, qui tribuit ea, quæ dicuntur in Nicomachiis, Nicomacho Ariſtotelis. Reſpondeo per Nicomachum Ariſtotelis ſignificaſſe libros Nicomachios ab Ariſtotele conſtructos; vt per Timæum Platonis, Parmenidem, Phædrum, & Alcibiadem, intelligimus dialogos Platonis ita inſcriptos. Poſtrema ratio, quia Nicomachus erat valde paruus, nec aptus hos libros audire, proculdubio nullius eſt roboris: eos enim inſcripſit illius nomine ob ſpem, & dilectionem, vt congruente tempore ei, & aliis inſeruirent: & demum, quia hæc diſciplina paternam quandam erga dilectos filios curam, & inſtitutionẽ præ ſe fert, & propterea a Pythagora, & veteribus philoſophis per aphoriſtica præcepta, Laconicaſque ſententias tradebatur, vt facile à pueris apprehenderetur, & ſeruaretur memoria. Colligamus itaque cum

Solutio per reprobationem fiduciariam.

Simplicio, Alexandro, Euſtratio, Aſpaſio, & aliis viris ſapientia illuſtribus, libros Nicomachios eſſe Ariſtotelis, nec Cicero temere oppoſitum aſſeuerat, ſed cum modeſtia ſuſpicatur, vt eius verba conſideranti redditur notum.

De ordine vniuerſe ſumto, & primo quotuplex ſit.
Cap. XIV.

Præſtantia ordinis.

QVEMADMODVM formoſiſſima mundi moles à chao ſolo ſecernitur ordine;ita ſcientiæ, & artes ſaluberrimæ, à pernicioſa confuſione,ſolo ordine diſtinguuntur. Ex quo conſtat, quã præclarus,& ſalutaris ſit ordo,adeo vt iure optimo ab Ariſt. cenſeatur: *natura rerum*, à Platone in Gorgia *forma ſciẽtiarum, & artium* nuncupetur, ab Anaxagora *munus diuinæ mentis*. Inter cetera, quæ Ariſtotelem reddunt per ora hominum illuſtrem, eſt admirabilis ordo, in quem philoſophiæ partes, primo conciſas,& confuſas,exactiſſime redegit, &iure profecto ordo eſt res pręclara,cum ex Deo vna cum prouidentia prodeat,ideo Galenus in 2. de diebus decretoriis,cap. 2.dixit: *Ex mente Hippocratis, & potiorum philoſophorum, pulcrum omne, quod hic pulcrum eſt, atque etiam ordinatum, & artificioſum, ex ſupernis diuiniſq; mentibus innaſci, inordinatum vero ex materie* Id ipſum affirmauit Ariſt in 11. Metaph. inquiens: *niſi darentur ſubſtantiæ ſeparatæ, non daretur ordo in vniuerſo.* Si in aliqua diſciplina expetẽdus eſt ordo, qui profecto expetendus eſt in omni,præſertim in diſciplina ciuili id fieri debet, cum ea nil aliud ſit,niſi ordo, ordinataque inſtitutio humanarũ actionum. Vt igitur ordo ab Ariſt.in ciuili diſciplina ſeruatus eluceſcat,primo nonnulla vniuerſe, ad ordinis notitiam pertinẽtia, pateſaciam. Accipio primo vt notũ, ordinẽ à methodo,quę via,&docendi ratio dicitur,ſummopere diſtingui:ordo enim cõſideratur inter varia,quæ declaranda occurrunt,methodus vero cõſiſtit in vnius rei per alterã explicatione. Ordo in quatuor cõſiderari poteſt,primo in origine,ac inſtituto agentis: ſecundo in rebus ex eo principio pendentibus, veluti in vniuerſo orbe: tertio in inſtrumento, ac diſciplina organica, qualis eſt Logica, quæ inſtrumenta parat ordinantia, & explicantia ſcientias, & artes:quarto in diſciplinis ordine præditis, quæ rerum ſunt imitationes. Primus eſt ordo originalis. Secundus eſt forma ex eo prodiens. Tertius eſt inſtrumentum. Quartus eſt imitatio veræ formæ. De hoc quarto genere ordinis, quod in ſcientiis, & artibus reperitur, ego verba faciam, ex cuius declaratione varia patebunt ad ceteros ordines pertinentia,nam ſibi mutuo recta ratione reſpondent. Ordo diſciplinarum multiplex eſſe poteſt: cum enim ordo inter ea verſetur, quibus competit prius, & poſterius, ac prius & poſterius multipliciter dicatur, vt patet ex quinto

In ciuili ſcientia maxime ſeruandus eſt ordo, qui diſtinguitur à methodo.

Ordo quadruplex.

Ordo diſciplinarum multiplex.

Digitized by Google

quinto metaphyſicæ, & ex poſtprædicamentis, iure etiam ordo multiplex eſſe dicitur. Nam datur ordo originis, ad quem redigitur ordo temporis: de quo loquens Ariſtot. in proœmio metaphyſicæ dixit: *artes ob neceſſitatem primo fuiſſe inuentas*: datur ordo dignitatis, & præſtantiæ, quo ordine ſcientia diuina omnium conſenſione prima dicitur: datur ordo abſtractionis, quo mathematica ſtatuitur media inter phyſicam, & metaphyſicam: Datur ordo vtilitatis, quo artem medendi ceteris artibus præſtare aſſerimus: Demum datur ordo addiſcendi, accommodatus vel inuentioni, vel explicationi, vel apprehēſioni diſciplinarum, de quo poſtremo, conſilium meum eſt verba facere, cum ille ſit, qui meo inſtituto inſeruit. Hic docēdi ordo conſiderari poteſt, cum inter diſtinctas ſcientias inuicem comparatas, & colligatas, vt inter phyſicam, & metaphyſicam; tum inter partes eiuſdem, veluti inter libros ad ciuilem philoſophiam pertinentes. Ego de vtroque ordine loquar, vterque enim ad rem noſtram facit: ordiar autem ab eius definitione.

Ordo originis.
Dignitatis.
Abſtractionis.
Vtilitatis.
Addiſcendi ſeu diſciplinæ.

Quid ſit ordo. CAP. XV.

VARIÆ circumferuntur definitiones ordinis à viris doctis traditæ: quibus ſilentio obuolutis, ego ita ordinem diſciplinis accommodatum definiendum cenſeo. Ordo eſt congruens diſpoſitio plurium vel diſciplinarum, vel partium eiuſdem diſciplinæ, cum inter ſe, tum ad vnum primum, ex rerum natura à dirigente deprompta: vt diſciplinæ pro facultate naturam rerum æmulentur, diſtincteque legentium animis eam offerant. Ex hac definitione cauſſæ omnes eluceſcunt, quæ ordini diſciplinarum competunt. Sumitur primo loco formæ, congruens diſpoſitio: conſideratur enim nunc ordo, non vt habitus animi, ſed vt in diſciplinis reperitur res imitantibus, & explicantibus: qua conſideratione nil aliud eſt ordo, niſi congruens rerum ordinatarum diſpoſitio. Additur pro materie; plurium vel diſciplinarum, vel partium eiuſdem diſciplinæ: in vtriſque enim locum habet ordo, dummodo communi quodam fine iunctæ ſint: dicitur plurium, quia in vno, & ſimplici non ſeruatur ordo, hoc tamen verum eſt, quod ordinata, quamuis ſint plura, ratione tamen vnius communis finis, vnum quoddam totum conſtituere dicuntur, cuius ordo eſt forma. Additur, cum inter ſe, tum ad vnum primum, vt manifeſtetur, quomodo congruens diſpoſitio in re ordinata reperiatur: nam requiritur ad ordinem, vt ordinata ad vnum primum referantur, vt mox patebit, non autem recta ratione referuntur ad vnum, niſi etiam inter ſe congruente ratione iuncta ſint. Ideo Ariſtot. in 8. Phyſi. cont. 15. dixit, *infinita non eſſe ſubordinata*,

Definitio ordinis.
Forma.
Materies.

Digitized by Google

quia omnis ordo eſt ratio, infiniti autem ad infinitum nullà eſt ratio: hinc in ordine, dempto primo, ſecundum obtinet locum primi, dempto ſecundo, tertium obtinet locum primi, & ſic de ceteris, vt dicitur ab Ariſtotele in ſecundo Poſter. capit. 14. vbi loquitur de ordine partium definitionis: *quod non eueniret, niſi partes etiam inter ſe ita ſe haberent, vt mutuam rationem includerent*. Hinc patet eorum error, qui inquiunt, ordinata referri quidem ad vnum primum, at non inter ſe. Additur pro cauſſa efficiente, ex natura rerum a dirigente deprompta. Dirigens duas expoſcit conditiones: Prima eſt, vt ſit verſatus in natura eorum, quæ in ordinem ſunt redigenda, nam in methodo ſequimur noſtrum cognoſcendi modum: in ordine vero imitamur naturam: altera eſt, vt verſatus ſit in Logica, quæ ei inſtrumenta dirigentia præbet, & hæc eſt pædia, rectaque inſtitutio, quæ pro dirigente requiritur. Cetera, quæ adduntur, ex ſe conſpicua ſunt, ac finem ordinis diſciplinarum patefaciunt.

Efficiens.

Diſcrimen methodi & ordinis.

Finis.

An de ratione ordinis ſit, vt ordinata referantur ad vnum primum.

Affir.

Cap. XVI.

Prima dubitatio.

Altera.

Opinio quorundam.

Ex tradita ordinis definitione duæ emergunt difficultates, accurata conſideratione dignæ: prima; an verum ſit, quod dixi, de ratione ordinis eſſe, vt ordinata ad vnum primum referantur: altera, an verum ſit, quod ordo ſumitur ex natura rerum. Vt ordiar à primo, putarunt nonnulli minime eſſe neceſſarium, vt ordinata ad vnum primum referantur: quod patere poteſt exemplo naturalis ſcientiæ, in qua philoſophus orditur à principiis, quæ non vnum, ſed tria ſunt: & in primo contextu primi phyſicorum inquit philoſophus, *primo agendum eſſe de principiis*, non autem ait de principio: ſimiliter in grammatica ea, quæ prima ſunt, & elementa dicuntur, non vnum, ſed multa ſunt: & in calce primi Poſter. manifeſtans philoſophus, quæ ſcientia debeat cenſeri vna, non per principium vnum, ſed per vnum ſubiectum eam reddi vnam affirmat, cum tamen ſcientia ſit ordo vnus: Quare in ordine compoſitiuo principium non eſt vnum, in reſolutiuo ſi finis eſt vnus, id ex euentu eſt, non autem aliquid neceſſarium ad conſtituendum ordinem.

Reiectio.

Horum ſententiam alieniſſimam à vero cenſeo: nam, vt inquit Auerr. in quinto Metaphyſicæ cont. 16. *Ordo non fit, niſi*

Digitized by Google

niſi per relationem ad aliquid primum poſitum, aut intellectum. Ariſtoteles eo in loco referens ſignificationes Prioris, & Poſterioris inquit: *Alia dicuntur Priora ordine, & ſunt ea, quæ ab aliquo vno determinato diſtant ſecundum rationem.* Aperte Ariſtoteles affirmat eſſe de ratione, & definitione ordinis relationem ad vnum: propterea in lib. duodecimo Metaphyſicæ cont. quinquageſimo ſecundo, aſſeruit in vniuerſo, cuius forma eſt ordo, cuncta eſſe ordinata ad vnum, ordo autem vniuerſi exemplar cenſeri debet cunctorum ordinum. Id ipſum ratione oſtenditur, & primo omnium conſenſione ordo includit relationem quandam poſterioris ad prius, ac inſuper receſſum quendam poſterioris à priori, qui receſſus menſuram expoſcit: de ratione autem *menſuræ eſt* (vt conſtat ex decimo Metaphyſ. cont. tertio,) *vt ſit aliquid vnum, primum, & ſimplex:* quare eſt neceſſe, vt illud quoque, à quo ſumitur menſura ordinis, ſit vnum aliquid, & primum, non autem plura & indefinita.

Præterea inquit Ariſtoteles in decimo Metaphyſicorum contextu ſeptimo: *in omni genere vnam reperiri naturam, quæ ſit menſura omnium illius generis: ſcientia ordine prædita, eſt vnum quoddam genus ſcibilium: quare neceſſe eſt vt in ea reperiatur vnum primum, quod cunctorum ſubordinatorum ſit menſura.* Præterea omnis ordo eſt ratio, vt dicitur ab Ariſtotele in octauo Phyſicorum contextu decimoquinto: *omnis ratio eſt mutua habitudo duorum inter ſe*, vt definitur ab Euclide in quinto Elementorum: *quare omnis ordo eſt mutua quædam habitudo duorum inter ſe, vt ſecundi ad primum*: eſt itaque neceſſe, vt primum ſit vnum, alioquin non eſſet vna ratio, & vnus ordo. Præterea ordinata vel ſunt finita, vel infinita: non infinita, quia in ordinatis per ſe non datur progreſſus in infinitum, vt conſtat ex octauo Phyſicorum, ordinata autem ex euentu, ad ſcientiam non pertinent: ſi itaque finita ſunt, neceſſe eſt vt primum habeant: id primum vel eſt vnum, vel plura, ſi vnum, hoc volo, ſi plura, vel ea ſunt prædita ordine inter ſe, vel non: ſi ordine ſunt prædita, non itaque omnia æque ſunt prima: ſi ordine carent, & æque ſunt prima, tunc obtinent rationem vnius, quatenus id commune habent, vt conſtituant gradum vnum, & primum. Ita ſe habent in naturali ſcientia principia prima; in grammatica elementa ea enim ſecundum rationem & formam, vnum ſunt, multa quo ad materiem, ſunt vnum quod ad gradum ordinis, plura quod ad res in eodem gradu collocatas: ita dicimus elementa gradum vnum ſimplicem, & primum conſtituere, ſyllabas ſecundum, ac ita de ceteris. Imo, dum principia corpo-

ris phyſici conſiderantur vt plura, etiam inter ſe ordinem quendam includunt, & aliqua ratione materies, alia forma prima eſt, vt ſub initio ſecundi de partibus animalium declarat philoſophus: ita conſueuit Ariſtot. primo de materie verba facere, vt de priore origine. Præterea hæc veritas conſpicua redditur inductione in ceteris generibus ordinis: nam ordo originis, dignitatis, vtilitatis, loci, numeri, magnitudinis, & demum omnis ordo vnum primum expoſcit. Quod demum patere poteſt conſiderando, à quo præſertim ſumatur ordo, & quodnam ſit verè primum, quod ordinis, & ordinatorum debeat iudicari menſura. Nam quamuis in ordine diſciplinarum conſideretur & primum in explicatione, & primum in intentione, id tamen, per quod præcipue proprieque conſtituitur ordo, finis eſt: nam finis ille eſt, per quem cuncta diriguntur, & ordinantur in illum, & fine dempto aboletur ordo, & euaneſcit: hoc nos docuit Ariſt. in ſecundo Phyſ. dum veteres damnans, qui negabant: *naturam operari propter finem*, inquit in cont. 84. *eos euertere naturam, & opera naturalia*, natura enim eſt ordo rerum, vt etiam aſſeritur tertio cœli 24 Ex quo conſtat, finem eſſe illum, à quo potiſſimum ordo petendus eſt: & cum finis ſubordinatorum, & præſertim diſciplinarum ſit vnus, conſpicuum eſt de ratione ordinis eſſe, vt cuncta referantur ad vnum. Non itaque eſt ex euentu, vt in ordine reſolutiuo primum ſit vnum, imo eſt per ſe, & potiſſimum, quia ordo, vt patuit, à fine originem recipit, qui vnus eſt: ſic in ordine reſolutiuo cuncta dicuntur ab vno fine, in compoſitiuo cuncta diriguntur ad vnum finem, & hoc eſt illud vnum, quod maxime eſt de ratione ordinis. Et hoc patefacit philoſophus frequenter in procemiis, in quibus à fine rationem ſumit ſui conſilii & ordinis. Inſuper conſtat ex conſultationibus, quibus media diriguntur: conſultationes enim fiunt ſemper præaſſumpto, & ſuppoſito fine. Hoc nouit admirabilis Galenus, qui quamuis putauerit artes triplici ordine tradi poſſe, tamen ſub initio artis medendi dixit: *ex notione finis omnes artes via quadam atque ordine conſtitui*. Conſtat itaque de ratione ordinis eſſe, vt cuncta ordinata referantur ad vnum: conſtat inſuper rationem ordinis proprie à fine petendam eſſe, quamuis non ſemper ordiamur à fine: conſtat demum & primum origine, & primum conſilio ac inſtituto, quod finis eſt, debere eſſe vnum. Rationes aduerſæ per dicta euerſæ & ſolutæ ſunt, ſola remanet diluenda ratio poſtrema, quæ ſumebatur ex auctoritate Ariſtot. in calce primi Poſt. At ea profecto ad rem non facit: loquitur tunc Philoſophus de requiſitis ad id, vt ſcientia ſit vna, non de requiſitis ad ordinem: quamuis enim omnis ſcientia ſit quidam ordo, & ſcientia vna ſit ordo vnus, vnitas tamen ſcientiæ, vt ſcientia,

Quid ſit primũ per quod ordo conſtituitur.

Refutatio obiectionis.

entia, & vt ordo, diſtincta ſunt: dum enim conſideratur vt ſcientia, ſic eſt ipſum ſcibile per repræſentationem; dum autem conſideratur vt ordo vnus, ita expoſcit vt ex vno principio ad vnum finem progrediatur. Poteſt profecto, vt dixi, ſcientia vna eſſe prędita principiis pluribus, cum primis, tum non primis: ea tamen prima, dum gradum primum ordinis conſtituunt, obtinent rationem vnius, vt patuit, & finis, ad quem vltimo ordinata referuntur, ſemper vnus eſt.

An ordo petatur ex natura rei, vel potius ex noſtro cognoſcendi modo, opinio aliorum. CAP. XVII.

CVM detur methodus, & ordo diſciplinarum, de methodo conſentiunt omnes quod ſit petenda ex noſtro cognoſcendi modo; de ea enim manifeſte dixit philoſophus in proœmio Phyſicorum: *inſitam nobis natura eſſe viam a notioribus nobis,* id ipſum frequenter alibi confirmat: cuius ſententiæ conſpicua eſt ratio In methodo enim vnum per aliud declarandum proponitur: id, quod eſt declarandum, quatenus declarandum, eſt obſcurum, & latet, alioquin declaratione non egeret: id autem, per quod declaratur, cum nos, qui methodo vtimur, illi ſimus, qui addiſcere debemus, ſi fuerit vel nobis concluſione obſcurius, vel æque obſcurum, non poterit nobis eam illuſtrare: quare (ne inanis ſit methodus) eſt neceſſe, vt per nobis notiora nos deducat. De ordine non ita conſtat, petendus ne ſit ex natura rei, nec potius ex noſtro cognoſcendi modo. Exiſtimarũt nonnulli, vt methodum, ita ordinem menſuram recipere ex noſtro cognoſcendi modo: quod videtur poſſe oſtendi auctoritate & ratione. Auctoritate, quia Ariſtot ſub initio primi phyſicorum inquit: *Principia primo eſſe declaranda*: afferens rationem ordinis, ait, quia abſque eorum notitia cetera cognoſcere non valemus: & ſub initio quinti Metaph. inquit: *non ſemper in ſcientiis principium rei eſſe principium cognitionis, ſed id, vnde facilius quis addiſcit*: & in primo moralium Nic. cap. 4 idipſum affirmat, auctoritateque Platonis confirmat. Ideo Ariſtot. frequenter, relicto ordine naturæ, ordinem cognitionis ſequitur: vt relationem prius, quam qualitatem declarauit in prædicamentis: in ſecundo de anima non à tactu origine priore, ſed à viſu orſus eſt: ſimiliter libros de animalibus prætulit libris de plantis, & partes hominis prius explicauit, quam partes ceterorum animalium, non aliam ob cauſam, quam ob noſtrum cognoſcendi modum, vt patet ex primo de hiſt. animalium c. 7 & ſecundo de partibus ca. 10. Id ipſum oſtendi poſſet rationibus, quarum vis in hac vna breuiſſime includitur. Si ordo ſumendus eſſet ex natura rei: quia ordo naturæ rerum duplex eſt: nam cum ſimplicia, tum compoſita, aliqua

Methodus cur ſumatur ex noſtro modo cognoſcendi.

An ordo ſumatur ex natura rerum.

Ordinem eſſe petendum ex noſtro modo cognoſcendi.

Auctoritas.
Ratio.

Digitized by Google

ratione dicuntur natura priora, tunc vel vnus, vel alter, vel vterque ſeruari poſſet ordo, ſi ſeruandus eſſet ordo naturæ, qui eſt à ſimplicioribus, ſolum daretur ordo compoſitiuus, ſi à compoſitis, ſolum reſolutiuus, ſi ab vtriſque ſeruari poſſet, tunc ordo ex natura rei incertus & indefinitus eſſet, & propterea debet dari regula, per quam potius ab vno quam ab altero ordiamur, & quia ea regula ex parte naturæ rerum eſt incerta, ideo eſt neceſſe, vt ſumatur ex noſtro modo cognoſcendi, & dicamus vel ab vno vel ab altero eſſe ordiendum, quia ſic melius & facilius res explicantur & cognoſcuntur à nobis. Ex quo conſtat, vt methodum, ita ordinem ſumendum eſſe ex noſtro modo cognoſcendi: methodum quidem ex modo cognoſcendi cõfuſe, ordinem vero ex modo cognoſcendi diſtincte. Quod ſi dicitur ordinem ſumi ex natura rerum, id debet intelligi non ex natura rerum abſolute, ſed vt cognoſcendarum à nobis.

Euerſio relatæ opinionis, & comprobatio verioris.

Cap. XVIII.

Ordinem ex rerum natura petendum.

FRequenter Ariſto. aliique ſapientiæ principes aſſerunt ſcientiarum ordinem ex natura eſſe petendum, ac naturæ rerum debere eſſe conſentaneum. Legitur enim in principio lib. Elenchorum: De ſophiſticis autem redargutionibus, & de iis, quæ videntur redargutiones, ſunt autem captioſæ ratiocinationes, at non redargutiones, dicamus oportet, incipientes ſecundum naturam à primis. Et in tertio rhetor. inquit philoſophus: *ac primo quidem vt ordo natura poſtulat, quæſitum eſt id, quod reipſa primum erat*. Id ipſum patefacit in primo phyſ. 57. inquiens: *Eſt enim ſecundum naturam, vt communia primo dicamus, mox de vnoquoque propria ſpeculemur*. Manifeſte his locis aſſerit philoſophus ordinem à natura rerum eſſe petendum: ideo ſæpe abſolute inquit ordiẽdum eſſe à primis, & quæ ſui natura ſunt prima, primo eſſe declarãda. Hoc patet ex principio lib. de ſenſu & ſenſili, quo loci legitur. Quæ igitur dicta ſunt de anima, ſubiiciantur, de reliquis autem dicamus, & primum de primis. Clarius in 2. de gen. animalium cap. 4. ait: *nunc à primis ordiendum eſt, prima autem ſunt perfecta, eiuſmodi ſunt, quæ animal generant, eorumque primum homo, &c.* Adhuc lucidius in 2. de anima cont. 34. eandem veritatem proferens inquit. *quare primum de alimento, & generatione dicendum eſt: nutriendi enim facultas & aliis ineſt, & prima eſt, & maxime communis potentia animæ, per quam ineſt viuere omnibus, &c.* Ex rerum itaque natura Ariſt. ordinem, ordiniſque rationem petendam aſſerit. Hinc frequenter ordo ab eo dicitur natura rerum, & qui ordinem euertit, euertere dicitur naturam, vt conſtat ex 2. phyſ. 84. 8. Phyſ. 15. 3. cœli 24. adeo vt diſci-

Auctoritates.

Digitized by Google

vt diſciplinæ, quarum ordo non reſpondet naturæ rerum, præter naturam debeant iudicari diſpoſitæ, non ſecus ac ſi ſtatuarius, ſtatuam Cæſaris formaturus, partes eius ſecus ordinaret, ac in Cæſare per naturam ordinatæ inſpiciantur. Hæc veritas rationi quoque eſt conſentanea: cum enim ſcientiæ per repræſentationem, & in eſſe cognito ſint res, quarum ſunt ſcientiæ, eſt etiam neceſſe, vt in diſtributione partium, & ordine, naturam rerum æmulentur, præſertim, quia ordo eſt natura rerum, vt dictum eſt. Ratio enim diſtinctionis methodi & ordinis, quod methodus reſpondeat noſtro cognoſcendi modo, non autem ordo, ſatis eſt conſpicua: in methodo enim per vnum declaramus, & cognoſcimus aliud: de ordine ſecus ſe habet, non vnum in eo per aliud, ſed vnum poſt aliud explicamus, & ſi eueniat vt vnum conducat cognitioni alterius, id ex euentu eſt, non quia id ſit de ratione ordinis: imo in ordine ſi vnum eſt neceſſarium pro notitia alterius, id potius ei competit, vt conuenit cum methodo, & includit quandam methodi rationem, quam vt à methodo contra diſtinguitur: veluti dum euenit, vt primo principia explicemus, vel ab eis ordiamur, quæ nobis ſunt notiora. In ordine igitur, vt ordo eſt, naturam ſequimur & æmulamur. Quod manifeſte patet, quia prima & ſimpliciſſima primo declarantur: vt patet de prima materie, & forma vniuerſe ſumta, quæ in phyſicis primo declarantur, quamuis nobis ſint vltima & obſcura, vt dicitur in 2. cont. primi phyſic. Hinc etiam euenit, vt in Logica non ita pertinentia ad ordinem, vt pertinentia ad methodum explicentur: ordo enim ex natura rerum deſumitur, & propterea non ita ſubiicitur arti. Inſuper quia in rerum natura duplex reperitur ordo, vnus compoſitioni, alter reſolutioni reſpondens: & duplex datur natura primum, vnum appetitione, alterum origine: inde iure optimo ex naturæ fontibus duplex manat genus ordinis, compoſitio nempe, & reſolutio, vt latius infra patebit. Confirmantur hæc omnia, quia metaphyſica, cum ſit de his, quæ abſolute ſunt prima, abſolute dicitur prima philoſophia: ordo enim vel eſt talis abſolute, vel per relationem ad nos, ordo abſolute talis, ſemper reſpondet naturæ rerum, alter vero noſtro modo cognoſcendi: at dum abſolute loquimur, denotamus id, quod abſolute eſt tale. Propterea qui inquiunt ordinem reſpondere naturæ rerum, recte loquuntur, errant autem, qui ſecus ſentiunt: id enim, quod nobis competit ob imbecillitatem, eſt ex euentu, ideo quamuis nos non à metaphyſica ordiamur, non propterea deſinit eſſe abſolute prima. Propterea loquendo de ſenſibus, illi qui auſpicantur à viſu, vt Ariſtot. poſt viſum declarant auditum, tertio odoratum, quarto guſtatum, vltimo tactum. Qui vero auſpicantur

Ratio prima.

Secunda ratio.

Cur logicus practica le ordine d cat.

Confirmatio.

Alia confirmatio.

Alia confirmatio.

Digitized by Google

à tactu, vt Plato in Timæo & Auicenna in ſexto naturalium, primo tactum, ſecundo guſtatum, tertio odoratum, quarto auditum, vltimo viſum declarant. Huius ordinis inter quinque ſenſus quam rationem valemus afferre præter naturam rerum conſideratam, vel ſecundum originem, vel ſecundum perfectionem? Nam ſi primo viſum, ſecundo odoratum, vel ſi primo tactum, ſecundo auditum declaraſſent, omnes aſſeruiſſent deprauatum fuiſſe ordinem: nec profecto alia de cauſſa, niſi quia non ita natura iuncti, ordinatique eſſent ſenſus. Et hoc confirmatur: quia quamuis odoratus hominis ſit obſcurior guſtatu, cum homo obſcure & diminute olfaciat, vt dicitur in ſecundo de anima, immo cum cognoſcantur odores per ſapores, tamen Ariſtot. ne deſerat ordinem inſtituti naturæ, quem tunc imitabatur, prius de odoratu, quam de guſtatu voluit verba facere. Colligamus itaque, abſolutum ordinem rectamque ordinis rationem petendam eſſe ex natura rerum: ac dum naturæ ordinem ob aliquam occaſionem deſerimus, dicimur tunc ob eam occaſionem prætermiſiſſe abſolutum ordinem. Ex his conſtat male Auerroem, & aſſeclas eius in procemio phyſicorum, ex ea methodo tradita in 2. contextu: (inſita nobis via eſt ex notioribus nobis ad notiora natura, &c.) colligere pertinentia ad ordinem, cum in ordine contra ſe habeat, & à natura primis ordiamur, vt fecit Ariſt in primo phyſicorum. Conſtat inſuper minus recte eoſdem ſentire, dum cauſam tradentes, ob quam cõmuniora primo ſunt explicanda, inquiunt id fieri, quia nobis ſunt notiora: quæ cauſa per ſe vera eſt de methodo, de ordine autem nequaquam, niſi aliquando ex euentu: ſimpliciſſima enim principia, quæ in ſcientiis primo declarantur, remotiſſima ſunt à nobis. Simpliciora autem, & prima primo ſunt declaranda, duas præſertim ob cauſſas ab Ariſtot. traditas. Quarum prima eſt, quia ſunt natura priora, vt diciturin primo phyſ. 57. Altera ex hac prima prodiens eſt, quia ſine illis cetera cognoſci non poſſunt, vt dicitur ſub initio primi phyſ. & in ſexto topic. cap. 3. Quia enim ita per naturam ſunt ordinata, ita quoque diſtribuenda & cognoſcẽda à nobis ſunt. Conſtat itaque methodum reſpondere noſtro modo cognoſcendi, ordinem vero reſpondere naturæ rerum: nec ſecus dicere valemus. Cum enim methodus nos ducat per nobis notiora ad notiora natura in explicandis principiis, & ob id dicatur reſpondere noſtro modo cognoſcendi: ordo, qui contra à primis principiis initium recipit, oppoſitis illis, quæ ſunt prima nobis, eſt neceſſe, vt minime ex noſtro cognoſcendi modo, ſed potius ex rei natura recte deſumi dicatur, hanc veritatem cõſpicue approbauit Auer. diſp. 3. in ſol 18.d nquiens: *ordo rerum ſequitur ordinem intelligentiarum ſeparatarum*, ſed ordo noſtri intellectus

Alia confirmatio.

Concluſio dictorum.

Damnatur Auer. 1.

Secundo.

Cur ſimpliciora & prima primo declaranda.

Digitized by Google

ctus ſequitur ordinem rerum. Galenus quoque in ſexto de decretis cap. 5. conſtanter id ipſum affirmat & inquit: *ſtultum eſſe velle aliud natura rei, aliud doctrina inuenire principium*, mitto viros alios præclaros eandem veritatem enunciantes & approbantes, ne in re conſpicua latius morer.

Euertuntur euaſiones, & rationes aduerſa.

Cap. XIX.

VT aduerſa opinio approbanda non eſt, ita leues cenſeri debent cum euaſiones, tum rationes, quibus niti & defendi poſſe videtur. Nam dicet forte quiſpiam, ordinē ſumi ex noſtro modo cognoſcendi diſtincte, methodum vero ex modo cognoſcendi confuſe: quæ ſententia nulla ex parte vera eſt. Primo methodos non ſumitur ex modo noſtro cognoſcendi confuſe, ſed abſolute ex nobis notioribus: quoniam nōnunquam in methodo progredimur per ea, quæ diſtincte ſunt nobis nota, vt in formanda oſtenſione per cauſſam. Inſuper non recte dicitur ordinem ſumi ex noſtro modo cognoſcēdi diſtincte: quia dum ob noſtrum cognoſcendi modum cogimur deſerere ordinem naturæ, tunc ille eſt modus cognitionis confuſæ, nō diſtinctæ, vt euenit, dum ob imbecillitatem ingenii noſtri primo nauamus operam naturali philoſophiæ, mox metaphyſicæ. Inſuper progredi per ea, quæ abſolute & diſtincta notitia ſunt priora & notiora, non eſt ſequi noſtrum modum cognoſcendi, ſed eſt ſequi naturam, imitari illam, cum eaque conformari: dum enim fit mentio de noſtro modo cognoſcēdi, proculdubio ille denotatur, qui contra diſtinguitur à priore & notiore natura, & refertur ad id, quod magis ſenſu vſurpatur, ac ſub ſenſum cadit: quod autem ſui natura primū eſt, nūquam dicitur primum quod ad noſtrum modum cognoſcendi, niſi ex euentu. Neque etiam recte dicitur ordinem ſumi ex natura rerum, vt cognoſcendarum à nobis. Primo, quia aliud eſt dicere ordinem ſumi ex noſtro modo cognoſcendi, & ſumi ex natura rerum vt cognoſcendarum: iam enim patuit, quid denotetur per noſtrum modum cognoſcēdi, & quomodo ſit diſtinctus ab ordine naturæ, vt docuit Ariſtoteles in ſecundo cont. procœmii phyſicorum inquiens: *non eadem eſſe nobis & natura priora & notiora.* Inſuper reduplicatio, quæ denotat per ſe, & primum, non debet cadere ſupra noſtram cognitionem, ſed ſupra naturæ ordinem: recte enim loquimur, ſi dicimus ordinem diſciplinæ ſumi ex rebus, vt per naturam ordinatæ ſunt: menſura enim ex natura ſumitur, non ex noſtro cognoſcendi modo. At perpendamus, quanti fieri debeant aduerſæ rationes. Dicebatur primo, principia & communia primo eſſe declarādo: quia per illa cognoſcuntur alia: quare ratio ordinis ſumitur ex noſtro modo cognoſcendi. Hæc ratio leuiſſima eſt: primo, quia

Reiicitur prima ſolutio.

Reiicitur altera.

Solutio aduerſarum rationum.

Sol. 1.

Digitized by Google

ea nõ eſt vniuerſa, & adæquata ratio ordinis, ſed partis eius: multa enim primo ſunt declaranda, non quia ſint principia ſequentium, ſed quia ſic per naturam ſunt ordinata, vt patet de anima nutriẽte comparata cum ſentiẽte, de ſenſu odoratus comparato cum guſtatu, de variis affectionib. viuentium, & aliis innumeris. Secundo ea nõ eſt ratio principalis: nam potiſſima ratio eſt, quia eſt natura primũ, vt frequenter inquit Philoſophus: ex hac principali ratione manat altera, quod cetera ſine illis cognoſci non poſſint: nam interrogati, cur ſine notitia principiorum, & communium cetera exacte cognoſci non poſſint, reſpondemus cum Ariſtotele, quia res, vt ſe habent ad eſſe, ita ad cognitionem, non autem contra, vt aſſeritur in ſecundo metaphyſicæ. Hinc euenit, vt quamuis Ariſtoteles in tertio phyſ. dicat: *ignorato motu ignorare naturam*: non propterea primo agat de motu, ſed ſecundo loco, quia quo ad naturam & abſolute poſterior eſt. Tertio, ea non eſt ratio propria ordinis, ſed methodi, vel ordinis, vt conuenit cum methodo: dum enim conſideramus, vt per vnum cognoſcitur aliud, tunc non ordinis, vt ordo eſt, ſed methodi conditionem inſpicimus. Demum, quod ordo etiam cõducat noſtræ cognitioni, nemo inficiatur, at non ob id dicitur elici ex noſtro cognoſcendi modo, ſed vice verſa noſtra abſoluta cognitio dicitur ſequi & imitari naturam: quia enim res per naturam ita ſe habent, ideo ſic ſe habere debẽt in abſoluta earum cognitione, neque etiam hic eſſe dicitur noſter cognoſcendi modus contra diſtinctus à priori & notiori natura. Addebatur auctoritas ex quinto metaphyſicæ cont. 1. necnon ex primo moralium c. 4. quę ad rem non faciunt, & noſtræ potius, quam aduerſæ opinioni fauent: loquitur enim Philoſophus in eis locis de methodo, nõ de ordine, vt aperte patet accurate verba conſiderantibus: nã dum Philoſophus inquit ex nobis notioribus eſſe progrediendum, ſemper de methodo loquitur, non de ordine, vt cõſtat ex 2. cont. 1. phyſicorum, & latius ex 10. cont. ſeptimi metaphyſic. hinc recte Alexander locum illum quinti metaphyſicæ retulit ad viam ſiue methodum, non ad ordinem. At dicet forte quiſpiam, Ariſtotelem in primo moralium Nicomach. capit. quarto non potuiſſe de methodo loqui, quoniam in cap. præcedente dixerat ſe non vſurum demonſtrationibus, ſed tãtum rationibus communibus & popularibus: ideo ambigere non poterat de ſpecie demonſtrationis, qua eſſet vſurus. Facile eſt reſpondere: nam primo retorqueo argumentum, & dico Ariſtotelem non potuiſſe dubitare de ordine, quia iam ordini reſolutiuo dederat principium: iam finem, nempe ſummum bonum, declarandum aſſumpſerat, comprobauerat dari, & oſtenderat à ciuili eſſe conſiderandum. Inſuper falſum eſt, quod non potuerit dubitare de methodo

Obiectio ſeu inſtantia.

Solutio per retorſionem explicatur locus in 1. moralium.

methodo: non enim aſſeruerat ſe non vſurum rationibus, ſed non vſurum exactis & certis, quales ſunt oſtenſiones mathematicæ, ideo in eo cap. id ipſum confirmans, ait per nobis notiora eſſe progrediendum: nomen enim methodi latum eſt, nõ enim ſolum dicitur de exactis oſtenſionibus: hinc Auerr. in procemio primi phyſicorum multiplicem ponit viam diſciplinæ. Et demum quod Ariſtot. de methodo loquatur, aperte conſtat, ſi verba eius conſideramus, inquit enim: Sed hoc ignorare non debemus, quod differunt rationes, græce λόγοι, quæ à principiis proficiſcuntur, & quæ ad principia ducunt: recte enim etiã Plato de hoc dubitabat & quærebat, vtrum via propoſita ſit nobis à principiis ad fines, an à finibus ad principia, velut in ſtadio, vtrum ab iis, qui præmia proponunt, ad calcem, an contra. Initium enim ab iis, quæ nota ſunt, ſumendum eſt; hæc autem dicuntur duobus modis, alia enim nobis, alia abſolute nota ſunt: fortaſſe igitur nobis initium ab iis ſumendum eſt, quæ ſunt nobis nota, & cetera. Aperte philoſophus de methodo loquitur, non de ordine: nedum quia aperte mentionem facit de via & λόγοις, hoc eſt, rationibus, quæ methodum ſignificant, non ordinem: verum inſuper, quia ponit duplex notius, & nobis, & natura, inquiens nos debere exordiri à notioribus nobis, contra diſtinctis à notioribus natura, quod de ſola methodo, non de ordine verum eſt: nam in ordine initium ſumimus à primis natura, non nobis, vt frequenter affirmat philoſophus, & confitentur illi, qui ſunt aduerſæ opinionis, cum dicant in ordine nos ſequi noſtrum modum cognoſcendi diſtincte. Præterea addit ibi philoſophus: *Quocirca qui de rebus ciuilibus vtiliter auditurus eſt, cum oportet bene educatum, beneque moratum eſſe: ſatis eſt enim ſcire rem ita eſſe, quod ſi ſit conſpicuum, cur ita ſit, non magnopere deſiderabitur; homo enim eiuſmodi aut iam tenet principia, aut ea facile percipere, & tenere poteſt: cui autem neutrum horum ſuppetit, audiat Heſiodi verſus, &c.* Hæc omnia, vt etiam verſus Heſiodi qui referuntur, tam aperte conueniunt methodo, & ab ordine diſſident, vt nil clarius dici poſſit: recta enim iuuenum educatio, congruenſque aſſuetudo, nequaquam ordini, ſed ſolum facili apprehenſioni & aſſenſioni conducunt. Conſtat itaque de methodo Ariſtotelem loqui, dum ait à nobis notioribus ad notiora natura eſſe progrediendum. Et quicunque locum illum exponunt de ordine, ſimul Ariſtoteli, rationi, & ſibimet apertiſſime aduerſantur: nam Ariſtoteles tunc ait: *progrediendum per nobis prima & nota contra diſtincta a primis natura & abſoluto*: at hoc eſt verum de methodo & cognitione confuſa, non de ordine, cum ordo concedentibus illis reſpondeat noſtro modo cognoſcendi diſtincte. At addebatur, Ariſtotelem ſæpe,

Diluitur altera ratio.

dimiſſo naturæ ordine ſequi noſtrum modum cognoſcendi. Reſpondeo id fieri raro ex euentu, dumque ordo nõ eſt neceſſarius, & tunc ille non eſt rectus ordo abſolute, ſed ordinis prętermiſſio ob aliquam occaſionem. Ita Ariſt. quia inter ſenſus ordo non eſt neceſſarius, orſus eſt à viſu: quod cum fecerit, etiam naturam eſt ſequutus, quoniã viſus natura primus eſt, vt dicitur in 2. de ortu & interitu cont. 7. eſt enim præſtantior ceteris, præſtãtius autem eſt natura prius, vt dicitur in 8. phyſicorũ. & ſumto primo ſenſu ceteri eo ordine explicantur, vt per naturam ſunt diſpoſiti. At afferebatur ratio, quæ magni videbatur momenti: cum enim ordo naturæ ſit duplex, & vterque ſeruari poſſit, danda eſt menſura, ex qua ſumatur ratio, cur potius vnũ quam alterum eligamus. Reſpondens primo reflecto argumentum. Nam ſi ordo ſumendus eſſet ex noſtro cognoſcẽdi modo: quia nota nobis ſunt duplicia, vel notitia confuſa vel diſtincta, & nonnunquam ordimur a primo notis confuſe, vt dũ a phyſicis ad metaphyſica progredimur, nonnunquam à primo notis diſtincte, vt dum ordimur a principiis, ordo ſimiliter erit incertus: & inprimis hoc coguntur fateri illi, qui inquiunt, Ariſtotelem in 1. moralium fuiſſe loquutum de ordine: nam aperte ibi ait eſſe progrediendum a notis nobis, & accipit nota nobis, vt contra diſtincta à notis natura. Inſuper alio modo reflecto argumẽtum: quia ſi ſequimur noſtrum cognoſcẽdi modum, & duo occurrant declaranda æque ignota, nec vnũ cõducat cognitioni alterius, nulla dabitur regula, ob quam vnum alteri præferre debeamus, niſi ad naturam conuertamur, eamque ſequamur. Reſpondens tamen rationi, vt mihi aduerſari videtur: dum dicitur natura priora eſſe duplicia, concedo, & dico ob id vtrumque ordinem ſeruari poſſe. Natura n. cõſideratur vel vt componens, vel vt expetens & reſoluens: nos imitantes naturam, ſi volumus vti cõpoſitione, ſequimur naturam componentem, ſi reſolutione, ſequimur eam quod ad intẽtionem & reſoluentem: ac ita ſemper naturam ſequimur. Quod autem vno, vel altero ordine vtamur, id euenit vel ex varietate rerum de quibus loquimur, vel ex varietate inſtituti noſtri, & variarum opportunitatum: eo enim ordine vtimur, qui rei, de qua eſt ſermo, & noſtro inſtituto eſt accommodatior: quouis tamen vtamur, ſemper ordimur à natura primis, & conſtituto primo ſequimur in ceteris naturam, & cõditionem rerum. Colligamus itaque ordinem eſſe duplicem, vnum neceſſarium, qui ſemper reſpondet naturæ, alterum nõ neceſſarium, qui ob opportunitates varias, ob difficultatem, ob noſtrum cognoſcendi modum variatur, nec ſemper naturæ reſpondet: id tamen eſt raro, & ex euentu, quod conſiderari nõ debet. Veluti Ariſtoteles in declarandis partibus animalium carentibus neceſſario ordine, modo orditur à partibus

Diluitur ratio poſtrema, 1. per reflexionem duplicem.

2. Per conceſſionem ex diſtinctione.

Concluſio dictorum.

tibus hominis, vt in 1. de hiſtoria cap. 6. modo nouiſſime agit de attinentibus ad hominem, quia maiorem expoſcunt conſiderationem, vt aſſeritur ſub initio 3. de hiſtoria: & in 7. Metaphyſicæ cont. 9. ob eandem rationem ait ſe primo de forma diſſerere. Inſuper in 2. de partibus cap. 10. inquit: *tum quia homo omnium animalium maxime diuinitatis eſt particeps, tum inſuper quia externarum partium eius forma eſt notiſſima, primum de homine diſſerendum cenſemus, &c.* Indicat Ariſtoteles ordinem minime eſſe neceſſarium, non enim partes hominis, & iumentorum per naturam ſunt ordinatæ: ideo ob varias opportunitates modo ab vno, modo ab altero orditur. Nec dicit philoſophus partes hominis prius eſſe declarandas ſolum, quia ſint notiores, verum inſuper quia homo eſt præſtantior, præſtantius autem eſt natura prius, vt dicitur in 8. phyſ. & 2. cœli.

Duo ſolum, non tria eſſe genera ordinis. CAP. XX.

CVm apparuerit ordinem ex natura rerum eſſe petendum, quot ſunt genera ordinis conſiderandum occurrit. Medici Galenum ſequuti in principio artis medendi triplicem ponunt docendi ordinem, compoſitiuum, reſolutiuum, & definitiuum: cuius numeri varii variam tradunt rationem. Nonnulli inquiunt, ordinem eſſe aut vnius ad vnum, aut multorum ad vnum: ſi vnius ad vnum, vel eſſe prioris ad poſterius, & eſt compoſitio, vel poſterioris ad prius, & eſt reſolutio: ſi eſt multorum ad vnum, eſt ordo definitiuus. Alii inquiunt ordinem exigere, vt omnia referantur ad vnum; quod vel eſt principium, & oritur compoſitio, vel finis, & oritur reſolutio, vel medium, quaſi centrum quod definitur, à quo omnia tanquam lineæ à centro ducuntur, & oritur ordo definitiuus. Non deſunt, qui inquiunt, ordinem eſſe duplicem, vel á communibus, vel à propriis: qui eſt à communibus, eſt duplex, vel compoſitiuus, vel definitiuus, á propriis vero eſt reſolutiuus. Demum inquiunt alii ordinem eſſe vel definitiuum, dum artem quam tractamus, definimus, & ex definitione per gradus omnes cauſſas, differentias, & accidentia deducimus: vel eſſe compoſitiuum, dum à principiis internis ad externa, & inde ad prædita principiis progredimur: vel reſolutiuum, dum ab vltimis cauſſis ad primas eleuamur: ac vtrumque horum aſſerunt poſtea deſcendere ad effecta, & oſtendere ea explicatis principiis eſſe conſentanea. Nam ab effectis ad principia aſcendere, non eſt munus ordinis docendi, ſed methodi, ac noſtræ inuentionis proprium. Hæc ſunt capita eorum, quæ dicuntur ab aliis. Verum quicquid fiat de lite inter eos, de eo tantum loquar, de quo conueniunt, & quod pertinet ad rem noſtram. Triplex illud ordinis genus profecto nec ſententiæ Pla-

Triplicis ordinis ratio prima.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Euertitur diuiſio ordinis in tria membra.

Digitized by Google

tonis,nec verbis Ariſtot.nec rationi eſt conſentaneum. Non rationi: quoniam ordo diſciplinarum debet reſpondere ordini naturæ, vt in præcedentibus pateſeci, ordo autem naturæ non triplex,ſed duplex ſolum eſt,vnus conſtitutionis,alter appetitionis ſiue inſtituti: quare non triplex,ſed duplex eſt ordo. Præterea, quia ordo expoſcit vnum primum,vt pateſeci, in natura non triplex, ſed duplex primum repetitur, vnum originis, alterum intentionis. Inſuper in vniuerſo conſideratur vel ordo rerum à primo principio pendentium, compoſitionem ſeruans, vel ordo earundem in primum principium redeuntium, præ ſe ferens reſolutionem. Præterea,ſi ad rerum cauſſas conuertimur, occurrit ordo inter cauſſas externas & internas, in ordine enim ſemper á cauſſis ordimur: progrediendo á cauſſis internis ad externas oritur compoſitio, ab externis vero & maxime à fine, ad internas oritur reſolutio. Præterea,ſi noſtrum cognoſcendi modum conſideramus nos in methodo,quæ ordini proportione quadam reſpondet, vel à primis ordimur progrediendo ad vltima, vel contra, vt in 1. moralium Nicomachiorum cap. 4. dixit Ariſtoteles: *quare etiam in ordine vel à primo, vel ab vltimo ordimur*: duo enim ſoli,& non plures, nobis ſe offerunt termini, à quibus ordiri valemus. At inquiunt nos poſſe ordiri à medio,vt in ordine definitiuo. Verum hoc nihil eſt: primo, quia medium expoſcit aliquid prius & aliquid poſterius, quare ſi à medio ordimur, modo aſcendere, modo deſcendere,modo componere, modo reſoluere dicemur: quare ea erit non ordo, ſed confuſio ordinum & permiſtio. Præterea medium in ordine definitiuo inquiunt eſſe definitionem artis ſiue ſcientiæ, definitio eſt eadem cum definito, quare definitio artis eſt eadem cum arte: dum accipitur ars tota, & reſoluitur in attinentia ad illam, ea eſt reſolutio: vt etiam definitio eſt reſolutio, veluti inquit Ariſtot. in procemio phyſic. cont. 5. *definitio enim dicitur reſoluere definitum in ſingula*, hoc eſt, in ſimplicia & diſtincta principia: imo dum ars definitur, vt attinentia ad eam inueniantur & explicentur, præſertim definitur, vt conſtet id in quo verſatur, & finis eius, ex quo deinde reſolutionis occaſio deſumatur: cum itaque definitio ſit reſolutio, dicere dari ordinem definitiuum & reſolutiuum, eſt repetere inutiliter idem. Imo hoc veteres quoque medicos nouiſſe exiſtimo, nam Galenus ſub initio artis medendi inquit: *Licet autem huiuſmodi doctrinam appellare non tantum definitionis diſſolutionem, ſed & explicationem, vel reſolutionem, vel diuiſionem, vel explanationem*, vt nonnulli appellarunt. Ex quo conſtat etiam ab aliis fuiſſe dictam reſolutionem. Præterea nos in diſciplinis vel progredimur inueniendo, vel addiſcendo ab aliis, ſiue inuenta docendo, ac diſtribuendo: in inuentione præſer-

tim

Digitized by Google

tim vtimur reſolutione, quia vltima nobis primo occurrunt: in ſcientiarum diſtributione & doctrina præſertim vtimur compoſitione, manifeſtantes quomodo res fiant, & ex principiis prodeant. Inſuper, vt docet Ariſtoteles in calce 2. phyſicorum in 7. metaph. cont. 23. & frequenter alibi, *duplex conſideratur ordo, vnus in appetitione & cognitione, alter in rerum productione: primus eſt cum reſolutione, alter cum compoſitione: ita primum, quod optamus, eſt vltimum, quod efficimus.* Demum hoc aperte oſtenditur per id, quod in præcedentibus patefeci, nempe quod omnis ordo, ordiniſque ratio à fine petenda ſit: & quoniam ad finem cetera referri poſſunt, tantum duplici modo, vel recedendo ab eo, vel ad illum progrediendo, iure colligere debemus duos tantum, non tres debere ſtatui ordines. Quod confirmatur auctoritate, & primo Ariſtotelis: qui naturam imitatus in tradendis ſcientiis, & explicandis partibus philoſophiæ, vel inſtrumentis earum ſolum duplicem ſeruauit ordinem, non triplicem, vt conſideranti libros eius redditur manifeſtum: & de ordine loquens ſolum de duplici mentionem fecit, nam in 1. de partibus animalium ſub initio inquit. *Quam ob rem, quo nam modo tractandum ſit, latere non debet, vtrum inquam communiter primum per generis complexionem, poſt vero res proprias conſiderare oporteat, an protinus quaque perſequi ſingulatim rectius eſt: non enim de re hac adhuc præfinitum eſt, &c.* Quibus verbis duplicem indicauit ordinem: nam ordientes á ſingulis, quodam modo à fine ordiri dicimur. Inſuper eodem capit inquit: *Latere autem ne illud quidem oportet, an ita agendum, quemadmodum priores auctores, qui, quomodo res quæque fieret, quam quomodo eſſet, tractare maluerunt: non enim inter hæc parum intereſt, &c.* Nam dum conſideramus, quomodo res fiant, oritur ordo compoſitiuus, ſi quomodo ſint, ordimur á fine, qui primo nobis occurrit, & oritur ordo reſolutiuus. Ita in proœmio de anima cont 9. quærebat, *vtrum à partibus ad totum, an à toto ad partes ſit progrediendum.* Et in 5. metaphyſic. cont. decimo ſexto manifeſtat, *& totum partibus, & partes toto diſtincta ratione priores eſſe: totum enim obtinet locum forma, quæ finis eſt.* Plato quoque ſolum duplicem patefecit dari ordinem: & quoniam inuentionem præcipue conſiderabat, eique nauabat operam, ideo maxime commendabat reſolutionem, ac frequenter de rerum á primis principiis emanatione, earumque in principia illa reſolutione mentionem facit, & in Epiſtol. 6. quæ eſt ad propinquos Dionis, *ait eſſe progrediendum à nomine, tanquam toto quodam confuſo ad rationem: à ratione ad ſimulacrum, à ſimulacro ad ſcientiam, à ſcientia ad ideam:* hæc autem eſt reſolutio quædam, *Plato.*

Digitized by Google

quæ vna cum compoſitione & in methodo, & in ordine conſiderari poteſt: vt enim ordo omnis, ita omnis methodus vel compoſitionis, vel reſolutionis conditionem ſeruat, quamuis modo vario. Similiter in Philebo inquit Plato: *quod cum ex vno & multis, ſeu infinito & termino res conſtent, ex eo oriuntur diſputationes & errores, quoniam nunc in vnum nunc in multitudinem inclinamus:* quem errorem vitare poſſumus, & ſcientias aſſequi, ſi recte diuidendo procedimus, inuenientes primo communiſſimam ideam, ſecundo deſcendendo per intermedia, poſtrema quæ ſunt infinita derelinquentes, per quæ ordinem compoſitiuum patefacit. De ordine definitiuo nec Ariſt. nec Plato vnquam fecere mentionem. Iure itaque ego per multos annos publice docens frequenter aſſerui, rationibuſque patefeci, ſolum duplicem, non triplicem dari ordinem. Et varii mei auditores publice differentes veritatem hanc proponere, ac tueri non ſunt veriti, & præſertim CLARISS. THOMAS CONTARENVS, illuſtris M. ANTONII filius, ſapientia, prudentia, probitateque inſignis libro 1 de humana tranquillitate cap. 7. vt interim alios ſilentio prætereeam. Imo cum Euſtr. in 1. de moribus dicat *Ariſtotelem ſeruare ordinem reſolutiuum ſimilem definitiuo*, duo indicat: primo duos tantum eſſe ordines, ſecundo definitiuum ad reſolutiuum redigi. Oritur tamen dubitatio, quia dixi reſolutionem inuentioni, compoſitionem diſtributioni partium ſcientiarum præſertim eſſe accommodatam. Quod dubium videtur, quia ſcientiæ, vt inueniuntur, ita in ordinem redigi debent: & Ariſtoteles eodem ordine perfecit vtrumque, vt ſimul naturam rerum, ordinemque indagandi illam patefaceret. His accedit, quod dum pro inuentione vtimur reſolutione, ea eſt methodus, & via noſtræ cognitionis, non ordo. Cui obiectioni reſpondens dico, in tradendis diſciplinis nos vti poſſe vtroque ordine: diſciplinæ enim vel per dialogum traduntur, vel explicantur ſermone auſcultatorio: dum id fit per dialogum, vt apud Platonem id verum eſt, quod magna ex parte ſimul indagatur natura rei, & patefit ordo indagandi illam: at ſi ſermo fuerit auſcultatorius, tunc frequenter indagatur primo à nobis natura rei per reſolutionem, traditur autem aliis & explicatur per compoſitionem, veluti Ariſtot. in 2. poſt. docet: *definitiones ſuperiorum ex definitionibus inferiorum eſſe colligendas, priuſque ſpecies eſſe definiendas, quam genera*, quod tamen in ſcientiarum diſtributione non ſeruat. Similiter in attribus inueniendis ſemper ordimur à fine, in effectione ſemper à primis internis principiis, in partium autem artis diſtributione vtrunque ſeruare valemus. Sic aliud eſt docere ordinem & methodum inueniendi, quod fecit Ariſt. in Logica, aliud inuenta in ordinem redigere, quod

CLARISS. THOMAS CONTARENVS.

Dubitatio.

Solutio.

quod fit in ſingulis diſciplinis. Et dum additur, quod reſolutio pro inuentione methodus eſt, hoc minime obeſt. Primo, quia reſolutio cum ad methodum, tum ad ordinem pertinet, diſtincta tamen ratione: vt enim ex vno ducimur in notitiam alterius, methodus dicitur, vt vnum prius altero declaramus, ordinem dicimur ſeruare. Secundo, dum à compoſito nobis notiore ad principia reſoluendo tendimus, rectius dicitur methodus: at dum à fine externo ad interna principia reſoluendo tendimus, magis proprie ordo nuncupatur, qui magis inter cauſſas verſatur. His tertio accedit, quod, dum ordo late vſurpatur, omnis methodus eſt quidam ordo.

An in ſcientiis & artibus vtroq; ordine vti valeamus.
CAP. XXI.

CVm duplex ſit genus ordinis, exiſtimare quiſpiam poſſet in ſcientiis ſolum ſeruari poſſe ordinem compoſitiuum, in diſciplinis vero, quæ vel in actione vel in effectione verſantur, ſolum reſolutiuum, & iure optimo quidem. Quod enim ſcientiis ſola compoſitio congruat, ſatis aperte colligi poſſe videtur ex 1. cont. primi phyſicorum: quo loci legitur, quia methodi prædit æ principiis non addiſcuntur niſi ex notitia principiorum, ideo primo agendum de principiis: Ariſtot. ibi nomine methodi ſcientias videtur denotare, præſertim cum dicat, cognoſcere & ſcire, & tunc putamus cognoſcere, cum cauſſas nouerimus: quæ omnia de ſola ſcientia videtur eſſe vera, cuius finis eſt ſcire. Cum igitur in ſcientiis primo ſint declaranda principia, quæ priora & ſimpliciora ſunt, & hic ordo ſit compoſitiuus, iure colligitur in ſcientiis ſolum nos poſſe vti ordine compoſitiuo, alioquin ea ratio neceſſitate careret: progreſſus enim à principiis ad finem compoſitiuus eſt. Quod confirmatur, quia in ſcientiis non datur finis, quem præaccipere valeamus progrediendo per illum ad principia ordinè reſolutiuo: nam finis eſt ſcire, ſcientia eſt eadem cum ſcibili, cuius notitiam quærimus, non autem eſt id primum, per quod poſſimus ad alia progredi, cum quæratur, & ſit ignotum. Ex aduerſo artes & diſciplinæ, quæ in actione verſantur, ſolum ordine reſolutiuo tradi poſſe videntur: quod affirmaſſe viſus eſt Ariſtot. 7. meta. 23. inquiens, *in arte ædificandi tradenda ordiendum eſſe à domo, quæ finis eſt, & inde ad principia eſſe progrediendum, non contra:* ordo enim artis docentis neceſſario opponitur ordini artificis operantis: at ordo operantis eſt compoſitiuus, quare docentis eſt reſolutiuus. Confirmatur, quia vt docet Ariſt. tertio moralium Nicom. finis nunquam proponitur & quæritur vt ignotus, nunquam de eo conſultatur, ſed ſemper præaccipitur vt certus & definitus, ac tanquam ſcopus

Artes ſolum poſſe tradi ordine reſolutiuo.

Digitized by Google

attingendus proponitur, ſolum quæruntur principia & media, per quæ attingatur: in ordine enim ſemper ab aliquo noto ordimur, quod in artibus finis eſt, ex cuius prænotione neceſſario oritur ordo reſolutiuus. Et confirmatur, quia in diſciplinis dirigentibus ad operationem ſemper theorica antecedit practicæ, in parte theorica conſideratur ſubiectum, & finis, in practica media pro aſſequendo fine: at dum progredimur á fine ad ordinata in finem, & á notitia ſubiecti & finis in notitiam conducentium illi, reſolutio oritur: quare in omni arte & diſciplina ad actionem dirigente eſſe neceſſe, vt progrediamur ordine reſolutiuo. Ita remedia pro recuperanda vel tuenda ſanitate vltimo loco in arte medendi traduntur, & leges in ciuili ſcientia conducentes pro adeptione ſummi boni vltimo loco conduntur. Media itaque conducentia pro aſſequendo fine in his vltimo loco traduntur, & propterea cogimur in eis ordinem reſolutiuum ſeruare. Hæc ſunt potiora, vt cenſeo, quæ pro hac parte afferri poſſunt.

Euerſio relatæ opinionis, & explicatio propria.
Cap. XXII.

Cur ſcientiis præſertim competat reſolutio. *Ratio prima.*

CVm duplex ſit genus ordinis, proculdubio exiſtimandum eſt, ſcientiis proprie competere ordinem compoſitiuum, diſciplinis autem ad operationem dirigentibus præſertim reſolutiuum. Et ratio eſt quia in ſcientiis res ſpeculamur, quæ iam à ſuis principiis prodierunt conſtitutæque ſunt, ideo cupientes eas exacte cognoſcere, naturam ſequimur ordine originis rerum ac ita primo communiſſima, ſimpliciſſimaque principia explicamus, quod etiam efficimus, quia ſeruamus ordinem quæſtionum, primoque, quid res ſit per interna principia explicamus, mox propter quid per externa, ex quo prodit ordo compoſitiuus. In attinentibus vero ad operationem ſecus diſponimur: in eis enim inuitamur ad artem, excitamur, dirigimur, mediaque congruentia, nec non principia paranda indagamus per finis prænotionem: propterea in eis accommodatiſſime vtimur reſolutione. Quod etiam euenit, quia in ſcientiis principia ex rei natura definita & certa ſunt, in attinentibus vero ad operationem à nobis cum finis prænotione inuenienda ſunt & ſtatuenda: id autem facimus vt plurimum, non quia neceſſe ſit ita progredi: valemus enim cum in artibus tum in ſcientiis vtroque ordine vti, in ſcientiis, veluti dum à phyſicis eleuamur ad metaphyſica, ac etiam dum à viſu progredimur ad tactum: nam ſi à tactu ad viſum progredientes dicimur componere, cum ordinamur á prioribus origine, eſt neceſſe, quod dum contra á viſu progredimur ad tactum, dicamur reſoluere, cum tendamus ad priora origine, & vterque ordo in declarandis ſenſibus à viris ſapientibus eſt ſer-

Secunda.

Artibus reſolutio accommodatior.

Tum in ſcientiis tum in artibus, valemus vti vtroq; ordine.

Digitized by Google

eſt ſeruatus, primus à Platone, & Auicenna, alter ab Ariſtotele. Præterea ſi in rerum natura hic duplex ordo reperitur, nos qui naturam æmulamur, ab ea non recedentes valemus in ſcientiis vtrumque ſeruare. Similiter etiam datum nobis eſt artem vtroque ordinis genere tradere, & modo ſeruare ordinem inſtituti, qui eſt cum reſolutione, modo originis, qui ad compoſitionem pertinet; nam cognitio reſpondet rei cognoſcendæ, ſi in re cognoſcenda & explicanda vterque ordo reperitur, cur in eius explicatione vtrumque ſeruare non valebimus? Præterea dum dicimus methodum præditam principiis non addiſci niſi ex prænotione principiorum, ea ſententia, vt de ſcientiis, ita de artibus vera eſt, & par eſt ratio, non enim apprehenduntur artes niſi notis principiis: propterea ſi quis ex ea Ariſtot. ſententia colligeret ſcientias tantum tradi ordine compoſitiuo, etiam teneretur id ipſum colligere de artibus. Sic in arte medendi primo addiſcimus elementa, temperamenta, humores & ſimilia, quæ ſunt principia humanorum corporum, & materies ſanitatis, ex quorum notitia eluceſcit, quid ſit ſanitas, & in quo ſit poſita. Ideo Galenus ſub initio artis medendi dixit: *neminem ante ſe tradidiſſe artem illam ordine reſolutiuo.* Præterea hoc ſeruare licet in ſcientiis & artibus, quod cum duplex ſit genus ordinis, raro tamen à principio diſciplinæ ad finem ſeruantur ordines illi ſimplices, & conſimiles, frequenter inueniuntur in parte permixti, quod non contingeret, niſi vtroſque in eis ſeruare nobis datum eſſet. Inſuper hæc confirmantur per ea, quæ leguntur ſub initio libri de ſenſu & ſenſili. Inquit Philoſophus; *medici, qui philoſophice artem profitentur, principia à phyſico recipiunt, à fineq; phyſici auſpicantur:* at finis phyſici, quod eſt principium artis medendi, non eſt finis eius artis, ſed potius ſunt principia eius, vt qualitates, elementa, temperamenta, & ſimilia, à quibus ordientes componere dicimur. Id ipſum ſeruare licet in ceteris artibus, quæ contemplationi ſubiiciuntur, dum magis philoſophice traduntur. Id ipſum patet de Grammatica, quæ ingenuarum artium eſt origine prima, & ordine compoſitiuo proponitur & traditur.

Artes vtroq; ordine tradi.

Diluuntur aduerſæ rationes. CAP. XXIII.

QVemadmodum reiecta opinio minus vera apparuit, ita rationes pro ea relatæ facile diluuntur. Prima ſumta ex 1. cont. 1. phyſ. negligenda eſt: primo quia ſi alicuius eſſet momenti, etiam vim haberet de artibus, vt patefeci, de omnibus enim verum eſt, quod cum pendeant ex principiis, non cognoſcuntur niſi notis illis: res enim omnes vt ad eſſe, ita ad cognitionē ſe habent, & Ariſt. in eo contextu nomine methodi omnes diſciplinas ratione præditas (vt cenſeo) denotauit. Quod ſi etiā demus ſolum

Digitized by Google

denotaſſe ſcientias, parum refert: id enim de ſcientiis, in quibus verſabatur, protuliſſet, quod vniuerſe etiam de artibus verum eſt. Hoc lucidiſſime patet ex initio ſexti Metaphyſicæ, quo loci inquit Philoſophus: *Principia & cauſſæ quæruntur entium, palam autem, quod quatenus entia ſunt: eſt enim aliqua cauſſa ſanitatis, & conualeſcentiæ, ſunt etiam mathematicorum principia, elementa, & cauſſæ, & vniuerſe omnis ſcientia dianoetica participans aliquid rationis, circa cauſſas & principia verſatur, aut certiora, aut ſimpliciora, &c.* Aperte Philoſophus ſuam ſententiam ad omnes diſciplinas ratione vtentes extendit, faciens mentionem etiam de attinentibus ad artem medendi. Præterea ex ea ratione Ariſtotelis, qua infert primo declaranda eſſe principia, non valemus colligere ſeruandum eſſe in ſcientiis ordinem compoſitiuum: quoniam omnis ordo habet principia ſua, & in omni ordine ſemper à principiis ordimur, & cum in ordine reſolutiuo ordimur à fine, finis principium eſt illius ordinis, & frequenter finis principium ab Ariſtotele dicitur, veluti in primo moralium Nicomach. cap. 12. & in ſecundo phyſ. 19. quo loci inquit: *Et finis is cuius gratia, & qui principium eſt, à definitione & ratione petitur, vt in iis, quæ ſecundum artem, &c.* In omni itaque ordine à principiis ordimur. Ex quo conſtat nil colligi ex primo cont. primi phyſ. quod nobis aduerſetur, vel aduerſæ opinioni faueat. Addebatur in ſcientiis non reperiri finem, à quo valeamus ordiri: hoc leue eſt, nam in ſcientiis dantur cauſſæ externæ, à quibus ſi ordimur, reſoluendo progredimur. Datur enim in ſcientiis duplex finis, à quo valemus ordiri: vnus eſt cauſſa externa rei, de qua agitur, & eſt finis rei genitæ, vt finis hominis eſt felicitas: alter eſt finis generationis, conſpirantiumque ad illam, & eſt forma, ac inſuper totum & compoſitum, quod etiam ab Ariſtotele nonnunquam forma dicitur. Ita mixtum eſt finis elementorum, homo mortalium corporum, ac demum mundus totus ex ordine grauium, leuium, & neutrorum corporum conſurgens, finis eorum eſſe dicitur, & quatenus eſt finis, eatenus etiam poteſt dici principium, naturaque primum: perfectum enim eſt natura primum, vt dicitur in 8. phyſic. Propterea ſi mundum totum, vt finem intentioneque primum acciperemus, illumque mox in gradus, & ſimplicia redigeremus, ordinem ſeruaremus reſolutiuum, & ordiremur à principiis illius ordinis. Addebatur id primum, à quo ordimur, debere eſſe notum, nec eſſe id quod quæritur. Hoc proculdubio falſum eſt. Primum in via ac methodo profecto debet eſſe nobis notum, & conſpicuum: at in ordine ſecus ſe habet. Veluti cum in phyſicis Ariſt. ordiatur à materie, & principiis primis, ea nobis vltima, & obſcuriſſima ſunt, vt aſſeritur in ſecun-

Diluitur altera ratio.

Diluitur alia ratio.

ſecundo cont. nam ſi eſſent nota, non fuiſſet tradenda methodus cognoſcendi illa, & explicandi. Similiter in moralibus, quid ſit ſummum bonum, à quo vt à principio ordinis reſolutiui orditur Ariſtot. & in quo ſit collocatum adeo latet, vt innumeræ de eo exſtiterint opiniones & lege potius quam natura conſtitutum videatur, vt in primo moralium confitetur Ariſtot. *De fine non conſultamus, an expeti, & quæri debeat: at quid ſit, & in quo ſit poſitus, frequenter latet, & quæri debet.* Similiter etiam inanes cenſeo rationes illas, quibus oſtendebatur artes ſolo ordine reſolutiuo poſſe tradi. Et primo nequaquam id colligitur ex 7. metaphyſicæ 23. nam inquit ibi philoſophus: *ſanitas eſt ratio, quæ eſt in anima, & in ſcientia:* fit itaque ſanum ita intelligentes: cum hoc ſanitas ſit, neceſſe eſt, ſi ſanitas futura eſt, hoc fieri, puta æqualitatem, & ſi hoc, caliditatem, ac ita ſemper intelligit, donec redigat in illud, quod ipſe poteſt vltimum facere, deinde modus qui iam poſt hæc fit, effectio ſanitatis appellatur. Et paucis interiectis addit: *generationum autem & motuum, hæc quidem intellectio, hæc affectio vocatur: quæ quidem à principio & forma, intellectio eſt: quæ vero ab vltimo ipſius intellectionis, effectio, &c.* Quam ſententiam etiam profert in 7 moralium Nicom. & alibi. At quid colligitur ex ea? hoc ſolum, in artibus & ciuili ſcientia duplicem reperiri motum, vnum rationis, alterum productionis rerum. Hoc autem non eſt proprium artium, nam etiam in rebus phyſicis vterque motus conſideratur, vt lucidiſſime oſtendit Ariſtot. in calce ſecundi phyſ. & præſertim cont. 91. Cum enim natura operetur propter finem conſiderare poſſumus in rebus phyſicis duplicem illum motum, vnum rationis, alterum productionis: quare ſi ex eo colligeremus artes ſolum tradi poſſe ordine reſolutiuo, etiam cogeremur colligere eo ſolo ordine ſcientias poſſe tradi, cum in eis vterque motus conſideretur: & hoc eſt, de quo dubitabat Ariſt. in primo de partibus animalium, num res ita ſint conſiderandæ, vt fiunt, vel vt ſunt. Præterea alia ratione ea auctoritas ad rem non facit: quia id, quod Ariſtot. dicit de contemplatione, quod in ea finis actionis pro principio ſumitur, non ad ordinem, ſed ad methodum pertinet, in qua ex fine neceſſario inferimus ordinata in illum, & non contra: in his enim, quæ fiunt, ineſt neceſſitas ex ſuppoſitione, ideo tantum ex fine neceſſario inferuntur ordinata in illum, non contra vt lucidiſſime in calce ſecundi phyſicorum oſtenditur. Demum addo ex illis verbis philoſophi hoc ſolum colligi, in attinentibus ad artes duplicem reperiri motum, vnum appetitionis opificis, alterum productionis operum, vnum inuentioni mediorum pro re efficienda inſeruientem, alterum productioni eius: at qui diſciplinas tra-

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur artes tantum trâdi ordine reſolutiuo.

D

Dubitatio.
Solutio.

dit, vtrunque ordinem imitari ſeruareque valet, quamuis media inueniat ſemper cum prænotione finis. At inſtatur, quia ordo docentis dicitur opponi ordini operantis. Reſpondeo hoc eſſe falſum, & nunquam profertur ab Ariſtotele: ſolum ab eo dicitur, quod ratio, quæ formatur, per quam ex vno infertur aliud, ſit oppoſita ordini operantis: inſuper, quod ordo inuentionis ſit oppoſitus ordini productionis: at non quod ordo, quo traditur ars, ſemper opponatur ordini productionis. Hæc diſtincte ſunt intelligenda, non confundenda. Et quia Ariſtoteles tunc de methodo loquitur, ideo in 7. metaphyſ. 23. eos nuncupat motus: argumentatio enim eſt motus quidam animæ, & progreſſio ex vno in aliud. Addebatur, in artibus ſemper prænoſci finem, & propterea neceſſario tradi cum prænotione finis, qui ordo reſolutiuus eſt. Reſpondeo nedum artes, verum ſcientias quoque tradi cum quadam finis prænotione: ſic Ariſt. in ſecundo phyſic. 27. inquit: *quoniam ſciendi gratia hoc negotium eſt, ſcire autem eſt per cauſſas, ideo prænoſcendæ ſunt cauſſæ.* Idipſum facit in procemio primi libri, in procemio tertii, & fere in procemiis omnibus, quia in ſcientiis etiam, vt dixi, vterque motus conſideratur. At diſciplinam tradi cum prænotione finis contingit dupliciter, vel cum eius exacta explicatione, & reſolutione in principia, & hic eſt ordo reſolutiuus: vel ſine eius explicatione, ſed tantum cum quadam eius confuſa prænotione, vt fit in procemiis, ita tamen, vt primo explicentur interna principia, & tunc conſurgit ordo compoſitiuus. Dicebatur poſtremo artes omnes tradi ordine reſolutiuo, quia primo traditur pars theorica, mox practica, ac vltimo loco explicantur media pro aſſequendo fine. Hæc ratio nullius eſt momenti: primo quia in parte theorica non ſolus finis explicatur, ſed etiam ceteræ cauſſæ, & nonnunquam cauſſæ internæ explicantur prius, ex quo conſurgit ordo compoſitiuus. Præterea ordo conſideratur inter cauſſas, & partes principes diſciplinæ, non autem inter eas, & remedia ſiue leges quæ non cauſſæ, non partes principes ſunt, ſed tantum inſtrumenta aſſequendi finem, quæ inſtrumenta partes principales ſequuntur. Veluti in arte medendi conſiderari in primis ordo debet inter elementa, temperamenta, humores, ſanitatem, cognitionem partium humani corporis, & alia huiuſmodi, quæ cauſſæ ſunt, non inter remedia, & cauſſas: ordo enim inter cauſſas ſemper vertitur, & ab illis, quæ potiora ſunt, petenda eſt denominatio. His addo media pro aſſequendo fine duplicia eſſe: vel enim ſunt partes rei, quæ efficitur, & cauſſæ, vt lapides, cæmentum, ſundamenta, & ſimilia ſunt partes domus, & hæc conſtituunt ordinem, ac cum prius ordine compoſitiuo, tum poſterius ordine reſolutiuo explicari poſ-

Argumentatio eſt dianoea.
Diluitur alia ratio.
Diluitur tertia ratio.

Digitized by Google

poſſunt: vel non ſunt partes, nec cauſſæ, ſed inſtrumenta tantum, de quibus ſe habet, vt iam dixi. Leuiſſimæ itaque ſunt rationes omnes, quibus aliquis oſtendere poſſet, artes tantum ordine reſolutiuo, ſcientias vero tantum compoſitiuo tradi poſſe, adeo vt ob eas minime ſuſpicari debeamus viros ſapientes, qui alterius ſunt opinionis, hallucinatos fuiſſe: non enim leuibus rationibus firma veterum decreta mutanda ſunt, vt nos ſoli ſapere videamur.

Colligantur dicta, & varietas compoſitionis ac reſolutionis explicatur. CAP. XXIV.

SAtis aperte conſtare puto ex his quæ dicta ſunt, duplex tantum eſſe genus ordinis, compoſitiuum vnum, alterum reſolutiuum, & vtrumq; cum in artibus, tum in ſcientiis ſeruari poſſe: ordinem tamen compoſitiuum accommodatiorem eſſe ſcientiis reſolutiuum vero diſciplinis omnibus, quę vel in actione, vel in effectione verſantur. At hoc latere nos minime debet, compoſitionem, & reſolutionem non vno, ſed tribus præſertim modis ſeruari poſſe. Cum enim pro reſolutione ordiamur à fine, hic finis vel eſt externus, vt ſanitas in arte medēdi, & ſummū bonum hominis in ciuili ſcientia, & tunc ſi ab eo ordimur, & reſoluimus in prima principia intrinſecus rem conſtituentia, ordinem reſolutiuum congruenter ſeruamus: vel finis eſt totum ex internis rei principiis conflatum, quod eſt vltimum, præſtantius ceteris, & finis generationis, vt mundus ſe habet comparatus, cum grauibus, leuibus, neutriſque corporibus illum conſtituentibus: propterea ſi à mundo ordiremur, illumque in componentia reſolueremus, definientes mundum, mox cuncta illum conſtituentia, cum proxima, tum remota, vſque ad prima, ordine reſolutiuo progrederemur, qui eſt ſimilimus illi, quem definitiuum nuncupauit Galenus. Demum ordiri poſſumus ab vltimo loco ſecundum prædicationem, hoc eſt, à ſpeciebus vltimis aſcende[illegible]o ad prima & com[illegible]muniſſima prædicata: vltimæ enim ſpec[illegible]ſint cæteris præſtantiores, primoq; optentur à natura, ſu[illegible]do aliquo fides & principia, propterea id facientes dicim[illegible]ſoluere: id tamen præcipue in methodo ſeruamus. His tribus reſolutionis modis opponuntur tres modi compoſitionis, vt ex ſe conſpicuum eſt. Ordo igitur definitiuus ad reſolutiuum redigitur: in quo definitiuo ordine non eſt neceſſe, vt ſemper primo definiatur diſciplina reſolutione tradēda, vt dixere nonnulli: ſed poteſt definiri tum diſciplina, tum ſubiectū, tum finis eius, vt inde ſumatur occaſio definiendi cuncta in definitione poſita, eaque explicandi. Imo cum primo ea diſciplina definitur, vt fecit Galenus, id fit, vt ex ea pateſiat finis,

Triplex reſolutio.

Triplex compoſitio.

vel ſubiectum, quod vſque ad prima principia reſoluendum eſt. Hæc cum mihi pro dicendis inſeruire debeant, neceſſario primo explicanda fuerunt: & præſertim ea latius explicare fui coactus, vt meam opinionem à nonnullorum calumniis vindicans, veritatem redderem illuſtriorem.

De ordine inter ciuilem & inſpectricem philoſophiam, opinio aliorum. CAP. XXIV.

Quatuor de ordine ciuilis ſcientiæ declaranda proponuntur.

VAria hactenus patefeci vniuerſe ad ordinis notitiam pertinentia, nunc ad magis propria deſcenſurus, quatuor explicanda propono: quorum primum eſt, quæ pars philoſophiæ docendi ordine prima ſit, num ea, quæ in actione, an potius illa, quæ in contemplatione verſatur: ſecundo conſiderandus occurrit ordo inter partes ciuilis ſcientiæ, tertio declarandum eſt, quem ordinem in libris de moribus ſeruauerit Ariſtot. demum ciuilis ſcientia in gradus eſt diſtribuenda, & quo ordine gradus eos mihi declarandos propoſuerim, patefaciendum eſt. A primo itaque vt ordiar quæritur, cui parti philoſophiæ primo incumbendum eſt, num ciuili, vel illi potius, quæ in contemplatione verſatur. Qua de re duæ ſunt principes opiniones, nõnulli enim vni, alii alteri parti primo incumbendum exiſtimarunt.

Cui parti philoſophiæ primo danda ſit opera.

Qui primo ciuilem eſſe addiſcendam putarunt, inter ſe etiam non conuenerunt: nonnulli enim dixere philoſophiæ ciuili priuſquam logicæ eſſe incumbendum: aiebant enim primo recte formandos eſſe mores, mox ad reliqua progrediendum, vt recte ea iudicare, illiſq; vti valeremus: quam ſententiam Ammonius & Simplicius in proœmio prædicamentorum retulerunt, & reiecerunt, cõcedentes, componendos quidem primo eſſe puerorum mores, id tamen non debere fieri diſciplina aliqua methodo tradita, ſed familiari inſtitutione & educatione. At poſthabita comparatione inter logicam, & ciuilem ſcientiam, de qua nulla debet eſſe dubitatio (proculdubio enim inſtrumenta primo paranda ſunt) ſolum de ciuili, & inſpectrice diſputare debemus. Opinio fuit Diogenis Babilonii, Simplicii, [illegible]iaioli, multorumque aliorum ſapientum virorum, ciuile[illegible]o eſſe addiſcendam. Ideo Simplicius in proœmio phyſic[illegible]it: *poſt morales diſciplinas, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem pertinent, & poſt logicas, quæ nobis tradunt regulas diſcutiendæ, & iudicandæ veritatis, addiſcenda eſt rerum naturalium ſcientia, &c.* Hæc opinio ſatis, firmis, & conſpicuis rationibus confirmari poteſt, & primo ratione ſumta ex facilitate, & modo explicandi. Nam ea quæ nobis magis ſunt familiaria, & modo magis rudi & craſſo traduntur, primo occurrunt addiſcenda: ciuilia ſunt huiuſmodi, ſunt enim de rebus humanis nobis familiaribus, in quarum explica-

Opinio prima.

Opinio Simplicii & multorum.

Prima ratio ſumta ex facilitate adiuncta.

plicatione non exactus ille & ſubtilis explicandi modus eſt ſer-
uandus, qui conuenit mathematicis, vt monet philoſophus in
procemio moralium Nicom. cap. 3. necnon 13. Secundo id ipſum
oſtenditur ratione ſumta ex indigentia, & neceſſitate: inquit A-
riſtot. in procemio metaphyſ. *artes ob neceſſitatem primo inuentas,
& paratas fuiſſe*: at ciuilis ſcientia longe magis homini condu-
cit, & ad ſalutem eſt neceſſaria, quam contemplatio: ſine pru-
dentia enim & iuſtitia hominum cœtus, & vrbes ſeruari neque-
unt: propterea primo per ciuilem formatæ ſunt vrbes, mox ex
ingenuo otio orta eſt contemplatio. Tertio adhuc exactius o-
ſtenditur ratione ſumta ex fine. Finis philoſophiæ eſt felicitas,
cuius duplex eſt gradus, vnus in actione, alter in contemplatio-
ne poſitus: vt itaque finis ciuilis ad finem inſpectricis philoſo-
phiæ ſe habet, ita ciuilem ad inſpectricem philoſophiam ſe ha-
bere putandum eſt: ſed finis ciuilis eſt prior, ſummum enim bo-
num in actione poſitum in contemplationem dirigitur, non ſe-
cus ac bellum ad pacem, vt dicitur in decimo moralium Nico.
quare ciuilis primo eſt addiſcenda. Quod confirmatur ratione
ſumta ex præſtantia & dignitate: nam dignitate prius eſt origi-
ne poſterius, vt dicitur in octauo phyſ. cum autem philoſophia
inſpectrix ſit prima dignitate, cenſeri debet origine vltima,
progredimur enim ex imperfecto ad perfectum. Inſuper id i-
pſum oſtenditur ratione ſumta ex definitione philoſophiæ: de-
finitur philoſophia à Plato. in Phœdone, *quod ſit mortis medita-
tio, quatenus eſt quædam animi à corpore ſecretio*: philoſophia ſe-
iungit animum a corpore dupliciter, primo liberans illum á ve-
hementioribus perturbationibus per ciuilem partem, mox à
ſenſibus ope contemplationis, ex quibus hæc elicitur ratio: vt
ſecretio ad ſecretionem, ita philoſophia vna ad alteram ſe ha-
bet: at ſecretio à perturbationibus antecedit: ciuilis itaque phi-
loſophia primo eſt addiſcēda. Ideo dixit Ariſt. in 7. phyſ. 20. *Qui-
eſcere enim & ſtare intellectum, ſcire & ſapere dicimus, & eo quia ani-
ma morali virtute componitur, prudens aliquis fit & ſciens.* Propte-
rea Plato, & cum eo Ariſt. inquiunt ſcire, græce ἐπίστασθαι, ab ipſo
ſtare & quieſcere deductum fuiſſe. Demum eadem ſententia o-
ſtenditur ratione ordinis partium animæ per philoſophiam
componendarum, qua ratione vtitur Ariſt. in 7. de rep. cap. 15.
inquiens: *Vt corpus generatione eſt prius anima, ita pars animæ ra-
tionis expers eſt prior generatione parte rationali.* Ex quo infert pri-
mo ſuſcipiendam eſſe corporis curam, ſecundo curam partis a-
nimæ, quæ eſt expers rationis, qualis eſt appetitus, tertio partis
animæ ex ſe ratione præditæ: cum igitur moralis philoſophia
inſtituat appetitum, & partem animæ generatione priorem, eſt
neceſſe vt origine, & docendi ordine prior ſit inſpectione philo-

Ex indigentia, vt impellente cauſa.

Ex fine.

Ex dignitate.

Ex definitione philoſophiæ.

Ex ordine partium animæ.

ſophia, quæ inſtituit mentem poſterius homini aduenientem ex ſententia Ariſt. ſi non quod ad eſſentiam, ſaltem quod ad vſum eius attinet. Hinc inſpicimus Ariſtotelem in libris de moribus prius agere de virtute morali, mox in ſexto de virtutibus mentis, & prius declarare ſummum bonum ciuile, poſtremo in decimo libro declarare ſummum bonum poſitum in contemplatione, ſemper patefaciens inſtitutionem moralem contemplationi præferendam. Confirmari poſſunt hæc omnia per Ariſtotelem, qui in procœmio moralium Nicom. dixit, *ciuilem ſcientiam decernere, quæ ſcientiæ, & quouſq; in vrbe ſint addiſcendæ:* ciuilis itaque præfertur, cum cæteris leges præſcribat, & terminos imponat.

Oſtenditur contemplationem docendi ordine eſſe priorem.

Cap. XXVI.

Satis profecto firmæ, & argutæ apparuere rationes, quibus docendi ordine ciuilis Philoſophia contemplationi præferebatur: aduerſam tamen ſententiam vt veriorem, ita efficacioribus rationibus confirmari poſſe exiſtimo. Ideo Zeno, Chryſippus, Archedemus, Eudemus, referente Diog. Laert. in vita Zenonis, & cum his Boethus, & Sidonius, referente Ammonio in procœmio prædicamentorum, primo nauandam eſſe operam contemplationi exiſtimarunt. Quod primo oſtendi poteſt ex origine, & productione vnius partis ab altera: nam dum ciuilis cum inſpectrice Philoſophia comparatur, hęc theorica, illa practica recte dicitur, & quia theorica practicam dirigit, eique principia impartitur, neceſſario primo eſt addiſcenda. Hinc contemplatio dicitur mater vitæ ciuilis, dux humanarum actionum, ac vt ait Philoſophus in procœm. de anima cont. 2. *cognitio animæ confert ad omnem veritatem:* quo loci addit Philoponus: *Non valemus humanis moribus ornari, niſi prius potentias animæ nouerimus.* Idipſum aſſeritur à Themiſtio, & Auer. addit, *moralem Philoſophiam recipere à ſcientia de anima vltimum finem hominis, vt homo eſt, & ſcientiam ſuæ ſubſtantiæ, quæ ſit, &c.* Idipſum aperte patet de hominis libertate, de perturbationibus, & aliis multis, in quibus verſatur ciuilis, quæ per ſola principia phyſica explicantur. Præterea ita argumentor: Prius danda eſt opera phyſicæ, quam arti medendi, quare prius addiſcenda eſt phyſica, quam ciuilis. Antecedens omnium conſenſione, & experientia conſtat, & profertur etiam ab Ariſt. ſub initio libri de ſenſu & ſenſili. Conſequentia deducitur per Ariſt in 1. moralium Nicomach. cap. 13. dicentem: *ſi autem hæc ita ſe habent, manifeſtum eſt, quod oportet, ciuilem ſcire modo aliquo pertinentia ad animum, vt oculos curaturum, & vniuerſum corpus, atq; eo quidem magis, quo ciuilis maiori honore digna, & præſtantior eſt, quam ars medendi.*

Opinio verior.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

At

Digitized by Google

At nituntur nõnulli auctoritatem hanc vitare dicentes, Ariſtotelem aſſerere oportere ciuilem cognoſcere modo aliquo, vt ei ſatis eſt, non ait exacte: & eo in loco nos reiicit non ad libros de anima, ſed ad externas rationes, in quibus inquit nonnulla eſſe explicata, quę ſatis ſunt ciuili. Hæc euaſio inanis eſt: primo, quia ſi animæ cognitio conducit ciuili, proculdubio quo fuerit exactior, eo magis conducet. Præterea idipſum longe magis de arte medendi poſſemus dicere, quod ei ſatis eſſet cognitio rerum phyſicarum leuis & popularis, pręſertim cum ſit imperfectior: & tamen videmus, quod omnes, qui rite futuri ſunt medici, primo accurate incumbunt phyſicæ contemplationi, & non eſt verus medicus, qui nõ eſt peritus philoſophus. Pręterea cum Ariſt. nos reiiciat ad externas rationes, quid per eas ſignificet, cõſpicuum non eſt: nam ſi denotat explicationes quaſdam populares, cum modo illæ non exſtent, ad naturalẽ philoſophiã quę exſtat, confugere cogimur: & ſi proſunt populares ſermones, longe magis proderunt accurate conſiderationes animæ. Addo demum Ariſt. dicere oportere, *ciuilem modo aliquo cognoſcere pertinentia ad animam*, quia id conſiderauit, quod nedum vtile, verũ apprime neceſſariũ eſt: cognitio exacta eſt quidem vtilis, leuis autẽ & craſſa, nedũ vtilis, ſed neceſſaria eſt: at cõtra cognitio ciuilium nullam præbet vtilitatem contemplationi rerum phyſicarum. Præterea id oſtenditur rationibus ſumtis ex ordine humanarum actionum. In homine duæ ſunt principales facultates, cognoſcẽs vna, altera appetens: cognitio prior eſt, & dirigit appetitionem, propterea primo recte formanda eſt facultas cognoſcẽs, mox ea quæ appetit: at contẽplatio perficit facultatem cognoſcentem, ciuilis appetentem: primo itaq; contemplationi eſt incumbendum. Confirmantur hæc per ea, quæ Alexander, Simplicius, & Auer. protulerunt in proœmio lib. phyſicorum: docent enim in viro ſapiente ex contemplatione veri manare omnes virtutes morales. Quod confirmatur, quia ciuiles inſtitutiones, & recte formatæ leges ex naturæ fontibus manant: propterea definientes philoſophiam recte dicunt: *eam eſſe contemplationem diuinorum humanorumque moderationem*, præferentes ſemper contemplationem actioni. Præterea libros de moribus ſequuntur libri de repub. vt infra patebit: nos autem cum didicerimus pertinentia ad remp. ad eam gubernandam accedere debemus, non autem inſerendum eſt ſtudium contemplationis inter ſcientiam ciuilem, & ciuilem adminiſtrationem: alioquin omnia confunderemus, & diſciplinam ciuilem cum ſuo vſu non connecteremus. Præterea idipſum oſtenditur rationibus ſumtis ex conditione addiſcentis: nam ea diſciplina, cuius iuuenis non eſt idoneus auditor, non eſt à iuuene primo addiſcenda:

Solutio quorundam.

Euerſio.

Ratio 3.

Ratio 4.

Ratio 5.

Digitized by Google

huiuſmodi eſt ciuilis, inquit enim Ariſtot. in 1. moralium Nicomach. cap. 3. *Iuuenem non eſſe idoneum auditorem ciuilis ſcientiæ, quia rudis eſt actuum vitæ, de quibus in ciuili rationes formantur: præterea cum perturbationes ſequatur, fruſtra, & ſine vtilitate audiet, quippe cum finis non cognitio, ſed actio ſit, &c.* At dicet aliquis iuuenem etiam non poſſe eſſe phyſicum, & ſapientem, vt aſſeritur in ſexto moralium Nicomach. cap. 8. poteſt enim iuuenis eſſe geometra, & mathematicus, non autem prudens, vel phyſicus, vel ſapiens: quare de phyſica & ciuili ſcientia eſt par ratio. Reſpondeo rationem non eſſe parem: quia quamuis iuuenis abſolute ſit idoneus auditor mathematicorum, non autem phyſicæ, tamen cum didicerit mathematica, magis eſt aptus euadere phyſicus, quam ciuilis. Primo, quia contemplationi coniunctior eſt contemplatio quam actio: ſecundo ob rationem, per quam dixit Ariſtot. *iuuenem non eſſe idoneum auditorem ciuilis ſcientiæ*, dixit enim id euenire, quia finis ciuilis eſt actio, non cognitio: at finis phyſicæ cognitio eſt, non actio. Hoc confirmatur ex prudentia, quæ eſt re eadem cum ciuili ſcientia, vt dicitur in ſexto moralium Nicomach. cap. 8. *At prudentia ſero nobis competit, & longo rerum vſu comparatur*: Et cum prudentiæ pars potiſſima ſit Nomothetica, quæ eſt ratio legum ferendarum, proculdubio iuuenes magis ſunt apti apprehendere phyſicam, quam condere leges. Inſuper ad prudentiam pertinet recta conſultatio, iudicium, intelligentia perſpicacitas, ſententia recta, quæ iuueni non poſſe conuenire compertum eſt. Demum eadem veritas confirmatur auctoritate Platonis, qui frequenter ciuilem poſtremo eſſe addiſcendam manifeſtauit. Nam in Alcib. primo dixit: *à ſapientia ad prudentiam eſſe progrediendum*: in Menone docuit, *virtutes morales ex ſapientia fluere, ab eaque conſtantiam & ſoliditatem recipere*: & cæteris prætermiſſis legitur in Timæo. *Viſum nobis eſt, vt Timæus, tanquam in aſtronomia omnium noſtrum peritiſſimus, maximeq; in rerum natura cognoſcenda verſatus, primus ediſſerat, ita vt à mundi generatione exordiens, vſque ad generis humani naturam deueniat: atque ego deinde ſuſcipiens homines, à Timæo quidem genitos, à Critia vero vt plurimum inſtitutos, ſecundum Solonis ſermonem, legemque in iudicium veſtrum adducam, ciuitatisque iſtius ciues efficiam eos, qui priſci illi Athenienſes fuerunt, &c.* His verbis luculentiſſime oſtendit Plato, *res phyſicas primo eſſe addiſcendas, poſtremo ad ciuilem ſcientiam & rempub. eſſe accedendum.* At oritur dubitatio, quia Plato libros de repub. prætulit Timæo, qui phyſicus dialogus eſt, & primum ſermonem inſtituit de repub. Reſpondeo, Timæum, & libros de legibus non eſſe continuatos cum libris de rep. libri enim de rep. ſunt ſermones diſtincti:

Obiectio.

Solutio.

Quid Nomothetica?

Ex auctoritate Platonis.

Dubitatio.
Solutio.

Timæus

Digitized by Google

Timæus autem, Critias, & libri de legibus iuncti, & ſubordinati ſunt pro vnius inſtitutione à principio ad finem, vt patet per verba Platonis nuper relata. Neque etiam libri de legibus reſpõdent libris de repub. nec ibi formatæ leges reſpondent reip. formatæ in libris de repub. vt patet de mulierum, parentum, bonorumque communitate quam ſtatuit in libris de repub. & per leges latas in libris de legibus non ſeruat. Colligamus itaque, contemplationem eſſe veluti ducem, exemplar, fontem, plantam, partemque theoricam ciuilem vero eius eſſe aſſeclam imitatricem, riuulum, fructum, & demum partem vere practicam vltimo apprehendendam.

Reſolutio difficultatis. CAP. XXVI.

VT reſolutio difficultatis conſpicua refulgeat, tres profero aſſertiones. Prima ſit: ſi diſtincte & exacte ciuilem ſcientiam apprehendere cupimus, neceſſe eſt, vt primo contemplationi nauemus operam. Altera ſit: ſi tantum confuſe, & craſſa quadam notitia ciuilem apprehendere exoptamus, valemus primo, & ſine ſcientiis phyſicis ei incumbere. His tertio addo: ad cuiuſuis partis philoſophiæ congruente adoptionem, neceſſe eſt primo recta educatione, probis moribus nos eſſe decoratos. Prima aſſertio conſpicua eſt ex dictis in præcedente cap. Altera ex rationibus nõnullis alterius opinionis, & præſertim cum ſint diſciplinæ diſtinctæ, poteſt vna ſine altera non exacte, ſaltem confuſe apprehendi. Tertia frequenter ab Ariſtot. enuntiatur: nam in primo moralium Nicomach. capit. 4 dixit: *quocirca qui de rebus honeſtis & iuſtis, ac* (vt ſemel dicam) *de ciuilibus vtiliter auditurus eſt, eum oportet eſſe bene educatum, beneque moratum: principium enim eſt rem ita eſſe, quod ſi ſit perſpicuum, cur ita ſit, non magnopere deſiderabitur, &c.* Quod etiam ſcientiæ in contemplatione poſitæ expoſcant domeſticam hanc morum compoſitionem, ſatis conſtat: hoc patefecere Plato in Cratilo, & Ariſt. in 7. phyſic. dum conſiderarunt ſcire, græce ἐπίςαϑαι, ab ipſo ſtare, & requieſcere fuiſſe deductum; ſedatis enim animi perturbationibus conſurgit ſapientia. Ita affirmauit Simplicius in proœmio prædicamentorum, hanc morum compoſitionem etiam eſſe neceſſariã pro diſciplinis organicis, vt eis recte vtamur, ideo ait: *non primo eſſe legendos libros ciuiles, ſed primo recte componendos eſſe mores educatione, aſſuetudine, domeſticiſque adhortationibus:* propterea conſueuere veteres proponere pueris carmina, præcepta, breueſque ſententias Pythagoræ, Philolai Crotoniatæ, & aliorum ſimilium. Ex his colligimus primo reſolutionem difficultatis: colligimus ſecundo iuris prudentes, niſi primo cõtẽplationi incumbant, ſolum confuſe, & pingui qua-

Tres aſſertiones.

Prima aſſertio.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

dam Minerua eſſe ciuiles, nec poſſe dici philoſophos, quoniam philoſophia eſt amor ſapientiæ, ſapientia eſt primarum cauſarum cognitio, quæ primæ cauſæ in philoſophia theorica, ſiue inſpectrice explicantur.

Diluuntur aduerſa rationes. CAP. XXVIII.

Solutio primæ rationis.

RElíquum modo eſt, vt rationes eas diluamus, quibus oſtendebatur, ciuilem ordine docendi eſſe priorem. Sumebatur ratio prima ex facilitate, familiaritate, modoque explicãdi: quæ duplici ratione non cogit. Primo, quia ex ea ſolum colligimus, ciuilia cognitione rudi, & craſſa eſſe notiora, at cognitione diſtincta contra ſe habet: nam ordo, cum reſpondeat naturæ, etiam reſpondet diſtincto modo cognoſcendi: hinc Ariſtoteles in formanda ciuili ſcientia vſus eſt inſpectrice philoſophia, tanquam parente eius, & Plato in primo de legibus dixit: *Deum & philoſophiam eſſe principia legum.* Præterea illa ratio eſt inanis: quoniam ciuilis non in ſola cognitione, ſed proprie præcipueque in actione verſatur, ob quam dicebat Ariſtoteles; *iuuenes nõ eſſe eius idoneos auditores.* Altera ratio ſumebatur ex indigentia & neceſſitate. Cui reſpondens dico, neceſſitatem hoc efficere, vt nonnunquam craſſa quædam, & rudis rei forma antecedat, at non exacta & diſtincta, vt ſe habet in artibus: quæ quamuis vt exactæ, & poſtrema perfectione preditæ, dicantur filiæ philoſophiæ; tamen, vt rudes & inchoatæ, ante matrem in lucem prodierunt. Tertia ratio ſumebatur ex fine: finis enim proprius ciuilis, nempe ſummum bonum morale, antecedere videtur. Reſpondeo frequenter ſecus ſe habere in vſu diſciplinæ & fine, quã de ordine addiſcendi: veluti ordine addiſcendi phyſica eſt prior arte medendi, tamen in fine contra ſe habet; finis enim artis medendi qui eſt ſanitas, ordinatur in finem contemplationi: ita artes omnes præſtantiores ſubiiciuntur contemplationi: nec exacte ſine contemplatione phyſica, vel mathematica percipiuntur; cum tamen fines earum in finem contemplationi dirigantur, & non contra. His accedit, quod gradus felicitatis vtriuſque partis philoſophiæ proprii, miro quodã neceſſitudinis nodo iuncti ſunt, & ſe mutuo perficiunt; cum tamen ordine cognitionis ſolum philoſophia practica pendeat ex theorica, nõ contra. Addebatur ratio ſumpta ex præſtantia. Reſpondeo non ſemper poſteriora ordine addiſcendi eſſe perfectiora, vt patet de philoſophia, & arte medendi, ceteriſque innumeris artibus: ea ſententia ſolum eſt vera, dum poſterius abſolute eſt finis præcedentium; non autem dum tantum eſt fructus quidam eius: inſuper de attinentibus ad eandem ſcientiam, & ordinatis ad eũdem proximum finem. Quarta ratio ſumebatur ex definitione philoſo-

Solutio ſecunda.

Solutio tertia.

Diluitur quarta.

philoſophiæ: dicitur enim philoſophia ſecretio à perturbationibus & ſenſu. Patet ſolutio: moderatio enim perturbationum neceſſaria pro adeptione ſciētiæ, ea eſt, quæ nobis competit per cōgruentem educationem. His accedit, quod vt iam dixi, & affirmauit Auerroes in prooemio poſteriorum, *nonnunquam ſerui ſe habet de ordine addiſcendi, ac de vſu.* Quinta ratio ſumpta ex ordine partium animæ, comprobataque per Ariſtotelem in ſeptimo de republ. ſoluitur, quia Ariſtoteles conſiderat tunc pertinentia ad rectam compoſitionem partium hominis, non ad ordinem addiſcendi, ideo inquit: *primo recte diſponendum eſſe corpus:* at non ob id primo addiſcendi eſt ars medendi. His accedit, quod partes omnes philoſophiæ, vt diſciplinæ ſunt, ad intellectum & rationem pertinent: nam ciuilis ſcientia eadem re eſt cum prudentia, quæ eſt habitus intellectus, nec vnquam in nobis recte compoſitus erit appetitus, niſi recte inſtituta ſit mens & ratio. Quod ſi in libris moral. Nicomach. philoſophus prius loquitur de virtute morali, & ſummo bono ciuili, id accidit: primo, quia vtitur ordine reſolutiuo: ſecundo, quia debet ordiri ab illis, quæ ſunt magis propria illius diſciplinæ: at mox in ſexto libro loquens de habitibus mentis, inſpectrices primo declarat, mox prudentiam. Inſtabatur demum, quia Ariſtoteles in prooemio moralium Nicom. inquit: *ciuilem ſcientiam decernere, quæ ſcientiæ, & quouſque ſint addiſcendæ.* Reſpondeo hoc debere cognoſci & decerni ab illis, qui leges condunt, non ab eis, qui primo ſcientias addiſcunt. At pulcra eſt dubitatio: dum progredimur à philoſophia inſpectrice ad ciuilem, qui nam erit hic ordo, num reſolutiuus, vel potius compoſitiuus? Reſpondeo ordinem proprie, & præſertim conſiderari in eadem ſcientia, ac in ordinatis ad eundem proximum finem, comparando inter ſe cauſas ſubiecti illius ſciētiæ. Inter diſciplinas ordinatas ad proprios fines diſtinctos, non ita exacte ordo reſolutiuus, vel compoſitiuus ſeruatur; ſed quadam ſimilitudine tantum: & diſtincta cōſideratione hic, de quo eſt dubitatio compoſitiuus & reſolutiuus dici poteſt, eſt reſolutiuus quod ad principale inſtitutum: vt vero pertinet ad modum explicationis eſt cōpoſitiuus. Nam ſi conſiderantur, vt contemplatio eſt verus finis actionis, non actio contemplationis, ordo eſt reſolutiuus: præcipue tamen ſecundum modum explicandi eſt compoſitiuus, quoniam contemplatio non explicatur tanquam finis actionis, ſed abſolute, vt ex ſuis principiis pendet: ac inſuper in inſpectrice philoſophia declarantur prima, ſimpliciaque principia: nec non media à quibus deinde tanquam fructus manant ciuilis ſcientia, humanæque actiones.

Mors philoſophica.

Diluitur quinta ratio.

Diluitur vltima.

Απορια.

Diſceſſio dubii.

Digitized by Google

De ordine partium ciuilis philoſophiæ, opinio prima.
Cap. XXVIII.

Opinio prima.

PRoponebatur ſecundo loco explicandus ordo partium ciuilis ſcientiæ, librorum nempe de moribus, de republ. & œconomicis. Inquiunt nonnulli, libros de republ. docendi ordine primos eſſe, eis ſuccedere œconomicos, poſtremos eſſe eos qui ſunt de moribus. Nituntur hoc fundamento. Quod eſt totum, commune & Architectonicum, primo cõſiderandum, & addiſcendum occurrit: huiuſmodi ſunt libri de republ. in quibus de ciuitate vt de toto & principali agitur, per quod cetera ſunt dirigenda. Ideo Ariſt. in primo de repub. cap. 1. inquit: Et certe quo ad naturam prior eſt ciuitas, quam domus, & ſinguli noſtrum: nam totum eſſe prius parte neceſſe eſt; peremto enim toto non ſeruatur pes, nec manus, niſi æquiuoce. Confirmatur hæc ſententia per ordinem, quem in iuuenum inſtitutione ſeruandum docuit philoſophus in calce 10. moralium Nicom. inquit enim: *à puero autem directam ad virtutem inſtitutionem conſequi difficile eſt, niſi qui in talibus legibus fuerit educatus; temperanter enim & patienter viuere, cum vulgo ſit iniucundum, tum iuuenibus maxime: itaque educationem, inſtitutionemque legibus eſſe deſcriptam neceſſe eſt,* & poſt pauca: *ac in omni vita traducenda nobis eſt legibus opus, &c.* Cum igitur vniuerſa inſtitutio & familiæ, & ſingulorum hominum ex legibus pendeat, legibuſque conſentanea eſſe debeat: neceſſe eſt, vt primo pertinentia ad leges, quales ſunt libri de repub. addiſcamus, ac ita ex inſtitutione totius eliciamus inſtitutionem partium, non contra. Qui huius ſunt opinionis, ordinem rectum leuibus rationibus peruertunt. Primo aduerſantur Ariſtoteli in proœmio moralium Nicom. quod eſt proœmium commune vniuerſæ ciuilis ſcientiæ, cum in eo ſtatuatur finis totius, inſtituaturq; auditor. & cum ſit proœmium commune, cogimur fateri illum eſſe librum primum ciuilis ſciẽtiæ. Inſuper aduerſantur his, quæ dicuntur in calce decimi de moribus, vbi philoſophus in ſequentibus ſe de rep. & ratione legum ferendarum diſputaturum pollicetur. Aduerſantur Ariſt. in primo cap. ſecundi lib. de rep. quo loci ſe prius de morib. diſſeruiſſe affirmat inquiens: *Æqualis compenſatio ciuitates ſeruat incolumes*, vt ſupra dictum eſt in libris de moribus. Aduerſantur primo capiti magnorum moralium, quo loci *ſcientia de moribus nuncupatur principium continens facultate vniuerſam ciuilem ſcientiam.* Aduerſantur rationi: quia communis finis, communiaque principia ciuilis ſcientiæ primo explicanda ſunt, id autem fit in libris de moribus. Fundamenta eorum facile euertuntur. Inquiunt totum primo eſſe declarandum. Reſpondeo, libros de mo-

Fundamentum.

Confirmatio.

Euerſio.

ribus

ribus rectius dici totum, vniuerſum & principium, quam eos de rep. quoniam in eis explicantur communia principia, communis finis, communiaque ſemina, facultate & virtute cetera omnia includentia. Sententia Ariſtotelis in primo de repub. quod ciuitas ſit prior, vera eſt facta comparatione inter curam publicam vt totius, & domeſticam, ac ſingulorum hominum, vt partium eius: nō autem comparando libros de moribus, cum libris de repu. Iam enim patefeci in libris de moribus communia declarari, non autem agi ſolum de particulari ſingulorum inſtitutione. Confirmationi ſumtæ ex decimo de moribus reſpondeo ſimiliter inquiens: *leges conducere inſtitutionibus & ſingulorum & familiarum:* at ratio condendi leges ex libris de moribus elicitur, & propterea primo addiſcenda attinentia ad mores, mox per ea ſunt condendæ leges, quibus legibus & vrbes, & familiæ, & ſinguli formantur & diriguntur: non enim iuuenes legib. inſtituendi ſunt illi, qui rectam ferendarum legum rationem poſſidere debeant.

Opinio ſecunda, eius reiectio, & verioris explicatio.
CAP. XXIX.

COMMVNIS opinio Latinorum interpretum eſt, libros de moribus eſſe primos, eos ſequi libros Oeconomicos, poſtremos eſſe libros de repub. Ratio eorum eſt, quia à principiis & ſimplicioribus eſt ordiēdum, ſinguli homines, qui in libris de morib. inſtituuntur, ſunt principia familiæ; familiæ autem ſunt principia ciuitatum. Hanc opinionem non eſſe veram, ſatis patet ex dictis: falſum eſt enim, libros de moribus eſſe paratos pro ſola inſtitutione ſingulorum; nam præcipue ſunt ordinati ad commune, & publicūm bonum. Præterea falſum eſt, quod inſtitutio ſingulorū & familiæ præferenda ſit inſtitutioni vniuerſæ reip. nam partes ſequi debent inſtitutionem totius, non contra, vt monuit Ariſtot. in primo de repub. cap. 2. Præterea aperte Ariſt. in poſtremis verbis decimi moralium Nicomach. nectit libros eos cum libris de republ. Dicamus itaque libros de morib. primum in ciuili ſcientia ſibi optare locum, eos ſequi libros de republ. poſtremos eſſe libros Oeconomicos, tanquam appēdices librorum de repub. vt etiam in præcedentibus patefeci. Hoc patet auctoritate & ratione. Auctoritate: quia Ariſtot. in procemio moralium Nicomach. & in procemio magnorum moralium libros de moribus ſtatuit primos, vt iam patefeci: hos ſequi aſſerit libros de repub. vt conſtat ex calce decimi moralium Nicomach, Id ipſum aſſeritur in primo de repub. cap. poſtremo his verbis: *De viri autem & mulieris, filiorumque & patris virtute, & conuerſatione adinuicem: quid recte, vel contra, & quomodo oper-*

Opinio ſecunda.

Reiectio.

Opinio propria.

Digitized by Google

oporteat hoc quidem facere, ab illo autẽ abſtinere, in his quæ in repub. inſpiciuntur, neceſſe eſt intueri: nam cum omnis domus ſit ciuitatis pars, illi autem domus: virtus autem partis totum reſpicere debeat, neceſſe eſt inſpicienti ad rempub. filios, vxoreſque inſtituere, ſiquidem refert ad rectam inſtitutionem reip. pueros, & mulieres eſſe bene inſtitutos: quare cum de his determinatum ſit, de reliquis autem in aliis ſit dicendum, omiſſis propoſitis tanquam finem habentibus, alio ſumto principio diſſeramus, &c. Ex his verbis accurate conſideratis elicitur primo inſtituere, curam ſingulorum & domeſticam ad rempub. proxime pertinere. Colligitur ſecundo, ſi ſeorſum agitur de œconomicis, deſcendendo ad regulas quaſdam, & ordine proprios vt ſit in libris œconomicis, eam conſiderationem debere elici ex inſtitutione reip. eamque ſequi. Colligitur tertio, quod ſi primus liber de rep. verſatur in attinentibus ad familias, id fit non ob ordinem inſtitutionis familiæ, cum ea inſtitutio debeat ſequi inſtitutionẽ totius reip. ſed ſolum quatenus familiæ ſunt modo quodam principia, & ſemina reip. Demum hoc cõfirmatur ratione: nam declaratis communibus, quod fit in libris de moribus, ſequitur agendum de toto, ex cuius inſtitutione, & legibus pendet inſtitutio partium.

Quo genere ordinis ſit vſus Ariſt in ciuili ſcientia, & præſertim in libris de moribus. CAP. XXXI.

PRoponebatur tertio loco conſiderandũ, quo genere ordinis ſit vſus Ariſt. in tota ciuili ſcientia, & præcipue quidem in libris moralium Nicomachiorum. Qua de re prætermiſſis aliorum ſentẽtiis, dico, Ariſtotelem ordinem reſolutiuum ſeruaſſe, ſatis ſimilem illi, quem medici definitiuum appellant. Ideo iure Euſtra. primo moralium, cap. 7. inquit: *ordinem illum eſſe ſimilem ordini definitiuo artis medendi*: dico ſimilem, quia, vt mox patefaciam, in parte differt. Eſt ſimilis quia Ariſtot. primo communem ſcopum ciuilis Philoſophiæ ſibi propoſuit, nempe ſummum bonum, illud definiuit, ex definitione mox occaſionem ſumſit diſſerendi de virtute, & cunctis ordinatis in illum finem. Conſpicua apparet reſolutio in libris de moribus: nã Ariſt. a fine orditur, quem definit, mox ſumta in definitione vſque in prima principia ad ciuilem pertinentia reſoluit. Inſuper loquens de virtutibus prius agit de moralibus, quam de attinentibus ad intellectum, quæ ſunt principia moralium, & loquens de ſummo bono, primo communem eius dedit definitionẽ amplectentem duos eius gradus, demum in calce nempe in decimo moralium, reſoluit illud in partes & gradus, adeo vt in potioribus capitibus cõſpicua refulgeat reſolutio. At quia dixi ordinem ſeruatum ab Ariſtotele in parte eſſe ſimilem ordini definitiuo medicorum, obiici-

Digitized by Google

obiiciunt nonnulli, & inquiunt ordinem Ariſtotelis non poſſe dici definitiuum: quoniam in ordine definitiuo non pars, ſed vniuerſa ars definiri debet, vt fecit Galenus. Inſuper addunt progreſſum Ariſtotelis à definitione ſummi boni ad virtutes non eſſe ordinem, ſed methodum. Verum hi aperte hallucinantur: primo, quia triplex ſtatuunt genus ordinis diſtinguentes definitiuum à reſolutiuo: ſecundo, quia perperam explicant, quomodo felicitas ſe habeat ad ciuilem ſcientiam: nam felicitas nõ debet cenſeri pars eius conſiderationis, ſed communis ſcopus facultate vniuerſam ciuilem ſcientiam includens, ex quo deſumitur modus conſiderandi ciuilis. Tertiò minus recte percipiunt, quid ſit de ratione definitiui ordinis, nam, vt in præcedentibus patefeci, in ordine definitiuo nedum valemus ordiri à cõmuni artis definitione, verum etiã à definitione cõmunis finis: ordo enim eatenus dicitur definitiuus, quatenus ex definitione elicimus occaſionem explicandi principalia capita ad definitum, ac ad eam diſciplinã pertinentia. Similiter errant, dum inquiunt, progreſſum à definitione ſummi boni ad virtutem nõ eſſe ordinem, ſed methodum: nam ſi methodus eſſet, tunc ſummi boni definitio primo tradita deberet nobis declarare virtutem, & eſſe principium cognoſcẽdi illam, cuius oppoſitum verum eſt: nam ex declaratione virtutis eluceſcit definitio ſummi boni, non contra. Præterea finis & ordinata in finem, non methodum, ſed ordinem conſtituunt: ita ſe habent virtus, & ſummum bonum: recte itaque dictum eſt in moralibus Nicomachiis ſeruari ordinem reſolutiuum, in parte ſimilem definitiuo. Et ſi quis obiiciat, quia Ariſtotel. prius in ſexto libro loquitur de ſapientia & ſcientia, mox in decimo de fine, & ſummo bono in contemplatione poſito, ac ita finis vltimo declarari videtur. Reſpondeo, ſatis eſt pro conſtitutione ordinis reſolutiui, vt primo vniuerſe ſermo ſit de fine, veluti vniuerſe in primo libro verba fecit Philoſophus de ſummo bono, nam hoc ſeruare licet in omnibus, quod nunquam finis exacte eluceſcit, non explicatis ordinatis in illum: ideo in decimo libro, explicatis ceteris, diſtinctius partes ſummi boni declarantur, & comparantur inter ſe. Similiter, dum inter ſe comparantur, partes vniuerſam ciuilem ſcientiam conſtituentes, in eis refulget ordo reſolutiuus: nam in libris de moribus vniuerſe declaratur ſummum bonum, & finis totius ciuilis ſcientiæ, mox in libro de repub. explicantur formæ reipublicæ, magiſtratus & leges, quorum ope finis ille acquiritur, effunditur per vrbes, & conſeruatur: demum in œconomicis regulæ ex toto prodeuntes, eique conſentaneæ familiis aptantur. Iure Philoſophus in ciuili ſcientia ſeruandum cenſuit ordinem reſolutiuum ex prænotione com-

Opinio quorundam.

Euerſio.

Dubitatio.

Solut.

Cur Ariſt. ſit vſus ordine reſolutiuo.

munis finis: ille enim nedum diſciplinis ad operationem dirigentibus eſt ſummopere accommodatus, vt pateſeci: verum inſuper, cum homines ſummopere ad vitia ſint procliues, dum eis proponitur finis, & ſummum bonum, id ſummopere valet eos à vitiis reuocare ac inuitare ad virtutem Demum id fieri debuit, quoniam vniuerſa rectitudo humanarum actionum ex ſummo bono tanquam ex regula, & menſura petenda eſt. Et quia de eo variæ circumferebātur veterum opiniones, ob quas facile eſſet errare; propterea primo neceſſarium fuit eas explodere, animos purgare, veritatemque patefacere, vt ita conſtantius, & rectius pertinentia ad ciuilem ſcientiam explicarentur, in congruentemque finem dirigerentur.

Reſolutio vniuerſæ ciuilis ſcientiæ, eiuſq; in decem gradus diſtributio. CAP. XXXII.

ORDO ab Ariſtotele ſeruatus, vt eius inſtituto inſeruiebat, optimus apparuit. Ego tamen cupiens cuncta ad ciuilem ſcientiam pertinentia in capita redigere, eorum oſtendere connexionem, & quo ordine quaſi gradus à nobis percurri debeant oſtendere, aliquantum ab eius ordine receſſi, ac, vt exactior cōſurgeret notitia, ordoque generationis in nobis cum ciuilium habituum, tum attinentium ad eos lucidior pateret, magis ordine compoſitiuo ſum vſus. Agam namque primo de materie, in qua verſantur morales virtutes, nempe de animi perturbationibus, quæ nobis primo per naturam competunt, & primum gradum conſtituunt. Agam ſecundo de principiis virtutum. Tertio progrediar ad ſemiuirtutes; ita enim cum Theage nuncupari congruenter poſſunt continentia, tolerantia, obedientia, verecundia, & ſimiles. Quarto ſtatutis principiis, declarataque ſemiuirtute, agam de virtute morali Quinto progrediar ad virtutes rationis & mentis: eleuabor ſexto ad virtutem heroicam. Septimo, declaratis virtutibus, de vſu, & fructu quodam principali earum verba faciam, nempe de amicitia. Octauo, quia virtutes, vt pariant ſummum bonum, inſtrumenta expoſcunt, agam de inſtrumētis virtutum, & ſummi boni Quibus decurſis ad finem properans agam nono de fine virtutum, quod eſt ſummum hominis bonum. Et quia nitendum eſt, vt hoc ſummum bonum quo ad eius fieri poteſt, commune reddatur, acquiratur à populis, per vrbeſque effundatur: propterea agam decimo de conſeruanda virtute, & ſummo bono, illiſque in vrbes, & reſpublicas propagandis, in quo tanquam in poſtremo ciuilis ſcientiæ fine requieſcam. Ita patebit, quomodo hæc ſalutaris Philoſophia in partes diſtribuatur quomodo partes illæ, & gradus à primo ad vltimum connectantur, ac demum, quomodo ab eo percurri debeant,

Digitized by Google

debeant, qui ciuilis Philoſophus expetit nedum vocari, ſed eſſe. Cum varia percurrerim, ad ciuilem ſcientiam nos parantia, & manuducentia, de eius vtilitate, per quam ad eius ſtudium inuitaremur, nihil dixi, & iure optimo profecto: ea enim adeo ex ſe conſpicua eſt, vt pro ea illuſtranda nil clarius enuntiare valeamus: ſtatim enim, quod dicimus illam eſſe methodum aſſequẽdi ſummum bonum, eſſe methodum qua docemur cunctis recte vti, eſſe methodum dirigendi cuncta in finem optimum, eſſe methodum eliciendi bonum ex rebus omnibus, & demum eſſe diſciplinam nobis arma parantem, quibus aduerſa naturæ, & fortunæ tela obtundere valeamus, luce clarior in ingenuis animi eximia eius vtilitas fulget, quæ ad ſui conſiderationem eos excitat, allicit, & inuitat.

FINIS INTRODVCTIONIS.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

CIVILIS PHILOSOPHIÆ GRADVS PRIMVS.

De materie virtutum, hoc eſt, de animi perturbationibus.

PROOEMIVM.

IAM familiares humano generi ſunt animi perturbationes, adeoq; cum eius vita ſunt complicatæ, vt in omni hominum gradu & cõditione inueniantur, in omni ætate appareant, in omni actione ſentiãtur, ac frequẽter nobis adeo dominentur, vt nos latenter inuadentes inuitos trahant, ducant ad libitum, iudicium peruertant, non ſinant in ſententia manere, ante conſultationem ad agendum nos rapiant, & non ſecus ac nobiſcum orti educatique Dæmones, vniuerſam vitam (niſi corrigantur) confundant ac regant. Quam vim apud Virgilium Niſus perſentiens, exclamans dixit:

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt, 9. Æneid.
Euriale, an ſua cuique Deus fit dira Cupido?

Ac Plato in conuiuio, amorem, perturbationum vehementiſſimam, magnum Dæmonem nuncupauit: Iamblichus quoque in libro de myſteriis Ægyptiorum, *perturbationes clauos eſſe* Sect. 1. cap. 9.

Digitized by Google

Magis de animi, quam corporis morbis tenemur eſſe ſoliciti.

dixit, *quibus animi corporibus affigerentur.* Cum itaque nati ſimus obnoxii vehementioribus animi quam corporis morbis & ſummopere ſimus ſoliciti de morbis corporis, & de importuna peſte, quæ hac tempeſtate VENETIAS, vrbem admirabilem, & venerandam, nec non PATAVIVM, bonarum artium illuſtrem Academiam, vehementer affligit, & excruciat, longe magis de animi perturbationibus ſoliciti eſſe tenemur, cum ex earum cōſonantia, & diſſonantia, potioris noſtræ vitæ ſalus, & pernicies conſurgat. Non igitur iniuria ego his æſtiuis feriis, onere publicarum lectionum leuatus, & partim aſſuetudine, partim vrgentis peſtilentiæ timore, domi ſponte occluſus, vt otium hoc in honeſtum negotium conuerterem, & ſtudia contemplationis, in leuiora commutarem, de perturbátionum genere aliquid ſcribendum mihi propoſui: non enim me latet non poſſe corpus bene valere, niſi bene valeat animus, ac animi congruente valetudine, omnem aduerſam corporis valetudinem feliciſſime corrigi. Cumque varia ſeſe mihi offerant ad perturbationum notitiam pertinentia, ego ſex potiora capita eligam, in eiſque cumulate verſabor: declarabo namque; *quid ſint, cui animæ parti competunt, quod ſint, num ſint omni ex parte praua, an ſequantur corporis temperamentum, ac demum, ſolum homini an etiam iumentis & feris conueniant.* Ex horum enim explicatione fere omnia, ad communem perturbationum notitiam pertinentia, reddentur nota, & conſpicua.

Sex capita ad perturbationes pertinentia.

Explicantur nonnulla inuentioni definitionis perturbationum conducentia. CAP. II.

Qua natura ſit affectiorum animi.

ANimi perturbatio ſiue affectio, quæ Græce *πάθος*, dicitur, nō eſt facultas aliqua animæ noſtræ, neque habitus aſſuetudine acquiſitus, ſed commotio quædam media inter facultatem, & habitum: vt enim per naturam prædiri ſumus facultate ridendi, ex qua deinde riſus eius actio prodit, ita natura nobis competunt facultates iraſcendi ac cupiendi, ex quibus quaſi actiones, mixtæ tamen cum variis perpeſſionibus, huiuſmodi animi perturbationes prodeunt. Nomine igitur perturbationis, nō facultatem, ſed facultatis affectionem, munerisque functionem ſignificamus, quotieſcūque exacte definire volumus vel affectionem, vel actionem aliquam ex facultate prodeuntem, id efficere debemus per omne genus cauſæ, vt nos monet Philoſophus ſub initio octaui metaphyſicæ: nec non in proœmio de anima. cont. 16. quo loci id ipſum exemplo iræ manifeſtauit, inquiens: *vt iraſci motus exſiſtit talis corporis, aut partis aut facultatis, ab hoc, gratia huius* Auerr. id ipſum affirmauit nedum in ſecundo poſteri. verum inſuper in ſexto metaphyſ. cont. primo, & iure

Quomodo affectiones definiri debeant.

iure profectò: cum enim hæ ſint formæ, & accidentia quędã nobis per principia naturæ cõpetentia, debet primo per definitionem explicari forma, quod nõ poteſt rectè fieri ſine materie, & ſubiecto in quo eſt: inſuper quoniam pendent ab obiecto vt ab excitãte eas, per intermediam cognitionem ſpecie diſtincto, in finemque tendẽte, ideo hæc quoq; ſunt explicãda, & inde comſurget definitio ſola poſitione à demonſtratione diſtincta. Hæc perturbationũ definitio omnibus ſuis numeris abſoluta, non à ciuili Philoſopho, ſed à Phyſico tradenda eſt: phyſici. n. munus eſt, ne dum corpora phyſica, verũ principia quoque eorũ, & affectiones ſpeculari. Cum igitur perturbationes ſint affectiones animaliũ, quæ ſunt corpora phyſica, iure à naturali Philoſopho debẽt exacte definiri. Has conſiderat phyſicus, & definit in gratiam ſciẽtiæ, rhetor in gratiam ſuaſionis, vel diſſuaſionis, ciuilis Philoſophus eas conſiderat vt virtute formandas, & corrigẽdas, definitiones autem petit præſertim à phyſico, illiſq; vtitur. Frequenter tamẽ in ciuili ſcientia, vt etiam in rhetorica, inueniuntur cum perturbationũ, tum etiam multorum aliorũ definitiones nõ ita omnibus ſuis numeris abſolutæ, nec ex fontibus Philoſophiæ rhetoricæ hauſtę, ſed potius populariter modoq; dialectico traditæ, cum hoc inſtituto illius diſciplinæ ſit ſatis. Ideo inquit Ariſt. in prooemio de anima, cont. 16. *Vario modo definiet phyſicus, & dialecticus vnumquodq; eorum, vt ira quid eſt? hic enim appetitum recontriſtationis, aut aliquid huiuſmodi, ille autem feruorem ſanguinis, aut calidi, circa cor* Vario itaque modo à Phyſico, & dialectico perturbationes animæ definiuntur, & quamuis verbis nuper relatis dicatur à Philoſopho phyſicũ definire per materiem, non propterea putandum eſt, quod non definiat per omne genus cauſę. Definit profectò per omne genus, vt ex eodem cõtextu colligitur, ac etiã ex ſecundo phyſicorũ, cont. 70. dicitur tamen definire per materiem, hoc eſt, per propria magis, & tanquam per id, per quod cõtra diſtinguitur à definitione dialectica. Eliciuntur perfectæ definitiones perturbationum, partim ex declaratis in libris de anima, vbi animæ facultates explicantur, partim cõſtare deberent ex libris, qui parua naturalia dicuntur, in quibus animaliũ actiones affectioneſque varię cõſiderantur: ideo dicitur, Ariſtotelem compoſuiſſe librum de ira, nec non de voluptate, qui ſi exſtarẽt, & phyſice de his ageretur, inter libros paruorũ naturalium numerandi eſſent. Euenit tamen frequenter, vt Philoſophus in ſcientiis ad vltimas ſpecies non deſcendat, & multa negligit tanquam conſpicua ex communibus, ac principiis ab eo explicatis, de quibus cumulatius, & diſtinctius mox agitur in diſciplinis inferioribus, quæ vti illis debẽt, & quibus inſeruit eorum diſtinctior explicatio. Hoc ſeruauit Philoſo-

A quo exacte definienda perturbatio animi.

Cur nõnunquam rerum ſpecies in phyſicis negliguntur.

Digitized by Google

phüs in conſideratione metallorum, foſſilium, plantarum, nec non perturbationum. Ideo in ciuili ſcientia, & in lib. rhetoricorum qui cum ciuili ſcientia eſt complicatus, latius & diſtinctius in perturbationum explicatione verſatus eſt: præcipue tamen in lib. rhetoricorum ſingulas ſpecies accuratius diuiſit, diſtinctiuſque explicauit, quoniam rhetor ſua oratione præſertim magis ad ſingulas deſcendit.

An perturbatio ſit actio, vel potius perpeſſio, poſterius affirmatur fere. CAP. III.

VT naturam ac cōditionem perturbationum exactius cognoſcamus, rectiuſque valeamus eas definire, nos minime fugere debet, perturbationes animi varia ratione cū actiones, tum perpeſſiones dici poſſe, quod vt appareat, ordo, quo excitantur, eſt conſiderandus. In excitanda perturbatione primo ſe nobis offert obiectum, veluti iniuria, aut aliud ſimile, hoc mouet ſentiendi facultatem, quæ excitata illud cognoſcit, eaq; cognitio vim imaginandi attingit, quæ obiectum primo abſolute iudicat, mox cum conditione boni, vel mali, ſiue afferentis nobis delectationem vel triſtitiam, quo iudicio ſiue obiecto ineſſe cognito, excitatur appetitio pro adeptione vel fuga, in quo excitando alterantur ſpiritus, permutantur, ac certo quodā modo corpus afficiunt, mox per vim imaginandi vna cum appetitu diriguntur inſtrumenta motus ad fugam, vel adeptionem. In vniuerſo hoc ordine triplex conſideratur modus, vnus facultatis cognoſcentis ab obiecto, ſecundus facultatis appetentis à iudicio, tertius totius animalis à facultate appetente & inſtrumentis. Primus eſt cauſa ſecundi, & ſecundus tertii. Primus magis eſt ſpiritalis, & minus proprie dicitur motus, ſecundus magis corporeus, magiſque proprie dicitur motus, tertius iam proprie penitus motus eſt. Hic tertius quo ſequimur, vel vitamus obiectū, non eſt purturbatio, ſed perturbationem ſequitur. Motio quoque prima facultatis ab obiecto, nec non iudicium eius, perturbatio non eſt, ſed origo, & principium perturbationis. Perturbatio autem eſt media commotio conſiderata in facultate appetente, vergente ad obiectum cum quadam ſpirituum agitatione. Quæ media commotio ad tria poteſt referri, primo ad obiectum ineſſe cognito, ſecundo ad facultatem appetendi, tertio ad corpus viuens ſiue partem eius, quæ tria ita ſe habent, vt obiectum ſolum moueat, vis appetens primo moueatur, mox moueat, corpus tantum moueatur, ac ita perturbatio ex parte obiecti eſt ſolum actio, ex parte facultatis appetentis eſt primo perpeſſio, mox actio, ex parte corporis tantum perpeſſio. Præſertim autem perturbatio ad vim appetendi refertur, hinc, modo actio,

Ordo quo excitantur perturbationes animi.

Triplex ſubordinatus motus.

Digitized by Google

do actio, modo perpeſſio dicitur: nuncupatur actio ab Ariſtotele in tertio de anima 29. dicente: *Et eſt delectari & dolere agere ſentiendi medietate ad bonum vel malum, quatenus talia ſunt, &c.* Ex quo colligo minus recte, Scotum in 4. ſent. diſt. 47. aſſeruiſſe perturbationem eſſe ſolam perpeſſionem, ab actione virtutis appetentis diſtinctam, nam Ariſtotel. eam eſſe actionem dixit. Quod confirmatur: quia in ſecundo de anima, 38. oſtenditur, *animam eſſe cauſam vt finem, vt formam, & vt efficientem*; eſt enim efficiens ſuarum operationum: hinc affectio inter operationes immanentes numerari debet, veluti iraſci, & amare, non ſecus ac videre, nam ſaltem vna cum obiecto in eſſe cognito facultas appetēs operatur in perturbationis productione. Aſſero tamen perturbationem rectius perpeſſionem, quam actionem dici, cum ex perpeſſione oriatur, & ſit perpeſſio quædam tum facultatis appetentis ab obiecto, tum viuentis vel partis eius, vt patet ex proœmio de anima, ac in ea perpeſſione præſertim poſita eſt natura, & conditio eius: hinc πάθος ſiue perpeſſio nuncupatur. Inſuper cum omnis perturbatio potiſſimum ſit perpeſſio, ea tamen maxime perpeſſio eſt, quæ rationem præcurrit, vel ei aduerſatur: tunc enim ab obiecto cognito penitus ducimur ac rapimur, perturbationes autem, quæ ſequuntur rationem, minus ſunt perpeſſiones.

Contra Scotum.

Definitiones perturbationis ab aliis traditæ referuntur, ac reiiciuntur. CAP. IV.

STOici, qui in attinentibus ad mores accuratiſſimi fuerunt, varias dedere perturbationum definitiones: Zeno enim (referente Cicerone 4. Tuſculanarum quæſtionum) dicebat, perturbationem eſſe aduerſam rectæ rationi contra naturam animi commotionem. Alii ex Stoicis aſſeruerunt eſſe plus æquo vehementem turbidumque animi motum: nonnulli prauam intemperantemque commotionem vires ſuſcipientem a deprauato iudicio. Hæ, ac ſimiles à Stoicis traditæ definitiones, iure damnandæ ſunt: ſupponunt enim communem eorum errorem, quod perturbationes ſoli competant homini, ſint omni ex parte prauæ, rationi aduerſæ, ac cum natura pugnantes, quod a vero abhorrere ſuo loco latiſſime demonſtrabitur. Perperam itaque inquiunt, eas abſolute eſſe prauas, nimium vehementes, naturæ aduerſas, cum ratione pugnantes, & ſimilia. Hæc enim non vniuerſo perturbationum generi, ſed ſolum exuperantiæ humanarū perturbationum cōueniunt, neque naturam & conditionem earum patefaciunt, cum non explicent, neque vnde re vera oriantur, neque cui animæ parti conueniant, quid propriè ſint, quemve vſum præbeant. Andronicus, necnon Alcinous, a

Definitiones traditæ à Stoicis.

Euerſio earum.

Andronicus & Alcinous.

Digitized by Google

liique nonnulli, qui hos ſequuti ſunt, *perturbationem* dixerunt *eſſe animæ motionem rationis expertem, conſurgentem ex opinione boni vel mali.* Quæ definitio, quamuis præferenda ſit definitionibus Stoicorum, quatenus perturbatio ab his non dicitur aduerſa rationi, ſed ad partem animæ dicatur pertinere quæ rationis eſt expers: tamen approbanda non videtur. Tum quia finis in ea non apparet tum quia nomen opinionis perperam in ea vſurpatur, opinio enim ex ſententia Ariſtotelis in ſecundo de anima, cont.152. ad partẽ animæ rationalem pertinet: perturbatio vero ad appetitum ſentiendi: tum quia bonum & malum, quę excitare dicuntur perturbationes, ſunt mouẽtia nimium cõmunia ac remota, quæ in ſua potiore ſignificatione ſumta, potiſſimum ad voluntatem pertinẽt: tum demum quia, vt inquit Aſpaſius, *poſſunt nobis conuenire perturbationes ſine vlla opinione & aſſenſu, per ſolam imaginationem, vt per ridicula voluptate afficimur, etiam ſi nil boni vel mali nobis adeſſe opinemur.* Definitionem in parte ſimilem dedit Boethus inquiens: *perturbationem eſſe motionem eius animæ partis, quæ rationis eſt expers, magnitudine quadam præditam*: addebat autem hoc, quia nonnullos paruos motus ad hanc partem attinere exiſtimauit, quos ob paruitatem non cenſuit debere dici perturbationes. Quam ſententiam non iudico veram: non enim magnitudo eſt de ratione perturbationis: primo, quia maius & minus non conſtituunt ſpeciem diſtinctam: ſecundo, quia dum magnitudinem addimus, id quod nimium eſt, indicare videmur, non autem vniuerſam perturbationis latitudinem. Aſpaſius in ſecundo moralium Nicomachiorum, capit. tertio, *perturbationem* definiens dixit *eſſe motionem eius animæ partis, quæ rationis eſt expers, à voluptate vel dolore productam.* Quæ definitio etiam dubia eſt: primo, quia finem perturbationis non explicat: ſecundo, quia non declarat, ad quam animæ partem rationis expertem pertineat: tertio, quia Aſpaſius videtur ſibimet aduerſari, nam primo inquit, perturbationes produci à voluptate & dolore, mox ait dolorem & voluptatem eſſe genera perturbationum, dicere autem, quod ſint genera perturbationum, & quod perturbationes inducant, proculdubio inuicem pugnant, definitio enim perturbationis debet generi conuenire: ea autem definitio voluptati & dolori minime conuenit, & conſpicuum eſt. Præterea genus non dicitur inducere & excitare ſpecies, ſed eas vt partem conſtituere Academicorum nonnulli aſſeruerunt, perturbationem eſſe motum animi rationis expertis, alicuius boni vel mali gratia: in qua definitione nec cauſſæ omnes apparent; nec omni ex parte verum eſt id quod dicitur, quod ſint alicuius boni vel mali gratia: quoniam, dum inquiunt eſſe boni alicuius vel mali cauſſa, aut volunt pate facere finem.

Boethus.

Aſpaſius.

Academici.

Digitized by Google

te finem, aut originem, non finem, quia de ratione finis eſt tantum bonum, non malum, ſi originem indicant, miſſum faciunt finem. Præterea bonum & malum nimium vniuerſalia ſunt, & communia omnibus actionibus, ac perpeſſionibus. Demum, ſi Platonem ſequuntur, deberent cum eo in Philebo dicere perturbationem omnem oriri ex concurſu voluptatis & doloris: ex eius enim ſententia ſunt motiones facultatis appetentis, conſurgentes ex permixtione voluptatis ac doloris. Propterea Latinorum nonnulli dixere: *perturbationem eſſe motionem facultatis appetentis ab obiecto ſuaui vel moleſto, ad iucunditatem vel moleſtiam ducens, ob conſenſionem quandam naturalem, vel diſſenſionem facultatis ab obiecto.* Quæ definitio reiicienda eſt: primo, quia finis non eſt iucunditas vel moleſtia, ſed fuga moleſtiæ & adeptio iucunditatis: quod ſi dum iraſcimur, cupimus alium triſtari, finis tamen eſt ea iucunditas, qua afficimur ob inimici contriſtationem, non enim triſtitia, quæ malum eſt, obtinet rationem finis. Præterea inquit Ariſtot. in ſexto topicorum loco 68. *diminutas eſſe definitiones perturbationum, dum [illegible] non ponitur, quod apparet: ex eo enim [illegible] tale apparet, oritur perturbatio.* Demum ſuperuacaneum eſt apponere, quod pendeat ex naturali conſenſione, ac diſſenſione, ſat enim eſt dicere ex obiecto ſuaui, vel moleſto: nam obiectum videtur tale, nedum ob naturalem conſenſionem ac diſſenſionem, verum etiam ob habitus & conſuetudinem. Dubiæ itaque ſatis mihi videntur definitiones ab aliis traditæ: propterea aliam excogitare debemus.

Latini nonnulli.

Propria perturbationum definitio, eiuſque explicatio.

CAP. V.

Propria definitio.

PERTVRBATIONVM genus vna cum Ariſtotele ita definiendum cenſeo: *perturbatio eſt motio appetentis ſenſuum facultatis, nec non ſpirituum cordis, ab obiecto, quod per vim imaginandi vel iucundum nobis, vel moleſtum apparet, ob moleſtiam vitandam, fruendamque iucunditatem.* In hac definitione omnes cauſæ eluceſcunt. Nam motio eſt forma communis: quæ tanquam in principali fundamento conſideratur in facultate appetente, tanquam in inſtrumento & proxima materie in ſpiritu, tenuioreque parte ſanguinis, cordis, & præcordiorum: ideo Ariſtot. in procœmio de anima, cont. 15 docens iram definire, nedum de facultate, verum etiam de parte corporis mentionem fecit. Perturbatio igitur dicitur motio: quia ea non eſt vis animæ, quæ per naturam & ſemper nobis ineſt, non habitus, qui firmus & conſimilis ſemper eſt, non idolum & phantaſma, quod emittitur ab obiecto & ſeruatur in memoria: ſed motio excitata

ab obiecto cognito, quod per vim imaginandi iucundum nobis vel moleſtum apparet. Fit mentio de virtute imaginandi, quia eius iudicium proxime excitat appetitiones ſenſuum: hinc Ariſt. in tertio de anima agens de facultate mouendi, vim imaginandi, & appetitum aſſeruit proxima principia motus: & in ſecundo de anima, cont. 20 voluptatem & dolorem vna cum ſenſu, appetitu, & imaginatione iuncta reperiri affirmauit. Additur, quod apparet, vt ſeruetur regula Ariſtotelis in ſexto topic. loco 68. Ac pro fine accipio iucunditatem, eiuſque adeptionem, potius quam iucundum, vt ſeruem ſententiam philoſophi in ſexto topic. loco 58. monentem, concupiſcentiam rectius per delectationem, quam per delectabile definiri, cum ea magis ſit finis.

Dubitatio prima. Hæc definitio (vt ex ſe conſtat) ſola ſuarum partium poſitione à demonſtratione diſtinguitur: At dubitare quis poſſet, primo; qua perturbatio nonnunquam oritur non ex ſenſu, ac imaginatione iucunditatis, vel moleſtiæ, ſed ex ſolo rationis imperio, & mandato mentis, vt in homine euenit recte inſtituto, qui ſola ratione mouetur. *Secunda.* [illegible] ſemper finis videtur eſſe iucundum, vel moleſtum, ſed nonnunquam honeſtum, præſertim in attinentibus ad facultatem iraſcendi, quæ pro ratione frequenter pugnat aduerſus cupiditatem: iucunditas autem & moleſtia videntur eſſe proprii fines cupiditatis, non autem omnium perturbationum. *Tertia.* Præterea adhuc ea definitio minime videtur conſimilis definitioni perturbationum traditæ ab Ariſtot. inquit enim ſub initio ſecundi Rhetoricorum, *perturbationes eſſe motiones, quæ faciunt, vt homines immutati non eodem modo de eiſdem rebus ſentiant, quas dolor ſequitur vel voluptas*, ita in ſecundo libro moralium Nicomachiorum inquit, *perturbationes eſſe eas mutationes, quas ſequitur voluptas, vel dolor*: ego igitur ſecus definiens, videor ab Ariſtotele recedere, & maxime ab eo videor diſſentire, quoniam ipſe ſemper dicit, eas ſequi voluptatem, & dolorem, *Quarta.* quod ego miſſum feci: demum non conſtat, an tradita definitio competat voluptati, & dolori.

Soluuntur inſtantia aduerſus definitionem perturbationis allata. CAP. VI.

Solutio prima. NOn leuia profecto ſunt ea dubia, quæ ex tradita definitione emergunt. His tamē ꝓ facultate ſatisfaciens, de primo dico cū Ariſt. in 3. de anima, nec non in libro de motu animaliū, mentē ſolū mouere à longe, (id eſt remote & mediate) non ꝓxime, nec eſſe cōmune, & adæquatū principiū motus animalium, & nunquam mouere ſine intermedia phantaſia, & appetitu: nos autem in definitione accipere debemus principium adæquatum, & proximum, per quod ſine medio excitantur perturbationes.

Digitized by Google

pes. Ideo Ariſt. in 3. de anima cont. 57. inquit: *vis appetendi non eſt ſine phantaſia, phantaſia autem omnis aut eſt per rationem, aut per ſenſum, hanc ſecundam habent etiam cætera animalia præter hominem, primam autem ſolus homo habet, &c.* per phantaſiam autem cum ratione ſignificauit Ariſt. non cogitatiuam illam ab Auerroe perperam excogitatam, vt cenſent nonnulli, ſed apprehenſionem obiecti à facultate imaginandi, approbati per rationem, vt euenit in prælectione: nunquam igitur ratio mouet ſine phantaſia eam ſequente, vt latius oſtenditur in lib. de motu animalium, præſertim c. 5 & 6. Dubitabatur ſecundo, quia non ſemper finis videtur eſſe iucundum, vel moleſtum, ſed ſolum hoc videtur conuenire perturbationibus cupiditatis: quod confirmatur per Ariſt. in 6. topic. loco 58. dicentem, *cupiditatem rectius definiri per delectationem, quam per delectabile*: Clarius in 4. topic. loco 51. inquit: *triſtitiam non eſſe genus iræ, quoniam triſtitia eſt in parte concupiſcibili, ira vero in iraſcibili.* Reſpondeo, iucundum, & moleſtum dupliciter vſurpari: primo pro delectatione attinente ad guſtatum, & tactum, quæ vehemens eſt, & pro triſtitia ei oppoſita, in qua ſignificatione ea vera ſunt, quæ ex Ariſt. fuerunt relata: ſecundo vſurpatur latius, vt extenditur ad iucunditatem, & moleſtiam vtriuſque appetitionis, vbi enim ſenſus & appetitio, ibi iucundum, & moleſtum neceſſario reperitur, in qua ſignificatione ſumta fuerunt in definitione: & in eadem ſignificatione in 3. de anima 29. Cum ſenſus indicat delectabile, aut moleſtum, vt affirmans, & negans proſequitur, vel fugit: nam ſenſus, vt ſenſus tendit ad bonum vt delectabile, tanquam vero à ratione directus reſpicit honeſtum. Erat tertia dubitatio, quia Ariſt. ſecus definit: cui reſpondens dico, in variis diſciplinis poſſe perturbationes vario modo definiri, ob diſtinctionem finium earum diſciplinarum: ego exactam ac potiorem definitionem inquirens, Ariſtotelem ſum ſequutus in procemio de anima, aliiſque in locis, in quibus conditiones declarat pertinentes ad exactam definitionem earum, non ad popularem, rhetoriquæ accommodatam: qualis eſt ea, quæ traditur ſub initio ſecundi Rhetoricorum. Et dum additur, quod Ariſt. vbique dicit: *perturbationes eſſe eas, quas ſequitur voluptas, vel dolor,* quod ego miſſum facio: reſpondeo hoc virtute contineri in tradita definitione, quatenus dixi perturbationem excitari ab obiecto, quod vel iucundum nobis, vel moleſtum apparet, ad moleſtiam vitandam, &c. An autem ea definitio voluptati, & dolori competat, ex eorum explicatione infra apparebit.

Solutio ſecunda.

Solutio tertia.

An perturbatio ad facultatem appetentem, vel ad indicantem pertineat. CAP. VII.

Prima dubitatio. *Secunda.*

EX his quæ de perturbationum genere dicta ſunt, duæ emergunt difficultates: vna eſt, an recte ſit dictum, perturbationem pertinere ad facultatem appetentem: altera eſt, ſi ad appetentem pertinet, num etiam pertineat ad voluntatem, quæ eſt vis appetendi humanæ mentis. A prima vt exordiar, putarunt Stoicorum nonnulli, & præſertim Chryſippus, *perturbationes eſſe iudicia, & opiniones:* ideo Cicero in 4. Tuſculanarum quæſtionum ex ſententia Zanonis, & Stoicorum inquit: *Sed omnes perturbationes iudicio cenſent fieri & opinione.* Itaque eas definiunt preſſius, vt intelligatur, non modo, quam vitioſæ, ſed etiam quam in noſtra ſint poteſtate: eſt igitur ægritudo opinio recens mali præſentis, in quo demitti, contrahique animo rectum eſſe videtur: lætitia opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur: metus opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur. Libido opinio venturi boni, quod ſcit ex vſu iam præſens eſſe, atque adeſſe: ſed quæ iudicia, quaſque opiniones perturbationum eſſe dixi, non in eis perturbationes ſolum poſitas eſſe dicunt, verum illa etiam, quæ efficiuntur perturbationibus, vt ægritudo, quaſi morſum aliquem doloris efficiat. Hæc Cicero, quibus indicat ex ſententia Stoicorum cum perturbationes, tum pendentia ex eis in iudicio quodam, ac exiſtimatione eſſe poſita. Galenus in quarto de Platonis, & Hippocratis decretis c. 2. has definitiones aſſerit datas á Chryſippo: quem mox c. 3. inquit, diſſentire à Zenone, cæteriſque Stoicis: quatenus illi perturbationes eſſe iudicia putarunt, quia ex iudiciis conſurgerent, Chryſippus vero eaſmet eſſe iudicia affirmauit. Confirmatur horum opinio: quia homo, dum perturbatus eſt, longe ſecus iudicat, ac a perturbatione liber, ideo iure antiquus ille litigator ſub Alexandro Macedonum rege, reuocauit ſententiam ab Alexandro irato traditam, ad Alexandrum non iratum. Horum opinio alieniſſima eſt à vero. Pro cuius notitia conſiderandum, quod vis cognoſcens & appetens, re & ſubiecto idem ſunt, ſola ratione diſtinguuntur, vt docet philoſophus in tertio de anima, cõt. 29. ob quam rationis diſtinctionẽ vna non videtur altera, & multa cõpetunt vni, quæ nõ competunt alteri: veluti facultati cognoſcẽti competit iudicare obiectum, approbare, reprobare, excitare appetitionem, eamq; dirigere, facultati vero appetenti conuenit motio, aſpiratio ad obiectum, conatuſq; ad illud aſſequendum, vel vitandum: facultas cognoſcens primo rem iudicat vt verã, mox vt iucundam, vel moleſtã, ſiue vt bonam, vel malam: dum eam iudicat vt veram, non excitat appetitum ſed dum eam iudicat vt bonã, vel malam, non quidem abſolute, ſed nobis, vel noſtris, nam demto hoc iudicio, non excitatur appetitio. Et iure hæ facultates iunctæ eſſe debuerunt:

Stoici,

Galenus.

Prouocatio à principe ad principem eundem numero, ſed diſſimiliter ſe habentem.

Reiicitur ſententia Stoicorum.

nam

Digitized by Google

nam vis appetens cum ex ſe ſit cœca, nil proſequeretur, vel vitaret, niſi à cognoſcente facultate excitaretur, ac dirigeretur: pariter contra inane eſſet iudicium boni & mali, niſi ei iuncta eſſet facultas aſſequendi illud, vel vitandi, facultati cognoſcenti reſpondet obiectum ſub ratione veri, & falſi, facultati vero appetenti reſpondet optabile ſub ratione boni, vel mali, iucundi, vel moleſti. Ex his patet perturbationes ad facultatem appetendi pertinere, & propterea non eſſe opiniones, ſiue exiſtimationes. Hinc Ariſtotel. in 4 topicor. loco 61. inquit: *timorem, & iram in iraſcendi appetitu reperiri, voluptatem vero, & triſtitiam, in appetitu concupiſcendi.* In facultate enim appetendi tria conſiderantur, primo facultas, ſecundo motio, & perturbatio, tanquam perpeſſio eius, & modo quodam actio, tertio habitus ex iteratis actionibus, longaque aſſuetudine confirmatus. Cum itaque perturbatio ſit motio, ac motio non ſit iudicium, ſiue opinio, nec pertineat ad facultatem cognoſcentem, ſed appetentem, iure nec iudicium cenſeri debet, neque ad facultatem cognoſcentem proxime valet attinere, ſed ad eam ſolum pertinet, vt ad excitantem, ac dirigentem. Hoc lucidiſſime affirmauit, & confirmauit Philoſophus in ſecundo de anima, cont. 27. inquiens: *Animalia autem omnia habent vnum ex ſenſibus tactum: cui autem ſenſus ineſt, huic lætitia, & triſtitia, ſuaue & triſte competit: quibus autem hæc, & concupiſcentia, hæc enim eſt appetitio rei delectabilis.* His verbis Ariſtotel. manifeſte aſſerit lætitiam, mœrorem, cæteraſque alias perturbationes ad vim appetendi pertinere. Idipſum patet ex obiecto: perturbationes enim obiectum quærunt, & fugiunt, non ſub ratione veri, vel falſi, quod proprium eſt facultatis cognoſcentis, ſed boni, vel mali, iucundi, vel moleſti. Eadem veritas redditur conſpicua, perpendendo ea, quæ pertinent ad motum animalium: phantaſia enim, ac vis appetendi ſunt proxima principia motus, phantaſia ſine appetitu non mouet, neque appetitus ſine phantaſia, vt nos docet Philoſophus in tertio de anima, 50. & 56. cont. *appetitus tamen proximus mouet*, quia actio ſenſus, & phantaſiæ non eſt motio: actio vero virtutis appetentis motio nuncupatur ab Ariſtotele in tertio de anima, cont. 54. inquit enim: *Appetitio motus quidam eſt, aut actus.* Nam in motus productione ex ſententia Ariſtotelis conſideratur hic ordo: primo optabile, vt mouens immobile mouet facultatem cognoſcentem: inde oritur eius cognitio per ſenſus externos, ac vim imaginandi: & primo cognoſcitur abſolute, ſecundo cum ſubnotione boni, vel mali, iucundi, vel moleſti: cum qua ſubnotione tertio loco excitat vim appetendi, cuius commotio non eſt ſine alteratione aliqua ſpirituum, & corporis, per

Cur facultas appetens, & cognoſcens necti debeat.

Tria conſiderantur in facultate appetente.

Ordo conſideratur productione motus.

Digitized by Google

quandam refrigerationem, vel excalefactionem, contradictionem, vel extenſionem productam ab obiecto noto, cuius notio ſeruat in parte naturam, & conditionem externi obiecti: demum anima per cognitionem vt per ducem & dirigentem, per appetitum vt per proxime agitantem, auxilio ſpirituum ac cæterorum inſtrumentorum corporis mouet corpus totum, quẽadmodum in libro de motu animalium, præſertim c. 5. & 6. docet philoſophus. Cum igitur perturbatio ſit motio oriens ex iudicio boni, vel mali, & ea motio non ſit iudicium, ſed ſequatur iudicium, vt vmbra corpus, iure non ad facultatem cognoſcentem, ſed ad appetentem pertinebit. Perperam itaque Chryſippus, & qui eum ſequuntur, inquiunt: *perturbationes eſſe opiniones, iudicia, vel exiſtimationes*: opinio enim, & exiſtimatio, ſi proprie ſumuntur, ad intellectum pertinent, vt patet ex calce ſecundi de anima: perturbationes attinent ad partem rationis expertem, perturbationes pertinent ad vim appetendi: cui nedum opinio, verum neque etiam vlla cognitio competit. At cum perturbationes non ſint iudicia, minime tamen ſine iudicio fiunt, appetitio enim animalium cognitionem ſequitur, & expoſcit. Ideo Ariſt. in 3. de anima 29 dixit: *Cum ſenſus rem nouerit vt delectabilem, vel moleſtam, proſequitur, aut fugit.* Inſuper cum non ſint iudicia, poſſunt tamen eſſe cauſſæ, quod homines perturbationibus vario modo affecti, vario modo iudicent, vt in earum definitione patefecit Ariſt. ſub initio ſecundi rhetoricorum. At eſt dubitatio, quia Ariſt. 3. de anima 29. dixit: *Et eſt delectari & dolere, agere ſentiendi medietate, ad bonum aut malum vt talia ſunt, &c.* ac ita Ariſt. voluptatem ſenſibus, non appetitui tribuit. Reſpondeo, voluptatem attinere ad ſenſum vt ad iudicem, ad appetitum vt ad id, quod ex iudicio excitatur: inſuper ibi philoſophus ſumſit ſenſum, vt etiam includit vim appetendi, quam in eodem contextu ſola ratione inquit à ſenſu diſtingui.

An perturbationes locum habeant in parte animæ rationis compote. CAP. VIII.

Quod perturbationes etiam competant menti.

SAtis aperte conſtare cenſeo, perturbationes ad appetendi facultatem pertinere. Verum quia vt in ſenſu duæ appetendi facultates inueniuntur, vna cupiendi, altera iraſcendi, ita in parte rationis compote inuenitur voluntas, & præelectio: propterea conſiderandum occurrit, nunquid vt in facultate appetendi ſenſuum, ita in ea mentis locum habeant perturbationes: & iure hoc fieri debet, cum pro omni parte adſint rationes magni ponderis, & auctoritates grauiſſimorum virorum. Quod enim ſit neceſſe, vt in ea quoq; inueniantur, ex eo ſatis conſpicue elici poſſe puto: quia homo per facultates rationis expertes cõuenit

Digitized by Google

uenit cum iumentis & feris, & perturbationes ad hanc facultatem pertinentes communes ſunt vtriſque: at homo nedum his, verum aliis quoque, ac vehementioribus perturbationibus eſt obnoxius ad gloriam, ad honorem, ad ſummum bonum pertinentibus, quæ cum hominis ſint propriæ, eſt neceſſe, vt etiam ei competant per facultatem propriam, quæ rationis eſt particeps. Et confirmatur, quia innumera ſunt, quę humanam rationem agitant ac turbãt, nedum præſentia, verum præterita quoque & futura: innumera ſunt, quæ nos optamus vel fugimus, non ſenſu, ſed ratione nota, ob quæ ſummopere turbamur: ea igitur cum mente, non ſenſu percipiantur, in appetitu mentis perturbationes parere valent, non in eo ſenſuum. Ita Plutarch. nitebatur oſtendere, *hominem cæteris animantib. miſeriorem, quia pluribus perturbationibus, quaſi ventis continenter agitaretur:* quod accuratiſſime etiam fecit Plato in Axioco, hoc eſt, dialogo de contemnenda morte. Inſuper id ipſum hac ratione oſtenditur: quia perturbatio ex ſententia Ariſtotelis in ſecundo moralium Nicomachiorum mediat inter habitum & facultatem, cum autem in mente habitus & facultates inueniantur, etiam neceſſe eſt vt inueniatur medium, perturbatio ſcilicet, quæ congruente habitu formetur ac dirigatur. Præterea vitia & peccata ad mentem pertinere videntur, cum ſint hominis propria, fiant libere, & cum prælectione: peccata autem ad eam partem attinere videntur, in qua reperiuntur perturbationes, cum perturbationes vel ſint occaſiones peccandi, vel ipſæmet ſint peccata, dum modum non ſeruant. Inſuper voluntas & prælectio ſunt facultates appetendi, actus autem ſecundus facultatis appetentis perturbatio quædam eſſe videtur, vel ſaltem complicata cum ea: eſt enim motio pro vitando, vel aſſequendo obiecto. Præterea gaudium & lætitia, amor & odium, nedum ad ſenſum, verum etiam ad intellectum pertinent, quæ vel ſunt perturbationes, vel complicatæ cum eis: quod patet, quia Ariſtot. in 4. topic. loco 61. ait, *amicitiam ad voluntatem pertinere, amicitia autem eſt inueteratus amor.* Inſuper in 10. moralium Nicomachiorum in mente ponit gaudium, & ambigit, an ſummum bonum contemplationis in gaudio ſit collocatum. Et Plato in Philebo menti tribuit gaudium, illique conuenire aſſerit ſecundas partes ſummi boni: quare ſi voluntati & prælectioni conuenit actio, conuenit etiam gaudium, quod eſt perfectio & finis actionis, ſi gaudium, & dolor, ſi hæc, & perturbationes, cum vel ſint principia earum, vel eas ſequantur. Ideo Theologi angelis amorem & gaudium tribuunt, Dæmonibus tribuunt inuidiam, ſuperbiam, & odium: & Academici Dæmones perturbationibus aiunt obnoxios, cum tamen ratione operentur. Horum

ſententia confirmatur auctoritate ſatis conſpicua Ariſtotelis in 4. top. loco 61. aſſerentis, *verecundiam pertinere ad partem animæ rationis compotem*. Propterea Scotus eximius Theologus, & Phi-loſophus in 3. ſent. diſt. 33. affirmat *etiam in voluntate inueniri per-turbationes, congruente habitu corrigendas*: quod etiam affirmat in primo ſent. diſt. 1. q 3. & in 4. ſent. diſt. 49. q. 7. Diuus quoque Au-guſtinus 14. de ciuitate Dei, præſertim cap. 5. & 6. eiuſdem vide-tur eſſe ſententiæ. Idipſum putarunt Stoici, & præſertim Chry-ſippus, cum aſſeruerint *perturbationes ſoli homini competere, eaſq; definiuerint, quod ſint opiniones, & exiſtimationes, quæ ad mentem pertinent*. Hinc Galenus in 4. de placitis Hippocrat. & Platon. c. 2. 3. & 4. ex definitionibus perturbationum à Chryſippo traditis aſſerit colligi eas ad rationalem animæ partem pertinere, cum tamen ex aduerſo idem Chryſippus parum ſibi conſtans dicat, *cupiditatem eſſe irrationalem expetitionem*, ac ita de inconſtantia illum carpit. At pro Chryſippo dicere poſſemus, *cupiditatem eſſe irrationalem expetitionem, non quia ad partem rationis compotem non pertineat, ſed quia rectæ rationi aduerſatur*, vt recte Aſpaſius definitionem à Chryſippo traditam explicauit. Sic itaque hæc prima opinio ſatis firmis fundamentis nititur. Ex aduerſo ta-men Ariſtot. ſecus ſentire videtur, cum enim perturbationes formam & modum recipiant á virtutibus in more poſitis, in ea parte animæ illas reperiri cenſendum eſt, in qua locum ha-bent virtutes morales: At hæ ab Ariſtotele tribuuntur appeti-tui ſenſuum, non mentis; vt ſuo loco patebit. Quare perturba-tiones appetitui ſenſuum conueniunt, non autem mentis. Præ-terea πάθος ſiue perturbatio minime fit ſine motione ſangui-nis, ſpirituum, & alicuius partis corporis: at in actione ſiue per-peſſione voluntatis & mentis, nulla adeſt motio inſtrumento-rum, cum hæ facultates, vt aſſeritur in 3. de anima, careant cor-poreo inſtrumento. Præterea ex perturbatione proxime oritur motio corporis pro vitando vel aſſequendo obiecto: mens & voluntas non proxime mouent corpus, vt patet ex 3. de anima, ex primo de partibus animalium & ex libro de animalium mo-tu, proxime enim mouent ſola vis imaginandi, & appetitus eius: quare in ſola ſenſuum appetitione non intra mentis locum ha-bent perturbationes. Præterea perturbatio eſt motio ad vitan-dum id quod videtur malum, & amplectendum bonum, & quia obiectum, quod actione attingitur, vel vitatur, eſt ſingulare, ſingularium proprie ſenſus eſt, mens autem proprie eſt vniuer-ſaliū: ideo perturbatio proprie & proxime eſt partis ſentientis, non autem mentis: nam in mouendo corpore, & obeundis ex-ternis actionib. mens ſolum præcipit & dirigit, vis autem ima-ginandi, & eius appetitus, proxime implent mandata eius. Hinc

Ariſt.

Motus.

Chryſippus non ſibi conſtans.

Quod ad mentem non pertineant perturbationes.

Digitized by Google

Ariſt. in proœmio de anima, *perturbationes omnes eſſe communes animæ & corpori, & cum temperamento miram quandam habere connexionem manifeſtauit*, ait enim cont. 14. *Videntur autem perturbationes omnes eſſe cum corpore, ira, manſuetudo, timor, miſericordia, confidentia, inſuper gaudium, amare, odiſſe: ſimul enim cum his patitur aliquid corpus, &c.* Ideo infert debere per corpus & materiem definiri. Inſuper in 7. libro Phyſic. aſſeruit, *alterationem ſolam ſentiendi facultatem attingere, non autem mentem: at perturbatio animi non fit ſine aliqua alteratione.* Propterea recte Cicero in primo de Officiis, necnon in primo Tuſculanarum quæſtionum, & in 4. ad ſolam ſentiendi facultatem pertinere animi perturbationes affirmauit. Hinc, vbi nulla reperitur ratio, vt in amentis, & feris, vehementiſſimæ apparent perturbationes. Eiuſdem quoque ſententiæ fuit D. Thom. præſertim in prima ſecundæ, quæſt. 22. art. 3. Idipſum ex Platone colligitur, qui in Philebo omnes perturbationes ex voluptate & dolore eſſe permixtas affirmauit: voluptas autem & dolor, de qua tunc loquitur, ad appetitum ſenſuum pertinent. *Cicero.*

Reſolutio difficultatis de perturbationibus voluntatis & mentis. Cap. IX.

PErplexa valde, & obſcura eſt res, de qua loquimur: pro cuius elucidatione, clarioreque veritatis explicatione, accurate conſiderandum eſt, nomen perturbationis dupliciter vſurpari: eſt enim nomen ab vno, quod variis conuenit ordine quodam. Nam primo & proprie motiones ſignificat, ad ſentiendi appetitum pertinentes, complicatas cum aliqua corporis alteratione in qua prima ſignificatione in præcedentibus fuit definita, & in eadem ſignificatione ei competunt omnes conditiones propriarum perturbationum: ſecundo denotat ea, quę cum propria perturbatione, vel affinitatem, vel ſimilitudinem ſeruant, quæ ſimilitudo & maior, & minor eſſe poteſt. Secundo accipiendum eſt, perturbationem duplici modo poſſe facultati conuenire: primo ratione obiecti perturbationis, & tanquam cauſſæ principali, mouenti & excitanti perturbationes proprie ſumptas: ſecundo tanquam ſubiecto, in quo inſit vera forma perturbationis. His præaſſumptis dico, perturbationes per ſimilitudinem, & metaphoram ſumptas, nedum humanæ menti, verum etiam Deo, & ſeparatis mentibus conuenire: ita dicimus Deum iraſci, pœnitere, miſereri, quæ ei competunt cum eminentia per metaphoram, & per humanum apprehendendi & conſiderandi modum: nos enim cum omnia agamus affectis perturbationib. etiam ſuperis agentibus ſimilem agendi modum tribuimus. At ſumẽdo perturbationes proprie, dico eas cõpetere mẽti, illiusq; *Perturbatio dupliciter vſurpatur.* *Reſolutio difficultatis.*

appetitioni, vt cauſſæ, vt dirigenti, vt facultati, ad quam pertinet obiectum eius perturbationis, non autem tanquam ſubiecto, in quo poſtrema & vera forma perturbationis reperiatur: *hoc enim*, vt recte dixit Ariſtot. in prœmio de anima, *non fit ſine corporis permutatione.* Sunt igitur perturbationes in parte rationis compote, vt in principio multarum perturbationum, quæ hominis ſunt proprię, tanquam in dirigente, excitante, componente, & ratione obiecti, quod ad eam partem pertinet. Hinc perturbationes viri continentis, ad iraſcendi appetitum pertinentes, pugnant pro ratione aduerſus cupiditatem, perturbationeſque cupiditatis proſternunt: in incontinente contra, perturbatio rationem vincit, & cupiditas appetitui iraſcendi prævalet. Ideo Galenus in quarto de Hippocratis & Plato. decretis c. 2. manifeſtat, *nonnunquam rationem cum appetitu ſenſuum concurrere:* quod contingere poteſt variis modis ob varietatem diſpoſitionis hominum, vt conſpicuum eſt. Ex his tria colligere valemus: primo reſolutionem difficultatis: conſtat enim quomodo perturbationes conueniant & non conueniant menti, & voluntati. Secundo concilium earum opinionum, quæ inter ſe pugnare videntur, ambæ enim ſunt verę, ſed vario modo, diſtinctaq; perturbationum ſignificatione rectius tamen loquimur, dum perturbationes ſoli appetitui ſenſuum tribuimus, quia illi ſoli competit poſtrema & abſolutiſſima earum forma, proxime agitans corpus, inſtrumentaque eius. Propterea tertio colligimus facilem ſolutionem aduerſarum rationum. Dum enim dicebatur, hominem per rationem propriis agitari perturbationibus, dico, eas in ratione locum habere vt in origine, & in facultate, ad quam pertinet obiectum illarum perturbationum. Ita dixit Ariſt. in 4. top. loco 61. *verecundiam pertinere ad partem rationis compotem pertinet enim ad appetitum iraſcendi, vt rationem ſequitur, proq; ea pugnat.* In eadem ſignificatione vera ſunt, quæ à Plutarcho de hominis miſeria dicuntur, necnon à Plat. in Axioco. At addebatur menti competere facultatem, & habitus, quare ei competent perturbationes, quæ media ſunt. Reſpondeo, perturbationem non mediare inter facultatem, & quemuis habitum, ſed inter facultatem, & habitum virtutum & vitiorum, quę in more ſunt poſita, cuius generis habitus non in mente, ſed in appetitu ſenſuum locum habent. Confirmabatur eadem ſententia per vitia, & peccata. Reſpondeo, vitia & peccata eſſe rationis, & prælectionis, tanquam eius partis, ad quam primo pertinent mandata Dei, & tanquam præligentis, cuius culpa eſſe dicitur, & demum tanquam eius, in quo libertas ſedem habet: at ſi vitia conſiderantur, vt habitus virtuti oppoſiti, complicati cum perturbatione, ſic ad appetitum ſenſuum pertinent.

Tria ex dictis colliguntur.

Conciliatio ἐναντιοφανῶν.

Diluuntur aduerſæ rationes.

Neque

Digitized by Google

Neque etiam omnis ſecundus actus nec quæuis motio ſpiritalis cuiuſuis facultatis appetentis, debet dici perturbatio, niſi late, ſed ea ſola, quæ eſt iuncta cum perturbatione ſpirituum & partium corporis. De gaudio, lætitia, amore, & odio dico, vt in ſola mente & voluntate conſiderantur, non eſſe perturbationes, niſi late, & per metaphoram, vel in quadam eminentia: tantum autem vere eſſe perturbationes, dum ſunt in appetitu ſenſuum, cum inſtrumentis ſuis. Cæteræ autem auctoritates (vt ex dictis eſt conſpicuum) nobis minime aduerſantur. Nam D. Auguſtinus loco relato ſolum aſſeruit, *perturbationes eſſe voluntatis*, quia à voluntate nonnunquam oriuntur, cum libertate ſunt iunctæ, ab ea rectitudinem obliquitatemque recipiunt, & demum in ea locum habent, non ſecus ac in præcedentibus patefeci.

De numero perturbationum, opinio Latinorum.
Cap. X.

IAm cumulate ſatis ea explicata eſſe cenſeo, quæ ad eſſentiam & naturam perturbationum, nec non ad animæ partem, cui conueniunt, pertinere videntur: propterea ad tertium caput tranſeunt, de numero earum agendum occurrit. Quæ conſideratio apprime eſt obſcura: nam Hydra multorum capitum eſt perturbatio, & ab humanæ ſapientiæ ducibus varius aſſignatur earum numerus, nec numeri alicuius rationem vllam aſſignaſſe inueniuntur. Ariſt. in primo rhet. agit de voluptate & dolore, mox in 2. libro (deſcriptis vniuerſe perturbationibus, quod ſint motiones, quæ efficiunt, vt homines immutati non eodem modo de eiſdem rebus ſentiant, quas dolor voluptaſque conſequitur) agit de iracundia & manſuetudine ſiue lenitate, de amore & odio, de timore & confidentia, de ſpe & deſperatione: nam ſpes verſatur in bonis acquirendis, confidentia in malis vitandis, inſuper agit de verecundia ſiue pudore, cuius defectio eſt impudentia, exſuperatio vero, pauiditas ſiue obſtupefactio, de gratia & ingratitudine, de miſericordia, cui nemeſim ſiue indignationem eo in loco inquit opponi: at alia conſideratione ſæuitia, ſiue crudelitas ei aduerſatur, & nemeſis mediare dicitur inter inuidiam & maleuolentiam, vt in 2. moralium Nicomach. cap. 7. oſtenditur, ac demum agit de æmulatione. At in 2. moralium Nicomach. cap. 5. ſecus perturbationes enumerat, inquit enim: *perturbationes dico, cupiditatem, iram, θυμὸν, ſiue excandeſcentiam, audaciam, inuidentiam, gaudium, amicitiam, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & omnino ea omnia, quæ conſequitur voluptas, aut dolor.* Lambinus excandeſcentiam prætermittit, & loco eius legit timorem: ſed errat, nedum, quia in emendatioribus codicibus legitur, verum inſuper, quia frequẽter ab Ariſto-

Ariſt.

Error Lambini.

Digitized by Google

tele, à Cicerone, in 4 Tuſculanarum quæſtionum, ac etiam à Galeno ex veterum Philoſophorum ſententia numeratur, vt mox apparebit. Ratio quoque hoc ſuadet, vt enim numeratur ἐπιθυμία appetitui cupiendi conueniens, ita numerari debet θυμὸς, in appetitu iraſcendi illi reſpondens: timorem autem, quem addit Lambinus denotauit Ariſt. per oppoſitam audaciam. Sic igitur Ariſt. nil certi dixit de numero perturbationum. Plato quoque numerum certum non aſſignauit, ſed in Timæo ſex enumerat, voluptatem & dolorem, tanquam principia, quibus ſuccedant audacia & metus, accedant demum ira & ſpes. In Theæteto autem affirmat, perturbationes eſſe innumeras, nam inquit: *Quos ſequuntur voluptates & dolores, cupiditates, timores, atq; alia perturbationes, innumera quidem ſine nomine, nominata quoq; permulta.* Eaſdem eſſe numero propemodum infinitas indicauit in nono de repub. dum hominem, perinde ac monſtrum & Sphyngem quandam, ex variorum animalium partibus conflatum affirmans ait: *cupiditatem eſſe partem latiſſimam, multa beſtiarum capita continentem, per qua capita innumeras eius facultatis perturbationes ſignificauit.* Galenus in libro de cognoſcendis, curandiſque animi morbis, cap. 5. quinque ex veterum ſententia ait eſſe perturbationes, inquit enim: *An temere arbitraris veteribus has animi perturbationes quinq; appellari ſolitas, mœrorem, iram, excandeſcentiam, cupiditatem, metum*, Græce λύπην, ὀργὴν, θυμὸν, ἐπιθυμίαν, φόβον, capite autem tertio inquit. Perpeſſiones animæ quas omnes cognoſcunt, ſunt excandeſcentia, ira, timor, mœror, inuidia, & cupiditas vehemens: & addit. Mea vero ſententia etiam nimio alicuius rei, qualiſcunque ea ſit, vel amore, vel odio occupari, in genere perturbationum eſt habendum: probe enim dictum eſſe videtur, menſuram eſſe optimam. Sic itaque neque Galenus certum perturbationum numerum aſſignauit. Cicero in quarto Tuſculanarum quæſtionum, cum ex ſententia Stoicorum quatuor ſtatuerit prima perturbationum capita, ægritudinem, metum, lætitiam, libidinem, ſub ægritudine mox contineri ait inuidentiam, æmulationem, obtrectationem, miſericordiam, angorem, luctum, mœrorem, ærumnam, dolorem, lamentationem, ſolicitudinem, moleſtiam, afflictionem, deſperationem, & ſi qua ſunt de genere eodem, ſub metu ponit pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorem, exanimationem, conturbationem, formidinem. ad voluptatem redigit maleuolentiam, delectationem, iactationem, & ſimilia, ad libidinem demum iram, excandeſcentiam, odium, inimicitiam, diſcordiam, indigentiā, deſiderium, & cetera eiuſmodi: ex quib. patet, Ciceronem quoq; certum numerum earum nō aſſignaſſe. D. Thom. quem Latinorum multi ſequuntur, in prima ſecundæ,

Plato.

Galenus.

Cicero.

D. Thom.

dæ, quæſt. 23. art. 4. vndecim inquit eſſe perturbationes, cuius numeri hanc tradit rationem inquiens: *cum perturbatio ex iucundi vel moleſti, ſiue boni vel mali cognitione conſurgat, & ad ſentiendi appetitum pertineat, vel abſolute ad ea appetendo refertur, vel ea reſpicit vt ardua & difficilia, ſi facultas appetendi abſolute ad bonum & malum refertur, oriuntur perturbationes ad facultatem cupiendi pertinentes: ſi vero vt ardua & difficilia, id pertinet ad appetitum iraſcendi, & inde oriuntur perturbationes illi appetitui conuenientes.* De primis loquens ait: *vel appetendi facultas inclinatur ad bonum vel malum, amplectendum vel fugiendum, & conſurgit amor boni, odium mali: vel mouetur ad obiectum, & oritur deſiderium, quod diuiditur in concupiſcentiam boni, & fugam mali: vel quieſcit in bono adepto, ſiue malo, & oritur delectatio & triſtitia: & hæ ſunt ſex perturbationes appetitus cupiendi.* Ex aduerſo dum facultas reſpicit obiectum cum conditione ardui, iam id ad appetitum iraſcendi pertinet, in qua facultate non conſideratur perturbatio inclinans: quia inclinatio ad amplectendum bonum, vitandum malum præcurrit, & pertinet ad appetitum cupiendi, ideo ſolum in ea conſideratur perturbatio in relatione ad obiectum non adeptum, quæ ſi refertur ad bonum, dicitur ſpes vel deſperatio, ſi ad malum, timor vel audacia, in relatione etiam ad bonum adeptum non conſideratur aliqua perturbatio in appetitu iraſcendi, quia tunc non habet rationem ardui, ſed tantum conſideratur arduum in adeptione. Ex præſenti tamen malo, dum facultas aduerſus illud inſurgere tentat, oritur ira, dum vero quieſcit, manſuetudo, quam non perturbationem, ſed priuationem, ac negationem motionis eſſe cenſet: quare quinque erunt perturbationes appetitus iraſcendi, ſex vero appetitus concupiſcendi, omnes autem vndecim. Nonnulli iudicantes hunc numerum diminutum, lenitatem quoque, ſiue manſuetudinem, inter perturbationes facultatis iraſcendi numerant. Alii his addunt gratiam, quam pertinere cenſent ad appetitum cupiendi, reſpicientem eos, à quibus opem, vel beneficium ſuſcepimus. Non deſunt etiam nonnulli, qui, prætermiſſa diſtinctione appetitus cupiendi & iraſcendi, perturbationum capita, eaque pauciora enumerant. Sed hi confundunt potius, quam diſtinguant: nos quærimus capita, & diſtinctionem perturbationum, quam ſine diſtinctione appetentium facultatum, quibus competunt, inuenire non valemus. *Alia opinio.*

Dubia aduerſus communem Latinorum ſententiam.

CAP. XI.

QVAMVIS non me latet, quam difficile ſit communi multorum clariſſimorum virorum ſententiæ aduerſari,

opinionemque hominum animis firmiter infixam euellere: tamen, quia deſiderium inueniendæ veritatis honeſtiſſimum eſt, hominique à natura inditum, propterea mihi quoq; liceat pro inuenienda veritate explicare quod ſentio; ſemper tamen acriori firmiorique iudicio me ſubiiciens. Communis Latinorum ſententia ſemper mihi dubia viſa eſt. Primo enim ea diuiſionis ratio, quod illa, quæ vt ardua à phantaſia concipiuntur, ad iraſcendi appetitum pertineant, reliqua ad appetitum cupiendi, nullo ſtabili fundamento, nulla inſigni auctoritate, nullaq; efficaci ratione firmata eſt: nam animæ facultates per obiecta, fines & actiones, non per facile & difficile diſtingui debent, vt indicat Ariſt. in 3. de anima, 49. necnon in 2. de anima, cont. 22. & 33. Et ideo minus recte D. Thom. in prima ſecundæ, quæſtio. 23. artic. 2. ſentire videtur, cum inquit: *obiectum facultatis cupiendi eſſe bonum, & malum abſolute, facultatis vero iraſcendi bonum & malum ratione ardui: arduum enim, & non arduum non conſtituunt diſtinctionem obiecti, ad diſtinctam facultatem pertinentis.* Quod confirmatur, quia Plato, Ariſt. & Galen. à quibus diſtinctio appetitus in iraſcibilem & concupiſcibilem ſumitur, longe ſecus eorum obiecta tradunt & diſtinguunt. Appetitui enim cupiendi pro obiecto tribuunt bonum iucundum & voluptuoſum ad ſenſus & corpus pertinens: iraſcibili vero bonum, quod magis pertinet ad animum, voluptatemque animi, ad honorem & ad gloriam, adeo vt honoris appetitio non ad appetitum cupiendi, vt cenſent Latini, ſed ad iraſcendi pertineat, quod aperte affirmauit Galenus in lib. quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, cap. 2. inquiens: *Iroſa animæ portio libertatis, victoriæ, imperandi, obtinendi, gloriæ, honorisq; appetens eſt.* Plato etiam in 9. de repub. ait: *Iraſcendi facultas ad potentiam, victoriam, gloriam, trahit tota, propterea eam contentioſam, ambitioſamq; recte dicimus.* Simplicius quoque in ſecundo de anima, 28. *appetitionem honoris tribuit facultati iraſcendi.* Conſtat igitur, appetitui iraſcendi conuenire obiectum re diſtinctum ab eo qui eſt cupiendi, non ſolum ratione ardui. Quamuis enim difficile, & arduum præſertim fulgeant in attinentibus ad appetitum iraſcendi, vt in victoria, gloria, & ſimilibus; non propterea arduum eſt ratio conſtituens obiectum, & appetitum vnum diſtinguens ab altero: quoniam (vt patuit) abſoluta appetitio honoris, gloriæ, victoriæ, ſeiuncta omni ratione ardui, ad appetitum iraſcendi pertinet, quod inficiantur Latini. Confirmatur, quia arduum vt arduum, non eſt aliquid optabile, nec includit rationem boni, ideo non valet conſtituere propriam rationem obiecti appetitus. Quod inductione etiam redditur conſpicuum: nam intelligibile, ſiue arduum, ſiue facile, eiuſdem facultatis eſt obiectum,

Aduerſus communem Latinorum ſententiam.

Galenus.

Plato.

Simplicius.

ctum, ita viſibile, natum audiri, natum imaginari, & ſimiliter de ſingulis: quare idipſum de optabili iudicandum eſt. Quod etiam manifeſte colligitur ex Ariſtotele in 7. de repub. c. 7 quo loci diſputans contra Platonem oſtendit: *amorem pertinere ad eam partem, per quam iraſcimur, in quo tamen amore ratio ardui non includitur*. Quod etiam confirmatur, quia continentia ad appetitum cupiendi pertinet, cum verſetur in voluptuoſo bono, at per continentiam coercemus voluptatem, cui difficilius eſt obſiſtere quam iræ, vt auctoritate Heracliti affirmauit Ariſtot. in 2. moralium Nicomachiorum, c. 3. non itaque approbanda eſſe videtur iſta diſtinctionis ratio, cum perturbationum, tum facultatum appetentium, ſumta ex arduo & non arduo. Ex hoc primo errore oritur ſecundus & eſt, quod ſi perturbationes inclinantes ad proprium obiectum competunt facultati cupiendi, etiam competere debent facultati iraſcendi, cum abſoluta honoris, gloriæ, & victoriæ appetitio ad hunc appetitum pertineant. Et confirmatur, quia cui per naturam competit motio, eidem neceſſario competit inclinatio, & terminus, cum ea ſint de ratione motus naturalis. At inquiunt, inclinationem habere ab appetitu cupiendi, quod minime ſatisfacit: primo, quia, vt patuit, appetitus iraſcendi habet ſuum obiectum re diſtinctum ab appetitu cupiendi, ad quod per ſuam naturam & conditionem eſt procliuis: ſecundo, quia frequenter appetitus iraſcendi, nedum non habet inclinationem ab appetitu cupiendi, verum ei potius aduerſatur, & contra eum pro ratione & honore dimicat. Ex eodem quoque fonte manat tertius error, quatenus inquiunt, in appetitu iraſcendi non reperiri perturbationes prodeuntes ex relatione ad bonum adeptum, quia tunc non ſeruat rationem ardui, & ideo voluptatem, & dolorem ſoli tribuunt appetitui cupiendi, quod cum dicant, aperte aduerſantur rationi, Platoni & Ariſtoteli. Dum enim facultati conuenit motio ad finem, neceſſario debet ei per naturam conuenire terminus, & oblectatio in adeptione finis, ne motio ſit inanis, & appetitio ſit deſtituta fine, dicere, quod in fine non conſideratur arduum, inane penitus eſt, nedum ob ea quæ dixi, verum etiam quia conceſſa ratione ardui, ſat eſt vt ſeruetur in via ad finem. Aduerſantur Platoni, qui in Philebo aſſeruit: *omnem perturbationem ex voluptate, & dolore eſſe permixtam, & manifeſtauit dari voluptates, & dolores corporis, pertinentes ad appetitum cupiendi, pariter voluptates, & dolores animi pertinentes ad appetitum iraſcendi, & demum mixtas*. Inſuper in 9. de republ. triplicem ſtatuit animæ partem, *vnam rationis compotem, alteram cupiendi, tertiam iraſcendi*: inde tria ait conſurgere humanæ vitæ genera, treſque voluptatis gradus, ac voluptatem partis

Exploditur alter error.

Exploditur tertius error.

ratione prædítæ ait eſſe ſuauiſſimam, ſecundo loco commendat eam, quæ eſt, facultatis iraſcentis, tertio illam, quæ eſt, cupientis: non igitur voluptas, & dolor ſoli conueniunt appetitui cupiendi. Aduerſantur etiam Ariſtoteli, qui in ſecundo moralium Nicomachiorum, cap. 5. & in principio ſecundi rhetoricorum aſſeruit: *perturbationes omnes ſequi voluptatem & dolorem*: & in ſecundo moralium Nicomachiorum dixit: *omnem virtutem moralem in voluptate, & dolore eſſe poſitam*, & cum Platone affirmauit: *voluptatem & dolorem eſſe fontes, ex quibus qui haurit quando, quantum & quomodo oportet, felix eſt*: ac in 2. rhetor. *homines iraſci affirmat, cum animo dolent: ira enim voluptatem habet cum dolore mixtam*: ac in eodem libro Homerum commendat dicentem: *iram dulciorem effuſo melle.* quam ſententiam in Philebo commendauerat Plato. Idipſum patefecit Ariſtotel. in 3. de anima 29 inquiens: *cum autem obiectum iudicatur delectabile aut triſte, aut affirmans aut negans, proſequitur aut fugit, & eſt delectari & dolere, agere ſentiente medietate ad bonum aut malum.* Sunt itaque in omni appetitu voluptas & dolor. Quod ſi Ariſtot. nonnunquam voluptatem & dolorem tribuit facultati cupienti, id facit conſiderans voluptatem & dolorem corporis, abſolute ob vehementiam, ita nuncupatam, cui modum imponit temperantia. Propterea D. Thom. in 3. ſentent. diſtinct 26. q. 1. articul. 2. ad tertium, veritate coactus etiam in parte iraſcendi ponit voluptatem. Neque dicendum eſt cum Cardin. Gaetano, quod D. Thom. in prima ſecundæ mutauit ſententiam in partem veriorem: imo oppoſitum eſt affirmandum, quod ſcilicet ſententia verior ſit ea, quam protulit in tertia ſententia, vt patet ex præcedentibus. Neque etiam pro Latinis dicere valemus, quod dum inficiantur, appetitui iraſcendi conuenire voluptatem, loquuntur de voluptate ſumta in ſpecie, formanda & corrigenda per temperantiam, hoc inquam dicere non valemus: quoniam ipſi aiunt, in facultate iraſcendi non inueniri perturbationes inclinantes & firmantes, ſed ſolum mouentes: at voluptas & dolor firmare dicuntur, vt ipſi aiunt. Ex his etiam conſtat minus recte loqui, dum inquiunt, duas appetendi facultates adeo eſſe iunctas, vt nunquam iraſcendi illa excitetur, non præcurrente motu cupiditatis: primo enim, vt aiunt, cupimus, ad quam cupiendi facultatem pertinet voluptas & dolor: mox, ſi quid ardui occurrit, excitatur appetitus iraſcendi, ad quem voluptas & dolor non pertinent. Quæ ſententia approbanda non eſt, quoniam (vt paruit) hæ duæ facultates habent obiecta re diſtincta, & poteſt vna ſine altera, ac vis iraſcendi, ſine vi cupiendi excitari, vt patet in honoris, & gloriæ appetitione. Præterea, vt experientia nos docet, & Plato in 4. de republic. affirmat

Alius error exploditur.

mat

mat, illæ duæ appetitiones nonnunquam ſunt aduerſæ, & vis iraſcendi in homine frequenter pro ratione dimicat aduerſus cupiendi, vt in Timæo etiam oſtenditur: imo nedum in homine, verum in iumentis quoque & feris, duæ illæ appetitiones nonnunquam inter ſe pugnant, vt patet de cane ſimul cupiente carnem, & timente verbera: non igitur tunc vis iraſcendi, pro aſſequendo obiecto, facultatis cupiendi inſurgit. Quarto minus recte ſentire videntur, quatenus voluptatem, & dolorem inter ceteras perturbationes numerant, quaſi ſint eiuſdem ordinis cum illis, cum tamen Ariſtoteles ſecus loquatur, & definiens perturbationes dicat, eſſe eas quas ſequitur voluptas, vel dolor: cum igitur voluptas, & dolor ſequi dicantur genus perturbationum ab Ariſtot. definitum, non poſſunt ſub eo definito genere collocari, vt ex ſe conſpicuum eſt; non enim ſpecies ſequi poteſt vniuerſum illud genus, ſub quo continetur: at hac de re infra latius loquar, dum perpendam, an voluptas, & dolor ſint perturbationes. Quinto ea enumeratio perturbationum diminuta videtur: quia ſi in appetitu cupiendi, & inter perturbationes ad eum pertinentes enumerant cupiditatem; cur inter eas, quæ pertinent ad appetitum iraſcendi, non enumerant θυμὸν cupiditati reſpondentem, quæ eſt motio ad obiectum eius facultatis? & pręſertim cum enumeretur à Platone, ab Ariſtotele & à Galeno. Inſuper cum dicant, facultatẽ iraſcendi verſari in malo cum præſente, & nuncupant audaciam, tum futuro, & nuncupant timorem, non eſt rationi conſentaneum, vt ſolum verſetur in bono futuro, quam nũcupant ſpem, non autem in bono præſenti: omnis enim facultas reſpiciens futurum, & præſertim facultas appetens, dicitur aliquando potiri præſente, & in eo ſibi præſente verſari. Sexto, æmulationem redigunt ad triſtitiam, & aſſerunt pertinere ad appetitum cupiendi, cum tamen ad illum iraſcendi pertineat; verſatur enim in bonis honore dignis, vt in ſecundo Rhetoricorum docet philoſophus, quæ autem ad honorẽ pertinent, appetitui iraſcendi conueniunt, vt cumulate oſtenſum fuit. Septimo mihi dubia ob id videtur eorum ſentẽtia, quia amorem ad ſolum appetitum cupiendi pertinere cenſent, cum tamen etiam conueniat appetitui iraſcendi: manifeſte Ariſtot. in 7. de rep. c. 7. diſputans aduerſus Platonem oſtendit: *amorem pertinere ad eam animæ partem, qua iraſcimur.* At reſpondendo inquiunt Ariſtotelem per partem qua iraſcimur denotare, non eam vt cõtradiſtinctam à concupiſcibili, ſed vniuerſe facultatem animæ ſentientis. Quod cum dicant, primo perperam nomen proprium partis pro toto vſurpant: ſecundo aperte Ariſtoteli, eiuſque rationi aduerſantur: nam Ariſt. eo in loco non de vniuerſa ſentiendi facultate loquitur, ſed de ſolo iraſcẽdi ap-

Alius error.

Quintus error.

Sextus error.

Septimus.

Solutio.

Euerſio.

Digitized by Google

petitu, quem ſuo nomine θυμὸν appellat, quod manifeſte patet per oſtenſionem, qua ibi vtitur, inquit enim: *amorem propterea pertinere ad appetitum iraſcendi, quoniam oppoſita ad eandem pertinent facultatem:* ideo inquit: *cuius rei ſignum eſt, quod* θυμὸς, *id eſt, iraſcendi facultas, magis irritatur contra familiares & amicos, quam contra ignotos.* Quod etiam in ſecundo rhetoricorum affirmauit. Idipſum quoque ex quinto de republic. cap. decimo patere poteſt, inquit ibi Philoſophus: *particulam quandam odii debemus iram exiſtimare, nam quodam modo earundem rerum cauſſa exiſtit,* & cætera. Si igitur ira eſt pars odii, odium ad iraſcendi facultatem pertinebit. Inſuper, ſi ad eandem facultatem pertinent oppoſita, vt odium pertinet ad appetitum iraſcendi, ita amor ei oppoſitus ad eundem pertinebit: dico, amor ei oppoſitus, quia multiplex eſt amor, & in variis facultatibus reperitur. Demum cum cæteras perturbationes numerent cum oppoſitione, minus recte iram ſine oppoſitione ſtatuunt, & præſertim quia Ariſt. in ea quoque oppoſitionem conſiderat: quamuis enim ira vniuerſam latitudinem ſignificet, tamen in ea duplici modo inuenire valemus oppoſitionem: primo ratione vniuerſæ eius latitudinis. Iræ enim opponitur gratia & indulgentia, vt Aſpaſius in ſecundo moralium Nicomachiorum, c. 3. manifeſtauit; ſecundo ratione exſuperantiæ, & defectionis eius, ac ita iracundiæ lenitas, ſiue manſuetudo opponitur, vt in ſecundo moralium Nicomachiorum, cap. 7. Ariſt. patefecit, inquiens: *Eſt autem etiam in ira nimium, parum & mediocre, ſed cum ea fere nomine vacent, medium clementem ac lenem, mediocritatem, clementiam, ac lenitatem nominabimus: extremorum vero is, qui modum ſuperat, iracundus, vitiumq; iracundia dicitur: qui deſerit, lentus, vitiumq; lentitudo appellatur.* Hoc etiam patefecit in quarto moralium Nicomachiorum, cap 5. Conſtat igitur recte, iram cum oppoſitione deſignari, vt cum in rhetoricis, tum in libris de moribus fecit Ariſt. Variis igitur de cauſſis communis illa perturbationum diſtinctio, & enumeratio à Latinis approbata, mihi approbanda non videtur.

Facultatum appetentium ſentientis animæ partis diuiſio, explicatio & connexio. CAP. XII.

Appetitus multiplex.

VT numerus, diſtinctio, ac ordo perturbationum clarius eluceſcat, duo prius explicanda occurrunt, vnum pertinens ad notitiam appetentium facultatum, alterum vero ad notitiam voluptatis & doloris. A primo ordienti, conſiderandum eſt, multiplicem dari appetitum: nam quot ſunt ordines rerum, tot ſunt gradus, & ordines appetituum: prætermiſſo tamen appetitu primæ materiei, qui eſt facultas, & facilitas recipiendi for-

di formam, nec non eo, qui eſt inanimorum corporum, qui eſt propenſio, ſequens formam, quæ natura eſt, eo denique, qui eſt plantarum, qui cognitionem non ſequitur. (Hi enim inſtituto meo non inſeruiunt.) Accipiẽs appetitum cognitioni iunctum, qui magis proprie appetitus dicitur, aſſero hunc eſſe duplicem, vel enim pertinet ad mentem, vel ad ſenſum: ſi ad mentem, adhuc eſt duplex volũtas ſcilicet, quæ finem reſpicit & prælectio, quæ ordinata in finem, vt interim ceteras differentias prætercam. Appetitus pertinens ad ſenſum pariter duplex eſt, cupiendi vnus, alter iraſcendi, frequenter Plato, Galenus & Ariſtoteles affirmant: *Vis appetendi à ſua facultate cognoſcente ſola ratione diſtinguitur, non re*, vt in 3. de anima, cont. 29. docet Ariſtotel. nec quidem iniuria. Nam facultas ex eo appetit, quia primo cognoſcit: ac ſi vna cognoſceret, alia appeteret, præter id, quod ſuperuacanea eſſet ea multitudo, etiam motus redderetur debilior, & affectio, ſiue perturbatio conſurgeret imbecillior. Propterea rectius ſentire videtur Ariſtot. qui appetentis, & cognoſcentis facultatis eandem ſtatuit ſedem, quam Plato & Galenus, qui cerebro facultatem tribuunt cognoſcendi, cordi vero & iecori appetendi. Inſuper, quoniam pars animæ ſentiens ex ſententia Ariſtotelis re diſtinguitur à mente, etiam eſt neceſſe, vt per eius principia appetitus ſenſuum re diſtinguatur ab eo mentis. Ex quo infero, Themiſtium, nec Ariſtotel. nec ſibimet conſentanea protuliſſe, dum in paraphraſ. cont. 52. tertii de anima dixit: *Vt nil prohibet vnum eſſe ſentiendi principium, quamuis quinque ſint ſenſus, ita nil obſtat, quin vna ſit appetendi vis, actiones vero tres, quas appetitus exerceat, iraſcendi, concupiſcendi, & volendi.* Hæc profecto ſententia fundamentis Alexandri ſatis eſt conſentanea, qui omnem animæ partem materiatam, ac mortalem exiſtimauit: at dum dicimus cum Ariſtot. ſentiendi facultatem re. & ſubſtantia diſtingui à mente, vt Themiſtius quoque fatetur, proculdubio id aſſerere minime valemus. Et ſi quis pro Themiſtio afferat locum ex Ariſtot. in tertio de anima, cont. 42. dicente: *Inſuper autem vis appetens, quæ & ratione, & facultate alia videbitur a ceteris, & abſurdum equidem eſt hanc ſeiungere: in parte enim rationis compote voluntas fit, in experte vero, concupiſcendi, & iraſcendi appetitus: ſi autem tria ſunt animæ, in vnoquoque erit appetitus.* Hæc Ariſtoteles, quibus videtur indicare appetitus non eſſe inter ſe diuellendos, ac ſecernendos. Cui reſpondens dico, ſententiam Ariſtotelis non eſſe hanc, vt appetitus vnus non diſtinguatur ab alio, ſed quod facultas appetens, non re diſtinguatur à cognoſcente, vt Platonis ſententiam in Timæo euertat, qui in capite cognoſcẽtem, in pectore appetentes facultates collocabat. Inſuper Ariſt.

appetitus loco non ſecernit, vt faciebat Plato, ſed omnes in corde ait eſſe collocatos. Demum Ariſtoteles appetitum iraſcendi, non fundamento ſecernit ab appetitu cupiendi, ſed hos à volũtate vera diſtinguit. Dicamus igitur cum Ariſtotele, appetitum ſenſus diſtingui re ab eo qui eſt mentis, appetitus vero duos mẽtis, ac eos duos ſenſuum, inter ſe ſola ratione ſecerni. Ex quo cõſtat, minus recte ſenſiſſe Galenum, dum in eo libro, quod animi mores ſequãtur corporis temperamentum, dixit, facultatem cupiendi eſſe temperamentum epatis. eam vero qui eſt iraſcendi, cordis: quod dici minime poteſt, cum re & ſubſtantia à virtute ſentiendi non diſtinguantur. Duo itaque ſentientis facultatis appetitus, cum à facultate cognoſcente, tum inter ſe, nec ſede, nec ſubſtantia, ſed ſola ratione diſtinguuntur.

Aduerſus Galenum.

Vnde ortum ducat diſtinctio appetitus concupiſcendi ab appetitu iraſcendi. CAP. XIII.

QVONIAM appetitus concupiſcendi ab iraſcendi aliqua ratione diſtinctus ponitur, vnde ea diſtinctio oriatur, & quomodo viciſſim ſe habeant, accurata cõſideratione dignum eſt. Putarũt Latini, diſtinctiónem ex eo oriri, quia appetitus cupiendi abſolute referatur ad bonum, & malum, ille vero iraſcẽdi ad illudmet, at ſub ratióne ardui, & difficilis: quorum ſententia cumulate ſatis in præcedentibus reiecta eſt. Propterea recentiorum philoſophorum nonnulli dixerunt, non ob aliud Platonem ſecuiſſe appetitum in iram, & cupiditatem, niſi vt per cupiditatem ſignificaret eam partem, quæ ad voluptatem fertur, per iram, ſiue iraſcendi facultatem partem illam, quæ à dolore mouetur: quæ ſententia cum auctoribus eius diuiſionis, tum rationi ſatis aperte aduerſatur. Rationi primo, quia frequenter aſſerit Ariſtotel. *oppoſitorum eandem eſſe facultatem.* Auctoribus vero eius diuiſionis, quoniam Plato voluptatem, & dolorem in omni animæ parte, in omnique appetitu reperiri affirmauit, vt in præcedentibus manifeſtaui. Aduerſatur Ariſtoteli, quia in quarto topicorum, loco 61. inquit, *iram reperiri in appetitu iraſcendi, triſtitiam in appetitu concupiſcendi, quia in eo eſt voluptas*: ſic igitur triſtitiam tribuit Ariſtoteles facultati cupiendi. Aduerſatur Galeno, qui non per diſtinctionem voluptatis, & doloris diſtinguit vnum appetitum ab altero, ſed per alia obiecta, vt mox diſtinctius patebit. Propterea nos, vt diſtinctionem, ita rationem eius à Platone, Galeno, Ariſtotele, Plutarcho, immo à natura rei ſumentes dicamus: eorum, quæ bona videntur, nonnulla pertinent ad corpus, eiuſque illecebras, & hæc reſpondent appetitui concupiſcendi, alia vero ad animum magis, veluti honor, gloria, victoria, & ſimilia, & hæc pertinent

Opinio Latinorum.

Alia opinio.

Euerſio.

Opinio propria.

Digitized by Google

tinent ad appetitum iraſcendi: cum enim hæc bona diſtinguantur, & frequenter inter ſe pugnent, non eidem facultati appetenti, ſed diſtinctæ reſpondere debent. Eſt itaque obiectum facultatis cupientis id, quod videtur bonum, vel malum, ad corporis illecebras, & præſertim ad guſtatum, & tactum pertinens, vel ad inſtrumenta eorum, vt ad diuitias, & ſimilia. Ideo Plato, in 9. de repub. hunc appetitum nedum appellat concupiſcibilem, verum inſuper auarum, & quæſtuarium. Obiectum vero facultatis iraſcendi eſt bonum apparens, vel malum, quod ad honorem, ad cuſtodiam, ad gloriam, ad victoriam, ad iniuriæ repulſionem, ad recompenſationem beneficiorum pertinet, vt recte dixit Galenus in eo libro, *quod animi mores ſequantur corporis temperamentum*. Hinc Plato 9. de repub. *hunc appetitum contentioſum, & ambitioſum* appellat. Inſuper cum obiecta principalia harum duarum facultatum diſtincta ſint, inde euenit, quod voluptates, & dolores earum diſtinguuntur, vniuſcuiuſque enim facultatis appetentis eſt propria voluptas, & dolor: cupiditati reſpondent voluptates, & dolores corporis, facultati vero iraſcendi voluptates, & dolores animi. Ex qua explicatione datum eſt nobis intelligere ſententiam Platonis in Philebo de voluptate, & perturbationibus. Statuit ibi Plato duplex voluptatis genus, purum vnum, alterum cum dolore mixtum, primum conuenit menti, alterum facultati ſentienti. Voluptas cum dolore mixta ea eſt, quæ parit perturbationes, omnem enim perturbationem ex voluptate & dolore mixtam oſtendit. Impurarum autem voluptatum quaſdam ait pertinere ad corpus, & hæ ſunt illæ, quæ pertinent ad appetitum concupiſcendi, & pariunt perturbationes eius, alias ad animum, & hæ pertinent *ad appetitum iraſcendi, eiuſque perturbationes pariunt*: quas Plato enumerans ait *eſſe iram, timorem, deſiderium, lamentationem, amorem, æmulationem, inuidiam, & huiuſmodi alias*. Ex his colligo primo veram rationem diſtinctionis earum duarum facultatum appetentium. Colligo ſecundo rationem huius, cur ſenſui duplex competat vis appetendi finem, & non menti: id enim ei conuenit ob duplex voluptatum genus illi competentium: at menti erga finem ſola conuenit voluntas, quia vnum eſt verum, & vltimum bonum, ad quod voluntas adſpirat. Colligo tertio, voluptatem, & dolorem non proprie eſſe perturbationes, ſed ex eorum mixtione perturbationes oriri. Colligo quarto rationem ob quam menti non dicantur conuenire perturbationes: ei enim conueniunt voluptates puræ, non mixtæ, quæ ſint medelæ dolorum, ex qua mixtione perturbationes prodeunt. Nos autem latere non debet, quod quamuis hæ duæ appetendi facultates

Obiectum, ſiue finis facultatis cupientis.

Obiectum, vel finis facultatis iraſcendi.

Exponitur locus Platonis.

Varia ex dictis colliguntur.

Digitized by Google

habeant ſuos fines diſtinctos, & ſæpe inter ſe pugnent, tamen vis cupiendi præſertim finem reſpicit, vis autem iraſcendi ordinata in finem, in finem dico nedum cupiditatis, verum etiã voluntatis & mentis. Nam vt Plato in Timæo, & in 4. de rep. docet, *munus appetitus iraſcendi eſt pugnare pro ratione aduerſus cupiditatem:* quod etiam affirmauit Galenus in lib. de cognoſcendis animi morbis, cap. 6. nec non in eo, *quod animi mores ſequantur corporis temperaturam.* Propterea de hoc duplici appetitus genere ita decernit Theages, *vt ratio ſcientiam, ita robur regat, concupiſcentia apprehendat.* Et ex ſententia Plat. in 4. de reb. *conſulatui in vrbe* reſpondet *in homine ratio, quæſtuario cupiditas, auxiliario demum iraſcendi appetitus.* Quæ ſententiæ non in hac ſignificatione accipi debent, vt diſtinctio eorum appetitum ſumenda ſit ab arduo, & non arduo, nam ab obiecto re diſtincto petẽda primo eſt, vt patuit: euenit tamen vt vires, & verſari in arduis, præſertim conueniant facultati iraſcendi, at hoc non obiectum cõſtituit, ſed comitatur illud.

Theages.

De facultate cupiendi, & iraſcendi duæ difficultates diluuntur. CAP. XIV.

CVM multa declarauerim pertinẽtia ad notitiam appetitus ſenſuum, quæ adhuc ſuperſunt diluendæ difficultates vtiles valde, & dignæ conſideratione: vna eſt, an vterque appetitus ſit natus audire rationem, eique obtemperare: altera vero, vter eorum dignior ſit ac præſtantior. Ordiens à prima, ea apprime eſt obſcura & rationes exſtant pro omni parte. Inquit Plato in Timæo, *cupiditatẽ non obtemperare rationi:* loquens enim de hoc appetitu ait: *Quoniam vero videbat Deus, partem illius animæ talem fore, vt rationem non exaudiret, & ſi quo ſenſu pulſaretur, nullo modo rationibus obtemperaret, ſed ſimulacris viſiſque nocte dieque maxime raperetur: idcirco naturam iecoris procreauit, &c.* Idipſum Galenus affirmat. Plutarchus quoque in libro de morali virtute nedum aſſerit hanc fuiſſe ſententiam Platonis, verum inſuper eandem approbat & confirmat, & iure id facere videtur, cum experientiæ ſit conſentanea: experimur enim in nobis ipſis, quod quamuis ratio præcipiat cupiditati, nec expetat voluptuoſa ad guſtatum vel tactum pertinentia, nihilominus tamen ea expetit. Ex aduerſo Ariſtot. in calce 1. libri moralium Nicomach. inquit: *apparet igitur, vim rationis expertem eſſe duplicem, vnam ad ſtirpes proprie pertinentem, nulla ex parte rationis participem, alteram ad concupiſcendum, & omnino ad appetendum impellentem, aliqua ex parte ratione præditam, quatenus ſcilicet apparet atque obtemperat, &c.* Quam ſententiam paulo poſt confirmans ait: *rationi enim quodam modo parere animi partem rationis expertem,*

Prima dubitatio.
Plato.
Galenus.
Plutarchus.
Ariſtot.

Digitized by Google

tem, cum præcipiendi ac monendi ratio tum omnis reprehenſio ac exhortatio indicat. Quod ſi fatendum eſt hanc vim ratione quoque eſſe præditam, vis erit animi duplex rationis particeps, altera proprie, & vt habens eam in ſeipſa, altera veluti filius, qui parentis dicto obtemperat, &c. His addere poſſumus rationem ſatis cogentem: quia eatenus ſe effundit hominis virtus, quatenus extenditur ratio: at hominis virtus in more poſita etiam competit appetitui cupiendi, vt patet de temperantia: quare in eo quoque vim habebit ratio. Propterea dicendum eſt vtrumque appetitum eſſe natum obtemperare rationi, non tamen eodem modo: nam appetitus iraſcendi magis, facilius, ac proximius ei obtemperat, hinc dicitur miniſter rationis, & pugnare pro ratione aduerſus cupiditatem, & iure ei magis obtemperat, cum ſit ſpiritalior, & in his verſetur quæ magis pertinent ad animam, & maxime iuncta ſunt cum ratione, vt patet de gloria, & honore: cupiditas longius diſtat à ratione, verſatur in voluptatibus magis cum corpore complicatis, guſtatus ſcilicet, & tactus, & frequenter corrigitur facultate appetitus iraſcendi. Inſuper hic appetitus minus rationi obtemperat, dum verſatur in obiecto ſuo principali, quam dum verſatur in inſtrumentis eius, qualia ſunt fortunæ bona. Sententia itaque Platonis, Plutarchi & Galeni eatenus vera eſt, quatenus, dum inquiunt hunc appetitum non obtemperare rationi, id denotat difficultatem, ſeu ſignificat quod obſcure, parum, & è longinquo ei obtemperat, non autem quod nullo pacto ei obtemperare ſit natus: & demum vera eſt non abſolute, ſed facta comparatione cum appetitu iraſcendi. Recte itaque Ariſt. in calce primi lib. moralium Nicomachiorum dixit, *appetitum ſentientis facultatis parere rationi in continente, ac multo magis in viro forti ac temperante, in quibus omnia, vna pene dicam voce, cum ratione conſentiunt, &c.* Sed adhuc vniuerſa dubitatio ſoluta non eſt, quoniam Ariſt. ſibi conſtare non videtur, in 7. enim lib. moralium Nicomachiorum cap. 6. inquit: *ira quodam modo ſequitur rationem, cupiditas non item.* Eſt igitur cupiditas turpior. Cui difficultati reſpondens dico hæc inter ſe diſtingui, ſequi rationem, & eſſe natum obtemperare rationi: cupiditas non ſequitur rationem adeo vt ratione excitetur, quẽadmodum ira; eſt nata tamẽ ratione corrigi, & cõponi. Et hæc de prima difficultate, ex cuius reſolutione colligitur reſolutio ſecundæ. Quærebatur ſecundo loco, quænam harum appetentium facultatum debeat iudicari præſtantior? Poſſet quis opinari, cupiẽdi appetitum eſſe prçſtantiorem, quia magis in fine verſatur, appetitus vero iraſcendi potius in ordinatis ad finem, finis autem ordinatis ad finem omnium conſenſione præfertur: ita voluntas prælectioni antecellit. Hæc

Ratio. *Solutio.* *Secunda dubitatio.* *Prima opinio.*

Euerſio. tamen ſententia non eſt vera, ſed principatum obtinet vis iraſcendi: primo, quia obiectum eius eſt præſtantius, eſt enim bonum, & voluptas animi, vt patuit: ſecundo, quia proximior eſt rationi, eique magis obtemperat, ac pro ea pugnat: tertio, quia eſt ſpiritalior, ac robuſtior, hinc euenit, vt generatione ſit poſterior: vermes enim, & ſtirpanimalia cupiunt, at nō iraſcūtur, niſi adumbrate. Ideo Ariſtoteles in ſecundo de anima, cont. 20. accurate ſuo more loquitur, dum verba faciens de partibus inſectorum animalium, inquit: *vbi enim ſenſus reperitur, voluptas, & dolor inſequitur, vbi autem hæc, neceſſario etiam adeſt ἐπιθυμία, hoc eſt, cupiendi appetitus.* Loquitur de hoc, & non de appetitu iraſcendi, quoniam eſt prior generatione: & neceſſario ſequitur ſenſum, non ita autem ſe habet de appetitu iraſcendi. Aduerſæ autem rationi facile eſt reſpondere: nā oſtenſum eſt, appetitum iraſcendi habere obiectum proprium præſtantius obiecto cupiditatis, & ideo, ſi nonnunquam cupiditati opitulatur: id facit auxilio regio, non ſeruili, neq; ad eum ita ſe habet, vt prælectio ad voluntatem.

An voluptas & dolor ſint perturbationes, opinio Aſpaſii, eiuſq; euerſio. CAP. XV.

CVM patuerit, quid de duplici ſenſuum appetitione ſit dicendum: vt exactius numerum, & capita perturbationum inuenire valeamus, quid de voluptate, & dolore ſit ſentiendum, conſiderare debemus. Ardua eſt dubitatio, quomodo voluptas, & dolor ad animi perturbationes ſe habeant, de qua opiniones ſunt variæ. Cenſent nonnulli, è quorum numero eſt Aſpaſius in ſecundo moralium Nicomachiorum, cap. 3. voluptatem, & dolorem eſſe communia genera omnium perturbationum, adeo vt reliquæ perturbationes ſub his, tanquam ſpecies ſub genere, contineantur. Quod vt clarius oſtendat, dubiaque perſoluat, præaccipit voluptatem eſſe duplicem, vnam ad corpus, alteram ad animum pertinentem. Inſuper voluptatem pertinentem ad animum duplicem affirmat, vnam circa obiectum præſens, quæ eodem cum ſuo genere nomine voluptas dicitur, alteram circa obiectum futurum: & quoniam oppoſitorum eadem eſt ratio, quotuplex eſt voluptas, totuplex eſt dolor ei oppoſitus. Accipit inſuper animi perturbationem eſſe motionem partis animæ rationis expertis à voluptate, vel dolore excitatam. His præaſſumptis ait, voluptatem, & dolorem, ſi vniuerſe vſurpantur, eſſe communia genera omnium perturbationum: & quemadmodum genera ſequuntur speciem, quia ex ſpecie infertur genus, ita perturbationes ab Ariſtot. illæ dicūtur, quas voluptas ſequitur, aut dolor. Hæc ſentētia nec Platoni, nec Ariſtot. nec rationi eſt con-

Opinio Aſpaſii.

Digitized by Google

eſt conſentanea. Non Platoni, quia Plato in Philebo inquit: *perturbationes omnes eſſe mixtas ex voluptate, & dolore, ſi perturbatio ex voluptate, & dolore conſurgit: non igitur eſt voluptas, vel dolor, veluti colores medii non ſunt albedo, vel nigredo* Aduerſatur Ariſtoteli, quoniam inquit Aſpaſius iram contineri ſub dolore, vt ſub genere: Ariſtoteles in 4. topicorum loco 61. damnat hãc ſententiam quia dolor ad appetitum cupiendi, ita ad eum qui eſt iraſcendi pertinet. Præterea ſi voluptas, & dolor eſſent genera perturbationum, erraſſet Ariſtoteles, qui in primo rhet. cumulate agit de voluptate, & dolore, mox in 2. proponit agendum vniuerſe de perturbationibus, eaſque definit, definitionemque tradit, quæ nec voluptati, nec dolori conuenit, cum dicat, perturbationes eſſe eas, quas ſequitur voluptas, aut dolor, vt etiam dixit in ſecundo moralium Nicomachiorum, cap. 5. Neque dicere valemus, quod ita ſequantur, vt genus ſequitur ſpeciem, quemadmodum inquit Aſpaſius. Quoniam dum aſſignamus definitionem ſpecierum, genus primo ſumimus, idque in recto proferimus, non autem dicimus eſſe eas, quas ſequitur genus. Præterea Ariſtot tunc definit perturbationem pro genere ſumtam, ſub qua ſpecies variæ continentur, non autem definit ſpecies. Inſuper Ariſtot. 2. moralium Nicomachiorum, capit. 3. declarat ſeipſum, & manifeſtat, quomodo perturbationem ſequatur voluptas & dolor, inquiens: *Iam vero ſi in actionibus, & perturbationibus poſita ſunt virtutes, omnem autem perturbationem, actionemque omnem ſequitur voluptas, aut dolor, &c.* His verbis aperte indicat Ariſt. quomodo voluptas, & dolor ſequantur perturbationem: nam perinde eam ſequuntur, ac ſequantur actionem: at actionem non ſequuntur vt genus, ſed vt pulcritudo congruentem partium menſuram, vt dicitur in 10. lib. moralium Nicomach. Demum ea ſententia aduerſatur rationi, quoniam genus recte dicitur de ſuis ſpeciebus: dolor, & voluptas non ita ſe habent ad ſpecies perturbationum: non enim dicimus iram eſſe voluptatem, vel eſſe dolorem, ſed ſolum dicemus cum Ariſtotel. in 4. topic. loco 61. *iram oriri, prius in nobis dolore facto.* Præterea pro conſtituendis ſpeciebus diuiditur genus per oppoſitas differentias, non autem diſtincta genera inter ſe miſcentur pro earum conſtitutione: at ex permixtione voluptatis, & doloris variæ emergunt perturbationes, vt affirmatur à Plato. in Philebo, & conſpicuum eſt de ira, & aliis. Propterea eſt alia opinio Stoicorum, qui minime cenſent, voluptatem, & dolorem eſſe communia genera omnium perturbationum, ſed aiunt eas eſſe duo ex primis capitibus earum, nam quatuor ſtatuunt perturbationes primas, vt in præcedentibus retuli. Plato etiam nonnunquam voluptatem, & dolorem numerat

Contra Aſpaſium.

Secunda opinio.

Digitized by Google

inter perturbationes, vt in Timæo, & in Theæteto: imo in Theæteto ea quatuor ſtatuit perturbationum capita, quæ etiam enumerantur à Stoicis. Latini quoque cum Stoicis inter principales perturbationes voluptatem, doloremque numerãt. Horum ſententia confirmatur rationibus, nam perturbatio definita eſt, quod ſit motio facultatis appetẽtis, quæ definitio in præcedentibus tradita, ſatis aperte conuenit voluptati, & dolori: *Voluptas enim pro genere ſumta*, vt dicebat Aſpaſius, *eſt operatio ſecũdum naturam non impedita, ſumta vero pro ſpecie, eſt effuſio animi, & ſpirituum, ob præſentiam rerum iucundarum:* dolor contra eſt affectio, ex impedimento, operationis naturalis vel animi contractio ob præſentiam rerum moleſtarum: vel igitur non recte fuit definita perturbatio, vel inter perturbationes numerari debent voluptas, & dolor. Inſuper attinentia ad appetitum ſenſuum, vel ſunt facultates, vel perturbationes, vel habitus, hæc tria ſola in eo numerauit Ariſt. in ſecundo moralium Nicomachiorum: voluptas, & dolor, cum pertineant ad illum appetitum, nec ſint facultates, nec habitus, reliquum eſt, vt ſint perturbationes. Pro parte aduerſa extat ſententia Platonis, qui in Philebo oſtendit omnem perturbationem ex voluptate, & dolore eſſe mixtam. Extat ſimiliter ſentẽtia Ariſtotelis, qui perturbationum genus definiens ait eſſe eas motiones, quas voluptas ſequitur, aut dolor, ſi omnem perturbationem ſequitur voluptas, aut dolor, cõſpicuum eſt voluptatem, & dolorem non poſſe dici perturbationes: & demum huic opinioni ea aduerſantur, quæ cõtra ſententiam Aſpaſii dicta ſunt.

Confirmatio. *Voluptas quid?* *Dolor quid?* *Euerſio.*

An voluptas, & dolor ſint perturbationes, opinio propria. CAP. XVI.

MIRVM profecto eſt, quod nos, qui per naturam, perque aſſuetudinem cunctis ſenſibus, ac tam perdite voluptatem ſequimur, in ea adeo ſimus cœci, vt neq; etiam ſecundum commune genus illam cognoſcamus: de qua tamen, vt dicam quod ſentio, accipio primo, quod vt voluptas, ita dolor multipliciter vſurpatur. Ac, quod ad rem noſtram pertinet, triplex eſt voluptas. vna, quæ eſt fons, & origo omnium perturbationum, quæ oritur ex cognitione obiecti, vt conferentis, vel aduerſi, ac ex quadam antipathia, & ſympathia facultatis cum obiecto: ſecunda eſt voluptas pariter, & dolor, quæ in fine eſt poſita, dum eo potimur, vel priuamur: tertia eſt voluptas preſſius ſumpta, quæ vehementiſſima eſt, oriens ex obiecto tactus, ſiue guſtatus. Prima & ſecũda voluptas in omni appetitu reperitur, tertia vero ſolum in appetitu cõcupiſcendi, & ob eius vehementiam, ac quia cõmunis maxime eſt omnib. abſolute nomine voluptatis frequen-

Primũ quod accipitur. *Triplex voluptas.*

Digitized by Google

frequenter deſignatur De voluptate, & dolore in prima ſignificatione præcipue vera eſt ſententia Platonis in 1. de legibus, nec non Ariſtotelis in 2. moralium Nicomach. capit. 3. dicentium: *duo hi fontes natura ſcaturiunt, à quibus qui haurit, vnde, quando, quantumque oportet, felix eſt; priuatus quilibet vel publicus vir omneque animal, qui autem inſipienter, & importune, contra viuit, infelix.* De eadem quoque præcipue vera eſt ſententia Ariſtotelis in 2. moralium Nicomach. capit. 3. dicentis: *virtutem omnem in voluptate, & dolore eſſe poſitam: vir enim probus illis lætatur, & dolet, quibus debet.* De ſecunda voluptate intelligi præſertim debet Ariſtot. dum in 2. rhetor. nec non in 2 moralium Nicomach. capit. 3. & 5. ait, *perturbationes eas eſſe, quas voluptas ſequitur aut dolor*: omnem enim perturbationem ſequitur voluptas, aut dolor, non autem vice verſa omnis dolor, vel voluptas ſequitur perturbationem. De voluptate in tertia ſignificatione intelligi debent Plato, & Ariſtotel. dum inquiunt, *temperantiam in voluptate, & dolore verſari, eique modum imponere.* Secundo conſiderandum eſt, quod voluptas, & dolor, quemadmodum antecedunt, & ſequuntur, ita comitantur ſemper perturbationes, nulla enim eſt perturbatio, quæ dolorem, vel voluptatem aliquam iunctam non habeat: dolor tamen vel voluptas, quæ ab initio ad finem perturbationem comitantur, non differunt ſpecie ab illis, quæ in fine locum habent, ſed ſolum per magis, & minus, ſiue purius, & impurius, & iure profecto: vt enim motio tendens ad finem non dicitur differre à fine, niſi per magis & minus, vt docet Auerroes in 5. phyſic. comment. 9. ita de voluptate, & dolore ſequente motum putandum eſt ſe habere. Tertio alta mente conſiderandum, memoriæque mandandum eſt, quod ex ſententia Ariſtotelis in 10. moralium Nicomach. cap. 3. & 4 *voluptas non eſt motus, ſed motum ſequi poteſt; quatenus per motum aliquid conſequimur nobis accommodatum, vt ex oppoſito conſurgit dolor*: voluptas enim ſemper ex poſſeſſione aliqua rei conferentis conſurgit, ſiue per motum, ſiue ſecus nobis competat, & hoc de primo quoque voluptatis genere verum eſt, conſurgit enim ex poſſeſſione rei ſaltem per cognitionem. Ex his quinque notatu digna colligere valemus. Nam colligo primo, cum omnis perturbatio ſit motio, voluptas, & dolor non ſint motio, quod nequaquam proprie ſunt perturbationes. Colligo ſecundo, cum adeptionem finis per motum ſequatur voluptas, & oppoſitum dolor, & perturbationes ſunt motiones, per quas adipiſcimur, vel non adipiſcimur finem, iure perturbationes dicimus eſſe eas, quas ſequitur voluptas, vel dolor. Colligo tertio rationem rectam, ob quam Ariſtoteles definiens perturbationes frequenter dixit eſſe eas, quas voluptas ſequi-

Alterum quod accipitur.

Tertium quod præcipitur.

Quinque colliguntur.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Digitized by Google

tur, aut dolor: id idem fecit primo, vt ſuam ſententiam de voluptate pateſaceret, & oſtenderet reuera non eſſe perturbationem eiuſdem ordinis cum aliis: ſecundo, vt more ſuo Platoni aduerſaretur, qui voluptatem dixit motionem & generationem, quod reiicit Ariſtot. in 10. moralium Nicomachiorum, & ſolum concedit conſurgere poſſe ex motione, puto tamen (vt alibi pateſaciam) litem in ſolis verbis eſſe poſitam. Colligo quarto, rectam explicationem ſententiæ Ariſtotelis in decimo moralium Nicomach. cap. 4. dicentis, *voluptatem eſſe totum aliquid, ac indiuiduum:* nam motio diuidua eſt, mutatum vero eſt indiuiduum, ac terminus, voluptas cum ſequatur motum, dicitur non motus, ſed terminus, & mutatum, ac propterea dicitur totum quid, & indiuiduum: ſimili ratione in eodem cap. voluptas dicitur perfectio actionis: non vt habitus inſitus, ſed vt finis quidam ſubſequẽs. Colligo quinto rectam explicationem ſententiæ Platonis in Philebo dicentis: *perturbationes omnes ex voluptate, & dolore eſſe permixtas*: includunt namque vtrumque, & tanquam principia, & tanquam comites. Quarto demum accipiendum eſt, quod perturbatio dupliciter vſurpatur: vel enim proprie, pro motione attinente ad appetitum ſenſuum, vel late, pro quauis eius affectione, ſiue ſit motio, ſiue principiũ, ſiue ex motione conſurgat: dum vſurpatur perturbatio in prima ſignificatione, voluptas & dolor non ſunt perturbationes, & in ea ſignificatione perturbationem ſumſit Ariſt. & definiuit: at ſi vſurpatur latius, & in altera ſignificatione, ſic à Platone nonnunquam nuncupãtur perturbationes, & à Stoicis inter prima perturbationum capita numerantur. Ex his elicitur vniuerſæ difficultatis exactiſſima reſolutio.

Quartum.

Quintum.

Quartum quod praæcipitur.

Perturbatio dupliciter accipitur: preſſe & laxe.

Diluuntur nonnulla difficultates ad voluptatem, & dolorem pertinentes. CAP. XVII.

APPARVIT, voluptatem & dolorem, non proprie perturbationes dici, ſed vel principia, vel comites earum. Ex quo rationem rectam elicere valemus, ob quam Ariſtot. in lib. rhet. prius egit de voluptate & dolore, quam de genere perturbationum: cum enim voluptas, & dolor non ſint re vera perturbationes, ſed ſint cõmunia principia, & comites perturbationum, & debeant in definitione perturbationum accipi, iure optimo neceſſarium fuit, vt congruens ordo ſeruaretur, primo de illis verba facere: quam rationem ceteri afferre non valent, imo coguntur fateri, Ariſtotelem turbaſſe rectum ordinem. Nam ſi voluptas & dolor eſſent ſpecies perturbationis, & re vera perturbationes, vt eſt cõmunis opinio, tunc Ariſt. prius de parte quam de toto, & prius de ſpecie, quam de genere diſſeruiſſet, quod eius

Explicatur ratio ordinis ſeruati in rhetoricis.

eius præceptis aduerſatur. At oritur dubitatio, quia Ariſtot. non *Dubitatio.* videtur ſibi conſtare: negat in 10. moralium Nicomach. nec non in 7. voluptatem, & dolorem eſſe motiones, in 1. tamen rhetoricorum inquit: *ponamus itaq; voluptatem motum animi quendam eſſe, & ſubitam, ſub ſenſumque cadentem inſtaurationem, ad explendam naturam: Adeo quod modo aſſerit, modo inficiatur, voluptatem, & dolorem eſſe motiones.* Cui difficultati ſatisfaciens dico, Ariſto- *Solutio.* telem in 10. moralium Nicomachiorum propriam ſententiam pateſeciſſe, ibi enim ex inſtituto hac de re aduerſus Platonem differit: in primo autem rhetor. tanquam in libro, in quo agit de rebus populariter, dediſſe videtur definitionem popularem, vulgatam, & à Platone traditam: propterea eo loci ſe excuſans inquit, eas definitiones illi præceptioni eſſe ſatis nos exiſtimare debere, quæ de ſingulis rebus prolatæ, neque obſcuræ, neque exquiſitæ fuerint. His accedit, quod Ariſtoteles eo in loco ita vſus eſt communi Academicorum definitione; vt ſimul indicauerit, quomodo vera reddi poſſit: nam voluptas, quamuis non ſit proprie motus, & generatio, eſt tamen motio ſubita, hoc eſt, terminus motus ex motu prodiẽs, perinde ac aeris illuminatio. Inſuper, vt eclipſis dicitur terræ interpoſitio, quia ex *Enunciata* ea prodit, ita voluptas poteſt dici motus, & inſtauratio, quia *vera in ſenſu* conſurgit ex eis: quod in decimo moralium Nicomachiorum, *cauſali non* capit. 3. his pene verbis à philoſopho aſſeritur: *Non eſt igitur ex-* *in formali.* *pletio voluptas, ſed cum adeſt expletio, tum quis voluptate afficitur, & cum ſecatur, dolet, &c.* Quæ ſententia vera eſt, non de pura *Conciliatur* voluptate, ſed de illa, quæ pura non eſt, & medela eſt dolo- *Ariſt. cum* ris, vt ex capit. 10. eiuſdem libri colligitur. Nec in alia ſignifica *Platone de* tione cenſeo Platonem ſuam ſententiam protuliſſe: id ipſum *voluptate.* enim apud Platonem denotare cenſeo generationem ſub ſenſum cadentem. & motionem magnam, protinuſque factam, quibus in Philebo naturam voluptatis explicat, quod apud Ariſtotelem denotant actio, & habitus cum natura conſentiens, per quæ in ſeptimo Nicomachiorum, cap. 12. definit voluptatẽ: ea namque actio apud Ariſtotelem, eſt motio apud Platonem, qui latius vtitur nomine motus. Inſuper aperte Plato in Philebo manifeſtat ſententiam ſuam de voluptate intelligendam eſſe per modum cauſſæ, cum dicat ex reſtitutione in naturam protinus facta, ex motuque magno fieri voluptatem. Hac itaque ſolutione, & Ariſtoteles à contradictione, & Plato à calumnia conſpicue vendicatur. At adhuc diluendæ ſuperſunt ra- *Diluitur pri-* tiones, quibus oſtendebatur, voluptatem, & dolorem re vera *ma ratio.* eſſe perturbationes. Quarum potiſſima erat, quia virtus omnis in more poſita, eſt moderatio alicuius perturbationis. Temperantia eſt virtus in more poſita, & eſt moderatio voluptatis,

Digitized by Google

Officium temperantiæ. & doloris, voluptas itaque, & dolor re vera ſunt perturbationes. Cui difficultati reſpondens dico, officium temperantiæ eſſe primo, & principaliter componere cupiditatem tendentẽ ad voluptatem, quę cupiditas & a Platone, & a Galeno, & ab Ariſtotele inter principales perturbationes numeratur: compoſita autem ea cupiditate conſequenter componitur voluptas & dolor, quæ comitãtur adeptionem obiecti cupiditatis, vel oppoſitum eius. At addebatur in præcedentibus perturbationis definitionem etiam de voluptate & dolore veram eſſe. *Diluitur ſecunda ratio.* Hoc nos inficiari debemus; ea enim definitio duplici de cauſſa his non conuenit. Prima eſt, quia perturbatio dicta eſt motio, nam (vt inquit Ariſtot. in ſecundo moralium Nicomach. capit. 5.) *perturbationibus moueri dicimur: at voluptate & dolore non dicimur moueri,* ex decimo moralium, cap. 4. non itaque eis congruit definitio perturbationum. Altera ratio eſt, quia perturbatio dicebatur motio ad obiectum pro moleſtia vitanda, fruendaque iucunditate: at voluptas non eſt motio pro fruenda voluptate, ſed eſt ipſamet iucunditas ex adeptione obiecti conſurgens: ideo recte dicitur ſequi perturbationem, non autem perturbatio. *Diluitur tertia.* Demum addebatur, omne pertinens ad appetitum ſentiendi, vel eſſe facultatem, vel perturbationem, vel habitum. Dico hæc eſſe tria principalia, ad quæ cetera rediguntur, nam voluptas, & dolor ſunt initia, calcaria, & comites perturbationum, vt declaratum eſt, ideo ad perturbationes rediguntur, quamuis re vera non ſint perturbationes.

De reductione perturbationum in capita.
CAP. XVIII.

SATIS cumulate me ea explicaſſe puto, quæ ad notitiam diſtinctionis appetentis facultatis, nec non ad cognitionem voluptatis & doloris pertinere videbantur: facilius modo prima perturbationum capita inſpicere valebimus. *Opinio Aſpaſii.* Cenſuit Aſpaſius, voluptatem, & dolorem eſſe prima, communiaque genera perturbationum: quam opinionem à vero abhorrere ex dictis in præcedentibus conſpicuum eſt, & ex eo præſertim, quod oſtenſum eſt voluptatem, & dolorem, vt extenduntur per omnes perturbationes, minime eſſe perturbationes, ſed fontes, fomites, aſſeclaſque earum. *Opinio Stoicorum.* Stoici, & cum eis Cicero, perturbationum quatuor capita ſtatuerunt, voluptatem, dolorem, timorem, libidinem, vt in præcedentibus retuli. Alii ab his parum recedentes inquiunt, prima capita eſſe voluptatem, dolorem, timorem, & ſpem: prima duo verſari dicuntur in bono, vel malo præſente, reliqua in futuro. De his Plato in primo de legibus inquit, quemlibet noſtrum eſſe vnum, & habere in ſe conſiliarios duos

duos contrarios, & amentes, voluptatem, & dolorem, ad quos accedunt futurorum timor, & confidentia, quas in ſexto Æneidos ita expreſſit Virgilius:

Hinc metuunt, cupiuntq́ꝫ, dolent, gaudentq́ꝫ, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cœco.

Has quatuor perturbationes nonnulli in duas redigunt, in communem timorem mali, communeque deſiderium boni. Hæc opinio, quamuis à multis præclaris philoſophis approbetur, mihi tamen apprime dubia videtur. Primo, quia iam eſt oſtenſum, voluptatem, & dolorem, minime eſſe perturbationes. Hinc Plato in primo de legibus, eas non perturbationes, ſed conſiliarios amentes nuncupauit. Præterea dum hæ quatuor nuncupantur communes perturbationes, & capita ceterarum, vel ita ſunt capita, vt omnes quatuor in vtroque appetitu locum habeant, vel duæ ad vnum, reliquæ ad alterum pertineant: non valemus dicere primum, quoniam timor ex eorum ſententia ad ſolum iraſcendi appetitum pertinet, pariter & ſpes, voluptas autem, & dolor ad appetitum cupiendi. Quod ſi loco ſpei cum Cicerone, & Stoicis libidinem accipimus, magis erramus: primo, quia libido non opponitur timori, vt dolor cupiditati: ſecundo, quia libido proprie ſumpta ad appetitum cupiendi pertinet, non autem ad vtrunque. Si alterum prioris diuiſionis membrum approbamus, & dicimus duas harum perturbationum attinere ad appetitum iraſcendi, reliquas ad cupiendi, proculdubio erramus: primo, quia ſic non erunt primæ penitus, & vere communes: ſecundo, quia perturbationes cupiditatis, quæ non verſantur in bono, vel malo præſente, non poſſunt ad voluptatem, vel dolorem redigi, quæ in illis præſentibus verſari dicuntur, ita quoque perturbationes facultatis iraſcentis, quæ non reſpiciunt futura, vt ira, inuidia, & ſimiles, non valent ad eas redigi, quæ ad ſola futura referuntur. Propterea iure Aſpaſius in ſecūdo moralium Nicomachiorum, capit. 3. eam in quatuor capita deductionem damnauit, & præſertim, quia dum timor ſumitur, & libido, non accipiuntur oppoſita: inſuper, quia ira, nec non fiducia, ad nullum eorum capitum redigi poteſt. Ideo Turiſanus Monachus, cognomine Pluſquam commentator, in tertio artis medendi cenſuit, genera, communiaque capita perturbationum tria eſſe, voluptatem, dolorem, & iram. Ratio eius eſt: quia animus per ſui perturbationes, vel tendit ad apprehenſionem, quod ei competit per voluptatem, vel ad fugam, quod facit per dolorem, vel ad repulſionē, quod per iram conſequitur. Confirmant nonnulli hanc ſententiam per triplicem motum ſpirituum inſitique caloris: vel enim in perturbatione per voluptatē effunduntur ſpiritus, & ad

Reiectio.

Aſpaſius.

Opinio Turiſani, pluſquam commentatoris.

Digitized by Google

externa tendunt, vel interna petunt per dolorem, vel partim feruntur ad externa pro repellenda iniuria, partim ad interna per coniunctum dolorem, vt euenit his qui iraſcuntur. Hæc opinio etiam non eſt approbanda: primo, quia perperam voluptatem, & dolorem perturbationes ſtatuit eiuſdem ordinis cum ceteris: ſecundò, quia perturbationes per obiecta præcipue, non per motus caloris, & ſpirituum diſtingui debent. Præterea ira eſt mixta ex voluptate, & dolore, vt vna cum Platone cenſet Ariſtoteles, *mixtum & compoſitum non poteſt ſtatui caput, ſiue genus primum vna cum componentibus: ſe haberet enim, perinde ac ſi inter prima corpora numeraremus elementa, & mixtum.* Demum ſi ita eſſet commune genus, vt voluptas, & dolor, quemadmodum perturbationem omnem ſequitur voluptas, & dolor, vt inquit Ariſt. ita deberet ſequi ira, quæ tamen non ſequitur, vt eſt conſpicuum.

Reiectio.

De perturbationum communibus capitibus, opinio propria.

CAP. XIX.

Opinio propria.

PRætermiſſis itaque aliorum opinionibus, vt de capitibus perturbationum proferam quod ſentio, ita dicendum cenſeo. In omni motu, ac in vniuerſo progreſſu perturbationum tria conſiderantur, principium, medium, & finis: in fine non ſeruatur motus, nec propenſio ad obiectum, ſed aliquid ex motu conſurgens, & poſſeſſio obiecti, præſente enim fine non amplius res dicitur moueri, quare nec turbari, cum perturbatio ſit motio ad obiectum: in fine igitur ſolum conſideratur voluptas, & dolor, quæ dicuntur ſequi omnem perturbationem: & quamuis nonnunquam dicantur affectiones animi, re vera tamen non ſunt perturbationes eiuſdem ordinis cum ceteris, vt patefeci. Propterea ſeruatur motus ſolum à principio ad medium, & à medio ad finem, per quæ ſtatui poſſunt prima capita perturbationum. Nam vniuerſa progreſſio à principio ad finem, poteſt & vnica oppoſitione, & duabus diſtinctis denotari: ſi vnica denotatur, oriuntur duæ communiſſimæ perturbationes ad vtrumque appetitum pertinentes, amor ſcilicet, & odium. Quod ſi diſtinctius capita aſſignare volumus, & progreſſum illum in duas ſecare partes, dicendum erit, prima capita eſſe quatuor, quorum duo principii obtinent locum, amor, & odium, duo vero medii, θυμὸς καὶ ἐπιθυμία, hoc eſt, animoſitas (vt ita loquar) & cupiditas, quæ duo ab omnibus veteribus philoſophis inter perturbationes numerantur. Ratio huius reductionis, & ordinis eſt: quoniam oritur perturbatio ex imaginatione, ac iudicio obiecti, ſub ratione iucundi nobis, vel moleſti, ſiue boni, vel mali, quod iudicium, ſiue approbationem, & reprobationem

Amor, & odiũ duæ prima communiſſima perturbationes.

Quatuor primæ perturbationes.

Ratio.

Digitized by Google

bationem ſequitur in appetitu amplexus quidam obiecti in eſſe cognito, & inclinatio ad illud pro eſſe proprio eius extra cognitionem, vel contra auerſio, & aſpernatio. Quæ prima excitatio in appetitu, & amplexus apprime iunctus cum approbatione interni ſenſus, eſt amor late ſumptus, vel odium obiecti: ideo Ariſtotel. in vtroque appetitu amorem, & odium collocauit, amorem nempe, & odium obiecti, quod ad illum appetitum pertinet. Amor itaque, & odium obiecti appetitus ſenſuum ſunt primæ, & communiſſimæ perturbationes, ex quibus ceteræ oriuntur, earumque ſunt pediſſequæ. Hanc veritatem tetigit nonnunquam, ac expreſſit Plato, veluti in Timæo, dum inquit: *primum vtique neceſſario ſenſum vnum omnibus internum, & naturæ coniunctum illic à violentis perpeſſionibus excitari, deinde cum voluptate, & dolore mixtum amorem, poſt hæc metum, & iram, & quæcunque, vel iſta ſequuntur, vel ab iſtis, vt contraria diſſident.* His verbis Plato amorem, & odium primas eſſe perturbationes affirmat, ceteras ex his oriri. Id ipſum indicauit in 2. de legibus, inquiens: *Diſciplinam appello virtutem, quæ primo pueris aduenit, ſi voluptas, & amor, dolorque & odium recte in animos influant, antequam ratione moueantur, & ratione deinde præſente, rationi conſentiant, quæ conſenſio vniuerſa virtus eſt. Ipſam vero decentem circa voluptates, & dolores aſſuetudinem, per quam ab initio vſque ad extremum vitæ homines oderint, quæ odiſſe oportet, & ament quæ amanda ſunt, ſi per ſe ipſam ſeorſum ratione conſideratam diſciplinam vocaueris, recte* (vt ego arbitror) *appellabis, &c.* His verbis Plato primam, & latiſſimam perturbationis oppoſitionem ſtatuit amorem & odium: nam voluptas & dolor, ſi late ſumuntur, ſunt fontes, principia, fomites, & aſſeclæ perturbationum, non proprie ſumptæ perturbationes, vt patefeci. Hinc iure in conuiuio *amor dictus eſt magnus Dæmon, nedum ob vehementiam, & vires eius, verum inſuper, quia eſt caput, & princeps omnium Dæmonum,* hoc eſt, humanarum perturbationum, quæ ſunt quaſi interni hominum Dæmones. Eiuſdem quoque ſententiæ viſus eſt fuiſſe D. Auguſtin. qui in multis Platoni adhæret: nam in lib. de moribus Eccleſiæ, capit. 15. inquit, *quatuor virtutes primas morales nil eſſe, niſi amorem ordinatum, vel amoris ordinati: & quoniam virtutes morales ſunt moderationes perturbationum, iure colligimus ex eius ſententia, omnes perturbationes ad amorem redigi:* quod in parte tetigit etiam 14 libro de Ciuitate Dei, capit. 7. inquiens: *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas eſt, id autem habens eoque fruens, lætitia, fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt, idque ſi acciderit ſentiens, eſt triſtitia.* Statuamus igitur cum ratione, cum Platone, Ariſtotele, & Diuo Auguſt. duas eſſe primas, &

Approbatio ex Platone.

communiſſimas perturbationes, amorem, & odium, quaſi ſympathiam, & antipathiam, ſiue conſenſionem, & diſſenſionem facultatis appetentis ſenſuum cum quouis eius obiecto. Quas ſi deinde diſtinctius volumus explicare, & amorem, vt caput, & principē perturbationum, volumus ſecernere ab aliis, quæ proxime eum ſequuntur, addere debemus, vt dixi, ſecundum gradum perturbationum, θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν, hoc eſt, animi vigorem, & cupiditatem. Ratio eſt: quoniam amor proprie eſt amplexus ille primus, primaque inclinatio appetitus, proxime ſequens approbationem iudicantis facultatis, in quo amplexu cum cognitione iuncto reperitur voluptas quædam ex ſympathia, & conſenſione obiecti tanquam boni cum facultate prodiens, nec non dolor aliquis ratione priuationis. Huiuſmodi amorem ſequitur deinde in appetitu motio quædam media tendens ad obiectum, quæ in appetitu cupiendi dicitur cupiditas, in appetitu iraſcendi θυμὸς, ſiue animi vigor. Et conſiderandum eſt, quod hæ voces θυμὸς καὶ ἐπιθυμία, dupliciter vſurpantur: nonnunquam pro denotandis duabus facultatibus appetentibus, pertinentibus ad ſenſus, vt in ſecundo de anima, 27. quo loci enumerantur facultates appetentes, in tertio tamen de anima, 52. magis ꝓprie philoſophus loquēs eas appellat, ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν: nonnunquam vero illis vocibus denotantur non facultates, ſed affectiones, ſiue perturbationes earum, vt conſtat ex ſecundo lib. moralium Nicomachiorum, cap. 5. & in eadem ſignificatione vſurpantur apud Galenum in libro de cognoſcendis, curandiſque animi morbis, capit. 3 & 5. nec non apud Platonem & Plutarchum frequenter. Inſuper dum illæ voces denotant affectiones, ſiue perturbationes, adhuc id euenit dupliciter: vel enim denotant vniuerſum genus appetitionis ad eam facultatem pertinens, ſic omnis affectio facultatis cupientis dicitur cupiditas, & iraſcentis θυμὸς, hoc eſt, animi vigor: vel ſignificant propriam quandam eius facultatis affectionem, contradiſtinctam ab aliis, ac ita inter ceteras perturbationes numerātur. Ex his conſtat, prima perturbationum capita partim duo, partim quatuor eſſe. Si duo, ea poſſunt dici, vel amor, & odium, vt patefeci, vel cupiditas, & θυμὸς late ſumpta, & nuper manifeſtaui. At ſi conſiderantur diſtinctius, erunt quatuor, quorum duo prima, amor ſcilicet, & odium, vtrique appetitui competunt, duo reliqua, cupiditas, & θυμὸς, id eſt, animi vigor, diſtincto congruunt appetitui, cupiditas appetitui cupiendi, altera appetitui iraſcendi. Quod ſi has duas quoque perturbationes vtrique appetitui volumus communes reddere, dicemus θυμὸν, & cupiditatem id habere commune, vt ſint proſequutiones quædam vel fugæ obiecti cōſentanei, vel aduerſi: ac ita amor & odium

θυμὸς dupliciter vſurpatur.

Epilogus dictorum.

Digitized by Google

dium, tanquam principia, proſequutio & fuga, tanquam media, erunt communiſſima capita perturbationum.

Quomodo amor ſe habeat ad cupiditatem.
CAP. XX.

SAtis communis, & inter ingenuos iuuenes frequenter agitata eſt ea quæſtio, quomodo amor ad cupiditatem, vel contra cupiditas ad amorem ſe habeat, intelligendo nomine cupiditatis idipſum, quod etiam nomine deſiderii denotatur: cuius ſolutio ex dictis ſatis conſpicue elici poteſt. Et quamuis ea dubitatio frequenter proponatur de amore venereo & voluptatio, non de amore vniuerſe ſumto, de quo nuper ſum loquutus: tamen, quia de vniuerſo amore, & partibus eius (vt ad hoc pertinet) eadem eſt ratio, propterea quod de parte dicimus, de vniuerſo amore cenſeo eſſe verum. Quæritur itaque, quomodo amor ſe habeat ad cupiditatem. Cenſent nonnulli, cupiditatem, quam deſiderium appellant, eſſe genus amoris: ideo amorem definientes inquiunt eſſe deſiderium, &c Horum ſententia partim vera, partim falſa iudicari debet. Vera eſt, ſi nomine deſiderii ſignificant genus affectionum attinens ad appetitum cupiendi. Nam amor, qui pulcrum inſpicit, proculdubio pertinet ad appetitum cupiendi: at ipſi non in hac ſignificatione, ſed preſſius vti videntur nomine deſiderii, ſiue cupiditatis: nempe pro vna definita perturbatione contradiſtincta ab aliis, in qua ſignificatione ea ſententia vera non eſt: quoniam, vt patuit, cupiditas ſequitur amorem, & ſe habet tanquam affectio amoris, & medium quoddam inter amorem, & id quod amatur; affectio autem ſiue proprietas, cum ſit poſterior eo cuius eſt proprietas, non poteſt iudicari genus illius. Male igitur amor dicitur cupiditas, cum amor prius oriatur, illum mox ſequatur cupiditas: nam ideo cupimus, quia amamus, non vice verſa Leo Hebræus, vir elegans, & acri quodam iudicio illuſtris, in tertio ſuo dialogo, de amore & deſiderio, aſſerit: *amorem à deſiderio non diſtingui, ſed eſſe idem*: quãuis in primo libro ſecus loquatur, & ſentire videatur. At eius quoq; ſententia non eſt vera; cum enim cupiditas (vt nuper dixi) in duplici ſignificatione poſſit vſurpari, in neutra eius opinio vera eſt: nam ſi per id nomẽ intelligimus omnẽ affectionem appetitus concupiſcendi, cum eius longe plures ſint affectiones, quã amor preſſe ſumtus ab eo conſideratus, conſpicuũ eſt cõmunius nõ eſſe idem cum minus cõmuni, nec totum cum ſua parte. Si vero nomen cupiditatis vſurpatur in altera ſignificatione, pro ea nempe cupiditate & deſiderio, quod amori iunctum eſt, in qua & ab eo & ab aliis vſurpari ſolet, ita quoque eſt cõſpicuum, cupiditatem ab amore diſtingui, cũ ſequatur illum,

Quomodo amor ad cupiditatem ſe habeat.

Opinio prima.

Opinio ſecunda Leonis Hebræi.

Digitized by Google

eoque ſit poſterior, vt declaraui. Quod confirmatur: nam quæcunque ita ſe habent, vt vno non variato alterum creſcat vel minuatur, proculdubio idem non ſunt: at deſiderium copulæ cum re amata creſcit, minuitur, per multaque euenta variatur non variato amore, vt experientia conſtat: quare inter ſe diſtinguũtur. Inſuper aliquid eſt de ratione amoris, vt amor eſt quod non eſt de ratione deſiderii. Amor magis eſt iunctus cum facultate cognoſcente, proximior eſt cognitioni approbationique ab ea factę. hęc autem ſunt deinde principia, & cauſſę deſiderii, quod magis vergit ad rem quæ optatur, & ideo cenſeri debet affectio quædam prioris eſſentiæ amoris, ſine qua amor nunquam reperitur. Et quamuis Plato videatur aſſerere: *amorem eſſe appetitionem ortam ex indigentia & copia, non propterea iudicauit eſſe idem*: ſed quia nouit, deſiderium ſequi amorem, nectique cum eo, ac eſſe aliquid notum, lucide patefaciens conditionem amoris: ideo amorem per deſiderium nonnunquam manifeſtauit. Propterea recte Homerus amorem poſuit à cupidine diſtinctum, dum 14. Iliados loquens de Ceſto baltheo Veneris dixit: *Illic eſt amor, cupido & colloquium, & deceptio, quæ furatur mentem prudenter cogitantium.* At dices: nonne ab omnibus amor filius Veneris, dicitur Cupido? Amor itaque & cupido idem eſſe videntur. Reſpondeo, dum amor dicitur cupido, id recte fit duplici ratione: prima eſt, quia cupido vſurpatur pro omni affectione facultatis cupientis, & per excellentiam pro principali, qui eſt amor: altera eſt, quia circumſcriptione quadam populari, & nota circumſcribitur amor per eius affectionem vehementiſſimam & conſpicuam. Dicamus itaque à fundamentis iactis, ab explicatiſque principiis non recedentes, amorem ſumtum late pro vniuerſa latitudine perturbationum oppoſita communi odio, & deſiderium ſumtum late pro quauis affectione vtriuſque appetitus, vna extendi, ac in idem venire. Dicamus ſecundo, amorem ſumtum pro perturbatione propria appetitus cupientis, & deſiderium ſumtum pro vniuerſa latitudine eiuſdem appetitus, non eſſe idem, ſed deſiderium eſſe genus eius, ſe habens vt totum ad partem. Addamus tertio, amorem ſumtum pro prima parte perturbationis ad hos appetitus pertinente, differre à deſiderio ſumto pro altera parte ſequente illam, & idipſum eſſe dicendum de deſiderio ſequente cupidineũ & voluptarium amorem. Demum dicamus, cum hoc deſiderium ſit affectio amoris, & affectio maxime ſit iuncta cum eo, cuius eſt affectio, adeo vt ſolum ſecundum formam ſecernatur, ac id familiariter, & lucide declaret: iure optimo amor non reperitur ſine deſiderio, & per deſiderium, vt per notius manifeſtatur. Ita vera eſt ſententia Ariſtotelis nono mora-

Plato.

Homerus.

Inſtantia.

Solutio.

Colliguntur dicta.

Quomodo amor, & deſiderium idem.

Quomodo deſiderium ſit genus amoris.

Quomodo deſiderium ſit affectio amoris.

Ariſt.

moralium Nicomachiorum, c. 5. dicentis: *nemo amore capitur, niſi fuerit ante forma ſpecieq; delectatus; nec tamen is; qui ſpecie delectatur, ſtatim amat, ſed tum, cum & abſentem deſiderat, & præſentem concupiſcit.* Ex his conſtat hæc tria eſſe vera, amorem eſſe idem cum deſiderio: deſiderium eſſe genus amoris, & demum nec idem, nec genus amoris eſſe, ſed affectionem, & comitem eius.

Quomodo voluptas, & dolor ad amorem ſe habent.
CAP. XXI.

Quomodo voluptas, & dolor ad perturbationes ſe habeant.

QVoniam perturbatio dicta eſt motio, in cuius principio dominatur amor & odium, in medio θυμὸς & cupiditas, ſiue proſequutio & fuga, in fine non amplius motio, & proprie ſumta perturbatio locum habet, ſed voluptas & dolor, quæ non ſunt eiuſdem conditionis cum cæteris perturbationibus; iure optimo poſſet quis quærere, quomodo voluptas & dolor ad præcedentes perturbationes ſe habeant? Cui interrogationi breuibus reſpondens dico, voluptatem & dolorem comitari perturbationes omnes à principio ad finem; proprie tamen, & præſertim in fine verſari, & ideo in fine locum ſibi optare dicuntur: ſtatim enim quod obiectum à virtute imaginandi concipitur ſub ratione boni & iucundi: ac ad illud excitatur appetitio, nos quadam delectatione per obiectum in eſſe cognitio afficimur, quæ per ſpem creſcit, & in adeptione externi obiecti perficitur: pariter dolorem percipimus per priuationem, qui per timorem augetur, & dum demum obiecto optato frui non valemus, vel malo aliquo premimur, dolor maxime viget.

Num amor ſit prior voluptate vel contra.

Cum itaque amorem comitetur ſemper voluptas & dolor, quæritur, quid in nobis prius oriatur & antecedat: num amor & odium, vel potius dolor & voluptas. Varia profecto pro omni parte dici poſſunt; nam proculdubio, vt inquit Plato in Timæo, & in ſecundo de legibus, mira connexione complicantur, mutuoque ſe perficiunt: voluptas auget amorem. & amor voluptatem: ideo Venus, vt amoris, ita voluptatis dicitur Dea.

Solutio difficultatis.

Qua de re breuibus ita dicendum cenſeo. Voluptas vel conſideratur in adeptione, poſſeſſione & fine: ac ita ſequitur amorem perficiens illum, & attinentia ad eum, vt ex decimo libro moralium Nicomachiorum colligitur, vbi oſtenditur: *voluptatem eſſe finem, & perficere actiones* ita conſpicimus, quod quicunque re dilecta fruitur, ob amorem incomparabili voluptate afficitur, & quo vehementior fuerit amor, eo magis delectatur. Vel conſideratur voluptas in origine amoris, & eſt voluptas illa conſurgens ex cognitione obiecti vt boni ſibi & congruentis, & hæc eſt fons, parens & fomes amoris, amorique antecedit: ita voluptas parit amorem, eum comitatur, nutrit, & ab amore quoque

vt à ſua prole demum perficitur. Quare vtrumque verum eſt, & quod voluptas antecedat, & quod ſequatur, ea antecedens à nonnullis dicitur voluptas, ſequens vero gaudium, quam diſtinctionem non colligimus ex Ariſtotele: & cum ſint eiuſdem ſpeciei, non debent diſtinctis nominibus denotari: & præſertim, quia gaudium potius ad mentem quam ad ſenſum pertinet. At dices: ſi voluptas actionem ſequitur, eamque perficit, ac finis dicitur, quomodo ſeruari, & reperiri poterit in principio? Inſuper, ſi attinet ad appetitum, quomodo dicitur oriri ex cognitione? Reſpondeo: voluptas, quamuis antecedat amorem, tamen ſemper ſequitur actionem aliquam & poſſeſſionem. Voluptas pro origine amoris ſumta, ſequitur cognitionem obiecti vt ſibi congruentis, & adeptionem eius in eſſe cognito. Dubitabatur ſecundo: ſi voluptas attinet ad appetitum, quomodo oritur ex cognitione? Reſpondeo: ea oritur ex cognitione, quoniam ex ea etiam oritur appetitio, & ſolum gaudere & lætari dicimur, quatenus tale obiectum nobis per cognitionem aptatur, & tanquam congruens optamus id aſſequi pro ſuo eſſe primo & abſoluto: adeo vt ſenſus & appetitus re idem ſint, ſola ratione diſtinguãtur, ratione ſenſus dicimur ſolum indicare, ratione appetitus delectari: ideo dicebat Ariſt. in tertio de anima. 29. *Et eſt delectari & dolere, agere ſentiendi medietate, ad bonum vel malum, quatenus talia ſunt: fuga autem & appetitus, qui actu eſt, hoc ſunt: & non aliud eſt vis appetens & fugiens, neque inter ſe, neque à ſentiendi principio, &c.* Ita vera eſt ſententia Ariſtotelis in decimo moralium Nicomachiorum, cap. 4. dicentis: *etenim ſua cuiuſque ſenſus voluptas propria, itemque mentis & contemplationis eſt.* Sed adhuc obiicit aliquis: quia omnis voluptas pertinens ad appetitum videtur expletio quædam, voluptates ſenſuum non ſunt tales: inquit enim Ariſtot. in 10. moralium Nicomachiorum, cap. 3. *Vacant dolore mathematicæ voluptates, hæque omnes, quæ ſenſibus olfactuque percipiuntur, atque etiam auditiones & aſpectus, multæ præterea recordationes & exſpectationes, dolore carent. Quæ quidem cuius tandem rei ortus ſunt futuræ? præſertim cum nullius fuerint indigentiæ, quam explere poſſint, &c.* Confirmatur dubitatio: quia inquit Ariſtot. in tertio, de anima, cont. 54. *Mouetur enim quod appetit, quatenus appetit; & appetitus motus quidam eſt, aut actus: at homo videns, dum lætatur eo videndi actu, non videtur moueri.* Demum inquit Ariſtot. in tertio, de anima: *appetitum non eſſe ſine phantaſia, vel rationis participe, vel non:* at videntes & audientes abſque vlla imaginatione lætantur: non itaque illæ voluptates ſenſuum videntur ad appetitum pertinere. Hæc dubiam videntur reddere ſententiam cum in præcedentibus, tum nuper approbatam. Quibus reſpondens dico, huiuſmodi

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

Confirmatio dubit.

Solutio.

modi voluptates iunctas profecto eſſe cum cognitione, ex ea oriri, eamque perficere, competere tamen ſenſui, non vt cognoſcens, ſed vt appetens eſt: hinc cui conuenit voluptas & dolor, etiam dicitur conuenire appetitus, vt patet ex ſecundo de anima, cont. 20. & de hoc cumulate in præcedentibus diſſerui. Ad confirmationes dico, voluptatem pertinere ad appetitum, non quia ſit motus, ſed quia ſit vel principium, vel finis motus, ſiue actionis: & non eſt ſine imaginatione, niſi perfecta, ſaltem imperfecta, quæ ſolum verſatur in ſenſili præſente: & demum, quamuis facultas appetendi, vt eſt appetens, priuationem includat; non tamen ſemper ea priuatio ſenſu percipitur, ſenſuique moleſta eſt, vt indicauit Ariſt. 10. moralium Nicomachiorum, cap. 3. & experientia comprobatur.

De cæteris minus communibus perturbationibus.

Cap. XXII.

Conſtitutis perturbationum capitibus, facilius modo minus principales enumerare, eaſq; in ordinem redigere valemus. Et quoniam perturbatio eſt quædam motio facultatis appetentis; appetitiones autem ab obiecto, & motiones à ſuo termino & fine, præſertim conditionem, diſtinctionem, & nomen recipiunt: iure optimo nos eas enumeraturi, obiecta, ſcopos, & finem præſertim inſpicere tenemur. Et quamuis per ſola obiecta indagari, inuenirique valeant cunctæ perturbationes: tamen, vt diſtinctius & lucidius id fiat, quatuor inſpicienda cenſeo; ea autem ſunt obiectum, modus acquirendi, ſeruandique illud, diſpoſitio noſtra erga alios, & demũ modus, quo obiectum competit, vel diſtribuendum eſt aliis. Si hoc quartum inſpicimus, prodit illud perturbationum genus, per quod homines dicuntur natura iuſti, vel iniuſti, vt inquit Ariſt. in ſexto moralium Nicomach. c. 13. quatenus nonnulli per eorum diſpoſitionem approbant, & expetunt æqualitatem diſtributionis & commutationis, vel eius oppoſitum: è quarum numero eſt indignatio, & aliæ perturbationes ei iunctæ magna ex parte proprio nomine carentes, quæ cum pariant voluptatem quandam, vel dolorem ad animum potius, quam ad corpus pertinentem, ad facultatem iraſcendi attinent, & iuſtitia cõponuntur. Si tertium conſideramus, diſpoſitionem nempe erga alios nobis per naturam competentem, tunc prodit triplex genus perturbationum: quia vel verſamur in actionibus, vel in verbis: ſi in verbis, vel ſeriis, vel iocoſis: & conſurgunt illæ perturbationes, per quas homines denominantur faceti, auſteri, familiares, ſinceri, ſcurræ, adulatores, inuidi, ruſtici: & quia voluptatem, vel dolorem habent comitẽ, quæ præſertim ad animum pertinent, ideo præ-

Quatuor inſpicienda pro numero perturbationũ.

Quartum caput.

Tertium.

Digitized by Google

cipue hæ perturbationes pertinent ad appetitum iraſcendi, & componuntur tribus illis virtutibus: quæ in conuerſatione dicuntur poſitę, de quibus ſuo loco diſſeretur. Si conſideramus ſecundum caput, modum nempe acquirendi & conſeruandi obiectum, conſurgit ea perturbatio, quæ θυμὸς, ſiue animi vigor dicitur: & cum ea timor, ad quem Zelotypia redigitur, fiducia, audacia, & ſimiles, quæ fortitudine componũtur, & ad appetitum iraſcendi pertinent. At ſi in primum caput, quod principale eſt, conuertemur, nempe in obiecta appetentium facultatum, tunc amor & odium, quæ dicta ſunt prima capita perturbationum; necnon proſequutio & fuga, quæ ſtatuta ſunt media, vel reſpiciunt obiectum facultatis cupiendi, & ad eam pertinent, vel obiectum facultatis iraſcendi. Si primum, vel id eſt obiectum principale, vel eſt complicatum cum eo, illiq; conducens. Si principale, vel eſt bonum, quod per excellẽtiam iucundum & voluptuoſum dicitur, pertinens ad venerem, & tactum, & conſurgit amor voluptarius, qui per excellentiam abſolute nuncupatur amor, cum cæteri tantum cum contractione dicantur amores, vt vini, auri, & ſimilium. Altera ex parte obiectum principale huius facultatis poteſt eſſe bonum iucundum latius ſumtum, minuſque vehemens, & eſt omne bonum iucundum pertinens primarió ad guſtatum & tactum: ſecundo autem loco ad cęteros ſenſus, & inde prodeunt variæ appetitiones, diſtinctæ iucũditates, variiq; amores magna ex parte propriis nominibus deſtituti, qui communi nomine cupiditatis denotantur, omneſque pertinent ad appetitum cupiendi, & temperantia corriguntur. Si vero id bonum iucũdum non fuerit obiectum principale facultatis cupiẽtis, ſed cum eo cõplicatum, vel id nectitur cum cupiditate, quia eſt inſtrumentum explendi principales cupiditates, vel quia æmulatur, ſimileq; eſt principali obiecto. Si fuerit inſtrumẽtum, tale bonũ, vel eſt munus naturę vel fortunę. Si naturæ, inde oritur varius amor, variaq; cupiditas, qua cupimus euadere formoſi, vt aliis placeamus, apti ad venerem, ad gulam, & ſimilia. Si vero fuerint munera fortunæ, quæ ſunt inſtrumenta explendi amores, & cupiditates huius appetitus, prodeunt deſideria varia auri, argenti, cęterorumq; fortunę munerum, quæ perturbationes partim liberalitate, partim magnificentia componuntur. Hinc Plato 9. de repub. *appetitum concupiſcendi auarum & quæſtuarium nuncupauit.* At ſi altera ex parte id non principale obiectum fuerit ſimile principali, cum eoq; iunctum, tunc oritur amor, & cupiditas videndi pulcra, audiendi iucunda, ludendi, canendi, ſaltandi, & cætera huius generis faciendi, quæ perturbationes temperantia corriguntur, inquit enim Ariſt. in 7. moralium Nicomach. cap. 7. *intemperantem videri ſi quis ad ludum propen-*

Secundum.

Caput primum, & principale.

Perturbationes ad cupiditatem pertinentes.

Digitized by Google

propenſior fuerit, qui etiam mollis dicitur: ludus enim leuamen eſt. Ex his conſtat, in appetitu cupiendi amorem eſſe caput, cupiditatem eſſe commune ſeminarium, quod relatum ad varia obiecta varias parit cupiditates; *ob quas cupiditas à Platone dicitur bellua innumerorum capitum.* Altera ex parte, ſi conſideramus appetitum iraſcendi, inuenimus primo in eo amorem, & odium proprii obiecti, vel eius oppoſiti, quos duces proxime ſequitur θυμὸς, qui dictus eſt animi vigor: hic mox per varia obiecta diſtinguitur, variaſque parit perturbationes. Nam bonum, quod eſt obiectum facultatis iraſcendi, & voluptas ei reſpondens, potius eſt animi, quam corporis, & verſatur hic appetitus, vel in obiecto principali, vel in iunctis cum eo. Si in principali, oritur amor, & alacer proſequutio honoris, gloriæ, victoriæ, & ſimilium; oritur æmulatio, necnon aſpernatio, & fuga oppoſitorum, quæ perturbationes partim moderata honoris appetitione, partim magnanimitate, partim etiam fortitudine corriguntur, vt ex ſe ſatis eſt conſpicuum. Si autem verſatur non in obiecto principali, ſed in iunctis cum eo, vel nobis conducunt, opemque ferunt pro aſſequendo principali obiecto, vel aduerſantur & obſunt: ſi conducunt, oritur appetitus rependendi beneficia, prodeuntque perturbationes ad eum pertinentes, vt ingratitudo, & ſimiles, quæ partim iuſtitia, partim magnanimitate, & appetitione congruentis honoris alterius componuntur. At ſi contra lædimur, inſurgit ira, quæ manſuetudine corrigitur. Ex his conſtat, prima perturbationum capita eſſe duo, amorem & odium, quæ etiam cupiditas & θυμὸς dici poſſunt. Quæ duo capita mox in quatuor diſtinctius reſoluuntur, in amorem, odium, proſecutionem & fugam. Hæc quatuor, dum referuntur deinde ad obiecta varia, ad diſpoſitionem noſtram erga alios, ad requiſita pro adeptione & conſeruatione, & demum ad modum quo competunt aliis vel iure vel iniuria, in innumeras prope multiplicantur, quarum multæ carent proprio nomine. Congruenter tamen ab Ariſtotele in vndecim capita rediguntur, quatenus per vndecim virtutes in more poſitas cumulatiſſime componuntur, vt per ea, quæ dixi, ſatis aperte conſtare poteſt: & ea reductio accommodatiſſima eſt ciuili philoſopho, quia perturbationes conſiderat, quatenus virtute corrigi componique debent. Sunt itaque perturbationes duæ, quatuor, vndecim, & innumeræ, ob quas voluptas eas ſequens dicitur vna, prædita tamen innumeris formis, vt ait Plato in Philebo.

Cupiditas bellua multorum capitum.

Perturbationes appetitus iraſcendi.

Epilogus dictorum.

Vtrum perturbationes ſint tota ſua latitudine prauæ: opinio Stoicorum. CAP. XXIII.

Stoici præſertim morali nauarunt operam.

SToici, qui ſolam philoſophiam de moribus vt hominis maxime propriam magnifecerunt, eique accuratam nauarunt

operam, exiſtimarunt, vniuerſum perturbationum genus eſſe prauũ, rationi aduerſum, viro ſapienti nulla ratione congruens, ac ab animo virtutis ſtudioſo penitus arcendum. Quorum ſententia vt magis conſpicua & planior reddatur, conſiderandum primo eſt, putaſſe Stoicos partem animæ rationis cōpotem ab experte non diſtingui re, ſed ſola ratione, vt refert Plutarchus in lib. de morali virtute. Aſſerebant namque eam dici brutam, rationiſque expertem, quotieſcunque à falſo deprauatoque iudicio in perturbationes ducitur, contraque rationis conſilium effertur. Idipſum quoque Chryſippo Stoico tribuit Galenus in quinto de Hippocratis & Platonis decretis, cap. 1. quem tamen hac de re ſibi non conſtare, pugnantiaque dicere nititur oſtendere. Addebant inſuper Stoici nullos ineſſe nobis per naturam affectus, ſiue perturbationes, ſed omnes ortum ducere à peruerſione ac deprauatione iudicii: quarum perturbationũ quatuor prima capita ſtatuebant, ægritudinem, metum, lætitiam, libidinem, quæ vt orta ex iudicii deprauatione, & aduerſa rectæ rationi, abſolute praua eſſe cenſebant, viroque ſapienti nulla ex parte congruentia: vt tamen ſeruarent ea, quæ apparent, pro libidine viro ſapienti conuenire dicebāt voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. pro ægritudine vero ſine dolore nil ſapienti conuenire affirmabant: quoniam dolor oritur ex malo, quod iam contigit, at ſapienti nil mali accidere poſſe dicebant. Et quemadmodum perturbationes omni ex parte prauas exiſtimabant, ita voluntatem, gaudium & cautionem, abſolute bona, ſapientique maxime congruentia iudicabant, eiq; adeo propria, vt illi ſoli, non aliis conuenire poſſent. Et quēadmodum primas Græci appellant *πάθη*, ita has *εὐπαθείας*: Cicero eas perturbationes, has conſtantias nuncupat, vt voce ſignificetur eas eſſe prauas, has vero probas affectiones. Rem autem ita ſe habere, primo earum nomen patefacit; cum enim ſint perturbationes, proculdubio humanam tranquillitatem turbant & euertunt; vt igitur tranquillitas proba eſt, virique probi, ſapientis, ac felicis maxime propria, ita perturbatio improba, vtroque infelici, & miſero accommodatiſſima iudicari meretur. Præterea, cum perturbationes ortum ducant ex falſo iudicio, deprauataque ratione, quod ex his oritur, non niſi prauum & vitioſum cenſeri poteſt. Confirmatur: quia perturbationes omnes cum voluptate & dolore ſunt permixtæ, vt dicitur à Plato. in Philebo; voluptas autē & dolor à Platone in primo de legibus nuncupantur conſiliarii amentes, ac inſipientes, à quibus conſultoribus vir ſapiens pro facultate mentis aures auertere debet. Prætera idipſum patet ex conditione perturbationum: dicuntur enim motiones vehementes, nuncupantur ægritudines animi

Confirmatio opinionũ Stoicorum.

virtute

virtute curandæ, ſtatuuntur aduerſæ rationi, pugnantes cum ratione, dicuntur calcaria ad vitia, ob quas conditiones nedum non commendari, verum maxime damnari merentur: vt enim in corpore exacte ſano nil ægritudinis reperiri debet, in oculo acute inſpiciente nil caliginis, in aure recte iudicante nil externi ſtrepitus, ita in anima recte agente nil internæ perturbationis debet ineſſe. Idipſum ſatis aperte patebit, ſi conſiderabimus naturam & conditionem earum virtutum, quæ in more ſunt poſitæ: percipiemus enim eam ſummopere pugnare cum natura & cōditione perturbationum. Virtutes enim ſunt tranquillitates animi, ſerenitates, eius purgationes, & demũ requies & pax ſaluberrima, ſeruant animam vere liberam, ab omni aduerſo iugo ſolutam: cum ex aduerſo animi perturbationes mētis aciem turbent, caligine effundant, perniciosis cogitationibus hominem repleant, inteſtino bello vehementer turbent, & infeſto ſeruitutis iugo eum ſubiiciant. Quod etiam lucidius inſpiciemus, ſi ex vna parte cōſiderabimus, hominem virtute reddi ſimilem ſeparatis mentibus, conformarique cum Deo, ex altera vero á ſeparatis mentibus, á Deoque Optimo Maximo vniuerſum perturbationum genus ita abeſſe, vt nullum eius veſtigium in illis inſpiciatur. Si igitur vir probus & ſapiens cum diuinis mentibus debet conformari, neceſſe eſt, vt ab omni perturbationis labe purgetur. Præterea ſi manſuetudo commendatur à Peripateticis, quæ iræ eſt aduerſa, quomodo ira moderata ab eis poterit commendari, cum ea quoque manſuetudini ſit aduerſa? Non igitur iniuria Stoici, & cum eis Cicero, Seneca, Galenus, aliique viri ſapientes aſſeruerunt, vniuerſum perturbationum genus eſſe damnandum, arcendum, & eliminandum, qua de re multa dicuntur á Cicerone in quarto & quinto Tuſculanarum quæſtionum, nec non in libro de Officiis: & prçter cetera in primo de Officiis inquit: Repellenda maxime eſt ira in puniendo, nunquam enim iratus, qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quç eſt inter nimium & parum, quç placet Peripateticis, & recte placet, modo non laudarent iracundiam, & dicerent vtiliter à natura datam: illa vero omnibus in rebus repudianda eſt. Et alibi quocirca mollis & eneruata putanda eſſe Peripateticorum ratio, & oratio, qui perturbari animos neceſſe eſſe dicunt, ſed adhibent modum quendam, quem vltra progredi non oportet: modum tu adhibes vitio? an vitium nullum eſt non parere rationi? Inſuper in quinta Tuſculana Theophraſtum illudit. quia in Calliſthene ſuo commendauerit illam ſententiam? *vitam regit fortuna, non ſapientia:* & in libro de vita beata dixerit: *vitam beatam in rotam non aſcendere*, vel aliquid ſimile. Ita quoq; Seneca in lib. de ira ad Nouatum multa dicit, vt

Cicero.

Seneca.

Digitized by Google

ſuadeat euellendas penitus, non moderandas eſſe perturbationes, & præter cætera inquit: *nullum eſt animal tam horrendum, tamq; natura pernitioſum, vt non appareat in illo (ſi ira inuaſerit) noua feritatis acceſſio.* Et aduerſus Peripateticos addit. An ſecundum naturam ſit ira, manifeſtum erit, ſi hominem inſpexerimus, quo quid eſt mitius, dum in recto animi habitu eſt? quid ira crudelius eſt? homine quid amantius? quid ira infeſtius? Homo in adiu[illegible]tium mutuum generatus eſt, ira in exitium: ille congrega[illegible]alt, illa diſcedere: hic prodeſſe, illa nocere: hic etiam ignotis ſuccurrere, illa etiam cariſſimos petere: hic vel aliorum incommodis, vel impendere ſe paratus eſt. ira in periculum, dummodo ſecum deducat alium, parata deſcendere. Ac demum cum *ira furor breuis ſit*, vt cecinit Horatius, & Cato maior *iratum ab inſano tempore ſolum ſeiungi*, aſſeruerit, quis non penitus cum cæteris perturbationibus iram euellendam cenſuerit? Quis non videt, voluptatem & dolorem diſtrahere animum, peruertere rationem, turbare iudicium, impedire praeelectionem, quibus nil cum probitate pugnantius excogitare valemus? Cui ſententiæ frequenter ſubſcripſit Galenus. nam in lib. de dignoſcendis, curandiſque animi morbis, cap. 1. inquit: *Ego vero hoc ipſum primum: vt noſti, iam pridem diſtinxi, cum peccata quidem ex falſa opinione committi affirmaui, affectum vero ſiue perturbationem, ex quadam experte rationis vi fieri, quæ ipſi rationi minime obtemperans ſit: communi autem vocabulo vtraq; peccata appellari.* Inſuper cap. 7. eiuſdem lib. addit: *conari debemus affectum euellere, non vſq; adeo ſolum, vt ab aliis duntaxat videamur, ſed vt ne radicem quidem ipſius vllam in noſtro animo prorſus relinquamus, nam ex iis, quæ ſic relinquuntur, ſolet aliquid rurſus pullulare, dum idipſum ab ipſa nequitia & prauitate irrigatur.* Idipſum manifeſtauit in quarto de placitis Hippocrat. & Plat. cap. 2. inquiens: *Chryſippus perturbationes ab erroribus & peccatis diſtinguit admodum recte:* peccata ſiquidem & errores nihil aliud ſunt, quam praua iudicia, quam falſa & à veritate abhorrens ratio: perturbatio contra nullus eſt rationis error, nulla iniuria, ſed rationis imperium detrectans animæ quidam motus. Cenſet itaque Galenus, perturbationes omnes cum ratione pugnare, & omni ex parte eſſe prauas.

Galenus.

Peccatum & error quid?

Diſputatio pro parte Peripateticorum aduerſus Stoicos, eorumq; aſſeclas. Cap. XXIV.

CONſueuere Stoici niti pro facultate communi hominum ſententiæ, cæterorumque ſermoni aduerſari, vt forte plus cæteris ſapere viderentur: inde euulgata eorum paradoxa prodiere. Verum eis frequenter contigit, vt quemadmodum à

mul-

Digitized by Google

multorum ſententia, ita à veritate receſſerint: quod in re, de qua loquimur, eis eueniſſe facile inſpiciemus, ſi fundaméta aduerſæ opinionis accurate conſiderabimus. Plato enim, Ariſtoteles, D. Auguſtinus, aliiq; viri ſapientes optime manifeſtarunt, Stoicam perturbationem euulſionem eſſe quid fatuum, naturæ aduerſum, virtuti non conſentaneum, nec natum homini conuenire. Rem autem ita ſe habere facile iudicabimus, ſi primo in naturam conuerſi conſiderabimus, eam nil temere, nil fruſtra facere, ſingula in congruentem finem dirigere, cunctis ea ſola præbere, quæ pro finis adeptione eis conducunt, & iure profecto: cum enim natura ſit miniſtra Dei, compleat ordines diuinæ prouidentię, nil efficere poteſt, quod diuino ordini, eminentiſſimæque prouidentiæ non ſit conſentaneum. Cum autem homo à Deo, & natura donatus ſit facultate iraſcendi, & concupiſcendi, cuius affectiones ſunt perturbationes, minime exiſtimare valemus, eas omnino eſſe prauas, ad ſolam perniciem deducere, & à recto fine omnino mentem auertere: imo quicunq; hoc dicere audet, naturam increpat, Deumque naturæ ducem, non fidũ ducem patefacit. Pręterea experientia nos docet, quod dum perturbationibus recte vtimur, incomparabiles ex eis vtilitates elicimus: ſunt enim nobis per naturam tributæ hæ facultates & vires, quib. turbamur, vt potentius in optatum finem feramur, cumulatius illum conſequamur, iucundius eo fruamur, eiſq; tãquam rationis miniſtris vtamur. Cum igitur hæc ſint inſtrumenta, inſtrumentorũ autem conditio & natura ex congruente rectoq; vſu iudicanda ſit, per rectum autem vſum varias & eximias ex eis eliciamus vtilitates: iure commendari, vtiles iudicari, non penitus dãnari merentur: conſpicimus enim (ſi ad virtutum actiones conuertimur) conducere iram fortitudini, quatenus vires auget, nos reddit promtiores, ita furor arma miniſtrat, timoremq; longe repellit, conducere miſericordiã, vt aliis opem auxiliumq; feramus, vtilẽ eſſe timorem pro vitandis periculis eiſque declinandis, dum vires noſtras ſuperant. Et demum percipimus, amorem, & odium quæ, vt declaraui ſunt prima capita omnium perturbationum, adeo eſſe ciuili vitæ neceſſaria, adeoque naturæ hominis accommodata, vt ſine eis nec recte viuere, nec feliciter ſeruari, nec rite homines iudicare valeamus. Homo iraſcẽdi facultate amat cæteros homines & odit: at quis non eum iure arguet, nõ ſtipitem potius quã hominem iudicabit, qui non amet amãdos, non eos odio proſequatur, qui digni ob ſcelera ſunt odio? Præterea inter munera perturbationum hoc principale à Platone in Timæo enumeratur, vt vi iraſcendi congruente ira aduerſus cupiditatem dimicet pro ſeruanda ratione: at quicunque damnat inſtrumenta, & milites pro ra-

Opinio veterum.

tione pugnantes, etiam rationem damnare dicitur, & propterea ſibimet, ſuæq; rationi aduerſatur. Inſuper hanc veritatem in naturæ operibus exactiſſime inſculptam impreſſamq; intuemur: dum enim pręclara naturæ opera inſpicimus, non ex contrariorum euulſione & deſtructione, ſed ex ſola eorum moderatione & remiſſione, optima temperamenta, ſalutaremq; harmoniam confici percipimus. Id ſeruare licet in ſonis, in primarum qualitatum nec non elementorum permixtione, in humorum compoſitione, ex quorũ non deſtructione, ſed moderatione ac temperantia ſuauis harmonia, admirabilis mixtio pretioſaq; ſanitas conſurgunt, ac (vt inquit Theages) *ex graui & leui æquilibrium conflatur.* Quare pari ratione ex aduerſarũ perturbationum non euulſione ſed moderatione, virtutem, quæ eſt animi ſanitas, ſaluberrimaq; (vt inquit Plato) conſonantia, conſurgere putandum eſt: & iure optimo hoc dicere debemus, cum nos in componendis, recteq; formandis actionibus noſtris, naturam imitari teneamur. Præterea quis eũm iure non deſpiciet, ex hominumq; cœtu arcendum non iudicabit, qui pro quibus oportet non iraſcitur, eorum, quorum miſereri debet, nõ miſeretur, formidanda non timet, non ſperat ſperanda, non amat, non odit, ſed ſtatuæ inſtar in omni euentu ſe inopem ſenſuum patefacit? Præterea cum Stoici perturbationes omnes æque damnẽt, & earum nonnullæ ab aliis omnino commendentur, vt miſericordia, aliæ damnentur penitus, vt inuidia, colligemus ex Stoicorum ſententia, non ſecus damnandam eſſe miſericordiam, ac inuidiam, quod penitus eſt abſurdum: nam de miſericordia recte cecinit Phocion, referente Stobæo. Nec è templo aræ, nec ex humana natura, miſericordia tollenda eſt. Rectius itaq; Horatius, quam Stoici, virum ſapientem circumſcripſit inquiens:

Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem bene temperatum
Pectus, &c. Et alibi moderãdam, non euellendã cecinit iram:
Quæ non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens.

Propterea Plato in Philebo Homerum commẽdauit, qui virum etiam prudentem iraſci aſſeruit, ita tamen, vt eius affectio dulcior ſit melle iugiter diſtillãte. Et in primo de legibus, pudorẽ varias præbere vtilitates manifeſtauit: declarauit quoq;, virtutes eſſe moderationes perturbationum à ratione pendentes, dum in eodem dialogo docuit: *perturbationes ſimillimas eſſe neruis, qui trahant & retrahant, ratio vero modum præſcribat:* Ideo nonnullos ductus aureos & ſacros: alios duros & ferreos appellat: inſuper addit. Exponamus itaque ſimiliter, quænam officia veſtris in ciuitatibus ſunt, quæ guſtent quodam modo volupta-

tes,

Digitized by Google

tes, non fugiant omnino, quemadmodum nec dolores refugiunt, ſed perinde vt in doloribus fit, ducant in medias voluptates, ad eaſque ſuperandas homines partim vi impellantur, partim honoribus inuitentur. Hæc Plato, quibus manifeſtiſſime affirmat, *extrema perturbationum eſſe damnanda, media vero commendanda.* Hinc voluptatem & dolorem duos fontes ſtatuit, ex quibus qui haurit vnde, quando, quantumque oportet, felix eſt: duoque eſſe affirmat, quæ victoriam pariant, aduerſus hoſtes quidem audaciam, aduerſus amicos autem turpis infamiæ timorem. Et in Phędro congruentes appetitiones moderataſque perturbationes eſſe æquos affirmat, currum noſtræ vitæ vehentes in cœlum. Ariſtotelem huius fuiſſe ſententiæ adeo eſt conſpicuum, vt declaratione non egeat: manifeſte enim virtutes in more poſitas, ſtatuit eſſe moderationes perturbationum, ac medium earum Geometricum. At quid dico de principibus philoſophorum, cum etiam theologi verbis & opera eandem veritatem patefaciant? Nam D. Auguſt. in 14. lib. de ciuitate Dei, c. 8. & 9. latiſſime oſtendit, variiſque auctoritatibus confirmat: *ciues ſancta ciuitatis Dei, in huius vita peregrinatione ſub Chriſti lege viuentes, metuere, cupere, dolere, gaudere, & niſi hoc facerent, aduerſarentur mandatis Dei: id namque facere debent pro quibus, quando, quantumque oportet.* Ita quoque in ſacris literis ratione alicuius ſimilitudinis nonnunquam perturbationes tribuuntur Deo, dicitur enim Deus iraſci, miſereri, pœnitentia affici: quæ minime ei tribuerentur, ſi ſolum vitium à rationeque declinationem indicarent. Eandem veritatem Diuus Chryſoſtomus etiam patefecit, dum explicans ſententiam illam: *qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſſa, reus erit iudicio;* Quare, inquit, *qui iraſcitur cum cauſſa, non erit reus, alioquin inaniter adderetur ea conditio, ſine cauſſa: ſi enim ira non fuerit, nec doctrina prodeſt, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur.* Perperam itaque Stoici vniuerſum perturbationum genus damnant, à ſapientiſque animo longe repellunt. Et quia veritatis ea eſt vis & conditio, vt etiam inuitos ad eam confitendam compellat, propterea Seneca in ſententia non ſtetit, ſed veritate coactus in libro de conſol. ad Marcum filium inquit: *ſcio inueniri quoſdam dura magis, quam fortis prudentia viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem: hi non videntur vnquam in huiuſmodi caſum incidiſſe, alioquin excudiſſet illis fortuna ſuperbam ſapientiam, & ad confeſſionem eos veri etiam inuitos compuliſſet, &c.* Præterea ipſimet Stoicorum principes, dum eas affectiones, quas perturbationum loco aſſerunt conuenire ſapienti, voluntatem ſcilicet, gaudium, & cautionem, *εὐπαθείας* appellant, quid aliud ſignificant, niſi eas quoque eſſe perturbationes? ſi enim ſunt bonæ perturbationes, ne-

D. Auguſt.

D. Chryſoſtomus.

Stoici in ſententia non ſtant.

Digitized by Google

ceſſe eſt, vt etiam ſint perturbationes. Hi ratione & experientia conuicti, ſophiſticis effugiis vtuntur, verba mutant, non ſententiam, homines deludunt potius, quam inſtruunt, & cum re vera nihil dicant, videri volunt mirabilia enunciare? Propterea iure à Plutarcho in libro de morali virtute hanc ob rem damnantur. Colligamus itaque, non nimium mollem, & eneruatum eſſe ſermonem Peripateticorum, neque eorum ſententiam eſſe humilem & demiſſam, vt in quinto Tuſculanarum eis obiicit Cicero, ſed eam potius, quæ eſt Stoicorum, eſſe duram nimis, & cum hominum conditione & veritate pugnantem, ac vt talem negligendam & deſpiciendam.

An lis inter Stoicos & Peripateticos in verbis tantum, vel etiam in ſententia ſit poſita. CAP. XXV.

NOn videtur rationi conſentaneum, quod Stoici, qui adeo accurate in diſciplina morum ſunt verſati, qui ſententias & præcepta tam frequentia, adeoque præclara protulerunt, ſatis ſimilia illis, quæ a viris ſanctis enunciantur, vt legenti Senecam, Epictetum, & alios Stoicæ familiæ illuſtres viros, redditur conſpicuum, mox adeo ignauiter errauerint, vt nulla ratione defendi poſſint, nullaque via eorum ſententia poſſit oſtendi vera: & præcipue mirari debemus, quod legentes Senecam, inter Stoicos magnæ auctoritatis virum, tam pium illum animaduertimus, tam recte compoſitum, vt ſuſpicati ſint nonnulli eum cum Diuo Paulo arcto amicitiæ nodo fuiſſe coniunctum. Propterea Diuus Auguſtinus exactiſſime perpendens opiniones Stoicorum in lib 9 de ciuitate Dei, cap. 4. inquit: *litem inter Stoicos, & Peripateticos in verbis tantum eſſe poſitam:* quod etiam confiteri viſus eſt Cicero in quarto lib. de finibus, dum argumenta Stoicorum diluens, oſtendit: *ſola nouitate verborum ab Academicis & Peripateticis diſſentire.* Sed vt clarius pateat, quomodo conſentiant & diſſentiant, nonnulla primo accipienda ſunt. Quorum vnum eſt illud, de quo in præcedentibus verba feci, nempe, ex Stoicorum opinione, animam rationis compotem ab experte ſola ratione, non autem re & eſſentia diſtingui. Secundo conſiderandum eſt, quod ipſi in commotione perturbationum tres gradus conſiderarunt, vt Aulus Gellius in 19. lib. Noctium Atticarum ex ſententia Epicteti Stoici retulit: *quotieſcunque enim nobis aliquid formidabile gratia exempli occurrit, fiunt in nobis terrifica quædam viſa, quas* Φαντασίας *appellant, per quæ etiam ſapientis animus neceſſario aliquantulum mouetur, inde contrahitur, & palleſcit, quæ motio non ex opinione alicuius mali oritur, ſed inconſulta eſt, & officium mentis, atque rationis peruertit, propterea in noſtra facultate non eſt poſita: hæc prima*

D. Auguſt.

Cicero.

Primũ quod accipitur.

Alterum quod accipitur.

Ordo in introducendis perturbationibus.

Digitized by Google

prima motio communis eſt etiam feris, & minime nuncupatur animi πάθος, hoc eſt, perturbatio, ſiue affectio. Sequitur mox ſecundus gradus, in quo animus per rationem ea viſa vel approbat, vt in viro inſipiente, vel reprobat, vt in ſapiente: ſi ea approbat, quod facit animus inſipientis, qui talia vere eſſe putat, qualia eſſe ſibi primo animi ſui impulſu viſa ſunt, ſæua ſcilicet & terrifica, tunc tanquam vere metuenda metuit, eaque eſt perturbatio, & metus: ſi vero ei nil metuendum eſſe videtur, quod facit ſapiens, tunc non oritur perturbatio, ſed vice eius, cauenda cauet, gaudet, vult, adeo vt in viro ſapiente locum habeat pallor, contractioque animi in eo primo terrifico occurſu, perturbatio autem minime. In primo itaque gradu conſideratur φαντασία, fallaque viſio: in ſecundo, dum ea à viro inſipiente approbatur, reperitur πάθος, hoc eſt, animi perturbatio, ex reprobatione vero in viro ſapiente, reperitur ἀπάθεια, quam conſtantiam & Cicero appellat. Ex aduerſo Peripatetici & Academici vniuerſam illam commotionis latitudinem appetitui ſenſuum competentem πάθος appellant. Ex qua varia nominis perturbationis aſſumtione oritur primo vt Stoici vniuerſum perturbationis genus damnent, Peripatetici non vniuerſum, ſed partem: ea enim pars, quæ damnatur à Peripateticis, apud Stoicos eſt genus vniuerſum, quia eſt id, quod modum non ſeruat, cum rationeque pugnat. Ex eadem varia nominis aſſumtione oritur ſecundo, vt Stoici perturbationes damnent, commendent autem facultatem cupiendi, & iraſcendi, quibus facultatibus modum eſſe præſcribendum dixerunt, vt non perturbationes, ſed conſtantiæ ex eis prodeant. Ideo Galenus in libro de cognoſcendis, curandiſque animi morbis, facultates commendat, quamuis frequenter damnet perturbationes, inquit enim: *Latius autem de iiſdem rebus diſſeritur in iis Commentariis, in quibus mores tractantur, quo pacto ſcilicet eam vim quis optimam ſibi, & commodiſſimam reddat: item quemadmodum vires, & robur illius non proſternere (ſicut ne equorum quidem, aut canum, quibus vtimur) ſed illud ipſum robur potius exercere, ſicut & in illis, ad obedientiam, &c.* Ex his colligo tertio, litem potiſſimum poſitam eſſe in verbis, non in ſententia: dico potiſſimum, quia in nonnullis adnexis diſſentiunt, vt mox patebit. His demum addo, Peripateticos & Academicos rectius loqui, deterius vero Stoicos, nam prima motio proculdubio perturbatio dici debet: quia perturbatio eſt motio appetitus ſenſuum, cuius principium eſt cognitio, & phantaſia, prima autem motio non fit ſine phantaſia, vt ipſi fatentur: & vere tunc animus patitur, turbatur, & ab obiecto mouetur, mox vero potius agit, ideo ea præſertim πάθος dici

Peripatetici, & Academici.

Primum, quod colligitur.

Secundo colligitur.

Tertio colligitur.

Quarto colligitur.

Rectius loqui Peripateticos, & Academicos.

Digitized by Google

meretur. Præterea non patet ratio, cur: dum mouemur poſt rectum iudicium gaudemus, volumus, & cauemus, non debeat ea motio nuncupari πάθ@, præſertim, cum pertineat ex eorum ſententia ad eandem facultatem. Et confirmatur, quia, vt iam dixi, ſi ea eſt εὐπάθεια, hoc eſt bona affectio, etiam eſt affectio: dicere autem, quod non ſit affectio, ſed conſtantia affectioni oppoſita, eſt mutare nomen, non rem, imo eſt vti nomine minus recte, cum enim ſint appetitiones quædam, neceſſario ſunt commotiones, & affectiones appetitus ſenſuum, quem perperam ab appetitu mentis non ſecreuerunt.

Solutio quarundam difficultatum.

CAP. XXVI.

ZEno princeps Stoicæ familiæ, verborum nouitate in animis auditorum admirationem parere, ſuamque diſciplinam ab aliis pro facultate ſecernere nitebatur: ideo dicebat, perturbationes omnes eſſe prauas, naturæ aduerſas, cum ratione pugnantes: & propterea euellendas, ac procul à ſapientis animo arcendas, cum tamen ea euulſio intimius inſpecta, nil aliud ſit, niſi Peripateticorum moderatio, & illæ, quas vice perturbationum Stoici tribuunt ſapienti, nil aliud ſint niſi moderatæ perturbationes. At aduerſus hanc meam ſententiam dubitare aliquis poſſet. Primo, quia Ariſtot. defectionem perturbationum damnat, Stoici commendant. Secundo, quia Stoici miſericordiam & verecundiam, prauas & vitioſas iudicant, Ariſtot. probas & vtiles. Tertio, quia Ariſtot. moderatum dolorem commendat, Stoici dolorem omnem ab animo ſapientis longe repellunt, cum nil mali ei poſſe accidere dicant, & loco doloris nullam ſapienti conſtantiam tribuunt: propterea nulla ratione videntur cum Ariſtotele poſſe conciliari. Pro ſolutione harum difficultatum conſiderandum eſt, quod Stoici, & Peripatetici de ſummo bono non conſentiunt; Stoici enim pro ſummo bono minime neceſſaria cenſent fortunæ & naturæ munera, quæ Ariſtoteles cenſet eſſe inſtrumenta neceſſaria, ſummopereque cum eo complicata. Stoici enim felicem hominis vitam conſiderabant magis in ſolitudine, magiſque ſecretam ab hominum cœtu, & propterea minus egentem fortunæ, & naturæ muneribus: Peripatetici vero in congreſſibus hominum, in vſu nedum virtutis, verum inſuper bonorum naturæ & fortunæ. Hinc pendet, quod viro felici à Stoicis circumſcripto, maior conuenit externorum bonorum negligentia, maiorq; remiſſio perturbationum, quam viro felici definito à Peripateticis. Ex his facile modo eſt colligere ſolutiones difficultatum. Dicebatur primo, Ariſt. defectionem perturbationum damnat

Prima dubitatio. *Secunda.* *Tertia.*

Pro ſolutione præaccipiuntur nonnulla.

Digitized by Google

damnat, Stoici commendant. Reſpondeo: ea defectio Peripateticorum apud Stoicos proportione reſpondet gradui infra conſtantiam collocato, vt conſtantia reſpondet mediocritati: vt igitur Ariſt. commendat moderationem, ita Stoici conſtãtiam: ac vt Ariſt. damnat defectionem, ita Stoici damnarent gradum infra conſtantiam collocatum, quem tamen nõ appellant perturbationem. Dubitabatur ſecũdo de miſericordia, & verecundia. Reſpondeo de hoc quoque litem eſſe in voce: nam ea quæ à Peripateticis nuncupatur miſericordia & verecundia, quæ iure optimo commendantur, quia rectæ rationi reſpondent, à Stoicis non perturbationes dicerentur, ſed conſtantiæ: quia perturbationem omnem dicebant eſſe aduerſam rationi, cum tamẽ à Peripateticis inter perturbationes numerentur. Addebatur tertio, Ariſtotelem commendare nonnunquam dolorem: Stoicos vero omni ex parte damnare. Reſpõdeo, id ortum ducere ex duplici cauſſa: prima eſt, quia Stoici nomine doloris eam affectionem ſignificabant, quæ aduerſa eſt rectæ rationi, ea autem iure damnanda eſt: altera cauſa eſt, quia Stoici incommoda fortunę & naturæ non cenſebant mala, vt munera naturæ & fortunæ nõ appellabant bona, ſed virtutem ſolam bonam, vitia mala aſſerebant, propterea cetera negligebant. Ob variam itaque de fine ſententiam vario modo loquebantur de ordinatis in finem.

Solutio prima diffic.

Solutio ſecunda.

Solutio tertia.

Diluuntur rationes pro parte Stoicorum aduerſus Piripateticos relata. CAP. XXVII.

QVoniam modus loquẽdi Peripateticorum magis eſt commendatus, cui tamen maxime videbantur aduerſari rationes pro parte Stoicorum excogitatæ, propterea operæ pretium eſt eas diluere, illiſque pro facultate reſpondere: quod profecto apprime arduum iudicari non debet. Damnabatur primo vniuerſum perturbationũ genus ratione ſumta à nomine, quia perturbatio eſt humanæ tranquillitati oppoſita. Reſpõdeo: ea, quæ à græcis πάθος, à Latinis vero & perpeſſio, & perturbatio, & affectio nuncupatur: ſi accipitur in ea ſignificatione in qua profertur à Stoicis, congruenter perturbatio dicitur: at pro denotanda vniuerſa latitudine, rectius nuncupatur affectio. Inſuper addo, nõ omnem motionem & effectionem turbare ingenuam animi tranquillitatem cum ſummo bono complicatam, ſed eam tantum, quæ modum non ſeruat, rationique aduerſatur. Ratio eſt, quia ciuilis tranquillitas, non in ocio, ſed in negotio rectaque actione poſita eſt. Addebatur perturbationes ortum ducere ex falſo iudicio deprauataque ratione, at hoc eſſe falſum iam patuit in præcedentibus: Inſuper dicebatur, perturbationes

Solutio prima rationis Stoicorum.

Solutio ſecunda & tertia.

Digitized by Google

122

mixtas eſſe ex voluptate & dolore, qui ſunt conſiliarii amentes. Reſpondeo, vere hos eſſe amentes conſiliarios, nec eis præbendas eſſe aures, ſed rationi credendum, quæ illis modum præſcribit: voluptas enim & dolor ſunt illi fontes, ex quibus qui haurit vnde, quãdo, quãtumque oportet, felix eſt. Ideo in Phædro manifeſtauit Plato nos minime debere vti affectibus vt ducibus & conſiliariis, ſed tanquam auxiliariis pro explendis mandatis rationis. Ratio enim auriga eſt affectiones congruẽte proportione reſpondent equis, & præſertim amor honeſti, & timor infamiæ. Addebatur præterea, perturbationes eſſe motiones vehementes, ægritudines animi, aduerſas rationi, pugnantes cum ratione. At hæ non ſunt conditiones vniuerſi generis perturbationum, ſed immoderatarum tantum: nam moderatæ maxime proſunt, nec pugnãt cum virtute, ſed ſunt eius cum famulæ, tum materies, varia tamen ratione. Virtutes autem in more poſitæ, eatenus dicuntur tranquillitates, & purgationes, quatenus perturbationibus congruentem formam tradunt, & extrema reiiciunt. Addebatur perturbationes abeſſe à ſeparatis mentibus, & à Deo, cui ſimiles nos reddunt virtutes. Reſpondeo, quæcunque in homine indicant perfectionem, tribuuntur Deo per ſimilitudinem, eique conueniunt ſecundum eminentiam, ita Deus miſereri, & iraſci dicitur: & Lactantius in lib. de ira Dei, cap. 17. manifeſtat, quomodo ira conueniat, & non conueniat Deo: conformatio autem viri ſapientis cum Deo eſt in parte ſolum, quatenus homini licet. Ad inſtantiam de manſuetudine oppoſita iræ, reſpondeo, manſuetudinem in triplici ſignificatione vſurpari, nonnunquam pro priuatione vniuerſæ latitudinis iræ, nonnunquam pro ira nimium remiſſa, iracundiæ oppoſita, aliquando demum pro mediocritate, & ira moderata: in prima & ſecunda ſignificatione damnanda eſt, in tertia commendatur, iracundia enim & defectio proba non eſt, nam quicunque, dum iraſci debet non iraſcitur, errat. Ita quoque ea, quæ dicuntur à Seneca aduerſus iram, vera quidem ſunt, non de iraſcendi facultate, nec de ira moderata, ſed de exſuperantia eius, & prauo vſu.

Solutio quarta. *Solutio quinta.* *Solutio ſexta.* *Manſuetudo triplex.*

An perturbationes & mores ſequantur corporis temperamentum, opinio prima. CAP. XXVIII.

INterea, quæ de perturbationibus declaranda propoſui, illud dignum eſt accurata conſideratione, ſummopereque conducit rectæ inſtitutioni humanæ vitæ, an ſcilicet perturbationes, & mores ſequantur corporis temperamentum: qua de re viri ſapientes non conſentiunt. Compoſuit admirabilis Galenus librum, in quo auctoritate, experientia, & rationibus nititur oſtende-

Galenus.

Digitized by Google

ſtendere, mores omnino ſequi temperamentum corporis: & quamuis pro eius parte varia afferri poſſint, eorũ tamen omnium vis in hoc eſt poſita, quia percipimus ex varietate locorum, temperamẽtorum, anni temporum, alimentorum, ætatum, vitæ generum, varios conſurgere mores, diſtinctaſque perturbationes: cuius rei ratio alia non eſt, niſi quia ſingula enumerata connexionem habent cum temperamento corporum, temperamentum autem mox ſequuntur mores, & perturbationes. *Fundamentum opinionis Galeni.*

Rem autem ita ſe habere, nedum experientia nos docet, verum inſuper principes philoſophorum affirmant: Ariſtoteles enim in 7. de rep. comparans Græcos cum Aſiaticis & Europeis, manifeſtat *nationum loco diſtantium varios eſſe per naturam mores:* ſimiliter Plato cum in Timæo, tum in quinto de legibus, oſtendit, *locorum differentias plurimum conducere generationi hominum vel meliorum, vel deteriorum*. Hinc nationum nonnullæ dicuntur bellicoſæ, aliæ imbelles, nonnullæ iracundæ & feræ, aliæ manſuetæ & mites, nonnullæ ingenio & mente valent, aliæ fere mentis vſu ſunt deſtitutæ. Ideo dicebat Galenus in calce eius libri: *apud Scythas vnus tantum poſt hominum memorias philoſophus exſtitit Anacharſis, Athenis autem plurimi: item apud Abderitas multi fatui nati ſunt, Athenis vero pauci*. Præterea in eadem quoque regione, & vrbe videmus mores & perturbationes varias ſequi varietatem temperamenti. Inquit Ariſt. in procemio de anima, cont. 14. *ob varietatem temperamenti nonnullos eſſe iracundos, alios mites, nonnullos intrepidos, alios formidoloſos*. Et in 2. de partibus animalium, capit. 4. aſſerit *temperamentum varium ſanguinis eſſe cauſſam, vt multa animalibus accidant, tum per mores, tum etiam per ſenſum:* quo in loco multa dicit ad rem hanc pertinentia, & oſtendit *animalia ex ſanguia magis eſſe meticuloſa, apes & formicas multis ſanguineis eſſe prudentiores.* Inſuper in 6. moralium Nicomachiorum capit. 13. affirmat *nobis quodam modo natura inſitos eſſe mores, quatenus nonnulla propenſiones, igniculi, & tanquam ſemina futurorum morum in pueris inſpiciuntur*. Quæ ſemina conſiderantes Lacedæmonii præcipiebant pueros illi ſoli vitæ generi per diſciplinam eſſe deſtinandos, cui per naturam & interna ſemina primo deſtinati iudicarentur, vt ſeruarent quod dicitur: *Tu nihil inuita facies diceſue Minerua:* quoniam, vt experientia docet. *Naturam expellas furca, tamen vſque recurrit*. Eandem ſententiam frequenter apud Platonem cum in Timæo, tum alibi legere licet: ideo Heraclitus dixit: *Splendor aridus, animus ſapientiſſimus*: vt Galen. refert in lib. quod *animi mores ſequantur corporis temperamentum*. Patet itaque nedum perturbationes & mores, verum inſuper attinẽtia ad ingenium, ad memoriam, ad iu- *Confirmatio.* *Heraclitus.*

dicium, ſequi temperamentum corporis. Propterea Ariſtot. in 2. de anima dixi, *molles carne eſſe aptos mente*: & in 30 part. Prob. primo latiſſime patefecit *atram bilem reddere homines aptiſſimos ad ſcientias*. Ita quoque percipimus ob mutationem ætatum, ægritudinum, & ſimilium, quibus variatur temperamentum, etiam mutari mores & perturbationes. Hæc efficaciſſime confirmantur per artem phyſiognomicam, quæ firmior & certior eſt ceteris diuinatricibus artibus: cuius hoc vnum fundamentum eſt, quod mores ſequantur temperamentum corporis. Ideo Cicero in lib. de Fato dixit, *Zopyrum Phyſiognomum profiteri hominum mores naturaſque ex corpore, ex oculis, vultu, fronteque pranoſcere*: & Ariſtot. multa præcepta eiuſdem artis dedit, nedum in lib. Phyſiognomico, verum inſuper in lib. de hiſtoria animalium. Et quoniam eius artis fundamentum eſt, quod mores ſequantur corporis temperamentum, ideo Ariſt. in principio lib. Phyſiognomici aſſerit, *animas & ad animam pertinentia inſequi corpora*. Præterea eadem ſententia alia ſatis firma ratione confirmatur deducta ex nobilitate, quæ ab Ariſtot. in Rhetoricis, & in lib. de nobilitate, referente Stobæo, dicta eſt virtus generis, quæ nobilitas omnium conſenſione, & ore mitis laudibus extollitur: ea tamen inanis & negligenda omnino eſſet, niſi mores ſequerentur corporis temperaturam, hoc enim ſolum eſt fundamentum nobilitatis & hoc ſolo modo cum natura connectitur. Quod patet: quia viri nobiles & generoſi propterea commendãtur, quoniam per naturam filios procreare nati ſunt, qui munere temperamenti ad mores optimos, præclaraſque actiones ſint aptiſſimi. Demum ea ſententia confirmatur communi ſapientum ſententia, & præſertim Stoicorum conſenſione, aſſerentiũ, primos animi motus non eſſe in noſtra facultate, & propterea nos quadã naturæ neceſſitate turbari & moueri. Nõ itaque iniuria Galenus vna cum Hippocrate aſſerit, animi mores ſequi corporis temperamentum: & propterea ſe morum inſtitutorem, ac præceptorem optimum profitebatur, quia tanquam medicus peritiſſimus, medicamẽta, alimenta, aliaque huius generis cognoſcebat, quibus corporum temperamẽta mutantur, corriguntur, redduntur que aptiſſima ad optimas animi conſtitutiones, probatiſſimoſque mores.

Cicero.

Alia ratio.

Alia confirmatio.

Reiicitur opinio Galeni. CAP. XXIX.

QVamuis relata opinio aliquid veri includat, abſolute tamen falſa, pernicioſa, humanæque conditioni aduerſa indicari debet. Ratio prima, eademque potiſſima eſt: quoniam illi, qui huius ſunt ſententiæ, etiam exiſtimant, animam eſſe temperamentum, vel ex temperamento conſurgere, propterea,

Digitized by Google

vt ſuis fundamentis conſentanea proferant, etiam cogũtur dicere, mores ſequi temperamẽtum corporis. quod enim competit temperamento, ſiue temperamẽti eſt affectio, neceſſario dicitur ſequi temperamentũ. Et hac de cauſſa Gal. in eo lib. quod animi mores ſequantur corporis temperamentũ, iaciens fundamẽta ſuæ opinionis, primo nititur oſtendere, animam eſſe temperamentũ. nouit enim ea duo inſolubili nodo eſſe inter ſe iuncta. Id autem fundamentum quã longe diſtet à vero, viri omnes recte affecti cognoſcũt. Cum itaque fundamentũ, quo maxime nititur ea opinio, apprime ſit falſum, opinio quoque erronea, & fatua iudicari debet.

Galenũ falſo niti fundamento.

Præterea eadẽ ſentẽtia aduerſatur naturæ, & cõditioni morum: mores enim propterea ſunt, & nuncupantur mores, quia nõ natura, ſed more & aſſuetudine nobis competunt, vt in 2. moralium Nicomachiorũ docet Ariſt. At ſi temperamentũ ſequerentur, non more, ſed natura nobis competerẽt, vt etiam competunt cetera, quæ temperamentum ſequuntur: dans enim formam dicitur dare ea, quæ formam ſequũtur, ac ita mores nõ eſſent mores.

Aduerſatur naturæ & moribus.

Præterea id ipſum aduerſatur experientiæ: frequenter n. in nobiſmet experimur rationem pugnare cum propẽſione temperamentum ſequente, & nonnunquam rationẽ dominari, nec mores formari illi propenſioni reſpõdentes, vt euenit in viro continente; at ſi mores temperamẽtum ſequerentur, nullus continentiæ ſupereſſet locus, præſertim ex ſentẽtia eorum, qui animam cum Galeno temperamentum exiſtimant: non enim temperamentum ſecum pugnat, vel ſe ipſum vincit. Pręterea compertum eſt in multis viris ſapientibus, mores cum temperamento pugnaſſe, vt de Socrate, & de Stilpone Megarenſe referunt Alexander Aphrodiſeus, & Cicero in ſuis libris de Fato: quod minime contigiſſet, ſi mores ſequerentur temperamentum.

Aduerſatur experientiæ.

Præterea fautores & aſſertores huius opinionis ſibi pugnantia dicunt: inquit enim Gal in eodem lib. cap. 11. *necandos eſſe viros prauos, vt eorum exemplo perterreantur alii viri ſceleſti:* at inanis eſſet ille terror, ſi mores ſequerentur temperamentum, vt etiam per eandem ſententiam inanes & ſuperuacaneæ redderentur diſciplinæ, ſtudium philoſophiæ, ac omnes rectæ inſtitutiones, quas tamen ipſi quoque veritate coacti commendant. Præterea, ſi mores temperamentum ſequerentur, non homines, ſed natura increpanda commendandaque eſſet: ea namque, non hominis libera prælectio, principium eſſet probatum, vel improbatum actionum. Inſuper periret libertas hominis, legeſque inutiliter præmia probis, pœnas proponerent improbis, vt ex ſe ſatis eſt conſpicuum.

Sibi non conſtant.

At reſpondet Galen. cap. 11. inquiens, *nos diligere probos, odiſſe improbos, ſeruare eos, hos interficere, non quia ex prælectione oriantur eorum*

Solutio Galeni.

peccata,

peccata, probaque actiones, ſed quia ex ſui natura bonum ſeruandum & diligendum eſt, malum contra perdendum. Sic ſcorpiones, phalangia, viperaſque necamus, cum talia ſint non à ſe, ſed à natura progenita: Deum contra diligimus, bonumque prædicamus, cum tamen ingenitus ſit, & bonus ab æterno, non autem à ſeipſo, & ex ſui prælectione. Inſuper ſceleſtos & facinoroſos perdimus: primo, ne nobis obſint: ſecundo, vt terreantur praui: tertio, quia melius eis eſt non eſſe quam eſſe, cum nequeant emendari. Hanc ſententiam deprompſit Galenus ex 9. dialogo de legibus Platonis, vbi hæc verba leguntur: *Quos vero inſanabiles legislator eſſe ſenſerit, vltimo ſupplicio hos afficit, non ignorans ſatius fore his, qui inſanabiles ſunt, mori, quam viuere, ac ſi vita priuentur, dupliciter prodeſſe ceteris: nam horum exemplo à peccato ceteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipſa purgatur, &c.* Hæc Galeni euaſio potius eſt erroris confirmatio, quam ab eo expurgatio, & ſi ipſe non ſecus doceret curare corpora, quam animos, pernicioſa eſſet ars medendi ab eo tradita: verum ipſe corporibus intentus, circa ea, quæ ſunt ſupra corpus, ſe cœcum manifeſtauit. Primo in ea ſua euaſione errat: quoniam aliud eſt loqui de bono & malo animi, & morum, aliud de bono & malo naturæ: mores re vera dicuntur bona & mala noſtra, quia ex noſtra prodeunt prælectione, de his vero, quæ a natura producuntur, ſecus ſe habet: ideo perperam à malis animi tranſit ad venena, quæ ſunt mala naturæ, mala non quidem abſolute, ſed nobis aduerſa. Sic occidimus viperas, non quia vitioſæ & malæ ſint, ſed quia nobis infeſtæ, vt etiam vehementes incenſiones nobis aduerſas nitimur extinguere, ac inſuper inimicos noſtros nitimur interficere, dum ipſi nos interficere cupiunt: at facinoroſos homines, etiam ſi nobis infeſti non fuerint, iudicamus ob deprauatam eorum prælectionem dignos morte, eoſdemque reprehendimus: cum tamen nemo viperas, & ſcorpiones dignos reprehenſione iudicet. Præterea leges de illis ſolum decernunt, quæ pertinent ad mores, idque faciunt non alia de cauſſa, niſi quia ea ſola in noſtra facultate ſunt collocata: de his autem, quæ ad naturam pertinent, minime decernunt: nam deridendus eſſet legislator, ſi lege ſanciret ſcorpiones, & viperas non eſſe venenoſas. Ita quoque viros natura deformes, albos, vel nigros, non reprehendimus, nec lege ſtatuimus vt tales non ſint: at vitio inquinatos reprehendimus acriter, nec eorum miſeremur, quia tales ſunt non natura, ſed prælectione. Inſuper id, quod addit de Deo, inane penitus eſt, in eo enim vt omnia, quæ apud nos abſolute indicant perfectionem, includuntur per eminentiam: ita libertas, prælectio, voluntas, virtus eminentiſſime ſunt in eo, propter-

Plato.

Euertitur ſolutio Galeni.

Digitized by Google

propterea iure cum ob hoc, tum quia ab eo omnia bona noſtra pendent dignus eſt honore. Demum, quia à nullo alio pendet, ſed omne quod habet, ex ſe habet, iure non ob aliam cauſſam, ſed ex ſe optimus, & maximus omnium ore celebratur. Præterea ſententia, quam profert de facinoroſis, quod necandi ſint, quia eis melius eſt mori, & cetera, quæ addit, ex Platone deprompta, vera quidem ſunt abſolute, nec non doctrinæ Platonis apprime conſentanea, qui animam nouit immortalem: at ſibi, ſuiſque principiis manifeſtiſſime aduerſatur. Cum enim Galen. in eo libro aſſeruerit, animam eſſe temperamentum, nec facinoroſo melius erit mori quam viuere, nec eius exemplo alii corrigentur, quia ob id aliorum temperamentum non mutabitur: mores autem ex opinione eius ſequuntur temperamentum. Confirmatur, quia ſi anima (vt ipſe cenſet) temperamentum eſt, ea ſola conducent perfectioni animæ, quæ conducunt temperamento, mors autem omnino temperamentum deſtruit. Inſuper, cum anima ſit temperamentum, mores autem temperamentum ſequantur, magis vltimo ſupplicio plectendus erit ille, qui morbo contagioſo laborat, per quod vitæ noſtræ, noſtriſque temperamentis maxime eſt infeſtus, quam vir iniuſtus & vitioſus, à quo noſtrum temperamentum non læditur nec permutatur. Præterea inquit Gal. vim cupiendi non obtemperare rationi, vim autem iraſcendi ei obtemperare: at vnde oritur hæc varietas? & quomodo hæc valet obtemperare rationi, ſi ambæ temperamentum ſtatuuntur? Colligamus itaque huius ſententiæ fautores euertere ſeipſos, leges, virtutes, diſciplinas, vires aſſuetudinis, continentiam, iuſtitiam, vſum præmiorum & pœnæ, aliaque innumera: nec minus eorum opinionem damnándam eſſe, quam Stoicorum, dum cuncta ſubiiciunt fato, & Aſtronomorum, dum etiam humanarum actionum auctores ſtatuunt ſiderum aſpectus, cœlorumque reuolutiones.

Verioris ſententiæ explicatio. CAP. XXX.

VT verior ſẽtẽtia clarior refulgeat, ſimulq; appareat, quid veri includat medicorum opinio, accipiendum primo eſt, tria in nobis (quod inſtituto noſtro inſeruit) reperiri, ꝓpẽſiones ſcilicet ad varias perturbationes, perturbationes, & mores: quæ tria perinde ſe habent, ac principium, medium, & finis. Mores enim non abſolute ſunt perturbationes, ſed perturbationes recte formatæ, vel potius modi earum. Inſuper accipiendum eſt nomen moris in duplici ſignificatione vſurpari, primo pro more interno, ſecundo pro more externo prodeunte ab interno. Mos externus eſt actio ab interno more prodiens, eiuſque

Primum quod accipitur pro reſolutione.

Secundo accipitur.

Quid Mos

iudicium: mos internus eſt animi certa conſtitutio ad aliquid ãgẽdum, qui adhuc eſt duplex: vel enim ab ortu nobis competit, vel in progreſſu acquiritur: ſi ab ortu, vel competit vniuerſo humano generi, vel alicui nationi, vel alicui definito particulari. De huiuſmodi moribus loquitur Ariſtot. in ſexto moralium Nicomach. cap. 13. inquiens, *ſingulis mores quoſdam per naturam competere.* De iiſdem loquitur Seneca epiſt. 95. dum ait: *Omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non ſecus ac ſcintilla flatu leui adiuta ſuum excitat ignem.* Altera ex parte mos, qui in vitæ progreſſu acquiritur, duplex eſt, vel leuis, & eſt diſpoſitio quædam, vel conſtans, & eſt habitus, qui magis proprie mos dicitur. De moribus in hac magis propria ſignificatione loquitur Ariſt. ſub initio ſecundi lib. moralium Nicom. manifeſtãs eos more & aſſuetudine cõparari. Tertio adhuc dignum cõſideratione eſt, morem vel aliquid aliud ſequi temperamentum, tripliciter poſſe contingere, vel quod ſequatur temperamentum, tamquam cauſſam ſui adæquatam, vel tanquam cauſam nõ adæquatam, potiorem tamen, vel demum, tanquam inſtrumẽtum. His præaſſumtis ſoluens difficultatem dico: ſi loquimur de facilitate & propenſionibus ad varias perturbationes, hæ proculdubio temperamentum ſequuntur, & ex eius varietate ac mutatione variantur, propterea ieiunia, & abſtinẽtiæ vtiles ſunt ad formandos mores. Pariter ſi loquimur de more, qui nobis ab ortu competit, proculdubio temperamẽtum proxime ſequitur. At ſi loquimur de proprie ſumto more, ille tẽperamentum nõ ſequitur, nec nobis per naturã cõpetit, ſed in noſtra eſt facultate, & more ac aſſuetudine comparatur. Hinc mos dicitur vnicuique Dæmon, & aſſuetudo nũcupatur altera natura. Addo inſuper, quod quamuis mores proprie ſumti corporis temperamentum neceſſario non ſequantur, frequenter tamen illud ſequuntur, quia homines vt plurimũ ita viuunt, vt per naturam ſunt procliues & hoc ſeruatur in hominum multitudine: at in viro recte educato, & ſapiente ſecus ſe habet, ſuperat enim & corrigit ſapiens recta ſua ratione, cõgruenteque aſſuetudine deprauatas ſuæ naturæ propenſiones. Hinc philoſophia dicitur dominari fato, illudque corrigere, quatenus hominem ſecus formare valet, ac per naturam ſit procliuis. Inſuper etiam hoc verum eſt, quod, dum operamur cum conſpiratione naturæ, internæque propenſionis, longe facilius & rectius operamur, quam dum naturam habemus aduerſam. Præterea addendum eſt, quod, dum dicimus, propenſiones, naturaleſque mores ſequi temperamentum, id intelligi debet, non quod illud ſequantur vt cauſſam adæquatam, temperamentum enim etiam competit plantis & metallis, quibus minime mores cõueniunt neque

Tertium quod accipitur.

Solutio difficultatis.

Philoſophia dominatur fato.

neque tãquam cauſam potiorem, quoniam id, quod vitale eſt, & cum cognitione perficitur, quales ſunt mores, nõ primo materiem ſequitur vitæ & cognitionis expertem. Sequuntur itaque primi mores, propenſionesque ad eos, temperamentum, vt cauſam minus principẽ ordinatam ad animam, vt ad cauſam principalem: inſequuntur enim illud vt materiem, calcar & inſtrumẽtum, iudicium autem ſenſuum, & vim imaginandi ſequuntur, vt cauſam potiorem. Ex quo conſtat, minus recte Philoponum in procemio de anima, in expoſitione cont. 14. dixiſſe: *ab vniuerſi opificii conſtitutione infundi in tali temperamento rationes harum perturbationum iuxta meritum vniuſcuiuſque animæ rationalis: nam affectiones animæ, & mores nõ infunduntur ab externa cauſa, ſed prodeunt ex anima & corpore in diſtincto genere cauſæ.* Demum addo, quod ea quæ ſequuntur temperamentum, duplicis ſunt conditionis: nonnulla neceſſario illud ſequuntur, adeo vt emendari nequeant, veluti ſapores, odores, colores, & ſimilia, quæ temperamentum vt cauſam principalem & adæquatam ſequuntur: alia illud ſequuntur non adeo neceſſario, ſed nata ſunt ſtudio & aſſuetudine emendari, è quorum genere ſunt animi perturbationes & mores. Et ratio varietatis eſt, quia cognitionem expoſcunt, eique in parte ſubiiciuntur. Conſiderantes tamen animi perturbationes, inueniemus, earum nonnullas neceſſario ſequi definitum aliquod temperamentum, vt inſaniam, amentiam, furorem: hæ namque adeo ſunt vehementes, vt nedum non valeant ratione corrigi, verum contra ipſæ omnem euertant ac peruertant rationis vſum: & propterea eis correpti non ſubiiciuntur legibus, quoniam cauſæ earum non ſunt in facultate patientis, & illi non lege & admonitione, ſed elleboro egent, nec proprie ſunt perturbationes, ſed ægritudines potius: plurimæ tamen perturbationes recta diſciplina, congruenteque educatione corrigi emendarique poſſunt. Ex his colligere valemus, affectiones animi magis ſequi temperamentum in iumentis & feris, quam in homine: imo in iumentis & feris, quæ non ſubiiciuntur diſciplinæ, omnino temperamentum ſequuntur, in eis autem, quæ in parte ſubiiciuntur diſciplinæ, vt de cane, equo, & ſimilibus ſe habet, poſſunt in parte mutari & corrigi, vt conſpicuum eſt de feris, quæ cicures redduntur: quæ moderatio & emẽdatio ſemper fit munere rationis. At homines emendantur ratione propria. feræ autem ratione aliena, nempe hominis. Ideo (vt recte dixit Euſtratius) *mores proprie ſoli conueniunt homini, quia veri mores non ſunt a ratione ſeiuncti.* Ex his etiam conſtat, quid ſit dicendum de communi illa difficultate, an primi animorum motus ſint in noſtra facultate: abſolute enim, cum rationem anteuertant, in noſtra facultate non

Quomodo mores ſequãtur temperamentum.

Contra Philoponum.

Sequi temperamentum contingit dupliciter.

Cur in iumentis perturbationes magis quam in homine ſequantur temperamentum.

An primi motus ſint in noſtra facultate.

ſunt: modo tamen aliquo in facultate noſtra ſunt poſiti, quatenus more, diſciplina, educatione diſponi & aſſueſcere poſſumus, vt non magis quam deceat moueamur. Propterea perperam Stoici, & qui eos ſequuntur, abſolute inficiantur, primos motus eſſe in noſtra facultate. At dubitare quis poſſet, quomodo id verum ſit quod diximus, temperamenta ſcilicet eſſe inſtrumenta perturbationum: nam ex inſtrumentorum varietate non permutatur inſtitutum & conſilium artificis: ex temperamentorum autem diſtinctione varia cõſurgit animi appetitio, & perturbatio. Cui difficultati ſatisfaciens dico, id mirum non eſſe: quia temperamenta non ita ſunt inſtrumenta, vt ea quæ artis ſunt, ſed cum aliqua ratione ſint inſtrumenta, etiam ſimul ſunt ſtimuli, & calcaria perturbationum: quia ſunt partes viuẽtis, non autem à viuente ſeiuncta, vt inſtrumenta artium. Colligamus itaque ad formãdos hominum mores conducere cœlos & aſtra, vt communes cauſas: conducere fatum, vt eſt idem cum natura, & ab ea ſola ratione diſtinctum, quatenus per naturam hoc noſtrum organicum corpus vario modo conſtituitur: conducere temperamentum, vt materiem, ſtimulum & inſtrumentum: præcipue tamen tanquam à cauſſa nedum proxima, ſed principe oriri perturbationes à facultate imaginandi & appetendi; formari vero mores diſciplina, educatione, ratione, aſſuetudine: quæ quamuis conducant omnibus, in illis tamen, qui per naturam ad virtutes ſunt faciles, maiorem habent vim, & felicius ad optatum finem perducunt. Ex his quoque patet, Phyſiognomicam artem penitus inanem non eſſe: per eam namque valemus naturales hominum ad varia ſtudia propenſiones & facilitates cognoſcere: frequenter autem euenit, vt homines naturalem illam propẽſionem, vel penitus, vel in parte ſequantur. Ideo Ariſt. in 7. de rep. dicebat: *homines fieri probos natura, ratione & aſſuetudine*. Ex his conſpicua eſt difficultatis reſolutio, nec non dilutio aduerſarum rationum.

Dubitatio.

Solutio.

An perturbationes competant iumentis & feris.

CAP. XXXI.

CVM hactenus cetera capita cumulate ſatis ſint explicata, ſupereſt vt poſtremum abſoluamus: an ſcilicet perturbationes ſoli competant homini, vel etiam iumentis & feris: in cuius explicatione breuior eo, quoniam ex iam dictis ſatis conſpicua elici poteſt reſolutio. Lis tota verſatur inter Stoicos ex vna: Academicos vero, nec non Peripateticos ex altera parte. Inquiunt Stoici, perturbationes ſoli homini competere, nec ſecus dicere poſſunt, cum perturbationes definiant, quod ſint deprauationes rationis: inſuper eas eſſe dicant exiſtimationes & opiniones,

Stoici.

nes, quæ ſoli homini conuenire valent. Addunt Stoici, animalia, quæ non valent ignoſcere, non iraſcuntur; oppoſita n. in eodem nata ſunt fieri: cum autem ſolus homo valeat ignoſcere, non iumẽta & feræ, ſolus itaq; homo natus eſt iraſci. Quod ratione etiam Peripatetica hunc in modum confirmatur. Cui nõ cõpetit forma, neque etiã materies nata eſt cõpetere: materies enim, & forma inuicem referuntur 2. phyſ. 26. At perturbationes ex ſententia Ariſt. in 2 moral Nicom. ſunt materies virtutum & vitiorum, quæ virtutes, & vitia ſoli competunt homini: quare & perturbationes. Hinc colligũt Stoici, feris competere motiones illas primas, quæ in homine anteuertunt conſultationẽ & exiſtimationẽ. Perturbationes vero, quæ cum recta ratione pugnant, nõ conuenire, ſed earũ vice in eis reperiri ferocitatem, rabiem, feritatem, incurſionem, quæ non niſi per metaphoram perturbationes nuncupantur. Hæc itaque fuit Stoicorũ ſententia. Verum hi, vt in principiis, ita in his, quæ principia ſequũtur, valde aberrant. Conſpicuum enim eſt, pueros ante vſum rationis non ſecus iraſci, ac poſt vſum eius, nec ira ante vſum rationis, eſt diſtincta ſpecie ab ea, quæ poſt vſum rationis eis competit, vt recte etiam nouit, & affirmauit Galenus. Præterea oſtenſum eſt, perturbationes eſſe affectiones appetitus ſenſuum, ſequi imaginationẽ, nec fieri ſine temperamento & ſpiritibus: quæ omnia, cũ cõperant iumentis & feris, etiã eſt neceſſe, vt eis competãt perturbationes. Præterea manifeſtiſſime patet brutis voluptatẽ & dolorem competere, quæ ſunt principia & aſſeclæ perturbationum, quare etiã eis neceſſario conuenient perturbationes. Præterea amor, odium, proſequutio & fuga, quæ ſtatuta ſunt prima genera perturbationum, luce clarius in eis inſpiciuntur: quare nemo mentis compos inficiari poteſt eis cõpetere perturbationes. Et ſi quis dicat, voluptatem, dolorem, amorem, & odiũ eis nõ competere, ſed affectiones alias eis ſimiles etiã dicere poterit, albedinẽ niuis non eſſe albedinem, nec dulcedinem eſſe eam quę eſt mellis: quod cum dixerit, primo ſe iudicii inopem manifeſtabit, mox ſola nomina mutabit, non rẽ, pręſertim, quia in iumentis & feris tum ſigna, tum opera perturbationum manifeſtiſſime cernuntur. Ac tantum abeſt, vt feræ perturbationib. careant, vt potius eis maxime ſint obnoxię, omninoque poſitę ſint in facultate earum, cum penitus à perturbationibus ducãtur, ac regantur: ideo recte Plato in 9. de legibus, appetitus concupiſcẽdi & iraſcendi, ad quos pertinent perturbationes, nomine ferarum denotauit. Conueniunt itaque etiam iumentis & feris genera perturbationum, cum tamen nonnullæ reperiantur, quæ hominis ſunt propriæ, vt æmulatio, verecundia, indignatio, & illæ præſertim, quæ vel honorem, vel æqualitatem reſpiciunt.

Contra Stoicos.

Plato.

Litem inter Stoicos & Peripateticos de perturbationibus ferarum in ſolis verbis eſſe poſitam.

CAP. XXXII.

Lis eſt de voce.

INDAGANTIBVS veritatem ſummopere cauendum eſt, ne varia nominum ſignificatione decipiãtur, & de vocibus eorum ſit lis, cum tamen de ſentẽtia conſentiant, quod multis accidere cõſpicuum eſt, & præſertim Stoicis, qui de ſententiarum nouitate plus æquo fuere ſoliciti. Hoc cum in aliis multis, tum in re, de qua loquimur, cernere valemus: cum enim nomen perturbationis lõge ſecus, ac Peripatetici, vſurparint Stoici, iure illi affirmarunt, hi negarunt perturbationes cõpetere feris. Stoici motiones primas ſeiunxerũt à perturbationibus, & de ratione perturbationum eſſe dixerunt, vt rationi aduerſarentur: propterea ſuis fundamentis conſentanea protulerunt, dum enunciarunt eas non poſſe conuenire feris. Peripatetici vero, & cum eis Academici, nec motiones primas à perturbationibus ſeiunxerunt, nec de ratione earum putarunt eſſe, vt aduerſarẽtur rationi, quare de ſola voce diſſentiunt. Addo tamen Stoicos minus recte loqui, quam Peripateticos, quoniam aduerſari, vel nõ aduerſari rationi, eſt aliquid externum, non autem internum perturbationi: ideo ob id non variatur natura eius. Dico tertio, quod cum perturbationes ſint communes homini & feris, profecto cum aliqua varietate, & diſtinctione vtriuſq; competunt: in homine enim iunctam habent rationem, qua corrigi, emendarique poſſunt, in feris omnino ſunt à ratione ſeiunctæ, ideo in eis ſemper obtinẽt principatum & regnant. Quæ ſi nõnunquam corriguntur, id fit humana ratione: quæ pro mitigandis, corrigendis, domandiſque feris vtitur quaſi pœna, & præmio his, quæ voluptatem vel dolorem afferunt, vt alimento & verberibus, vna cum aſſuetudine, ſic domantur tauri, frænantur equi, mites redduntur leones, & demum feræ redduntur cicures, cõſpirante quodam naturæ inſtinctu, per quem feræ hominem magis, quam cetera animalia timent, ſuſpiciunt, ac modo quodam venerantur: adeo vt paruulus Æthiops ingentem Camelum & elephantum funiculo alligatum ducat, quod fera aliqua non efficeret. Moderatio perturbationum in homine virtus dicitur in more poſita, in feris minime. Ratio diſtinctionis eſt. Prima, quia moderatio perturbationis ferarum, non fit à propria, ſed ab aliena ratione. Secunda, quia ea moderatio non habet pro fine honeſtum, ſed vtilitatem & commoditatem hominis. Tertia, quia nil firmi in ea ferarum moderatione reperitur, ſed facile mutantur & errant. Demum, quia non ſunt præditæ præelectione & actione, in qua præſertim virtutis natura, & præſtantia eſt collocata. Colligamus igitur, rectius loqui Peripate-

Peripatetici rectius loquuntur.

Cur moderatio perturbationis ferarum non ſit virtus.

Digitized by Google

ripateticos & Academicos, qui iumentis & feris perturbationes condonarunt. Aduerſæ autem rationes facile diluuntur: & prætermiſſis nonnullis, quarum ſolutio per iam dicta eſt cõſpicua, ſoluo eam, quæ fundamento Peripateticorum niti videbatur. Nam argumentabar, in feris non reperitur forma perturbationis, quæ virtus eſt, quare neque perturbatio. Reſpondeo: perturbatio abſolute, & in ſe conſiderata, eſt forma quædam: eſt enim affectio & motio, cuius materies dici poteſt, tum animal, tum ſpiritus, tum cor, tum animæ facultas, varia tamen ratione. Virtus autem non eſt forma dans eſſe perturbationi, ſed dans ei modum. Propterea ſeorſum à virtute ſeruari poteſt natura perturbationis, ac non perturbationis modus, qui virtus eſt, idque conſpicuum eſt in pueris ante vſum rationis. *Diluuntur aduerſæ rationes.*

Hominem pluribus, vehementioribusq; perturbationibus eſſe obnoxium. CAP. XXXIII.

QVONIAM oppoſita in hoc mortalium orbe nedum genere & permixtione, verum etiam ſubiecta iúcta ſunt: propterea homo, vt ſolus ſummi boni, ita ſolus deterrimę miſerię eſt capax. Nã corpus eius longe pluribus, vehementioribuſque morbis eſt obnoxium, quam iumentorum & ferarum. Anima quoque pluribus, ingentioribuſque perturbationibus turbatur ac agitatur. Perturbationes hominis plures ſunt. Primo, quia plura cognoſcit, cognoſcendo appetit, appetẽdoque turbatur. Secundo, quia nõ vnum, vt iumenta & feræ, ſed multiplex genus vitæ natus eſt viuere, adeo vt accommodate à Pythagora, & Platone anima eius meare fingatur per corpora variorum animalium. Demum, quia ratione vtitur, bonorumque rationis natus eſt eſſe particeps, per rationem autem imaginationes in nobis formantur, quibus nõnullæ hominis propriæ perturbationes excitantur. Ideo nonnulli putarunt, etiam in mente locum habere perturbationes: & Ariſtotel. in tertio de anima, cont. 56 dixit: *Vis appetendi non eſt ſine phantaſia. Phantaſia autem omnis aut rationalis eſt, aut ſenſitiua: hac igitur & alia animalia participant, &c.* Inſuper dicebatur ſecundo, hominis perturbationes eſſe vehementiores: quod experientia nobis oſtendit: videmus enim, quod, dum homo vehementi aliqua affectione turbatur, magis extrinſecus mutatur, magis rubet & pallet, quam vllum aliud animal. Præterea homo maxime omnium voluptate & dolore afficitur, quæ ſunt principia, fomites & aſſeclæ perturbationum; homo enim ſolus nonnunquam præ nimia voluptate & dolore moritur, ſolus ſemper coitum expetit, cetera deſtinatis temporibus, iure igitur dictum eſt, hominem vehementioribus perturbationibus angi: cuius rei multiplex poteſt aſſignari ra- *Homo obnoxius pluribus perturbationibus, quam fera.* *Homo obnoxius vehementioribus perturbationibus.*

Digitized by Google

Ratio prima. tio. Prima ſumitur ex ſenſu tactus & guſtatus, qui in homine exactiſſimi ſunt, per quos vehementiſſimæ excitantur perturbationes: hominis tactum eſſe exactiſſimum aſſeritur à philoſopho in ſecundo de anima, colligitur ex cutis tenuitate, comprobatur experientia, hinc titillatio in ſolo homine apparet: de guſtatu quoque conſpicuum eſt, quia iumenta & feræ certum habent alimentum, non ita varium vt homines; nec condimenta quærunt, nec plura vorant, quam eorum ſanitati conducat: homo autem adeo gulæ indulget, adeoque ab ea trahitur, vt iure dicatur plures necari gula, quam gladio. *Secunda ratio.* Secundo vehementiores etiam ſunt hominis perturbationes ob animæ præſtantiam: cum enim eius anima ceteris præſtet, etiam præſtat cognitio & appetitio: maiorem autem appetitionem maiores, & vehementiores ſequuntur animi perturbationes. *Tertia.* Tertio id oritur ex cõditione obiectorum: obiecta enim quæ homini ſe offerunt, hominemque mouent, maiora, præſtantiora, vehementioraque ſunt. *Quarta.* Quarta ratio ſumitur ex temperamento hominis, præſertim cordis: eſt enim præditus tenuiſſimis humoribus, & temperamento nato facilime alterari, donatuſque eſt corde calidiſſimo pluribuſque ſpiritibus referto, propterea ſolus rectus meat, ſoluſque ad ſidera caput extollit.

Quæ omnium perturbationum ſit vehementiſſima.
Cap. XXXIV.

VARIAE ac apprime vehemẽtes in nobis excitantur perturbationes: à quibus tam perdite turbamur, ducimur, ac obcœcamur, vt minime iudicare valeamus, quæ earũ vehementius nos turbet, ſed quauis afficiamur, eam ceteris vehementiorem iudicamus. Tres tamen ſunt, quæ præcipue de magnitudine litigant, voluptas ſcilicet, ira, & demum deſiderium honoris, infamiæque timor: quarum vnaquæque ſibi principem locum vendicare tentat, & iure profecto. *Cur voluptas praeferenda videatur.* Voluptas enim propterea ceteris videtur eſſe vehementior, quia eſt ſtimulus & fomes aliarum perturbationum, ac ceteræ ab ea ſpiritum & vires recipiunt: ideo à Platone modo fons, modo conſiliarius nuncupatur. Ariſt. 2. moralium Nicomachiorum cap. 3 hoc nedum affirmat, verum etiam ratione confirmat: inquit enim, *voluptatem à teneris vnguiculis vna nobiſcum oriri & educari, omnibus animalibus eſſe communem, nobis eſſe comitem aſſiduam, altiſſimaſque radices in nobis agere, latentius, potentius, ac intimius nos inuadere:* propterea commendat Heraclitum, qui *difficilius eſſe* dixit *obſiſtere voluptati, quam iræ:* & in ſecundo de anima affirmauit: *opus maxime conſentaneum naturæ eſſe generare ſibi ſimile; ad quod opus per voluptatem commouemur.* Hinc Plato in conuiuio amorem nuncupauit

magnum

magnum Dæmonem: ita præ nimia voluptate homo nonnunquam ſtatim moritur, non autē id euenit per ceteras perturbationes: quam veritatē nobis luce clarius patefaciunt innumeræ vehemētiſſimæque affectiones, quæ ob voluptatis deſideriū in eis refulſerunt, qui amore irretiti fuerunt. Voluptas itaq; eſt ille fallax & internus ſerpens, qui intrinſecus nunquā ceſſat cupidinem, effœminatamq; partē tentare, vt illam vitio ſubiiciat, ab imperioque rationis ſubducat. Iure igitur voluptas ceteris potentior iudicanda videtur. Cui tamen ira nō cedit: imo affirmat robur eſſe ſibi propriū, & eius robore egere ceteras, & propterea virtute & robore ceteris eſſe præferendam: hinc ea ſola furor dicitur, ſola arma miniſtrat, ſola dimicat pro ratione, ſola impedimēta repellit, ſola vindictam quærit, ſola hominem maxime omnium alterat & permutat, ſola dicitur incenſio ſanguinis & ſpirituum circa cor, quæ omnia indicant vehementiſſimam ac robuſtiſſimam eſſe omnium. Inſtrumenta enim facultatibus ſunt tributa: cum autem vis iraſcendi, & ira maxime vigeant in corde, quod eſt membrum robuſtiſſimum, maxime calidum, pluribus ſpiritibus abundans, iure optimo cenſeri debet perturbatio vehementiſſima. Confirmatur, quia ira frequenter eſt miniſtra rationis, propterea qui cum ira dimicat, pugnat vna cum ſenſu & cum ratione: de voluptate autem non ita ſe habet, dicitur enim propria ſenſuum, difficilius autē eſt cum duobus, quā cum vno, eoque impotentiore pugnare; ſenſus enim impotentior eſt ratione. Præterea qui pugnat cum ira, vna pugnat cum voluptate & dolore; ira enim cum voluptate & dolore eſt permixta: at proculdubio difficilius eſt cū ira, voluptate & dolore pugnare, quā cum ſola voluptate; iure igitur ira omniū perturbationū vehementiſſima eſſe videtur. At quid de honeſti deſiderio, timoreque infamiæ dicendū eſt? nonne perturbationes ad huius obiecti appetitionem pertinentes, præſertim in animo recte affecto, dominantur ceteris, ac eis potentiores firmioreſque ſe patefaciunt? Per honeſti n. deſiderium ira excitatur, voluptas negligitur, adeo vt huiuſmodi deſideriū primo dominetur iræ, & per iram corrigat voluptatum cupiditatē; princeps autem & dominus potentior eſſe dicitur ſuis miniſtris. Hinc cōſpicimus, frequenter homines honoris deſiderio, timoreque infamiæ impulſos, potius velle honeſte mori, quā turpiter viuere: vt patuit de multis, qui ſingulari certamine dimicarunt, & falſa opinione ducti, potius mori quā ſe victos fateri voluerūt. His tribus perturbationum quaſi fulminibus, quartum addi poteſt, perturbationes attinentes ad deſiderium vitæ, timoremque mortis, quæ fortitudine corriguntur: cum enim fortitudo ſit virtus potētiſſima, neceſſe eſt, vt etiam perturbatio, in qua verſatur, quamque

Quod ira ſit vehementior.

Pro deſiderio honeſti.

Potentia timoris mortis.

corrigit, potẽtiſſima ſit. Confirmatur ratione obiecti: *vita enim & eſſe, eſt optimum omnium natura bonorum; mors autem* (vt ait Ariſt.) *eſt vltimum terribilium, ſi vltimum terribilium eſt mors, neceſſe etiam eſt, vt pariat perturbationem omnium terribiliſſimam.* Confirmatur, quia homines fortitudine refulgentes, inter Heroas numerantur; Heroes autem pręſtantia ſuę virtutis, eminẽti forma, & modo, ſublimem aliquam perturbationem domuerunt. Conſtat itaque vehementes has perturbationes, nedum hominem turbare, eiuſque animum in oppoſita diſtrahere, verum etiam inter ſe de vehementia & poteſtate contendere.

Explicantur nonnulla conducentia reſolutioni difficultatis de vehementia perturbationum. Cap. XXXV.

Primum quod accipitur. Voluptas dupliciter vſurpatur.

Ardua profecto eſt ea dubitatio, quæ pro variis partibus rationibus ſatis firmis excitata, agitataque fuit: pro cuius reſolutione operæprecium eſt nonnulla præaccipere. Quorum primum eſt, voluptatem & dolorem dupliciter vſurpari. Vel late, vt pertinet ad omnem appetitum in qua ſignificatione dicitur in 2. moralium Nico. *omnem virtutem moralem eſſe poſitam in voluptate & dolore*: de voluptate in hac ſignificatione non eſt dubitatio, quoniam ea non eſt perturbatio eiuſdem cõditionis cum ceteris, vt patefeci, ſed potius eſt cõmunis materies, fomes, ſemen & aſſecla earum, diſtincta tamen ratione: & ex huiuſmodi voluptatum genere prodeunt vires perturbationum, adeo vt virtute & facultate vniuerſum robur perturbationum modo aliquo includere videatur. Vſurpatur ſecundo voluptas preſſius, pro attinente ad appetitum cupiendi, reſpiciente præſertim obiectum tactus & guſtatus, quæ temperantia corrigitur, de qua loquebatur Ariſt. in 2. moralium Nic. inquiens: *difficilius eſſe obſiſtere voluptati, quam ira*: & de hac modo eſt dubitatio. Conſiderandum ſecundo, quod etiam ira non vno, ſed multis modis vſurpatur; eſt enim nomen ab vno, quod de multis ordine quodam vel magis, vel minus proprie dicitur: & quinque cenſeo in ea conſiderandos eſſe gradus. Quorum primus eſt hominis aduerſus alium hominem: ſecundus hominis erga ſe, dum ratione duce, per facultatem iraſcendi inſurgit contra cupiditatem: tertius eſt hominis in ſuperiora, nam inſani etiam aduerſus Deum iraſcuntur: quartus erga iumenta & feras: quintus in inanima corpora. Oritur enim ira, dum percipimus ab aliquo iniuria affici, lædi, vel impediri pro aſſequendo fine. iniuria proprie verſatur inter homines, in quibus ius & iniuria locum habet: læſio & impedimentum etiam extenduntur ad alia; ſic itaque nonnunquam homo ſupernis cauſſis, nonnunquam ſibi, vel aliis hominibus, vel feris, vel inanimis iraſcitur: proprie

Alterum quod accipitur.

Quinq; gradus ira.

tized by Google

proprie tamen ira inter diſtinctos homines verſatur, in quibus vere ius & iniuria locum habent, cæteræ minus proprie nomine iræ denotantur. *Omnis quidem ira eſt feruor ſanguinis circa cor:* *Propria ira.* at quod ſit appetitio vindictæ, tantum de proprie ſumta ira recte dicitur, de cæteris minus proprie. Hanc veritatem cenſeo denotaſſe Ariſtot. in 8. top. loco 11. aſſerentem, dum definitur *Ariſtot.* *ira, quod ſi appetitus pœna ob apparentem paruipenſionem.* Poſſet quis inſtare, quia parentibus iraſcimur quidem, non autem pœnam appetimus; quæ inſtantia fortaſſe vera non eſt: nam quibuſdam ea pœna ſatis eſt, vt qui læſit, triſtetur, cumque pœniteat id egiſſe, in iræ tamen definitione facile eſt inſtantias inuenire, &c. His verbis indicauit Ariſt. primo, inſtantiam ſumtam ab ira in parentes inanem eſſe: ex quo conſtat minus recte Aſpaſium in ſecundo moralium Nicomachiorum, c. 3. dixiſſe: *Iram non eſſe appetitum vindictæ,* quia parentes, cum iraſcuntur *Damnatur Aſpaſius.* filiis, vindictam appetere non videntur. Indicauit inſuper Ariſtoteles varios dari iræ gradus, ratione quorum aſſeruit in iræ definitione facile eſſe inſtantias inuenire, non enim de omnibus verum eſt, vt ſint appetitio vindictæ. Hoc tamen prætereundum non eſt, quod dum definitur aliquid ab vno, præcipue id definitur quod primum eſt: ideo definitiones iræ, quæ circumferuntur, primario & proprie de primo gradu iræ veræ ſunt. At *De timore* de ira ſatis. Si deinde loquimur de timore infamiæ, & deſiderio *infamiæ.* honoris, conſiderandum, quod aliud eſt loqui abſolute de appetitione honoris, & aliud loqui de honeſti deſiderio; appetitio honoris perturbatio quidem eſt, & poteſt modum excedere, honeſtum autem nimium expeti non poteſt: nam conſideratur hic ordo. Homo recte educatus primo honeſtum appetit, & per actiones honeſtas præuenientes habitu virtutis ornatur, per quem adeo conſtanter honeſtum appetit, vt illud præferat omnibus. De hoc non eſt dubitatio, ſed de appetitione honoris, quæ eſt perturbatio hominis propria, nec in cunctis hominibus vires ſuas patefacit, ſed potiſſimum in viris popularibus, quorum nonnulli in honore ſummum bonum collocarunt. Hæc perturbatio nec apprime communis eſt, nec per naturam valde vehemens, ſed inceditur per definitum genus vitæ, & inſtitutionem. Demum, ſi loquimur de formidine mortis, deſiderioq; *De formidine mortis.* vitæ, quæ cunctis animalibus videntur communia, conſiderandum eſt, quod re vera & proprie ſolus homo timet mortem. Ratio eſt, quia ſolus eam cognoſcit: rationis expertia inſtinctu naturę diriguntur ad ſimilis procreationem, non quia cognoſcant per copulam aſſequi æternitatem: ſimiliter inſtinctu naturæ videntur vitare mortem, cum tamen eam non vere formident, vitant lędentia ob dolorem proprio ſenſu perceptum, mortem, vt

ad ea pertinet ſolũ ex euentu (h.e. per accidẽs) timẽt, quatenus ille timor dolorũ per naturã ad vitæ cõſeruationẽ dirigitur. Timor itaq; mortis re vera, & proprie ſoli cõpetit homini, & proculdubio vehemẽs eſt, hic iram cõpeſcit, voluptatemq; necat: at quia ſemper iunctus eſt cum aliqua ſpe vitæ, & nobis factus eſt familiaris, cum nati ſimus hac lege, vt moriamur, inſuper quia iunctã habet neceſſitatẽ, propterea non tam aperte nos turbat.

Solus homo propriè timet mortem.

Reſolutio difficultatis. CAP. XXXVI.

EX declaratis in præcedente capit. reſolutionem difficultatis eliciens, quatuor profero aſſertiones, prima eſt, ob varietatem temperamenti, aſſuetudinis, generis vitæ, ætatum, & ſimilium, in variis variæ perturbationes vehemẽtiores ſunt, ac principatũ obtinent, ſic trahit ſua quemq; voluptas: veluti in auaro adeo regnat appetitio auri, vt cæteræ appetitiones ſopitæ, & extinctæ penitus eſſe videantur. Altera aſſertio eſt, ſuppoſita cæterorum æqualitate perturbationes variæ, varios ſibi principatus, dominatuſq; vendicant; nam timor infamiæ, deſideriumq; honoris, eſt hominis magis proprium, eminẽtius, ſublimius, rationiq; magis iunctũ. Timor mortis terribilior & durior: ira impetuoſior, vehemẽtior, magiſq; pugnax. Voluptas blandior, ſenſibus coniunctior, corpori intimior, latẽtius nos inuadit, magis continenter nos turbat, á ratione magis diſtat, minuſq; ei obtẽperat, ac propterea maxime ẽſt inſidiatrix. Tertia aſſertio, *difficilius eſt obſiſtere voluptati, quam ira, aliusve perturbationibus*: quæ aſſertio eſt Ariſt. in 2. moral. Nicom. c. 3. Eius autẽ ratio eſt, quia obſiſtere perturbationi eſt opponi appetitui, ne ab eo extra terminos á recta ratione præſcriptos rapiamur: & quoniam ita eſt rationi coniunctior, magiſq; ei nata obtemperare, quam cupiditas, propterea facilius eſt eam corrigere. Veluti quamuis taurus & equus ſint ferociores, quam piſces, facilius tamen eſt hos condocefacere, domare & frænare, quam piſcem diſciplinæ ſubiicere, non alia de cauſſa, niſi quia piſces non ita homini obtemperant, nec apti ſunt diſciplina corrigi, vt taurus & equus: magis enim cupiditate ducũtur. Quarta aſſertio eſt, in homine populari quadam aura elato, deſiderium honoris, timorq; infamiæ principatum obtinent: cum enim ſibi honorẽ, & gloriam ſtatuunt finem, cætera deſideria huic ſubiiciunt, & ab hoc vehementiſſime rapiuntur. Quicunq; à vehemẽtiſſimis his perturbationib. quaſi à pernicioſis Dæmonib. peruertũtur, vitã viuunt miſeram, inconſtantẽ, egenam, omniq; ferarum vita infeliciorẽ; affectio enim ferarũ inſequitur naturam earum, illamq; ſeruat, hæc autem conditionem hominis omnino peruertit, ac labefactat: à qua ſi liberari cupimus, ad virtutem conuertamur, & ad gradus eminentiores ad eam nos perducentes, alacres accingamur.

Prima aſſertio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

FINIS PRIMI GRADVS.

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS II.

De principiis virtutum. CAP. I.

PROOEMIVM.

TRia ſunt, quæ ſibi mutuo in vniuerſo recta ratione reſpondent: inter cuncta abſolute Deus, inter ſenſilia lux, inter animi autem perfectiones virtus. Hæc adeo ſunt coniuncta, vt Deus lux, & virtus mundi, lux virtus mundi, & imago Dei, virtus demum & lux, & Deus animi dici mereantur, quæ iunctiſſima trinitas, eminentiã, & præſtantiam contineat ſingulorum. Propterea iure optimo ad virtutem, Dei imaginem, paratiſſimi accedere tenemur. Ad quam cum ſimus per gradus progreſſuri, operæpretiũ eſt primo de principiis verba facere, nec quidem iniuria; nil enim exactius nos parat ad rei cognitionẽ, quam accurata cognitio principiorum eius. Principiũ communi omnium conſenſione eſt pars præſtãtiſſima, conſenſione multorum eſt dimidiũ operis; ex ſententia autem Platonis in ſexto de legibus, approbata ab Ariſt. in primo moraliũ Nicomach. c. 7. plus quam dimidium iudicari debet; ſunt enim principia tãquam ſemina, facultate, & virtute vniuerſum opus includentia & longe maiora ſunt virtute, quam mole, vt dicitur in primo de cœlo, cont. 33. At quid, ſi nos addiderimus, verum abſolutumque principium ſupra omnem rationem excedere totum? Sententiam forte ſimilem Stoicorum Paradoxis videbimur enuntiare, ea tamen ita erit vera, vt nil verius dici poſſit, quod luce clarius apparebit, ſi ad Deum conuertemur: qui dignitatem principii adeo ſibi propriam eſſe voluit, vt ſolus principium omnium, ſolus principium primum, ſolus principium tantum dici voluerit. Idipſum quoque conſtabit, ſi originales Ideas conſiderabimus, quæ ex Academicorum Theologorumq; ſententia in Dei mente reperiuntur, ac eorum, quę gignuntur, ſunt principia. Hæc cum ſola re vera, & abſolute ſint

Conſideratio principiorum neceſſaria.

Verum principium eſt plusquam totum.

principia, dignitate, & præſtantia cunctis, quorum ſunt principia longe antecellunt. Iure igitur nos de virtute loquuturi, in principiorum eius conſideratione accurati eſſe tenemur, cum abſque eorum notitia nullam certam virtutis cognitionem aſſequi valeamus. Varia profecto ſunt, quæ circa virtutem principii locum aliqua ratione videntur obtinere quorum hæc potiora, magiſque cognitu neceſſaria iudicaui. Vires animæ, habitus, actiones, mos, aſſuetudo, exercitatio, agere ſponte, inuite, non ſponte, agere inſcientem, per inſcitiam, per vim, electio, præelectio, conſultatio, voluntas, libertas, & demum illæ, quæ actionum circumſtantiæ appellantur: quorum cognitio nedum ad virtutem nobis viam ſternit, & parat, verum inſuper ad ea omnia, quæ in ciuili philoſophia conſiderantur. Ordiar autem ab enumeratione, & diſtinctione facultatum animæ, imitatus Ariſtotelem, qui de virtutibus loquuturus, à diſtinctione partium animæ orſus eſt: ac in primo moralium Nicomachiorum, c. 13. eo magis ciuili curaturo animum, neceſſariam affirmat cognitionem animi, quam medico curaturo corpus cognitionem corporis, quo ciuilis philoſophia præſtantior eſt arte medendi. Id tamen efficiam breuibus, & expedite, quatenus ciuili philoſopho inſeruire debet: ne videar inutiliter phyſica cum ciuilibus permiſcere.

Varia virtutum principia.

Facilis compendioſaq; enumeratio ſingularum facultatum animæ. Cap. II.

FAcultas animæ vel eſt cognitionis expers, cognitionemque non ſequitur, vel eſt cognoſcens, aut ſaltem cognitionem ſequens. Facultas animæ omnino à cognitione ſeiuncta, eſt vis nutriendi, quæ præſertim temperamento operatur: cuius tria ſunt principalia opera, alere, augere, & ſimile generare: opera autem famulantia, facultateſque eius miniſtræ ſunt quatuor, attractio, retentio, coctio, expulſio, ſiue vis attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi: his Auer. quintam addit, facultatem ſcilicet ſecernendi vtile ab inutili, quam cenſeo ad eas quatuor redigi & præcipue ad expultricem: medici inter virtutes per naturam, & ſine cognitione operãtes facultatem vitalem enumerant, eamque diſtinguunt à virtute nutriendi, quam naturalem appellant, eaſque loco ſecernunt. Facultatem enim vitalem tribuunt cordi, naturalem epati. Ariſtot. tamen vitalem à naturali non ſecernit, ſed vitalem redigit ad naturalem, & iure profecto: eſt enim veluti ſublime culmen, apex, & eminentia eius. Propterea illis ſolis conuenit, quorum vita abſolutior eſt, non autem conuenit plantis. Nam vita vel vſurpatur late, ac ita omni animæ gradui propria vita reſpondet, & varii ſtatuuntur vitæ gra-

Vis nutriendi.

Vis vitalis.

Digitized by Google

tæ gradus: vel vſurpatur preſſius, vt contradiſtinguitur à ſenſu, & ratione ac ita per vim nutriendi dicimur viuere, per ſenſum ſine motu conſtituuntur ſtirpanimalia, per ſenſum cum motu animalia, per rationem homines: in qua ſignificatione vis vitalis ad facultatem naturalem redigitur. Nam actio virtutis vitalis eſſe dicitur pulſus, qui in arteriis percipitur, qui præſertim conſurgit ex naturali actione, & feruore eius caloris, qui vitæ eſt inſtrumentum, dum calor eſt vehemens & æſtuans. At hæc, quia inſtituto noſtro non inſeruiunt, miſſa facio. Ex aduerſo, ſi animæ facultas eſt cognoſcens, vel ſaltem cognitionem ſequens, ea duplex eſt: vel enim ex ſe eſt rationis compos, vel eſt expers rationis, nata tamen aliqua ex parte audire rationem, eique obtemperare. Si rationis eſt expers, hæc non per temperamentum operatur, vt facultas nutriens, ſed parte aliqua corporis, vt inſtrumento vtitur. Et duplex eſt, vel enim eſt cognoſcens, vel non cognoſcens, ſed ſequens cognitionem. Si eſt cognoſcens, vel eſt facultas externa, quæ ſine præcurrēte alia facultate externa obiecta iudicat, vel eſt interna. Si fuerit externa, prodeunt quinq; noſtri corporis quaſi exploratores, vis videndi, audiendi, odorandi, guſtandi, tangendi: ſi interna, vel ſolum iudicat ſenſilia præſentia, & dicitur ſenſus communis, vel iudicat etiam abſentia per memoriam ſeruata, & eſt vis imaginandi, quæ phantaſia græce dicitur, & perperam à latinis, vt diſtincta numeratur. Ad eandem redigitur vis cogitandi minus recte ab Auerroe addita, quam dixit hominis eſſe propriam: reuera enim ea Auerrois cogitandi facultas nil aliud eſt, niſi culmen & exceſſus, quo vis imaginandi hominis præſtat virtuti imaginandi brutorum. Similiter quoque ad eandem redigitur vis exiſtimandi, quam D. Thom. ait conuenire iumentis & feris, proportioneq; reſpondere virtuti cogitandi hominis. Hæc aliena penitus ſunt à ſententia Ariſt. & Græcorum, qui ſolum pro internis ſenſuum facultatibus numerant ſenſum communem, & vim imaginandi, dum loquuntur de facultatibus cognoſcentibus, nec vlla ratio, actio, & experientia nos cogit plures ſtatuere. Cogitatio enim, & exiſtimatio ſi minus proprie vſurpantur, ad phantaſiam pertinent, ſi vero vſurpantur proprie, ſunt officia facultatis dianoeticæ: cogitatio eſt diſcurſus eius, exiſtimatio eſt approbatio illius, quod ex diſcurſu colligitur: non itaq; attinent ad facultatem ſentiendi. At ſi facultas rationis expers non fuerit cognoſcens, ſed tantum cognitionem ſequens, vel cum ea iuncta, hæc triplex eſt, vna ſeruans, altera appetens, tertia mouens. Seruans eſt memoria, ad quam in homine redigitur vis reminiſcendi: quę vis ſeruans cum phantaſia iuncta eſt, reminiſcentia expoſcit auxilium rationis, ideo ſoli homini competit. Vis appetendi eſt

Vis cognoſcens.

Senſus externi.

Senſus interni.

Vis cogitandi excogitata ab Auer.

Vis exiſtimandi.

Vis ſeruans.

Vis appetens.

Digitized by Google

duplex: vel enim reſpicit bonum voluptarium ad corpus pertinens, & dicitur vis concupiſcendi, ſiue ἐπιθυμία: vel reſpicit voluptates magis ad animum pertinentes, cōplicatas cum gloria, victoria, honore & ſimilibus, & dicitur θυμός, ſiue iraſcendi facultas: de quib. in gradu perturbationum multa ſunt dicta.

Vis mouens.

Vis mouens animalia è loco ad locum, proxime ſequitur phantaſiam, & appetitum: phantaſia enim vel à ſenſu, vel a ratione formata, per appetitum animalia mouet, vt docet Ariſt. in tertio de anima, poſt cont. 40. cui motui varia inſeruiunt inſtrumēta, vt conſpicuum eſt. Ex aduerſo facultas animę ex ſe rationis particeps, nec operatur temperamēto, nec vtitur inſtrumento corporeo, ſed ſolo eget obiecto, phantaſmate nempe, quod ei offertur à phantaſia. Hæc vel eſt cognoſcens, vel ſequens cognitionem, & dicitur appetens.

Menti, nec memoria, nec vis mouendi competit ex Ariſtotele.

Facultas ſeruans, & facultas mouens, ex ſententia Ariſtotelis ei non competunt. Non ſeruans, quia eá, quæ ſeruantur, ſunt phantaſmata, iuncta cum tempore, & indiuiduorum conditionibus, quæ per memoriam phantaſiæ iunctam auxilio corporei inſtrumenti ſeruari dicuntur, nec quidem ſine præcurrente aliqua alteratione: Theologi tamen, & cum eis Academici, modo quidem vario, menti quoque memoriam ſeu reminiſcentiam tribuunt. Facultas. n. mouens non pertinet ad mentem, quia ea non proxime mouet, cum non ſit vis organica, ſed tantum mouet eminus præcipiēdo & dirigendo. Ex aduerſo, ſi pars animæ rationis cōpos fuerit cognoſcens:

Mens.

Dianoetica.

vel verſatur in ſimplici inſpectione principiorum ſine ratiocinatione, & dicitur, νοῦς hoc eſt, mens, ſiue intelligentia, vel res cognoſcit cum ratiocinatione, & dicitur, facultas dianoetica argumentatione vtens. Quæ facultas dianoetica, ſi connectitur cum mente, ab eaq; ſumit principia prima & neceſſaria, conſtituit facultatem ἐπιστημονικὴν, ad quam ſapientia, & ſcientia pertinet: ſi autem nectitur cum principiis communibus varietati obnoxiis, vel in re non neceſſaria verſatur, conſurgit facultas λογιστική, ad quam pertinet opinio, vt elicitur ex ſexto moralium Nicomachiorum, c. 1. Hæ tamen facultates inter ſe ſola ratione ſecernuntur. In mente pro obeundo ſuo munere duæ conſiderantur facultates, ſiue differentiæ, mens ſcilicet poteſtate & agens. Officium mentis poteſtate, eſt intelligendo fieri cuncta

Mens poteſtate.

Mens agens.

ſpiritaliter per cognitionem, & imitationem. Officium vero agentis eſt ea, quæ ſunt intelligibilia poteſtate, reddere intelligibilia actu, vt lumine colores redduntur actu viſibiles. Mens quæ dicitur poteſtate, vel conſideratur vt omnino eſt poteſtate, vel vt eſt habitu prædita, vel vt ſimul eſt habitu & actu, omnino poteſtate eſt in pueris, ſolum habitu eſt in ſapiente dormiente, habitu & actu in ſapiente contemplante. Dum conſideratur

mens

Digitized by Google

mens prædita habitu, vel habitus eius eſt principium contemplandi, vel agendi, vel efficiendi: inde conſurgit triplex eius differentia. Datur enim mens ad actionem, altera ad effectionem, tertia ad contemplationem dirigens. Inſuper mens cõtẽplandi habitu prædita: vel eſt in eo affecta, id eſt, prædita imperfecte, & cum diminutione, & abſolute mens inſpectrix dicitur: vel eo eſt prædita exactiſſime, & exquiſitiſſime, & nuncupatur mens adepta, quatenus adepta eſt vniuerſam perfectionem eius mentis; cuius officium eſt intelligibilia poteſtate reddere intelligibilia actu. Hęc ab Auerr. dicitur intellectus adeptus, a Simplicio mens animaria in ſe reuerſa, & cum mente participata iuncta: & demum eſt poſtrema perfectio mentis inſpectricis, quæ homini hanc vitam viuenti competere poſſit. Cum autem ſermo nobis nunc ſit de mente, quæ νοῦς græce dicitur, latere nos non debet eam apud Ariſtotelem quadrifariam vſurpari. Nonnunquam enim ſumitur late, & ſignificat vniuerſam vim intelligendi, contradiſtinctam á virtute ſentiendi, in qua ſignificatione Ariſtoteles in tertio de anima de mente verba facit. Nonnunquam ſecundo vſurpatur latius, vt extẽditur etiam ad vim imaginandi, vt conſtat ex 2 de anima, 155. & ex tertio de anima, 20. & 48. quib. in locis nomine mentis etiã vis imaginandi denotatur. Vis enim imaginandi in puero, & feris vices gerit mentis, propterea mens brutorum dicitur, ac ea nonnunquam efficit, quæ mente fieri videntur, vt de formica, hirundine, araneo, & ſimilibus dixit Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum, cont 80. Vſurpatur tertio mens non pro parte animæ, ſed pro habitu illo, qui eſt principiorum cognitio, vt conſtat ex ſexto moralium Nicomachiorum. Quarto vſurpatur eadem vox, vt facultatem ſignificat contradiſtinctam à facultate dianoetica: adeo vt νοῦς, & facultas noetica in ſimplicium, & primorum principiorum inſpectione verſetur, facultas autem dianoetica in compoſitione, diuiſione, ac argumentatione. Ideo Ariſtoteles dum eminentem vim, & diuinam animæ conditionem vult indicare, eam nuncupat νοῦν, mentem ſcilicet, & contemplandi facultatem, vt patet ex ſecundo de anima, 21. & 32. Facultas etiam dianoetica, quæ vis cogitandi recte nuncupatur à Latinis, dupliciter vſurpatur: vel late pro vniuerſa facultate intelligendi, ac parte rationis compote, vt in ſecundo de anima, cont. 18 vel vt contradiſtincta à facultate noetica, ac ita munus eius eſt argumentari, componere, diuidere, & ad eam pertinet vis conſultandi, quam βουλευτικὴν Ariſt. appellat in tertio de anima, 157. de qua multa dicuntur in ſexto moralium. Facultas autem appetendi ad mentem pertinens, duplex eſt: vel enim reſpicit finem, & dicitur voluntas, vel ordinata in finem, & dicitur prælectio, vt

Mens quadrupliciter vſurpatur.

Mens brutorum.

Facultas dianoetica.

Vis conſultandi.

Appetitus mentis duplex.

Digitized by Google

Anima rationis compos.

patet ex tertio moralium Nicomachiorum. Inſuper anima rationis compos dupliciter vſurpatur, vel pro vniuerſa hominis anima, contradiſtincta ab anima ferarum & iumentorum; vel pro parte eius, contradiſtincta ab alia parte: ita dictum eſt, vim nutriendi eſſe rationis expertem, mentem vero compotem. At hæc rectius pars, quam anima nuncupatur. Quæ pars dicitur rationis compos. Primo, quia eorum, quæ contemplatur & agit, rationem & cauſſam tradere valet. Secundo, quia officium eius eſt ratiocinari, & varia argumenta formare. Tertio, quia valet varia inter ſe comparare, ex eis aliud colligere, comparatio autem duorum inter ſe, ratio dicitur. Demum quia eſt principium ſermonis, qui externus ſermo internæ ratiocinationis eſt ſignum. Enumeratis facultatibus addunt nonnulli vnam, quam attentiuam appellant, vt facit Philoponus. Hanc Damaſcenus diuidit in ſyntereſim, quam vult pertinere ad morales actiones, & cenſet nobis per naturam competere, eſſeque habitum natura nobis inſitum principiorum ad mores pertinentium, attendentem leges naturæ, eaſque ſeruantem, inſtigantem homines ad bonum, reuocantem á malo. Alteram appellat σύνεσιν, quam ait eſſe habitum ſpeculandi, ſtudio comparatum, conſeruantem principia ſpeculationis, vt ſyntereſis ſeruat principia actionis. At re vera hæ non ſunt facultates á cæteris diſtinctæ, ſed munera, & officia enumeratarum facultatum, ideo Ariſtot. de illis nullam facit mentionem. Facultates hactenus enumeratæ, & in pauciora, & in plura capita redigi poſſunt. Nam ratione eſſentiæ rediguntur in duo capita, in æternas & mortales facultates. Per relationem ad cognitionem pariter in duo capita, in cognoſcentes, & non cognoſcentes. Ita quoque per relationem ad rationem, vel ſunt expertes, vel compotes rationis. Ratione autem principalium, ſubordinatorumque animæ graduum, ſunt tres, vis nutriendi, ſentiendi, intelligendi: prima omnino rationis expers, tertia ex ſe rationis cõpos, ſecunda medio modo ſe habens: prima operatur tẽperamento corporis, ſecũda parte corporis vt inſtrumento, tertia nõ eget corpore, ſed aliquo exiſtente in corpore. Dum vero gradus potẽtiarum conſideramus, vt conſtituunt gradus viuentium mortalium, quatuor ſunt, quæ enumerantur in 2. de anima, cont. 18. addendo vim mouendi. Viuentia enim, vel ſolum habent vim nutriendi, vt plantæ, vel ſenſum ſine motu, vt ſtirpanimalia, vel ſenſuum cum motu, vt iumenta & feræ, vel demum ratione ſunt prædita, vt homo. Et hæc de facultatibus animæ, vt ciuili philoſopho earum cognitio inſeruire debet.

De facultate attentiua

Synteresis.

Syneſis.

De iu-

De ingenio, ac de nonnullis facultatibus ei affinitate coniunctis CAP. III.

CVm egerim de facultatibus animæ, ſummopere vtile eſſe duxi de ingenio verba facere. Primo, ne quis putet illud eſſe animæ facultatem ab enumeratis diſtinctam. Secundo, quia frequenter de eo fit mentio in ciuili ſcientia, nec cõſtat quid ſit, & variæ de eo ſunt opiniones. Tertio, vt ſimul pateat explicatio variarum vocum ad vires animæ pertinentium: quarum frequenter ab Ariſt. in ciuili ſcientia fit mentio, & obſcura eſt earum ſignificatio, mutuaque diſtinctio. Ingenii nomen varias habet ſignificationes: nonnunquam enim late extenditur, & vſurpatur pro natura, & conditione cuique ingenita; & tribuitur etiam iumentis & feris: proprie tamen ſoli conuenit homini. Ego autem de ingenio in hac magis propria ſignificatione loquens, oſtendam primo quid non ſit. Secundo quid ſit. Tertio de eius varietatibus verba faciam. Ingenium profecto minime pertinet ad ſenſus, vel externos, vel communem, multi enim valent ſenſibus, qui ingenio ſunt deſtituti. Non ad ſolam phantaſiam, quæ vis eſt imaginandi: ea enim eſt communis iumentis & feris. Ingenium autem proprie ſumtum ſoli competit homini, & ſolus homo dicitur valere, vel non valere ingenio. Inſuper multi facile varia imaginantur, qui tamen carent iudicio, ſine quo non ſeruatur ingenium. Inſuper non eſt poſitum in ſola memoria: frequenter enim euenit, vt qui valent memoria, iudicio careant, & qui profitetur ſe memorem, profiteatur ſimul ſe iudicii inopem, quoniam vt plurimum ea duo inueniuntur ſeiuncta, vt dixit Plato: *Multa apud Græcos inueniuntur nomina: quæ aliquid ſignificare videntur cum ingenio ſummopere complicatum, veluti εὐβουλία, hoc eſt, bona conſultatio: ſed hæc ab ingenio differt.* Quoniam bona conſultatio coniuncta eſt cum prudentia, & in ſolis agibilibus proprie verſatur, vt patet ex ſexto libro moralium Nicomachiorum, capite nono. Ingenium autem maxime in contemplatione refulget. Præterea ingenium diuiditur in bonum, & malum, bona conſultatio minime. Præterea σύνεσις ſumma affinitate cum ingenio iungitur, de qua loquitur Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 10. Nonnulli vertunt perſpicacitatem, & ſatis recte, vt cenſeo, alii ſagacitatem, nonnulli intelligentiam: non quidem eam, quæ dicitur principiorum cognitio, ſed eam, cui ἀσυνεσία, hoc eſt, hebetudo, & tarditas opponitur: at perſpicacitatis nomine rectius, vt cenſeo, nuncupatur: σύνεσις ſolum in bonam partem vſurpatur, idem enim eſt σύνεσις, & εὐσυνεσία, vt in ſexto Nicomachiorum inquit Ariſtot. Dicitur autem σύνεσις, eo quod bene addiſcimus: nam μανθάνειν, hoc eſt, addiſcere, frequenter

Significationes nominis ingenii.

Ingenium non pertinet ad ſenſus.

Bona conſultatio.

Perſpicacitas.

K

Digitized by Google

συνέναι dicimur, vt affirmat philoſophus in ſexto moralium Ni-
comachiorum, cap. 10. Ex quo conſtat, ſyneſin cum ingenio
ſummopere conuenire, & poſſet recte dici perſpicientia veri. Et
quamuis eo in loco Ariſtot. dicat, *ſyneſin non eſſe earum rerum,*
quæ ſemper ſunt, & nunquam mouentur, neque vllius earum, quæ o-
riuntur, & intereunt, ſed e rum de quibus dubitari, & conſultari po-
teſt, & propterea in iiſdem rebus verſari, in quibus verſatur pruden-
tia: differre autem à prudentia, quia ſyneſis in ſolo iudicio eſt poſita.
Explicans tamen, vnde nomen eius ſit deductum, indicat etiam
extendi ad ſcientiam: & id quod nuper relatum eſt, debere in-
telligi de ſyneſi in potiore ſignificatione. quæ ad prudentiam
ordinata eſt, & cum ea iuncta, de qua ibi eſt ſermo, cui etiam
Syneſis & eubulia differant effectis. γνώμη, hoc eſt, ſententia ſuccedit. In attinentibus enim ad pru-
dentiam, bona conſultatio media comparat, & dirigit, ſyne-
ſis, hoc eſt, perſpicientia veri, ſiue perſpicacitas perſpicit, & iu-
dicat, ſententia decernit, prudentia imperat, & præcipit. Satis
itaque conuenit ſyneſis cum ingenio. Differt tamen primo,
quia ſyneſis proprie, & maxime in agibilibus verſatur, inge-
nium non itidem. Secundo, quia nonnunquam ingenium in
prauam trahitur partem, & dicitur prauum, & deprauatum, ac
tardum, non ita ſyneſis. Demum ingenium, vt ſua perfectione
ſit præditum, nedum ſyneſin, verum alia quoque videtur ex-
Δεινότης. poſcere, & ad plura videtur extendi. Præterea inuenitur Δεινό-
της, de qua loquitur Ariſtotel. in ſexto moralium Nicomachio-
rum, cap. 12. Perionius vertit ingenium, nonnulli calliditatem,
alii ſolertiam: de qua hæc profert philoſophus. Eſt igitur vis
ſiue poteſtas, quam δεινότητα appellant, hæc autem eiuſmodi
eſt, vt ea, quæ ad ſcopum propoſitum pertinent, agere & conſe-
qui poſſit: ac ſi ſcopus quidem honeſtus ſit. laudabilis, ſin malus
ac turpis, πανουργία, hoc eſt, verſutia, eſt nominanda: ideo pru-
dentes, eoſdem δεινοὺς & πανούργους dicimus, &c. Hæc facultas
proculdubio ab ingenio diſtinguitur, & perperam à Perionio
ingenium dicitur, hæc enim facultas ea reſpicit, quæ ad actio-
nem pertinent, & in ea quaſi in animi oculo ingeneratur pru-
dentia: & longe deterius nuncupatur calliditas, cum nomen
calliditatis ei ſolum conueniat ob præpoſterum, & deprauatum
vſum, vt dixit philoſophus. Eſt igitur Δεινότης facultas congru-
enſque diſpoſitio ad ea agenda, quæ ad aſſequendum ſcopum
conducunt, ingenium autem maxime fulget in contemplatio-
ne, & attinentibus ad eam. Inſuper datur ἀγχίνοια, de qua loqui-
tur Ariſtot. in calce primi Poſt. inquiens, *eam eſſe celerem inuen-*
Solertia. *tionem medii termini*: hanc interpretes dicunt ſolertiam, & eſt
celeritas, ac dexteritas quædam in inueniendo medio, ſiue cau-
ſa rei. Hæc cum in parte conueniat cum ingenio, differt tamen,
quia

Digitized by Google

quia ſolertia ſolum poteſt dici differentia, & pars quædam ingenii: qui enim omni ex parte valent ingenio, etiam celeres, & dexteri ſunt, at non contra: multi enim ſunt celeres in inueniendo, qui mox iudicio ſunt deſtituti, ſine quo non ſeruatur ingenium. Præterea fit mentio frequenter ab Ariſtotele de ea facultate, quæ εὐφυΐα dicitur, & præſertim in tertio libro moralium Nicomachiorum, cap. 5. & in 8. Topic. loco 93. Interpretum nonnulli ingenium vertunt, Lambinus naturæ bonitatem, & bonam conſtitutionem beneficio naturæ, alii bonum ingenium. De hac facultate Ariſtot. in tertio moralium Nicomachiorum, cap. 5. diſputans aduerſus Platonem hæc profert. Et ſi appetitionem finis nemo ſibi ſuo arbitratu adoptare poteſt, ſed ita natus quiſque ſit oportet, vt quaſi aciem habeat, qua & recte iudicare, & id quod vere bonum eſt optare poſſit, & eſt εὐφυὴς, hoc eſt, (vt vertit Lambinus) bene informatus à natura, vel (vt alii) ingenio præditus, cui hoc naturæ beneficium inſitum eſt: rem enim maximam, & pulcerrimam, quamque ab alio neque conſequi, neque diſcere poſſit, ſed qualiſcunque à natura facta eſt, talem obtinebit, eamque bene & pulcre à natura factam, & compoſitam eſſe, ea perfecta, & vera fuerit εὐφυΐα, &c. In octauo autem Topicorum, loco 93. inquit, *Nam ad contraria accidit facere obſeruationem, ac ad cognitionem Philoſophicamque φρόνησιν non exiguum eſt inſtrumentum poſſe inſpicere, & inſpexiſſe, quæ ab vtraque accidunt ſuppoſitione, reliquum enim eſt, vt alterum horum recte eligamus: oportet autem ad id eſſe εὐφυῆ, hoc eſt, bene natura formatum, ſiue bono ingenio præditum, & hæc eſt reuera εὐφυΐα, poſſe recte eligere verum, & fugere falſum, quod quidem bene natura conſtituti valent efficere bene.* Cenſent nonnulli, vt Epiſcopus Caſerta in libris euerſionum ſingularis certaminis, ingenium apud Latinos idem eſſe, ac εὐφυΐαν apud Græcos, & addit ingenium in idem venire cum iudicio, quod κρίσις Græce dicitur, adeo vt εὐφυΐα, ingenium, & iudicium inter ſe non diſtinguantur. Rem autem ita ſe habere ex eo oſtendit, quia ea facultas, qua poſſumus ex multis rebus propoſitis eligere verum, & fugere falſum, dicitur iudicium, quod colligit ex quinto moralium Nicomachiorum. Ingenium autem eſt huiuſmodi, vt dicitur in octauo topicorum verbis nuper relatis: quare ingenium eſt iudicium, & quia iudicium pertinet ad facultatem cognoſcentem, in octauo autem Topicorum dicitur, *ingenium eſſe, poſſe recte eligere verum, & fugere falſum*, eligere autem, & fugere pertinent ad facultatem appetentem: ideo inquit Epiſcopus Caſerta; *vſurpari eo in loco electionem late pro approbatione, & adhaſione.* Sententia huius viri doctiſſimi, mihi (ne dicam falſa) apprime dubia eſſe

εὐφυΐα.

Opinio Epiſcopi Caſertæ.

Reiectio.

videtur. Primo non cenſeo verum εὐφυΐαν, & ingenium eſſe i-
dem, quoniam εὐφυΐα contrahitur per εὖ, hoc eſt, per bonum,
propterea non eſt indifferens, vt ingenium: hinc dicere poſſu-
mus ingenium tardum, ingenium prauum, at ſi εὐφυΐαν dicere-
mus prauam; pugnantia proferremus, ideo non inſulſe inter-
pres libri Topicorum εὐφυΐαν dixit bonum ingenium, ita vox
Latina rectius Græcæ reſpondet. Præterea ingenium, & iudi-
cium minime videntur eſſe idem: multi enim iudicio valent,
qui ingenio videntur tardi, & obtuſi. Præterea iudicium ſolum
pertinet ad vim cognoſcendi, εὐφυΐα autem etiam extenditur ad
vim appetendi, vt patet ex tertio moralium Nicomachiorum,
cap. quinto, per verba iam relata: per εὐφυΐαν enim, & recte iu-
dicamus, & bonum optamus. Ex quo conſtat, quod perperam
explicauit ſententiam verborum octaui Topicorum, cum dixe-
rit ibi vſurpari nomen electionis late pro approbatione verita-
tis: nam præter id, quod ea ſignificatio alieniſſima eſt ab vſu, &
proprietate nominis electionis, etiam manifeſte aduerſatur A-
riſtoteli, nedum in tertio moralium Nicomachiorum, verum
etiam in eodem octauo libro Topicorum, quo loci Ariſt. men-
tionem facit de philoſophica φρονήσει, cum dicat, conducere co-
gnitioni, & philoſophicæ φρονήσει: per cognitionem ſignificans
pertinentia ad iudicium veri & falſi, per φρόνησιν prudentiam,
quæ tunc eſt philoſophica, quando pendet ex contemplatione
veri: & dixit per bonum ingenium eligi verum, & declinari fal-
ſum, vt ſimul includeret pertinentia ad facultatem cognoſcen-
di & appetendi; bonum enim, & malum eiuſdem generis eſt
cum vero & falſo, vt dicitur in tertio de anima. 34 veluti etiam
in tertio moralium Nicomachiorum, vtrumque expreſſit, & iure
profecto: nam εὐφυΐα ſignificat bonam naturæ conſtitutionem,
tunc autem homo bene natura conſtitutus eſt, cum vt ad iudi-
cium veri & falſi, ita ad electionem, vel fugam boni & mali recte
ſe habet. Ex quo etiam patet, dubiam eſſe quorundam recen-
tiorum ſententiam aſſerentium, duplicem dari εὐφυΐαν, theori-
cam vnam, alteram practicam: de prima Ariſtotelem egiſſe in
octauo Topicorum, de altera in tertio moralium Nicomachio-
rum, cap. 5. nam philoſophus in vtriſque locis (vt dixi) tetigit v-
tramque partem eius. His accedit, quod ſecerni non poſſunt, ſi
enim vna pars ſeorſum ab altera reperiretur, non diceretur ho-
mo recte per naturam formatus & conſtitutus, εὐφυΐα igitur eſt
bona animi per naturam conſtitutio cum ad verum, tum ad bo-
num: & ideo non eſt eadem cum ingenio, quia ingenium eſt in-
differens ad bonum & malum, & ad recipiendas varias condi-
tiones: neque etiam eſt idem cum bono ingenio, quia hoc ad
ſolam pertinet cognitionem, bona autem animi conſtitutio
præci-

Εὐφυΐα non eſt ingenium: quia hoc latius patet.

Digitized by Google

præcipue reſpicit actionem, extenditurque ad appetitum, adeo vt cum iudicii, tum prælectionis rectam includat conſtitutionem.

Quid ſit ingenium, eiuſq; definitio. CAP. IV.

COmparaui hactenus ingenium cum variis animi facultatibus, quarum mentio fit apud Ariſtotelem, & apparuit re vera nullam earum eſſe, propterea, quid ſit, modo ſupereſt explicandum. Inquiunt nonnulli, ingenium eſſe habitum celerem, officii inuentorem. At hæc de ingenio non recte dicuntur, tum quia habitus animi aſſuetudine, vel ſtudio comparantur, ingenium nobis per naturam competit, tum quia ingenium non reſpicit officium, vel actionem, ſed attinentia potius ad iudicium, & cognitionem, tum demum, quia celeritas ſeruatur ſine iudicio, ingenium minime. Cicero in quinto de finibus dixit: *docilitas, memoria, quæ fere omnia appellantur vno ingenii nomine, eaſq; virtutes qui habent, &c.* Satis accommodate indicauit, quid ſit ingenium, non tamen exacte explicauit: prætermiſit enim iudicium, quod magis ingenium conſtituit, quam memoria: inuentionem, hoc eſt, facultatem inueniendi quoque ſiluit, per quam maxime fulgent ingenia. Inſuper memoria, & docilitas modo quodam competunt etiam iumētis & feris, vt dicitur in procemio Metaphyſicæ, quibus tamen ingenium proprie ſumtum non competit. Demum maxime commendatur ingenium, eo quod ſit ſublime, acutum, perſpicax, quæ minus proprie de memoria, & docilitate dicuntur. Dicamus igitur, quod cum ingenium nil proprie ſit eorum, quæ relata ſunt, ſed ſatis ſimile ſit nonnullis, ex variis eorum, tanquam ex conditionibus, perfectio eius cumulatiſſime conſurgit. Nam duo pręcipue ſunt de ratione ingenii. Primum, vt ſit ingenitum, naturaque inſitum: alterum, vt in facultate cognoſcente, non in appetente proprie verſetur: primum conſtat ex eius nomine, alterum ex communi vſu eius. Facultas cognoſcens eſt duplex, vna penitus rationis expers, altera modo aliquo ſiue ex ſe, ſiue per participationem rationis compos, & in hac locum habet ingenium. Cognitio cum ratione iuncta duobus perficitur, inuentione ſcilicet, & doctrina. Si inuentione perficitur, duo expoſcit, dexteritatem ac acumen ad inuentionem, & iudicium ad rectam inuenti approbationem. Si perficitur doctrina, ſimiliter duo expoſcit, docilitatem ſiue facilem apprehenſionem, ac iudicium, quibus omnibus plurimum conducit memoria. Adeo vt tria præſertim optimum ingenium conſtituant, memoria, acumen, & iudicium, ad quæ cætera rediguntur. Memoria ſuppeditat materiem: iudicium ei rectam tribuit formam: acu-

Opinio quorundam.

Cicero.

Quæ veniant nomine ingenii.

Opinio propria.

Duo de ratione ingenii.

Cognitio per duo perficitur.

men, & perſpicacitas ſunt tanquam ſpiritus, qui illuſtre, & viuum reddunt ingenium. Horum trium comes eſt docilitas: ideo Ariſtoteles in primo magnorum moralium, c. 6. inter attinentia ad rationem numerauit εὐμάθειαν, hoc eſt, rectam ad diſciplinas apprehendendas conſtitutionem. Hanc cenſeo ingenii eſſe definitionem, vt ſit conſtitutio per naturam earum animi facultatum, ad quas inuentio, & diſciplina proxime pertinet. Pro clariori explicatione conſiderandum, quod ingenium, quamuis potius in bonam partem vſurpetur, tamen etiam ad prauam extenditur, & dicitur ingenium obtuſum, tardum, deprauatum: & ideo non idem eſt ingenium, & bonum ingenium. Ingenium poteſt eſſe bonum, vel abſolute, vel in parte. Bonum abſolute ingenium eſt id, quod valet inuentione, apprehenſione, memoria, & iudicio. Ingenium bonum in parte eſt id, cui aliqua enumeratarum conditionum deeſt. Ingenium abſolute bonum ita definiri poteſt, vt ſit recta conſtitutio per naturam earum animi facultatum, quarum munus eſt apprehendere, & inuenire. In inuentione magis fulget ingenium, quam in diſciplina, quia inuentio cum difficilior, tum ſublimior eſt, quam diſciplina. Non eſt igitur ingenium vna ſola facultas, ſed ex conſpiratione multarum conſurgit. At oritur dubitatio, quia ego in præcedentibus numeraui facultates animæ, & plures prætermiſi, quarum loquens de ingenio mentionem feci. Pro ſolutione conſiderandum, in anima duplicem reperiri facultatum ordinem: primo enim in ea reperitur facultas operandi, ſecundo facultas bene, vel perperam operandi, alia enim eſt facultas videndi, alia facultas bene, & acute videndi. Prima facultas animam ſequitur, altera vero definitam affectionem, & conſtitutionem inſtrumentorum, & facultatum inſeruientium animæ. Prima facultas, vt cenſeo, non diſtinguitur ab eſſentia animæ, niſi ratione, quamuis D. Thomas ſecus iudicet: altera vero etiam prædicamento ſeiungitur. Dum enumerabam primo facultates animi, de facultatibus primi ordinis loquebar: dum vero in ſermone de ingenio facta eſt mentio de aliis facultatibus, dicendum eſt, eas eſſe facultates ſecundi ordinis, & eſſe facultates non agendi abſolute, ſed recte, vel perperam agendi, prodeuntes ex varia organorum diſpoſitione.

Definitio ingenii.

Ingenii abſolute boni definitio.

Ingenium in inuentione præſertim fulget.

Dubitatio.

Solutio.

1. Potentia animæ eſſentialis.

2. Potentia animæ naturalis in ſecunda ſpecie qualitatis. Illa eſt remota: hæc proxima.

De ingeniorum varietate. CAP. V.

QVoniam ingenium eſt quædam animi conſtitutio per naturam, in qua conſtitutione multæ inueniuntur varietates, propterea ingeniorum quoque formæ, & differentiæ variæ inſpiciuntur: quibus inter ſe, tum nationes variæ, tum homines varia-

variarum vrbium, tum demum illi, qui eiuſdem vrbis, eiuſdemque familiæ ſunt, diſtinguuntur. Hinc varii ad varia conſpiciuntur apti. Nonnulli valent in addiſcendis, alii in inueniendis diſciplinis. Quidam fulgent cōtemplatione, alii prudentia rerum agendarum. Inſuper nonnulli videntur natura Poetæ, alii Oratores, quidam Mathematici, & ſimiliter de cæteris, ſine qua cōgruente per naturam conſtitutione nil illuſtre effici poteſt. Permutatione autē locorum, aſſuetudinum, temperamentorum, ætatum, & ſimilium, etiam permutari ingenia, modo in melius, modo in deterius, experientia conſpicuum eſt: nam temperamenta plurimum valent, *mos eſt hominum Dæmon, at conſuetudo eſt altera natura.* Sed dignum conſideratione eſt, vnde nam ortum ducat diſtinctio hæc, & varietas ingeniorum? Origenes in commentariis in Timæum ait, *Atticorum ingeniorum probam cōſtitutionem ortum ducere à felicibus aſpectibus, influxibuſq; cœli & ſtellarum,* cuius ſententiæ etiam ſunt Aſtronomi: ideo inſpicientes conſtitutiones ſtellarum & cœli in natiuitate hominis, audent prædicere ingeniorum conſtitutiones. At hi cauſſam tradunt communem, diſtantem plurimiſq; varietatib. obnoxiam, & propterea vt plurimum tentantes futura prædicere, præſentem ſuam inſaniam patefaciunt: nos autem modo propriam & proximam quærimus cauſſam. Panætius propinquiorem cauſſam aſſignans dixit, id pendere ex temperie aeris: aer enim variis ſuis qualitatibus vario modo nos afficit. At hæc quoq; eſt cauſſa externa, neceſſitate carens: in eadem enim vrbe, eademque aeris conſtitutione, varia reperiri ingenia compertum eſt. Proclus & Porphyrius pręter loci qualitates tres aſſignarunt cauſſas potiores boni ingenii: primam eſſe dixerunt affectionem propriam animæ, ſiue per naturam ei competentem, ſiue per electionem: alteram, inſpirationem eorum numinum, qui animæ pręſunt: tertiam, cœleſtes influxus. Hæ cauſſæ, vt ſunt conſonæ fundamentis, & ſententiæ Platonis putantis animas definito ſideri reſpondere, & à proprio dæmone duci ac regi, ita longe diſtant á principiis, & fundamentis Ariſtotelis, qui hæc omnia, & præſertim duo poſtrema, ſpernit, & negligit. His accedit, quod ſtellæ & Dæmon, res ſunt externæ, nec ſunt ex numero conſtituentium facultates animæ, ingenium autem eſt conſtitutio quædam per naturam potẽtiarum animæ, vt apparuit. Propterea dicamus cœlum ſuo lumine & motu cauſſam eſſe communem, & diſtantem: Aeris temperamentum eſſe cauſſam propinquiorem, magiſq; propriam, externam tamen. Parentes adhuc proximiorem, magiſque internam, quatenus materiem, & formam proli tribuunt, & ex hac cauſſa ortum ducit vis nobilitatis, quatenus nobiles ſunt apti procreare filios faciles ad virtu-

De origine diſtinctionis ingeniorum.

Origenes.

Panætius.

Proclus, & Porphyrius.

Opinio propria, de cauſis varietatis ingeniorum.

Digitized by Google

tem. Proximam tamen, & magis propriam cauſſam ingenii eſſe temperamentum, cuius permutationem ſequitur permutatio ingenii. Hoc indicauit Ariſt. in 7. phyſ. cont. 20. & latius id expreſſit in 30. part prob primo: ideo in 8. metaph. cont. 10. dixit, *formam non recipere magis & minus, niſi quatenus in materie recipitur*, indicans, quod ſi homo vnus videtur magis rationis compos quam alter, id pendet ex varietate temperamenti & materiei. Quamuis enim diſtinctio formæ ſit potior cauſſa diſtinctionis materiei, quam contra: tamen, quia definita forma expoſcit determinatam materiem, & materies dicitur cauſſa ſine qua non & neceſſaria, vt patet ex calce ſecundi phyſicorum, ideo in genere materiei dicimus temperamentum, & indiuiduas corporis affectiones eſſe cauſſas varietatis indiuiduorum contentorum ſub ſpecie. At iure inſtabit aliquis, quia dictum eſt, ingenium pertinere ad eam animæ partem, quæ ex ſe rationis eſt compos, quæ pars nec à temperamento, nec á corpore pendet, & propterea temperamentum non debet ſtatui cauſſa varietatum eius. Pro ſolutione dicendum eſt, *ingenium verſari, & conſiderari in parte immortali non pendente à corpore, vt in principe, & potiore fundamento eius, in parte autem mortali, & præſertim in phantaſia, vt in famula & miniſtra, ſine qua nil intelligit homo.* Mens, quamuis pro ſui eſſentia non pendeat á corpore, ab eo tamen pendet pro ſuo fungendo munere: & propterea varietas ingeniorum non poteſt ſequi varietatem mentis (ea enim varietati non eſt obnoxia) ſed neceſſario ſequitur varietatem phantaſiæ, qua proxime vtitur. Et hoc recte nouit, & expreſſit Auerroes in 3. de anima, in calce com 20. inquiens: *Et per hunc intellectum, quem vocat Ariſtot. paſſibilem* (ſignificans cogitandi facultatem, quæ ad phantaſiam redigitur) *diſtinguuntur homines in quatuor virtutibus dictis in topicis, quas Alpharabius numerauit in elenchis, &c.* Latius etiam idipſum declarauit Ariſt. in ſeptimo Phyſicorum, cont. 20. inquiens: *ex eo enim quod requieſcit anima per moralem virtutem, ſapiens homo fit, & ſciens: ideo pueri nec diſcere valent, neque ſenſibus ita indicare vt ſenes, magna enim perturbatio, & motus in eis reperitur.* Et paucis interiectis addit, ex dictis patere alterari & alterationem fieri in ſenſilibus, & in ſentiente animæ parte: at in nulla alia, niſi ex euentu, &c. His verbis duo luculentiſſime manifeſtat philoſophus. Primum eſt, ingenii varietates omnes pendere ex temperamento, & conſtitutione corporum. Alterum eſt, varietatem officiorum mentis oriri ex varia affectione, & diſpoſitione facultatum ei famulantium. Et hæc de ingenio ſatis.

Inſtantia.

Solutio.

Mens quod attinet ad ſuam eſſentiam non pendet à corpore ſed quod attinet ad functionem muneris.

Propiores cauſæ variorum ingeniorum.

De hac

De habitu. CAP. VI.

QVoniam habitus cum virtutum, tum vitiorum eſt genus, propterea ad virtutem iure optimo principii locum obtinet, & primo declarandus occurrit. Nomen habitus varias habet ſignificationes. Nonnunquam enim ſignificat externos habitus corporis, in qua ſignificatione dicimus varios inueniri habitus religionum, variosque eſſe indumentorum habitus variarum nationum. Secundo vſurpatur frequenter apud Medicos pro conſtitutione corporis, in qua ſignificatione inquit Galen. in libro Hippocratis de morbis acutis, cont. 2 parte 47 *Hippocrates habitum dixit ſtruem coporis, compoſitionemque, vt qui raram, vel denſam habent texturam, &c.* Tertio vſurpatur nomen habitus pro prima ſpecie qualitatis contradiſtincta à diſpoſitione, quæ apud Ariſtotelem eſt qualitas cum difficultate mobilis: Apud Stoicos tamen habitus, & diſpoſitio in alia vſurpabantur ſignificatione, vt refert Simplicius in expoſitione primæ ſpeciei qualitatis. Sed quia nobis curæ debent eſſe res, non voces, ideo prætermiſſis Stoicis cum Ariſtotele dicamus, habitum eſſe qualitatem cum difficultate mobilem. Hæc qualitas, vel per naturam nobis conuenit, vel poſt generationem acquiritur: ſi acquiritur, vel pertinet ad corpus, vel ad animam. Habitus late ſumptus, de omni firma, & permanente qualitate dicitur, ſiue corporis, ſiue animi ſit: proprie tamen ſumptus, de ſola dicitur animi qualitate, ſiue ad appetitum pertineat, vt virtus moralis, ſiue ad facultatem cognoſcentem, vt ſcientia. Ideo iure Alexander, referente Simplicio in prædicamento qualitatis cenſuit, habitum proprie dici de qualitatibus animi: quod etiam affirmauit Ariſtot in ſeptimo phyſicorum, cont. 17. inquiens: *Habitus enim virtutes, & vitia ſunt.* Et oſtendens in prima ſpecie qualitatis motum non habere locum, id oſtendit de ſola virtute & vitio: & hoc rationi eſt conſentaneum: nam qualitates corporis ad tertiam vel quartam ſpeciem qualitatis pertinent, & albedo non dicitur diſtinctæ ſpeciei, eo quia firma, & permanens ſit. Habitus itaque proprie ſumptus, qui etiam inſtituto noſtro inſeruit, eſt qualitas animi, ſiue compoſiti munere animæ, difficile mobilis: addo, ſiue compoſiti: quia ſcientiæ, & morales virtutes non ſolius animæ ſunt, ſed compoſiti, vt in primo de anima, 65. monet philoſophus. Hi tamen habitus, dum ad animum referuntur, potius ſunt qualitates populariter, ac per communem vſum loquendi & denominandi, quam ex natura rei: re vera enim vt ad animum pertinent, & à tertia ſpecie qualitatis diſtinguuntur, rectius dicuntur relationes, vt alibi patefaciam, quam qualitates. In animo ſiue in compoſito munere animi quinque conſiderantur inter ſe ordine prædita. Primo facultates cum

Habitus varia ſignificat.

Prima ſignificatio.

Secunda ſignificatio.

Tertia.

Quarta.

Habitus proprie ad ſolum pertinet animum.

Scientia & virtutes ſunt compoſiti non ſolius animi.

In animo quinque inueniuntur ſubordinata.

Digitized by Google

operandi, tum bene vel perperam operandi. Secundo perturbationes. Tertio diſpoſitiones, & viæ ad habitum, qualis eſt continentia & tolerantia. Quarto habitus. Quinto actiones. Animi principes facultates duæ ſunt, vna appetens, altera cognoſcens, vtrique conueniunt habitus. Virtutes enim in more poſitæ, ſunt habitus facultatis appetentis. Virtutes autem rationales, facultatis cognoſcentis & ſeruantis. Acquiruntur habitus per iteratas ac repetitas operationes, conſimiles illis, quæ mox ex habitu prodeunt: quæ operationum repetitio debet eſſe maior vel minor, ratione variæ diſpoſitionis recipientis, & difficultatis formæ recipiendæ. Quamuis pro firmandis ſingulis habitibus ſit neceſſaria aliqua operationum repetitio: ea tamen ratione varietatis habituum varia eſt, & variis deſignatur nominibus. Nam habitus artium contrahuntur exercitatione in efficiendis operibus illius artis. Prudentia longo rerum vſu. Virtutes morales more, & aſſuetudine. Virtutes contemplationi dicatæ, ſtudio, diſciplina, repetitaque meditatione. Pro comparandis ſeruandiſque habitibus mentis ſummopere neceſſaria eſt memoria Pro habitibus vero appetentis facultatis etiam eſt neceſſaria, non tamen ita primo, ſed potius ſecundo loco, vt latius alibi explicabo. Habitus mentis contemplationi inſeruiens, eſt tanquam acies oculi, qua cuncta quamuis diſtantia, acute intuemur: proportione reſpondens facultati non ſentiendi, ſed bene ſentiendi. Habitus vero facultatis appetentis perinde ſe habet, ac natura intrinſecus ad bonum nos excitans, & hac ratione conſuetudo in naturam dicitur verti. Quod verum eſt, nō quia conſuetudo re vera in naturam verti poſſit, ſed ob quatuor alias cauſas. Prima eſt, quia conſuetudo habitum firmat non ſecus conſtātem, ac ſi eſſet natura. Secundo, quia per habitum ita prompte, & facile operamur, vt per naturam. Tertio, quia id non fit ſine aliqua temperamenti mutatione, quod nonnunquam late natura dicitur. Quarto, quia tunc in parte recte conſtitutam naturam æmulamur.

Habitus mentis tanquam acies oculi.

Cur dicitur conſuetudo in naturam verti.

An habitus ſit primum principium operandi.

Cap. VII.

HAbitum eſſe principium, quo recte vel perperam operamur, ſatis conſpicuum eſt. Pulcra tamen eſt dubitatio, & digna conſideratione: an cenſeri debeat primum operādi principium. Quod n. primum non ſit, oſtenditur, quia eſt accidens inhærens ſubſtantiæ, ab ea pendens quoad eſſe & operari: pendens autem ab alio principium primum iudicari non poteſt. Confirmatur exemplo artis medendi, quæ ex ſententia Galeni non eſt primum principium ſeruandi, vel recuperandi ſanitatem,

Quod habitus non ſit, primum principium operandi.

Digitized by Google

tem, ſed eſt inſtrumentum naturæ: ac ita patet, ceteras omnes artes naturam ſemper tanquam principem cauſſam ſupponere. Ex aduerſo, videtur eſſe cauſa prima, & primũ principium: quia tunc ſcimus, cũ cognoſcimus cauſam primam, principiumque primum, vt dicitur in principio primi phyſic. in primo poſterio. & ſæpe alibi: at ars ædificandi eſt cauſa ſumma & prima, per quã ſcimus attinentia ad ædificia, vt dicitur ab Ariſt. in ſecundo phyſic. 38. Quare ars, quæ habitus eſt, cenſeri debet principium primum: inquit enim Ariſtot. in ſecundo phyſic. 38. *Oportet ſemper cauſam vniuſcuiuſque ſummam quærere, vt homo ædificat, quoniam ædificator eſt: ædificator autem eſt per artem ædificandi, hæc igitur prior cauſa eſt, & ita in aliis.* Soluens difficultatem dico, principium poſſe iudicari primum duobus modis, vel ipſius operis abſolute, vel ea ratione, qua eſt artificioſum, & denominatum nomine alicuius habitus: prima conſideratione habitus non eſt principium primum, veluti etiam non eſt principium operandi abſolute, ſed eſt principium ſecundum, & eſt principium recte, vel perperam operandi: ſecunda autem conſideratione principium primum cenſeri debet. Quod abſolute habitus non ſit primum principium operationis, ita oſtendo. Pro efficienda (exẽpli gratia) ſanitate conſpirant ars, intellectus Medici, & natura laborantis: quæ cum non concurrant æque primo (non enim ſunt cauſæ eiuſdem gradus) eſt neceſſe, vt vnum primo, aliud ſecundo loco conſpiret. Dicere, quod mens ſiue natura ſint inſtrumenta artis, abſurdum eſt, non enim ſubſtantia eſt inſtrumentum accidentis, vel cauſſa ſecunda eius: quare eſt neceſſe vt dicamus, in Medico curante mẽtem eſſe principium primum, in laborante naturam; artem vero eſſe cauſam ſecundam contrahentem primam ad definitum modum operandi. Quod confirmatur, quia cauſa ſecunda non poteſt operari ſine prima, at prima poteſt ſine ſecunda: cum autem mens, & natura operentur ſine habitu, non autem habitus ſine eis, conſpicuum eſt, habitum abſolute non poſſe ſtatui, & iudicari cauſſam primam. Verum cum non ſit cauſa prima, ſed potius ſecunda, & tanquam inſtrumentum; eſt tamen tanquam regula, & menſura actionis primæ cauſſæ: & mediat inter primam cauſam & finem, non ſecus ac idea ex ſententia Academicorum mediat inter efficientem & finem, cum ſit mẽſura, regula & recta ratio, qua prima cauſa operatur. Et cum cauſa ſecunda, & inſtrumentum in parte conueniant, adeo vt omnis cauſa ſecunda modo aliquo dicatur inſtrumentum primę: tamen inſtrumentum proprie ſumtum diſtinguitur à cauſſa ſecunda, quatenus cauſa ſecunda prædita eſt virtute aliqua propria, ob quam aliqua ratione cauſa prima dici poteſt: veluti homo eſt cauſa prima, ob quam hic, qui generatur, homo ſit, quod

Quod ſit cauſa prima.

Solutio difficultatis.

Oſtenditur habitum non eſſe primam cauſam.

Diſtinguitur inſtrumentum à cauſa ſecunda.

Digitized by Google

Habitus magis conuenit cum cauſſa ſecunda, quam cum inſtrumento.

inſtrumento non competit. Hinc euenit, vt per ſecundam cauſam contrahatur actio primæ, tanquam communis, ad aliquod proprium opus. Propterea habitus magis conuenit cum cauſſa ſecunda, quā cum inſtrumento: quia per habitum operatio quæ eſt indifferens, contrahitur ad probam vel improbam, & eſt recta operandi ratio, quod inſtrumento non competit. Quod autem ars, omniſque habitus ſint primum principium operandi, quatenus opus eſt artificioſum, & nomine alicuius habitus denominatum, ſatis conſtat: quod enim aliquis ſaltet arte, canat, ædificet, curet, ab alio non habet, niſi ab arte, & propterea Ariſt. in 2. phyſic. cont. 38. artem ædificandi nuncupauit primam cauſſam. Ac ita vtrumque verum eſt, & habitum eſſe principium primum, & non eſſe principium primum, & apparet, Ariſtotelem ſibi non contradicere, cum modo vnum, modo alterum affirmet, vt patet ex 2. phyſ. nec non ex 10 Metaph.

Quomodo habitus ſit prima cauſa.

Conciliatio.

Signum contracti habitus.

Signum contracti habitus eſt hilaritas, facilitas, & conſtantia in obeunda ſui muneris functione: dum enim expedite, prompte, ſine interna pugna, & conſtanter operamur, dicimur operari habitu; dum autem ægre, cum hæſitatione & inconſtanter, tunc habitu caremus.

Dubitatio.

At oritur dubitatio, quoniam difficultas reddit opus magis præclarum, dicitur que augere meritum, ideo Plato aſſeruit præclara omnia eſſe rara & difficilia. Si igitur operari habitu eſt, operari ſine difficultate, operari autem ſine habitu eſt operari cum difficultate, colligere valemus functionē, muneris ſine habitu præſtantiorem, & magis gratam eſſe, quod tamen videtur abſurdum.

Solutio.

Reſpondeo, difficultatem functionis ſui muneris eſſe duplicem, vnam prodeuntem ex obiecto & fine; alteram ex affectione & conſtitutione efficientis: prima difficultas reddit opus præſtantius, & auget meritum, ſecunda vero minuit.

An habitus ſit qualitas, vel potius relatio.

CAP. VIII.

Ariſtot ſibi conſtare non videtur.

DIctum eſt in præcedentibus, habitum eſſe qualitatem animi difficile mobilē, exercitatione, vel ſtudio comparatam, quod profecto dubitatione non caret: præſertim, quia Ariſtot. ſibi conſtare non videtur. Nonnunquam enim aſſerit habitum, & diſpoſitionem conſtituere ſpeciem primam qualitatis: aliquando inquit eſſe ad aliquid, vt in 7. phyſic. præſertim cont. 18. nonnunquam mediat. & inquit: *genera habituum eſſe ad aliquid, vt diſciplinam, ſcientiam, & ſimilia*: ſpecies vero, vt Grammaticam, Geometriam, & ſimiles, non eſſe ad aliquid, quemadmodum aſſeruit in prædicamento qualitatis. Nec videtur communis ſolutio ſatisfacere; inquiunt enim, habitum diſtincta ratione eſſe ad aliquid, & qualitatem. Nam ſi id eſſet, cur genera dicerentur

Communis ſolutio.

cerentur ad aliquid, ſpecies vero minime? præſertim cum dicatur in topicis: *ſi genus eſt ad aliquid, ſpecies quoque eſſe ad aliquid.* Præterea ſi id eſſet verum, erraſſet philoſophus in 7. phyſ. cont. 17. dum oſtenſurus in prima ſpecie qualitatis non eſſe motum, id ex eo oſtendit: quia habitus ſunt virtutes & vitia; virtus autem omnis, & vitium eorum ſunt, quæ ſunt ad aliquid, ac ea, quæ ſunt ad aliquid, nec ſunt generationes, nec per ſe termini generationis & motus. At ſi habitus aliqua ratione eſſet qualitas, dicerem ego, quod vt qualitas poſſet eſſe per ſe terminus generationis & motus, adeo vt ratio Ariſtotelis omnino eſſet inanis. Præterea Ariſtot. in cont 20 eiuſdem ſeptimi phyſic. aperte oſtendit, habitus mentis non eſſe qualitates, ſed in ſola relatione eſſe poſitos, inquit enim: *Vt igitur cum dormiens excitatur, non dicitur factus ſciens, quamuis prius non valuerit vti ſcientia, ſed ſolo impedimento remoto ſciens apparet: ita qui à principio acquirit ſcientiam per ſolam remotionem perturbationis redditur ſciens, &c.* Aperte his verbis philoſophus manifeſtat in adeptione habitus nil noui in mente acquiri: quare habitus mentis ſola relatio eſſe videntur. Propterea ſoluens difficultatem dico, habitus animæ duplices eſſe: vel enim pertinent ad appetitum ſentiendi, vt virtutes morales, vel ad mentem, vt habitus rationis: ſi pertinent ad appetitum ſentiendi, proculdubio aliqua ratione ſunt qualitates alia ſunt ad aliquid: ſunt qualitates, quatenus ſunt moderationes perturbationum, & congruentes affectiones appetitus ſenſuum, per quas homo denominatur qualis: ſunt ad aliquid, quatenus omnis habitus alicuius eſt habitus, ac ita ad id referuntur, cuius habitus dicuntur. Inſuper relationem includunt, quatenus virtutes ſunt media congruentem rationem includentia, quæ congruens ratio relatio eſt, & ſunt commenſurationes quædam non ſecus, ac ſanitas & pulcritudo, vt dicitur in ſeptimo phyſic. cont. 17. Si vero altera ex parte habitus pertinent ad mentem, quales ſunt habitus rationis, ſcientia ſcilicet, ſapientia, & alii: hi habitus ad duo poſſunt referri. Vel enim referuntur ad vim imaginandi, cui iuncta eſt memoria, & ita ſunt modo aliquo qualitates impreſſæ, & ſeruatæ in memoria, qua conſideratione dixit Ariſtot. in anteprædicamentis: *ſcientiam eſſe in anima, vt in ſubiecto, & conceſſit adeptionem eius eſſe motum:* vt patet ex tertio phyſicorum, cont. 8. & ex octauo phyſicorum, cont. 40. & in ſeptimo phyſicorum, cont. 20. aſſeruit ad partem ſentientem pertinere motum: & iure profecto, cum ſit iuncta corpori, & vtatur inſtrumento corporeo. At ſi habitus referuntur ad mentem: quia mens diuina eſt & immortalis, non pendet à corpore, nec vtitur inſtrumento corporeo: ideo ex ſententia Ariſtotelis nil valet denuo recipere, nec mortali accidenti

Propria ſolutio.

nata eſt ſubiici, ſed ſolũ valet obiecta iudicare: ideo habitus ad mentẽ relati nõ ſunt qualitates, ſed pura relatio: qualitates nõ ſunt, quia mens ex ſentẽtia Ariſtotelis nulli accidenti ſubiicitur: dicuntur autem relationes, quoniam, vt mens recte iudicet, ſat eſt ex parte phantaſię congruens phantaſmatum repręſentatio, ex parte mentis congruens eius ad phantaſmata relatio, vt philoſophus affirmauit in ſeptimo phyſicorum, cont. 20. Ex his patet reſolutio difficultatis: conſtat enim habitus relatos ad mentem tantum eſſe relationes; relatos vero ad partem animæ ſentientem, partim eſſe qualitates, partim relationes. Id autẽ, quod ab Ariſtotelę dicitur in prædicamento qualitatis, quod genera habituum, veluti ſcientia & diſciplina, ſint ad aliquid, ſpecies vero minime; putandum eſt fuiſſe dictum ob communem vſum loquendi, non autem quia vera, & propria eorum natura, & cõditio ea ſit: & ratio eſt, quia nomina generum depromta ſunt ex eis, quæ magis præ ſe ferunt relationem, quam nomina ſpecierum. Hinc Ariſt. eo in loco nõ cõtentus ea ſolutione alterã dedit inquiẽs: *rẽ eandẽ diſtincta ratione, & qualitatẽ & relationẽ dici poſſe.*

Reſolutio diffi-cultatis.

Dubitatio. At vna adhuc ſupereſt diluenda dubitatio, ea eſt hæc: quod ſi habitus modo aliquo eſt qualitas, & motus attingere poteſt partem animæ non intelligentem, ſed ſentientem, vt dicitur in cont. 20. ſeptimi phyſicorum; tunc motus poterit pertinere ad primam qualitatis ſpeciem, cuius oppoſitum in eo ſeptimo libro phyſicorum nititur oſtendere philoſophus: nam oſtendit motum ſolum pertinere ad tertiam ſpeciem, quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas.

Solutio. Profecto hæc dubitatio per communem ſententiam expoſitorum Ariſt. dilui minime poteſt. Propterea accurate rem hanc conſiderans, cenſeo eſſe dicendum, non quatuor, ſed duas tantum eſſe ſpecies qualitatis.

Species qualitatis non quatuor, ſed duæ ſolæ ſunt.

Secunda ſpecies, quæ eſt potentia, vel impotentia, reiicienda eſt, quoniam potentia (vt alibi latiſſime declaraui) à ſuo fundamento non diſtinguitur: propterea, ſi fundamentum fuerit ſubſtantia, quale eſt fundamentum potentiarum animæ, & primæ materiei, ea quoque erit ſubſtantia: ſi fuerit qualitas de tertia ſpecie qualitatis, ſimiliter potentia ad eam redigetur, non autem conſtituit ſpeciem diſtinctam. Habitus quoque, & diſpoſitio re vera diſtinctam ſpeciem qualitatis non conſtituunt: quoniam hæc dupliciter conſiderantur, vel abſolute, vt habitus & diſpoſitio, & ita ad relationem pertinent, vt in ſeptimo phyſicorum, cont. 17. & ſequentibus patefecit Ariſtot. vel vt talis qualitatis habitus; & ita non vt habitus, ſed vt eſt talis qualitatis, ad qualitatem pertinebit: quæ ſi fuerit qualitas de tertia ſpecie qualitatis, vt color firmus & conſtans, ſimiliter ſanitas, ad tertiam ſpeciem qualitatis pertinebit, & ad eam redigetur: nam eſſe facile, vel

difficile

Digitized by Google

difficile mobile, qualitas non eſt, ſed modus, quo qualitas, vel aliud aliquid, veluti figura, & quantitas, ineſt ſubiecto. Hinc Ariſt. in ſeptimo phyſicorum, de ſecunda ſpecie qualitatis mentionem non fecit, vt neque etiam in quinto metaphyſicæ, cont. 19. quo loci qualitatis ſignificationes enumerauit: de habitu autem, & diſpoſitione dixit in ſeptimo phyſicorum eſſe ad aliquid: in quinto autem metaphyſicæ, cont. 19. dixit: *Virtus & vitium paſſionum pars quædam eſt.* Quibus verbis indicauit, quod habitus animi, quatenus qualitates ſunt, ad paſſiones conſtituentes tertiam ſpeciem qualitatis rediguntur. Similiter in prædicamẽto qualitatis dixit, paſſiones & paſſibiles qualitates ita dici, vel quia ex aliqua perpeſſione conſurgunt, vel quia perpeſſionem inferunt in noſtros ſenſus. Idipſum colligitur ex ſeptimo phyſicorum, cont. 20. quo loci philoſophus epilogo ſuam ſententiam colligens dixit: patet itaque, quod alteratio eſt in ſenſibilibus & in ſenſitiua animæ parte, &c. Dixerat prius, motum non eſſe in habitu, & diſpoſitione, mox colligit eſſe in ſenſibilibus, & ſenſitiua animæ parte: indicans, quod virtutes, ſcientiæ, & demum animi habitus, vt pertinent ad facultatem ſentientẽ, qualitates ſint, & redigantur ad eam ſpeciem, ad quam pertinent ſenſilia, nempe ad tertiam, & iure profecto: nam ſunt receptiones ſenſiliũ, & ipſamet ſenſilia in eſſe cognito, & per repræſentationem, nec ſine ſpirituum, & corporea aliqua mutatione recipiuntur. Ex his colligo primo, duas tantum eſſe ſpecies qualitatis, non quatuor, vt eſt communis ſentẽtia: colligo ſecundo, habitus & potẽtias, dum qualitates ſunt, redigi ad tertiã ſpeciem, & ita ad eam pertinere alterationem: colligo tertio, Ariſtotelem in prædicamẽtis ſolum populariter de rebus fuiſſe loquutum, vt fatentur etiam Græci expoſitores: nam habitus & potentia, ſolum extrinſecus, populariter, & per modum denominationis conueniunt cum qualitate: demum conſtat reſolutio vniuerſæ difficultatis. Et hæc ſatis de habitu vniuerſe ſumto. *Quatuor ex dictis colliguntur.*

De more, aſſuetudine, exercitatione & actione.

Cap. IX.

QVoniam ciuilis ſcientia in humanis verſatur actionibus, quæ cum more, aſſuetudine & exercitatione ſummopere ſunt complicatæ, quorũ trium frequenter fit mentio, & pro virtutis adeptione ſunt neceſſaria: ideo de his quoque tenemur verba facere. De more in præcedentibus aliquid dixi: nunc tamen, vt inſtituto meo inſeruit, breuibus nonnulla reperam, nõnullaque ſuperaddam. Mos, Græce ἦθος, dum late vſurpatur, duplex eſt, externus & internus. Mos externus eſt actio ex interno more prodiens: quæ vel præcurrit habitum, ob quã dicimus *Mos.*

Digitized by Google

virtutum more acquiri, vel habitum ſequitur. & hæc rectius mos dicitur. Mos internus etiam eſt duplex, vel enim per naturã nobis competit, vel aſſuetudine acquiritur: ſi per naturam, vel eſt communis vniuerſæ ſpeciei, vel ſingulorum eſt proprius. Si acquiritur aſſuetudine, vel eſt conſtans, vt habitus, vel inconſtans, & eſt diſpoſitio. inſuper, vel eſt probus, vt virtus, vel improbus, vt vitium. Et quamuis nomen moris extendatur nonnunquam ad iumenta & feras; proprie tamen illi ſoli iudicandi ſunt mores, qui cũ ratione iũcti ſunt, & ratione formati, ac corrigi poſſunt, ob quos homines vel commẽdatione, vel vituperio redduntur digni: & hi ſunt, qui noſtro inſtituto inſeruiunt. Aſſuetudo, græce ἔθος, dicitur ea exercitatio, actionumque repetitio, qua mores gignuntur: ideo inquit Ariſt in ſecundo moraliũ Nicomachiorum ſub initio: *quod virtus ἠθικὴ aſſuetudine gignitur, quæ ἔθος dicitur, à qua nomen etiam recipit, mutata prima litera.* Hæ namq; duæ voces ita ſe habent, vt propria ſignificatione ἦθος denotet qualitatem, quæ generatur; ἔθος vero id, per quod generatur, & dicitur aſſuetudo: q & frequenter (vt nuper dixi) nuncupatur mos, ſumto nomine a fine, ſiue eo quod gignitur. Et quemadmodũ mos, ita aſſuetudo proprie tantum hominis eſſe dicitur ratione vtentis. Exercitatio, Græce ἄσκησις, vox latior eſt: nam dicitur de omni operationum repetitione pro firmando, ſiue ſeruando habitu aliquo. Ita datur exercitatio corporis, pro acquirenda, vel ſeruanda bona valetudine: datur exercitatio præludiorũ artis, pro acquirendo habitu artis: exercitatio moralis, quæ ἔθος dicebatur: exercitatio Rhetorica, Dialectica, & ſic de ceteris. Vſus etiam, & experientia variarum rerum pro comparanda prudentia, nonnunquam exercitatio nuncupantur, quamuis minus ꝓprie. Demum datur operatio, Græce ἐνέργεια, quæ & actio, & effectio eſſe poteſt: de quarum diſtinctione alius occurret diſſerendi locus, nunc de ſolo genere agam. Hæc operatio ab Ariſt. in 2. de anima nuncupatur actus ſecundus, pendet enim à forma, eiuſque eſt idolum, & imitatio quædam, forma autem eſt actus primus. At de actione loquendo, quę tantum inſtituto inſeruit, ea eſt duplex, vna interna, altera externa: nam ad perficiendam actionem tria conſpirare debent, ſcire, velle & poſſe, ex primis prodit actio interna, ſi adeſt tertium, prodit externa actio, vna ſine altera imperfecta eſt. Inſuper vtraque actio adhuc duplex eſſe poteſt, vna præcurrens, altera ſequens habitum: prima imperfecta & incõſtans, altera firma & perfecta eſt: prima parit habitũ, altera paritur ab eo: prima eſt cũ pugna & labore, altera cũ alacritate & facilitate. Demum in actione ſex gradus cõſiderari poſsũt. Primus & optimus eſt bene agere: ei ſuccedit indifferẽter agere: ſequitur tertio otioſum eſſe: quarto aliud agere, & eſt ſine atten-

Aſſuetudo.

Exercitatio.

Operatio ſub qua actio.

Tria conſpirare debent pro perficienda actione.

Sex in actione gradus.

Digitized by Google

attentione operari, vel laborare pro alio. His ſuccedit quinto nihil agere, & eſt in rebus inanibus tempus conſumere, de quo dixit Cato, *ſatius eſſe otioſum eſſe, quam nihil agere.* Deterrimum tandem eſt male agere. Dixit Seneca epiſtola prima: *magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Nos autem dicamus à bene agentibus vitam perfici, ab indifferenter agentibus ſine fructu protrahi, ab ocioſo negligi, ab aliud agentibus in alterius vſum commutari, à nihil agentibus inutiliter conſumi, à male agentibus peruerti, in viuamque mortem commutari.

An actiones præcurrentes, & ſequentes habitum ſint eiuſdem ſpeciei. CAP. X.

ACTIONVM nonnullæ dicuntur anteuertere habitum, aliæ ſequi: quæ cum ſint valde ſimiles, iure dubitationem pariunt, an eiuſdem, vel diſtinctæ ſpeciei ſint. Nonnulli aiunt loquendo de actionibus moralibus, quæ inſtituto noſtro inſeruiunt, eas eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris, ſolum differre ex parte prælectionis bonæ, vel malæ: nam ſi bona fuerit prælectio, ſemper actio dicitur bona, ſi ea mala, hæc mala: ac ita actiones viri continentis, & temperati ſeu temperantes eaſdem eſſe ſpecie exiſtimant. Idque confirmant, quia actiones formam conditionemque recipiunt à fine, finis præcedentium, & ſequentium actionum idem eſt, bonum ſcilicet honeſtum, in viro continente mox temperato, quare actiones eiuſdem ſunt formæ, ſiue ſpeciei. Hanc ſententiam non cenſeo veram. Primo, quia actus ſecundus oritur ex primo, ac (vt dixi) eſt imago, & tanquam idolum eius: ideo ab Ariſtotele in ſeptimo metaphyſicæ, ars medendi dicitur modo aliquo ſanitas: quare ſi primi actus ſunt diſtincti ſpecie, vt vere diſtincti ſunt, dum ſine habitu, & cum habitu homo operatur, vt ſecundi quoque diſtinguantur ſpecie, neceſſe eſt. Præterea illæ actiones diſtinguuntur definitione, quare & ſpecie, definitio enim explicat rei ſpeciem: quod diſtinguantur definitione, patet, quia definitionem ſecũdi actus ingreditur primus. Præterea actio moralis pro forma eam proxime conſtituente, & perficiente habet modum, quo fit: at modi ſunt ſpecie diſtincti, quare & actiones. Modos eſſe ſpecie diſtinctos, oſtenditur, quia actio præcurrens habitum iuſtitiæ, dicitur actio iuſta, ſed non iuſte facta, quia non includit conditiones, quæ requiruntur vt iuſte fiat: actio autem ſequens nedum eſt iuſta, verum inſuper eſt iuſte facta. Modi igitur ſunt diſtincti, & propterea forma, & ſpecies actionis diſtincta erit. Hinc actiones præcurrentes dicuntur imperfectæ, nec alia de

An actiones præcurrentes, & ſequentes habitum ſint eiuſdem ſpeciei.

Opinio quorundam.

Digitized by Google

cauſſa, niſi quia eis deeſt vltima differentia, ad modum, & circumſtantias pertinens: vltima autem differentia dicitur tota rei eſſentia ab Ariſtotele ſeptimo metaphyſicorum cont.43. Præterea actio dicitur moralis, præſertim quia pendet ex habitu morali, more, & aſſuetudine comparato, quo cum careant actiones præcedentes, ſolum æquiuoce morales nuncupabuntur. Propterea dicendum cenſeo, huiuſmodi actiones morales ſolo genere proximo conuenire, vltima tamen ſpecie differre. Pro cuius notitia, & explicatione conſiderandum eſt, actionem duo includere, vnum perinde ac materiem, alterum tanquam formam: primum idem eſt, diſtributio enim pro iure vnicuique eſt id, quod in actione iuſtitiæ obtinet locum materiei: id autem, quod obtinet locum formæ, eſt duplex, vel remotum, vel proximum: è longinquo formant actionem ratio, prælectio, & finis vniuerſe ſumta, & ideo per hoc illæ actiones non diſtinguũtur: proxime autem formantur à modo, quo fiunt, & præliguntur. Et quia præcurrentes ſunt abſque conſtantia, & cum interna pugna perturbationum, ſequentes cum conſtantia, & moderatione perturbationum, ideo diſtinguuntur proxima forma, & ſpecie: ratione cuius diſtinctionis vna actio dicitur virtutis actio, altera minime, vna iuſta tantum, altera etiam iuſte acta: adeo vt diſtributio pecuniæ pauperibus (exempli gratia) poſſit eſſe trium ſpecierum, vitioſe facta, ex virtute prodiens, & media: vitioſe facta erit, dum fiet ab hypocrita vt decipiat, prodibit ex virtute, ſi fiet habitu liberalitatis: erit media, dum fiet ſine habitu virtutis, vel vitii: poteſt tamen dirigi, vel ad hunc, vel ad illum habitum, ac ita magis cum vna, quam cum altera extremarum conueniet. Colligamus igitur, actiones antecedẽtes, & ſequentes, extrinſecus conuenire, intus differre, conuenire genere, & forma remota, differre proxima. Rationem aduerſam facile eſt diluere: inquiunt prælectionem, & obiectũ non differre, quare neque actiones. Reſpõdeo, actionem proxime formari à modo prælectionis: prælectio, quamuis non differat ratione materiei, hoc eſt, rei quæ præeligitur, differt tamen ratione formæ, hoc eſt, modi quo præeligitur, à quo modo, tanquam à forma actiones morales formantur, & conſtituuntur.

Propria ſententia.

Diluitur aduerſa ratio, ex diſtinctione rei & modis.

In quo genere cauſæ præcurrentes actiones conſtituant habitum. Cap. XI.

REPETITIS, ac iteratis actionibus gigni habitum, nemo eſt qui dubitet. è quo tamen genere eius ſint cauſſæ, dubitant omnes. Quod vt lucidius explicetur, exactiorque actionum notitia conſurgat, conſiderandi ſunt gradus, per quos vel motum

com-

Digitized by Google

conſtituimus, vel morales edimus actiones. Hi gradus & plures & pauciores ſtatui poſſunt; cenſeo autem ego cõgruenter ad hos decem redigi. Primo enim per externos, communemque ſenſum, ac proxime per phantaſiam, menti offeruntur excitantia ad notitiam vltimi noſtri finis. Qui ſecundo à mente iudicatur notitia abſoluta, & ratione veri. Tertio iudicatur vt bonum nobis, & noſtra poſtrema perfectio. Quarto inde conſurgit voluntas, quæ eſt ipſius finis. Hi quatuor gradus referuntur ad id, quod à nobis actione attingendum eſt. Sequuntur mox gradus attinentes ad modum: nam quinto conſurgit conſultatio, & ratio de mediis, per quæ ad finem nobis eſt properandum, qua conſultatione vnum alteri præferimus, & ſententiam de approbato pronuntiamus. Quæ ſententia ſexto loco imaginatione concipitur, & hæc eſt ea phantaſia cum ratione, de qua loquitur Ariſt. 3. de anim 57 perperam à multis explicata. Septimo loco ſequitur aſſenſio, & patefactio, quæ in viro continente eſt cũ pugna appetitionis ſenſuum, in temperato autem eſt ſine pugna. Octauo phantaſia vt dux proximus, & appetitio præelecti medii, cum ſint medium illud in eſſe cognito, & optato, ac ſeruent facultatem eius, alterant ſpiritus cordis, vel condenſando, vel rarefaciendo, ac ita vel trahendo, vel pellendo neruos, muſculos, & inſtrumẽta, motus excitant. Inde nono prodit motus, & externa actio, per quam decimo, & poſtremo, ſi finem aſſequimur, voluptate afficimur, ſi de eo fruſtramur, triſtamur: omnis enim noſtra actio & motus, vel eſt proſecutio, vel fuga, vt docet Ariſt. 3. de an 46. Ex his conſtat, quomodo intelligi debeat diuiſio moralis actionis in externam, & internam: actio enim externa includit omnes enumeratos decem gradus, interna vero finem recipit in gradu ſexto, in ſententia nempe, & imaginatione, & dum deſunt vires pro exſecutione, in interna aſſenſione, & congruente animi diſpoſitione pro præelectione, præelectio tamen non abſoluitur, quia præelectio eſt eorum, quæ in noſtra ſunt facultate, in incontinente autem nec exacta aſſenſio adeſt, nec congruens diſpoſitio ad præeligendum, ob aduerſam, & præpotentem appetitionem ſenſuum. Et quia facta eſt mentio de aſſenſione, de qua à multis multa dicuntur, propterea pro conſpicua reſolutione conſiderandum eſt, quod aſſenſio duplex eſt, vna attinens ad veritatem, altera ad actionem, ea nobis cõpetit, quando ratione nedum colligimus concluſionem, verum inſuper eam, vt veram approbamus, eique aſſentimur, cui opponitur ea diſſenſio, de qua inquit Plato in calce Hipparchi, nonnullas rationes cogere, & non ſuadere; cogunt; dum eas diluere nõ valemus; non ſuadent, quia concluſioni nõ aſſentimur. Altera aſſenſio ad actionem pertinẽs competit ho-

Decem gradus in actione conſiderandi.

Omnis actio vel eſt proſecutio, vel fuga.

Diuiſio actionis per internam, & externam.

Aſſenſio duplex.

mini, dum ſenſus rationi cedit, eique ſuccumbit, & inde conſurgit prælectio, in qua aſſenſione refulget humana libertas, & ſedem principalem habet meritum, & demeritum noſtrarum actionum, cui aduerſatur diſſenſio, & victoria ſenſus: vt in incōtinēte: nam aſſenſio nobis competere poteſt, vel abſolute, vt viro temperato, vel cum aliqua pugna, vt viro continenti. Et dum dicimus, *video meliora, proboque, deteriora ſequor*: indicamus nobis competere aſſenſionem primam veri, ratione comprobati, deeſſe ſecundam. Per huiuſmodi itaque iteratas actiones, cum internas, tū externas, & præſertim per iteratas aſſenſiones, formatur habitus in appetitu ſenſuum: qui cum primo tergiuerſetur rationi, aſſueſcit non tergiuerſari, ſed ſponte ei obtemperare, & famulari. His præaſſumtis dico, pręcurrentes actiones partim eſſe cauſſam efficientem principalem habituūm, partim cauſſam ſecundam, partim inſtrumentum, ac diſpoſitionem præuiam. Nam ſi actio conſideretur, vt pertinet ad mentem, voluntatem, rationem, aſſenſionem, ac conſultationem, ita profecto eſt cauſa efficiens, & principalis: hęc enim in formāda actione ſe habent conſultoris inſtar, & ducis, qui dicuntur ab Ariſtotele in ſecundo phyſ. 31. & in 7. de repub. cauſæ primæ, primaque principia motus. At ſi actio præcurrens cōſideretur, vt eſt phantaſiæ, & appetitionis, dicitur cauſa ſecūda, & proxima. Demum ſi conſideretur, non ratione principiorum eius, ſed ratione propria, vt actio eſt: tunc, ſi refertur ad principia, dicitur inſtrumentum, quo ſubordinata agentia habitum pariunt: ſi vero refertur ad appetitum ſenſuum, ſic ex ea conſurgit diſpoſitio ad futurum habitum, quæ diſpoſitio per ſuperuenientem habitum nō proprie deſtruitur, ſed potius perficitur. Varia itaque conſideratione actio, quæ habitum præcurrit, dici poteſt tum cauſa prima, tum ſecunda, tum inſtrumentum, tum demum diſpoſitio, quæ in habitum vertitur.

Quomodo actio producat habitum.

Quid ſit agere ſponte, inuite, non ſponte, per vim, inſcientem, & per inſcitiam. CAP. XII.

PRO recte iudicandis, riteque formandis humanis actionibus, ſummopere neceſſarium eſt de rebus propoſitis notitiam habere: propterea Plato, & Ariſt. in libris ad ciuilem philoſophiam pertinentibus de eis accurate diſſeruerunt. Et vt clarius pateat, quid ſit agere ſponte, ab eo, quod inuite eſt agere, ordiendum eſt. Dico igitur, ꝙ agere inuite eſt operari, vel vi coactum, vel per inſcitiam, adeo vt inuite agere dupliciter contingat. Ratio autem huius duplicis acceptionis eſt, quia ſponte, vel ſequitur naturam rei, vel lapis ſponte deſcendit, vel ſequitur cognitionem: propterea inuite erit, vel per vim, vel per inſcitiam. quorum

Quid ſit agere inuite.

Digitized by

quorum primum aduerſatur naturæ, alterum cognitioni: & de vtroque modo agendum eſt. Vt autem conſtet, quid ſit operari vi, primo vniuerſe de violento loqui debemus. Violentum definitur ab Ariſtotele quod ſit id, cuius principium eſt extra, & id, quod agit vel patitur, ad id non conſpirat, veluti ignis ab externo impellente vi fertur deorſum, & terra ſurſum. Dum autem ignis tendit ſurſum, quamuis extrinſecus cum à generante, tum à remouente impedimentum dicatur moueri, tamen natura, non vi fertur, quia ad huiuſmodi motum ſui natura conſpirat, & adiumentum affert. Cœlum etiam, quamuis moueatur à ſeparato motore, tamen natura in orbem fertur, quia ad huiuſmodi motum eſt facile, & procliue; cum enim cœlum pendeat ab intelligentia, etiam vna conſpirat ad motum prodeuntem ex ea. Alter modus agendi inuite erat per inſcitiam. Pro cuius notitia conſiderandum primo, quod aliud eſt agere per inſcitiam, & virum inſcientem agere. Agere enim per inſcitiam eſt quando ipſa inſcitia eſt princeps cauſa, vt id agamus, & niſi adeſſet inſcitia, non ageremus. Inſcientem autem agere eſt communius, omnis enim, qui agit per inſcitiam, eſt inſcius, at non contra: veluti qui per iram, per ebrietatem, per vitium aliquid agunt, inſcii quidem ſunt, non tamen per inſcitiam id faciunt, ſed vitioſo affectu mentis aciem peruertente, vel obumbrante, adeo vt non deceptio perturbationis & vitii, ſed contra perturbatio, & vitium deceptionis ſint cauſæ. Præterea non omnis ignorantia conſtituit ἀκούσιον, quod inuite factum eſſe dicitur, ſed, vt ad rem noſtram pertinet, trium rerum ignorantia conſiderari poteſt: primo eius, quod expedit & conducit pro aſſequendo fine, ſecundo ipſius vniuerſalis, tertio circumſtantiarum actionis. Ignorantia eius, quod expedit, & conducit, non reddit actionem inuite factam, hæc enim dicitur ignorantia ad conſultationem pertinens, quæ improbitatis eſt cauſa: veluti ſi quis diceret, omne virtuti conducens eſt optandum: ſurripere alienam pecuniam virtuti conducit, quare eſt optandum, hæc eſt inſcitia eius, quod expedit. Ita quoque inſcitia vniuerſalis non reddit actionem inuitam. Homo enim rationis compos moralem formaturus actionem ratione vtitur, cuius duæ præſertim ſunt enunciationes, vna communis quæ dirigit, altera ſingularis contrahens ad ſingularem actionem: inſcitia illius communis non reddit actionem inuitam, veluti ſi quis diceret, omne voluptatem afferens eſt optandum, mors inimici voluptatem affert, quare eſt optanda, includitur in hac argumentatione inſcitia pertinens ad vniuerſalem enunciationem, quæ non reddit actionem inuitam. Ratio eſt, quia, vt tenemur cognoſcere id, quod expedit, & præeligendum eſt, ita tenamur co-

Quid violentum.

Agere per inſcitiam, & inſcientem agere.

Non omnis inſcitia conſtituit inuite factum.

Trium rerum inſcitia.

Digitized by Google

Decem circumſtantiæ actionum.

gnoſcere vniuerſale, & ea cognitione inſtructi debemus accedere ad agendum. Reliquum itaque eſt, vt ſola ignorantia ſingulorum cõſpirantium ad actionem, in quibus poſitæ ſunt circumſtantiæ actionum, conſtituat actionem inuite factam. Circumſtantias appello has numero decem, agens, quod agitur, in quod agens agit, quo inſtrumento, quomodo, cuius finis gratia, quando, vbi, coram quo, quandiu. Quarum potiſſimæ ſunt duę, cuius gratia, & in quod agit. Poſſunt hæ in pauciores redigi, & Ariſt. pauciores enumerat, ego tamen maioris diſtinctionis gratia ſingulas modo aliquo inter ſe diſtinctas numerare volui. Dum itaque aliquis vnam harum, vel plures ignorat, & ob id agit, per inſcitiam dicitur agere. Conſtat itaque, quid ſit agere inſcientem, & per inſcitiam. Inſcientem agere non reddit actionem inuite factam: ſimiliter agere per inſcitiam, vel eius quod expedit, vel vniuerſalis, actionem non reddit inuitam. Agere autem per inſcitiam ſingulorum, quæ circumſtantiæ dicuntur, contingit dupliciter, vel ita, vt re cognita, & ſublata inſcitiæ nube, eum qui egit, pœniteat ſe id egiſſe, & tunc inuite dicitur id fuiſſe factum, vel ita vt nulla ſequatur pœnitentia, & tunc mediat inter ſponte, & inuite factum, ac negatione circumſcribitur, quæ latior eſt & dicitur non ſponte factum, Grece οὐχ' ἑκούσιον. Ex his colligimus, inuite agere eſſe operari, vel per vim, vel per inſcitiam circumſtantiarum, quam pœnitentia ſequatur. Et quoniam ex notitia vnius oppoſiti elicitur cognitio alterius, ideo oſtenſo, quid ſit inuite agere, facile eſt colligere, quid ſit agere ſponte. Nam ſponte agere eſt, dum principium, vel propenſio eſt in eo, quod agit, & res ſingulas, in quibus actio verſatur, non ignorat. Patet quoque, inter agere ſponte, & inuite dari medium, quod eſt non ſponte, vt dum quis agit per inſcitiam ſingulorum, & ſublata inſcitia non ægre fert, ſe id egiſſe.

Colliguntur declarata.

Quid ſit inuite agere.

Quid ſit ſponte agere. Sic medium eſt nolle inter velle & non velle.

Sponte abſolute, & pro tunc, (id eſt, pro certo tempore.)

CAP. XIII.

HVMANARVM actionum tot ſunt formæ, totque complicationis modi, vt frequenter ancipitis ſint naturæ, & conditionis, neque conſtet, an ſponte, vel potius inuite fiant, vt euenit, dum nauta in mari conſtitutus, imminente naufragii periculo, non ſine dolore, vt nauem exoneret, eamque à naufragio liberet, vitamque tueatur, merces, diuitias ſuas labore partas in mare proiicit: ſimiliter, dum peregrinus in ſyluis incidit in ſicarios & latrones, eis vltro offert pecunias ſuas, ne ab eis interficiatur. Ita quoque viri probi in manu viribuſque tyranni conſtituti, vt à maiori malo liberentur, aliquid efficiunt, quod abſolute

Digitized by Google

ſolute malum eſt. De his, ac aliis huius generis innumeris, non conſtat, an ſponte, vel inuite fiant: & pro omni parte rationes adſunt. Qua de re breuibus, & expedite cum Ariſtotele dico, agere aliquid ſponte dupliciter contingere, vel abſolute, vel pro aliquo tempore, occaſione, & conditione. Hæc proculdubio cum abſolute ſint mala, cognoſcantur vt mala, non abſolute fiunt ſponte: cum tamen ſint minus mala illis, quæ per hæc vitantur, & minus malum cum deteriore comparatum, obtineat vicem boni, iure dicuntur bona pro tunc, & præeliguntur, ſponteque fiunt pro tunc, & pro ea occaſione. In quibus conſiderandum eſt, quod dum à nobis præeliguntur, & fiunt, non ea ſunt fines actionis, ſed id potius, cuius gratia præeliguntur: vt finis nautæ non eſt mercium eiectio, ſed ſalus nauis, finis peregrini non eſt pecuniæ amiſſio, ſed vitæ ſalus: pariter finis hominis ſub tyranno collocati, eſt id bonum, cuius gratia aliquid efficit: non ſecus ac dum laborantes medicamenta, ſectiones, & combuſtiones libentiſſime tolerant, hi non medicamenta, ſed ſanitatem quærunt. Nam (vt cum Platone inquit Ariſtotel.) *dum nos aliquid alterius gratia facimus, vel praeligimus, non id, ſed aliud, in cuius gratiam operamur, efficere dicimur.* Hinc conſtat, quomodo ea, quæ abſolute ſunt mala, pro tempore, & occaſione poſſint reddi bona vtilia, quatenus conducere poſſunt ad adeptionem, & conſeruationem maioris boni. Et in his euentis, ac diſcriminibus refulget prudentia, & virtus hominum, & prudentes ab imprudentibus, probique ab improbis internoſcuntur: difficile enim eſt iudicare, quid pro quo ſit eligendum, & duorum malorum vtrum ſit minus malum, recte enim id iudicare viri prudentis eſt. Inſuper, cum recte iudicauerimus, difficile eſt in ſententia perſiſtere, quod eſt officium viri probi. Neque nos latere debet reperiri nonnulla adeo praua, adeoque cum humana virtute pugnantia, vt nulla vi permittere debeamus ad ea efficienda compelli, veluti deſerere religionem, prodere patriam, parentem interficere, & alia huius generis: ſed potius extrema debemus pati ſupplicia, mortemque obire, quam ad ea efficienda compelli. Ex his tamen, quæ dicta ſunt, duæ emergunt difficultates. Prima eſt, quomodo ea, quæ abſolute, & per ſe mala reiiciendaque ſunt, poſſint pro aliqua occaſione cenſeri bona, & præeligenda? regula enim eſt, quod, dum aliquid per ſe eſt tale, nec per ſe, nec ex euentu, poteſt oppoſitam recipere conditionem: inſuper, dum aliquid per ſe eſt tale, per nil extrinſecus aduenieus poteſt reddi non tale. Altera dubitatio eſt, cum detur ſponte, & abſolute, & pro tūc, quia ei opponitur inuite, num etiam detur inuite, abſolute, & pro tunc? Pro ſolutione primæ difficultatis duo dicēda ſunt.

Prima dubitatio. *Secunda dubitatio.* *Solutio primæ difficultatis.*

Primum eſt, quod ea abſolute mala ſemper ſunt mala in ſuo definito gradu, & nunquam ratione ſui ſunt præeligenda, tamen comparata cum aliis, & magis & minus mala dici poſſunt: ac inſuper nonnunquam ſunt non bona, ſed neceſſaria pro boni alicuius adeptione. Alterum, quod addi debet, eſt: quod regulæ nuper pro dubitatione relatæ, veræ ſunt de his, quæ abſolute competunt rei, & abſolute conſiderantur, non de his, quæ in relatione, & comparatione ſunt poſita: hæc enim per varias comparationes varia iudicari poſſunt, cum tamen abſolute ſemper mala ſint, nam abſolute malum, & alicui vtile, non pugnant inter ſe. De altera difficultate, quæ erat, an etiam inuite vſurparetur dupliciter, quemadmodum ſponte, apparet quod ſic: quia ex 1. top quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis vſurpatur & alterum. Ex aduerſo id eſt dubium, quoniam modus non conſtat. Reſpondeo diſtinctionem illam vtriſque cõuenire, clarius tamen his, quæ ſponte fiunt: quomodo autem cõueniat inuite factis, exemplo oſtẽditur. Scelera abſolute à viro probo inuite fiunt: nonnulla autem opera proba, obſcura tamẽ & neceſſaria, dum nos occupatos detinent, ne eo tempore illuſtriora agamus, dicuntur inuite fieri, non quidem abſolute, ſed pro eo tempore. Verum adhuc aliquis dubitabit: cum ea, quæ in præcedentibus relata ſunt, dicantur fieri ſponte, non abſolute, ſed pro tunc, & ſint modo aliquo mixta, nunquid in eis dominetur ſpõte, vel inuitum? nunquid ſcilicet magis ſponte, an potius magis inuite facta iudicari debeant? Quod ſint magis inuite facta, oſtenditur: quia ea ſui natura & conditione ſunt mala, ideo abſolute ſunt nata non fieri ſponte à viro probo, denominatio fieri debet ab eo, quod abſolute eſt tale. Reſpondeo actiones illas proculdubio eſſe modo aliquo mixtas, magis tamen debere cẽſeri ſponte, quam inuite factas: primo ratione finis, nam finis eſt illud eminentius bonum, quod optamus: ſecundo ratione principii, quod eſt conſultatio recta, & prælectio ei conſentanea: tertio ratione inſtrumentorum, quæ libera in nobis tunc temporis ſupponuntur: & demum, quia abeſt violentia, & inſcientia conſpirantium ad actionem. Aduerſæ autem rationi reſpondens dico, denominationem debere accipi ab eo, quod formæ obtinet locum, non materiei, in ea actione: quamuis res, quæ fit, abſolute ſit mala, tamen ea, quæ actionem formant, reddunt eam ſponte factam: inſuper denominatio à fine vltimo potiſſimum petenda eſt, finis eſt maius bonum, propterea ea actio magis ſponte facta, & digna commendatione cenſeri debet.

Solutio ſecunda.

Pro tunc barbarorum eſt: pro eo tempore latinorum.

Actiones media magis ſponte, quam inuite fiunt.

An

Digitized by Google

An ſponte operari ſoli conueniat homini.

Cap. XIV.

EX his, quæ hactenus declarata ſunt, variæ emergunt difficultates: ego, multis ſilentio inuolutis, vtiliores proponam ac diluam. Quæritur primo, an operari ſponte ſoli competat homini, an etiam commune ſit iumentis & feris. Quod ſoli competat homini, ita oſtendi poteſt: operari ſponte eſt operari cum ſcientia, libere, per voluntatem, ac prælectionem: ſcientia, libertas, voluntas, & prælectio, ſoli competunt homini. Inſuper operari ſponte ad actiones pertinet dignas laude & vituperio, præmio, vel pœna: actio, laus, vituperium, præmium, & pœna, ſoli homini proprie competunt: quare ſponte agere ſoli homini, non feris & iumentis cōuenire videtur. Hinc à legumlatoribus accurate, quid ſit ſponte & inuite factum, conſideratur, vt inquit Ariſtot. in principio tertii moralium Nicomachiorum: ideo Plotinus En. 6. lib. 8. cap. 2. negat *pueros & feras ſponte operari.*

Opinio aſſerentium ſolum hominem operari ſponte.

Ex aduerſo ſæpe dicimus iumenta & feras multa efficere ſponte, multa inuite: aſſerimus equum libere & ſponte per prata currere, dum ſolutus à frænis per ea ad libitum vagatur, inuite vero, dum ab equite fræno & calcaribus cogitur. Confirmatur, quia oppoſita in eodem nata ſunt fieri: at operari violentia, & per inſcitiam, quod eſt operari inuite, conuenit iumentis & feris: quare in eis quoque locum habebit ſponte facere. Hinc Ariſt. in 3. moralium Nicom. cap. 1. abſurdum iudicat putare feras & pueros non operari ſponte.

Oſtenditur oppoſitum.

Solutio.

Soluens difficultatem dico ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον, latine ſponte & inuite, voces eſſe ab vno, non vniuocas: ſignificant enim aliquid primo, aliud ſecūdo loco. Nam operari ſponte eſt operari cum appetitu: operans cum appetitu, vel operatur cum appetitu ſine cognitione, vt inanima corpora, ſic lapis ſponte deſcendit, at quia ille eſt obſcuriſſimus appetitus, ideo obſcuriſſime operantur ſponte: vel eſt appetitus cum cognitione competens feris, vel cum cognitione & ratione, & inde prodeunt tres gradus factorum ſponte, adeo vt ſi vſurpatur ſponte in ſua prima potioreque ſignificatione, proculdubio ſoli competat homini. Ratio eſt, quia vere ſponte cum prælectione & vera ſcientia connexionem habet, quæ ſoli homini competunt. Et confirmatur, quia vere ſponte eſt id, quod nulli impellenti ſubiicitur, cum libertate eſt coniunctum, à rationeque pendet: ratio, libertas, & demum agere, ſoli conueniunt homini: at ſi voces illæ vſurpantur latius, ita ſecundo loco competunt feris; tertio autem, & per metaphoram ad inanima extenduntur. Ex quo conſtat, perperam Latinorum nonnullos ſponte & inuite facere, confundere cum voluntario, adeo vt ſponte ſit per voluntatem, inuite contra voluntatem, cum enim

ita loquantur, commune contrahunt ad partem, & id quod omnibus fere animantibus competere poteſt, ſoli tribuunt homini: nam ſponte & inuite non in hominis libertate conſiderantur (homo enim, vt liber eſt, a nullo cogi poteſt) ſed locum habent in cognitione & appetitu, quæ duo etiam conueniunt iumentis & feris: hinc ſi late vſurpantur, etiam competunt illis. Neque putandum, operari ſponte, ſolis competere animalibus perfectis, imperfectis autem minime, vt cenſuit Poſſeuinus lib. 2. Nam vermes quoque dum appetitu & cognitione contrahuntur & extenduntur, ſponte operari dicuntur, quamuis minus conſpicue: non enim ſponte expoſcit appetitum iraſcendi, vt perperam ipſe cenſuit, ſed quiuis appetitus cum cognitione iunctus debet cenſeri ſatis. Rationes aduerſæ, quibus oſtendebatur, ſponte & inuite, non conuenire feris, ſolum oſtendunt eis non conuenire in prima ſignificatione, vt ex dictis conſpicuum eſt: veluti etiam ſe habet de libertate, quæ prima ſui ſignificatione ſoli conuenit homini, late tamen pro quauis licentia ſumta, & iumenta & feras libere per ſyluas vagari, librereque volare aues affirmamus. Competit itaque ſponte feris, vt opponitur facto per vim, non vt opponitur facto per inſcitiam.

Dubia aduerſus ea, quæ de violento dicta ſunt.

Cap. XV.

Violentum pars eius erat, quod inuite fit: propterea definitum fuit, quod ſit id, cuius principium eſt extra, non conferente vim eo quod agit vel patitur. Principium, quod dicitur eſſe extra, eſt efficiens, & principale, non finis: id tamen non eſt ſatis pro conſtitutione violenti, verum inſuper requiritur, vt id, quod proxime agit vel patitur, ad id non conſpiret, eique adiumentum non præbeat. Inquit Ariſt. *id quod agit vel patitur:* quoniam nonnunquam illud, in quod externum agens operatur, ſolum patitur, vt euenit in motu cœli naturali, & in motu violento lapidis ſurſum: nonnunquam vero illud eſt intermedium, & partim agit, partim patitur, relatum ad primum motorem patitur, relatum ad ſequentia agit: vt euenit in motu naturali quatuor elementorum, dum á generante moueri dicuntur, ac inſuper, dum aliquid coacti agimus, tunc enim nos ſumus id, quo primus motor operatur & agit. Iure violentum definitur per principium externum, quoniam violentum opponitur naturali, naturale definitur per internum principium motus, quare violentum recte definitur per externum: per id enim diſtinguuntur ea, quæ natura fiunt, ab his, quæ fiunt per alias cauſſas, vt patet ex principio ſecundi phyſicorum. Et cum principium externum *κυρίως*, id eſt, proprie & præcipue debeat intelligi de efficiente, colligendum eſt, quod etiam dum motus naturalis defini-

definitur per principium internum, id proprie & præcipue de efficiente debeat intelligi: ea enim contradiſtinctio externi & interni de eodem intelligi debet. Ex quo conſtat primo, minus recte ſentire Simplicium in ſecundo phyſ. in explicatione naturæ, aſſerentem: *naturam eſſe principium patiens*, & id principium ſumtum in definitione naturæ eſſe principium patiens, non efficiens. Conſtat ſecundo, Scotum in ſecundo ſent. diſt. 12. diſputantem de motu grauium & leuium, minus recte aſſeruiſſe: *motum dici naturalem ſolum ratione principii patientis:* quamuis enim Scotus diſſentiens á Simplicio cenſeat: *naturam etiam poſſe eſſe principium efficiens*, tamen inquit: *motum denominari naturalem, non ratione efficientis, ſed patientis tantum.* Horum error eſt conſpicuus ex noticia violenti, cui naturale opponitur, vt iam patuit. Præterea conſpicua eſt ſententia Ariſtotelis in octauo phyſico. cont. 27. dicentis: *animal totum natura ipſum ſe ipſum mouere, corpus autem eius contingit moueri, & ſecundum naturam, & præter naturam, &c.* Cum igitur animal ſe moueat ſecundum naturam, & interim corpus præter naturam moueatur, vt euenit, dum aues volant aſcendentes per aerem, conſpicuum eſt, motum illum ab Ariſtotele nuncupatum naturalem, ſolum eſſe naturalem ratione principii interni efficientis, non autem patientis. Præterea, cum natura præcipue ſit forma, & formæ ſit efficere, & à potiore ſumenda ſit denominatio, conſpicuum eſt, non ratione principii patientis, ſed præcipue ratione efficientis, motum debere iudicari naturalem. Ideo dixit Ariſtot. in primo de partibus animalium, c. 1. *naturam dici de materia, & de forma, qualis eſt anima, & præſertim de forma, quæ eſt efficiens, & finis motus.* At de his obiter, nam alibi exactius hæc patefeci. Ex violenti declaratione quatuor emergunt difficultates. Prima eſt de motu ignis in orbem: non enim conſtat, naturane, an violentia ita moueatur. Altera eſt de appetitu boni, & pulcri: nam de ratione ſummi boni eſt, vt non poſſit renui, non poſſit non appeti, & propterea videtur cogere nos & compellere ad ſui appetitum: ita pulcrum nonnunquam compellere animos videtur ad ſui deſiderium. Tertia dubitatio eſt, dum patiens æque ſe habuerit ad duo oppoſita, vt euenit in prima materie, quæ dicitur media æque reſpiciens oppoſitas formas, num, ſi per agens contrahatur ad recipiendam alteram earum, dicatur eam recipere per naturam, necne? Poſtrema dubitatio eſt, quia multi interitus, plurimæque alterationes ſunt à principio externo, & id, quod patitur, nedum non confert vim, ſed pro facultate reſiſtit, (vt patet dum aqua calefit, dum lignum comburitur, vel exhalatio in ignem commutatur:) illæ tamen nuncupantur generationes, & alterationes naturales.

Damnatur ſententia Simplicii.

Contra Scotum.

Quatuor proponuntur difficultates.

Digitized by Google

Diluitur prima difficultas ad violenti notitiam pertinens. CAP. XVI.

DIfficultates ex violenti definitione conſurgentes profecto non leues ſunt, & egerent accurata explicatione: verum, quia pertinent ad inſpectricem philoſophiam, non ad ciuilem, propterea de illis agam breuibus, quatenus iudicabo earum reſolutionem ciuili philoſopho profuturam. Prima dubitatio erat de motu ſphæræ ignis in orbem, de qua late diſſerui in explicatione primi de cœlo. Nunc lucide dico, motum poſſe dici vel omnino naturalem, vel omnino violentum, vel medium ſiue mixtum: omnino naturalis eſt motus firmamenti in orbem: omnino violentus eſt motus lapidis ad locum ſurſum, medius eſt motus elementorum in orbem, motus eorundem in latus, & motus animalium, ſed vario modo. Motus elementorum in orbem dicitur medius & mixtus, quia non eſt ſecundum naturam propriam, nec contra eam, ſed ſecundum naturam communem, eminentiorem, & diuinam: hinc partim ſecundum, partim non ſecundum naturam dicitur. Motus elementorum ad latus, vt dum lapis proiicitur, etiam non ita eſt præter naturam, vt directe opponatur ſuo motui naturali, tamen violentia dicitur moueri. Motus animalium eſt medius & mixtus: nam eſt ſecundum naturam ratione animæ, quæ eſt principium internum, & natura animalium, eſt vero præter naturam corporis. At quia anima totum conſtituit, & forma dicitur totum in ſecundo Phyſ. ideo ab Ariſtotele in octauo Phyſ. 27. *motus animalium dicitur ſecundum naturam totius. Non enim motus hominis debet cenſeri medius & mixtus, vt Academicorum nonnulli dixerunt: qui aſſeruerunt, animam eſſe natam mouere in orbem, corpus eſſe natum recte deſcendere, ex quorum mixtione conſurgit motus progreſſiuus, qui medius eſt.* Hæc ſententia, quæ etiam à nonnullis expoſitoribus Ariſtotelis veluti à Magno Alberto commendatur, vera non eſt. Primo, quia anima non eſt nata mouere in orbem, ſed ita vt mouet, alioquin præter naturam ſuam moueret, & natura dat inſtrumenta inſeruientia, & reſpondentia conditioni formæ. Secundo, quia ſi anima, quatenus nata eſt in ſe conuerti, diceretur nata mouere in orbem, id ſoli deberet competere menti humanæ, quæ ſola diuina eſt: at nedum homo, verum iumenta quoque & feræ progrediuntur. Tertio, quia progreſſio non vere eſt motus conſurgens ex mixtione recti & orbiculati, ſed talis potius eſt motus helicis: Ariſtotelis itaque ſententia verior eſt. Cum autem patuerit, motum elementorum in orbem eſſe non naturalem, eminẽtem, diuinum, ſupra naturam propriam, per naturam vniuerſi, ac demum ſecundum naturam eminentiorem:

De motu ſphæra ignis in orbem.

Digitized by Google

tiorem: Ariſtoteles tamen, cum ſæpe diuidat motum in naturalem & præter naturam, reſpicit naturam propriam, & propterea motus ille in orbem redigitur ad motum præter naturam, & violentum. At duæ oriuntur difficultates. Prima eſt, an elemẽta, dum in orbem mouentur, conferant vim. Altera eſt, quia Ariſto. in primo de cœlo, cont. 15. inquit: *Quare ſi eſt ignis id, quod circumfertur, (vt aiunt quidam) non minus in eo inerit motus in orbem præter naturam, quam qui deorſum, &c.* Quibus verbis aſſerit Ariſt. ignem ferri in orbem non minus præter naturam, quam dum fertur deorſum. De prima difficultate dicò, ignẽ dupliciter conſiderari: primo ratione propriæ naturæ, cõtradiſtinctæ ab aliis, & ita non affert vim, nec procliuis eſt ad motum orbicularem, ſed ſolum ad rectum. Secũdo conſideratur ignis vt pars mundi, mundum cõſtituens, à cœlo pendens, & ita eſt procliuis ad motum totius, qualis eſt motus in orbem ab ortu in occaſum: hic enim motus ab Ariſt. in 8. Phyſ. cont. 84. in 12. metaph. cont. 43. necnon in 2. de gen & interitu 56. nuncupatur latio, & motus totius: & propterea dictum eſt, hunc motum eſſe ſecundum naturam totius, quia hac ſola ratione mobile confert vim. Altera dubitatio erat, quia ab Ariſtot. dicebatur, ignem moueri in orbem non minus præter naturam, quam dum fertur deorſum. Pro ſolutione conſiderandum eſt, morem fuiſſe Ariſtotelis, nonnunquam multa dicere, & dubitare, vt nos cogat confiteri aliud quid dari debere, ſine quo non valeat dilui dubitatio, & quo inuento omnis quæſtio diluatur. Hoc fecit in primo phyſ. dum oſtenſa contrarietate principiorum, mox nitebatur oſtendere, principia non eſſe contraria, vt inde colligeret, non ſola contraria eſſe ſtatuenda principia, ſed neceſſariam eſſe materiem, qua numerata inter principia, omnis dubitatio ſoluebatur. Id ipſum ſeruauit in calce octaui Phyſic. dum oſtenſurus, *motorem æternum non eſſe in magnitudine*, dixit, *nec in magnitudine finita eſſe poſſe, nec in infinita: ſi enim eſſet in magnitudine, eſſet materiatus*, at in formis materiatis infinitum in perduratione non diſtinguitur ab infinito in robore, id enim, quod diutius mouet, maioris eſt roboris: quare ſi infinito tempore moueret, deberet eſſe roboris immenſi, ſi autem fuerit immenſi roboris, nullum poterit aſſignari definitum tempus in quo moueat. At ſtatim quod motor ille ponitur ſeiunctus à materie, ſoluta eſt vniuerſa dubitatio: id enim, quod ſolutum eſt à materie, non habet contrarium, non repatitur, non laborat, ideo ex eo ſolo, quod à materie ſolutum eſt, valet mouere æterno tempore, quouis tandem gradu virtutis fuerit præditum. Ex quo conſtat, quam leuiter ex eo loco nonnulli colligant, Ariſtotelem nouiſſe Deum eſſe immenſæ virtutis, quia dixit: *ſi eſſet in magnitudine, nullum*

Prima dubitatio de motu elementorum in orbẽ.
Secunda dubitatio.
Solutio prima.
Solutio ſecunda.

Digitized by Google

eſſet aſſignare tempus, in quo moueret. Idipſum igitur dicendum eſt de progreſſu Ariſt. in 1. de cœlo. Inſtitutum philoſophi eo in loco erat oſtendere, *cœlum eſſe corpus quintum diſtincta natura, diuinius ac præſtantius quatuor elementis*: ſi hæc diuinior corporis natura non daretur, cuius motu ignis duceretur in orbem, non minus conueniret igni motus in orbem præter naturam, quam qui deorſum: quod cum ſit abſurdum, cogimur concedere dari corpus diuinius ac eminentius, quo conceſſo colligimus, elementa moueri in orbem ſecundum naturam illam eminentiorem, & motu totius, multa enim ſunt falſa abſolute, vera tamen ex ſuppoſitione: ea ſententia Ariſt de motu ignis in orbem abſolute eſt falſa, vera tamen eſt, ſi nõ daretur natura cœleſtis corporis diuinior, cui primo competeret motus totius. De motu tamen orbiculari elementorum Academici, & cum eis Ptolomæus & Zenarchus, ſecus loquuntur & ſentiunt: inquiunt enim, omnia ſimplicia corpora per naturam vel moueri in orbem, vel in ſuo loco requieſcere, motum rectum elementorum appellant reditum in naturam. At hoc ad rem noſtram non facit.

Hypomnema.

Diluitur ſecunda dubitatio de appetitu boni & pulcri.

Cap. XVII.

EVenit nonnunquam, vt à bono aliquo vel pulcro obiecto tam vehementer excitemur, adeoque extrinſecus rapiamur, vt ei obſiſtere non valeamus: propterea iure quis ſuſpicari poterit, violentia & inuite nos ad illud moueri & rapi. Qua de re loquens doctiſſimus Ficinus in ſua Theologia, necnon in lib. Plotini de pulcritudine dixit, *Deſiderium boni penitus & abſolute eſſe ſecundum naturam:* & propterea omnia, & ſemper bonum expetere, quamuis etiam fuerint cognitionis expertia: eſt enim appetitus boni intimus, trahitque ab intimo: Deſiderium autem pulcri ſecus ſe habere; includit enim aliquid violenti, quatenus nec omnibus competit, nec ab intimo trahit; ſed ſupponit cognitionem externi obiecti, iunctamque habet admirationem. Hinc amor dicitur magnus Dæmon, & magus, quatenus nos compellit ad amandum. Ex aduerſo eſt Ariſtot. in tertio moralium Nicomachiorum capit. primo inquiens: *Quod ſi quis dicat ea, quæ iucunda ſunt, eſſe violenta,* (cogere enim cum extra ſint) *hac ratione erunt omnia violenta: horum enim gratia agunt omnes omnia, & qui vi coacti, atque inuiti agunt, moleſte ferunt, qui autem iucundo ad agendum inuitantur, cum voluptate & iucunde agunt: ridiculum igitur fuerit ea, quæ extra ſunt, accuſare, non ſeipſum potius, qui à talibus rebus facile capiatur, &c.* Pro ſolutione difficultatis accipiendum eſt, appetitum non recte diuidi in naturalem & violentum, quod enim fit appetitu, violentum

Opinio quorundam Academicorum.

Ariſtoteles.

Solutio difficultatis.

Perperam ab Academicis appetitum dici violentum.

lentum dici non poteſt, cum agens conſpiret ad illud, vt colligitur ex tertio de anima. 44. Sed recte diuiditur in naturalem ſine cognitione, ſenſitiuum, & rationalem. Hinc iure inuite, quod opponitur ei, quod ſponte fit, eſt duplex, violentum oppoſitum ei, quod fit appetitu naturali, & per inſcitiam, quod opponitur ei, quod eſt ſponte per cognitionem ſenſuum vel rationis. Deſiderium igitur pulcri minus proprie violentum nuncupatur, ſolum dicetur deſiderium neceſſario expoſcens cognitionem. Neque etiam ratione obiecti, quod externum eſt, poterit dici violentum, quoniam etiam deſiderium boni obiectum habet externum, cum tamen omnia per naturam illud appetant. Solum ſimilitudine quadam deſiderium poterit dici violentum, quatenus externo obiecto mouenti non videmur nõnunquam poſſe obſiſtere: non enim valemus ea non appetere, quæ in ſua ratione ſolam perfectionem, nullamque imperfectionem includunt, vt eſſe, intelligere, felicitatem, & ſimilia in qua ſignificatione deſiderium boni magis eſt violentum quam pulcri, quia nedum obiectum eſt externum, verum inſuper minus ei obſiſtere valemus quam pulcro. At forte deſiderium boni poterit dici magis naturale, quatenus magis per naturam, & naturæ principia nobis competit, communiuſque eſt quam deſiderium pulcri. Et in hac ſignificatione quorundam Academicorum ſententia approbari poterit, minus tamen proprie loquuntur: nunquam enim appetitus externi obiecti recte dicetur violentus, cum ſit cum interna ad illud commotione. Propterea rectius loquitur Proclus in lib. de anima & Dæmone inquiens: καλὸν, *hoc eſt, pulcrum, ſiue dicatur* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *hoc eſt, ab eo quod prouocat animas, ſiue* ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, *hoc eſt, ab eo quod permulcet intuentes, certum eſt, quod ſecundum naturam eſt amabile.* Colligamus itaque cum boni; tum pulcri deſiderium eſſe naturale, illud communius, hoc minus commune, illud non neceſſario expoſcit cognitionem, hoc vero illam expoſcit. Hinc deſiderium pulcri aſſuetudine longe magis variari poteſt, quam deſiderium boni. Sed dices, cum cognitio & natura conſpirent ad excitandum deſiderium pulcri, nec ambæ poſſint eſſe cauſſæ ęque principales, quænam earum cenſeri debet cauſſa potior & magis princeps? Reſpondeo: vel loquimur de deſiderio pulcri ſine ratione, vel de deſiderio pulcri ratione directo: ſi loquimur de primo, proculdubio natura eſt cauſſa princeps, & ducens; conſurgit enim ex quadam naturali ſympathia & conſimilitudine: cognitio autem eſt cauſſa ſine qua non, & cauſſa ſecunda, non ſecus ac dum dicimus formicas natura, & cognitione colligere grana, hirundinem formare nidum, araneum ducere telas: huiuſmodi animalia primo & potiſſimum id faciunt

Contradictio in adiecto.

Deſiderium pulcri perperam dici violentum.

Proclus.

Dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

Quid inſtinctus naturæ? inſtinctu naturæ, qui nil aliud eſt niſi interna quędam commotio ſequens animam eius animalis, vt natura eſt, cui tanquam cauſſa ſecunda inſeruit cognitio. Ita Ariſt. in ſecundo phyſ. cont. 80. inquit, *animalia id facere per naturam*, in ſecundo autem de anima, cont. 156. ait *id efficere per vim imaginandi*: vtrumque enim verum eſt. At ſi loquimur de pulcri deſiderio ratione directo & formato, quatenus talis eſt, qualis ille erat, quo Socrates formoſos pueros diligebat: ratio eſt cauſſa potior, quia ratio format illud deſiderium, ac patefacit id quod vere eſt pulcrum & ad illud dirigit: propterea deſloreſcente corpore non mareſcit, quia tunc nedum vere pulcrum non deſloreſcit, imo maxime perficitur vt idem Socrates affirmabat. Hinc etiam non ſenſus, ſed ratio veri pulcri eſt iudex, & expertia rationis vel pulcrum vt pulcrum non cognoſcunt, vel obſcuriſſime penitus: eſt *Pulchrum quid?* enim pulcrum (vt inquiunt Academici) ſplendor boni, qui ſoli rationi proprie refulget. His demum addendum eſt, quod deſiderium boni & pulcri varia ratione dicitur competere nobis tum per naturam, tum per cognitionem, tum per rationem & prælectionem: dum enim conſideratur, vt inſequitur naturam & conditionem rei, ad bonum ordinatæ, dicitur per naturam ei competere: vt autem inſequitur vel rationem liberamque prælectionem, vel cognitionem ſenſuum, ſic aliis nominibus deſignatur.

Duarum poſtremarum difficultatum ſolutio.

Cap. XVIII.

QVoniam violentum illud erat, cuius principium eſt extra, non afferente vim eo quod agit vel patitur, iure dubitabatur de motu competente alicui ſubiecto æque ſe habenti ad oppoſita, & quærebatur, an ei conueniat per naturam, an contra violentia. Reſpondens dico, ſubiectum æque reſpiciens oppoſita eſſe duplex, materiem primam, & liberam noſtram voluntatem ſiue prælectionem. Scotus in 4. ſent. diſt. 44. q. 1. putabat etiam *cœlum indifferenter ſe habere ad motum & quietem*: quod tamen ex ſententia Ariſtotelis dicendum non cenſeo, quoniam tunc timendum eſſet, ne cœlum quieſceret, cuius oppoſitum aſſeritur 9. metaph. 17. Inſuper fruſtra ei competeret illa facultas ad quietem, cum ex ſententia Ariſtotelis neceſſario ſemper moueatur. Sed hoc miſſum facio, & de cæteris loquens dico: ſi de prima materie loquimur, proculdubio per naturam nata eſt recipere vtrunque oppoſitum, & ad quoduis per naturale efficiēs determinetur, ad id per naturam moueri dicitur: cum enim ex ſe æque reſpiciat vtrunque, ad vtrunque conſpirare, ac vtrique conferre dicitur, potentia enim eſt veluti inchoatio formæ, & conſpiratio ad eam: & quamuis materies ſecundum intentionem

nem

nem naturæ primum reſpiciat formam potiorem, tamen per poteſtatem & facilitatem æque ſe habet ad vtrunq; oppoſitum. At ſi loquimur de his, quæ ex noſtra libertate prodeunt, hæc nõ per naturam, ſed per rationem liberamq; præelectionem fiunt: & quamuis non fiant per naturam; fiunt tamen ſponte, & fiunt per principium ſupra naturam collocatum.

Dubitatiõ.

At dices, quæcunq; fiunt per internum principium motus, fiũt per naturam, vt colligitur ex definitione naturæ, quæ fiunt per voluntatem & præelectionem, fiunt per internum principium, quare hæc quoque fient per naturam.

Solutio Zim.

Nõnulli viri docti, è quorum numero eſt Zimara in Tabula, dixerunt, definitionem illam non ſoli naturæ competere: & propterea Ariſt. in 2. phyſic. cont. 3. dicebat, *tanquam exſiſtente natura principio quodam & cauſſa, quod res moueatur & quieſcat:* non dicebat abſolute Philoſophus, naturam eſſe principium, ſed addebat quoddam, ob ea, quæ fiunt ab humana mente.

Reiectio ex Canone logico.

Sed hi proculdubio errant: indicant enim Ariſt. non recte definire naturam, quoniam definitionem, nec negationes, nec particularia ſigna ingredi debent, vt eſt conſpicuum ex ſecundo poſteriorum, & ſexto topicorum, & illud particulare ſignum (quoddam) non debet cenſeri pars definitionis naturæ, ſed ſolum fuiſſe appoſitum, vt indicaretur ſuperaddendas eſſe differentias: veluti ſi diceremus, homo eſt animal quoddam, rationale namque & mortale.

Solutio propria.

Propterea dicamus, naturam eſſe internum, & proximum principium motus naturalis; mentem autem nõ eſſe proximum, ſed remotum principium: mens enim non mouet ſine phantaſia, & appetitu ſenſuum, vt declaratur in tertio de anima, necnon in libro de motu animalium. Hinc Ariſt. in primo de partibus animalium dixit: *mentem non eſſe naturam, quia non eſt principium motus:* hoc eſt, quia non ita eſt principium, vt natura, quæ proxime mouet ſine interuentu alterius formæ. Inſuper mens potius eſt principium qualitatis motus, quam vere ipſius motus. Poſtrema dubitatio erat de interitu, ſenio, alteratione, quæ fiunt ab externo principio, cum pugna & reſiſtentia patientis: & tamen dicuntur fieri per naturam, & nuncupantur mutationes phyſicæ, vt patet ex prooemio libri de gen. & interitu, ex quarto Meteororum, necnon ex locis aliis: ac ita frequenter mors in naturalem, & violentam diſtribuitur.

An interitus ſit naturalis.

Et cumprimis res hæc dubia eſt, quia Philoſophus ſibi conſtare non videtur: in ſecundo enim lib. de cœlo, cõt. 37 ſenium, & imbecillitates, quæ ducunt ad interitum, aſſerit eſſe præter naturam.

Opinio Simplicii & Philop.

Simplicius & Philop. in 2. phyſ. in expoſitione quarti contextus, differẽtiam ponunt inter eſſe à natura, & ſecundum naturam, & inquiunt, priuationes, ſenium, interitum, eſſe quidem à natura, at non ſecundum naturam, vt multa ſunt ab arte, ſed

Digitized by Google

Reiicitur eorum opinio. non ſecundum artem. Hi aduerſantur rationi, & Ariſt. Primo Ariſt. qui interitum appellat nedum à natura, ſed etiam ſecũdum naturam, vt patet ex 4. Meteororum, cap. de putredine, vbi hæc verba leguntur: *Omnis enim κτ φύσιν, hoc eſt, ſecundum naturam interitus, ad putredinem via eſt.* Ita quoque in quinto phyſ. cont. 56. ſenium appellat κτ φύσιν. Inſuper in ſecundo phyſ. cont. 5. inter eſſe à natura, & ſecundum naturam diſcrimen non poſuit, ſed pro eodem vtrumque protulit, & iure non ſecreuit: nam *omne, quod per ſe eſt à natura, etiam eſt ſecundum naturam, & vice verſa, vt omne quod per ſe eſt ab arte, eſt ſecundum artem.* Quod ſi nõnulla ex euentu fiunt ab arte, vel à natura, vt errata, quæ non ſunt ſecundum artem, vel ſecundum naturam, dicendum eſt, in ſcientiis ea eſſe perpendenda, quæ per ſe ſunt & fiunt, non quæ ex euentu: iure igitur Ariſt. diſcrimen non poſuit. Præterea fieri ſecundum naturam, quid aliud eſſe poteſt præter quam fieri per principia naturæ ſeruantia leges naturæ? at ſenium, & interitus legibus naturę nobis conueniunt, hæc enim communiſſima lex naturæ eſt, vt orta moriantur. Quare (prætermiſſis multis, quæ hac de re dicere conſueui in explicatione procemii libri de gen. & interitu) dico interitum, ſenium, & huiuſmodi deprauationes, tribus modis conſiderari poſſe: primo, vt mala ſunt, ac ita dicuntur præter naturam, & proprie præter naturam compoſiti, & præſentis formæ, qua conſideratione vera eſt ſententia Ariſtotelis in ſecundo de cœlo. Secundo referri poſſunt ad principale inſtitutum naturæ, ac ita quoque non ſunt ſecundum naturam. Tertio referri poſſunt ad ſecundum inſtitutum naturæ, ac ita dici poſſunt à natura & ſecundum naturam: primo, quia ſunt neceſſaria pro introducenda forma, quam materia expetit: ſecundo, quia fiunt per principia ſecundum naturam operantia: tertio, quia fiunt periodo per naturam prædefinita, & ordine ac lege naturæ, qua ſancitum eſt, vt orta moriantur. Sic itaque mors, ſenium, & alia huius generis, prima conſideratione ſunt præter naturam, ſecunda conſideratione ſunt non ſecundum naturam, tertia vero ſecundum naturam.

Canon philoſophicus.

Opinio propria.

An ea, quæ fiunt ira, vel alia animi perturbatione, fiant ſponte, opinio Platonis. CAP. XIX.

NOn leuis eſt dubitatio, an ea, quæ fiunt ira, cupiditate, vel alia animi perturbatione, dicantur fieri ſponte, præſertim cum de ea non idem ſentire videantur Plato & Ariſtoteles. Plato enim in nono dialogo de legibus inquit: *quæ fiunt ira, media re inter ſponte, & inuite facta*, ait enim; *Si quis manu ſua liberum hominem ira concitus interfecerit, bipartito primo iram oportet diſtinguere.* Per iram enim facit, & qui ſubito abſque voluntate intermen-

Plato.

rimendi interficit, ita vt confeſtim poſt impetum pœnitentia ſequatur, & qui contumelia, vel iniuria laceſſiti, ideoque in vindictæ cupiditate perſeuerantes, poſtea volentes interfecerunt, nec pœnitet ea feciſſe: duplicem igitur cædem ponere placet, vtramque ita factam, quas inter voluntarias, & inuoluntarias actiones iure medias poſuerim: neutra enim voluntaria, re vera, aut inuoluntaria eſt, ſed altera alterius eſt imago. Nam ille, qui iram ſeruat, nec repente interficit, homicidę voluntario eſt perſimilis, at qui abſque præmeditatione primo impetu interficit, inuoluntario homicidæ ſimilis iudicatur, non tamen omnino inuoluntarius eſt. Hæc Plato, quorum verborum ſententia conſpicua eſt. Idipſum prope calcem eiuſdem dialogi confirmat, inquiens, quæ fiunt ira, mediare inter ſponte & inuite facta. Confirmatur hæc ſententia, quia primæ animi commotiones non ſunt in noſtra facultate: & propterea quæ per illas fiunt, ſponte á nobis non fiunt: quale enim eſt principium actionis, talis actio iudicari debet. His accedit, quod ſi Ariſt. ea quæ fiunt per inſcitiam, & veritate perſpecta agentem non pœnitet ea feciſſe, non cenſet eſſe inuite facta nec ſponte, ſed mediare, pari ratione cogimur aſſerere, quæ fiunt ira, vel alia vehementi perturbatione, non ſponte fieri, ſed mediare: nos enim agitati vehementi perturbatione, eaque obumbrati, neſcimus quid agamus. Præterea ex ſententia Ariſt. quæ fiunt per inſcitiam, ſi ſequitur dolor & pœnitentia, non dicuntur ſponte facta, ſed inuite: quare ſimili ratione, quæ fiunt perturbatione aliqua, dum ſequitur dolor, non erunt ſponte facta. Inſuper euenit frequenter, vt voluntas, & ratio nos reuocent ab aliqua actione, perturbatio autem nos ducit captiuos, tunc dicimus, ſi poſſem, ſanior eſſem, video meliora proboque, deteriora ſequor: cum igitur tunc non operemur vt homines, & per principia hominis propria, ſed á fera parte ducamur, non videmur ſponte, ſed inuite operari. Quod confirmari poteſt per ea, quibus vtimur in componendis litibus, & repellenda iniuria: nulla enim redditur iniuria, dum conſtat, læſionem non ſponte fuiſſe illatam, pariter reddimur venia digni, dum fatemur aliquid feciſſe ira, & perturbatione. Hinc oritur diſtinctio læſionum in puras & præmeditatas. Plotinus Ennead: 6. lib. 8. cap. 2. idipſum oſtendere nititur, inquiens: *ſi ira, concupiſcentiæq; tribueremus, vt quæ per eas facimus, ageremus ſponte, cogeremur fateri, pueros quoque, bruta, furentes, mente prorſus alienatos, item veneficiis irretitos, & incidentibus imaginationibus occupatos, id arbitrii munus habere, &c.* Confirmatur, quia dum perturbatione ducimur, vel ratio nihil agit, vel à commotione ducitur, vel ducit: in prima & ſecunda conſtitutione non liberi, ſed ſerui ſumus: in tertia ſpeciem ſeruamus

Canon Ethicus.

Plotin.

Digitized by Google

libertatis: tamen, quia non fruimur exacta animi tranquillitate, adhuc exacte liberi non videmur. Colligamus igitur, cum perturbationes obumbrent mentem, nos rapiant, captiuoſque ducant, non ſponte ea fieri, quæ fiunt vehementi aliqua animi perturbatione. Ideo dixit Paulus ad Romanos, cap. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

Opinio Ariſtotelis, & quomodo diſſentit à Platone.
CAP. XX.

ARiſtoteles in tertio libro moralium Nicomachiorum in calce primi cap. inquit. Fortaſſe enim non recte dicitur, ea eſſe inuite facta, quæ vel ira, vel cupiditate hortante fiunt, idque oſtendit variis rationibus. Primo, quia ſi ea fierent inuite, tunc nullum cæterorum animalium ſponte ageret, imo nec pueri, cum feræ, iumenta, & pueri ſolis ducantur perturbationibus. Præterea, ſi honeſta, quæ fiunt perturbatione, dicuntur ſponte fieri, etiam turpia fient ſponte, cum eadem ſit ratio. Inſuper ea, quæ pendent ex principio rectæ rationi conſentaneo, & commendando, non fiunt inuite: at nonnulla eorum, quæ fiunt ira & cupiditate, ſunt huiuſmodi; ob aliquas enim cauſſas iraſcendum, & nonnulla cupienda ſunt, vt bona valetudo: quare nonnulla eorum, quæ ira & cupiditate fiunt, non fiunt inuite. Inſuper inuite facta iunctam habent moleſtiam, facta autem cupiditate iucunditatem. Demum, cur dicere debemus, peccata ira commiſſa inuite fieri, facta vero ratione ſponte? non ratione rei, quæ fit, vtraque enim ſunt mala & fugienda: neque ratione varietatis principii, vtrunque enim principium homini internum eſt: nam vt ratio eſt res humana, ita perturbationes rationis expertes ex interno hominis principio prodeunt, ex quo principio cunctæ etiam hominis actiones proxime proficiſcūtur: conſtat enim actiones hominis, à facultate vel iraſcendi, vel cupiēdi proxime produci: ea autem, quæ ex interno prodeunt principio, non dicuntur inuite fieri. Ex his conſtat, Ariſtotelem cum Platone de hoc conuenire, quod ea, quæ fiunt ira, vel alia perturbatione, non fiant inuite: differre tamen, quia Plato inquit: *ea mediare, & nonnulla eorum eſſe ſimilia illis, quæ fiunt inuite: alia vero ſimilia illis, quæ fiunt ſponte.* Ariſt. vero ea non diſtinguens, abſolute videtur illa redigere ad ea, quæ fiunt ſponte. Quod ex eo conſpicuum eſt, quia reliquit vt abſurdum, iumenta, feras & pueros, quæ perturbationib. ducuntur, non operari ſponte, inſuper dixit, perturbationes eſſe res humanas, & homines cuncta proxime agere, vel per iraſcendi, vel per cupiendi facultates, ad quas pertinēt perturbationes. Demum id patet ex declaratione

Quomodo Ariſt. conſentiat cum Platone, & diſſentiat.

eorum,

Digitized by Google

eorum, quæ fiunt ſponte: nam ſponte ea fieri ab homine dixit, quæ nec violentia, nec per inſcitiam fiunt, at facta perturbationibus neutro modo fiunt, & ſi adeſt inſcitia alicuius concurrentis ad actionem, id dicetur factum non ſponte, non ob perturbationem, ſed ob illam inſcitiam: nos autem modo id conſideramus, quod ad ſolam pertinet perturbationem.

Reſolutio difficultatis, & Platonis cum Ariſtotele conſenſio patefit. CAP. XXI.

QVærebatur, an ea, quæ ab homine fiunt perturbatione aliqua agitato, dicatur fieri inuite vel ſponte Plato aſſerebat hæc mediare: Ariſt. eos increpabat, qui cenſebant ea inuite fieri, illaq; redigebat ad facta ſponte, dummodo abſit inſcitia & violentia. Ex quo conſtat, interpretes minus recte aſſeruiſſe, Ariſtotelem tunc damnaſſe opinionem Platonis, nam inficiabatur Plato ea inuite fieri: potius putandum eſt, Ariſtotelem tunc diſputaſſe aduerſus communem hominum vocem, aſſerentium, nos rapi, cogi, duci & falli à perturbationibus. Vt autem reſolutio difficultatis reddatur conſpicua, duo accipienda ſunt. Primum eſt, quod aliud eſt, hominem iratum, amore captum, vel alia perturbatione affectum agere aliquid, & hominem per iram, vel amorem aliquid agere. Hanc diſtinctionem denotauit Ariſtoteles, dum aſſeruit, quod aliud eſt inſcientem agere, & agere per inſcitiam: nam pari ratione aliud erit iratum agere, & agere per iram. Conſimilem diſtinctionem aliis verbis tetigit etiam Plato in 9. de legib. dum eorum, quæ fiunt perturbatione, nonnulla dixit eſſe ſimilia his, quæ fiunt ſponte: alia vero illis, quæ fiunt inuite. Iratum facere aliquid, eſt communius, quam efficere per iram: quicunque enim per iram aliquid facit, etiam iratus facit, at non contra: tunc dicitur aliquid effici per iram, dum ira eſt princeps ratio, ob quam id agimus, & niſi adeſſet ira, id non ageremus. De hoc intelligi debet Horatii dictum:

Duo praecipiuntur.

Iratum facere, & facere per iram differunt.

Qui non moderabitur ira
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens.

Nam frequenter huiuſmodi actiones pœnitentia ſequitur: at homo iratus poteſt multa facere recta ratione, & prudenter. Accipiendum ſecundo, Ariſtotelem latius vſurpaſſe hanc vocem ſponte, quam id fecerit Plato. Ariſt. enim ſumſit ſponte latius, vt contradiſtinguitur à violento, & facto per inſcitiam, & id conſiderauit in proximo principio actionis & motus, quale eſt vis imaginandi & appetitus, ideo pueros, iumēta, & feras dixit operari ſponte: Plato vero arctius ſumſit ſponte, nedum vt contradiſtinguitur à violento, & facto per inſcitiā, verum inſuper ab eo quod fit à principio turbato & obumbrato, & præſertim conſi-

Ariſt. latius ſumſit ſponte, quam Plato.

Digitized by Google

derauit ſpōte in ratione libera, non obumbrata, non mancipata. Hinc ipſe, & cum eo Plotinus, iumenta, feras & pueros negauit operari ſponte. His aſſumtis duas pro[illegible]o aſſertiones. Prima eſt, cum Plato ea, quæ fiunt perturbationibus, dicat mediare inter ſponte, & inuite facta, Ariſt. eas redigat ad facta ſponte, lis eorum in ſolis verbis poſita eſt: nam ſponte apud Ariſtotelem eſt latius, quam apud Platonem: propterea includit nedum illud ſponte ſincerum, aſſumtum à Platone: verum etiam illud, quod á Platone iudicabatur medium, cum non ſit ita ſincerum, ſed obumbratum & turbatum. Altera aſſertio eſt, Ariſt rectius loqui Platone. Et ratio eſt, quia in perturbato principium agendi eſt internum, non extrinſecus coactum, nec inſcitia rerum ſingularum obumbratum. Inſuper, quia apti ſumus vehementes perturbationes corrigere, & valemus aſſueſcere, ne tam vehementer turbemur, idque agimus cum aliqua iucunditate. Hinc Theologi ea quoque iudicant facta ſponte, & peccata ab eis mortalia dicta, ſiue potius peccandi occaſiones, ſponte à nobis dicuntur fieri, ac ob eas luere tenemur pœnas; cum tamen ſint vehementes quædam perturbationes, vel complicata cum eis, vt patet de ira, inuidia, & aliis. Dicendum tamen eſt, quod facta ſponte latitudine ſunt prædita, & quædam purius ſponte fiunt, alia impurius, propterea nonnulla magis, alia minus ſunt venia, & indulgentia digna: potiſſimum venia digna ſunt ea, quæ fiunt, nedum ab irato, ſed per iram, quæ mox pœnitentia ſequitur. At dices: Ariſt. in ſecundo de rep. c. 10. aſſerit: *legem à Pittaco fuiſſe conditam, vt ebrii, ſi quem pulſaſſent, grauiori pœna, quam ſobrii plecterentur:* quare ſimili ratione, qui per iram aliquid agunt legi aduerſum, duplici pœna puniendi erunt. Solutionem indicat Ariſt. eo in loco inquiens: *Pittacum vtilitatem inſpexiſſe, quia plures temulenti, quam ſobrii contumeliam inferunt, non veniam, quæ petitur eſt danda temulentis.* Sed dices: vnde euenit, quod per iram, vel ebrietatem facinus patrantes, magis ſunt venia digni? cum tamen in duplicem labantur errorem, in ebrietatem, quam valuiſſent cauere, & iniuſtitiam ob patratum ſcelus? Reſpondeo, id ex duplici cauſſa ortum ducere. Prima eſt, quia pœna reſpicit patratum ſcelus, non iracundiam, vel ebrietatem. Secundo, quia ſcelus puniendum eſt, non quia ſponte ſit factum, (ità enim iumenta, feræ, & pueri puniendi eſſent,) ſed quia cum libertate arbitrii, ratione, & prælectione coniunctum eſt, cuius participes non ſunt feræ: ebrii autem, & perturbatione ducti, vel non ſunt compotes mentis, vel minus cæteris. Deteriores profecto ſunt, qui deprauata ratione peccant: at qui id faciunt ebrietate & perturbatione, ſunt humiliores, inferioremque vitæ gradum viuunt, propterea innocentiores. Nec difficile eſt aduerſis rationibus

Prima aſſertio.

Secunda aſſertio.

De lege Pittaci.

Dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

nibus ſatisfacere. Oſtendebatur quæ fiunt ira, non fieri ſponte, quia primi animi motus non ſunt in noſtra facultate. Reſpondeo per duo fundamenta: primum eſt, quod dum fieri ſponte vſurpatur late, non expoſcit veram libertatem, alioquin non conueniret feris, ſed eſt ſatis, vt fiat per appetitum abſque externa violentia, & ſine inſcitia ſingulorum, in quibus verſatur actio. Alterum fundamentum eſt, quia datum eſt nobis moderari vehementes perturbationes, & aſſueſcere, ne plus æquo turbemur: à quibus, ſi rapimur, nos damnandi ſumus, qui manus damus, & tanquam imbelles á perturbationibus vincimur. Cõfirmabatur, quia vt agere per inſcitiam, dum pœnitentia ſequitur, eſt agere inuite, ita agere per iram, dum pœnitentia ſequitur, præſertim cum tunc perturbatione obumbrati, tanquam per inſcitiam agamus. Reſpondeo, non parem eſſe rationem de inſcitia circumſtãtiarum actionis, & de perturbationibus: dum enim per iram agimus, poſſunt nobis ſingula eſſe nota, in quibus verſatur actio, nec vlla externa vis non compellit, de inſcitia non ſic ſe habet. Quod ſi perturbatio iudicium præoccupat & confundit, ea non eſt inſcitia circumſtantiarum actionis, ſed communium & pertinentium ad rationem, per quam inſcitiam non deſtruitur SPONTE, vt patet de actione vitioſi: verum ſi ob perturbationem deciperemur in cognoſcenda aliqua circumſtantia actionis, tunc ratione illius inſcitiæ diceremur nõ ſponte operari. Addebatur, huiuſmodi actiones frequenter aduerſari conſultationi, rationi, & fieri ſine prælectione. Iã patet ſolutio: non.n. dicitur ſponte fieri, quia fiat recta ratione & prælectione, ſed quia per internum principiũ, non coactum, nec circumſtãtiarum inſcitia deceptum: tergiuerſatur quidẽ appetitio ſenſuum rationi, & dicitur ducere captiuum internum hominem: at non ob id homo dicitur agere inuite. Colligamus igitur ea, quæ fiunt per aliquã animi perturbationem, fieri quidem ſponte, ſi nõ in prima eius ſignificatione, ſaltẽ in ſecunda, qua pueri, feræ, ebrii, mentiſq; inopes, ſponte agerẽ dicuntur. At dices: Si ea, quæ fiunt per iram & perturbationem, fiunt ſponte, quomodo poterunt componi inimicitiæ, lites, & remoueri iniuriæ, dum qui eas intulit, confitetur ſe per animi perturbationem id feciſſe? Reſpondeo, optime poſſe lites componi: quoniam, qui id aſſerit, fatetur ſe ſponte quidem iniuriam intuliſſe, at ita ſponte, vt etiam ſponte operantur iumenta & feræ, quæ lædere valent: at non iniuria afficere, fatetur ſe id feciſſe ſponte: ita tamen, vt ob perturbationem nec rationis, nec mentis eſſet compos: homo autem ita conſtitutus operatur vt fera, & poteſt lædere, non autem re vera iniuria afficere, veluti feræ non valent nobis iniuriam facere, quamuis frequenter nos lædant. Ideo in contra-

Diluuntur aduerſa rationes.

Cur dicatur quid ſponte fieri?

Dubitatio.

Solutio & conciliatio.

Iumenta & feræ iniuriã non faciunt.

Digitized by Google

henda pace, & componendis litibus frequenter ſummopere conducit, vt qui læſerunt, dicant ſe id feciſſe, perturbatione aliqua ſeductos: id enim conducit læſo, vt conſtet iniuſte fuiſſe læſum, conducit ei qui læſit, vt conſtet ſe non vitio, ſed perturbatione fuiſſe ſeductum, ac ita indicat ſe venia dignum, minus vitioſum & innocentiorem.

De Voluntate, conſultatione & praelectione. Cap. XXII.

Ordo cauſarum in actionibus. IN his, quæ ad humanarum actionum abſolutionem conſpirant, conſiderabatur hic ordo. Primo, mens abſolute rem iudicat. Secundo, ſub ratione boni. Tertio, volũtas id vult. Quarto, vis conſultãdi de mediis pro eius adeptione cõſultat. Quinto id, quod conſultatione cæteris fuit præpoſitum. Prælectio pręeligit, niſi vis appetendi ſenſuum obſiſtat, vt euenit in incontinente. Propterea à diſſerentibus de principiis virtutum, ac humanarum actionum, de voluntate, conſultatione, & prælectione agendum eſt. Ordiar autem ab eorum definitione. *Definitio voluntatis.* Voluntas eſt appetitus mentis, tendens in finem humanarum operationum, à mente vt nobis bonum iudicatum. *Definitio conſultationis.* Conſultatio eſt inueſtigatio per rationem mediorum latentium, quæ ad nos pertinent, ac in noſtra ſunt facultate, vt potiora inueniamus pro conſequendo fine. *Definitio praelectionis.* Prælectio eſt appetitio mentis, quæ iuncta imaginationi, appetituique ſenſuum amplectitur media conſultatione prælata, eaque in finem dirigit. Pro explicatione harum definitionum conſiderandum eſt duas appetendi vires ad mentem pertinentes: voluntatem nempe & prælectionem, partim conuenire, partim differre. *Quomodo Voluntas, & praelectio conueniant & differant.* Conuenire, quia ambæ ſupponunt cognitionem mentis, ambę feruntur in bonum. Differre: *Prima differentia* primo, quia voluntas ſolum mentis iudicium expoſcit; prælectio vero expoſcit conſultationem, per quam vnum alteri præfertur: propterea προαίρετον tanquam præ cæteris optabile nuncupatur. *Secunda.* Differunt ſecundo, quia voluntas tendit in finem: prælectio autem in ordinata ad finem, volumus eſſe ſani, ideo præeligimus diætam & pharmaca. *Tertia.* Tertio differunt, quia voluntas reſpicit nedum pertinentia ad nos, verum etiam ad alios. Prælectio vero ſolum ea, quæ ad nos pertinent: duorum exercituum vellemus vnum ſuperare alium, id tamen non præeligimus, quia non pertinet ad nos. *Quarta.* Demum differunt, quia voluntas nedum tendit ad ea, quæ in noſtra ſunt facultate, verũ inſuper ad ea, quæ ſunt ſupra vires noſtras: imo etiam ad illa, quæ fieri nequeũt. Vellemus eſſe principes, eſſe immortales, volare, & ea facere, quæ a nobis fieri nequeunt. Prælectio autem ſolum eſt eorum, quæ in noſtra ſunt facultate. *Conſultatio.* Conſultatio conuenit

uenit cum prælectione, quia ambo in eadem re verſantur, & eiuſdem rei ſunt. Verſantur enim non in rebus neceſſariis, neque in his, quæ fieri nequeunt: non enim conſilium capimus, quo motu cœlum moueri debeat, & quo modo valeamus terram è ſuo loco in alium transferre, vel cœlum detinere ne moueatur. Inſuper ambo in his verſantur, quæ ad nos pertinẽt, non in his, quæ pertinent ad alios, propterea cõſultationem ſequitur prælectio, de qua nulla eſt dubitatio, quod eſt eorum, quæ ad nos pertinent. Præterea conueniunt, quia ambo ſunt non de fine, ſed de mediis ordinatis in finem: dum enim de re aliqua conſultamus, primo finem ſupponimus, vt medici, ſuppoſito fine, nempe ſanitate, de mediis ratiocinantur, & conſultant: in qua conſultatione eo vſque progrediuntur, quouſque deueniant ad prima, nam primum in actione in conſultatione vltimum eſt: ideo ſi in conſultatione incidimus in aliquid, quod à nobis fieri nequeat, ab inſtituto deſiſtimus. Quod conſultatio de mediis, & non de fine eſſe debeat: ex eo patet, quia conſultatio eſt de his, quæ à nobis fieri debent. omnis autem noſtra actio, & operatio finem quærit, ad finem tendit, quare conſultatio non de fine erit, ſed de his, quæ ducunt ad finem. Arcto itaque neceſſitudinis vinculo prælectio, & conſultatio iuncta ſunt. Differunt tamen, quia conſultatio antecedit, prælectio eam ſequitur: conſultatio eſt inueſtigatio, mutuaque comparatio mediorum, ac de illis ratiocinatio; prælectio autem eſt amplexus rei iam deciſæ, ac conſultatione ceteris præpoſitæ: conſultatio dirigit, prælectio exſequitur: propterea conſultatio officium eſt facultatis cognoſcentis, prælectio vero appetentis.

Quatuor dubitationes ad conſultationem pertinentes, & ſolutio duarum. CAP. XXIII.

EA quæ dicta ſunt, non adeo ſunt cõſpicua, vt variis difficultatibus quaſi nubibus non ſint obumbrata, propterea, vt clarius fulgeant, quæ veritati obſiſtere videntur, repellenda, & reiicienda ſunt. Nam primo in attinentibus ad conſultationem dubitare quis poſſet, quod dictum eſt eam eſſe de illis tantum, quæ ad nos pertinent, & à nobis fieri debent, cum tamen ſit cõſpicuum conſiliarios principum conſultare, ac deliberare de attinẽtibus ad principes, patres de attinentibus ad filios, ac ita de ceteris; quod ratione oſtenditur, conſultatio enim eſt inquiſitio, mutuaque comparatio ordinatorum in finem, quæ à nobis fieri poſſunt, de rebus ad quemcunque pertinentibus. Altera dubitatio eſt, quia diximus, conſultationem non de fine eſſe, ſed de ordinatis ad illum, quod dubium eſt, quia nonnunquam etiam de fine conſilium capimus, veluti dum conſultamus, quam *Prima dubitatio.* *Secunda.*

Digitized by Google

vitam viuere debeamus, ciuilemne, an contemplationi dicatam, cui facultati debeamus nauare operam, num ciuili, vel medicæ; num debeamus fieri ſacerdotes: at hęc, & ſimilia fines ſunt, non ordinata in finem, & prælecto fine, mox conſultamus de mediis.

Tertia.

Tertia dubitatio eſt, an conſultatio de ſolis humanis actionibus ſit, vel etiam ad effectiones, & ad artes extendatur, in eiſque locum habeat.

Quarta.

Demum ambigitur, an conſultatio locum habeat in ſcientiis, & attinentibus ad eas.

Solutio prima difficultatis an conſultatio ſit de alienis.

Ordiendo à prima, apparebat, conſultationem etiam verſari poſſe in rebus alienis: hinc ſæpe conſulimus prudentiores de eo, quod à nobis agendũ eſt. Viri enim prudentes, nedum ſuas, ſed aliorum quoque actiones, recta conſultatione corrigere, & dirigere valent. Cui difficultati reſpondens dico, conſultationem eſſe quidem de his, quæ ad nos pertinent: at per nos intelligere debemus, nedum nos indiuiduos, verum inſuper omnes, qui ad nos pertinẽt, nobis ſunt iuncti noſtræque curæ, & diligentiæ ſunt crediti, vt filii, amici, Domini, & ſimiles. Hoc declarauit Ariſt. in tertio Nicomachiorum, cap. tertio, inquiens: *Fieri autem poſſe dicuntur ea, quæ noſtra opera effici poſſunt: nam quæ amicorum ſtudio, & opera tranſiguntur, noſtra opera quodam modo videntur, principium enim in nobis eſt, &c.* At inſtabatur, quia de omnibus nobis datum eſt inueſtigare media, eaque inter ſe comparare: hinc modo commẽdamus, modo vituperamus actiones principum, & aliorum, quatenus congruentibus mediis ſint, vel non ſint vſi. Reſpondeo, cum finis conſultationis ſit prælectio, & ea ſolum præligere valeamus, quæ ad nos pertinent, iure optimo ratione finis in his ſolis verſabitur conſultatio. Quod ſi nonnunquam conſultamus inter nos de alienis, vel id facimus exercitii gratia, vt rectius noſtras actiones valeamus dirigere, prudentioreſque euadamus, vel ſunt conſultationes inanes, fineque deſtitutæ: ideo ſæpe nos ipſos tunc carpimus, quia inaniter laboramus. Demum, dum id facimus, frequenter hac ſuppoſitione vtimur, ſi ad nos pertinerent: dicimus enim, ſi hoc ad me pertineret, his mediis vterer, per hæc in finem tenderem.

An conſultatio ſit de fine.

Altera dubitatio erat, quia conſultatio nonnunquam videtur eſſe de fine. Confirmatur, quia dixit Plato in Lachete: *dum aliquis alterius gratia aliquid quærit, de illo ipſo conſultatio eſt, cuius gratia aliud quæritur, non de eo, quod quæritur alterius gratia.* Quare ex ſententia Platonis conſultatio erit de fine, non de ordinatis ad illum.

Solutio.

Soluens difficultatem dico, conſultationem nonnunquam eſſe de fine, ſed ſemper de ordinatis in eum, finis tamen eſt duplex, vel vltimus de quo nulla penitus eſt conſultatio, hoc enim eſt ſummum bonum, quod ita volunt omnes, vt nemo poſſit id nolle: cum nil includat, quod non omnibus ſatisfaciat. Alter eſt finis

non

Digitized by Google

non vltimus, qui relatus ad vltimum obtinet rationem medii, de eo poteſt eſſe conſultatio, at non vt finis eſt, ſed vt medium ad alium finem. Ideo ſi conſultamus de genere vitæ, de genere ſtudiorum, id facimus ſuppoſito laborandum nobis eſſe pro aſſequendo ſummo bono, vt nobis licet: quo præaſſumto quærimus, per quæ media id felicius, & cumulatius aſſequi valeamus. Pro ſolutione autem inſtantiæ ex verbis Platonis deſumptæ, dicendum eſt, quod aliud eſt conſultare de fine, & conſultare pro fine; dum conſultamus de mediis, conſultamus quidem pro fine, at non de fine; Plato hæc non diſtinguens, dubiam reliquit ſententiam, quæ recte ſumpta veriſſima eſt, nec ſententiæ noſtræ aduerſatur, & ab Ariſtotele quoque approbatur.

An conſultatio in artibus locum habeat.
Cap. XXIV.

QVærebatur tertio, an conſultatio in artibus locum habeat, & iure quidem: non enim leuis eſt dubitatio, an artifex in efficiendis ſuis operibus conſultatione vtatur, nec Ariſt. hac de re idem ſemper affirmat. Nonnunquam enim id inficiari videtur, veluti in tertio Nicomachiorum, cap. tertio, inquiens: *at de iis conſultamus, quæ cum ſub actionem cadunt, tum in noſtra poteſtate ſunt, &c.* Actio autem non pertinet ad artes, ſed effectio, vt patet ex ſexto Nicomachiorum. Confirmatur, quia conſultatio terminatur prælectione, prælectio eſt agibilium, non effectibilium: ideo inquit Ariſt. in ſexto Metaphyſicorum, cont. primo: *diſciplinarum efficientium principium in efficiente eſt, aut mens, aut ars, aut poteſtas aliqua, agentium vero principium eſt prælectio, quæ in agente eſt, &c.* Idipſum manifeſtiſſime affirmauit in tertio Nicomachiorum, cap. tertio inquiens, idem eſſe id, de quo conſultatur, & quod præeligitur: differunt ſolum, quia de eo eſt conſultatio, vt de re dubia, cum autem conſultatione deciſa, & definita fuerit, præeligitur. Inſuper in ſecundo phyſicorum, cont. 86. cum dixiſſet, non videri naturam operari propter finem, quia non conſultat: ſoluens inquit, neque artem conſultare, cum tamen operetur propter finem. Ex aduerſo conſultationem extēdi etiam ad artes, aſſeritur à Platone in Alcibiade primo aſſerēte gubernatorem vti conſultatione: aſſeritur etiam ab Ariſtotele in tertio moralium Nicomachiorum, dicente: *Singuli autem homines de iis conſultant, quæ ab ipſis agi poſſunt, neque vero in ſcientiis exquiſitis, ſuaque vi contentis conſultationi locus eſt: verbi gratia, de literis non conſultamus, non enim quomodo ſcribendum ſit ambigimus, ſed de iis, quæ tametſi opera noſtra fiant, non tamen ſemper*

Artem non vti conſultatione.

Artem vti conſultatione.

eodem modo ſunt, vt de iis, quæ ad medicinam, & ad artem pecuniæ quærendæ pertinent: & in arte gubernandarum nauium potius, quam in ratione corporum exercendorum locum habet, quanto minus illa, quam hæc definita ſunt. Hæc Ariſtoteles quibus aperte aſſerit artifices nonnullos vti conſultatione, quod in multis eſt conſpicuum, proculdubio enim Medici, gubernatores nauium, duces exercituum, conſultatione in rebus dubiis vtuntur. Soluẽs difficultatem dico primo, conſultationi duplicem conuenire materiem, vnam magis, alteram minus propriam. Materies, in qua primo, & maxime proprie verſatur, ſunt attinentia ad humanas actiones: & id euenit primo, ob eorum varietatem & inconſtantiam: ſecundo, ob proprie ſumtam prælectionem, quæ eſt terminus conſultationis, prælectio enim iuncta eſt cum appetitu ſenſuum, qui appetitus humanarum actionum, non operum artis dicitur proprie principium: tertio, quia maxime conſultatio refulget in ordinatis ad ſummum bonum, ad quod cuncta dirigit ciuilis ſcientia, quæ in humanis actionibus verſatur. Materies autem, in qua ſecundo loco, & minus proprie verſatur conſultatio, ſunt pertinentia ad artes, dum incerta, & indefinita ſunt. Accipiendum ſecundo artium duo eſſe genera: vnum definitum & certum magis, fere ſemper eodem modo ſe habens: aliud ratione rei in qua verſatur, eſt inconſtans incertum, & apprime indefinitum, vt ars medendi, naualis & militaris. His tertio addo, ſingularum artium duplicem poſſe eſſe artificem peritum vnum, imperitum alterum: peritus in artibus definitis, & certis non vtitur conſultatione, ſed in incertis: imperitus vero in omni arte eget conſultatione, non quidem ob conditionem artis, ſed ob ſui imperitiam; conſultatio enim ob incertitudinẽ, & ambiguitatem requiritur: quæ ambiguitas, vel oritur ex natura rei, vel ex noſtra imperitia. Et hæc pro reſolutione difficultatis: ex quibus etiam patet, quomodo intelligi debeant ea, quæ pro omni parte fuerunt relata. Nam dicebatur cõſultationem verſari in actione, itaque non habere locum in artibus. Reſpondeo eam verſari in actione, vt in principali, at non vt in adæquata materie: addo actionis nomen ſæpe vſurpari late, vt etiã amplectatur effectionem, quemadmodum fortaſſe fecit eo in loco Ariſtot. Altera ratio ſumebatur ex prælectione quæ in ſolis agibilibus verſatur, quæ eadem diſtinctione diluitur. Nam prælectio, vt in propria, & principali materie verſatur in ſolis agibilibus: at ſecundo loco etiam verſari dicitur in attinentibus ad artes, veluti facta conſultatione de remediis adhibendis à Medico, dicimus (exempli cauſa) ſectionem venæ, fuiſſe prælatam ceteris, & ideo præligi. Auctoritati Ariſtotelis in ſecundo phyſicorum, 86 reſpondeo, eo in loco Ariſt. cõſilium eſſe oſtendere

Solutio difficultatis.

Duplex conſultationis materies.

Diluuntur aduerſa rationes.

Digitized by Google

dere inanem eſſe hanc conſequentiam: natura non vtitur conſultatione, igitur non operatur propter finem: quod ſit inanis, patet de arte, quæ omniū conſenſione operatur propter finem, & tamen citharam pulſans, ſtatuarius & ſimiles conſultatione non vtuntur, dum proprium opus efficiunt: quod ea ſententia ſit inanis, ſatis apparet, dummodo aliqua ars conſilio non vtatur: per vnicum enim ſingulare ſecus ſe habens, euertitur enunciatio vniuerſalis. *Canon logicus.*

An conſultatio locum habeat in ſcientiis.

CAP. XXV.

QVærebatur poſtremo; an conſultatio locum habeat in ſcientiis, vt in mathematicis, naturali philoſophia, & ſimilibus. Primo enim in eis non videtur poſſe ſeruari: quia ſciētia eſt æternorum, ac eorum, quæ ſecus fieri nequeunt, nec in noſtra ſunt facultate, de quibus nulla eſt cōſultatio, vt dicitur in 3. moralium Nicomachiorum, cap.3. nec non in ſexto, cap.9. Ex aduerſo, quod in eis locum habeat, aſſeritur ab Ariſt. in 3. moraliū Nicomach. cap.3 his verbis: *magis autem in artibus, quam in ſcientiis conſultationi locus eſt: in eis enim ſæpius ambigere ſolemus, conſultandi autem ratio in iis locum habet, quæ plerunque eueniunt, quorum eſt incertus; &c.* Cum Ariſtot. dicat conſultationem magis in artibus, quam in ſcientiis habere locum, ſatis aperte fatetur in ſcientiis quoque locum habere. Pro ſolutione difficultatis accipiendum eſt, inueſtigationem eſſe communiorem conſultatione, & eſſe genus eius, quicunque enim conſultat, etiam quærit, at non contra: inueſtigatio proculdubio in ſcientiis locum habet; inquiruntur enim in eis principia, & cauſæ, vt ſciamus, conſultatio vero in ſcientia proprie ſumta non reperitur, nec in eadem re cum ſcientia verſatur: ea enim, quæ ſcimus, ſecus ſe habere nequeunt, de quibus vero conſultamus, poſſunt ſecus ſe habere. Verum ſi conſultatio late vſurpatur, duobus modis poteſt in ſcientiis reperiri. Primo quia ſæpe eadem concluſio per varia media poteſt inferri, ideo conſultare valemus, quodnam eorum ſit efficacius, & illud præeligere. Secundo, quia cum ſcientia variæ opiniones complicantur, de quibus certi non valemus reddi, cum pro omni parte ſint rationes: ideo conſultare valemus, quænam earum ſit verior, & quam partem alteri debeamus præferre. Colligamus itaque conſultationem, vt in propria, & principali materie verſari in attinentibus ad actiones, ſecundo loco in artibus, tertio modo quodam in ſcientiis, quæ vt minus proprie eſt conſultatio, ita in minus proprie ſumtam præelectionem definit, adeo vt ex euentu ſolum in ſcientiis locum habere videatur.

Conſultatio non videtur in ſcientiis habere locum.

Quod in eis locum habeat.

Solutio difficultatis.

Conſultatio quando in ſcientiis locum habeat.

Digitized by Google

130

Difficultates ad præelectionem pertinentes.

Cap. XXVI.

Prima dubitatio de præelectione. *Secunda.* *Tertia.* *Quomodo electio ſe habeat ad præelectionem.*

QVemadmodum pertinentia ad conſultationem, ita quoq; pertinentia ad præelectionem difficultate nō carent: præcipue tamen tria dubia ſe nobis offerunt diſſoluendo. Primum eſt, quomodo præelectio ad electionem ſe habeat, & num in feris, & iumentis reperiatur. Alterum eſt, quia ambigere aliquis poſſet, num vera ſit ſententia Ariſtotelis in tertio Nicomachiorum, quod viri impotentes, & incontinentes non agant cū pręelectione. Tertio in dubium vertitur, an præelectio neceſſario ſupponat conſultationem, eamque ſequatur. Agens de prima difficultate dico, electionem eſſe genus præelectionis, omnis enim præelectio eſt electio, at non contra: præelectio enim electioni tanquam generi addit conſultationem, ac ita per additā differentiam ſpecies conſtituitur. Electio pro genere ſumta ſolam expoſcit cognitionem, & iudiciū, per quod vnum, vel aliud eligimus. Hinc electio conuenit iumentis, & feris, at non præelectio, vt docet Ariſtoteles in ſecundo phyſicorum, cont. 59. eligit canis panem, deſerit aurum, idque facit ſine conſultatione, ſolo ſenſuū iudicio, & imaginationis, conferente inſtinctu quodam naturæ. At ſi vera eſſet opinio Porphyrii in libro de abſtinentia ab eſu carnium, nec non Plutarchi Chæronei, & in parte Galeni in eo libro, in quo ſuadet artes, capite primo, exiſtimantium feras vti ratione, proculdubio eis quoque præelectio tribuenda eſſet: verum cum id ſentiant, aperte falluntur, & hominem à ferarum genere nō ſecernunt. Inſuper, quia voluntas cōſultationi antecedit, nec eam expoſcit, ideo ea, quę volumus, etiam eligere dicimur, at non præeligere, adeo vt electio nedum ordinatorum ad finem, vt præelectio, verum etiam finis modo aliquo eſſe dicatur. Hoc ex Ariſtotele ſatis aperte colligitur in tertio moralium Nicomachiorum, capite quarto, dicente: *atqui eorum ratione, qui id, quod ſub voluntatem cadit, dicunt eſſe vere bonum, euenit, vt id, quod vult is, qui minus recte eligit, non cadat ſub voluntatem, &c.* & hoc dereliquit Ariſtoteles vt falſum. Ex his patet reſolutio primæ difficultatis. Altera dubitatio erat, an viri incontinentes operentur cum præelectione. Ariſtoteles in tertio libro moralium Nicomachiorum, capite ſecundo, inquit: *præterea incontinens à cupiditate quidem impulſus agit, at non cum præelectione, &c.* Ratio eſt, quia videt meliora, eaque conſultatione probat, tamen ſequitur deteriora. Ex aduerſo apparet incontinentem agere cum præelectione, quoniam libere agit, tenetur ſuorum delictorum luere pœnas, non caret culpa, quæ præeligentis eſt. Inſuper operatio eius eſt actio moralis; actionum

Electio etiam poteſt eſſe ipſius finis.

An incontinens agat cū præelectione.

principium

Digitized by Google

principium eſt prælectio, vt aſſeritur ſub initio ſexti metaphyſ. & confirmatur ſæpe in libris de moribus: ideo in tertio Nicomachiorum, cap. ſecundo, legitur, *prælectionem virtuti eſſe coniunctiſſimam, & ab ea magis quam ab actionibus mores diiudicari*. Demum hoc ſatis aperte conſtat ex eo, quia incontinens, dum agit, aliqua ſaltem ratione vtitur, quamuis non vtatur recta. omnis enim actio eſt boni gratia: ſi vtitur ratione, & ea agit, etiam vtetur prælectione. Soluens difficultatem dico cum Ariſtot. virum incontinentem eligere quidem, at non præligere, quia non rationem, ſed ſenſum, eiuſque appetitum ſequitur. Et quamuis incontinens modo aliquo dicatur formare rationem, quatenus ſub communi aliqua enũtiatione minorem aliquam ponit ſenſu approbatam, eiuſque appetitui conſentaneam, vt dicitur ab Ariſtot. in 7. moralium Nicomachiorum, cap. 3. non propterea dicitur agere cũ prælectione, quia non ſequitur rationẽ abſolutam, & principalem, à ſenſu non ſeductam, ſuæ opinioni cõſentaneam cuius exſecutio re vera eſt prælectio. Colligamus itaque, incontinentem eligere quidem, at non præligere. Rationes aduerſæ facile diluuntur, quamuis enim libere agat, nõ propterea agit cum prælectione. Nam libere agit, quia non cogitur, & valuiſſet præligere id, quod recta ratione fuit approbatum, quod non fecit, ac propterea ſuorum ſcelerum tenetur dare pœnas: culpa enim eſt vel præligentis, vel male eligentis, vel eius, qui cum bonum nouerit, & valuerit præligere, id non fecit. Addebatur eam incontinentis eſſe actionem, cuius principium dicitur eſſe prælectio. Reſpondeo, prælectio eſt principium earum, quæ vere & proprie ſunt actiones, ad hominem vt homo eſt pertinẽtes, quales ſunt illæ, quæ rationem ſequuntur ducem: illæ autem quæ ſunt viri incontinentis, quæ ſequuntur perturbationem, & appetitum ſenſus, minus proprie nuncupantur actiones, nec ſunt hominis vt homo, ſed vt conuenit cum iumentis, & feris, quæ ſola ducuntur perturbatione. Iumenta tamen & feræ, cum careant actione, nec dicantur deſerere rationem, nec continentes, nec incontinentes dici poſſunt. Quærebatur poſtremo, *an prælectio poſſit eſſe ſine conſultatione*. Ariſtoteles neceſſario ſupponere conſultationem affirmabat, id enim, quod conſultatione præfertur, prælectione ad operam deducitur. Ex aduerſo inquit philoſophus in tertio moralium Nicomachiorum, capite tertio, *nos non conſultare de conſpicuis, & de his, de quibus ſtolidus conſultaret*. De conſpicuis igitur non eſt conſultatio, quorum tamen eſt prælectio, ſeruatur itaque prælectio ſine conſultatione. Veluti conſpicuum eſt, quod qui vult euadere ſapiens, debet deſerere voluptates corporis, & dare operam literis, & cum de hoc non conſultet,

Solutio difficultatis.

Diluuntur aduerſæ rationes.

Quorum culpa ſit?

An prælectio poſſit eſſe ſine conſultatione.

Solutio difficultatis.

præeligit tamen ſtudium literarum. Reſpõdens dico, dum propriam volumus patefacere formam, propriam quoq; materiem ei tribuere debemus: & hoc ſeruauit Ariſt. in explicanda præelectione, & conſultatione: ſi autẽ ad aliam transfertur materiem, vt variatur materies, ita modo aliquo variatur forma. Conſultatio itaque, & præelectio, vt in propria materie, in re dubia verſantur, ſi transferuntur ad conſpicuam, conſultatio in re conſpicua eſt conſultatio ſtolidi, & inſani: nam conſultatio eſt ratio, & argumentatio, quæ rei dubiæ fidem facere debet, præelectio rei conſpicuæ ſine conſultatione, potius dicenda eſt electio quam præelectio: & ſi nũcupatur præelectio, id euenit, quia facultate, eminentia, & virtute includit id, quod conſultatio ei præbere poſſet, nam conſultatio ei præbet approbationem partis, quæ approbatio in re conſpicua ſine conſultatione eluceſcit. Ea igitur ratione modi, & formæ eſt electio: ratione autem eminentiæ, & virtutis eſt præelectio.

An ſeparatæ mentes, & natura vtantur conſultatione, & praelectione. Cap. XXVII.

Conſultatio, & prçelectio omnium conſenſione ſunt hominis maxime propriæ, iumenta & feræ infra conditionem vtriuſque ſunt collocatæ. De ſeparatis mentibus, de natura, & Deo quid ſit dicendum, non facile conſtat. Sæpe cõſilium Deo, ſæpe naturæ tribuitur, ſæpe eorum opera mira cõſultatione eſſe facta dicuntur: *Deus & natura nil fruſtra faciunt*, 1. cœli, 32. nil vt contingit, & ex euentu, 2. cœli, 50. hoc ſine conſultatione fieri poſſe non videtur. Hinc Plato in Epinomide Deo tribuit conſultationem, inquiẽs: *enimuero tres illæ Parcæ, quod ſinguli Deorum optimo deliberarunt conſilio, integerrimum ſeruant*. Galenus in 5. de vtilitate partium, cap. 9. ex ſententia Hippocr. inquit: *Natura eſt iuſta, perita, prauidens*, ait enim: *eadem cum Hippocrate de natura omnino pronuntiabit, quod ea ſcilicet ſagax, iuſta, artificioſa, animaliumque prouida, & conſultrix eſt*. Plotinus Ennead. 3. lib. 8. cap. 2. & 3. inquit, *opera naturæ eſſe rationes, & contemplationes quaſdã. quatenus natura ex contemplatione mẽtis, & rationibus animæ oritur, eas ſequitur, eaſque ſupponit*. Simplicius, Philoponus, & Academici omnes cœlo tribuunt animam rationis compotem, naturã aiunt ſequi animam, ac ita cuncta recta ratione agere, cui autem cõuenit anima rationis compos & conſilium, & præelectio conuenire videntur. Ideo Simplicius in 2. Phyſ. cont. 23. inquit, *naturam proxime non vti ratione, & cognitione, includere tamen rationem munere ſui principii, natura enim ſeminibus eſt prædita, quæ ita à rationibus animæ pendent, vt rationes à ſpeciebus mentis.*

Plato.

Galenus.

Plotinus.

Simplicius.

Stoici

Stoici etiam naturam artificioſam, & conſultricem dicebant. Ideo Cicero in 2. de natura Deorum, inquit: *natura non artificioſa ſolum, ſed plane artifex, ab eodem Zenone dicitur, conſultrix, & prouida vtilitatum, opportunitatumque omnium, &c.* Ob hæc itaque ſuſpicabitur quiſpiam naturam, & ſeparatas mentes conſultatione, & prælectione vti. Ex aduerſo Ariſt. in 2 phyſic. cont. 80. & 86 *naturam* aſſerit, *nec ratione, nec conſultatione vti.* De ſeparatis mentibus id ipſum ratione oſtenditur, quoniam earum cognitio ex ſententia Peripateticorum eſt earum eſſentia, quæ eſt indiuidua, carens progreſſione ex vno in aliud, carenſque ambiguitate, quæ pro conſultatione requiruntur, vt declaratur in 3. moralium Nicomachiorum. Ideo recte inquit Plotinus Ennead. 4. lib. 2. de dubiis animæ, cap. 12. *Sapientia in ſtatu eſt poſita, ratiocinatio autem eſt inquiſitio ſapientiæ*: ac (vt ait Ammonius in ſecunda ſpecie qualitatis) *conſilium eſt defectio prudentiæ*, & Philoponus in ſecundo phyſic 82. inquit, *Conſilium ſuſcipitur ob egeſtatem prudentiæ, quæ egeſtas à ſeparatis mentibus abeſt.* Pro reſolutione difficultatis tres profero aſſertiones. Prima eſt, ſeparatis mentibus voluntas conuenit, mentem enim omnem comitatur voluntas, & iure quidem: nam voluntas expoſcit iudicium mentis, & in bonum tendit, quæ duo ſeparatis mentibus feliciſſime conueniunt, iure igitur omnium conſenſione ſeparatis mentibus conuenit voluntas. Altera aſſertio eſt ſi conſultatio, & prælectio proprie vſurpantur, & propriam formam ſeruant, vt competunt homini, proculdubio nec naturæ, nec ſaparatis mentibus conueniunt, vt iam oſtenſum fuit. Ideo Plotinus in lib. 2. de dubiis animæ, cap. 11. inquit: *Natura conſultatione non eget.* Ac ita intelligi debet Ariſtoteles in 2. phyſic. Poſtrema aſſertio eſt, ſi ratio, & conſultatio ſumuntur pro eminentia, & virtute, ita ſeorſum ab omni imperfectione competunt ſeparatis mentibus. Naturæ vero, quatenus eas ſupponit, ab eiſque dirigitur: omnia enim præſtantiam indicantia, quæ conueniunt nobis, & ſunt complicata cum imperfectione, in ſupernis principiis ſeorſum ab omni imperfectione refulgent. His accedit, quod nos ob noſtrum operandi modum multa eorum, quæ nobis competunt, per analogiam ac metaphoram quandam ad diuina transferimus: ideo, quia nos dum aliquid recte facimus, dicimur id recta conſultatione facere, pariter intuentes Dei, & naturæ opera, quæ ſublimi quadam nos admiratione afficiunt, dicimus eſſe facta optima ratione, diuinoque conſilio. Et de natura dicimus nos nullo conſilio aſſequi poſſe, quanto conſilio abſoluta ſint opera eius. Nam, vt inquit Ariſtot in calce primi de partibus animalium, & confirmatur à Galen. 3. de vſu partium, cap 10. *Nullum eſt naturæ opus, in quo diuini aliquid non re-*

Stoici.

Ariſtot.

Solutio difficultatis.

Prima aſſertio.

Secunda.

Plotinus.

Tertia aſſertio.

Canon theologicus.

Quomodo natura tendat in bonũ. *Theologi.* *Academici.* *Ariſtoteles.* *Epicurus.*

fulgeat, præ ſe ferens ſapientiam Dei. Præclara tamen, & ſublimis eſt conſideratio, quo pacto, qua ratione, & via natura à ſeparatis mentibus ad id, quod bonum eſt, dirigatur. Qua de re quatuor ſunt opiniones, quatuorque explicandi modi. Primus omni ex parte verus eſt ille theologorum, qui aiunt; *Deum per ideas nedum ſpecies, verum indiuidua quoq; cognoſcere, cunctiſque prouidere, eiſque illa tribuere, quæ eorum naturæ, & conditioni ſunt accommodata.* Modus alter proximus eſt ille Platonis exiſtimantis, diuinam mentem non indiuiduorum, ſed ſpecierum tãtum includere ideas, quibus rationes animæ, ſemina naturæ, participationes & vmbræ materiei reſpondeant, qua aurea catena ait gradus vniuerſi ligati, & à primo ad vltimum cuncta deſcendere, ac ab vltimo in primum reuocari. Tertia eſt opinio Ariſt. exiſtimantis, Deum cuncta includere & cognoſcere non per ideas, & formam, ſed per eminentiam, vt qui poſſidet aurum, cæterorum metallorum dicitur Dominus, & quia Deus eſt ipſum bonum, à quo cuncta neceſſitate quadam pendent, non pugnãte cum eius voluntate, ſed eam comitante, vt infra apparebit; ideo neceſſe eſt, vt cuncta ſeruent imaginem, & characterem boni: de ratione enim boni eſt ſe effundere, bonaque parere, non autem ſunt bona, quæ carent ordine, & in bonum non ſunt ordinata: quia igitur omnia à bono pendent, inſertam habent rationem boni, per quam ad bonum, ſuique perfectionem conſpirant. Deterrima eſt opinio Empedoclis, Democriti, Leucippi, Epicuri exiſtimantium cuncta fieri cœco caſu, & per materiei neceſſitatem. Sed de his exquiſitius agere, altioris eſt Philoſophiæ munus.

Dubia ad voluntatis notitiam pertinentia.
CAP. XXVIII.

Prima dubitatio ad voluntatem pertinens. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio primæ dubit.* *An voluntas tantum ſit ipſius finis.*

ABSOLVTA eorum explicatione, quæ ad conſultationis, ac prçelectionis notitiam pertinebant, nonnulla de voluntate explicãda ſuperſunt. Ex his enim, quæ de voluntate diximus, tres emergunt difficultates. Prima eſt, an voluntas ſolum ſit ipſius finis, non autem mediorum ducentium ad finem. Altera, an voluntas tendat etiam ad ea, quæ aſſequi nequeunt. Poſtrema, an bonum, quod ſtatuitur obiectum voluntatis, ſit tantum illud, quod vere eſt bonum, vel etiam id, quod non eſt, iudicatur tamen bonum. His addimus, cum nedum voluntas, verum inſuper omnis actio, omnis electio, omniſque appetitio bonum quærat, cur bonum potius voluntatis, quam alterius facultatis ſtatuitur obiectum? His ergo difficultatibus qua potero breuitate ſatisfaciam. Quærebatur primo, an voluntas tantum ſit finis?

Ariſtot.

Digitized by Google

Ariſtot.in 3.moralium Nicomach. cap. 2. id affirmat: at contra. *Quicunque vult finem, videtur etiam velle ordinata in illum*, vt etiam contra, *quicunque vult ordinata in finem, dicitur velle finem*, vt inquit Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, capite quinto, diſputans aduerſus Platonem. Et confirmatur, communi vſu loquendi, dicimus enim nos velle ambulare, purgari, ſtudere, & alia ſimilia, quæ media ſunt, non fines. Reſpondeo, voluntatem dupliciter vſurpari: nonnunquam late, in qua ſignificatione dicitur de omni appetitione, & tribuitur nedum homini, verum etiam feris: ita dicimus feras in ſyluis tendere, quo volunt, aues in aere volare vt volunt, pueriſque licere agere quod volunt: & in hac ſignificatione nemini dubium eſt, voluntatem, nedum eſſe de fine, verum etiam de ordinatis ad illum. Secundo vſurpatur proprie pro appetitu mentis, contradiſtincto nedum ab appetitu ſenſus, verum etiam à prælectione ſibi ſummopere coniuncta: in qua ſignificatione voluntas per ſe primo, & ratione propria eſt finis, non autem mediorum, niſi ſecundo loco, & per conſequutionem. Prælectio vero contra ratione propria eſt mediorum: in definitione autem ea accipi debent, quæ rei conueniunt per ſe, & primo. Quod autem voluntas ſecundo loco, & per conſecutionem extendatur etiam ad media, indicauit Ariſtotel. in primo Nicomachiorum, capite primo, inquiens: *ſi quis igitur eſt rerum, quæ in actionem cadunt, finis, quem propter ſe velimus: cetera autem propter hunc, &c.* Inſuper tertio moralium Nicomachiorum, capite ſecundo, inquit: *voluntas magis eſt ipſius finis.* Et hæc de prima difficultate. Altera dubitatio erat, an voluntas feratur etiam in ea, quæ fieri nequeunt. Ariſtoteles affirmat eorum quoque nobis poſſe competere voluntatem, at non prælectionem. Ratio differentiæ traditur à nonnullis: nam inquiunt id ex eo euenire, quia prælectio ſupponit, iunctamque habet conſultationem, ideo non decipitur in his, quæ fieri nequeunt. Voluntas autem decipi poteſt, quia conſultationem antecedit, eamque non expoſcit. At ratio hæc inanis eſt, quoniam voluntas ſupponit iudicium mentis, quo quamuis iudicemus non poſſe aliquid aſſequi, tamen id volumus. Propterea dicendum eſt, quod ratio eius differentiæ eſt, quia voluntas dicitur eorum, quæ iudicamus nobis eſſe commoda, & bona, huiuſmodi autem multa ſunt, quæ à nobis aſſequi nequeunt: at prælectio iam principiũ eſt actionis, iam per eam incipimus ad finem tendere: aggredimur autem ad ea ſola efficienda, quæ iudicamus à nobis perfici poſſe, ne labor ſit inanis. At pulcra inſurgit dubitatio, quia inſani, & ſtulti eſt ea velle, quæ ſuperant hominis vires, nos a. voluntatem cõſiderare debemus, non viri præter naturam, ſed ſecun-

Solutio.

An voluntas tendat ad ea, quæ fieri nequeunt.

Reiicitur opinio quorundam.

Opinio propria.

Pulcra dubitatio.

dum naturam affecti. Et præſertim, quia id, quod fieri nequit, neque eſt, neque eſſe poteſt, quare non ſeruat rationem boni, quod eſt obiectum voluntatis. Confirmatur, quia ſi hominum ineptias, & deceptiones ſequimur, etiam dicere deberemus, p. ę-electionem eſſe eorum, quæ fieri nequeunt, vireſque noſtras ſuperant. Filii enim terræ, hoc eſt, vitioſi, & deprauati homines, vt cœlum ſcanderent, in corpore confiſi, montem monti ſuperimponere prælegerunt, & ita viribus corporis putarunt ſe poſſe ſummum bonum aſſequi, vni terrenæ cogitationi alteram quaſi montem in immenſum ſuperimponentes. Auari quoque, vt euadant diuites, præeligunt Chymica arte aurum efficere: amore capti præeligunt vti auxilio Dæmonum pro aſſequendo fine, cum tamen ea media ſint inania, minime poſita in noſtra facultate. Pro exacta ſolutione duo explicanda ſunt: vnum eſt, an vir ſapiens recte, & ſecundum naturam affectus, poſſit ea velle, quæ ſuperant vires eius: alterum eſt, quomodo de re hac varia ſit ratio voluntatis & prælectionis. Quod pertinet ad primum, dico ea, quæ fieri nequeunt, duplicis eſſe generis: vel enim abſolute fieri nequeũt, exempli cauſa, vt cœlum ruat, homo volet, corporeque ſit immortalis: vel poſſunt quidem fieri, at non ab eo, qui ea vult, & expetit. Si fuerint primi generis, ea profecto à nemine recte affecto expeti queunt. Homo enim mente valens, recteque affectus, voluntatem habet conformem naturæ rerum, eique conſentaneam non aduerſam, & qui ea volunt, voluntati Dei aduerſantur, eique videntur velle imponere legẽ, operaque eius emendare, quod maxime aduerſatur conditioni hominis recte affecti, recteque natura conformati, qualis eſt ea viri ſapientis. Præterea voluntas eſt appetitio quædam, omnis appetitio ex ſententia Ariſtotelis in tertio de anima, cont. 54. eſt motus: nil per naturam ad id mouetur, quod non valet attingere, veluti neque natura id quærit, & appetit, quod non valet perficere: nemo itaque recte affectus debet ea velle, quæ abſolute fieri nequeunt. Si vero ea, quæ fieri nequeunt, fuerint ſecundi generis, adeo vt non abſolute, ſed ab eo tantum fieri non poſſint, vel ad eum non pertineant, tunc cadere poſſunt ſub voluntatem viri ſapientis, recteque affecti. Veluti ſi patria tyrannide fuerit preſſa, iniuſteque regatur, quamuis vir probus non valeat eam corrigere, & liberare, tenetur tamen voluntate recte formata velle eam eſſe liberam, & de huiuſmodi voluntate dicitur in rebus præclaris & magnis, ſat eſt voluiſſe, ſat eſt bonã voluntatem pateſeciſſe. Similiter ſi videmus quempiam iniuria interfici, quamuis non valeamus eum ſeruare incolumem, tenemur tamen recta voluntate velle eum non interfici, alioquin nos impios, perperamque affectos indicaremus: in qua conſtitutione

Filii terræ.

Solutio.

An ſapiens poſſit velle ea, quæ fieri nequeunt.

Digitized by Google

tutione cum bonum id, quod volumus aſſequi non valeamus, deprecamur Deum, vel vt vires nobis tribuat, vel vt per alia media id perficiat. Huiuſmodi voluntas non aduerſatur naturæ: non enim tendit ad id, quod abſolute attingi nequeat, naturæque rei ſit aduerſum, ſed ei eſt conſimilis, quæ pendens à bono pro facultate bonum quærit. At dicebatur voluntatem eſſe motum, & nil per naturam tendere ad id, ad quod peruenire nõ valet. Reſpondeo, motum dupliciter vſurpari, vel pro interna excitatione, & propenſione ad aliquid, vel pro externa proſequutione, & effectione: ea ſententia eſt vera de motu in ſecunda, nõ in prima ſignificatione. Et conſiderandum eſt, quod, dum vir probus bonum aliquod optat, quod aſſequi non valet, rectius dicit vellem, quam abſolute volo: inquit enim, *vellem patriam meam eſſe liberam à tyrannide, quod cum aſſequi non valeam, conſtanti animo fero.* Solus itaque homo, qui falſa ſeducitur opinione, vel præter naturam eſt affectus, ea vult, quæ abſolute fieri nequeunt, & hæc ea ſunt, quæ rationem boni nullo pacto valẽt ſeruare niſi per fatuam inſipientis opinionem: reliqua vero alterius generis ſeruant rationem boni, cum modo aliquo fieri poſſint. Supereſt modo, vt oſtendamus voluntatis & prçelectionis non parem eſſe rationem, quod ex iam dictis facile colligitur. Nam voluntas pertinet ad internam animi conſtitutionem & propenſionem, præelectio vero iam principium eſt externæ actionis: interna animi recta conſtitutio, & propenſio ad bonum, ſemper in viro probo ſeruari debet; at tentare ea extrinſecus agere, quæ fieri nequeunt, inſani penitus & furioſi eſt: qui etiam ſi ea præeligunt, propterea præeligunt, quia deprauata ſua opinione cenſent in ſua facultate eſſe poſita; at de voluntate ſecus ſe habet: hinc dicimur etiam ea velle, quæ ad alios pertinent, non autem præeligere.

Motus notio duplex.

Quæritur, quodnam ſit illud bonum, quod ſtatuitur obiectum voluntatis. Cap. XXIX.

DVbitabatur poſtremo de obiecto voluntatis, & quærebatur, an ſolum id, quod re vera eſt bonum, cenſeri debeat eius obiectum: ac inſuper, cur bonum potius voluntatis, quam alterius facultatis ſtatuatur obiectum. Sententia fuit doctiſſimi Portii in libro, an homo bonus vel malus fiat ſponte, capit. 13. *Voluntati nullum conuenire obiectum.* Ratio eius eſt, quia facultas appetens vt appetens eſt, caret obiecto, quandoquidem obiectum, quod Græci ὑποκείμενον appellant ſolum eſt potentiæ cognoſcentis: appetitus finem habet, non obiectum. Hinc ait cap. 6. falſo dici obiectum mouere appetitionem, appetitus

Portii opinio.

enim eſt motus, motus autem non mouetur: at intellectus practicus ille eſt, cuius obiectum eſt bonum, actio vero finis, & obiectum ab intellectu cognitum dicitur excitare appetitum. Huius viri ſententia minime (vt cenſeo) approbãda eſt. *Reiectio eius.* Primo, quia confundit appetitionem cum facultate appetendi: appetitio, quæ eſt ſecundus actus motus eſt, vt dicitur ab Ariſt. in 3. de anima, 54. at vis appetendi non eſt motus, ſed principium eius, obiectum tribuitur facultati appetenti non motui. Præterea, dum tribuitur obiectum facultati appetenti, proculdubio nõ eodem modo ei tribuitur, vt facultati cognoſcenti, nam diſtincta vtriuſque eſt actio: ſed vnum eſt obiectum natum cognoſci, aliud optabile, quod ineſſe cognito mouet vim appetendi, & excitat eã ad appetitionem. Obiectum nũcupatur à Græcis & ὑποκείμενον, hoc eſt, ſubiectum, vt ſecũdo de gen. & inter. cont. 7. & 2. de anima, 136. 144 & ἀντικείμενον, hoc eſt, oppoſitum, vt 1 de anima, cont. 10. 2. de anima, cont. 33. Vtrumque nomen conuenit appetibili relato ad facultatem appetendi: primo dicitur ὑποκείμενον ſiue ſubiectum, vt patet per Ariſtotelem in 1. rhet. vbi quæſtum & lucrum appellat ſubiectum auari, id autem eſt appetibile appetitu eius: dicitur etiã oppoſitum, quatenus appetibile ita opponitur appetitui, vt ſenſile ſenſui. Inſuper errat, cũ dicat appetitũ non moueri: ſententia conſpicua eſt Ariſt in 3. de anima, 54. appetibile mente, ſiue imaginatione cognitum ſolum mouere, appetitũ vero moueri, & mouere. Ex his conſtat, appetibile poſſe dici obiectum facultatis appetẽtis, finis autem eius eſt conſequutio illius obiecti.

An de ratione ei: quæ ſub voluntatem cadit ſit hoc, vt re vera bona ſit. Sed ne lis ſit de verbis, volũtati id opponitur, quod ab Ariſt. in 3. moraliũ Nicomach. βουλητὸν appellatur, nempe id, quod ſub voluntatem cadit: de hoc eſt dubitatio, an de ratione eius ſit, vt vere ſit bonũ, vel ſit ſatis vt appareat & iudicetur, quamuis re vera non ſit bonum. Res dubia eſt pro omni parte: nam aſſerere voluntate expeti id ſolum, quod vere eſt bonum, experientiæ aduerſatur, videmus enim virum intemperatum velle vitam voluptuariam, & in voluptate finem & ſummum bonum collocare. Confirmatur, quia voluntas ſequitur cognitionem mentis, humana mens decipi poteſt & nõ bonum vt bonum iudicare, quare voluntas tunc in rem nõ bonam tanquam bonam tendet: appetimus enim res, quia bonæ videntur, vt dicitur in 12. metaphyſicæ, cont. 36. Ex aduerſo, ſi dicimus id eſſe obiectum, quod videtur bonum, ſequetur obiectum voluntatis certum & definitum non eſſe, & nil reperiri, quod ſui natura eius obiectum ſtatui poſſit, quod apprime videtur abſurdum. Confirmatur auctoritate Ariſt 12. metaphyſicæ, cont. 36 dicentis, *quod cadit ſub cupiditatem, eſſe id quod videtur: at βουλητὸν*, ſiue id quod cadit ſub voluntatem, eſſe ipſum primum exiſtens bonum.

Digitized by

Plato. *Boetius.*

num. Hac de re Plato, & cum eo Boetius in libro de conſolatione philoſophica, inquiunt, *obiectum voluntatis id ſolum eſſe, quod vere eſt bonum*: propterea inquiunt, *tyrannos, & improbos homines, nil eorum facere quæ volunt, cum voluntas tantum ſit veri boni, ſed ſolum ea facere, quæ illis videntur.* Ex aduerſo Euſtrat. in tertio moralium Nicomachiorum, capite quarto, opinionem ab Ariſtotele reiectam magis commendans, inquit, *non dari optabile per voluntatem abſolute, ſed ſolum dari bonum abſolute*; differt enim dicere, dari bonum abſolute, & dari optabile abſolute: nam bonum eſt aliquod abſolutum, βουλητὸν vero, & optabile relationem includit ad voluntatem & optantem, à quo nō eſt optabile niſi videatur, ideo de ratione eius non eſt, vt ſit, vel nō ſit, ſed ſolum vt videatur, & appareat: at errat profecto, nam quemadmodum γνωστὸν (cognoſcibile,) quamuis referatur ad facultatem cognoſcentem, tamen diſtinguitur per eſſe abſolute, & ſui natura tale, & eſſe tale nobis, ita etiam βουλητὸν ſequēs cognitionem, quamuis referatur ad voluntatem, tamen poteſt dici tale, vel ratione ſui, vel ratione noſtri: & quemadmodum ſui natura notius differt frequenter à noto nobis, ita ſui natura optabile poteſt differre ab eo, quod à nobis optatur. Propterea ſoluens difficultatem dico cum Ariſtot. in tertio moralium Nicomachiorum, cap. quarto, βουλητὸν, ſiue id, quod ſub voluntatem cadit, eſſe duplex, vel ex natura rei, vel ex parte noſtri. Obiectum voluntatis ex natura rei eſt id, quod ſui natura, & abſolute bonum eſt. Ex parte autem noſtri eſt id, quod nobis videtur bonum. Hinc obiectum voluntatis ex rei natura certum, & definitum eſt, ex parte autem noſtri eſt indefinitum, & incertum, quia varium, & inconſtans eſt iudicium hominis: ſolum ex parte noſtri eatenus eſt definitū, quatenus ſeruat vmbram, & imaginem boni. Hinc frequenter dicimur optare non optanda, & velle ea, quæ nolle deberemus. Eiuſdem quoque ſententiæ fuit Plato: propterea 9 de repub. ait, *tyrannum non agere ea quæ vult, ſed ſtimulo percitum violento, perturbatione, pœnitentiaque redundare*. Id ipſum patefacit in Gorgia, inquiens, *tyrannos non agere quod volunt, ſed quod eis mente captis videtur, & propterea impotentiſſimos eſſe*. Quæ ſententia ideo eſt vera, quia voluntatis abſolutum obiectum eſt bonum abſolute, & de hoc obiecto cum Boetius, tum Plato loquebantur. Et quoniam vir ſapiens ſecundum naturam eſt affectus, naturæque eſt conſimilis, ideo ei vnumquodque prius notius, & bonum eſt, quod ſui natura, & abſolute tale eſt. Vir enim probus, & ſapiens eſt menſura rerum, vt colligitur ex decimo Metaphyſicæ, cont. 5. & ex decimo moralium Nicomachiorum, capite decimo. De his namque perinde ſe habet, ac de viro ſano, cui ea ſunt ſana, & ſalu-

Euſtrat.

Reiectio.

Solutio propria.

Digitized by Google

bria, quæ ſui natura ſunt talia: contra autem viro laboranti, ratione varietatis ægritudinis, varia quoque ſana, & ſalubria ſunt. Reliquum modo eſt perpẽdere, qua de cauſa bonum potius dicatur obiectum voluntatis, quã alterius facultatis, cum omnes ferantur, & conſpirent in bonum. Pro reſolutione dico: omne appetibile præ ſe fert rationem boni, & bonum definitur, quod ſit id, quod omnia appetunt, vt dicitur ſub initio primi moralium Nicomachiorum. Verum hoc bonum, quod optatur, eſt multiplex, & frequenter eſt bonũ apparens, ad ſenſus pertinẽs, nõ vere bonum. Abſolute & vere bonum eſt finis vltimus, quod ſummum eſt hominis bonum, ad quod humana voluntas proprie, & maxime conſpirat: hinc abſolute bonum voluntati tribuitur. Hoc indicauit Ariſtot. in duodecimo metaphyſ. cont. 36. inquiens: *quod cadit ſub cupiditatem, eſt id, quod videtur, at quod cadit ſub voluntatem, eſt ipſum primum exſiſtens bonum, &c.* Iure igitur cum voluntas ſua propria ratione reſpiciat ſummum hominis bonum, quod eminentia quadam cetera cuncta bona includit, & reliqua eatenus dicantur bona, quatenus ei conducunt, dicitur abſolute ſibi pro obiecto bonum optare ac vendicare.

Cur bonum potius volũtati, quam alterius facultatis ſtatuatur obiectum.

De hominis libertate, quotuplex ſit libertas.

CAP. XXX.

INTER ea, quæ ad virtutem viam nobis parant, & ſternunt, ſummopere fulget libertas: ea enim ſua natura, & conditione nulli ſubiicitur, ſed cunctis ad hominem pertinentibus dominatur, & imperat: alacri igitur animo ad eius conſiderationem accedamus. De qua à viris ſapientia & religione illuſtribus multa latiſſime dicta fuere: propterea ego, illis prætermiſſis, quæ à Theologis ſapientiſſime perpenduntur, ne in alienam prouinciam videar imprudenter irruere, ea ſola perpendam, quæ à philoſopho, præſertim Peripatetico dici poſſe videntur. Et quoniam libertatis nomen varia ſignificat, propterea ab eius ſignificationibus ordiar. Primo liberum dicitur illud, quod nulli ſubiicitur, & ſolum prima intentione eſt ſui gratia: in qua ſignificatione inter ea, quæ ſunt, ſolus Deus eſt liber, inter ſcientias dicitur libera, & domina metaphyſica, vt patet ex proœmio metaphyſicæ; inter habitus humanæ mentis intelligentia dicitur libera. Secundo liberum dicitur illud, quod eſt indifferens, ad nullum oppoſitorum eſt definitum, ſed æque ſe habet ad vtrumque, ac vtrumq; recipere valet: huiuſmodi libertate prędita eſt prima materies, at hæc libertas cum maxima ſeruitute iũcta eſt, quia ab externo contrahi, determinarique debet. Tertio vſurpatur libertatis nomẽ pro omni eo, quod ſponte operatur, quæcun-

Significationes libertatis.

Prima.

Secunda.

Tertia.

quæcunque enim ſponte aliquid faciunt, libere operari dicuntur: in qua ſignificatione feræ, iumenta, & pueri libertate fruuntur. Verum hæc potius diſſolutio quædam, & licentia, quam proprie libertas iudicari debet: non enim vera libertas ſeorſum à mente ſeruari valet. Propterea vſurpatur libertatis nomen pro ea, quæ ſeparatis mentibus conuenit, quæ quidem libertas dicitur, quatenus ex earum eminenti natura, & cognitione pendet, vt ita velint. Verum ſeparatæ mentes, vel ab æterno, & ſui natura ſolum determinatæ ſunt ad optimum, vt eſt ſententia Platonis & Peripateticorum, vel ita ſe habent, vt quam partem primo elegerunt, nunquam deſerant, ſed ei ſemper firmiter hæreant, vt angeli lucis, & tenebrarum ex ſententia theologorum: conſtantia enim, & immobilitas non deſtruit libertatem. Demum vſurpatur libertatis nomen pro ea, quæ cum ratione iuncta eſt, à ratione oritur, ac mutari poteſt. Hæc non ratione carentibus, nec ſeparatis mentibus, ſed ſoli homini competit, ac præſertim in eo fulget, quia duplici animæ parte præditus eſt, vna fera, altera diuina: per partem feram inuitatur ad illecebras corporis, per diuinam ad diuina, & in eius facultate poſitum eſt, adhærere cui libuerit parti, ac ſententiam mutare, propterea ſuæ ſortis, ſuæque conditionis dicitur faber. Hanc libertatem circumſcripſit Pythagoras per duplicem viam virtutis & vitii, homini poſt ortum propoſitam, ita vt in eius ſit facultate ambulare, per vtram maluerit. Hæc libertas & arbitrium, & id quod eſt in nobis, nuncupatur. Dicitur arbitrium liberum: quatenus non per naturæ imperium, vt inanima corpora, non per inſtinctum naturę, vt iumenta & ferę, ſed arbitratu noſtro in finem tendimus, ita vt ἐφ' ἡμῖν, id eſt, in nobis ſit id agere, vel non agere Ideo Cicero in libro de fato inquit: *qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam, hi mentem hominis voluntate libera ſpoliant, neceſſitate fati deuinciunt*. De libertate igitur in hac poſtrema ſignificatione á nobis agendum eſt. De qua quæram primo, an ſit, ſecundo, quid ſit, tertio, cui animæ facultati primo competat. Demum varias difficultates ad eam pertinentes diluam.

Quarta.

Quinta.

Pythag.

Nomina libertatis.

Rationes aduerſus hominis libertatem. CAP. XXXI.

VAria circuminferuntur, quæ hominis libertatem, vel euertere, vel obſcuram penitus, ac imbecillam reddere videntur. Laborant primo theologi pro inueniendo modo, quo cum diuina prouidentia ſeruari poſſit hominis libertas: cum enim Deus momento æternitatis cuncta prænouerit, rebuſque omnibus cuncta prouiderit, nec ſecus res euenire poſſint, ac ab eo fuerint prædefinitæ, iure cuncta neceſſario futura videntur, præſertim cum ſcientia Dei ſit cauſſa rerum, non autem ab his pen-

Dubitatio maxime agitata inter theologos.

deat, quę eueniunt. Ne ſatisfacere videtur ſolutio aſſerentium, Deum videre cuncta vt præſentia, ſine diſtinctione temporum: quoniam ea æternitatis præſentia ita ſe habet, vt dum refertur ad tempus, cui nos ſubiicimur, antequam á nobis res fiant, nobiſq; eueniant, ei ſunt notæ & exploratæ: ideo antequam fiant, hoc habent, vt nequeant ſecus euenire. Secundo Phyſici libertatem hominis catena illa inſolubili fati, cõnexioneq; cauſſarum deuinciunt, á qua nil ſolui poſſe videtur. Hoc ſubindicaſſe viſus eſt Ariſt. in octauo phyſicorum, cont. 8. & 9. inquiens: *de omni agente id verum eſſe, quod non mouet, niſi certo, ac definito quodam modo ſe habuerit, vt ſe habere debet cauſſa proxima, & dum ita ſe habuerit, ſtatim mouet: quod ſi verum eſt, nudabitur penitus homo libertate, omneſque euentus præcurrentibus cauſſis neceſſario reſpondebunt.* Quod confirmatur, quia motores ſecundi non mouent ſine primo, vt oſtenditur in octauo phyſicorum; cum autem mens & voluntas non ſint motor primus, non poterunt ſine primo mouere, quare egent alio determinante & præmouente, non igitur ex ſe liberi ſunt. Tertio Aſtronomi libertatem oppugnare videntur motibus cœli, aſpectibus ſiderum, eorumque aſcenſionibus: quibus humana cuncta ſubiiciunt, eaque affirmant eſſe cauſſas futurorum omnium. Quarto etiam metaphyſici libertati obiiciunt modum operandi Dei, aiunt enim operari primam cauſſam cum quadam naturæ neceſſitate. Si principium primum neceſſario operatur, & ab eo cuncta pendent, rationi videtur conſentaneum, vt omnia neceſſitate ſint prædita: conditio enim eorum, quæ fiunt, imitatur conditionem ſui principii, modumque operandi eius. Quod confirmatur, quia Ariſtot. in ſecundo phyſicorum, cont. 44. diſputans contra Democritum abſurdum iudicat, quod cœlum ſit factum à caſu, collocata autem ſub cœlo minime: nam (vt ait Auerroes) *quod pendet ex eo, quod caſu factum eſt, vt etiam caſu fiat, neceſſe eſt, quare longe magis pendentia ex principio neceſſario erunt neceſſaria.* Et confirmatur, quia ſi aliquid neceſſitati deberet obſiſtere, eamque euertere, deberet eſſe potentius ea: at quid potentius neceſſitate? cum qua (vt fertur) nec Dii quidem pugnant. Quis valet primæ cauſſæ aduerſari, ordinemque eius euertere? Et confirmatur, quia etiam ea, quæ contingentia dicuntur, neceſſitate ſunt prædita; neceſſe eſt enim, vt ex materie oriatur contingentia: ideo de contingentia etiam ſcientiam habemus, cum ſit prædita cauſſis, ex quibus neceſſario prodit: quod ſi contingentia eſt prædita neceſſitate, longe magis cætera quoque eidem ſubiicientur. Quinto medici languentem reddunt libertatem, dum vna cum Galeno in libro, quod animi mores ſequantur corporis temperamentum, affirmant, mores ſequi conditionem tempe-

Ratio phyſica.

Ratio Aſtronomi.

Ratio metaphyſica.

Axioma.

Confirmatio.

Alia confirmatio.

Ratio medicorum.

Digitized by Google

temperamenti: cum enim temperamentum nobis per naturam competat, nec in noſtra facultate ſit poſitum, mores quoque (ſi temperamentum ſequuntur) nobis natura conuenient; dans enim formam dicitur ea tradere, quæ formam ſequuntur. Sexto philoſophus ciuilis libertate hominem nudare videtur, dum illum variis deuincit legibus, illum declarat variis animi perturbationibus ſubiici, ob varias indigentias à variis obiectis duci: adeo vt ad agendum coactus accedere, non liber videatur. Nam quomodo poteſt homo dici liber, cum in theatrum mundi legibus ciuilibus, naturæ, fati & prouidentiæ vndique ligatus prodeat? ac ita ſit ſeruus Dei, vt totus ſit iuris eius, eique teneatur omnia retribuere, cum ab eo acceperit omnia? ita ſit ſeruus naturæ & fortunæ, vt cuncta corporis, & externa bona in eorum manibus ſint conſtituta? Demum Logici argute cum libertate, & eo quod eſt in nobis, ita contendunt. Si id eſt in nobis, cuius oppoſitum eſt in nobis: igitur cuius oppoſitum non eſt in nobis, id non erit in nobis. Sed oppoſitum eius, quod eſt eſſe in nobis, eſt non eſſe in nobis, & hoc non eſt in nobis, vt ex modo loquendi patet, quare neque id, quod ponitur eſſe in nobis, erit in nobis. Ita dubitat Alexander libro ſecundo moralium quæſtionum, c. 4. Inſuper ſi homo libere operatur, vel id habet, dum operatur, vel ante: non ſecundum, quia tunc non operatur, quare non libere operatur: non primum, quia dum operatur, neceſſe eſt vt operetur; omne enim quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Cum tot conſpirent pro euerſione humanæ libertatis; iure optimo, niſi eam euertunt, ſaltem obſcuram, & apprime dubiam reddere videntur.

Ratio ciuilis.

Ratio dialectica.

Alia ratio.

Rationes libertatem hominis patefacientes. CAP. XXXII.

SI tam facile eſſet cōſtruere vt deſtruere, euoluere vt inuoluere, illuſtrare vt obumbrare, facile nobis eſſet pertinentia ad libertatem explicare & patefacere. Verum quia nobis vinculo corporis alligatis, tenebricoſoq; carcere occluſis, propria ſunt ligamēta, & tenebræ: propterea facile dubitamus, cum difficultate veritatē patefacimus & illuſtramus. Varia tamen ſunt, quæ hominis libertatē ſatis conſpicuā reddunt, & principaliter, quia per propriam naturā, & conditionē conſultamus, deliberamus, mutamus conſilium, damnamus improbos, hortamur iuuenes ad virtutem; laudamus probos, honoramus, docemus rudes, imperamus filiis, vt caueant á vitiis, aſſueſcimus probis actionibus, leges condimus, cæteraq; cōſimilia facimus, quæ ſine libero arbitrio vel inania penitus eſſent, vel fieri nō poſſent. Præterea, cū mundus ſit perfecta rerum ſeries, cunctarumq; formarum plenitudo, debent in eo omnes formarū gradus reperiri: in æternis

Nobis facilius eſt dubitare, quam diluere.

Opera & ſigna patefacientia libertatem.

Ratio ex mundi perfectione.

enim eſſe, & poſſe non diſtinguũtur, vt dicitur in 3. phyſ. 32. quare cum in rerum vniuerſa ſerie dentur inanima, feræ & iumẽta, quæ ſerua ſunt penitus, dentur abiunctę mentes, quę cum libertate iunctam habent quandam neceſſitatem, eſt neceſſe, vt etiam detur medium, in quo libertas, & contingentia iuncta ſint ſemper: huiuſmodi autem ſolus eſt homo, qui iure copula, & hymenæus mortalium, & æternorum iudicatur. Præterea ſeruitus materiem ſequitur, quę cum omnium ſit commune ſubiectum, eſt etiam origo ſeruitutis & pendentium ex ea, libertas cõtra eſt proprietas, ac conditio formæ á materia non pendentis: cum autem homo ſit mentis compos, quæ diuina, & immortalis eſt, etiam eſt neceſſe, vt ſit particeps libertatis. Præterea idipſum adeo experientia cõſtat, vt omnis ratio ſuperuacanea eſſe videatur: vnuſquiſq; enim in ſeipſo experitur, ſe varia poſſe & agere, & non agere; ac ſecum frequenter dicit, hoc ago, quia ita volo, ita mihi placet: imo ex eo, quod aduerſarii præeligunt libertatem rationibus euertere, libertatem confirmant; non enim prę-electio ſine libertate ſeruatur, cum ſolum ſit eorum, quæ in noſtra facultate ſunt poſita. Inſuper, ſublata libertate, nullus relinquitur virtutis & vitii locus, nec culpæ & meritorum; hæc enim præeligentis ſunt, ac propterea ſunt præeligentis, quia præeligens liber eſt, alioquin culpa non eſſet eius, ſed impellentis: nec probæ actiones noſtræ eſſent, nec virtutes bona noſtra dicerentur, ſed neceſſitate nos cogentis & dirigẽtis. Demum ex eo, quia homo rationis eſt particeps, neceſſario colligimus, illum eſſe participẽ libertatis, alioquin inaniter nobis tributa eſſet ratiocinandi vis: vtimur enim ratione, vt præterita cum futuris, diſtincta inter ſe, ac oppoſita cum oppoſitis comparantes, iudicemus quid eorum à nobis præeligendum ſit: quod inaniter efficeremus, niſi in nobis poſitum eſſet vtrumq; præeligere. Hinc Ariſt. cum in octauo phyſicorum, cont. 8. tum in decimo metaphyſicæ, diuidit poteſtates mouentes in eas, quæ vni parti ſunt deſtinatæ, & in eas, quæ vtrumq; valent agere, quales ſunt poteſtates ratione vtentes. Et in tertio moralium Nicom. c. 5. inquit: *virtutum ac vitiorum habitus, antequam contrahantur, in noſtra eſſe facultate: cum autem fuerint contracti, nequaquam.* Actiones autem ſemper in noſtra facultate eſſe poſitas. Hinc etiam euenit, vt, cum homo ſolus in mortalium orbe ſit liber, ſolus etiam ſit natus imperare, gubernare, regnare, eſſe ciuem mundi: hæc enim ſine libertate conſiſtere nequeunt, cum libertate autem feliciſſime ſeruantur. Euenit tamen, vt, cum homo poſtremus ſit eorum, quæ libertate ſunt prædita, & ſummopere ſit cum corpore, & materie complicatus, illuſtrem illam libertatis formam in ſupernis mentibus ſplendidiſſime fulgentem, ſatis obſcuram, & ſer-

Ratio ex ſeparatione à materia.

Experientia.

Ratio ex virtute & vitio.

Ex ratione hominis.

Digitized by Google

& ſeruitutis imagine obumbratam ſeruet, adeo vt ſimul & maxime liber, & maxime ſeruus eſſe videatur: maxime liber, quia ſolus mortalium libertatis, & rationis eſt particeps: maxime ſeruus, quia pluribus ac vehementioribus animi perturbationibus agitatur, pluribus corporis ægritudinibus eſt obnoxius, pluribus neceſſitudinibus premitur, pluribuſque legibus ſubiicitur: quod propterea factum eſt, vt virtus, quæ in arduis lucet, ſplendidior in eo refulgeret, & tanquam ſtrenuus athleta corona dignum ſe redderet. Nam oppoſita in eodem nata ſunt reperiri. *Axioma logis.*

Soluitur dubitatio ex prouidentia, ac praſcientia Dei ſumta.

Cap. XXXIII.

RAtio depromta ex prouidentia Dei, vt ex re ſui natura illuſtriſſima pendet, ita mentis aciem debilem, ac impotẽtem plurima difficultatis caligine circumfundit; à qua tamen Peripatetici facile ſe liberant: tribuunt enim Deo rerum mortalium ſolam eminentem quandam cognitionem, non autem notitiam indiuiduorum diſtinctam. Propterea fortuita & contingentia, ad quamcunque cauſſam referantur, ſemper aiunt eſſe talia. Plato quoq; nõ valde tenetur laborare pro ſoluẽda hac difficultate, cum primæ menti cognitionem conuenire dicat per ideas, quas ſolum eſſe ſpecierũ cenſebat, non indiuiduorum: nam curam rerum ſingularum dæmonibus delegatã exiſtimabat, communem vero communi principi. Sed quia veritas hęc eſt, Deum momento ęternitatis diſtinctiſſime cuncta cognoſcere, ideo nitẽdum eſt alia via difficultati occurrere, de qua multa à theologis dicuntur: ego pauca breuiſſime perſtringam: *Deus eſt naturæ nedum opifex, verum inſuper ſeruator & cuſtos.* Sapientiæ & prouidentiæ munus eſt, ſeruare naturam & conditionem rerum, non peruertere: propterea, cum varios procreauerit rerum gradus, quóſdam ſeruitute, alios libertate pręditos, non eos confundit, ſed diſtinctos ſeruat, vt non vnius tantum cõditionis, & gradus rerum, ſed cũctorum ſit opifex: quare, cum creauerit hominem liberum, facultateq; conſultandi & præeligendi præditum, ſua præcognitione non aufert ab eo, quod ei dedit: alioquin intelligens hominem redderet illum non hominem, & ſuamet ſapientia opera ſapientiæ euerteret. Præcognoſcit Deus prędilectiones noſtras at non, quia præcognoſcit, ideo nos ita eligimus, ſed contra, quia nos libere ita eligimus, ipſe prętnoſcit nos libere id eligere. Pulcra fuit ſententia Plotini in lib. de prouidentia, dum dixit: *quod fit à viro temperato, non fit à prouidentia, ſed ſecundum prouidentiam, & leges eius: quod vero ab intemperato, nec à prouidentia, nec ſecundum prouidentiam fit.* Et ſi quis obiiceret, quia ſic Dei ſcientia non eſſet cauſſa rerum, ſed contra ea penderet ex

Solutio Peripateticorum.

Inſtantia.

rebus, quod maxime videtur abſurdum; nil enim in Deo excogitari poteſt, quod pendeat ex alia. Reſpondendum eſt, Deum ſua ſapientia quorundam eſſe cauſam abſolute, aliorum vero modo quodam; æternorum, naturæ & eſſentiæ rerum, vere & abſolute eſt cauſſa: humanarū vero actionum modo aliquo eſt cauſſa, modo alio non: eſt cauſſa communis, prima & abſoluta, quia quicquid eſt cauſſa cauſſæ, eſt cauſſa pendētium ex ea, cum à Deo pendeant vires hominis, conditio & libertas eius, etiam ab eo pendere dicuntur cætera, quæ ex his prodeunt: at proxime deinde, quod illæ actiones vno, & non altero modo fiant, præeligentis eſt opus, non Dei: concedit nobis Deus vires, quibus oppoſito modo vti valemus, quouis modo eis vtamur, ſemper id quod facimus, dicimur facere virtute Dei; proxima tamen præelectio modi; in qua conſiſtit ratio peccati, vel probitatis, hoc eſt, officium libertatis hominis, & noſtrum eſt Sic Deus eſt cauſſa peccati permittens, eſt cauſſa peccati, hoc eſt, principii, à quo proxime pendet peccatum, nempe libertatis, & præelectionis: eſt cauſſa peccati, vt peccatum eſt opus, eſt ens, & bonum aliquod. at peccati vt peccatum, & conditionis eius, vt eſt receſſus à lege, non eſt cauſſa, hic enim eſt defectus ex noſtra deprauatione prodiens, non effectus: ita demum eſt cauſſa peccati, non per ſe, quia non vt peccatum, ſed ex accidenti, quia eſt cauſſa materiei peccati, nempe operis, vt eſt opus, ens, & bonum aliquod; nil enim eſt adeo malum, quin nitatur aliquo bono, omnino enim malum non datur, quia ſeipſum deſtruit. Sic omnia pendent ex ſapientia Dei. at non eodem modo. Ideo recte Plato dixit 10. de rep. *culpam non eſſe Dei, ſed praeligentis*: & in ſecundo de rep. addit: *Malorum autem alicui cauſſam eſſe Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino.* Et Dionyſius Areopagita in libro de diuinis nominibus, inquit: *vnicuiq; proprie prouidet Deus*: propterea inanem multorum ſermonem non admittimus, qui aſſerunt: *diuinam prouidentiam oportere nos ad virtutem etiam inuitos impellere. Non enim prouidentia eſt naturam peruertere: imo vero, qua ratione eſt prouidentia; eſt vniuſcuiuſq; naturæ ſeruatrix, &c.* At per hæc non videtur ſoluta dubitatio, quoniam adhuc animus anceps eſt: quamuis enim Deus res ita cognoſcat vt ſunt, tamen ſemper dicere poſſumus Deo prædefinita, & certa ea eſſe, quæ cras præeligam, & ſi ei ſunt nota, non valeo ea non præeligere. Reſpondeo, hanc eſſe neceſſitatem ex ſuppoſitione, non abſolutam: quia enim cras hoc libere præeligam, & Deus momento æternitatis ſupra tempus collocato, eminenter differentias temporis ſine ſucceſſione includente, futura vt præſentia indicat; de præſentibus autem dicimus, omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, vt aſſeritur in primo de interpretatione: ideo, dum

Solutio.

Deus eſt cauſſa peccati improprie.

Inſtantia.

Solutio.

Digitized by Google

dum conſideratur vt præſens, neceſſitatem includit ex ſuppoſitione; conſiderandum vero abſolute, vt futurum, eſt indefinitum, ac indeterminatum. videre enim res, vt præſentes, non infert neceſſitatem niſi ex ſuppoſitione, modo iam explicato. Cætera theologis relinquo, & eorum decretis me ſubiicio.

Diluitur ratio ſecunda ex fato ſumta. CAP. XXXIV.

EX diuina prouidentia ortum ducit fuſus fatalis ex adamante (vt inquit Plato 10. de rep.) conflatus: ſiue oritur catena illa ferrea, cuncta ligans, & neceſſitate deuinciens, & iure profecto Fatum enim ex Academicorum ſententia eſt rerum mobilium immobilis diſpoſitio: inſuper deſcribitur, quod ſit diuina ſententia, per quam cuncta ordine, & neceſſitate ineuitabili producuntur: ac (vt dicebat Plutarch.) *eſt ſempiterna ratio, lexq; æterna vniuerſalis natura:* ſiue (vt Hermes in Aſclepio definiebat) eſt connexio cauſſarum, ſingulis deſtinato tempore diſtribuens, quæ ſacramento Deorum cœleſtium ſunt præordinata. Hęc autem omnia, quæ fato tribuuntur, ſatis aperte indicant cuncta in rerum ſerie collocata neceſſitati ſubiici, nilq; fieri, quod á præcurrentibus, ac antecedentibus cauſſis neceſſario non fluat. Cui difficultati manus dant Stoici, & liberi arbitrii tantum nomen ſeruant, naturam & conditionem penitus euertunt: inquiunt enim, *animam per naturam præditam eſſe quadam voluntate, & quicquid fit à nobis, per voluntatem illam natura nobis inſitam fieri.* Illud tamen addunt, quod ea volumus, ad quæ per prouidentiam & neceſſariam ſeriem cogimur: adeo vt voluntas neceſſitatem ſequatur. Hæc ſententia penitus reiicienda eſt, cum penitus euertat naturam & conditionem voluntatis ac libertatis; non enim ſeruatur libertas, dum antecedit neceſſitas. In æternis, ex ſententia Academicorum, libertas cum neceſſitate ſeruatur: quia libertas, ac voluntas antecedit; ſequitur neceſſitas, quia enim Deus ita libere vult, ita eſt neceſſe ſe habere: at dum contra ſe habet, nec libertas, nec proprie voluntas nuncupatur. Nonnulli viri docti aſſeruerunt, Platonem quoque putaſſe cuncta neceſſario euenire, fatoq; ſubiici, præterquam ea, quæ ratione fiunt: ſed manifeſtiſſime falluntur, vt lucidiſſime colligitur ex variis, quæ Platonici de fato & contingentia proferunt. Et præcipue ex eo, quod ſi fatum ex Platonis ſententia eſſet aliquid ineuitabile, ſuperari & vinci non poſſet. At Plato cenſet horum conſenſione mentem, & rationem poſſe vitare fatum, illudque mutare in melius. Non itaque fatum omnino ineuitabile eſt. At de his multa dixi in lib. de fato. Soluens itaque nunc breuibus difficultatem dico, fatum à natura ſola ratione diſtingui, vt recte exiſtimauit Alexand. Dicitur natura, vt rei eſt eſſentia, & prin-

Definitio fati.

Stoici.

Reiicitur ſententia Stoicorum.

Opinio quorundam.

Euerſio.

Solutio Peripatetica.

Digitized by Google

cipium operis eius: dicitur fatum, vt ordinem includit, prouidentiæ ſubiicitur, & à primo principio deducitur, adeo vt fatum ita definiendum cenſeam Fatum eſt rerum natura, quæ à primo principio ducitur, & per definita media ad ſtatutum finem progreditur, niſi quid impediat. Ex quo cōſtat, non omnia fieri neceſſario: operum enim naturæ quędam ſemper, alia frequenter, nonnulla nec ſemper, nec frequenter fiunt. Quãuis enim fatum præ ſe ferat cauſſarum ſeriem, tamē in ea ſerie etiam collocatur materies, & ratio, quæ contingentiæ ſunt neceſſaria principia: adeo vt ex eodem fundamento colligamus neceſſario in mundo contingentiam reperiri. Et hoc erat, quod indicabat Plato, dum aſſerebat, *non poſſe mundum liberari à malo:* non enim poteſt liberari à materie, quæ contingentiæ eſt ianua, vel potius fertiliſſimus ager. Idipſum patefecit Ariſt. in calce 4. de generatione animalium, aſſerens naturam numero cœleſtium motuum numerare ortus, & interitus rerum: id tamen non exquiſite facere, ob indefinitam materiei conditionem. Quibus verbis indicauit, materiem eſſe principium contingentię, ac inconſtantię rerum. Ordo rerum per cōmunia quædam immutabilis eſt, at ob nonnulla indiuidua, & cōtingentia mutari poteſt; & hoc eſt mirabile, quod cum mutetur, ſimul ſeruatur: quia expoſcit vniuerſus rerum ordo, vt in eo cōtingentia inueniantur, alioquin non eſſet vniuerſus. At dicet quiſpiam, ſi contingentia habent cauſſas, à quibus neceſſario pendent, ea quoq; ita fient, vt nequeant non fieri. Inſuper, materies non eſt potētior primis cauſſis, quare eis non valet obſiſtere, & cogitur ea recipere, quæ ab eis tanquam à parentibus effunduntur in illam: & pręſertim, quia cum ſit indifferens, ab efficientibus cauſſis contrahi definiriq; debet: primis autem potentioribuſq; cauſſis non valent ſecundæ, debiliores & impotentiores non obtemperare. Et confirmatur, quia ſecundæ cauſſæ non valent operari, niſi vna cum eis operentur primæ: at primæ non operantur aduerſus ſeipſas, quare ſecundæ cauſſæ nil valent efficere, quod ordini, & decretis primarum cauſſarum aduerſetur. Primæ rationi manus dedit doctiſſimus Pomponatius, & ex ea præſertim colligebat vna cum Stoicis cuncta fato fieri, & neceſſitate ſubiici: At errauit proculdubio, & rationem ſatis leuem inſolubilem cenſuit. Nam dico, contingentiam vniuerſe ſumtam habere quidem cauſſas, á quibus neceſſario pendeat, propterea de illa eſſe ſciētiam, ac ſemper apud nos reperiri: at cum neceſſario detur contingentia, eſt neceſſe vt ſingularia, quæ illi ſubiiciuntur, indefinita ac indeterminata ſint, alioquin contingentia non eſſent: firmū igitur & conſtans eſt genus contingentiæ, inconſtantiæ & varietati obnoxia ſunt ſingularia eius, vt etiam neceſſe eſt locum eſſe plenum corpore, contin-

Definitio fati.

Dubitatio.

Pomponatius.

Error eius.

Digitized by Google

contingenter tamen ſe habet ad ſingula definita & ſignata corpora. At addebatur, materiem, ſecundaſque cauſſas non poſſe obſiſtere primis. Reſpondeo, nec ſerui (ſi metimur eorum vires) valent obſiſtere domino, dum tamen longe ab eo diſtant, multa agunt præter leges eius: ita quoque ea, quæ à ſeparatis mentibus tribuuntur cœlo, conſtanter & firmiter in eo recipiuntur, ea veró, quæ per cœlum lumine & motu in mortalia deſcendunt, iam ob luminis & motus varietates, ob multiplicem & contrariam conditionem mortalium, ob materiei inconſtantiam, multis varietatibus redduntur obnoxia: nil tamen operantur mortalia, non cooperante cœlo: at quia cœlum communis eſt cauſſa, ideo cum cauſſis propriis inter ſe pugnantibus contraria producit: & propterea iſtæ ſecundæ cauſſæ non dicuntur obſiſtere cœlo, non enim cœlo, ſed ſibi mutuo aduerſantur, cum interim cœlum cum vtriſque oppoſitis operetur: ita dicimus cœlum cum leone generare leonem, cum cane canem. Materies mouenti cauſſę non obſiſtit, ſed potentiori agenti obtemperat: euenit tamen, vt modo vnum, modo alterum contrariorum dominetur. At vrgent adhuc Stoici, & inquiunt: niſi omnia fato fierent, non daretur optima, & libera mundi adminiſtratio, quod ni eſſet, nec mundus, nec Dii eſſent: at mundus, & Dii ſunt: quare omnia fiunt fato. Reflecto ego argumentum, niſi darentur contingentia, non darentur omnes rerum gradus, qui niſi darentur, nec vniuerſum eſſet vniuerſum, nec Deus eſſet vniuerſi opifex & gubernator: at vniuerſum eſt vniuerſum, & Deus cunctorum eſt faber & cuſtos: dantur itaque contingentia non definita, nec terminata: optima & libera adminiſtratio expoſcit, vt ſeruetur natura & conditio rerum, non vt peruertatur. At de his ſatis.

Inſtantia Stoicorum.

Reſponſio per reflexionem argumenti.

Soluitur ratio tertia ex prauo vſu aſtronomiæ depromta.
CAP. XXXV.

QVam inanes ſint quorundam aſtronomorum iactationes, ipſimet opere patefaciunt: cum enim quaſi terreſtres Dii velint futura prædicere, tam longe diſtant à vero, quam ipſi à Deo, & terra, cuius ſunt incolæ, à cœlo Deorum ſede. Aſtronomia, vt eſt pars mathematicæ, magnifacienda eſt: in prænoſcendis autem futuris, dum iuncta phyſicæ cognoſcens vires communium phyſicarumq; cauſſarum prædicit communia & phyſica quædam effecta, veluti ſiccitates, pluuias, ſterilitates, fertilitates, tempora ſalubria, inſalubria, cæteraque huius generis, recte facit, ac ea valet præuidere & prædicere, non vt neceſſario, ſed vt frequenter euentura: nam impediri ea quoque poſſunt. At, dum ad particularia deſcendunt, ac inſuper vel lucri vel ina-

Aſtronomia quomodo commendanda, quomodo reiicienda.

nis gloriæ deſiderio ducti ea volunt prædicere, quæ eueniunt raro, ac hominis libertati ſubiiciuntur, innumeris mendaciis leuitatem, temeritatemque ſuam pateſaciunt. Prænoſci poſſunt al qua ratione hominum temperamenta, ac etiam propenſiones, quæ temperamenta ſequuntur: at non actiones, quæ frequenter aduerſus propenſiones fiunt, & ſemper in noſtra facultate ſunt poſitæ. Verum nonnulli, qui dubiæ rationi maiorem quam certæ experientiæ præbent fidem, nituntur ſententiam ſuam veriſimilem reddere, inquiunt enim: *primo non mouente cætera non valent mouere, & magis dicitur mouere primum, quam pendentia ex eo*, vt ex 8. phyſicorum colligitur: cum igitur primum mouens corporeum ſit cœlum, ſine motu eius & lumine nil efficitur, & id præſertim & maxime cauſſa rerum eſſe dicitur: quare omnia pendent ex cœlo, omnia cœlo ſubiiciuntur, & qui figuras ac diſpoſitiones ſtellarum & cœli inſpicere iudicareque valent, quæ ſunt quaſi literæ futurorum euentorum, valent etiam preuidere, ac prædicere futura. Magni primo intuitu videntur hi apparatus, at facile dilabuntur. Nam ſeparati motores ſunt cauſſæ primæ, quæ vna cum cœlo vt cauſſæ communes per inſtrumenta communia omnia fouent, omnibus ferunt opem, at per cauſſas proximas & proprias effecta variantur & diſtinguuntur: vt enim recte dicebat Plotinus. *Fouet cœlum generationem omnem, at quod hic qui oritur ſit homo, ille ſit equus, non ex cœlo pendet, ſed ex cauſſis propriis communem cœli fauorem ad huius vel ad illius productionem contrahentibus.* Proximæ autem cauſſæ multis varietatibus ac permutationibus ſunt obnoxiæ. Vt enim pro colligenda concluſione neceſſaria non eſt ſatis, vt principium vnum ſit neceſſarium: ita, vt res effecta ſit neceſſaria, non eſt ſatis conſtantia & neceſſitas diſtantium & communium principiorum. Hinc recte dicimus, phyſiognomiam cæteris diuinatricibus artibus firmiorem conſtantioremque eſſe, & ratio eſt, quia inſpicit illa, quæ ſunt proximiora: conſiderat enim temperamenta, & complicata cum temperamentis, quę intimius, & proximius ad producendas humanas actiones conſpirant: quamuis nec illa quoque cogant, ſed ſolum pariant propenſiones ad varia, quæ aſſuetudine mutari poſſunt. Hinc inſpicimus ſub eadem cœli conſtitutione, ob varietatem propinquorum principiorum, necnon aſſuetudinis, homines reperiri aduerſis moribus præditos.

Ratio quorundam.

Diluitur ratio quarta ſumta ex modo operandi Dei.
CAP. XXXVI.

FIrmiſſimo fundamento niti videbatur ratio quarta: prima enim cauſſa operari dicitur à Peripateticis cum quadam na-

tura

Digitized by Google

turæ neceſſitate, á fonte autem neceſſitatis omnia, quæ manant, neceſſitate prædita eſſe debent. At facilis eſt eius euerſio, & ex iam dictis conſpicua ſolutio colligitur. Nam primo inquiunt Theologi, Deum extrinſecus non operari neceſſario, niſi ex ſuppoſitione: nam, quia ab æterno libere ita prædefiniuit, & non mutatur, ideo ita operatur, & non ſecus, & cum in Deo in prædefiniendis rebus refulgeat libertas à mutatione libera, in homine, qui factus eſt ad imaginem eius, apparere debet libertas conſimilis conditioni hominis, nempe cum mutatione complicata. Soluitur ab Academicis & Peripateticis eadem ratio negando conſequentiam: quamuis enim Deus neceſſario operetur, & neceſſaria ſint, quæ ex eo in cœlum manãt, nec non quæ proxime ſequuntur cœlum, vt motus & lumen, tamen, dum ab æternis ad mortalia tranſeunt, ob varium ſeſe habendi modum cœleſtis corporis & luminum eius ad hæc mortalia, ob materiei inconſtantiam, rerum contrarietates, hominumque libertatem, multifariam multiſque modis variantur. Refulget in Deo primo & neceſſitas & libertas, in cœlo per motum varietas, in homine autem ſeruatur libertas cum varietate complicata. Et quamuis ea, quæ pendent ex facto á caſu, dicantur à caſu fieri, non propterea quæ pendent ex neceſſario, ſunt neceſſaria, niſi id neceſſarium cum reduplicatione & adæquate eius cauſſa fuerit. Ratio differentiæ eſt, quoniam ex minus perfecto per propriam facultatem eius non valet proficiſci præſtantius & perfectius: at ex præſtantiore per receſſum ab eo & imbecillitatem recipientium, vel conſpirantium ad opus, poteſt prodire vilius & imperfectius: opera enim quo longius à primo principio recedunt, eo imbecilliora & obſcuriora redduntur. Addebatur neceſſitati nil obſiſtere. Dico neceſſarium non euerti, vt neceſſarium eſt: id tamen, quod ex neceſſario pendet vt ex cauſſa communi, poteſt in materie & ſubiecto inconſtanti vario modo recipi, & hoc ortum ducit ex contrarietate proximorum mouentium, & ex impotentia rerum mortalium, quæ non exacte valent recipere numeros & menſuras munerum cœli, vt in calce quarti de gen. animalium aſſeritur á Philoſopho. Addebatur poſtremo contingentia habere cauſſam, à qua neceſſario manant: iam dixi contingentia ratione communis generis includere neceſſitatem, indefinita autem, incerta, varia, & inconſtantia eſſe ratione ſingulorum, in quibus proxime verſatur operatio. Et hinc admirari, vt in cæteris, licet vires primi principii, ordinem partium mundi, perfectionemq; vniuerſi: cum enim omnia ex neceſſario principio fluant, omnia ordinatiſſime, miraq; perfectione neceſſitatis conditionem aliquam ſeruant. Nam contingentia neceſſitatem ſeruant: primo

Solutio theologica.

Solutio Academica & Peripatetica.

Contingentia etiam aliqua ratione ſunt neceſſaria.

deat, quę eueniunt. Nec ſatisfacere videtur ſolutio aſſerentium, Deum videre cuncta vt præſentia, ſine diſtinctione temporum: quoniam ea æternitatis præſentia ita ſe habet, vt dum refertur ad tempus, cui nos ſubiicimur, antequam á nobis res fiant, nobiſq; eueniant, ei ſunt notæ & exploratæ: ideo antequam fiant, hoc habent, vt nequeant ſecus euenire. Secundo Phyſici libertatem hominis catena illa inſolubili fati, cõnexioneq; cauſſarum deuinciunt, á qua nil ſolui poſſe videtur. Hoc ſubindicaſſe viſus eſt Ariſt. in octauo phyſicorum, cont. 8. & 9. inquiens: *de omni agente id verum eſſe, quod non mouet, niſi certo, ac definito quodam modo ſe habuerit, vt ſe habere debet cauſſa proxima, & dum ita ſe habuerit, ſtatim mouet: quod ſi verum eſt, nudabitur penitus homo libertate, omneſque euentus præcurrentibus cauſſis neceſſario reſpondebunt.* Quod confirmatur, quia motores ſecundi non mouent ſine primo, vt oſtenditur in octauo phyſicorum; cum autem mens & voluntas non ſint motor primus, non poterunt ſine primo mouere, quare egent alio determinante & præmouente, non igitur ex ſe liberi ſunt. Tertio Aſtronomi libertatem oppugnare videntur motibus cœli, aſpectibus ſiderum, eorumque aſcenſionibus: quibus humana cuncta ſubiiciunt, eaque affirmant eſſe cauſſas futurorum omnium. Quarto etiam metaphyſici libertati obiiciunt modum operandi Dei, aiunt enim operari primam cauſſam cum quadam naturæ neceſſitate. Si principium primum neceſſario operatur, & ab eo cuncta pendent, rationi videtur conſentaneum, vt omnia neceſſitate ſint prædita: conditio enim eorum, quæ fiunt, imitatur conditionem ſui principii, modumque operandi eius. Quod confirmatur, quia Ariſtot. in ſecundo phyſicorum, cont. 44. diſputans contra Democritum abſurdum iudicat, quod cœlum ſit factum à caſu, collocata autem ſub cœlo minime: nam (vt ait Auerroes) *quod pendet ex eo, quod caſu factum eſt, vt etiam caſu fiat, neceſſe eſt, quare longe magis pendentia ex principio neceſſario erunt neceſſaria.* Et confirmatur, quia ſi aliquid neceſſitati deberet obſiſtere, eamque euertere, deberet eſſe potentius ea: at quid potentius neceſſitate? cum qua (vt fertur) nec Dii quidem pugnant. Quis valet primæ cauſſæ aduerſari, ordinemque eius euertere? Et confirmatur, quia etiam ea, quæ contingentia dicuntur, neceſſitate ſunt prædita; neceſſe eſt enim, vt ex materie oriatur contingentia: ideo de contingentia etiam ſcientiam habemus, cum ſit prædita cauſſis, ex quibus neceſſario prodit: quod ſi contingentia eſt prædita neceſſitate, longe magis cætera quoque eidem ſubiicientur. Quinto medici languentem reddunt libertatem, dum vna cum Galeno in libro, quod animi mores ſequantur corporis temperamentum, affirmant, mores ſequi conditionem tempe-

Ratio phyſica.

Ratio Aſtronomi.

Ratio metaphyſica.

Axioma.

Confirmatio.

Alia confirmatio.

Ratio medicorum.

Digitized by Google

temperamenti: cum enim temperamentum nobis per naturam competat, nec in noſtra facultate ſit poſitum, mores quoque (ſi temperamentum ſequuntur) nobis natura conuenient; dans enim formam dicitur ea tradere, quæ formam ſequuntur. Sexto philoſophus ciuilis libertate hominem nudare videtur, dum illum variis deuincit legibus, illum declarat variis animi perturbationibus ſubiici, ob varias indigentias à variis obiectis duci: adeo vt ad agendum coactus accedere, non liber videatur. Nam quomodo poteſt homo dici liber, cum in theatrum mundi legibus ciuilibus, naturæ, fati & prouidentiæ vndique ligatus prodeat? ac ita ſit ſeruus Dei, vt totus ſit iuris eius, eique teneatur omnia retribuere, cum ab eo acceperit omnia? Ita ſit ſeruus naturæ & fortunæ, vt cuncta corporis, & externa bona in eorum manibus ſint conſtituta? Demum Logici argute cum libertate, & eo quod eſt in nobis, ita contendunt. Si id eſt in nobis, cuius oppoſitum eſt in nobis: igitur cuius oppoſitum non eſt in nobis, id non erit in nobis. Sed oppoſitum eius, quod eſt eſſe in nobis, eſt non eſſe in nobis, & hoc non eſt in nobis, vt ex modo loquendi patet, quare neque id, quod ponitur eſſe in nobis, erit in nobis. Ita dubitat Alexander libro ſecundo moralium quæſtionum, c.4. Inſuper ſi homo libere operatur, vel id habet, dum operatur, vel ante: non ſecundum, quia tunc non operatur, quare non libere operatur: non primum, quia dum operatur, neceſſe eſt vt operetur; omne enim quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Cum tot conſpirent pro euerſione humanæ libertatis; iure optimo, niſi eam euertunt, ſaltem obſcuram, & apprime dubiam reddere videntur.

Ratio ciuilis.

Ratio dialectica.

Alia ratio.

Rationes libertatem hominis patefacientes. CAP. XXXII.

SI tam facile eſſet cõſtruere vt deſtruere, euoluere vt inuoluere, illuſtrare vt obumbrare, facile nobis eſſet pertinentia ad libertatem explicare & patefacere. Verum quia nobis vinculo corporis alligatis, tenebricoſoq; carcere occluſis, propria ſunt ligamẽta, & tenebræ: propterea facile dubitamus, cum difficultate veritatẽ patefacimus & illuſtramus. Varia tamen ſunt, quæ hominis libertatẽ ſatis conſpicuã reddunt, & principaliter, quia per propriam naturã, & conditionẽ conſultamus, deliberamus, mutamus conſilium, damnamus improbos, hortamur iuuenes ad virtutem; laudamus probos, honoramus, docemus rudes, imperamus filiis, vt caueant á vitiis, aſſueſcimus probis actionibus, leges condimus, cæteraq; cõſimilia facimus, quæ ſine libero arbitrio vel inania penitus eſſent: vel fieri nõ poſſent. Præterea, cũ mundus ſit perfecta rerum ſeries, cunctarumq; formarum plenitudo, debeat in eo omnes formarũ gradus reperiri: in æternis

Nobis facilius eſt dubitare, quam diluere.

Opera & ſigna patefacientia libertatem.

Ratio ex mundi perfectione.

enim eſſe, & poſſe non diſtinguũtur, vt dicitur in 3. phyſ. 32. quare cum in rerum vniuerſa ſerie dentur inanima, feræ & iumẽta, quæ ſerua ſunt penitus, dentur abiunctę mentes, quę cum libertate iunctam habent quandam neceſſitatem, eſt neceſſe, vt etiam detur medium, in quo libertas, & contingentia iuncta ſint ſemper: huiuſmodi autem ſolus eſt homo, qui iure copula, & hymenæus mortalium, & æternorum iudicatur. Præterea ſeruitus materiem ſequitur, quę cum omnium ſit commune ſubiectum, eſt etiam origo ſeruitutis & pendentium ex ea, libertas cõtra eſt proprietas, ac conditio formæ á materia non pendentis: cum autem homo ſit mentis compos, quæ diuina, & immortalis eſt, etiam eſt neceſſe, vt ſit particeps libertatis. Præterea idipſum adeo experientia cõſtat, vt omnis ratio ſuperuacanea eſſe videatur: vnuſquiſq; enim in ſeipſo experitur, ſe varia poſſe & agere, & non agere; ac ſecum frequenter dicit, hoc ago, quia ita volo, ita mihi placet: imo ex eo, quod aduerſarii præeligunt libertatem rationibus euertere, libertatem confirmant; non enim pręelectio ſine libertate ſeruatur, cum ſolum ſit eorum, quæ in noſtra facultate ſunt poſita. Inſuper, ſublata libertate, nullus relinquitur virtutis & vitii locus, nec culpæ & meritorum; hæc enim præeligentis ſunt, ac propterea ſunt præeligentis, quia præeligens liber eſt, alioquin culpa non eſſet eius, ſed impellentis: nec probæ actiones noſtræ eſſent, nec virtutes bona noſtra dicerentur, ſed neceſſitate nos cogentis & dirigẽtis. Demum ex eo, quia homo rationis eſt particeps, neceſſario colligimus, illum eſſe participẽ libertatis, alioquin inaniter nobis tributa eſſet ratiocinandi vis: vtimur enim ratione, vt præterita cum futuris, diſtincta inter ſe, ac oppoſita cum oppoſitis comparantes, iudicemus quid eorum à nobis præeligendum ſit: quod inaniter efficeremus, niſi in nobis poſitum eſſet vtrumq; præeligere. Hinc Ariſt. cum in octauo phyſicorum, cont. 8. tum in decimo metaphyſicæ, diuidit poteſtates mouentes in eas, quæ vni parti ſunt deſtinatæ, & in eas, quæ vtrumq; valent agere, quales ſunt poteſtates ratione vtentes. Et in tertio moralium Nicom. c. 5. inquit: *virtutum ac vitiorum habitus, antequam contrahantur, in noſtra eſſe facultate: cum autem fuerint contracti, nequaquam.* Actiones autem ſemper in noſtra facultate eſſe poſitas. Hinc etiam euenit, vt, cum homo ſolus in mortalium orbe ſit liber, ſolus etiam ſit natus imperare, gubernare, regnare, eſſe ciuem mundi: hæc enim ſine libertate conſiſtere nequeunt, cum libertate autem feliciſſime ſeruantur. Euenit tamen, vt, cum homo poſtremus ſit eorum, quæ libertate ſunt prædita, & ſummopere ſit cum corpore, & materie complicatus, illuſtrem illam libertatis formam in ſupernis mentibus ſplendidiſſime fulgentem, ſatis obſcuram, & ſer-

Ratio ex ſeparatione à materia.

Experientia.

Ratio ex virtute & vitio.

Ex ratione hominis.

Digitized by Google

& ſeruitutis imagine obumbratam ſeruet, adeo vt ſimul & maxime liber, & maxime ſeruus eſſe videatur: maxime liber, quia ſolus mortalium libertatis, & rationis eſt particeps: maxime ſeruus, quia pluribus ac vehementioribus animi perturbationibus agitatur, pluribus corporis ægritudinibus eſt obnoxius, pluribus neceſſitudinibus premitur, pluribuſque legibus ſubiicitur: quod propterea factum eſt, vt virtus, quæ in arduis lucet, ſplendidior in eo refulgeret, & tanquam ſtrenuus athleta corona dignum ſe redderet. Nam oppoſita in eodem nata ſunt reperiri. *Axioma logis.*

Soluitur dubitatio ex prouidentia, ac præſcientia Dei ſumta.

Cap. XXXIII.

RAtio depromta ex prouidentia Dei, vt ex re ſui natura illuſtriſſima pendet, ita mentis aciem debilem, ac impotētem plurima difficultatis caligine circumfundit; à qua tamen Peripatetici facile ſe liberant: tribuunt enim Deo rerum mortalium ſolam eminentem quandam cognitionem, non autem notitiam indiuiduorum diſtinctam. *Solutio Peripateticorum.* Propterea fortuita & contingentia, ad quamcunque cauſſam referantur, ſemper aiunt eſſe talia. Plato quoq; nō valde tenetur laborare pro ſoluēda hac difficultate, cum primæ menti cognitionem conuenire dicat per ideas, quas ſolum eſſe ſpecierū cenſebat, non indiuiduorum: nam curam rerum ſingularum dæmonibus delegatā exiſtimabat, communem vero communi principi. Sed quia veritas hęc eſt, Deum momento ęternitatis diſtinctiſſime cuncta cognoſcere, ideo nitēdum eſt alia via difficultati occurrere, de qua multa à theologis dicuntur: ego pauce breuiſſime perſtringam: *Deus eſt natura nedum opifex, verum inſuper ſeruator & cuſtos.* Sapientiæ & prouidentiæ munus eſt, ſeruare naturam & conditionem rerum, non peruertere: propterea, cum varios procreauerit rerum gradus, quóſdam ſeruitute, alios libertate pręditos, non eos confundit, ſed diſtinctos ſeruat, vt non vnius tantum cōditionis, & gradus rerum, ſed cūctorum ſit opifex: quare, cum creauerit hominem liberum, facultateq; conſultandi & præeligendi præditum, ſua præcognitione non aufert ab eo, quod ei dedit: alioquin intelligens hominem redderet illum non hominem, & ſuamet ſapientia opera ſapientiæ euerteret. Præcognoſcit Deus pręelectiones noſtras at non, quia præcognoſcit, ideo nos ita eligimus, ſed contra, quia nos libere ita eligimus, ipſe pręnoſcit nos libere id eligere. Pulcra fuit ſententia Plotini in lib. de prouidentia, dum dixit: *quod fit à viro temperato, non fit à prouidentia, ſed ſecundum prouidentiam, & leges eius: quod vero ab intemperato, nec à prouidentia, nec ſecundum prouidentiam fit.* Et ſi quis obiiceret, quia ſic Dei ſcientia non eſſet cauſſa rerum, ſed contra ea penderet ex *Inſtantia.*

rebus, quod maxime videtur abſurdum; nil enim in Deo excogitari poteſt, quod pendeat ex alia. Reſpondendum eſt, Deum ſua ſapientia quorundam eſſe cauſam abſolute, aliorum vero modo quodam; æternorum, naturæ & eſſentiæ rerum, vere & abſolute eſt cauſſa: humanarũ vero actionum modo aliquo eſt cauſſa, modo alio non: eſt cauſſa communis, prima & abſoluta, quia quicquid eſt cauſſa cauſſæ, eſt cauſſa pendẽtium ex ea, cum à Deo pendeant vires hominis, conditio & libertas eius, etiam ab eo pendere dicuntur cætera, quæ ex his prodeunt: at proxime deinde, quod illæ actiones vno, & non altero modo fiant, præeligentis eſt opus, non Dei: concedit nobis Deus vires, quibus oppoſito modo vti valemus, quouis modo eis vtamur, ſemper id quod facimus, dicimur facere virtute Dei; proxima tamen præelectio modi; in qua conſiſtit ratio peccati, vel probitatis, hoc eſt, officium libertatis hominis, & noſtrum eſt Sic Deus eſt cauſſa peccati permittens, eſt cauſſa peccati, hoc eſt, principii, à quo proxime pendet peccatum, nempe libertatis, & præelectionis: eſt cauſſa peccati, vt peccatum eſt opus, eſt ens, & bonum aliquod. at peccati vt peccatum, & conditionis eius, vt eſt receſſus à lege, non eſt cauſſa, hic enim eſt defectus ex noſtra deprauatione prodiens, non effectus: ita demum eſt cauſſa peccati, non per ſe, quia non vt peccatum, ſed ex accidenti, quia eſt cauſſa materiei peccati, nempe operis, vt eſt opus, ens, & bonum aliquod; nil enim eſt adeo malum, quin nitatur aliquo bono, omnino enim malum non datur, quia ſeipſum deſtruit. Sic omnia pendent ex ſapientia Dei at non eodem modo. Ideo recte Plato dixit 10. de rep. *culpam non eſſe Dei, ſed præligentis*: & in ſecundo de rep. addit: *Malorum autem alicui cauſſam eſſe Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino.* Et Dionyſius Areopagita in libro de diuinis nominibus, inquit: *vnicuiq; proprie prouidet Deus*: propterea inanem multorum ſermonem non admittimus, qui aſſerunt: *diuinam prouidentiam oportere nos ad virtutem etiam inuitos impellere. Non enim prouidentia eſt naturam peruertere: imo vero, qua ratione eſt prouidentia; eſt vniuſcuiuſq; naturæ ſeruatrix, &c.* At per hæc non videtur ſoluta dubitatio, quoniam adhuc animus anceps eſt: quamuis enim Deus res ita cognoſcat vt ſunt, tamen ſemper dicere poſſumus Deo prædefinita, & certa ea eſſe, quæ cras præligam, & ſi ei ſunt nota, non valeo ea non præeligere. Reſpondeo, hanc eſſe neceſſitatem ex ſuppoſitione, non abſolutam: quia enim cras hoc libere præeligam, & Deus momento æternitatis ſupra tempus collocato, eminenter differentias temporis ſine ſucceſſione includente, futura vt præſentia indicat; de præſentibus autem dicimus, omnẽ quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, vt aſſeritur in primo de interpretatione: ideo,

Solutio.

Deus eſt cauſſa peccati improprie.

Inſtantia.

Solutio.

dum

dum conſideratur vt præſens, neceſſitatem includit ex ſuppoſitione; conſiderandum vero abſolute, vt futurum, eſt indefinitum, ac indeterminatum. videre enim res, vt præſentes, non infert neceſſitatem niſi ex ſuppoſitione, modo iam explicato. Cætera theologis relinquo, & eorum decretis me ſubiicio.

Diluitur ratio ſecunda ex fato ſumta. CAP. XXXIV.

EX diuina prouidentia ortum ducit fuſus fatalis ex adamante (vt inquit Plato 10. de rep.) conflatus: ſiue oritur catena illa ferrea, cuncta ligans, & neceſſitate deuinciens, & iure profecto Fatum enim ex Academicorum ſententia eſt rerum mobilium immobilis diſpoſitio: inſuper deſcribitur, quod ſit diuina ſententia, per quam cuncta ordine, & neceſſitate ineuitabili producuntur: ac (vt dicebat Plutarch.) *eſt ſempiterna ratio, lexq; æterna vniuerſalis natura:* ſiue (vt Hermes in Aſclepio definiebat) eſt connexio cauſſarum, ſingulis deſtinato tempore diſtribuens, quæ ſacramento Deorum cœleſtium ſunt præordinata. Hęc autem omnia, quæ fato tribuuntur, ſatis aperte indicant cuncta in rerum ſerie collocata neceſſitati ſubiici, nilq; fieri, quod á præcurrentibus, ac antecedentibus cauſſis neceſſario non fluat. Cui difficultati manus dant Stoici, & liberi arbitrii tantum nomen ſeruant, naturam & conditionem penitus euertunt: inquiunt enim, *animam per naturam præditam eſſe quadam voluntate, & quicquid fit à nobis, per voluntatem illam natura nobis inſitam fieri.* Illud tamen addunt, quod ea volumus, ad quæ per prouidentiam & neceſſariam ſeriem cogimur: adeo vt voluntas neceſſitatem ſequatur. Hæc ſententia penitus reiicienda eſt, cum penitus euertat naturam & conditionem voluntatis ac libertatis; non enim ſeruatur libertas, dum antecedit neceſſitas. In æternis, ex ſententia Academicorum, libertas cum neceſſitate ſeruatur: quia libertas, ac voluntas antecedit, ſequitur neceſſitas, quia enim Deus ita libere vult, ita eſt neceſſe ſe habere: at dum contra ſe habet, nec libertas, nec proprie voluntas nuncupatur. Nonnulli viri docti aſſeruerunt, Platonem quoque putaſſe cuncta neceſſario euenire, fatoq; ſubiici, præterquam ea, quæ ratione fiunt: ſed manifeſtiſſime falluntur, vt luciđiſſime colligitur ex variis, quæ Platonici de fato & contingentia proferunt. Et præcipue ex eo, quod ſi fatum ex Platonis ſententia eſſet aliquid ineuitabile, ſuperari & vinci non poſſet. At Plato cenſet horum conſenſione mentem, & rationem poſſe vitare fatum, illudque mutare in melius. Non itaque fatum omnino ineuitabile eſt. At de his multa dixi in lib. de fato. Soluens itaque nunc breuibus difficultatem dico, fatum à natura ſola ratione diſtingui, vt recte exiſtimauit Alexand. Dicitur natura, vt rei eſt eſſentia, & prin-

Definitio fati.

Stoici.

Reiicitur ſententia Stoicorum.

Opinio quorundam.

Euerſio.

Solutio Peripatetica.

cipium operis eius: dicitur fatum, vt ordinem includit, prouidentiæ ſubiicitur, & à primo principio deducitur, adeo vt fatum ita definiendum cenſeam Fatum eſt rerum natura, quæ à primo principio ducitur, & per definita media ad ſtatutum finem progreditur, niſi quid impediat. Ex quo cõſtat, non omnia fieri neceſſario: operum enim naturæ quędam ſemper, alia frequenter, nonnulla nec ſemper, nęc frequenter fiunt. Quãuis enim fatum præ ſe ferat cauſſarum ſeriem, tamẽ in ea ſerie etiam collocatur materies, & ratio, quæ contingentiæ ſunt neceſſaria principia: adeo vt ex eodem fundamento colligamus neceſſario in mundo contingentiam reperiri. Et hoc erat, quod indicabat Plato, dum aſſerebat, *non poſſe mundum liberari à malo:* non enim poteſt liberari à materie, quæ contingentiæ eſt ianua, vel potius fertiliſſimus ager. Idipſum patefecit Ariſt. in calce 4. de generatione animalium, aſſerens naturam numero cœleſtium motuum numerare ortus, & interitus rerum: id tamen non exquiſite facere, ob indefinitam materiei conditionem. Quibus verbis indicauit, materiem eſſe principium contingentię, ac inconſtantię rerum. Ordo rerum per cõmunia quædam immutabilis eſt, at ob nonnulla indiuidua, & cõtingentia mutari poteſt: & hoc eſt mirabile, quod cum mutetur, ſimul ſeruatur: quia expoſcit vniuerſus rerum ordo, vt in eo cõtingentia inueniantur, alioquin non eſſet vniuerſus. At dicet quiſpiam, ſi contingentia habent cauſſas, à quibus neceſſario pendent, ea quoq; ita fient, vt nequeant non fieri. Inſuper, materies non eſt potẽtior primis cauſſis, quare eis non valet obſiſtere, & cogitur ea recipere, quæ ab eis tanquam à parentibus effunduntur in illam: & pręſertim, quia cum ſit indifferens, ab efficientibus cauſſis contrahi definiriq; debet: primis autem potentioribuſq; cauſſis non valent ſecundæ, debiliores & impotentiores non obtemperare. Et confirmatur, quia ſecundæ cauſſæ non valent operari, niſi vna cum eis operentur primæ: at primæ non operantur aduerſus ſeipſas, quare ſecundæ cauſſæ nil valent efficere, quod ordini, & decretis primarum cauſſarum aduerſetur. Primæ rationi manus dedit doctiſſimus Pomponatius, & ex ea præſertim colligebat vna cum Stoicis cuncta fato fieri, & neceſſitate ſubiici: At errauit proculdubio, & rationem ſatis leuem inſolubilem cenſuit. Nam dico, contingentiam vniuerſe ſumtam habere quidem cauſſas, á quibus neceſſario pendeat, propterea de illa eſſe ſciẽtiam, ac ſemper apud nos reperiri: at cum neceſſario detur contingentia, eſt neceſſe vt ſingularia, quæ illi ſubiiciuntur, indefinita ac indeterminata ſint, alioquin contingentia non eſſent: firmũ igitur & conſtans eſt genus contingentiæ, inconſtantiæ & varietati obnoxia ſunt ſingularia eius, vt etiam neceſſe eſt locum eſſe plenum corpore, contin-

Definitio fati. *Dubitatio.* *Pomponatius.* *Error eius.*

contingenter tamen ſe habet ad ſingula definita & ſignata corpora. At addebatur, materiem, ſecundaſque cauſſas non poſſe obſiſtere primis. Reſpondeo, nec ſerui (ſi metimur eorum vires) valent obſiſtere domino, dum tamen longe ab eo diſtant, multa agunt præter leges eius: ita quoque ea, quæ à ſeparatis mentibus tribuuntur cœlo, conſtanter & firmiter in eo recipiuntur, ea verò, quæ per cœlum lumine & motu in mortalia deſcendunt, iam ob luminis & motus varietates, ob multiplicem & contrariam conditionem mortalium, ob materiei inconſtantiam, multis varietatibus redduntur obnoxia: nil tamen operantur mortalia, non cooperante cœlo: at quia cœlum communis eſt cauſſa, ideo cum cauſſis propriis inter ſe pugnantibus contraria producit: & propterea iſtæ ſecundæ cauſſæ non dicuntur obſiſtere cœlo, non enim cœlo, ſed ſibi mutuo aduerſantur, cum interim cœlum cum vtriſque oppoſitis operetur: ita dicimus cœlum cum leone generare leonem, cum cane canem. Materies mouenti cauſſę non obſiſtit, ſed potentiori agenti obtemperat: euenit tamen, vt modo vnum, modo alterum contrariorum dominetur. At vrgent adhuc Stoici, & inquiunt: niſi omnia fato fierent, non daretur optima, & libera mundi adminiſtratio, quod ni eſſet, nec mundus, nec Dii eſſent: at mundus, & Dii ſunt: quare omnia fiunt fato. Reflecto ego argumentum, niſi darentur contingentia, non darentur omnes rerum gradus, qui niſi darentur, nec vniuerſum eſſet vniuerſum, nec Deus eſſet vniuerſi opifex & gubernator: at vniuerſum eſt vniuerſum, & Deus cunctorum eſt faber & cuſtos: dantur itaque contingentia non definita, nec terminata: optima & libera adminiſtratio expoſcit, vt ſeruetur natura & conditio rerum, non vt peruertatur. At de his ſatis.

Inſtantia Stoicorum.

Reſponſio per reflexionem argumenti.

Soluitur ratio tertia ex prauo vſu aſtronomiæ depromta.

CAP. XXXV.

QVam inanes ſint quorundam aſtronomorum iactationes, ipſimet opere patefaciunt: cum enim quaſi terreſtres Dii velint futura prædicere, tam longe diſtant à vero, quam ipſi à Deo, & terra, cuius ſunt incolæ, à cœlo Deorum ſede. Aſtronomia, vt eſt pars mathematicæ, magnifacienda eſt: in prænoſcendis autem futuris, dum iuncta phyſicæ cognoſcens vires communium phyſicarumq; cauſſarum prædicit communia & phyſica quædam effecta, veluti ſiccitates, pluuias, ſterilitates, fertilitates, tempora ſalubria, inſalubria, cæteraque huius generis, recte facit, ac ea valet præuidere & prædicere, non vt neceſſario, ſed vt frequenter euentura: nam impediri ea quoque poſſunt. At, dum ad particularia deſcendunt, ac inſuper vel lucri vel ina-

Aſtronomia quomodo commendanda, quomodo reiicienda.

Digitized by Google

nis gloriæ deſiderio ducti ea volunt prædicere, quæ eueniunt raro, ac hominis libertati ſubiiciuntur, innumeris mendaciis leuitatem, temeritatemque ſuam patefaciunt. Prænoſci poſſunt aliqua ratione hominum temperamenta, ac etiam propenſiones, quæ temperamenta ſequuntur: at non actiones, quæ frequenter aduerſus propenſiones fiunt, & ſemper in noſtra facultate ſunt poſitæ. Verum nonnulli, qui dubiæ rationi maiorem quam certæ experientiæ præbent fidem, nituntur ſententiam ſuam veriſimilem reddere, inquiunt enim: *primo non mouente cætera non valent mouere, & magis dicitur moueri primum, quam pendentia ex eo*, vt ex 8. phyſicorum colligitur: cum igitur primum mouens corporeum ſit cœlum, ſine motu eius & lumine nil efficitur, & id præſertim & maxime cauſſa rerum eſſe dicitur: quare omnia pendent ex cœlo, omnia cœlo ſubiiciuntur, & qui figuras ac diſpoſitiones ſtellarum & cœli inſpicere iudicareque valent, quæ ſunt quaſi literæ futurorum euentorum, valent etiam præuidere, ac prædicere futura. Magni primo intuitu videntur hi apparatus, at facile dilabuntur. Nam ſeparati motores ſunt cauſſæ primæ, quæ vna cum cœlo vt cauſſæ communes per inſtrumenta communia omnia fouent, omnibus ferunt opem, at per cauſſas proximas & proprias effecta variantur & diſtinguuntur: vt enim recte dicebat Plotinus. *Fouet cœlum generationem omnem, at quod hic qui oritur ſit homo, ille ſit equus, non ex cœlo pendet, ſed ex cauſſis propriis communem cœli fauorem ad huius vel ad illius productionem contrahentibus.* Proximæ autem cauſſæ multis varietatibus ac permutationibus ſunt obnoxiæ. Vt enim pro colligenda concluſione neceſſaria non eſt ſatis, vt principium vnum ſit neceſſarium: ita, vt res effecta ſit neceſſaria, non eſt ſatis conſtantia & neceſſitas diſtantium & communium principiorum. Hinc recte dicimus, phyſiognomiam cæteris diuinatricibus artibus firmiorem conſtantioremque eſſe, & ratio eſt, quia inſpicit illa, quæ ſunt proximiora: conſiderat enim temperamenta, & complicata cum temperamentis, quę intimius, & proximius ad producendas humanas actiones conſpirant: quamuis nec illa quoque cogant, ſed ſolum pariant propenſiones ad varia, quæ aſſuetudine mutari poſſunt. Hinc inſpicimus ſub eadem cœli conſtitutione, ob varietatem propinquorum principiorum, necnon aſſuetudinis, homines reperiri aduerſis moribus præditos.

Ratio quorundam.

Diluitur ratio quarta ſumta ex modo operandi Dei.

Cap. XXXVI.

Firmiſſimo fundamento niti videbatur ratio quarta: prima enim cauſſa operari dicitur à Peripateticis cum quadam naturæ

Digitized by Google

turæ neceſſitate, á fonte autem neceſſitatis omnia, quæ manant, neceſſitate prædita eſſe debent. At facilis eſt eius euerſio, & ex iam dictis conſpicua ſolutio colligitur. Nam primo inquiunt Theologi, Deum extrinſecus non operari neceſſario, niſi ex ſuppoſitione: nam, quia ab æterno libere ita prædefiniuit, & non mutatur, ideo ita operatur, & non ſecus, & cum in Deo in prædefiniendis rebus refulgeat libertas à mutatione libera, in homine, qui factus eſt ad imaginem eius, apparere debet libertas conſimilis conditioni hominis, nempe cum mutatione complicata. Soluitur ab Academicis & Peripateticis eadem ratio negando conſequentiam: quamuis enim Deus neceſſario operetur, & neceſſaria ſint, quæ ex eo in cœlum manãt, nec non quæ proxime ſequuntur cœlum, vt motus & lumen, tamen, dum ab æternis ad mortalia tranſeunt, ob varium ſeſe habendi modum cœleſtis corporis & luminum eius ad hæc mortalia, ob materiei inconſtantiam, rerum contrarietates, hominumque libertatem, multifariam multiſque modis variantur. Refulget in Deo primo & neceſſitas & libertas, in cœlo per motum varietas, in homine autem ſeruatur libertas cum varietate complicata. Et quamuis ea, quæ pendent ex facto á caſu, dicantur à caſu fieri, non propterea quæ pendent ex neceſſario, ſunt neceſſaria, niſi id neceſſarium cum reduplicatione & adæquate eius cauſſa fuerit. Ratio differentiæ eſt, quoniam ex minus perfecto per propriam facultatem eius non valet proficiſci præſtantius & perfectius: at ex præſtantiore per receſſum ab eo & imbecillitatem recipientium, vel conſpirantium ad opus, poteſt prodire vilius & imperfectius: opera enim quo longius à primo principio recedunt, eo imbecilliora & obſcuriora redduntur. Addebatur neceſſitati nil obſiſtere. Dico neceſſarium non euerti, vt neceſſarium eſt: id tamen, quod ex neceſſario pendet vt ex cauſſa communi, poteſt in materie & ſubiecto inconſtanti vario modo recipi, & hoc ortum ducit ex contrarietate proximorum mouentium, & ex impotentia rerum mortalium, quæ non exacte valent recipere numeros & menſuras munerum cœli, vt in calce quarti de gen. animalium aſſeritur à Philoſopho. Addebatur poſtremo contingentia habere cauſſam, à qua neceſſario manant: iam dixi contingentia ratione communis generis includere neceſſitatem, indefinita autem, incerta, varia, & inconſtantia eſſe ratione ſingulorum, in quibus proxime verſatur operatio. Et hinc admirari, vt in cæteris, licet vires primi principii, ordinem partium mundi, perfectionemq; vniuerſi: cum enim omnia ex neceſſario principio fluant, omnia ordinatiſſime, miraq; perfectione neceſſitatis conditionem aliquam ſeruant. Nam contingentia neceſſitatem ſeruant: primo

Solutio theologica.

Solutio Academica & Peripatetica.

Contingentia etiam aliqua ratione ſunt neceſſaria.

ratione ſui gradus, & communis generis, quatenus eſt neceſſe, vt contingentia in mundo reperiantur: ſecundo ex ſuppoſitione, quia omne quod eſt quando eſt, neceſſe eſt eſſe, vt dicitur in primo de interpretatione: tertio ratione ſuæ conditionis, nam variabilia eſt neceſſe vt varientur, & mortalia pereant: demum ratione præſcientiæ Dei, quatenus, vt dixi in præcedentibus, ſemper præſcientia iunctam habet aliquam neceſſitatem. Sed præſcientia duplex eſt: vna, quæ abſolute eſt rei cauſſa, & hæc rem conſtituit abſolute neceſſariam: altera, quæ non abſolute rei eſt cauſſa, ſed præcognitio determinationis alterius cauſſæ, qualis eſt præſcientia humanarum actionum, per quam ſeruatur ſimul contingentia naturæ rei, libertas hominis, & certitudo eius apud Deum.

Quinta, & ſexta ratio diluitur. CAP. XXXVII.

Ratio medica diluitur.

RAtio ex medicorum, & præſertim Galeni, principio depromta, quod mores ſequantur corporis temperamentum, iam inanis reddita eſt ex eo, quod in gradu perturbationum oſtendimus: patefecimus enim principium illud rationi, experientiæ, naturæque rerum eſſe aduerſum. Declararunt Cicero, & Alexander in libro de fato, opera confirmarunt Socrates, & alii plurimi viri ſapientes, munere Philoſophiæ, & congruente ſtudio, & aſſuetudine, pernitioſas propenſiones ex temperamento prodeuntes corrigi temperarique poſſe. Ratio quoque ex attinentibus ad ciuilem ſcientiam deducta facile diluitur: nam Philoſophia de moribus non eſſet Philoſophia, nec morum magiſtra, ſi homo libertatis arbitrio eſſet deſtitutus. Et cum dicitur, hominem ligari legibus, duci obiecto, turbari perturbationibus, ſubiici Deo: reſpondeo, hæc minime euertere hominis libertatem, ſed confirmare. Non enim homo ita dicitur liber, vt nulli ſubiiciatur (ita namque ſolus Deus eſſet liber) ſed liber dicitur, quia in præeligendo altero oppoſitorum à nullo cogitur, ex ſe determinatur, & ſuimet dominus eſt. Leges hominem dirigunt, obiecta inuitant, perturbationes agitant, at nil horum cogit, nil aufert è manibus hominis facultatem præeligendi id, quod conſultatione præſtantius iudicauerit. Tantum autem abeſt, vt Deus libertatem euertat, vt eam potius feliciſſime largiatur, & ſeruet. Liceat hoc in loco mihi duo enunciare, quæ vt leuiter & extrinſecus inſpecta, videntur apprime falſa, ita intimius conſiderata veriſſima inueniuntur. Primum eſt, optimus vſus libertatis hominis, eſt vſus veræ ſeruitutis eius. Alterum eſt, *homini melius eſt ſeruire, quam regnare*, & vniuerſa perfectio regni hominis, in ſeruitute eſt poſita. Fundamentum veritatis vtriuſque enuntiationis illud eſt, quia vera ſeruitus naturæ

Ratio ciuilis ſoluitur.

Duo præter communem loquendi modum.

Perfectio hominis in ſeruitute poſita.

turæ rei congruens, ea eſt, per quam inferiora ſuo ſuperiori ſubiiciuntur: dum vero contra ſuperiora ſubiiciuntur inferioribus, ea eſt peruerſio naturæ rerum, & diſpoſitio præter naturam, non autem naturalis ſeruitus, & quoniam infera à ſuperis perficiuntur; hinc euenit, vt dum per naturam ſeruiunt, ſua perfectione fruantur. Ita corpus per naturam inſeruit animæ, anima rationi & menti, mens Deo, ac vt corpus ab anima, anima à mente, ita mens à Deo perficitur: homo tunc recte vtitur munere libertatis, dum ea præeligit, quæ legibus & voluntati Dei ſunt conſentanea, dum autem id facit, vero & legitimo domino ſubiicitur: & inde ortum ducit veritas primæ enuntiationis quæ fuit, optimum vſum libertatis eſſe vſum veræ & naturalis ſeruitutis. Huic ſimile illud eſt, quod à Theologis dicitur: *ſeruire Deo regnare eſt, vt etiam ſeruire principi iuſto, recteq; inſtitutis legibus.* Id enim verum eſt, primo, quia illa ſeruitus eſt rectus vſus libertatis: ſecundo, quia dum nobis Deum ſtatuimus ducem, libertatem nobis principem facimus, cum Deus ſit ipſa libertas: tertio, quia iuncti regi & principi cum eo regnare dicimur. Deus autem rex regum eſt, iuncti autem ſeruis dicimur induere vilem conditionem ſeruitutis, ſic cum ſeruis ſerui ſumus, iuncti regi ſumus reges: demum, quia homines ita affecti vere agunt, quod per naturam recte formatam velle ac præeligere debent. Altera enuntiatio erat, homini melius eſſe inſeruire quam regnare, & iure profecto Dum enim homo imperat & regnat, eatenus bono fruitur, quatenus id facit, quod voluntati & decretis Dei eſt conſentaneum, & ideo in eo eſt poſita perfectio ipſius imperii, vt Deo & legibus eius obtemperet: nemo igitur recte regnat, niſi recte ſeruiat, & quia recte ſeruit, ideo bene regnat. Hinc maiorem hominis dignitatem præſtantioremque eius conditionem indicamus, dum illum appellamus ſeruum Dei, quam dum regem & principem mundi. Nitendum eſt igitur ingenua ſeruitute maioribus noſtris ſeruire: cauendum eſt ab ea ſeruitute, quæ nos inferioribus ſubiicit, & vilioribus mancipat, vt euenit, dum ratio ſenſui, & ſenſus corpori obtemperat.

Diluuntur dialecticæ rationes. CAP. XXXVIII.

Dialecticæ rationes, vt primo occurſu argutæ eſſe videntur, ita quamprimum eis congruente diſtinctione obſiſtimus, retunduntur, decidunt, ac euaneſcunt. Prima ratio ex Alexandro depromta, non dialectica, ſed ſophiſtica eſt: peccat enim per fallaciam æquiuocationis. Nam dicebatur, *id eſt in nobis, cuius oppoſitum eſt in nobis:* at oppoſitum eius, quod eſt eſſe in nobis, non eſt in nobis, quare id, quod eſt in nobis, *Ratio prima dialectica diluitur.*

Digitized by Google

hoc eſt arbitrii libertas, non eſt in nobis. Fallacia pendet ex æquiuocatione vocis, ſeu Φράσεως quæ eſt eſſe in nobis: nonnunquam enim accipitur pro libertate arbitrii, nonnunquam vero pro eo quod eſt nobis competere, & in nobis reperiri. Inſuper dum refertur ad libertatem arbitrii adhuc dupliciter vſurpatur, vel pro facultate cui libertas competit, vel pro obiecto libertatis, circa quod verſatur, dum dicimus, id eſt, nobis cuius oppoſitum eſt in nobis, hoc eſt verum de obiecto libertatis, in qua ſignificatione, ſi vſurparetur in concluſione veriſſime colligeretur id quod eſt in nobis, hoc eſt, libertatem arbitrii pro facultate ſumtum non eſſe in nobis, hoc eſt, non eſſe obiectum libertatis, & non eſſe in noſtra facultate poſitam, quod veriſſimum eſt, libertas enim pro facultate ſumta competit nobis per naturam, nec valemus eam non habere; at abſurdum videtur ob vocem eandem; quæ modo in vna, modo in altera ſignificatione vſurpatur. Addebatur ſecundo, ſi homo libere operatur, vel id habet dum operatur, vel ante; & deducitur ratio, vt prius deducta fuit, vel dicamus, ſi voluntas libere agit, vel id ei competit, dum eſt determinata, vel dum eſt indeterminata: non ſecundum aſſerere valemus, quia tunc non agit, non primum, quia dum eſt determinata pro vna parte, non amplius eſt libera. Reſpondeo homini ſemper competere libertatem, nam ei competit, antequam præeligat, quia quamuis non agat, valet tamen libere quam libuerit partem præeligere, ei competit dum præeligit, quia libere id facit, ei competit actu cum operatur, quia ea præelectio ſua eſt, & ab eo pendet. At adhuc dialecticorum acumen non videtur obtuſum: pugnant enim acriter, & inquiunt. Si voluntas, & præelectio libera & indifferens eſt, neceſſe eſt, vt ab aliquo determinetur, nil enim ſui natura indifferens ſe valet determinare, vt conſtat exemplo primæ materiei, cum enim ſit indifferens, non potius vni, quam alteri parti adhæret: ſi igitur determinabitur ab aliquo, vel id eſt naturale, & per naturam operans, vel operatur per voluntatem: ſi per voluntatem erit indifferens & pariter neceſſe erit, vt ab aliquo determinetur, ac ita vel dabitur progreſſio in infinitum, vel erit deueniendum ad id, quod per naturam contrahet, ac determinabit voluntatem: id autem, quod operatur per naturam, operatur neceſſario, & pro facultate, quare omnia naturæ fato & neceſſitati ſubiicientur. Cõfirmatur, quoniam (vt inquit Auerroes in ſecundo phyſ. cont. 48.) facultas æque reſpiciens oppoſita eſt vis patiens, quæ ab aliquo agente contrahi, determinarique debet, & propterea non ſui domina eſſe videtur. His accedit, quod Auerroes in octauo phyſicorum, cont. 15. inquit: *motorem per voluntatem eſſe motorem motum, motor autem ab alio motus liber non eſt.* Confirmatur,

Diluitur altera ratio.

Digitized by Google

matur, quia voluntas per naturam fertur in bonum, & dum ei offertur ſummum bonum, non poteſt id nolle, ſed neceſſario illud vult, quare erga ſuum obiectum libera non eſt. His difficultatibus, quæ ſuperare videntur vires dialecticorum, nunc breuibus ſatisfaciam, latius autem ex dicendis de cauſſis, & definitione libertatis patebit earum ſolutio. Dico igitur facultatem appetentem non cognoſcere, ſed ſequi cognitionem: addo inſuper eam ſola ratione diſtingui à facultate cognoſcente, vt dicitur in tertio de anima, cont. 29. Ex his colligo facultatem appetentem primo pati, excitari, & moueri ab alio, quamuis mox ſit principium efficiens motus, vt colligitur ex tertio de anima, cont. 54. Præterea dico, non animam, vel eius facultatem eſſe adæquatum principium agendi, ſed compoſitum: nam homo agit, intelligit, lætatur, non anima, vt dicitur in primo de anima, cont. 65. Et propterea id, quod determinatur ad agendum, non facultas aliqua, ſed homo præſertim iudicari debet: homo autem ad agendum dirigitur, modo á recta ratione, vt homo probus, modo à ratione deprauata, vt improbus, aliquando non á ratione, ſed ab appetitu ſenſus, vt incontinens, qui non agit cum prælectione. Ideo inquit Ariſtot. in tertio de anima, 47. Amplius autem præcipiente intellectu, & dicente mente fugere aliquid, aut proſequi, non mouetur: ſed ſecundum concupiſcentiam agit: & tunc dicimus cum Diuo Paulo: *ſentio nouam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Addo demum hominem non dici liberum, quia ſit indifferens ad ea omnia, quæ per mentem proponuntur voluntati, ſummum enim bonum oblatum voluntati, non poteſt ab ea renui; ſed liberum dici, quia mente, & ratione eſt prædirus, qua iudicans finem, valet indagare media, ratiocinari de illis, vnum præferre alteri, ac præeligere, vt latius infra explicabo, ex his patet ſolutio difficultatum. Quærebatur primo, à quo pendeat contractio ad agendum hoc potius, quam illud. Dixi pendere à tribus, quæ non ita ſe habent, vt neceſſario moueant: imo cum ea ſint tria, & modo determinetur homo ab vno, modo ab alio, inferendum eſt eam determinationem neceſſitate carere: quod autem modo ab vno, modo ab altero determinemur, ortum ducit ex varia hominis conſtitutione, quæ in noſtra facultate poſita eſt. Confirmationum autem difficultatis ex dictis ſolutio patet, & ex dicendis clarior reddetur.

Solutio.

De origine, & cauſſis libertatis arbitrii.
CAP. XXXIX.

ABſolutis attinentibus ad primum caput, ex quibus conſtat hominem eſſe liberi arbitrii participem, alterum og-

Digitized by Google

currit maioris momenti, & eſt, quid nam ſit liberum arbitrium, & ex quibus principiis ortum ducat. Et quoniam ſcire eſt rei cauſſam cognoſcere, & definitio ex principiorum, cauſſarumq; cognitione colligitur: ideo à principiis ordiar, & primo à materie. Duplex aſſignari poteſt materies libertatis, vna, cui tanquam affectio conuenit: altera, circa quam verſatur. Materies, cui conuenit, atque eſt duplex: vel ſubiectum proximum, & adæquatum, & hic eſt homo, qui liber & dominus dicitur: vel ſubiectum primum, & principium, & hæc eſt anima rationis particeps. Materies, circa quam verſatur, ſunt res humanæ neceſſitate carentes. Et quia ex prima materie ortum ducit contingentia, ideo cenſendum eſt, eam ex parte externæ materiei, circa quam verſatur libertas, eſſe originem primam, ſine qua humana libertas ſeruari non poſſet. Forma & eſſentia libertatis eſt ea facultas, per quam non coacti, nec inſtinctu naturæ ducti, ſed propria ratione, & conſultatione valemus pro omni parte ratiocinari, ac vni, vel alteri parti hærere: quæ eſſentia in eo præſertim poſita eſt, quod valemus reſiſtere perturbationibus animi, ſenſuum appetitiones cohibere, propenſioneſque moderari ex temperamento prodeuntes. Finis eſt humana perfectio: cum enim homo natura donatus ſit omnibus animæ viribus, & ſecundum ſubſtantiam poſtrema perfectione ſit præditus, adeo vt mortalium finis, permanentium & fluxilium copula, mundique epilogus nuncupetur: etiam donatus eſt libertate, per quam valet aſſequi ſummum bonum, & in ſeipſo, vt in paruo mundo, valet imitari opificem, moderatoremque magni mundi, ac in ſuis manibus eſt poſitum ſe perficere. Maiorem perfectionem in animali mortali ex anima, & corpore conflato excogitare non valemus: cum enim huiuſmodi animal materiem includat, ſenſuſque expoſcat, neceſſario obnoxium eſt contrarietatibus, perturbationibus, variiſque ad corporea propenſionibus. Propterea eius perfectio in eo eſt poſita, vt valeat corporea moderari, mentem purgare, eamque incolumem à labe corporis præſeruare: quod cum fecerit, vere gloriari valet, & actione tanquam ſua delectari, Deoque tenetur gratias referre, qui huiuſmodi facultate eum donauit, non enim libertas nobis data eſt, vt miſeri, ſed vt felices reddamur: res namque menſurari debent per congruentem, non per deprauatum, ac præpoſterum vſum. Origo efficiens, & id vnde proxime manat libertas, à variis vario modo aſſignatur. Alexander 3. naturalium quæſtionum, cap. 13. inquit: *ſolum hominem eſſe liberum, quia ſolus animalium eſt rationis particeps, & conſultandi vim habet, adeo vt ratiocinandi vis ſtatuatur ab eo origo libertatis.* Verum id non videtur eſſe proprium, & adæquatum principium, nec ſola vis

Materia libertatis.

Forma libertatis.

Finis.

Cauſſa efficiens.

Alexander.

la vis ratiocinandi videtur eſſe ſatis. Quoniam ſi homo valeret de rebus ratiocinari, mox eſſet coactus vni definitæ parti hærere, vt coactus eſſet, ſi anima eſſet temperamentum, vt cenſuit Galenus, vel ſaltem anima ſequeretur temperamentum, ex eoque coniungeret, vt cenſuit Alexander, proculdubio liber non eſſet. Si enim anima ſecundum eſſentiam ſequeretur temperamentum corporis, etiam cogeretur illud ſequi ſecundum actionem, non ſecus ac ſe habeat de iumentis, & feris: propterea cum Alexander dicat, *animæ gradus omnes ſequi temperamentum corporis*; vt affirmat in ſecundo de anima, cap. 8 nec non in principio primi de anima, originem, & radices liberi arbitrii euulſit, & pro ſeruanda eius vmbra, & nomine in libro de fato laborauit. Inſuper idem Alexander in ſecundo de anima, cap. 45. agens de libero arbitrio, ex ſententia Ariſtotelis inquit: *arbitrii libertatem oriri ex permixtione non entis cum ente: quæ permixtio cum in rebus effectis, tum in cauſſis reperitur.* In rebus effectis reperitur permixtio entis cum priuatione, ſine qua res non variarentur, nec ortui, & interitui eſſent obnoxiæ: & nedum cum priuatione, verum etiam cum mendacio permixtæ ſunt, adeo vt frequẽter illas, quæ veræ videntur voluptates, falſæ ſint, & quæ videntur bona, ſint mala. Ex hac permixtione oritur libertas ratione rerum, circa quas verſatur. In cauſſis quoque reperitur mixtio cum non ente, quatenus eis conuenit, vt ſint quorundam cauſſæ ex euentu: nam quæ ex euentu eſt cauſſa, non dicitur abſolute alicuius cauſa, vt inquit philoſophus in ſecundo phyſicorum, cont. 52 & eſt cauſſa ex euentu ob aliquid, quod accidit cauſſæ per ſe, & ob imbecillitatem: & quod huiuſmodi cauſſam ſequitur, ſine cauſſa factum dicitur, quoniam non eſt factum ob aliquam peculiarem, antecedentem, & principem cauſſam. Id vero ſi in rebus externis fiat, fortunam parit, & caſum, ſi vero in nobis, liberum arbitrium. Natura quippe, & mos videntur cauſſæ prælectionis, ac inſtituti noſtri, quatenus in his quoque eſt non ens: quocirca eligimus quandoque ea, quorum cauſſa in nobis non præiecta eſt, ob imbecillitatem, ac infirmitatem humanæ naturæ. Hæc Alexander, quem Portius, & alii nonnulli ſequuti ſunt. At ſententia hæc minime approbanda videtur: permixtio enim cauſſæ cum non ente, non eſt origo, & cauſa libertatis, verum eius potius, quod nos errare valeamus, & recedamus à vero bono. Nam in parte ſimilis eſt ei ſententiæ, quam Theologi proferunt, dicentes, hominem in prima ſui origine fuiſſe participem eius iuſtitię, quæ ob id originalis nuncupatur, & tunc vere fuiſſe liberum: ob peccatum vero primi parentis animus degenerauit, declinauitque ad ea, quæ pertinent ad corpus: & inde ortum duxere variæ eius imbecillitates, adeo vt ea

Contra Alexandrum.

Alia ſententia Alexandri.

Digitized by Google

mixtio cum non ente, & peccato, minime ſit origo libertatis, ſed potius diminutionis, & labefactationis eius. Confirmatur, quia non ens & malum, ſolum mali, & declinationis ſunt origo, & machinantur maleficium, vt inquit philoſophus in 1. phyſic. cont. 80. libertas autem arbitrii inter ea numeratur, quæ abſolute perfectionem denotant: hinc primo tribuitur Deo, mox ſeparatis mentibus, demum homini: in Deo autem permixtionem cum nõ ente, nec quidem excogitare valemus, ipſe enim eſt omne, quod re vera eſt. Inſuper, ſi ex permixtione cum non ente oriretur libertas, vbi maior permixtio, ibi maior refulgeret libertas, ac ita iumenta, & feræ liberiores eſſent homine Nec recte etiam dicitur, libertatem in internis reſpondere caſui, & fortunæ in externis: ea enim, quæ libere fiũt, ex inſtituto à proprio agente proficiſcuntur Propterea dicamus primam, ac veram originem libertatis eſſe ſolutionem à materie: ex eo enim, quod forma, & primum agendi principiũ à corpore, & materie non pendet, libera & ſui domina eſſe dicitur. Hoc indicauit Anaxagoras, inquiens: *mentem à chao, & materię debere eſſe ſolutam, vt dominaretur*; quam ſentẽtiam frequẽter cõmendauit Ariſt. ex eo enim, quod mens eſt ſoluta à materie, & ex ea non pendet, non eſt mancipes corporis, ſed valet corpori præeſſe, iudicare, dominari, imperare, attinẽtiaque ad illud moderari, coercere, & corrigere. Ex ſolutione itaque à materie, & ex imperio ſupra corpus, conſurgit liberi arbitrii fœcundiſſima planta, ex qua prodeunt humanæ actiones, quaſi humanæ ſalutis, & miſeriæ diſſimiles fructus. Hinc percipimus, quod mens, quo magis fuerit à materie ſoluta, eo liberior eſt, quo vero magis fuerit merſa materiei, eo magis etiam carcere retro occluſa, corporiſque compedibus ligata detinetur. Deus cum omni ex parte ſit à materie ſeiunctus, nedum eſt maxime liber, verum ipſamet libertas eſt. Et quoniam in cauſis adæquatis, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis, & vice verſa, ideo omnes formæ à materie, & corpore non pendentes, liberæ ſunt, pendentes vero à materie, libertatis munere ſunt deſtitutæ. Verum Alexander, eiuſque aſſeclæ hanc veritatẽ perſpicere non valuerunt, cum perperam iudicauerint humanam mentem eſſe mortalẽ: & profecto pro aſtruenda humanæ mentis immortalitate, ea ratio, quæ ex eius libertate deducitur maximi momenti cenſeri debet.

Opinio propria.

Definitio liberi arbitrii. CAP. XL.

EX cauſarum explicatione facile modo eſt liberi arbitrii definitionem colligere. Pro cuius notitia accipiendum eſt, quod,

Digitized by Google

quod cum libertas ſit aliquid, neceſſario vel eſt ſubſtantia, vel accidens. Non eſt ſubſtantia, quia non materies, vt patet, non forma, nec compoſitum, quia neutrum dicitur libertas, ſed vel liberũ, vel libertatis principium: quare eſt aliquid, per quod forma, vel compoſitum denominatur, huiuſmodi autem debet eſſe accidens. Sed cum accidẽs ſit, vel eſt accidens per accidens, vel per ſe: non primum, quia id non ſequitur formam ſpeciei: at libertas ſequitur formam ſpeciei hominis, eſt igitur libertas accidens per ſe, huiuſmodi autem accidens nuncupatur proprietas, & conſtituit ſecundum modum dicendi per ſe, quæ proprietas eſt facultas quædam conueniens compoſito per formam, qualis eſt facultas ridendi, nec non addiſcendi diſciplinas. Et quamuis proprietas re vera à ſuo fundamento non ſit diſtincta, vt patefeci in præcedentibus: ea tamen fundamento ſemper ſuperaddit relationem, denominationem, & modum accidentis, per quem formaliter, & ratione diſtinguitur, ac de ſubiecto ſuo demonſtrari poteſt. Cum itaque humani arbitrii libertas ſit facultas quædam, quæ ſit integra eius definitio, conſiderandum eſt. Nonnulli breuibus eam definientes inquiunt: *libertatem arbitrii eſſe liberum de ratione iudicium.* At ex hac definitione, genus omne cauſſæ minime eluceſcit, & id, quod pro genere ſumitur, ſatis eſt dubium. Propterea dicendum cenſeo, libertatem humani arbitrii eſſe facultatem hominis, qua de oppoſitis ad eius actiones pertinentibus ratiocinari, oppoſitaque præeligere valet, ex parte animæ ſui natura rationis compote prodeuntem, quatenus ex materie non pendet, hominique Dei munere pro ſui perfectione tributam. Ita cenſeo ex ſententia Ariſtotelis, definiendam eſſe libertatem humani arbitrii: ex qua definitione omne genus cauſſæ eluceſcit, vt eſt conſpicuum. At duæ emergunt non ſpernendæ difficultates. Prima eſt, cum facultas hominis rationem ſequens dicatur oppoſitorum, num vnius ſit per ſe, alterius ex euentu, an potius vtriuſque per ſe? Inſuper, cum nedum homo, verum etiam iumenta, & feræ efficiant oppoſita (ad libitum enim feræ mouentur motibus oppoſitis, & modo mouentur, modo requieſcunt) cur ſolus homo, ſolaque facultas rationis compos dicitur eſſe oppoſitorum? Confirmatur dubitatio, quia inquit Ariſtoteles in octauo phyſicorum, 29. ſe mouere, eſſe proprium viuentium, & quæ ſe mouent, poſſe mouere ſe oppoſitis motibus, quare etiam iumenta videntur eſſe indifferentia, ac libertate prædita. Prima dubitatio ardua ſatis eſt: nam Ariſtotel. in octauo phyſicorum, contex. 8. facultates rationis expertes ait efficere vnum tantum, vt ignem calefacere, quæ ſi efficiant nonnunquam oppoſitum, id tantum

Proprietas non diſtinguitur à ſuo fundamento.

Definitio liberi arbitrii.

An agens per rationem efficiat duo oppoſita per ſe.

An feræ agant oppoſita.

Agitatur prima dubitatio.

Digitized by Google

eſſe ex euẽtu, vt æſtiuus calor reddit viſcera terræ frigida: facultates vero rationis compotes ait efficere contraria. Auerroes eo in loco inquit, *facultatem rationis compotem vtrumque oppoſitum efficere eſſentialiter.* Ex aduerſo Ariſtotel. nono metaphyſicæ, cont. 3. inquit, *vnum per ſe, alterum ex euentu efficere.* ait enim: *Et quæ quidem cum ratione omnes contrariorum ſunt eadem, carentes vero ratione, vna facultas vnius eſt: vt calidum ſolum calefacit, facultas vero medendi, infirmitatis, & ſanitatis.* Cauſſa autem eſt, quia ratio eadem oſtendit rem, & priuationem, non tamen ſimiliter, & eſt, vt ſit amborum: eſt autem vt magis ſit exſiſtentis: Quare neceſſe eſt huiuſmodi ſcientias eſſe quidem contrariorum, eſſe vero huius quidem ſecundum ſe, illius vero non ſecundum ſe: etenim ratio huius quidem ſecundum ſe, illius vero quodam modo, & ex euentu. Hæc Ariſtotel. per quæ videtur ſibi aduerſari, quoniam ſi facultas cum ratione operans vnius eſt per ſe, alterius ex euentu, non differret à facultate experte rationis, cuius oppoſitum dixit in octauo phyſicorum. Inſuper Auerroes in octauo phyſicorum, vt dixi, aperte oppoſitum profert. Vicomercatus vir doctiſſimus eo in loco Auerroem errare, Ariſtotelique aduerſari aſſerit. Nam inquit, *facultatem rationis compotem non differre ab experte, quia vtrumque oppoſitum per ſe efficiat, ſed quoniam ad libitum vtrumque valet efficere, vnum tamen per ſe, alterum ex euentu: agentia vero per naturam non vtrumque valent ad libitum efficere.* At eius ſententia approbanda non videtur, quoniam agens per naturam, cum agat ſua forma, quæ vna eſt, abſolute vnum agere dicitur. Agens vero per rationem, cum agat per ſcientiam, quæ eadem oppoſitorum eſt, vere dicitur poſſe agere oppoſita. Inſuper ſcientia, & ratio eorum oppoſitorum quæ ambo ſunt formæ, per ſe eſſe dicitur, vt calidi, & frigidi, quare ambo valet per ſe efficere. His accedit, quod Ariſtotel. in octauo phyſicorum, eas potentias diſtinguit abſolute per poſſe, & non poſſe agere duo oppoſita, non per poſſe ea facere ad libitum, & non ad libitum. Propterea dicamus cauſſam agentem cum ratione, vel verſari in fine, vel in ordinatis ad finem. Si verſatur in fine, profecto vnius eſt cauſſa per ſe, alterius ex euentu. Ratio eſt, quia finis proprius definitus eſt: ita Medicus per ſe ſanat, ex euentu interficit male vtens arte ſua, vt dicitur in octauo phyſicorum, cont. 8. & in decimo metaphyſ. cont. 3. Et aduertendum, quod Medicus male vtens arte, & interficiens, poteſt dupliciter conſiderari, primo vt Medicus, ac ita ex euentu penitus interficit, ſecundo vt vir prauus, ſuo vitio abutens arte, & quia hoc facit ob vlteriorem finem, ideo de hoc ſe habebit, vt de ordinatis ad finem. De quibus modo loquens

Vicomercati ſententia reiicitur.

Opinio propria.

dico

Digitized by Google

dico, ordinata in finem non eſſe ea, quæ proprie fiunt: nam proprie optatur, & fit id cuius gratia media parantur, vt vna cũ Platone inquit Ariſtoteles: *Veluti quamuis Medicus modo calefaciat, modo refrigeret, modo repleat, modo extenuet, ſemper tamen dicitur facere idem, cum hæc referat ad ſanitatem.* Cum itaque homo agẽs per rationem verſatur in mediis, & valeat oppoſita facere, valeat moueri, & quieſcere, valeat ire ad videndum amicum, & non ire, eligere vnum genus vitæ, vel aliud: ea oppoſita, vel conſiderantur in diſtincta occaſione, & tempore, ac ita non eſt dubium, ambo poſſe fieri per ſe. Medicus enim pro diſtincta ægritudine modo humectat, modo deſiccat. Pictor modo dealbat, modo denigrat, & vtrunque facit per ſe, imo natura ſic eſt per ſe principium motus, & quietis: vel conſiderantur in eadem occaſione, & tempore, & de his eſt dubitatio. De quibus dico ea oppoſita ad duo referri poſſe: vel ad arbitrii libertatem abſolute, ac ita aſſero hominem eſſe indifferentem, & vtrunque agere per ſe, quatenus vtrunque agit libere, cognoſcens, & præeligens: ſecundo poſſe referri ad abſolutam conditionem rei efficiendæ, & ad rationem, quæ magis pro vna parte, quam pro altera eſt nata ſuadere, & excitare, ac ita vnum principalius, quam aliud dicitur facere. Ex his conſtat reſolutio difficultatis, nam agens per naturam abſolute vnum agit per ſe, alterum ex euentu, & præter intentionem. Agens per rationem, dum refertur ad finem, vnum agit per ſe, alterum ex euentu, non ita tamen ex euentu, vt agens per naturam, quoniam id quoque efficit cũm cognitione, & intentione, ideo Ariſtot. dixit decimo metaphyſic. potius ex euentu: at ſi refertur ad ordinata in finem, dum conſideratur vt agens libere, vtrunque efficit per ſe, per relationem vero ad rationem vnum efficit principalius, quam aliud: ac ita loca Ariſtot. conciliantur, nec Auerroes diſſentit ab Ariſtotele. Quod vero pertinet ad alteram difficultatem, etiam animalia expertia rationis videri libera, & videri poſſe agere oppoſita: Reſpondeo animalia bruta mediare quodam modo inter hominem, & inanima, quatenus ea quoque efficiunt oppoſita. Differunt tamen ab homine: Primo ratione finis, quoniam homo tendere poteſt & ad bonum animi, & ad bonum corporis: iumenta vero, cum operentur per naturam, ſolum ſunt procliuia ad bonum corporis, & ad illud tendunt. Secundo ratione facultatis dirigentis: dirigi enim poteſt homo & à cognitione, ac appetitu ſenſuum, & à ratione, & valet vtrunque ſequi. Tertio ratione mediorum, nam cum brutis offeruntur media, illa eligunt quodam inſtinctu naturæ, non formata ratione pro omni parte, ac ita eligunt, at non præeligunt: propterea dicuntur determinata ad vnum, ad illud nem-

An iumenta efficiant oppoſita.

Differentia ex parte finis.

Ex parte dirigentium.

Ex parte mediorum.

Digitized by Google

pe, ad quod per naturam ducuntur, non autem indifferentia ſunt munere rationis pro omni parte, vt homo: hinc potius dicuntur moueri ſecundum ſenſum, quam à ſenſu.

Quod arbitrii libertas in ratione, non in voluntate ſit poſita.

Cap. XLI.

IAM de libero arbitrio, & quod ſit, & quid ſit, apparuit: ſequitur modo, vt perpendamus, vtri mentis facultati competat, num rationi, an potius voluntati, ſiue prælectioni. Res eſt ſatis dubia. Rationes exſtant ꝓ vtraque parte. Ac vt ad veritatis inuẽtionem excitemur, referam primo aduerſatum opinionum fundamenta: mox quid ſentiam, explicabo. Plurimi eorum, qui Ariſtotelem ſequuntur, vt Alexander, Ludouicus Boccaferrea, Portius, Epiſcopus Caſertanus, & alii viri celebres, in ſola ratione, minime in volũtate poſitam eſſe libertatem affirmarunt. Quorum hæc ſunt potiora fundamenta. Primo voluntas, vt quæuis facultas appetens, non cognoſcit, cum diſtinguatur à cognoſcente: facultas libera debet cognoſcere, propterea enim dicitur poſſe oppoſita, quia vtrunque cognoſcit: inquit enim Ariſtoteles in octauo phyſicorum, cont. 8. & 10. metaphyſ. cont 3. *facultatem cum ratione agentem eſſe oppoſitorum*: quia ratio, & ſcientia oppoſitorum eſt. Secũdo, libertas ei debet competere, cuius officium eſt imperare, regnare, præeſſe, & dominari: at hoc facultati cõuenit iudicanti, & ratiocinanti, non appetenti, officium enim appetentis eſt exſequi, & implere mandata iudicis præcipientis: hinc Ariſtoteles in tertio de anima, oſtendit, *intellectum, & appetitum eſſe principia motus, & iure: nam intellectus imperat, appetitus exſequitur.* Tertio, ea vis & facultas, quæ libera eſt, debet eſſe efficiens, non autem ſolum mota, & patiens, id enim, quod mouetur ab alio, dirigitur, contrahitur, determinatur, & tantum abeſt, vt libertate fruatur, vt potius maxime inſeruiat, mouentibuſque ſuccumbat facultas appetendi, eſt patiens, mota, excitata, & ducta à cognoſcente: nõ itaque libera dici poteſt, alioquin prima materies maxime iudicanda eſſet libera. Hinc Auer. in 2. phyſ 48. voluntatem, & omnes appetentes facultates inter eas numerat, quæ patiuntur, & in 8 phyſic. cont. 15. inquit, *motorem per voluntatem eſſe motorem motum* Quarto voluntas, cum ſit vis patiens, & indifferens, non valet ex ſe determinari: nil enim ſe mouet, vt oſtenditur ab Ariſt. in 8. phyſic 40. & cum ſit indifferens, non valet ſua facultate alterum oppoſitorum ꝓſequi, ab agente enim ęquali non manat actio, vt in 2. phyſ. context. 48. inquit Auerroes. Et confirmatur, quia voluntas definitur, quod

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Confirmatio.

223

tur; quod ſit deſiderium boni cum ratione; quare, dum per rationem ei offertur bonum, non poteſt id nolle: alioquin voluntas non eſſet voluntas, quia ei definitio voluntatis non conueniret, & præcipue, quia bonum eſt obiectum voluntatis. Præterea libertas præcipue facultati nobiliori conuenire debet, indicat enim perfectionem: at facultas, quæ ratiocinatur, & cognoſcit, præſtat facultati appetenti non cognoſcenti. Inſuper libertas maxime fulget in ordinatis ad finem, non in fine: voluntas autem ipſius finis eſt. Plato quoque viſus eſt huic parti adhærere: quod ſatis aperte colligitur ex Protagora, vbi latiſſime Socrates cum Protagora diſputans, nititur oſtendere, ſcientiam in homine eſſe ducem, & principem, & ſcientia in homine nil eſſe potentius, adeo vt homo vere ſciens peccare nō valeat, ſuperari autem, & vinci à voluptatibus ſummam nuncupat inſcitiam: ex quo colligitur totam arbitrii libertatem in facultate cognoſcente eſſe poſitam, voluntatem autem non poſſe ei non obtemperare. Ex qua diſputatione etiam colligit Ariſtot. in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 2. Socratem negaſſe dari continentiam, quia nemo ſciens peccare poteſt. Plotinus etiam Ennead. 6 lib. 8. cap. 6. inquit: *Manifeſtum eſt libertatem, & quod eſt in nobis, inter res agendas, neque ad actionis effectum, neque ad externas actiones: ſed ad actum internum, & intelligentiam, contemplationemque virtutis ipſius omnino referri, hanc vero virtutem oportet mentem quandam exiſtimare, &c.* Manifeſte Plotinus libertatem facultati cognoſcenti, & contemplanti, non appetenti tribuit. Boetius adhuc clarius in proœmio tertiæ ſectionis, ſecundæ editionis libri de interpretatione, loquens aduerſus Stoicos idipſum affirmat, inquiens: *nos autem liberum voluntatis arbitrium non id dicimus, quod quiſque voluerit, ſed quod quiſque iudicio, & examine colligit: alioquin multa quoque animalia habebunt liberum voluntatis arbitrium, illa enim videmus ſponte quædam refugere, quibuſdam ſponte occurrere.* At quotieſcunque imaginationes quædam concurrunt animo, & voluntatem irritant, eas ratio perpendit, & de his iudicat, & quod ei melius videtur, cum arbitrio perpenderit, & iudicio collegerit, facit: atque ideo quædam dulcia, & ſpem vtilitatis monſtrantia, ſpernimus, quædam amara, vel ardua, licet nolentes, fortiter ſuſtinemus: ideo non in voluntate, ſed in iudicatione voluntatis, liberum conſtat arbitrium, & non in imaginatione, ſed in ipſius imaginationis perpenſione cōſiſtit. Hæc Boetius: ex quibus luce clarius colligitur in ratione, & non in voluntate liberum arbitrium collocaſſe. Alexander Aphrod. idipſum exiſtimauit, quod colligitur ex primo ſuo lib. de anima cap. de phantaſia inquit enim, *aſſenſio, quæ in ſimplicibus verſatur, vtrum ſint nec*

Ratio quinta.

Sexta.

Plato.

Plotinus.

Boetius.

Alexander.

Digitized by Google

ne, in noſtra poteſtate non eſt, nam ſenſum, atque imaginationem huiuſmodi aſſenſio ſequitur: At vero aſſenſus ille, qui agendis rebus præſtatur, Vtrum agi debeant, an non debeant, à ratione, velut à cauſſa proficiſcitur, quem in poteſtate noſtra eſſe, perſpicuum eſt. Namque in facultate noſtra eſſe quis dubitet rem quampiam deliberationē ceteris anteponere, atque eidem aſſenſionem adiicere, &c. Clarius idipſum affirmat tertio naturalium quæſtionum, cap. decimo tertio, inquiens, *nos poſſe de rebus conſultare, & non conſultare, & eſſe dominos conſultandi de imaginationibus, non autem neceſſario imaginationem ſequi, &c.* Auerroes quoque id ipſum exiſtimauit, quatenus in ſecundo phyſicorum, cont. 48. omnem facultatem appetentem aſſerit eſſe patientem, indifferentem, & nil agere, niſi ab agente aliquo contrahatur, & propterea liberam eſſe non poſſe. At perpendamus, quomodo Ariſtot. quoque huius fuerit opinionis. Nam id, quod eſt cauſſa, vt voluntas aliquid velit, vel nolit, eſt fundamentum libertatis: at huiuſmodi cauſſa eſt mens, & ratio, vt dicitur ab Ariſtotele in duodecimo metaphyſicæ, 36. aſſerente; *Concupiſcibile eſt id, quod videtur bonum, voluntate optabile eſt ipſum primum exſiſtens bonum: appetimus potius, quia videtur, quam videatur, quia appetimus: principium eſt mens, &c.* Manifeſte Ariſtotel. voluntatem menti ſubiicit, & id ait ab ea optari, quod à mente iudicatur bonum. Præterea inquit Ariſtotel in tertio moralium Nicomachiorum, cap. primo. *Ignorat igitur ſane improbus omnis, quanam ſint agenda, & à quibus abſtinendum, & ob hanc ignorantiam homines redduntur iniuſti, & mali.* Quod ſi improbi omnes ob ignorantiam redduntur mali, conſpicuum eſt non ob voluntatem eſſe tales, nec voluntatem eſſe liberam, ſi enim ea libera eſſet, etiam qui non ignorant, poſſent peccare: Inſuper in tertio moralium Nicomachiorum, cap. tertio, inquit: *poſtquam conſultatione adhibita iudicauerimus, tum ſecundum eam conſultationem appetimus.* Præterea in 30. part. prob. 11. inquit: *cur homo aliud intelligit, aliud facit? An quia contrariorum eadem ſcientia eſt? An quia mentis officium ad plura extenditur, appetitus in vnum tantummodo fertur? atqui homo mente magna ex parte viuit, & ratione, beſtia appetitu, ira, cupiditateque ducuntur.* Præterea oſtendit Ariſtoteles in octauo Phyſicorum, loquens de æternitate motus, motorem non tranſire ex poteſtate ad actum ſecundum, & ex non mouere ad mouere, niſi præcurrat motus aliquis, per quem reddatur motor proximus, & cum fuerit talis, neceſſario mouet, niſi aliquid impediat: & hoc ait eſſe verum de omni mouente, & per naturam, & per rationem, vt patet ex contextu octauo. At ſi libertas in voluntate eſſet poſita, & ad libitum, quamuis

Auerroes.

Ariſtot.

Digitized by Google

quamuis partem poſſet præferre, ea ſententia falſa eſſet: nam agens per voluntatem poſſet eſſe in potentia proxima, & non mouere, & ſine præcurrente motu per libertatem voluntatis, poſſet ex non mouere tranſire ad mouere. Præterea declarat Ariſtot. in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. tertio, quod nedum cōtinentis, verum etiā incontinentis actio, rationem aliquam ſequitur, adeo vt actio ſequatur rationem, vt concluſio propoſitiones; ideo inquit Philoſophus: *Cum opiniones aliæ ſint de rebus vniuerſis, aliæ de ſingularibus, quarum ſenſus arbiter, ac dominus eſt, neceſſe eſt, vbi ex his duabus vna effecta ſit, in iis quidē, quæ ſunt cognitionis, animum id quod concluſum eſt enuntiare, & affirmare: in iis autem, quæ ſub actionem veniunt, ſtatim agere*: vt ſi omne dulce guſtandum eſt, hoc autem eſt dulce, tanquam vnum de ſingularibus, neceſſe eſt eum, qui poſſit, quique non prohibeatur, ſimul atque dictum eſt etiam agere. Cum igitur ineſt vniuerſa opinio, quæ guſtare prohibet, ſecunda omnia dulcia eſſe iucunda, & tertia hoc eſſe dulce, (hæc autem eſt, quæ agit,) & adeſt forte cupiditas: opinio quidem illa prima hoc fugere iubet, cupiditas autem alio trahit, poteſt enim vnamquamque animi partem commouere: ita fit, vt à ratione, & opinione quodam modo naſcatur incontinentia, non quod opinio per ſe ſit rationi contraria, ſed ex euentu, cupiditas enim, non opinio, rectæ rationi contraria eſt, &c. Aperte Philoſophus, dum loquitur de modo quo agimus, nunquam voluntati, ſemper rationi libertatem, determinationem, & directionem tribuit. Ideo in tertio de anima, contextu 28. inquit: *ſentire igitur ſimile eſt ipſi dicere ſolum, & intelligere cum autem iudicauerit delectabile, aut triſtabile, affirmans aut negans, proſequitur aut fugit*. Id ipſum confirmauit in contex. 34. Ita quoque in libro de motu animalium explicās modum, quo homo per rationem mouetur, latiſſime oſtendit ſemper dirigi, determinarique per rationem: nunquam aſſerit ex voluntatis arbitrio nos aliquid agere, vel moueri, adeo vt voluntati ratione, & facultate propria nullam vnquam tribuat arbitrii facultatem. Arbitrii itaque natura, & conditio in eo erit poſita: vt, cum iumenta, & feræ per certa media in finem definitum naturæ inſtinctu ducantur, homo munere rationis valeat de his, quæ per imaginandi virtutem menti offeruntur, ratiocinari, ea inuicem comparare, vnum alteri præferre, ſub variis cōmunibus enuntiationibus ſingularia, in quibus verſatur actio, ponere, vni parti aſſentiri, ac ita actiones ſuas ſua ratione componere, formare, & dirigere, & propterea ſuarum actionum dominus, faber, & auctor nuncupatur. *Epilogus dictorum.*

Rationes pro parte aſſerentium, libertatem in voluntate eſſe poſitam.

Cap. XLII.

Quod libertas in voluntate, ac prælectione ſit poſita.

Firmiſſima profecto, & rationi ſummopere conſentanea ſunt eorum fundamenta, qui libertatem in ratione collocatã affirmant: at non leuiora ſunt illa, quibus aduerſæ nituntur opiniones, nam hac de re tres ſunt principes opiniones. Quidam enim in ſola ratione eam eſſe poſitam cẽſent, vt patuit, alii in ſola voluntate, vt Scotus in Quolib. D. Thom. inquit: *libertatis originem in ratione eſſe poſitam, quia iudicium eius non eſt à natura definitum: libertatis tamen formam, vt in propria ſede, in voluntate reperiri.* Quicunque libertatem arbitrii tribuunt voluntati, inquiunt voluntatem imperare rationi, & eſſe cauſam, vt libere iudicemus. Ideo inquit Diuus Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio: *voluntas noſtra non eſſet voluntas, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* Quæ ſententia ita rationibus cõfirmatur, & primo; iudicium, & ratio in noſtra facultate non eſt poſita, ſed naturam ſequitur: non enim in noſtra facultate eſt bonum iudicare malum, & contra, ſed tale cogimur iudicare obiectum, quale ſe nobis offert. Similiter ratio ex natura, & conditione rei ſumit definita principia, ex quibus definitam, & determinatam colligit concluſionem, & hoc videtur verum, ſiue ratio ſit de attinentibus ad cognitionem, ſiue ad actionem: quod ſi nonnunquam argumentamur pro vna parte, mox pro altera, id pendet ex voluntate, quæ rationi præcipit, vt pro hac, vel pro illa parte ratiocinetur. Ita etiam vir ſapiens dicitur ſpeculari, quando vult, vt etiam fatetur Ariſtoteles in 2. de anima, cont. 60. ſi ſpeculatur, quãdo vult, voluntas igitur ei imperat, & dominatur. Præterea libertas arbitrii in nolle, & velle poſita eſt, ideo ſæpe dicimus, hoc facio nulla ratione coactus, ſed quia ita volo, & de eo, qui imperat, dicimus, ita vult, ita iubet, & in nobis ſæpe experimur, nos aliquid facere non aliam ob cauſam, niſi quia ita volumus, & eſt ſatis pro cauſa voluntas. Et dum volumus aliquid ſuadere, vel diſſuadere, dicimus, noli hoc facere, noli eſſe incredulus, velis eſſe vir probus, noli eſſe improbus, qui ſermones inanes eſſent, niſi voluntas libera eſſet; reſponderemus enim nos nõ poſſe, vel nolle aliquid, vel velle; quia non eſt in noſtra facultate. Præterea, dum libertatem transferimus ad rationem, manifeſte indicamus eam ex voluntate pendere: dicimus enim nos ratiocinari, deliberare, intelligere id ꝙ volumus, & niſi ageremus id quod volumus, non diceremur libere agere. Cum itaque poſita voluntate ponatur libertas, demta dematur, conſtat libertatem totam in volũtate eſſe poſitam:

D. Auguſtinus.

Ratio prima.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

in eo

in eo enim cenſeri debet poſita libertas, in quo ceteris circumſcriptis ſeruatur, & eo ſolo demto, remanentibus ceteris ſeruari non poteſt. At demtis ceteris, hoc ſolo ſeruato, quod actio fiat cum voluntate, ſeruatur libertas, hoc demto, ſuperſtitibus ceteris, libertas perit, in voluntate itaque poſita, & collocata eſt. Minor propoſitio, de qua ſola poteſt eſſe dubitatio, oſtẽditur, quia intelligentiæ, quamuis vni definitæ parti ex ſententia Ariſtotelis ſint addictæ, tamen, quia ita volunt, liberæ dicũtur: inanima corpora, quamuis libertate ſint deſtituta, tamen, quia appetitu naturali in ſuum locum feruntur, ſeruant imaginem libertatis, & dum appetitu mouentur, dicuntur moueri libere. Præterea in eo eſt poſita libertas, ex quo pendet ratio probitatis, vel improbitatis actionis, & per quod reddimur digni pœna, præmio, laude, vel vituperio: at hoc pendet non ex noſtra ratione, & iudicio, ſed ex noſtra voluntate, & prælectione: hæc enim eſt differentia actionum moralium, & effectionum artis, earum enim principium eſt prælectio, harum mens, vt dicitur ſub initio 6. metaphyſic. Inſuper opus artificioſum commendatur, ſi formoſum fuerit, actio vero ad mores pertinens, ſi recte fuerit acta, nẽpe ſi cum volũtate, & prælectione, vt patet ex tertio moralium Nicomachiorum, cap. 5. nec non ex lib. 6. cap. 5. ideo virtus definitur, *quod ſit habitus cum prælectione.* Idipſum affirmauit Seneca epiſt. 96. inquiens: *vis ſcire, quam diſſimilis ſit aliarum artium conditio, & moralis ſcientia? in illis excuſatius eſt voluntate peccare, quam caſu, in hac maxima culpa eſt ſponte delinquere.* Et Plato in decimo de repub. inquit: *eligentis quidem culpa eſt omnis; Deus autem eſt extra culpam, adeo quod culpa & laus, non ob rationem, ſed ob voluntatem, & prælectionem nobis conuenit.* Præterea libertatem eſſe poſitam in voluntate, ex eo colligere valemus, quia tendit etiam ad ea, quæ fieri nequeunt, quæ nulla ratio oſtendit eſſe optanda. Inſuper id ipſum ſatis aperte confirmatur, quia ſi imaginamur aliquem præditum omni facultate cognoſcendi, ratiocinandi de oppoſitis, conſultandi, vnum alteri præferendi, & hoc ſolum adfuerit, vt coactus ſit, velle vnum eorum definire, ſtatim perit, & abeſt vniuerſa libertatis forma, vt conſtat de recipiendo ſenio, & vltimo fine vitæ. Præterea ad eam facultatem pertinet libertas, ad quam pertinet contrahere hominem indifferentem ad vnam definitam partem: at hoc eſt munus facultatis appetentis, vt dicitur ab Ariſtotele 9. Metaphyſicæ, contextu decimo, non autem iudicantis: inquit enim Ariſtoteles loco nuper relato: *poteſtates cum ratione agentes poſſe efficere contraria, & niſi adeſſet aliquid eas ad vnum contrahens, ſimul contraria agerent, quod tamen fieri non poteſt: ideo neceſſe eſt, vt determinentur ab aliquo, id autem eſt appe-*

Quarta ratio. *Quinta.* *Sexta.* *Septima.*

titus, aut prælectio, quod enim deſiderabit, id faciet, &c. Aperte his verbis aſſerit Philoſophus rationem contrahi per appetitum, & prælectionem, & quamuis appetitus ſupponat cognitionem, tamen ille eſt, per quem minorem propoſitionem, ſub quo libuerit, vniuerſali collocamus, & per quem agimus. Nec ſatisfacere videtur ſolutio Portii aſſerentis prælectionem eſſe actionem rationis, & cum prælectio dicitur libera, indicari libertatem rationis, & mentis, hoc inquam dici nõ debet. Primo, quia vt voluntas, ita prælectio, dicitur facultas appetens, ad mentem pertinens, vt patet ex tertio moralium Nicomachiorum: ideo non magis vna, quam altera dici poteſt actio mentis, nam actiones tantum ſunt eius, quatenus ſupponunt cognitionem mentis. Præterea Ariſtot eo in loco, ait, *rationem determinari à prælectione, & appetitu*: id autem, quod facultatem contrahit, & determinat, non dicitur eius facultatis actio, alioquin ratio tunc ſemetipſam determinaret, quod ibi inficiatur Ariſtotelem: at quod contrahitur, & determinatur ab alio, non debet cenſeri liberum. Simplicius etiam in Epictetum libertatem videtur tribuere voluntati: inquit enim cap. quinto: *Quis eſt, qui ſe non ſentiat modo velle, modo nolle, eligere, deliberare, aſſentiri, diſſentire? &c.* Eſt itaque res apprime dubia: nam libertas non videtur cõpetere facultati appetenti, quia cœca eſt, & ab alio dirigitur: nõ prælectioni, quia incontinens agit libere, at non cum prælectione, non voluntati, quia ea reſpicit finem, libertas præcipue pertinet ad ordinata in finem, non rationi, quia ea non valet ſe determinare, ſed ab alio determinatur. Quid itaque erit dicendum.

Portii impugnatio.

Simplicius.

Opinio propria. CAP. XLIII.

VAria retuli hactenus, per quæ cumulate iudicare valemus, in quo ſit poſita difficultas, nec non excitari ad inuentionem veritatis: nunc autem vt proferam, quod ex ſententia Ariſtotelis dicendum cenſeo, me ſemper ſubiiciens acriori iudicio, præaccipio vires animæ ex ſententia Ariſtotelis ab eſſentia eius non diſtingui, vt dixi in enumeratione earum. Accipio ſecundo facultatem appetentem non diſtingui à cognoſcente, niſi ratione, vt dicitur in tertio de anima, context. 29. Accipio tertio, voluntatis nomen frequenter late vſurpari, vel pro omni appetitu facultatum cognoſcentium, vt dicimus aues velle volare, canem velle comedere: vel ſaltem pro omni appetitu mẽtis, & rationis, veluti dum quæritur, an voluntas ſequatur rationem, nam appetitus ſequens rationem eſt prælectio potius, quam voluntas: & in hac ſecunda ſignificatione modo voluntas vſurpatur. Addo quarto id, quod in præcedentibus declaratum eſt.

Opinio propria.

Quatuor accipiuntur.

Digitized by Google

eſt, ſeiunctionem à materie, & corpore, eſſe fundamentum, radicem, & originem libertatis. Ex his tria colligo. Primum eſt, in omni mentis gradu, & facultate ad actionem ordinata locum habere libertatem arbitrii, cum omnis ſit à materie ſoluta, & ſimul ad actionem conſpiret. Alterum eſt, eo ordine, & gradu libertatem competere facultatibus mentis, quo ad actionē conſpirant, & per naturam ſunt ſubordinatæ, & quia ratio dirigit, appetitus exſequitur; propterea libertas eſt in ratione, vt in principe, & dirigente, in appetitu eius, vt in exſequente, in principio conſideratur radix libertatis, & actionis, in appetitu vſus eius, in principio includitur virtute, in appetitu magis cum apparente forma, in principio ſecundum naturam primo ineſt, in voluntate primo nobis, quatenus voluntas eſt proximius agendi principium: in ratione eſt libertas, quatenus ipſa non per naturam definita eſt ad vnum, quod ei offertur, ſed valet de oppoſitis ratiocinari, ſe primum principium conſtituere agendi, vel non agendi aliquid, & ſub communibus enuntiationibus modo vnam, modo alteram minorem collocare, & propterea homo dicitur dominus, & princeps ſuarum actionum: in voluntate vero ſeruatur libertas: Primo, quia non eſt re diſtincta à mente; ſecundo, quia pendens, & formatum à libero, liberum dicitur; tertio, quia in ea libertas ſemetipſam per opera patefacit, veluti etiam dicimus manum principis liberam, & dominam eſſe. Quod libertas ex mente ducat ortum, aperte patefacit Ariſtot. in 12. Metaphyſic. 36. inquiens: *appetimus res quia videntur, magis quam videantur, quia appetimus: principium autem eſt intelligentia, &c.* Cum itaque principium primum actionis, & directionis ſit intelligentia, neceſſe eſt, vt ex ea ortum ducat libertas. Colligo tertio vere, & proprie liberum debere dici, non rationem, non voluntatem, ſed hominem; quia homo eſt integrum agendi principium, & eius vt totius agentis dicuntur eſſe actiones, vt aſſeritur in primo de anima, 65. Conuenit itaque libertas & rationi, & voluntati, & homini, eo ordine, eaque ratione, qua eſt nata eis conuenire, & ad actionem ordinantur. Sic homo libere dicitur velle, & nolle, & id dicitur agere quod vult, quia id agit, quod iudicat ſibi expedire, & quod propria ratione decernit, quam voluntas ſequitur: & præcipue denominatio tribuitur voluntati, quia ab ea proximius pendet actio, in eaque extrinſecus per ſuam formam à ratione manantem refulget. Et quoniam ex context. 57. tertii de anima nonnulla colliguntur ſatis vtilia, inſtitutoque meo inſeruientia; id eo locum illum referam & explicabo Inquit ibi Philoſophus: *imaginatio ex ſenſibus pendens etiam ceteris animalibus conuenit, imaginatio autem ex conſultatione prodiens in ſolis ineſt rationе præ-*

Colliguntur tria.

Sententia Ariſtotelis in 3. de anima 57.

ditis: vtrum enim agat hoc vel illud, rationis eſt opus, & neceſſe eſt vno menſurare, maius enim perſequitur, quare poteſt vnum ex pluribus imaginibus efficere. Et cauſa hæc eſt eius, quod opinionem non videtur habere, non enim habet eam, quæ ex ſyllogiſmo oritur, hæc autem illam, propterea appetitus non habet facultatem conſultandi. Vincit autem nonnunquam & mouet volũtatem, nonnunquam voluntas appetitum, ac vt ſphæra, ita appetitus appetitum, cum incontinentia facta eſt: natura autem ſemper vis ſuperior, principalior eſt, & mouet, adeo vt tribus lationibus iam moueatur, &c. Ex his collige primum, ex ſententia Ariſtotelis originem libertatis in ratione eſſe poſitam: nam inquit, vtrum enim hoc vel illud agat, rationis eſt opus. Collige ſecundo, in homine, quod ad facultates mouentes pertinet, tres conſiderari motus, vnus, quo ratio excitat voluntatem, alter, quo voluntas appetitum, tertius quo appetitus voluntatem. Ex quo conſtat non inſulſe eos loqui (vt perperam cenſuit Portius) qui dicunt appetitum moueri, nam Ariſtotel. de voluntate, quæ eſt vis appetendi, ait, quod mouetur ab appetitu. Tertio conſidera, quod motum illum, quo vnus appetitus alterum mouet, ait ſimilem illi, quo ſphæra mouet ſphæram. Hoc debet intelligi per ea, quæ a Philoſopho dicuntur ſub initio mechanicarum quæſtionum: inquit enim circulum vnum mouere alterum, quem tangit in oppoſitum, ita voluntas & appetitus ſenſuum in oppoſitum ſe mouere dicuntur, & ſunt vt ſphæræ ab eodem ad idem, ab appetibili ad appetibile tendentes. Quarto conſidera id, quod dicitur à Philoſopho, neceſſe eſt vno menſurare, maius enim perſequitur. Hoc ſumtum eſt ex Platone in Protagora, vbi nititur oſtendere omnia peccata ex inſcitia ortum ducere, & propterea oportere adeſſe facultatem, quæ comparare ac metiri valeat oppoſita, vt præſtantius eligamus: ex inſcitia enim menſurandi & cognoſcendi maiorem veriorem que voluptatem, nonnunquam a minori vincimur: hanc menſurantem facultatem tetigit modo Ariſtotel. ex cuius recta menſura pendet rectitudo noſtrarum actionum. Quinto ex eo quod Ariſtot. inquit: *natura ſemper vis ſuperior principalior eſt, & mouet*: collige continẽtem ſequentem rationem, eique obtemperantem eſſe affectum ſecundum naturam, incontinentem contra.

Primum quod ex Ariſtot. colligitur.

Secundum.

Contra Portium.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Soluuntur dubia nonnulla ad libertatem arbitrii pertinentia. CAP. XLIV.

De re præclara & ardua non tot dici poſſunt, quin plura dicenda ſuperſint, nec tot difficultatum abſcinduntur capita, quin alia emergant: propterea, quamuis ex dictis multarum dubita-

Digitized by Google

dubitationum conſpicuæ eliciantur ſolutiones, tamen adhuc dubitare quis poſſet. Primo, quia ſi voluntas rationem ſequitur ex ſententia Ariſtotelis, nec poteſt aliud velle, niſi id quod ratione fuerit approbatum, profecto alteri ſubiicietur, nec libera erit. Altera dubitatio eſt: an, nulla in nobis vel externa vel interna mutatione facta, ſed omnibus eodem modo ſe habentibus, valeat homo id quod noluit velle, & nolle quod voluit. Tertia, an voluntas ſit vis agens, vel patiens. Quarta, an valeat imperare menti, vt intelligat, ratiocinetur, conſultet, ac etiam valeat rationi eius tergiuerſari. De prima difficultate dico inanem eſſe hanc conſequentiam: voluntas rationem ſupponit, ab ea excitatur ac dirigitur, ideo non eſt libera: inanis autem eſt duplici de cauſſa. Primo, quia libertas arbitrii non in eo eſt poſita, vt valeamus aliquid præter naturam, & contra rationem agere, nec propterea euertitur, quia rationem ſequatur, nam hæc eſt natura & conditio eius: ideo inquit Boetius in libro de interpret. *nos liberum voluntatis arbitrium non id dicimus, quod quiſque voluerit, ſed quod quiſque iudicio & examinatione collegit.* Similiter Plotinus Ennead. 6. libr. 8. cap. 7. inquit: *Si quis neget Deum eſſe liberum, propterea quod ita duntaxat faciat, vt ſeper ſuam naturam habet, abſurdum eſt, ſi quis exiſtimet quippiam tunc eſſe liberum, quando præter naturam facit & operatur, &c.* Inſuper inanis eſt ea conſequentia, quia (vt dixi) mens & voluntas re idem ſunt, & idem iudicat, conſultat, & quod approbauit vult, & præeligit: imo libere homo dicitur velle, quia ſua conſultatione ſe principium conſtituit ſuæ actionis, & ita agit vt ipſemet iudicat, & decernit agendum. Altera dubitatio, quæ erat, an, nulla in nobis mutatione facta, nec interna nec externa, valeamus nolle quod voluimus, & contra; obſcurior profecto eſt: & rationes ac opiniones ſunt pro omni parte. Ariſtot. in tertio moralium Nicomachiorum inquit, *nos eſſe dominos actionum noſtrarum ab initio vſus rationis vſque in finem vitæ, non autem eſſe dominos habituum: at nos minime eſſemus actionum ſemper domini, niſi libere poſſemus nolle quod voluimus, & vice verſa: & niſi, cunctis eodem modo ſe habentibus, poſſet voluntas ad oppoſita tendere:* ideo multi ſunt huius opinionis. Ariſt. tamẽ oppoſitum iudicat, manifeſte enim aſſerit in 8. phyſ. *non poſſe tradi principium alicui motui, niſi motui illi alius antecedat.* Inſuper inquit, *non fieri nouam relationem, non præcurrente aliqua mutatione vel in motore, vel in mobili, vel in vtriſque.* Demum addit in 8. cont. *hæc eſſe vera de omni motore, ſiue moueat per naturam, ſiue per rationem.* Propterea non eſt vera ſolutio quorundam, qui inquiunt, *oſtenſionem illam Ariſtotelis vim habere de Deo & eius voluntate, quæ non eſt nata*

Prima dubitatio. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio prima.* *Solutio ſecundæ difficultatis.* *Sententia Ariſtotelis.* *Solutio quorundam.*

Digitized by Google

Eu. ſio.

mutari, non de humana, quæ mutationi eſt obnoxia. Hæc inquam ſolutio inanis eſt, quia Ariſtoteles vniuerſe de omni agente id eſſe verum affirmat, & per ſuam oſtenſionem de omni motu oſtendit, nullum dari motum, cui alius motus non antecedat, quod non eſſet verum, ſi, nulla præcurrente mutatione, ex eius opinione poſſet, quis de nolle ad velle tranſire: imo Ariſtoteles in eo context 8. etiam mentionem facit de homine, qui per ſcientiam eſt principium agendi, cum dicat: *& peccat ſponte ſciens, cum vtitur ſcientia præpoſtere.* Ita abſolute & vniuerſe inquit: *non fieri nouam relationem mouentis & mobilis, non præcurrente aliquo motu, vel in motore, vel in mobili.* Colligamus itaque (quicquid ſit de abſoluta veritate, cui ſemper me ſubiicio) Ariſtotelem fuiſſe huius opinionis, quod externis & internis omnibus eodem modo ſe habentibus, non tranſit homo per voluntatem ex nolle ad velle, & vice verſa: nam voluntas debet excitari ab alio, propterea, non variato eo per quod excitatur, ea quoque non variatur. Nec ex eo ſequitur voluntatem non eſſe liberam: nam libera eſt (vt dixi) eo libertatis gradu, qui illi eſt conſentaneus, eſt enim libera libertate regia, nō tyrannica, quia vna cum ratione ad oppoſita vertitur, ac ita ſemper ſuarum actionum homo eſt dominus. Conſiderandum tamen, quod ſæpe exigua mutatio in aliis eſt cauſſa, vt ex nolle mutemur ad velle: veluti, dum primo non recordamur alicuius, mox recordamur, vel dum primo aliquod non ſpeculamur, mox ſpeculamur. Quærebatur tertio, an voluntas ſit vis agens an patiens Solutio ex dictis colligitur, nam duplex poteſt fieri comparatio, prima inter id quod ſub voluntatem cadit, actuque prænoſcitur vt bonum, & facultatem appetendi, altera inter eam, & actionem mox ex ea prodeuntem: in prima comparatione excitatur, in altera eſt principium agendi, vt frequenter dicitur à philoſopho in 3. de anima, & præſertim context. 54. Hinc agens per voluntatem dicitur mouens motum. Erat quarta dubitatio, an voluntas valeat imperare menti, vt intelligat & conſultet. Reſpondeo voluntatem non poſſe id efficere, niſi primo ratione fuerit decretum & iudicatum, quod bonum ſit vt intelligat. Sic dicitur homo intelligere quando vult, hoc eſt, ad libitum, dum iudicauerit id bonum eſſe. At inquit Scotus 28. quæſt. quolib. *voluntatem contrahere mentem ad alterum oppoſitorum,* idque colligit ex Ariſtotel. 9. Metaphyſic. context. 10. dicente: *intellectum indifferentem determinari ab appetitu, nomine autem appetitus voluntatem intelligit.* At errat vir hic acutiſſimus: quia Ariſt. eo loci non voluntatem, ſed appetitum ſenſuum denotauit: vt etiam in 3. de anima, dum dixit: *appetitum mouere, & nonnunquam vincere voluntatem.* Similem ſententiam protulit

Solutio tertia difficultatis.

Refutatur Scotus acutiſſ.

etiam

etiam in 3. de anima. 47. inquiens: *præcipiente intellectu, & dicente mente fugere aliquid, aut perſequi, non mouetur, ſed per concupiſcentiam agit, &c.*

Poſſe hominem variis modis ad actionem ſe habere, & Epicureorum ſententia reiicitur.
Cap. XLV.

COnſtare cumulate cenſeo de arbitrii libertate, quæ ſit cum Platonis, tum Ariſtotelis ſententia. Nam proculdubio & homini, & voluntati, & intellectui libertatem tribuunt, vt eis nata eſt competere, & intellectui vt decernenti, voluntati vt exſequenti, homini vt adæquato agenti. Et dum dicimus (*Id ago quod volo, & quia ita volo*) hoc in duplici ſignificatione verum eſt: primo ſumendo voluntatem pro cupiditate, quaſi dicamus: *id ago quod volo, hoc eſt, quod cupio, vt euenit de feris, & de homine, in quo cupiditas voluntatem mouet & vincit*, vt inquit Ariſtot. Secundo, ſi proprie vſurpatur voluntas, id agimus quod volumus, hoc eſt, quod iudicamus, ſtatuimus, decernimuſque eſſe agendum, quod non fit ſine ratione. Ita conſtat, quod neque voluntas eſt ſerua & intellectus liber, neque contra intellectus eſt ſeruus, & voluntas libera: ſed ambæ hæ facultates liberæ ſunt, modo tamen eis conſentaneo: at nos ſæpe erramus, vel tribuentes vni, quod ei non eſt natum competere, vel putantes intellectum & voluntatem omnino differre, cum tamen ſint eſſentia vna ſola ratione diſtincta. Inſuper ex declaratis colligere valemus, hominem quinque modis poſſe eſſe affectum, dum agit. Nonnunquam munere rationis non vtitur, ſed ferarum more inſtinctu quodam naturę ducitur, vt ſe habet de pueris, & dementibus: quibus cum non competat conſultatio & præelectio, etiam non competit actio, nec vſus libertatis. Secundo cum vtatur munere rationis, poteſt rationis principium eſſe deprauatum, & tunc per rationem id approbatur, quod ſenſui videtur bonum: ac ita conſpirant deprauata ratio, voluntas, præelectio & appetitio, vt ſe habet in actionibus viri vitioſi. Tertio, poteſt ratio eſſe recta, & cum ea conſpirare appetitus ſenſuum cum voluntate, & præelectione, vt in viro probo. Quarto, poteſt ratio eſſe recta, ſed appetitus ſenſuum refragatur, dominatur, voluntatemque ſuperat, vt de incontinente ſe habet. Demum, poteſt ratio eſſe recta, & dominari, quamuis appetitus ſenſuum tergiuerſetur, vt ſe habet de viro continente, in quo voluntas mouet, & ſuperat appetitum. Et in ſingulis his quatuor poſtremis modis ſeruatur libertas, quatenus ſemper homo ſuarum actionum eſt dominus. At non

Id ago quod volo, quomodo intelligitur.

Modus primus non vtentium ratione.

Modus ſecundus improborum.

Modus tertius proborum.

Modus quartus incontinentium.

Modus quintus continentium.

Ratio quorundam. nulli potius pecudes quam viri, iumentorum licentiam magni facientes, Epicuroque addicti, ita argumentantur: libertas arbitrii vel eſt bona, vel mala: ſi mala, malus eſſet Deus, qui eſt ipſa libertas, & damnandus eſſet, quia nos fecit liberos, permittitque eſſe liberos, libereque agere: ſi bona, vt re vera bona eſt, cur principes nos variis legibus ligant, cur pontifices & epiſcopi non permittunt nos viuere ad libitum & libere? vel enim Deus, vel ipſi errant; non Deus, quare ipſi. *Solutio.* Verum qui ita argumentantur, inter homines ſecundi generis ſunt numerandi, quorum ratio eſt deprauata, mancepſque facta eſt appetitionis ſenſuum: nam leges à Deo, & natura ducuntur, vt nos non abutamur, ſed recte vtamur libertate. Ideo iure pontifices, epiſcopi, & miniſtri eorum, nos errantes corrigunt, dirigunt, emendant: & auferunt à nobis, non libertatem, rectumque vſum eius, ſed diſſolutam licentiam competentem iumentis ac feris, & prauum vſum libertatis, vt nos non perdamur, ſed perficiamur, verumque finem libertatis aſſequamur. Ego hac de re, vt etiam de cæteris, id ſolum conſtanter affirmo, quod decretis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ eſt conſentaneum: reliqua dicta volo tantum, vt conſtet, quid Plato & Ariſtoteles ſenſerint.

FINIS SECVNDI GRADVS.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS, PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS III.

De Semiuirtute, & viis ad Virtutem.

Diuiduntur ſemiuirtutes, & ea; quæ ſunt declaranda, proponuntur. Cap. I.

QVemadmodum ad regiam fortunæ dignitatem neceſſarium eſt homini per varios aſcendere gradus, ita ad virtutem bonorum animi reginam, quę intrinſecus regium animum format & conſtituit, per varios gradus ſcandere tenemur. Hinc paratæ ſunt illæ, quæ cum viæ ad virtutem, tum ſemiuirtutes dici poſſunt: de quibus, vt originis ordinem ſequamur, antequam de virtute loquamur, tenemur verba facere. Viæ, quibus ad virtutem ducimur & diſpoſitiones, per quas ad eaſdem paramur, duplices ſunt: vel enim nobis per naturam competunt, vel noſtra opera, aſſuetudine, & diligentia comparantur. Si per naturam nobis competunt, duplicis generis eſſe poſſunt, vel enim ſunt igniculi, ſemina, & tanquam fomenta virtutum, quæ & inſtinctus & naturales virtutes nuncupantur (& quod dico de ſeminibus virtutum, idipſum de ſeminibus vitiorum intelligi volo) vel ſunt affectiones animi probæ aut improbæ, vt verecundia, miſericordia, & harum oppoſitæ. Si vero noſtra opera, cura, & aſſuetudine comparantur: vel pertinent ad vtrunque ſenſuum appetitum, & vtrique conducunt, veluti eſt obedientia, per quam & cupiditas, & iraſcendi facultas ad virtutem paratur: vel ſolam recte afficiunt cupiditatem, & eſt continentia; vel ſolam iraſcendi facultatem, & eſt tolerantia ſiue patientia. Hæ ſunt viæ, gradus, igniculi, ſemina, & calcaria, quibus anima tendit, properat, paratur, & excitatur ad virtutem, ac per eorum oppoſita ad vitia. De his ego verba facturus, primo loquar de ſemiuirtutibus & affectionibus, quæ nobis per naturam competunt, ac ſimul de inſtinctu naturæ, hominiſque ad virtutes & vitia propenſione, ac de cæteris, quæ cum his ſunt complicata: mox agam de obedientia: tertio de tolerantia & continentia: demum perpendam an homo ſciens peccare valeat, & nunquid homo ſponte vel inuitus bonus vel malus reddatur, quorum omnium conſiderationem cum vtilem, tum iucundam illis futuram cenſeo: qui cum ſint virtutis amici, ciuiles philoſophi reddi cupiunt.

Gradus eleuantes ad virtutem.

Quæ natura nobis competunt.

Quæ noſtra cura parantur.

Digitized by Google

De ſemiuirtutibus nobis per naturam competentibus.

CAP. II.

CVm homines eo iuncti ſint, quod communibus animæ viribus ac facultatibus ſunt præditi: differunt tamen, pro ratione varietatis temperamenti, diſtinctæq; conſtitutionis corporis, quidam ad vitia, alii ad virtutes, magis vel minus ſunt procliues & faciles. Hinc Ariſt. in ſexto moralium Nicom. c.13. inquit: *ſinguli enim mores in omnibus hominibus quodam modo videntur ineſſe natura: Namq; ad iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, cæteraſq; virtutes apti atq; habiles ſumus, cum primum naſcimur, &c.* Hi non ſunt vere mores, quia non more & aſſuetudine acquiruntur, ſed ſimiles illis, & in eiſdem verſantur cum illis: neque per hos eſt homo dignus laude vel vituperio, quia non ex prælectione oriuntur, neque in noſtra ſunt facultate, ſed ſunt diſpoſitiones nobis per indiuiduorum cõditiones natura competentes, quibus ad virtutes ſumus faciles. Quæ diſpoſitiones, dum ad rationales virtutes referuntur, conſtituunt ingenium, dum vero reſpiciunt virtutes morales, nuncupantur ſemiuirtutes, & ſemina propriarum virtutum: in quibus ſeminibus radices ſuas collocatas habet nobilitas generis, quatenus eſt aliquid cum natura iunctum, & ex ea prodiens, illi enim per naturam dicendi ſunt nobiles, qui huiuſmodi virtutum ſeminibus ſunt fœcundi, & nati ſunt alios parere ad virtutem faciles, & accommodatos. Hæc ſemina in puerorum recta inſtitutione accurate inſpicienda, dignoſcendaque ſunt, nam ſi fuerint praua, pro viribus ſunt necanda, vel corrigenda ſi fuerint proba, accommodato cultu ad frugem ſunt perducenda. Et cum proba fuerint, non omnes ad omnem actionem reddunt aptos, nonnulla enim recte hominem parant ad actiones otii, alia ad eas negotii. Non enim, (vt dicebat Plato) idem homo ad omnia facilis, & accommodatus eſſe poteſt: quorum differentia accurate inſpicienda, & iudicanda eſt, & pueri ei vitæ generi ſunt deſtinandi, ad quod per naturam fuerint faciliores. Hæc ſemina ſuis legibus præcipiebant Lacedæmones vt primo perquirerentur, ac internoſcerentur, vt mox vnuſquiſque eam duceret vitam, cum eaq; arte, & diſciplina, quaſi cum coniuge necteretur, quæ ſuis ſeminibus congruenter reſponderet, ex qua proles ſemper generoſa, & formoſiſſima conſurget: cum ex aduerſo ex pugnantium connexione monſtra prodeant, ac degenerationes, vt ex coniunctione Ixionis cum nebula, imaginem Iunonis præ ſe ferente, centaurum fuiſſe genitum fingunt poetæ: & iure quidem, nam (vt latiſſime oſtendit Plato in 6. de rep.) ex pugnante connexione diſciplinæ, & ingenii hominum, ortum ducunt philoſophiæ bonarumque artium degenerationes ac peruerſiones, cum ex aduer-

Semina Virtutum ſunt fundamenta nobilitatis.

Digitized by Google

aduerſo ex congruente copula ſpecioſiſſima prodeat proles. Ideo inquit Plato in 6. de legibus. *In omnibus viuentibus prima ipſa germina, ſi apte cœperint ad naturæ ſuæ virtutem, vim habent ſummam ad finem ſibi debitum imponendum: quod & in plantis ſeruatur, & in brutis tum ſylueſtribus, tum etiam manſuetis, & in hominibus; hominem autem manſuetum animal eſſe dicimus: porro ſi cum natura felici rectam quoq; diſciplinam fuerit aſſecutus, in diuiniſſimum manſuetiſſimumq; animal ſolet euadere: ſi vero non ſatis aut non bene fuerit educatus, ferociſſimum omnium, quæ in terris naſcuntur, animal redditur, &c.* Idipſum latius in 6. de rep. patefecit, & præter cætera inquit: *Eſt igitur* (vt arbitror) *conſentaneum naturam optimam, ſi aduerſa forma nutriatur, deteriorem euadere, quam ignauam.* Quam ſententiam approbauit etiam Ariſt. in ſuo primo lib. de repub. & quotidie approbat experientia. Hæc ſemina quatuor quaſi fœcundiſſimis ſpiritibus ad optimam frugem perducuntur, quorum duo nos reſpiciuunt, & ſunt timor infamiæ, & deſiderium honoris: hæ namque ſunt duæ alæ, quibus anima noſtra ad ſupera eleuatur, ex quibus prodeunt continentia, tolerantia, verecundia, pœnitentia, & ſimiles ſalutares affectiones. Tertius ſpiritus reſpicit Deum, & eſt amor Dei. Quartus proximum, & eſt dilectio proximi, ex quo oritur miſericordia. Hæ ſunt radices ſemina, & auræ, quæ ſaluberrimam virtutis plantam in animo recte affecto feliciſſime pariunt, partamquè augent, & perficiunt.

Plato.

De inſtinctu naturæ. CAP. III.

CVm conſideratione ſemiuirtutum, & potiſſimum cum ea, quæ eſt igniculorum virtutis, & naturalium propenſionum; ſummopere eſt coniuncta conſideratio inſtinctus naturalis: qui vt minus á cæteris eſt explicatus, ita exactius & diligentius nobis conſiderandus occurrit. Et quoniam inſtinctus naturalis ſub inſtinctu vniuerſe ſumto collocatur, ideo ab hoc genere ordiar. Inſtinctus, qui Græce ὁρμὴ dicitur, nil aliud eſt, niſi interna ad aliquid agendum, vel dicendum, vel recipiendum facilitas, & inſtigatio. Quæ interna inſtigatio vel eſt diuina, vel naturalis, vel præter naturam. Diuina inſtigatio eſt Prophetia, & omnis per numen ſupernum in animam hominis inſpiratio (quicquid hac de re ſentiat Ariſtoteles: non enim hoc eſt præſentis conſiderationis.) In hac ſignificatione Cicero in libro de Diuin. dixit, *animum à corpore abſtractum diuino inſtinctu concitari, & oracula diuino inſtinctu, afflatuque fundi ac in Tuſculanis aſſeruit, poetas carmina non ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu fundere: qua de re multa dicuntur à Platone in dialogo de furore poetico.* Alia interna inſtigatio fere huic ad-

Inſtinctus definitur.

Inſtinctus vniuerſe triplex eſt.

Diuinus.

Digitized by Google

Inſtinctus præter naturam.

uerſa, eſt ea quæ præter naturam dicitur, qualis eſt inſania, & furor ex deprauata corporis affectione prodiens. At hæc duo inſtinctuum genera nequaquam modo conſideranda occurrunt.

Inſtinctus naturalis.

Datur genus tertium inter hæc medium, & dicitur inſtinctus naturalis, qui magna latitudine præditus eſt.

Materies.

Nam dum late ſumitur, initium recipit a prima materie, quæ cum ſui natura apprime ſit parata recipere formas, dicitur facilis, & propenſa ad eas: quæ propenſio modo aliquo dici poteſt inſtinctus, inſequens naturam eius, eamque in ſuum finem dirigens.

Elementorum.

Extenditur ſecundo ad ſimplicia corpora, quæ interna quadam propenſione, inſtinctuque naturæ ſuum quærunt locum: quod etiam competit mixtis, vt ex eis conflata ſunt.

Plantarum.

Tertio clarius incipit refulgere in plantis: in quibus inſpicimus ſeminum productionem pro generatione ſimilium, conſideramus varias eorum ſympathias, & antipathias naturales, ſeruamus ſolo inſtinctu naturæ radicibus inſera, foliis, & ramis ſupera petere.

Animalium.

Quarto in animalibus, quia eorum opera ſunt eminentiora, clarius adhuc naturæ inſtinctus refulget: inſpicimus enim araneum miro quodam modo telas formare, hirundinem conſtruere nidum, formicas grana pro futura hyeme recondere, apes ſuum ducem ſequi, fauoſque conſtruere: aues nonnullas pro varietate temporum loca mutare, ceruum pro euellenda ſagitta ſibi infixa dictamo vti, hirundinem pro cura oculorum chelidonia, aliaque animalia innumera efficere, quæ præ ſe ferre videntur rationem.

Opinio Porphyrii & Plutarchi.

Imo Porphyrius in libro de abſtinentia ab eſu carnium ob huiuſmodi opera iudicauit ea animalia prædita eſſe ratione, & per rationem ea efficere, vt etiam cenſuit Plutarchus, & ſuſpicatus eſt Galenus. At cum re vera huiuſmodi animalia ſint expertia rationis, putandum eſt per naturæ inſtinctum ea efficere.

Hominis.

Demum naturæ inſtinctus in homine eminentiſſime fulget, qui per internam inſtigationem dicitur expetere ſcientias, & ad Dei cultum eſſe paratus.

De ſolo animalium inſtinctu agendum, qui magis proprie inſtinctus dicitur.

At cum tam late vſurpetur hic naturæ inſtinctus, ego, relicta humiliore parte, de illuſtriore loquar, de eo nempe inſtinctu, qui in ſolis animalibus refulget, & magis proprie eo nomine deſignatur. Huiuſmodi inſtinctus naturæ diuiditur, vel enim eſt communis vniuerſis animalibus, veluti vitam pro facultate tueri, & ſimilium procreationem optare, vel eſt diſtinctarum ſpecierum proprius: Inſuper vel eſt inſtinctus vniuerſæ ſpeciei, vel quorundam indiuiduorum tantum. At qui indiuiduorum quorundam eſt, non proprie dicitur inſtinctus naturæ, ſed potius indiuiduorum conditio, ſequens proprium temperamentum eorum.

Inſtinctus communis.

Natura enim æqua parens eſt, & conſimilis omnibus ſub ſpecie contentis, quia tamen ea indiuidua id habent, non aſſuetudine, & diſci-

Digitized by Google

diſciplina, ſed ab ortu, propterea aliquando ille quoque naturæ inſtinctus dicitur: veluti dum dicimus naturæ inſtinctu Achillem arma magnificeiſſe, Platonem libros, ac ita de cæteris? Nos tamen inſtinctum magis proprium conſiderare tenemur, ex cuius explicatione cæteri fulgebunt. Hic itaque ſpecierum animalis inſtinctus, inſequitur propriam eorum naturam, & modo quodam eſt idem cum ipſa natura, non ſecus ac affectio propria cum ſuo fundamento. Et quia natura eorum propria eſt anima, ideo animam comitatur, adeo vt naturalis inſtinctus formicæ ad grana condenda ſequatur conditionem animæ eius. Verum anima animalium dupliciter conſideratur: primo vt cognoſcens, & hac ratione, quæcunque ex ea prodeunt, minime ex inſtinctu naturæ prodire dicuntur: ſecundo conſideratur vt forma materiei, quæ talis natura eſt, ac ita quæcunque eam ſequuntur, ab eaque fiunt, dicuntur fieri inſtinctu naturæ. Ex quo colligo, quod, cum Ariſtotel. in ſecundo de anima, cont. 156. dicat, ea opera fieri ab animalibus per phantaſiam, & in ſecundo phyſicorum, cont. 80. aſſerat fieri inſtinctu naturæ, minime pugnantia profert: fiunt enim per phantaſiam, ducente inſtinctu naturæ: veluti cum formica grana colligit, ad id efficiendum inſtigatur non per notitiam futuræ hyemis, cuius eſt ignara, ſed per commotionem ſequentem animam eius vt natura eſt: vt autem id efficiat, vtitur cognitione ſenſuum & phantaſiæ, nec non memoria; dux tamen eſt inſtinctus naturæ, cætera ſunt veluti inſtrumenta ei famulantia, ac inſtinctum perficientia. Inſtinctus ſemper eſt conſimilis, ideo opera eorum animalium, vt prodeunt ex inſtinctu, conſimilia ſunt: notitiæ, & phantaſmata rerum, in quibus ea opera verſantur, ſunt varia, ac inde prodit varietas operum, veluti quod formica ex hoc cumulo potius, quam ex alio grana ſumat, & in hoc potius, quam in alio loco ea recondat, ex cognitione variorum ſenſibilium pendet. Inſuper hæc animalia, quæ inſtinctu naturæ operantur, nonnunquam cognoſcunt finem, cuius gratia operantur: veluti araneus formans telas iudicat ſe id facere pro ſibi parando alimento, frequenter tamen illum non cognoſcunt: veluti procliuia ſunt animalia ad coitum, non tamen cognoſcunt illum dirigi ad prolem, & conſeruationem ſpeciei. Ex his conſtat, quid ſit naturæ inſtinctus, & quibus proprie competat: proprie enim ſolis animalibus competit, finis eius eſt perfectio ſpeciei animalis, cui competit. Naturæ enim res procreat, eas in finem inſtigat, traditque eis facultatem illum aſſequendi. Primum principium, á quo manat huiuſmodi inſtinctus, eſt Deus, qui cum ſit ipſum bonum, cunctis inſerit characterem boni eis accommodatum, per quem in proprium bonum conſpirant:

Inſtinctus proprius ſpecierum.

Anima conſideratur & vt natura, & vt cognoſcens.

Diluitur apparens contradictio in Ariſtotele.

Finis inſtinctus.

Vnde ortum ducat.

Digitized by Google

& hæc eſt admirabilis prouidentia Dei, cuius imago in rerum gradibus ſplendidiſſima fulget: naturæ enim rerum ſunt tanquam literæ admirabilē Dei prouidentiam enarrantes. Demum ex cauſſarum omnium explicatione hanc naturalis inſtinctus definitionem colligo. Naturalis inſtinctus proprie ſumtus, eſt inſita per naturam inſtigatio, inſequens animam animalium, vt talis natura eſt; diuina prouidentia eis inſerta, vt ſuam perfectionem aſſequantur. Non me latet Fracaſtorjum virum doctiſſimum, lib. 1. de intellectione, ſecus de inſtinctu naturali ſenſiſſe: ac illum circumſcripſiſſe, quod ſit motus partium animalis in toto animali, in ipſo ex diuerſis ſpeciebus in anima vario modo apprehenſis conſurgens. At quam recte alii iudicent.

Literæ enarrantes prouidentia Dei.

Definitio.

Proponuntur, & diluuntur nonnulla dubia ex dictis emergentia. CAP. IV.

Prima dubitatio.

EX his, quæ de naturali inſtinctu dicta ſunt, tres emergunt difficultates, quas ſingulatim referam, & diluam. Dictum eſt, quod cùm in iumentis & feris ad aliquid efficiendum, hæc duo conſpirant, inſtinctus naturæ, & cognitio, inſtinctus naturæ precurrit, & eſt tanquam dux, cognitio vero tanquam inſtrumentum neceſſarium ei inſeruiens: hoc videtur dubium; quia anima nobilior eſt vt cognoſcens, quam vt natura eſt: vt enim cognoſcens iudicium ſuperaddit, quod ei non competit vt natura eſt: dux autem id cenſeri debet, quod eſt præſtantius & cognoſcit. Cui difficultati reſpondens dico, naturam in bonum tendere, ad bonumque conſpirare non propria facultate, ſed directam ab alio: ducitur enim & inſtigatur ad bonum, quia pendet à bono, & eſt quædam boni participatio: propterea tunc cognitio dicitur famula inſtigationis manantis à primo principio, vt bonum eſt. At oritur altera dubitatio; num in homine ratione humanæ mentis locum habeat naturalis inſtinctus: & ſi in eo locum habet, num etiam locum habeat in intelligentiis, & Deo. Pulcra profecto eſt hæc conſideratio: apparet enim in homine ratione mentis eius locum non habere, quoniam mens non eſt natura, ſed ſupra naturam: & ideo ei non poteſt competere inſtinctus naturæ, qui naturam ſequitur, & modo aliquo eſt idem cum ipſa natura. Reſpondens huic difficultati dico; ſi homo conſideratur ex parte formæ mixti, & facultatis animæ nutrientis & ſentientis, quæ naturæ ſunt, vt dicitur ab Ariſtotele in 1. de partibus animalium, proculdubio ei competere poteſt inſtinctus naturæ: ita naturæ inſtinctu mortem timet, vitam appetit, concubitum quærit, & ſimilia. At ſi conſideratur ratione mentis, cum mens non ſit natura, ſed ſupra naturam, illæ inſtigationes ad bonum & verum ad cul-

Solutio.

Secunda dubitatio.

Solutio.

ad cultum Dei, & ſimilia, potius diuini contractus, diuinæque commotiones dici debent, vt nuncupabantur à diuino Iamblicho, quam proprie inſtinctus naturæ. Quod ſi etiam naturæ inſtinctus nuncupantur, vt dicuntur à Cicerone in lib. de Diuinatione, quia de vocibus lis eſſe non debet, eatenus cenſeri debent inſtinctus naturæ, quatenus naturæ nomen ad omnem eſſentiam & conditionem rerum extenditur, in qua ſignificatione Cicero libros conſtruxit de natura Deorum. Et hac quoque conſideratione non eſſet abſurdum inſtinctum naturæ modo aliquo tribuere intelligentiis: Deo tamen minime competit, niſi penitus per metaphoram & eminentiſſime. Ratio eſt, quia inſtinctus naturæ præ ſe fert ac indicat, quod pendeat ex alio priore, à quo dirigatur, quod Deo non competit, de Deo ſolum dicere valemus, quod ſui natura & conditione eſt aptus effundere & liberaliſſime impartiri munera ſua. Dubitatur poſtremo, in quo maxime refulgeat naturæ inſtinctus proprie ſumptus. Et proculdubio dicendum eſt maxime refulgere in iumentis & feris, inſuper in pueris. Et ratio eſt, quoniam hæc naturam ſequuntur, hæc eo tendunt quo per naturam diriguntur, hæc ſi quid efficiunt admiratione dignum, cum careant ratione, dicuntur id efficere inſtinctu naturæ, qui inſtinctus nonnunquam dicitur appetitus, & prudentia naturalis, quia præ ſe fert vmbram prudentiæ, vt conſtat ex procemio metaphyſicæ. Hinc, dum naturæ vires inſpicere cupimus, eorum opera conſideramus. De homine iam ratione vtente ſecus ſe habet: ille enim cum vtatur conſultatione, ſit ſui iuris, ſit vera prudentia præditus, edit opera, quæ ſua ſunt non naturæ; nec amplius ſolo naturæ inſtinctui ſubiicitur, ſed ſupra illum eleuatur, eique dominatur & præeſt.

Inſtinctus naturæ quomodo competat intelligentiis.

Cur Deo inſtinctus non conueniat.

Tertia dubitatio.

Solutio.

Vtrum homo per naturam ad virtutes, an ad vitia potius ſit procliuior. CAP. V.

EX his, quæ de naturæ inſtinctu, nec non de virtutum ac vitiorum ſeminibus dicta ſunt, pulcræ conſiderationis ſe nobis offert occaſio, quæ eſt, an homo per naturam ad virtutem, an potius ad vitia ſit procliuior, & iure profecto: nam humana conditio adeo eſt anceps & dubia, adeoque tenebris inuoluta, vt ignoret homo, quo tendat, neſciat quid expetat, ignoret ad quod oppoſitorum ſit procliuior: hinc pro omni parte rationes efficaces, auctoritateſque grauiſſimæ afferri poſſunt. Quod magis ad vitia ſimus proni, ſenſibus omnibus compertum ac manifeſtiſſimum redditur: ſinguli enim nos ad vitia inuitant, ad eaque nos trahunt præcipites. Cum igitur omnes a ſenſibus vitam auſpicemur, primoque vitam ſenſuum viuamus, ſenſus autem omnes voluptatem ſequantur, voluptaſque (vt dixit Plato) ſit

Hominem ad vitia eſſe procliuiorem.

Digitized by Google

eſca vitiorum, iure optimo omnes per naturam ad vitia ſumus procliues. Id ipſum vnuſquiſque in ſemetipſo experientia cognoſcit: nunquam enim deſinit interna noſtra corporis æua, ac coæua fragilitas, virilem partem, nempe rationem, tentare, quouſque eam non ſubiiciat vitio, quod facile conſequitur, cum homo tactu ſit præditus exactiſſimo, & propterea ad voluptatem corporis maxime ſit procliuis, voluptas autem corporis intemperantiam parit, omnium vitiorum ſeminarium. Præterea eadem ſententia ex eo colligi poteſt, quod omnes naturæ quadam propenſione ardua declinamus, ſequimur facilia, *deſcenſus ad vitia facilis eſt, & iucundus: ardua, ſenſuique moleſta, eſt via virtutis: facilis dicitur deſcenſus auerni, at reuocare gradus, hoc opus, hic labor eſt: Inuia virtuti nulla eſt via*, plana & multiplex eſt via vitii. Ideo recte Syneſius dixit: *Maxima ſine labore conſequi, proprium diuinitatis eſt bonum, à nobis autem nedum virtutes, verum cætera quoque præclara ſudore quæruntur.* Eadem opinio confirmatur, quoniam natura vel eſt materies, vel forma materiei iuncta, vt patet ex ſecundo phyſicorum, & quoniam omne ducit ad id, quod eſt ſui generis, propterea per vtramque naturam ad corporea materieique conſentanea trahimur, eiſque mancipamur. Hoc indicarunt Academici peregreſſum animæ à ſe, progreſſumque ad corpus, hoc Theologi verum inſpicientes manifeſtarunt per lapſum primi parentis, ex quo innumeræ imbecillitates, variaque fomenta vitiorum prodierunt: hoc Philoſophi retulerunt ad connexionem materiei cum priuatione, ex qua connexione varia prodeunt mala, innumeræque mutationes cum interitu complicatæ. Cum itaque ſimus materiei & corpori iuncti, nobiſque inſita ſit peccati eſca, internumque calcar, quo ad vitia inuitamur & concitamur, iure non ad virtutes, ſed ad vitia dicimur procliues. Hinc Plato in 2. de republ. poetam commendauit ita canentem:

Intemperantia eſt ſeminarium omnium vitiorum.

Mortales vitium penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipſum,
Hoc quia vel nobis iam tum naſcentibus hæret, &c.

Et quicunque hæc inficiaretur, proculdubio ſibimet aduerſa enunciaret, vnuſquiſque enim in ſeipſo experitur, quam vehementer ad vitia trahatur, quam ægre ab eis ſe abſtineat, quam moleſta ei ſit continentia, quam ardua tolerantia, nec tam raræ eſſent virtutes, niſi adeo ardua ad eas nobis eſſet parata via. Quam difficultatem conſiderantes Stoici neminem dixere fortem, niſi eum, qui primo ſe viciſſet. Seneca affirmauit: *multos rexeris, ſi ratio te rexerit, magnum imperium regit, qui ſibi dominatur, fortior eſt qui cupiditatem vincit, quam qui ſuperat hoſtem.*

Stoici.

Digitized by Google

hoſtem. Et Salomon exclamauit: *fortior eſt expugnator animi expugnatore vrbium*. & D. Paulus: *quamuis superno lumine illuſtratus, quamuis iam purgatus, diuinoque robore munitus, tamen vt viuens, ac vt ſenſibus iunctus, internam illam pugnam perſentiebat*, ideo ad Romanos 7. conquerebatur inquiens: *ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legepeccati, quæ eſt in membris meis*. Et hac ratione ſæpe internus homo de externo, bonus de malo, rationis particeps de corporeo conqueritur. Ex quibus luce clarius conſtat, nos per naturam ad vitia præſertim eſſe procliues. Ideo interrogatus Pythagoras, quid veriſſime dicitur? quod homines mali ſint, reſpondit. Et accommodate Priſci, qui ſimul & poetæ & ſapientes erant, veritatem hanc commento Herculis patefecerunt, qui magno conatu, ſummiſque viribus terrena monſtra, hoc eſt, vitia ex corpore prodeuntia ſuperauit, indicantes nos viribus Herculis egere, vt propenſiones ad vitia vincere valeamus, quod adeo eſt difficile, vt qui id facit, mundum viciſſe dicatur.

Quid ſit mundum vincere.

Rationes pro parte aduerſa. CAP. VI.

Hominem procliuiorem ad bonum.

SVmmopere vnuſquiſque mirari poteſt, quomodo id contingere valeat, vt homo per naturam ad vitia, ad deprauationem, ad mala, longe ſit procliuior, quam ad virtutes & bona, & iure profecto: nam omne à bono vt á parente pendens, imaginem ſeruat boni, & ad bonum per naturam eſt procliue, cum autem homo nedum á bono pendeat, verum inſuper ad eius imaginem dicatur factus, quod eius præclariſſimum eſt priuilegium, maxime quoque ad illud facilis & procliuis iudicari debet. Quod confirmatur, quia natura vt mater optima, vt Dei famula, nedum res generat, verum inſuper eas in congruentem finem dirigit: ita grauia naturæ interna commotione feruntur ad medium, leuia eleuantur, iumenta & feræ inſtinctu naturæ ſui ſalutem & perfectionem quærunt, quomodo igitur ſolus homo à natura negligitur? & nedum negligitur, verum (quod deterius eſt) ad ſui perniciem ac deprauationem deducitur? Præterea, ſi materies à Deo longiſſime diſtans expetit diuinum bonum, vt dicitur in primo phyſic. 80. *homo mortalium omnium præſtantiſſimus, Deoque proximus, quomodo ad optimum maxime omnium non erit facilis? res enim quo propinquiores ſunt fini, eo velocius per naturam in eum tendunt, vehementiuſque illum expetunt*. Quod etiam homini præſertim conuenire deberet, quia verus homo per mentem & rationem conſtituitur, mens autem, vt diuina, id ſolum optat, quod diuinum eſt, vnumquodque enim ad id tendit, idque appetit, quod ſe eſt præſtantius: quare mens actioni deſtinata, bonum ad actio-

Digitized by Google

nem pertinens, mens inſpectrix bonum in contemplatione collocatum quærere & optare debet, & ad id per naturam eſſe procliuis. Quod etiam oſtenditur, quoniam nedum gradus rerum natura conſtancium, verum inſuper omnis ars, omnis methodus, omnis actio, & prælectio bonum quærunt, vt in principio moralium Nicomachiorum aſſeritur. *Cum autem homo nedum natura, verum inſuper arte, & prælectione viuat, ſolusq; ſit ſummi boni capax, maxime omnium debet eſſe facilis, & procliuis ad virtutem, & bonum.* Præterea boni conditio & natura eſt, vt expetatur ab omnibus, nam bonum dicitur, quod omnia appetunt, ſub initio primi moralium Nicom. Malum ſolum ex euentu, nunquam primo & per ſe optatur, vt in lib. de diuin. nomin. aſſeruit Dionyſius Areopag. dum autem abſolute loquimur, id inſpicere debemus, quod eſt per ſe, vt docet Ariſt. in 2. Phyſ. quare homo non ad vitia, ſed ad ſolam virtutem abſolute, & per ſe debet iudicari procliuis. Confirmatur, quia (vt inquiunt Academici) perinde ſe habet homo ad virtutes, ac ſe habeat ad ſcientiam: at omnes homines natura ſcire deſiderant: omnes igitur homines ad virtutem, & bonum per naturam ſunt faciles, & procliues. Quare ſi bonum vt parentem inſpicimus, homo eſt ei valde ſimilis: ſi naturæ vires perpendimus, homo optime per naturam conſtitutus eſt, ſi ad finem conuertimur, ſolus inter mortalia eſt ſummi boni capax, ſi ordinem perpendimus vniuerſi, homo mortalibus præſtat Si Dei prouidentiam conſideramus, exactiſſime curatur, ſi conſultationem, & rationem inſpicimus, ſolus homo his vtitur. Quare multiplici ratione iudicari debet, maxime omnium ad virtutes, & bonum facilis, & procliuis, non autem ad vitia, & malum, vt vox communis affirmat.

Opiniones aliorum referuntur. CAP. VII.

DE re ſatis dubia, & perplexa variæ ſunt virorum ſapientum opiniones: nam in tenebris homines incerto greſſu dubii vagantur, in ſola luce recte meant, viam conſpicue intuentur, vnaque progrediuntur. *Stoici.* Putarunt Stoici omnes homines per naturam ad ſolam virtutem eſſe procliues, vitium autem extrinſecus accedere nullamque radicem, & ſemen in noſtris animis per naturam poſſidere: quorum ſententia rationibus nuper relatis ſatis conſpicue poteſt confirmari, illis tamẽ ea aduerſantur, quę pro aduerſa parte dicta fuerunt. *Galenus.* Hinc Galenus in eo libro, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, aduerſus Stoicos diſputans, inquit: *Nos videmus pueros minis, ac redargutionibus, vi quadam corrigi, & per congruentem viam ad virtutem dirigi, non autem ſua natura facilitate in illa tendere.* Propterea ex aduerſo dixere alii, *Alia opinio.* omnes homines per naturam ad vitia eſſe propenſos, qua-

ſos, quatenus omnes iuncti ſunt cum priuatione, cum carne, cum ſenſibus, quibus reddimur ad voluptatem, ad vehementes perturbationes procliues, quæ ſunt irritamenta malorum omnium. At hi non patefaciunt, quomodo in ſolo homine euertatur communis illa regula, & naturæ lex, vt omnia inſtinctu naturæ bonum, ſuiq; perfectionem quærant, cum tamen in eo maxime videatur debere ſeruari. Propterea nonnulli ſe medios conſtituerunt, & dixere quoſdam, ac eos quidem paucos, ad virtutem eſſe faciles, plurimos vero ad vitia eſſe propenſos, è quorum numero fuerunt Aſtronomi, & Galenus: verum Aſtronomi id retulerunt ad cœlorum motum, ſiderum aſpectum, planetarumque diſpoſitionem: Galenus vero ad temperamenta, quorum nonnulla, pauca tamen, adeo congruenter ſe habeant, vt ad bonos mores reddant homines faciles, & procliues. At hæc quoque ſententia dubia eſt, quoniam ea, quæ ex natura pendent, vel ſemper, vel frequenter eodem modo ſe habent, & opera naturæ, niſi ſemper, ſaltem frequenter ſeruant naturæ leges: at offi ium naturæ eſt res dirigere ad bonum: quare niſi ſemper, ſaltem frequenter, homines ad illud deberent eſſe procliues: & præcipue quidem, quia in cæteris omnibus hoc ſeruari inſpicimus, vt per naturam dirigantur ad bonum, quare propenſio ad malum eſt diſpoſitio præter naturam, id autem, quod eſt præter naturam, rarum eſt, & minime diuturnum. Præterea quomodo eſt rationi conſentaneum, quod cœli, eorumque ſidera, quæ proxime famulantur ſummo bono, & omnia mortalia fouent, ac perficiunt, hominem mortalium omnium præſtantiſſimum ad malum, & vitia magna ex parte reddant procliuem?

Inſtantia. *Aſtronomi.* *Galenus.* *Inſtantia aduerſus eos.*

Reſolutio difficultatis. CAP. VIII.

CVm cæterorum ſententiæ apparuerint dubiæ, nec conſtet per earum fundamenta, quomodo dilui debeant pugnantes inter ſe rationes, propterea, vt conſpicua appareat reſolutio, duas profero aſſertiones: quarum prima eſt omnes gradus rerum natura cōſtantium inſtinctu naturæ, & per ſe bonum quærunt. Altera eſt, homo ex euentu per naturæ principia ad vitia propenſior eſt, quam ad virtutem, quamuis ſimul ad ſolum bonum dicatur eſſe procliuis. Et pro veritatis elucidatione præaccipienda ſunt nonnulla: quorum primum eſt, omnia per internam naturæ cōmotionem appetere bonum, non tamen omnia proxime idem bonum optare, ſed illud quod ſuæ naturæ & conditioni eſt accommodatum. Hoc ſumitur ex Ariſtot. in 1. moralium Nicom. cap. 7. ita medicus ſanitatem, miles victoriam appetit; leuia locum ſuperum; grauia inferum. Pari ratione gradus animæ, & per eos gradus viuentium bonum ſibi accommo-

Opinio propria. *Prima aſſertio.* *Altera.* *Declaratio.* *Cuncta proxime quærunt bonum proprium.*

datum quærunt: viuentia vitam plantæ, quærunt bonum plantæ, vitam ſenſus, quærunt bonum ſenſuum, viuentia vitam mentis, optant, & per naturam quærunt bonum mentis. Accipio ſecundo duplicem reperiri in homine gradum, & duplicem eis reſpondere appetitum & propenſionem: vnus eſt gradus ſentientis & corporei hominis, cui reſpondet appetitus ſenſuum: alter eſt gradus eminentioris hominis per mentem conſtituti, cui reſpondet voluntas & prælectio: ac vnuſquiſque appetitionis gradus tendit ad illud bonum, quod per facultatem ſibi reſpondentem fuerit approbatum. Accipio tertio integrum & abſolutum agens in homine ſuo munere fungente, non eſſe gradum vnum eius diſtinctum ab altero, ſed complicatum ex vtriſque; adeo vt homo ratione & ſenſu vtens agere dicatur: actiones enim totius compoſiti eſſe dicuntur, vt etiam aſſeritur ab Ariſtotele in primo de anima, 65. His quarto addo, quod quamuis vnus hominis gradus per naturam alteri inſeruiat, & ſenſus ſit miniſter rationis, ratio vero dux ſenſuum, tamen bonum proprium vnius ſæpe pugnat cum bono alterius: ratio diſtrahit á bono corporis, illecebræ autem ſenſuum auertunt rationem à bono mentis, ſenſus trahit deorſum ad corpus, mens ſurſum reuocat: inde internalis oritur ſoli homini competens, quia ſolus homo eſt connexio diuinorum & mortalium. Accipio quinto, quod, cum omnis gradus hominis per naturam aſpiret ad bonum proprium, quia tamen denominatio ſumitur à principali, compoſito conueniat ratione partis præſtantioris: ideo abſolute hominis bonum illud eſſe dicitur, quod menti eſt conſentaneum, & tunc homo abſolute dicitur ad bonum procliuis, dum facilis eſt ad bonum mentis. His demum addo, homines per naturam maxime eſſe propenſos ad bonum ſenſuum: ratio eſt, quia omnes incipimus viuere vitam ſenſuum, ſine ſenſu nec eſſe, nec cognoſcere, nec quicquam agere valemus: cum autem ſenſus nos inuitent ad bonum ſui gradus, quod eſt bonum corporis, & voluptarium, quod nos auertit à bono mentis; iure optimo colligimus, hominem per omnem ſui gradum, & per ſe expetere bonum, ex euentu tamen, ob connexionem duorum graduum, ſenſus ſcilicet & rationis, & quia bonum vnius auertit á bono alterius, dicimus *hominem per naturam ad vitia eſſe procliuem.* Ex quibus patet vniuerſæ difficultatis reſolutio, & quomodo intelligi debeant rationes pro omni parte formatæ. Hoc tamen pro exacta veritatis cognitione addere debemus cum D. Aug. ſt. 14. de ciuit. Dei, cap. 3. falſam eſſe Platonis, & philoſophorum ſententiam, *corpus & carnem eſſe cauſſam malorum morum, ac originem vitiorum: nam ex fide ſcimus corruptionem corporis, quæ grauat animam, non peccati primi eſſe cauſſam, ſed pœnam; nec caro corruptibilis animam*

Duplex in homine gradus & propenſio.

Totus homo eſt agens adæquatum.

Vnus gradus in homine cum altero pugnat.

Abſolutum hominis bonum quod nam ſit.

Homo maxime propenſus ad bonum ſenſuum.

mam peccatricem, ſed anima peccans fecit carnem corruptibilem eſſe: ex qua carnis corruptione licet conſurgant quædam irritamenta vitiorum, & deſideria praua, non tamen omnia deprauatæ vitæ vitia tribuenda ſunt carni. Sed hæc theologis derelinquamus.

Quomodo cæterorum opiniones aliquid veri includant.
CAP. IX.

In qua ſignificatione ſententia Stoicorum ſit vera.

EX præcedente elucidatione ſatis conſpicue elici poteſt, cæterorum opiniones aliquid veri includere, nec omni ex parte cum vero pugnare. Nam primo cum Stoicis dicere poſſumus, omnes homines per naturam eſſe procliues ad bonum. Primo, quia vterque hominis gradus per naturam proprium bonum quærit, & optat. Secundo, quia homo potiſſimum non ille corporeus ſenſu conſtitutus, ſed ſuperior mente formatus eſt, qui ad verum bonum eſt procliuis: ita dicimus malum extrinſecus accedere, quia à nullo optatur vt malum, ac inſuper, quia non ex potiore hominis parte, ſed ex materie, priuatione, imbecillitate, & non ente nobis permixtis ortum ducit. Inſuper ex aduerſo dicimus omnes per naturam ad malum eſſe procliues, quia conſideramus completum, & abſolutum agens, ex vtriſque gradibus conflatum: quod cum neceſſario vtatur ſenſibus, & per naturam inſita habeat ſemina, & fomenta vitiorum, quatenus bonum proprium ſenſuum frequenter pugnat cum bono mentis, dicitur per naturam, vt ad voluptatem, ita ad vitia eſſe procliue. Demum facta comparatione inter varia hominum temperamenta, quia nonnulli magis, alii minus inuitantur ad vitia, & pauci inueniuntur, qui leuiter, & obſcure incitentur ad ea: propterea cum Galeno, & Aſtronomis dicere poſſumus, multos homines ad vitia, paucos ad virtutem eſſe procliues. Patet itaq; vniuerſam difficultatem, nec non diſtinctionem hominis ab aliis, ex eo pendere, quia in ſolo homine duo connectuntur principia ad varia, & diſtincta procliuia: de quibus ea ſententia vera eſt, quod non poſſumus duobus dominis ſeruire, ac de eiſdem dicitur, duos nobiſcum oriri, & conuiuere Dæmones ad oppoſita inuitantes, ex quibus ea pugna oritur nobis coæua, quæ per philoſophiam componitur. Ideo philoſophia à Platone dicta eſt *præclara harmonia*: & Socrates male dicebat: *Vt lyra ſibi diſſona foret, ac chorus quem duceret, pluresq; alios homines ſibi eſſe aduerſos, quam vt ipſe vnus ſibi ipſi contrarius & diſſonus eſſet.* Hæc autem interna pugna homini conuenit, cum ob ſuæ conditionis neceſſitatem (non enim in mortalibus ſeruari poteſt mens ſine ſenſu, & gradus ſuperior ſine inferiore) tum vt virtus eius magis fulgeret, præſtantior appareret, ac magis ſua eſſe videretur. Virtus enim in arduis refulget.

Quomodo malum extrinſecus accedat.

Qua ratione homo ad malum dicatur procliuis.

Interna hominis pugna.

De obedientia. CAP. X.

INter ſemiuirtutes, ſiue vias ad virtutem, quæ ad noſtram eu-ram & diligentiam pertinent, iure optimo prima ſe nobis offert obedientia: ea enim apta eſt recte componere omnes animi noſtri appetitiones, & eſt radix, ſemen, & cultus omnium virtutum quæ in more ſunt poſitæ: de qua loquuturus, conſiderabo primo, quotuplex & quid ſit; mox quibus conueniat; tertio, vnde ducat ortum, demum, quos vſu præbeat. Ordiens à primo, quære, quid ſit obedientia? Pro notitia conſiderandum, obedientiam dupliciter vſurpari, cum pro principio proximo, per quod obtemperamus, tum pro actione ex eo prodeunte, hoc eſt, pro actu primo, & ſecundo: nunc conſidero obedientiam non pro ſecundo, ſed pro primo actu, ex cuius notitia eius actio elucefcet. Hæc obedientia late ſumta, eſt diſpoſitio, qua vnum alteri ſubiicitur, implens mandata eius, quæ duplex eſt. Vna communis totius vniuerſi, qua infera ſuperis, & creaturæ creatori obtemperant. Altera eſt partium, & præcipue in homine conſideratur, quæ adhuc eſt duplex: vel pertinens ad externa, vel ad interna. Ea, quæ reſpicit externa, duplex eſt, vna ciuilis, qua populi obediunt principi: altera domeſtica, qua ſerui domino, & filii parentibus obtemperant. Interna obedientia eſt ea, qua vna animæ facultas alteri obtemperat, vt ſenſus rationi. Inſuper hoc proximum obediendi principium duplex eſſe poteſt: vel leue & facile mobile, & dicitur diſpoſitio: vel firmum & conſtans, quod nedum diſpoſitio, ſed habitus eſt. Dum tantum eſt diſpoſitio, ea iuncta eſt cum humilitate, & tolerantia: at dum contractus eſt habitus, & congruenter ſe habuerit iam eſt virtus moralis, & ſola ratione ab ea diſtinguitur: nam virtus omnis in more poſita, eſt obedientia ſenſuum rationi: vt docuit Plato in quarto de repub. Diſtinguitur tamen, quia virtus dicitur, vt perficit id, cuius eſt virtus, & actiones eius, dicitur obedientia, vt ſubiicitur alteri, implens mandata eius. Inſuper, vt obedientia magis indicat perpeſſionem: vt autem virtus, magis actionem, nam alteri ſubiici, & ſequi volũtatem alterius, perpeſſionem præ ſe fert, ducere vero, & dirigere, quod eſt virtutis officium magis indicat actionem. Inſuper adhuc obedientia triplex conſiderari poteſt, vel enim humilius ſuo ſuperiori obtemperat vel æquale æquali, vel ſuperius inferiori: ſed quia obedientia ſummiſſionem præ ſe fert, ideo ea ſola cenſeri debet vera naturæque conſentanea obedientia, qua inferius ſuo ſuperiori obtemperat, vt dum imprudens viro prudenti, ſenſus rationi, mortaliaque æternis obediunt. At dum vice verſa ſupera obtemperant inferis, ea debet non obedientia, ſed violentia, non diſpoſitio naturæ conſentanea, ſed naturæ peruerſio, non imperium, ſed

Quid ſit obedientia.

Omnis virtus eſt obedientia.

Obedientia triplex.

ſed tyrannis nuncupari: veluti dum ſapiens, & prudens cogitur viro furenti obtemperare, & ratio ſubiicitur ſenſui, eiuſque manceps redditur: æqualis etiam nō proprie ſuo æquali obtemperat, ſed ei fert opem, ſe illi comitem præbet, non ſecus ac amicus amico. Vera igitur obedientia eſt inferioris ſuo legitimo ſuperiori: nam dum principes ſuis conſultoribus obtemperant, iure id faciunt, conſultores enim vt prudentiores, principi vt imprudentiori præſunt. Ex his conſtat cuiuſdam emergentis difficultatis reſolutio: nā quærere quis poſſet, an ſemper, qui vitam ducunt ſub principe, teneantur ei obtemperare, & num omnis obedientia bona ſit. Dico enim, dū princeps ſeruat locū principis, ſuoque munere fungitur, ſemper tenētur populi ei obtemperare, ſeruat autē locum principis dum iuſtus eſt, ſuoque eminentiori principi, Deo ſcilicet paret: dum vero furit, formamq; principis exuit, nō amplius ei obtemperare tenentur, forma autem principis eſt prudentia, & iuſtitia. Ex quo etiam colligo, omnem obedientiā, quæ re vera ſit obedientia, eſſe bonā, & ſalutarē. Addo tamen, non licere vnicuique ordines, decreta, actioneſque principum iudicare: veluti etiā non licet ſingulis iudicium de illis tradere, audereque ea permutare, quæ in ſacris cōciliis conſenſione multorum ſapientum Dei nomine aggregatorum decreta, deliberataque fuere, nā facilius vnus perturbatione aliqua offuſus, vel imprudentia deluſus errare poteſt, quā multi ſimul, prudentia, & ſapientia conſpirantes. Propterea frequenter in re dubia noſmetipſos conſenſioni plurium prudentium, & ſapientum ſubiicere debemus. Quicunque exacte obtemperare cupit, tenetur ſe promptum, celerem, conſtantem, & hilarem patefacere, hæc enim obedientiam formoſam & amabilem reddunt, oppoſita vero deformem, & ingratam: & præſertim tenetur patefacere, ſe nō propriæ vtilitatis, commoditatiſque deſiderio, nec timore vllo coactum id facere, ſed ſolū ratione perſuaſum, reuerētia motum, dilectione, honeſtique deſiderio ductum: nam qui catena deuincti obtemperant, non vere obediunt, ſed coguntur, & qui præmii gratia id efficiūt, ſeruilem, non ingenuam reddunt obedientiam. Obedientia itaque cunctis ſuis numeris abſoluta, eſt diſpoſitio conſtans implendi pro facultate mandata ſui legitimi ſuperioris, honeſti, & eius quod decet, gratia.

Vera obedientia. *Dubitatio.* *Solutio.* *Conditio recte obtemperantis.* *Definitio obedientiæ.*

Quibus conueniat obedientia, & à quo ducat ortum.

CAP. XI.

CVM ſatis ſplendida refulſerit obedientiæ forma, de eius communi materie loquens, duplicem aſſero ei materiem competere, vnam, circa quam verſatur, alteram, cui competit.

Duplex materies obedientiæ.

Prima circa quam. Materies, circa quam verſatur, ea ſunt, quæ in facultate obediẽtis ſunt poſita: nam qui legitime imperat, ea ſola effici iubet, quæ ſunt in facultate obtemperantis, & qui obtemperat, ad alia non tenetur, niſi ad ea efficienda, quæ vires eius non ſuperant. *Secunda cui vt ſubiecto competit.* Materies, cui vt ſubiecto conuenit obedientia, ſunt creaturæ omnes, cunctique rerum gradus ſub Deo poſiti: vt enim Dei proprium eſt ducere, dominari, & præeſſe, ita eorũ, quæ ſubiiciuntur Deo, proprium eſt duci, & obtemperare: & adeo eſt eorum, proprium, vt omnis eorum perfectio, omne bonum, omniſque *Creaturarum propria obedientia.* rectitudo actionis ex obedientia prodeat. Et hoc eſt mirabile, quod creaturæ imperia eatenus ſunt bona, quatenus iũcta ſunt cum obedientia, qua ſuperiori, Deo nempe, obtemperant, adeo vt obedientia ſit forma, perfectio, & regula imperii creaturæ, & iure profecto: obedientia enim creaturam recte dirigit, conuertit ad ſupera, gratamque reddit Deo, cum imperium contra reſpiciat infera, dirigatur à ſuperis, & ex obedientia prodeat. De Deo tamen ſecus ſe habet, in eo enim ſolo ex interno bono re-*Gradibus rerum eminentioribus eminentior conuenit obedientia.* giæ dignitatis forma, & præſtantia manat. Inſuper, quo rerum gradus eminentiores præſtantioreſque fuerint, eo eminentior, ac firmior eis conuenit obedientia: obtemperant ſublimi quadam obedientia Angeli Deo, & conſtantiſſime ſeruant mandata eius, cœli quoque ſuis motoribus libentiſſime obtemperant, elementa ſequuntur cœlum, eique obediunt, & demum mundus totus eximia quadam obedientia ſeruat mandata diuinæ prouidentiæ. Gradus rerum obſcuriores pluribus profecto ſubiiciuntur, & obediunt, at eminentiores eminentiore firmioreque obedientia obtemperant, & iure profecto: eminentior enim obedientia eminentiori Domino propinquior eſt, eique conſimilem reddit obedientem. In hoc mortalium orbe iumenta, & feræ per naturam obediunt homini, adeo vt non ſine admiratione videamus formidare hominem, ei ſubiici, & obe-*Iumenta, & feræ per naturam obediunt homini.* dire. Et quis non mirabitur videns puſillum æthiopem ducere ingentem camelum? debilem puerum ſupra dorſum elephantis collocatum, illum moderari & regere? Quod ex eo prouenire putandum eſt, quia cuncta per naturam obtemperant Deo: in homine autem & per formam, & per ſcientiam, & per artem, diuina quædam refulget imago. Inſuper, in homine anima per naturam dominatur corpori: & adeo dominatur, quod Arabum multi exiſtimarunt animum recte affectum ita poſſe imperare corpori, vt illud ex ægro ſanum, & ex non temperato, temperatum reddere valeat. In gradibus autem animæ ſaluberrima refulget obedientia: omnis enim humana tranquillitas, omnis perfectio, & virtus, ex obedientia prodit; ex ea inquam obedientia, qua ſenſus rationi, & mortale immortali ſubiicitur. Ex

his

Digitized by Google

his conſtare cenſeo, materiem, & ſubiectum communis obedientiæ eſſe omnes rerum gradus ſub præpotente Deo collocatos, & gradibus eminentioribus modo quodam eminentiore competere. Nec difficile etiam eſt ex dictis colligere, vnde nam ortum duxerit obedientia: cum enim ea ſit res præclara, ſit cuſtos & ſeruatrix ordinis rerum, putandum eſt ex eo fonte manaſſe, ex quo rerum ordo effluxit: rerum autem ordo ex diuina prouidentia omnium conſenſione manauit, & propterea obedientia non à fortuna pendet, nec eſt munus conſuetudinis, ſed ex fonte rerum vna cum earum natura manauit, & vna cum prouidentia, & fato per vniuerſum effuſa eſt: refulſit in origine mundi admirabilis obedientia, nam Deus dixit, & facta ſunt, Deus mandauit, & creata ſunt. Inſuper, vna etiam cum homine humana obedientia orta eſt, tunc enim homo vere ſecundum naturam eſt affectus, dum humiliora eius diuinioribus obtemperant. Et quemadmodum obedientia ex fonte ſummi boni manauit, ita contra inobedientia ex infimo rerum gradu, nempe ex materie, imo ex peruerſione naturæ rerum, & ex permixtione earum cum non ente ortum duxit: ex imbecillitate enim materiei præuaricationes prodeunt diuinarum legum, & ex receſſu ab eo, quod vere eſt, ortum ducit inobedientia, & vna cum ea vniuerſa deprauatio nedum hominis, verum vniuerſi quoque mortalis orbis.

Origo obedientiæ.

Obedientia vnde prodeat.

De fine & fructibus obedientiæ.

CAP. XII.

Finis obedientiæ eſt conſeruatio ordinis vniuerſi, rerum perfectio, earumque cum ſuo principio connexio & conformatio: vt enim obedientia vna cum rerum natura à Deo manauit, ita res in Deum pro facultate deducit, admirabilemque format circulum, à Deo per Dei prouidentiam in Deum cuncta deducens, adeo vt præmium obedientiæ ſummum bonum ſtatui debeat. Ex obedientia in vniuerſo conſurgit tranquillitas & perfectio rerum, in rebus publicis & domeſticis ſalus earum, in homine autem virtutes omnes, quæ in more ſunt poſitæ: vt enim homo ad obedientiam ſe habet, ita ſe habet ad virtutes, dum conſtanter ſenſus rectæ rationi obtemperat, vniuerſus virtutum chorus in homine feliciſſime exſultat, dum contra abeſt obedientia, vitia cuncta emergunt. Hinc aiunt philoſophi, *quod ſi cœlum per tempus exiguum requieſceret, & motori Deo non obediret, vniuerſus orbis in chaum reuerteretur*: ideo iure Dionyſius Areopagita, inſpiciens ſolem non ſtatuto tempore eclypſari, admiratione commotus exclamauit: *Aut Deus natura patitur, aut vniuerſa mundi moles confundetur*. Hinc percipimus tot eſſe ea peccata, quæ æternæ

Præmium obedientiæ.

morti nos ſubiiciunt, quot ſunt mandatorum Dei tranſgreſſiones: inſuper ſcimus ex inobediẽtia primi noſtri parentis humanam omnem imbecillitatem fluxiſſe: Luciferus, quia ex ſeruo Dei voluit euadere dominus, fugiens obediẽtiam ex angelo lucis euaſit angelus tenebrarum. Et quid clarius & maius dici poteſt? nonne: vt ex inobedientia primi parentis manauit humana miſeria: ita ex obedientia Filii Dei, qui factus homo, indutuſque obedientiæ formam, factus eſt obediens vſque ad mortem, effluxit ſalus gentium credentium, & obedientium illi: Si enim vis ingredi regnum Dei, ſerua mandata. Precioſi itaque ac ſaluberrimi ſunt fructus ex obedientia prodeuntes: ea enim eſt rerum ſalus, virtutum neruus, humanarum actionum ſpiritus, regula noſtræ ſalutis, & via ad ſummum bonum, ea conuenit omni cõditioni, & ſtatui rerum: præſertim autem viro ciuili, iuueni recte inſtituendo, homini ad virtutem properanti accommodatiſſima eſt.

Elogium obedientiæ.

De tolerantia & continentia, an ſint.
CAP. XIII.

QVemadmodum obedientia omnem animæ appetẽtem facultatem recte diſponit & format, ita continentia & tolerantia, quæ ſunt duæ internæ noſtræ obedientiæ partes, & quaſi filiæ eius, duas appetitiones recte componunt, continentia appetitum cupiendi, tolerantia vero appetitum iraſcendi: de quibus nunc verba facturus, conſiderabo primo, an ſint, mox, quid ſint, demum, quæ illis conueniunt. Iure primo ambigimus, an ſint, quoniam inquit Ariſtoteles in ſeptimo moralium Nicomachiorum, capite ſecundo. *Socrates, perinde quaſi nulla ſit continentia, omnino rationem eorum, qui aliquam ſtatuebant, oppugnabat: neminem enim, qui bene de rebus exiſtimaret, quicquam aliud, quam quod ſit optimum, agere, ſed ſi agat, propter inſcientiã agere, &c.* Hæc legere vnuſquiſque poteſt apud Platonem in Protagora: in eo enim dialogo Socrates cum Protagora diſputans nititur oſtendere, neminem ſponte eſſe malum, ſcientem non poſſe peccare, ſed omnes, qui peccant, per inſcientiam delinquere. Vis autem rationis eius in eo eſt poſita: quia omne agens agit boni gratia: & quia minus bonum relatum ad maius obtinet locum mali, propterea nunquam ab homine verum iudicante deſeritur maius bonum, & vmbra eius eligitur: quod ſi nonnunquam id euenire cernimus, putandum eſt ex hominis inſcitia ortum ducere, non valentis recte metiri bona, & quod eorum ſit præſtantius iudicare. Ex his hæc contexitur ratio: omnis electio eſt ipſius boni, minus bonum relatum ad maius obtinet locũ mali, quarẽ

An detur continentia & incontinentia.

Socratis ſententia.

Ratio Platonis.

Digitized by Google

re à nullo minus bonum eligitur, dum iudicat id eſſe minus bonum. Ex quo infertur non dari incontinentiam, nam incontinens ille dicitur, qui videt meliora, eaque probat, tamẽ deteriora ſequitur. Ideo ait Socrates irriſione dignum eſſe aſſerere, hominem boni cõſcium nolle bene agere, quia à voluptate deuincitur, nam minime deuinceretur à voluptate, ſi recte vtrumque bonum ſciret menſurare, & voluptatem cognoſceret eſſe minus bonum, à voluptate namque ſuperari extrema inſcitia eſt: ſi autem non datur incontinentia, apparet neque continentiam dari poſſe, quia oppoſitorum eadem eſt ratio, ſed vt incontinentia ad intemperantiam redigitur, ita continentia à temperantia nõ diſtinguetur. Et confirmatur, quia ſcientia eſt habitus firmus & conſtans, eſt dux humanarum actionum, propterea dum ea viget, & per aduerſam inſcitiam non obumbratur, neceſſe eſt vt ducat: appetitus autem nil aliud appetit, niſi id quod iudicio approbatur, nec alio tendit, quam quo à ſcientia & cognitione ducitur: vt igitur de duce ſe habet, ita neceſſe eſt ſe habere de ſequentibus eum. Quod ſi nonnunquam videmur aliquid approbare, & aliud ſequi, id euenit, quoniam ea non eſt ſcientia, ſed opinio, quæ ab oppoſita potentiore vincitur. Homo enim, qui viam deſerit virtutis ratione aliqua approbatam, & voluptatem ſequitur, maioris pretii voluptatem illam exiſtimat, quam virtutem; & ideo præualet opinio præferens voluptatem, & per opinionem præpotentem homo operatur. Hæc eſt Socratis apud Platonem ſentẽtia, & hæc ſunt fundamenta eius. Ex aduerſo Ariſtot. in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 2. nedum continentiam, & incontinentiam, à temperantia & intemperãtia ſeiungit, verum inſuper Platonis ſententiam reiicit, fundamentaque eius exactiſſime euertit: nam experientia in attinentibus ad mores eſt ratio efficaciſſima. Experimur enim, quod vir incontinens, dum labitur in voluptates, & vir mollis, qui nõ tolerat dolores, interrogati an recte agant, ipſimet fatentur ſe vitium ſequi, ſe deſerere id quod melius, nõ autem aſſerunt ſe voluptatem pluris exiſtimare: ſolum aiunt ſe impotentes eſſe, & nõ poſſe vehementibus perturbationibus obſiſtere, & vnuſquiſque in ſemetipſo id ipſum experitur. Inſuper communis hominum conſenſio hanc veritatem patefacit, omnes enim vno ore affirmant inueniri eos, qui vident meliora, probantque, deteriora ſequuntur. Inſuper illimet, qui perturbatione ducti ſcelus patrant, frequenter filios & amicos rogant, ac deprecantur, ne idipſum agant, & nedum deprecantur, verum etiam imperant illis, quibus imperare valent. Inſuper, dum homines ita errorem ſuum cognoſcunt, nituntur clam errare, ne ſui exemplo filios peruertant: quod perfecto non efficerent, ſi id eſſe maius

Socrates.

Confirmatio.

Opinio Ariſtot.

bonum exiſtimarent. Et quid clarius? dum, derelicta virtute per rationem approbata, voluptatem ſequimur, verecundamur: ac inſuper internam percipimus pugnam internam reprehenſionem, internumque rationis ſermonem dicentis. Quo tēdis miſer, quo infamis ꝑgrederis? cur tam perdite ruis? cur ita inſanis? quæ interna compunctio non permittit, vt toto animo voluptate fruamur. Hæc adeo manifeſte nobis vim incõtinentiæ patefaciunt, vt qui oppoſitæ ſunt ſententiæ, derelicto ſenſu, neglectaque experientia rationem eorum quærãt, quorum ſenſus eſt certiſſimus iudex: & perinde ſe habent ac illi, qui neglecto ſenſu, rationibus nituntur oſtendere non dari motum, quos parui pendit Ariſt. in 8. phyſ. Hinc Diogenes auditis rationibus Zenonis motum deſtruentibus, loco reſponſionis ſurgebat, & ambulabat. Quomodo tamen rationibus Socratis ſit reſpondendum, & num Plato cum Ariſtotele poſſit conciliari, ex infra dicendis latiſſime patebit.

Quid ſit continentia, & tolerantia.
CAP. XIV.

Tot ſunt continentiæ & tolerantiæ ſpecies, quot virtutes.

CVM ſatis aperte patuerit dari continentiam, tolerantiam, earumque oppoſita, quid ſint, explicare tenemur. Pro quarum notitia prænoſcendum eſt, quod cum virtutes in more poſitæ multæ ſint, & hæ ſint ſemiuirtutes, & viæ quędã ad virtutes, iure putandum eſt, tot eſſe has ſemiuirtutes, quot ſunt virtutes: principia enim, media, & viæ, à ſuo fine, & termino numerũ, naturam, & conditionem recipiunt: ſed quoniam ſingulæ nominibus propriis ſunt deſtitutæ, propterea cogimur nominibus quibuſdam propriis vti tanquam communibus, ex quorum explicatione ea redduntur conſpicua, quæ ad ſingulas virtutes pertinent. Eorum autem duo ſunt prima capita, continentia & tolerantia: continentia proprie attinet ad appetitum cupiendi, tolerantia ad appetitum iraſcendi: continentia proprie verſatur in voluptate, tolerantia in dolore, de qua Poeta:

Hoc quoque cor perfer, nam quæ & grauiora tuliſti.

Continentia nos magis armat aduerſus internos hoſtes, tolerantia magis aduerſus externos. Ad cõtinentiam redigitur ieiunium, & abſtinentia; ad tolerantiam humilitas, patientia, & cõſtantia: continentia in ſuperanda voluptate, tolerantia in reſiſtendo doloribus poſita eſt, vt in ſeptimo moraliũ Nicomach. cap. 7. docet philoſophus. Continentia quamuis proprie ſit via ad temperantiam, tolerantia vero ad fortitudinem: tamen, quoniam virtus omnis in dolore, & voluptate late ſumtis verſatur, propterea, vt in attinentibus ad ſingulas virtutes communis quædam temperantia, communiſque fortitudo, ita communis quæ-

quædam continentia,communiſque tolerantia locum habent. Differt continentia à temperantia,nec non tolerãtia à fortitudine, vt via à ſuo termino,imperfectumque à perfecto. In viro n. temperato,& forti contractus eſt habitus,compoſita eſt perturbatio,ſedata eſt interna pugna ſenſus,& rationis,in continente vero,& tolerãte viget,& præualet recta ratio, pugna vero interna ſeruatur:quæ turbat quoſdã magis,quoſdam minus, vt magis, vel minus virtuti ſunt proximi, & ad virtutem parati. Hinc temperantia, & fortitudo ſunt virtutes,continentia vero, & tolerantia minime. Præterea conſiderandum eſt, virum incontinentem,nec non inconſtantem duplici modo ſe habere poſſe: nonnunquã enim ita eſt affectus, vt ratio primo fungatur munere ſuo,& decernat abſtinendum eſſe à voluptate,at in ſententia non permanet,nec rationi obtemperat:nonnunquam vero, cum ſit ad voluptatem procliuior, ſtatim eam ſequitur, & amplectitur,mox ratione vtens iudicat ſe facinus patraſſe & triſtatur. De his inquit Ariſt. in 7. moralium Nicomachiorum cap. 7. *Maxime autem celeres ac bilioſi atra bile temeraria quadam incontinentia ſunt incontinentes: illi enim ob velocitatem, hi ob vehementiam non exſpectant rationem, eo quia imaginationem ſequuntur, &c.* Ex his conſtat primo, quid ſit continentia: eſt enim *affectio proba ſequens rationem rectam, qua homo ſe abſtinet à voluptatibus repugnante cupiditate.* Tolerantia vero eſt *affectio proba, rationem rectam ſequens, qua homo perfert dolores, repugnante iraſcendi appetitu.* Colligo ſecundo has ſemiuirtutes iumentis & feris non competere:cui enim non competit pugna cum ratione, nec tolerantia nec continentia, quæ victoriæ ſunt, competere poſſunt. Inſuper, cui non competunt virtutes, quæ ſunt formæ & termini,nec ſemiuirtutes,& viæ competere poſſunt. Hinc ait Ariſtot. in 7. moralium Nicomachiorum. *Propter hoc bellua non ſunt incontinentes, quia carent vniuerſali exiſtimatione, & ſolum ſequuntur imaginationem ſingularium.* At pulcra eſt dubitatio, quia ſi continentia eſt cum pugna, temperantia ſine pugna, continentiæ actio erit difficilior actione temperantiæ,& quia in arduis fulget virtus, præſtantior videbitur actio continentiæ quam temperantiæ, & magis continentia videbitur iudicanda virtus quam temperantia. Reſpondeo, difficultatem eſſe duplicem: vnam ex parte agentis, & modi agendi, & hæc indicat diminutionem & imperfectionem agentis & actionis: alteram ex parte obiecti, & gradus rei, quæ efficitur,& hæc patefacit virtutem;nam Deus ſine vlla pugna & difficultate maxima facit. Continens ſe habet vt miles,qui cõſtanter cum hoſte forti pugnat: temperatus vero perinde ſe habet ac ille, qui hoſtem vicit,victoriaque potitus eſt,ob quã corona dignum ſe reddidit.

Quid continentia.

Quid tolerantia.

Continentia & tolerantia non competunt iumentis & feris.

Dubitatio.

Solutio.

An ſciens peccet. CAP. XV.

VT exactè pateant pertinentia ad continentiam & tolerantiã, duo magni ponderis, accurataque conſideratione digna explicare tenemur: primum eſt, an ſciens peccare valeat: alterum vero, an homo ſpõte an inuitus bonus vel malus fiat: hæc ſunt fundamenta, radices, & ſemina omnium difficultatum ad rem hanc pertinentium, de quibus verba faciens, dubitabo primo, mox difficultatem reſoluam, demum perpendam, an Plato & Ariſtot. conciliari valeant.

An ſciens peccet.

Quæritur primo, an ſciens peccare valeat.

Scientia & error in tribus conſiderantur.

Pro notitia difficultatis conſiderandum eſt, quod ſcientia & error ad tria poſſunt referri, primo ad artem, & effectiones artium, ſecundo ad ſcientias in contemplatione poſitas, tertio ad actiones morales, & pertinentia ad eas.

Scientia dupliciter vſurpatur.

Inſuper accipiendum eſt ſciẽtiam dupliciter vſurpari, vel pro ea, quę per demonſtrationem acquiritur, & exactiſſima eſt, vel late pro quauis veritatis cognitione: in hac difficultate ſcientiæ nomen late vſurpatur.

Artifex ſciens errare valet.

His præaſſumtis, primo loquens de arte & artifice aſſero, *artificem ſcientem proculdubio errare poſſe, dum ſponte male vtitur ſcientia ſua*, vt inquit Ariſt. in 8 phyſ. cont. 8 Ita Medicus ſua arte valet interficere, & ædificator optime callens attinentia ad artem, poteſt errare, & non ſeruare rationes rectas ſuæ artis.

Dubitatio.

At dices, quomodo artifex errare poteſt, cum ars ſit recta ratio efficiendorum, & ſit habitus ſemper rectus, vt dicitur in ſexto moralium Nicomachiorum?

Solutio.

Reſpondeo, artifex fungi poteſt munere duplicis perſonæ, hominis ſcilicet & artificis: dum conſideratur vt artifex, profecto per ſe & primo errare non poteſt. Non enim Medicus per ſe primo errat, nec alius artifex, ſed errare poteſt; primo, vt imperitus artis, & ita multi errant: ſecũdo, cum ſit peritus, errare poteſt ſponte, vt homo male vtens habitu, nam artes dicuntur facultates oppoſitorum. Ex quo conſtat, quod peritus Medicus duplici ratione ex euentu peccat primo: quia ars medendi per ſe ordinata eſt ad ſanitatem, ad interitum non per ſe, ac ita ratione finis artis: ſecundo, quia id facit, nõ vt medicus, ſed vt vir improbus: ex cõnexione enim artis medendi cum improbitate hominis oritur error: ea autem connexio eſt ex euentu, nam poteſt ſecus ſe habere: hinc illi errores non arti, ſed improbitati viri ſunt adſcribendi, probitas enim ea eſt, per quam ceteris congruenter vtimur. Et hac de re nulla inter Platonem & Ariſtotelem eſt diſſenſio.

Error in ſcientiis.

Si ſecundo loquimur de erroribus ad ſcientias pertinentibus, nemini dubium eſt, ſcientem errare poſſe veluti, dum ſecus de re aliqua loquitur ac ſentit, diſſimulans ſe aliquid ſcire, ne aliis notam ſibi veritatem patefaciat, vel ob alias cauſas.

Mendax.

Plato in Hippia, definiens mendacem inquit: *Vt*

igitur

igitur ſummatim dicamus, mendaces ſunt, qui ad mentiendum potentes ſapienteſque ſunt. Inſuper oſtendit, ſapientē magis poſſe mentiri viro ignaro: & ratio eſt, quia ſapiens conſcius veritatis, dum vult mentiri, nunquam veritatem proferet, at vir ignatus nō valens verum à falſo ſecernere, dum vult mētiri, poteſt inſcius veritatem pro mendacio proferre. Ariſt. prope calcem quinti metaphyſicæ inuehitur in Platonem inquiens: *oratio, quæ in Hippia profertur, ſophiſtica eſt, quod idem ſit mendax & verax, eum namque qui poteſt mentiri, accipit vt mendacem, hic vero ſapiens, & prudens eſt, &c.* Sic itaque videtur, Ariſt. à Platone diſſentire. Pro remouenda hac lite conſiderandum eſt, quod cōſentiunt de duobus: primo ſapiētem poſſe mentiri: ſecundo ſapiētem exactius mentiri poſſe viro ignaro: diſſentiunt, quia ſapiens, quamuis exactiſſime mentiri valeat, non tamen ab Ariſt. iudicatur mendax: homo enim ob improbitatem eſt mendax, non ob ſapientiam: à Platone tamen dicitur mendax, vt patet ex eius definitione nuper relata. At dicendum eſt, ea verba fuiſſe à Socrate prolata, nō ex ſentētia, ſed diſſerente cum Hippia ſophiſta, vt illum in contradictionē duceret. ideo Ariſt. nō Platonem carpit, ſed ſolum inquit: *orationem in Hippia eſſe ſophiſticam & litigioſam.* Præterea ſi etiam Plato id ex ſententia protuliſſet, lis eſſet de verbis, non de ſententia: Plato enim nomine mendacis illum denotauit, qui exacte mentiri valeat ſoleatve. Ariſt. vero propenſionem ſignificauit, qua homo ad mentiendum eſt paratus, quæ ex vitio prodit.

Ariſt. aduerſatur Platoni.

Ariſtot. cum Platone conciliatur.

An ſciens quiſpiam in attinentibus ad mores errare poſſit.

CAP. XVI.

CVM ſcientia ad cognitionem veri, ad effectionem & actionem referri poſſit, quid de duobus primis ex ſententia Peripateticorum & Academicorum ſit dicēdum, ſatis cumulate apparuit: de attinētibus autem ad actiones magna occurrit dubitatio. Ariſt. enim cū à Platone, tum à ſeipſo diſſentire videtur. A Platone primo, quia Plato in Protagora ex inſtituto hac de re diſputans, ex eo ꝙ ſcientia omnium eſt potentiſſima, eſt dux appetitionū & actionum, eſt iudex boni & mali, colligit ſcientem peccare non poſſe. Et dum dicitur homines cognoſcere verum, at à perturbationibus ab eo abduci, inquit Plato: *vinci & ſuperare à voluptate, aliave perturbatione, eſt extrema inſcitia: nam eſt errare luce media, & decipi in diſtinctione maioris boni à minori.* Id ipſum in Menone latiſſime confirmat: quia enim nemo optat lædi, nemo ſibi vult malum adeſſe, colligit, nos tantum ea mala agere, quæ cum mala ſint, putamus eſſe bona Similiter in Alcibiade primo oſtendit: *ſolam inſcitiam prauæ diſpoſitionis eſſe principium*

An ſciens peccet.

Plato.

Ariſt. *humanorum errorum; dum ſcilicet homo neſcit, & putat ſe ſcire.* Ariſtoteles nonnunquam id ipſum exiſtimaſſe viſus eſt: inquit enim in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 1. *Ebrius autem, aut iratus, agere per inſcitiam non videtur, ſed ob aliquid eorum, quæ dicta ſunt, nec ſciens vero, ſed ignorans: ignorat igitur ſane improbus omnis, quænam ſint agenda, & à quibus ſit abſtinendum, propterq; hoc peccatum homines efficiuntur iniuſti &* (vt ſemel dicam) *mali, &c.* Inſuper in eodem lib. cap. 4. inquit: *nam & vere de ſingulis rebus iudicat vir bonus, atque eo ipſo fortaſſe longe præſtat reliquis, quod ſingulis in rebus verum perſpicit, quaſi earum norma ſit, ac menſura. Multitudini autem fucum facere videtur voluptas, quippe quæ cum bonum non ſit, boni ſpeciem præ ſe ferat: itaq; iucundum ſequitur vt bonum, dolorem autem fugit vt malum.* Inſuper in 12. metaph. 36. inquit: *Appetimus res, quia videntur bona magis, quam videtur quia appetimus: principium autem eſt intelligentia.* Ex his colligi facile poteſt, ſcientem non peccare. Ex aduerſo Ariſt. in 8. phyſicorum, cont. 8 inquit: *peccat ſponte ſciens, cum contra, quam debeat, vtitur ſcientia.* Inſuper in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 2. & 3. patefacit, *incontinentem videre meliora, ſequi autem deteriora.* Præterea (vt in præcedētibus dictum eſt) vnuſquiſque in ſemetipſo id experitur: quare dubitatio eſt ſatis obſcura. Pro cuius reſolutione tribus vtendum cenſeo diſtinctionibus.

Prima diſtinctio. Prima eſt; ſciens duplex, vel habitu tantum, vel actu, hoc eſt, ſcientia dupliciter vſurpatur, vel pro ſolo actu primo, vel pro eo iuncto cum ſecundo. Hanc diſtinctionem tradit primo Plato in dialogo de ſcientia, manifeſtans, quod aliud eſt habere ſcientiam, & vti ea: eandem mox approbauit Ariſt in 7. moralium Nicomachiorū, cap. 3.

Secunda diſtinctio. Altera diſtinctio eſt, ſcientia dupliciter vſurpatur, vel pro exacta, & certa cognitione; qualis præſertim erat ſcientia apud Platonem per eſſentiam rationum animæ, idearumque mentis, vel pro opinione qualibet cum aduerſa aliqua ſuſpicione iuncta. Hanc diſtinctionem tetigit Ariſtot. in ſeptimo moraliū Nicomachiorum, cap 2

Tertia diſtinctio. Addo tertio, ſciētiam eſſe duplicem: vnam communem enuntiationem ad mentem proprie pertinētium: alteram rerum ſingularium, in quibus verſatur actio, & per quas communia ad actionem contrahuntur, quarum cognitio ad phantaſiam magis pertinet, per quas phantaſia proximum principium eſt agendi: veluti, quod omne bonum ſit optandum, eſt

Actio verſatur in re ſingulari. enuntiatio communis, quod autem hoc vinum dulce nobis ſit bonum, in re indiuidua verſatur, in qua etiam verſatur actio. Hæc diſtinctio traditur ab Ariſtotele in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 3. His præaſſumptis dico primo, ſciens actu

Prima aſſertio. non peccat; ſciens autem habitu, dum eo nō vtitur, peccare poteſt. Hæc aſſertio vera eſt de attinentibus ad mores, non autem de

Digitized by Google

de attinentibus ad artes: artifex enim ſua cognitione poteſt errare, dum ea male vtitur, vt Medicus ſua ſcientia venenorum poteſt interficere homines. Ratio huius varietatis eſt, quia rectus vſus non eſt de ratione artis, ſed eſt de ratione virtutis morum: nam cognitio veri non neceſſario format actionem probam, quia ea valemus male vti, cognitio autem boni, dum ea vtimur, neceſſario format actionem probam: vſus n. eius eſt prælectio boni, quam ſequitur actio proba: hinc Medicus veneno necans, proprie peccat peccato morali, quia iudicat ſibi vtile eſſe illum interficere. Nam (vt recte dicitur ab Ariſtotele in rhetor.) ſola virtute morali non valemus male vti, imo per eam recte vtimur ceteris habitibus: propterea ceteri habitus cũ vitio iuncti ſunt, vt gladius in manu furentis: Et hæc de prima aſſertione. Addo ſecundam; homo ſciens confuſe, non diſtincte; ſciens communem, nõ ſingularem enuntiationem; ſciens ſub nube vehementis alicuius perturbationis, non autem conſpicue, errare poteſt. Hanc à perturbatione ſeductionem Plato in Protagora ſummam nuncupauit inſcitiam. Ex his conſtat, Ariſtotelem ſecum non pugnare, nec à Platone diſſentire. Inſuper patet, quomodo intelligi ea debeant, quæ pro omni parte fuere relata. Plato ait, *ſcientem non peccare*: quia loquitur de ſcientia actu, non obumbrata perturbatione. Ariſt. modo inficiatur, modo affirmat ſcientem peccare, id inficiatur de ſciente actu, & ſine obumbratione perturbationum, & de ſciente communes enuntiationes, affirmat de oppoſitis, vt conſtat ex 7. mor. Nic. c. 3. Dum inquit in 3. mor. Nic. c. 1 *quod ignorat improbus omnia, quæ ſint agenda*: dico id eſſe verum de vitioſo, qui vere ignorat & actu, & habitu: inſuper eſt verum de incontinente, quatenus ſolo habitu, non actu ſcit. Dum autem in octauo phyſicorum, contex. 8. inquit: *peccat ſponte ſciens*; primo dicendum, id eſſe verum de cognitione attinente ad artes, quã valemus male vti vt patuit, addendum id eſſe verum de attinentibus ad mores, quatenus incontinens ſcit ſaltem habitu, ſi non actu.

Secunda aſſertio.

Plato & Ariſt. conciliantur.

Ariſtoteles ſecum conciliatur.

An homo ſponte fiat malus, ſponteq; peccet, opinio Platonis.

CAP. XVII.

ALtera dubitatio, quæ in præcedentibus diſſoluenda proponebatur, erat; an homo ſponte bonus, vel malus fiat: quę proculdubio obſcurior eſt, & maioris momenti; de qua ſummopere diſſentire videntur Plato & Ariſtoteles. Nam cenſuit Plato, neminem ſponte fieri malum; ideo nono de legibus, inquit: *Exiſtimate me dicere malos omnes omnino non ſponte malos eſſe, quod ſi ita eſt, illud quoque ſequi neceſſe eſt, iniuſtum*

An homo ſponte malus.

Plato.

eſſe malum, & malum non ſponte huiuſmodi eſſe: non ſponte vero fieri, quod voluntarium eſt, nulla vnquam ratione poteſt: qui igitur iniuſtitiam inuoluntariam putat, iniuſte agentem hominem iniuſte agere non ſponte putabit, &c. In Protagora etiam fuſius eandem ſententiam profert, eamque confirmans, præter cetera inquit; *arbitror equidem ſapientem nullum putare quenquam hominum eſſe, qui vltro aberret, malaque & turpia ſponte committat: ſciunt etenim ſapientes omnes, quod qui mala, turpiaque committunt, præter voluntatem peccant, &c.* Et quia Simonides dixerat: *vnumquemque viro laudo, amoque ſponte qui turpe nil patrat: cum neceſſitate vero neque Dii ipſi pugnant, &c.* quibus verbis indicare videbatur, poſſe homines ſponte peccare: ideo inquit Plato illud (ſponte) non eſſe nectendum cum ſequentibus verbis, ſed cum antecedentibus; adeo vt ſententia ſit, ſe ſponte laudare, & amare eos, qui turpe nil patrant. Inſuper Plato in 5. de legibus, inquit: *nullũ iniuſtum, ſponte iniuſtum eſſe; nemo enim vnquam maximorum malorum aliquid alicubi vellet habere, multoque minus in his, quæ ſibi præſtantiſſima ſunt: eſt enim animus* (vt diximus) *re vera in omnibus omnium præſtantiſſimus, quapropter in eo* (cum maxime ſit honorandus) *nemo ſponte ſummum accipiet malum, vel eque per totam vitam id poſſidere: porro miſerabilis omnino eſt iniuſtus omnis, & qui mali quicquam habet, &c* In eadem ſignificatione in 9. de rep. inquit: *hominem illum iudicandum eſſe ſeruum, in quo pars animi diuinior viliori non dominatur, ſed ſeruit: & cum non ſit liber, minime putandum eſt, quod agat ea quæ vult, vt neque etiam tyrannus ſua licentia agit quæ vult, ſed ſeruus eſt, & propterea ſtimulo ſemper percitus violento, perturbatione, pœnitentiaque redundabit.* Latius etiã in Gorgia oſtendit: *tyrannos non agere quod volunt, ſed quod eorum menti captis videtur, & propterea impotentiſſimos eſſe.* Ex ſententia igitur Academicorum, nemo ſponte malus eſt, quorum fundamẽta potiora hæc ſunt. Vitium eſt ægritudo animi, deterior ægritudine corporis: at nemo volens laborat ægritudine corporis: quare longe minus ægritudine animi. Inſuper (vt ait Plato in Gorgia) *quicunque aliquid alterius gratia agit, non id vult quod agit, ſed id cuius gratia id agit:* cum autem omne, quod agimus, agamus boni gratia, & id ſolum bonum velimus, iure colligere valemus, neminem velle malum, neminemque ſponte malum eſſe; nemo enim malum quærit vt malum. Veluti homo, dum patrat ſcelus, non vult id malum, quod in eo poſitum eſt, vt fures nolunt improbitatem & vitium, ſed rem alienam, quam iudicant ſibi vtilem: quod ſi ob id euadunt mali, ex euentu, & præter intentionem id eis conuenit. Demum homines, dum in ſcelera labuntur, vel id faciunt ſua imbecillitate, vel inſcitia, vel deprauata ratione, vel agitati perturbatione, vel ab externo obiecto rapti, vel

Simonides.

Plato.

Ratio pro parte Academicorum. Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Tertia.

Digitized by Google

vel prauo habitu ſeducti, vel commotione temperamentum ſequente compulſi: quæ autem ita fiunt, proculdubio nec ſponte, nec libera voluntate fieri dicuntur. Confirmantur hæc omnia *Quarta.* per ea, quæ referuntur ab Ariſt. in 3. moral. Nicomach. c. 5. dicẽte: *Vnuſquiſque id expetit, quod ſibi videtur bonum: at non in cuiuſque poteſtate viſio poſita eſt, ſed qualis quiſque eſt, talis ei finis videtur: quare non ſponte homo euadit malus, ſed ignoratione finis in flagitio verſatur, exiſtimãs, ſe in eo vitæ genere maximo bono potiturum: nam appetitionem finis nemo ſuo arbitratu ſibi adoptare poteſt, ſed ita natus quiſque ſit oportet, vt quaſi aciem mentis habeat, qua & recte iudicare, & id quod vere bonum eſt, ſumere atque optare poſſit.* Hæc igitur Platonis & Academicorum ſententia fuit.

An homo ſponte fiat malus, opinio Ariſtotelis.

Cap. XVIII.

NVLLA diſputandi aduerſus Platonem Ariſtoteli ſe obtulit *Libenter Ariſt. in Platonem inuehitur.* occaſio, quam ipſe libẽtiſſime non arripuerit, adeo vt non exiguam ſe inde gloriam relaturũ exiſtimaſſe viſus ſit, propterea hac de re in tertio moralium Nicomachiorum verba faciẽs, nedum ſententiam Platonis variis rationibus euertit; verum inſuper omnia eius fundamẽta eſſe inania pro viribus manifeſtat: inde colligit, homines ſpõte, libere, ſuaque volũtate reddi prauos, & id quod dicitur (*ſpõte improbus nemo, nec inuitus beatus vllus eſt*) ait Ariſtoteles, illud quidem falſum eſt, hoc autem videri verum. Oſtenſiones potiores Ariſtotelis hæ ſunt. Prima ducitur *Rationes pro opin. Ariſtot.* ex definitione noſtri liberi arbitrii, ac ita formatur. Id dicitur *Ratio prima.* poſitum in noſtra facultate, quod & agere, & nõ agere valemus, & cuius oppoſitum in noſtra facultate eſt poſitum: at in nobis (concedentibus Academicis) poſitum eſt, vt ſimus boni, quare etiam in nobis poſitum erit, vt nõ ſimus boni, ſed ſimus mali: & ſi in nobis nõ eſſet poſitum, vt ſimus mali, neque etiam in nobis poſitum eſſet, vt boni eſſemus. Confirmatur, quia ſi in noſtra fa- *Confirmatio.* cultate eſt non agere malum, à quo abſtinere honeſtum eſt, in noſtra quoque poteſtate erit agere malum: oppoſitorum enim eadem eſt ratio. Præterea id colligitur ex definitione inuiti, vel *Ratio ſecunda.* violenti. Nam violentum eſt id, cuius principium eſt extra, non conferente vim eo, quod agit, vel patitur. At dum ſcelera patramus, nos opem ferimus, ſumus concauſæ, conſpiramus cum lætitia. Non igitur violentia, nec inuite, ſed ſponte, noſtraque voluntate id agimus. Tertio id oſtenditur ſumta ratione ex condi- *Tertia.* tione hominis, vt contradiſtincta ab ea quæ eſt iumentorum. Homo enim vt per naturam eſt principium ſuorum filiorum, ita per voluntatem & præelectionem eſt p[illegible] [illegible] a-

ctionum, actiones eius in improbas, & probas diuiduntur. quare vt probarum, ita improbarum actionum ſua voluntate principium eſt: propterea dicitur liber, ſuæ ſortis faber, ſuæque ſalutis, ac miſeriæ proximus auctor. Quarto, id ipſum oſtenditur ratione ſumta ex principiis actionum. Id enim dicitur eſſe in noſtris manibus; noſtraque facultate poſitum, cuius principia in nobis poſita ſunt. At principia nedum probitatis, verum etiam improbitatis, in noſtra facultate ſunt poſita, quod oſtenditur, quia principia ſunt præelectio, & vis mouens, vtrumque in noſtra facultate eſt poſitum: nam libere valemus præeligere, & nõ præeligere: moueri ad aliquid agendum, & non moueri: quare, vt ſponte & libere ſumus probi, ita & improbi. Quinto id oſtẽditur ratione ſumta ex conditionibus mediorum, & eorũ connexione cum fine. Nam quicunque vult media ordinata in finẽ, cognoſcens ea ducere ad illum, etiam dicitur velle finem: at qui euadit improbus, vult media ducẽtia ad improbitatem, ea præeligit, & frequẽter cognoſcit ad improbitatem perducere: quare etiam dicitur velle improbitatem, & ſponte fieri improbus. Sexta ratio deduci poteſt ex legibus, & inſtrumentis legum, quæ ſunt præmium & pœna, laus & vituperium. Nam leges eorũ eſſe dicuntur, quæ à nobis fiunt ſponte, ob quæ etiam ſumus digni laude, vel vituperio, at legibus ſancitum eſt, ne ſimus improbi; pœnæ & vituperia ſunt conſtituta improbis: quare ſponte imꝓbi reddimur. Hinc Plato etiam inter cauſas, ob quas cenſuit necandos eſſe nonnunquam improbos, hanc quoque retulit, vt eorum exẽplo monerentur, ac corrigerentur alii; non autẽ corrigi poſſent, niſi peccarent ſponte. Demum percipimus, quod frequenter nos pœnitet cõmiſſi ſceleris, increpamus nos ipſos, & alios: hæc autem in his ſolis locum habent, quæ ſponte fiunt: quare aſſerere neminem ſponte malum, eſt aduerſari rationi, experientiæ, ciuili diſciplinæ, communique hominum conſenſioni & inſtitutioni.

Fortuna faber eſt quilibet ipſe ſuæ.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Sexta.

Septima.

Diluuntur rationes pro parte Academicorum formatæ.

CAP. XIX.

NEque etiam apprime arduum eſt rationibus illis ſatisfacere, quibus oſtendebatur, neminem ſponte fieri malum. Dicebatur malum non obtinere locum optabilis. Reſpondeo; bonum triplex eſt, honeſtum, vtile, delectabile: & quamuis re vera bonum id ſolum ſit, quod eſt honeſtum: homo tamen frequenter, libere & ſponte (neglecto honeſto) ſequitur vtile, vel delectabile, non ignorans ſe ob id reddi improbum. Addebatur quod homo in patrando ſcelere non vult, nec optat improbitatem, ſed vtile, vel delectabile, reflectitur hæc ratio in Platonem; quia ſi ſponte amplectitur id, per quod fit improbus, ſponte di-

Solutio per reflexionem.

Digitized by Google

te dicitur amplecti improbitatem: qui enim vult media, dicitur velle finem, in quem media perducunt. Dicebatur, tyrannos & improbos non agere id quod volunt, ſed id, quod eis videtur. Reſpondeo, eos non agere id quod abſolute, & ex natura rei eſt obiectum voluntatis, quod eſt vere bonum (vt patefeci, dum de voluntate agerem) tamen agere id, quod poſſent non agere: ad quod agendum nec ab inſcitia, nec à vi vlla coguntur, per quæ duo tantum actio dicitur non ſponte facta. At dicebatur, neminem ſponte ægrotare, quare longe minus improbum fieri: primo, falſum eſt id, quod aſſumitur. Nam (vt inquit Ariſtotel. tertio moralium Nicomachiorum, capit. 5) *dum homo incontinenter viuit, & Medicorum præcepta, conſiliaque aſpernatur, ſponte in morbum labitur: hinc multos reprehendimus, qui ob ſuæ vitæ diſſolutionem ægrotant: non autem reprehendendi eſſent, ſi non ſponte ægrotarent.* Addo inſuper conſequentiam neceſſitate carere: quoniam inuite & ſponte, proprie verſantur in attinentibus ad humanas actiones, non autem ad aduerſam, vel bonam valetudinem, quæ frequenter nobis ſenio per naturam, & neceſſario competit. Demum addebatur, quod homines in ſcelera labuntur, vel ſua imbecillitate, vel inſcitia, vel deprauata ratione, vel perturbatione, vel externo obiecto, vel prauo habitu, vel commotione ex temperamento prodeunte. At hæc leuiſſima ſunt, quoniam aliquid dicitur inuite fieri, dum fit violentia, vel per inſcitiam, vt ſuo loco patuit: at hæc, quæ enumerata ſunt, non cogunt, ſed inuitant, noſque ad vitia propēſos reddunt. Neque etiam ita ſe habent, vt faciant nos per inſcitiam peccare: aliud enim eſt inſcium peccare, & peccare per inſcitiam, vt in præcedentibus patuit. His accedit, quod frequenter nos inſcitiæ noſtræ ſumus auctores: vel ob negligentiam, non conſiderantes mandata legum, quæ tenemur ſcire, & propterea legumlatores ſtatuunt pœnas etiam illis, qui attinētia ad leges, & inſtitutiones hominum ignorant: vel ob vitæ diſſolutionem, vt dum ebrii reddimur, quos Pittacus duplici pœna puniendos cenſuit, cum ob ſcelus, tum ob cauſam ſceleris. Inſuper ſæpe ſcimus habitu, & ob noſtram negligētiam, prauam aſſuetudinem, appetitumque voluptatis, eo habitu non vtimur, vt accidit incontinentibus. Ratio etiam ſumta ex habitu, qui in noſtra non eſt facultate, diluitur. Primo, quia quamuis habitus, cum fuerit contractus, non ſit in noſtra facultate: tamen, antequam contraheretur, in noſtris viribus, noſtraque facultate poſitus erat: producitur enim repetitione prauarum actionū, quæ in noſtra facultate ſemper ſunt poſitæ: ſic habituum nos ſumus cauſæ per vitæ genus, quod ducimus, & hac ratione ſunt in noſtra facultate. Inſuper quamuis cōtractus habitus in noſtra nō ſit facultate,

Cur actiones ſint ſpontaneæ, etiam ſi habitus contractus non ſit in poteſtate noſtra.

Habitus non facile poteſt abiici.

tamen actiones ſemper prodeunt ex nobis ſponte, vt in tertio moralium Nicomachiorum docuit Ariſt. Et ratio eſt, quia habitus non eſt primum principium agendi, ſed eſt id, quo agẽs agit, & eſt ratio agendi certo quodam modo, promte ſcilicet, expedite & faciliter. His accedit, quod etiã habitus diuturnitate temporis, repetitioneque aduerſarum actionum mutari poteſt, quamuis tarde & ægre, vt in Poſtprædicamẽtis docuit Ariſt. Ac ita ceterarum rationũ conſpicua eſt ſolutio. Solum ſupereſt diluenda confirmatio poſtrema, quæ ſumebatur ex iudicio finis, quod in noſtra facultate poſitum nõ eſt: cui recte ſatisfacit Ariſtot. in tertio moralium Nicomachiorum, c. 5. & primo per fiduciariã reprobationem, mox per inſtãtiam. Per fiduciariã reprobationẽ: quia ſi cõcedimus iudiciũ, viſionemque boni & mali, natura nobis competere, nec eſſe in noſtra facultate, & ob id nõ ſponte, noſtraque volũtate reddi prauos, pari ratione nec ſponte, nec noſtra voluntate erimus probi: par enim eſt ratio vtriuſque, vt conſpicuũ eſt. Per inſtantiã vero diluitur: quia falſum eſt id iudicium, & viſionem aliqua ratione in noſtra facultate non eſſe poſitam: nos enim ob noſtrum vitæ genus, obque improbas aſſuetudines, frequenter ſumus cauſſæ, vt ea, quæ mala ſunt, videantur nobis bona: ac ita frequenter homines ſemetipſos dicuntur reddere cœcos, mentiſque acie captos. vt etiam vitium dicitur labefactare, & peruertere mentis oculum.

Solutio per reprobationem fiduc.

Solutio per inſtantiam.

An Ariſtoteles cum Platone conciliari poſſit.
CAP. XX.

QVoniam putare non debemus, Platonem virum ſapientiſſimum, qui in attinentibus ad mores, & vitam ciuilem ſequutus eſt Socratẽm, à quo philoſophia è cœlo in terras, hoc eſt, ex diuinorum contemplatione ad hominum curam deducta fuiſſe dicitur, quem tota fere antiquitas coluit, & venerata eſt, in re ſatis conſpicua errasse, & tam leuiter, ac oſcitanter ſibimet, ſuiſque legibus aduerſa enuntiaſſe: propterea ſuſpicari valemus veri aliquid ipſum quoque protuliſſe, & de verbis potius, quam de ſententia eſſe litem. Aſſerere Platonem de omnib cum Ariſt. conſentire, profecto falſum cenſeo, & qui vniuerſum conciliũ ſunt politi, vt Iohannes Picus, Simplicius, Boetius, & alii viri celebres, potius indicarunt reuerentiam ſuam erga vtrumque humanæ ſapientiæ lumen, quam rem aptam perfici, & principiis eorum congruentem. Quod opera Simplicius, nonnullique recentiorum patefecerunt: qui cum id præſtare conati ſint, in conſpicuos lapſi ſunt errores: frequenter enim ſententiam peruertunt Platonis, nonnunquã eam Ariſt. ſæpe vtramque. Recte faciunt, qui accurate vtriuſque philoſophi decreta conſiderant:

Plato non in omnib idem ſentit, cum Ariſt. itaque non poſſunt vbique conciliari.

derant: perpendenteſque fundamenta, principia, & media vtriuſq;, patefaciunt nonnunquam re, & ſententia diſſentire: nonnunquam vero ſententiam eſſe eandem: ob varietatem tamen, vel conſiderationis rei, vel relationis, vel vſus vocum, videri varia ſentire, & inter ſe pugnare.

Conciliatur Ariſtot. cum Platone.

Nam Ariſtot. pro facultate communem, & proprium loquendi modum ſequutus eſt, Plato libenter a vulgari loquendi modo receſſit, metaphoriſq; eſt vſus, adeo vt longe magis, quam re vera diſſentiant, inter ſe pugnare videantur: quod ſeruare licet hac in re, de qua loquimur. Nam cum Plato dicat neminem ſponte malum (ſi rem & ſententiam eius accurate perpendimus) nil aliud denotare voluit niſi id, quod ab Ariſtotele quoq; in principio moralium Nicomachiorum enunciatum fuit: nempe quod omnis ars, omnis methodus, itemq; actio, & prælectio bonum aliquid appetere videtur. Vt tamen res diſtinctius eluceſcat, tres profero aſſertiones.

Prima aſſertio.

Prima eſt, Plato & Ariſtoteles de re hac, de qua loquimur, valde conſentiunt.

Secunda.

Altera eſt, Plato & Ariſt. aliqua ratione, modoq; aliquo diſſentiunt.

Tertia.

Poſtrema eſt, modus loquendi Ariſtotelis communi vſui vocum, communique modo loquendi magis eſt accommodatus.

Explicatio primæ aſſertionis.

Quod pertinet ad primam, dum Plato inquit, *neminem ſponte, ſuaq; voluntate malum, voluit ob hoc indicare hominem violentia, & per inſcientiam talem fieri, ſed medio quodam modo*, vt colligitur ex 9. de legibus, vbi quæ fiunt ira, ait mediare inter ſponte, & inuite facta, & cum non fiant violentia, & inuite, propterea condit leges aduerſus delinquentes, & aſſerit dignos eſſe pœna, ac vituperio.

Primum fundamentum concilii.

Præterea (vt in præcedentibus pateteci) Plato fieri ſponte & voluntate, arctius vſurpauit, quam fecerit Ariſtot. propterea id, quod apud Ariſtot. fit ſponte, apud Platonem mediare dicitur.

Secundum fundamentum.

Conſiderauit Plato fieri voluntate & ſponte, purius & exactius, vt conuenit ſeparatis mentibus, inſpiciens more ſuo quaſi ideam eius, ab omni degeneratione alienam ab omniq; turbatione, & deceptione ſolutam. Hoc patefecit Plotinus in lib. de Fato, c. 9. inquiens: *quoties anima rationem puram, & paſſionis expertem, tanquam proprium ducem habens, aggreditur; hanc ſolam aggreſſionem iudicare debemus in noſtro arbitrio ſitam, vereq; liberam, idq; opus noſtrum exſiſtere, &c.* At Ariſtot. contrà inſpexit conditionem hominis; vt enim homo mediat inter iumenta, & ſeparatas mentes, ita eius actiones non puræ, ſed mediæ, & mixtæ ſunt, in eis enim edendis appetitio ſenſuum, & ratio mentis frequenter inuicem pugnant: ob quam pugnam reddunt conditionem actionis ancipitem, adeo vt aliqua ratione ſponte & voluntate, alia ſecus facta videatur. Ariſtoteles conſiderans humanam conditionem mediam, contradiſtinctam ab ea quæ eſt ferarum, quia finem noſcit, & non cogitur,

dixit hominem ſponte fieri malum. Plato comparans eandem conditionem cum ea, quę eſt ſeparatatum mentium, & cum ſinceritate voluntatis, dixit nec ſponte, nec voluntate fieri, medium enim relatum ad varia extrema dici poteſt vtrumque extremorum, vt ſæpe fatetur Ariſt. Inſuper tertio conſiderando obiectum voluntatis abſolutum, eique per naturam reſpondens, homo non voluntate & ſponte peccat, & malus fit, quia abſolutum obiectum voluntatis eſt id, quod abſolute eſt bonum, & in hac ſignificatione tyranni, & viri praui, non agunt quod volunt: at conſiderando obiectum voluntatis late pro eo quod eſt, vel videtur bonum; ſic homo & ſponte & voluntate fit malus. In prima ſignificatione Plato, in altera Ariſt. loquitur. Præterea hominem ſponte fieri prauum, dupliciter contingere poteſt: vel per ſe primo, vel nec per ſe, nec primo, ſed per conſequutionem. Per ſe primo nemo ſponte malus, quia non per ſe primo id optatur, non per ſe autem, nec primo homines ſponte redduntur mali. Plato id negat in prima ſignificatione, Ariſt. id concedit in altera. Hanc diſtinctionem optime nouit Plato: ideo dixit in 9. de legibus, *aliud eſſe ſponte facere iniuriam, & ſponte iniuſtum fieri.* Pręterea actio ad duo poteſt referri: vel ad hominem eminentiorem, mente conſtitutum: & ita homo non ſponte fit malus: vel ad hominem materiatum magis, corporeum, & ſenſu conſtitutum, & ita ſponte fit malus, quia per principium internum eius. Addo demum modum loquendi Platonis non omnino abhorrere à modo loquendi noſtrorum theologorum: nam magnus Dionyſius Areopagita, theologus ſimul, & Platonicus præſtantiſſimus, in lib. de diuinis nominib. latiſſime patefecit, malum, vt malum, deſtitutum eſſe omni natura, & carere efficiente, forma, & fine: ac malorum omnium principium, & finem eſſe bonum, quia boni gratia omnia tum bona, tum contraria fiunt: nam & mala facimus appetentes bonum, nullus enim malum ſpectans in malum labitur: hinc malum eatenus eſt, quatenus nititur bono, & eadem ratione abſolute malum dari non poteſt vt datur bonum abſolute. Inſuper D. Paulus ad Rom. 7 inquit: *ſcimus enim, quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt, nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, &c.* Addo demum Platonem fieri ſponte, & fieri libera voluntate in idem redegiſſe. Ariſtot. autem ea ſeiunxiſſe, & propterea aſſeruiſſe operari ſponte etiam pueris, & iumentis competere, non autem operari libera voluntate. Altera aſſertio erat, Ariſt. non de omnibus ad rem hanc pertinentibus omnino cum Platone conſentire: ratio eſt, quia Plato intimiora, & firmiora

Tertium fundamentum.

Quartum fundamentum.

Quintum fundamentum. Homo eſt internus vel externus Platoni.

Sextum fundamentum. Explicatio ſecunda aſſertionis.

miora animæ noſtræ tribuit futuræ vitæ ſemina, quam fecit Ariſt. cenſuit enim Plato varias hominum animas ita variis ſtellis reſpondere, vt etiam variis propenſionibus ſuæ ſtellæ reſpondentibus eſſent præditæ, & propterea ſecum deferre ſemina futurorum morum, propenſionemque ad proprium genus vitæ: quod non cenſuit Ariſt. qui ſolum exiſtimauit, *varietatem propenſionum oriri ex varietate temperamentorum*. Hinc ex ſententia Platonis homo minus eſt dominus, quod res vno, vel altero modo ei appareat, quam ex ſententia Ariſtotelis: & propterea iure ei obiiciebat Ariſt. in 3. moral. Nicom. c. 5. inquiens: *ſi viſio, ac iudicium obiecti ex natura nobis competit, ac ex voluntate non pendet, & ob id ſponte, & noſtra voluntate non ſumus praui, eadem ratione ſponte, & noſtra voluntate non erimus probi, quia ea viſio ex natura nobis conuenit, &c.* Inſuper altera ratio differentiæ ſumitur ex diſtincta opinione Platonis de ſcientia, & ſapientia ab ea Ariſt. Plato enim cenſuit, *ſcientiam ortum ducere ab ideis mentis, & rationibus animæ, & eam ſolam cenſuit abſolute ſapientiam, & intelligentiam, quæ eſſet per connexionem cum rationibus, & ideis, quam raro, & paucis conuenire exiſtimauit, quam ſcientiam in eo, cui conuenit, veré dominam & principem affirmauit*; qua de re Ariſt. ſecus exiſtimauit. Ob nonnulla itaque cum actione coniuncta Ariſt. & Plato diſſentiunt, quamuis magna ex parte conſentiant. Poſtrema aſſertio fuit. Modus loquendi Ariſt. magis eſt popularis, communique vſui loquentium accommodatior, nam magis congruit rectæ hominum inſtitutioni, clariuſque vires legum ſeruat, nec non rectam diſtributionem præmii & pœnæ: nam qui inquiunt neminem ſponte malum, occaſionem tribuunt delinquentibus non acute veritatem inſpicientibus ſe excuſandi, & minus iuſtas iudicandi leges aduerſus delinquentes. Propterea Theologi abſolute aſſerunt hominem ſponte, ſuaque voluntate reddi malum: quod ſi nonnunquam ſecus loquuntur, ſimul patefaciunt modum, quo eorum ſententia intelligi debeat, vt fecere D. Paulus, & Dionyſius Areopagita. *Explicatio tertiæ aſſertionis.*

Qui peccet magis, num qui ſponte, an qui inuitus aberrat.

CAP. XXI.

APparuit hominum quoſdam ſponte, alios inuitos, nonnullos non ſponte peccare: inde oritur pulcra dubitatio, quæ eſt, magiſne delinquat qui ſponte peccat, an potius qui inuitus, vel non ſponte. Mouit hanc difficultatem Plato in Hippia Minore, ſiue de mendacio: & primo oſtendit Socrates, *eos, qui ſponte mendacium dicunt, meliores eſſe, quam qui non ſponte:* mox Hippias ei obiicit, inquiens: *Quonam pacto, Socrates qui ſcientes, volenteſque iniuriantur, ſeducunt, lædunt, meliores eſſe poſſunt,* *Plato.*

quam qui hæc præter ſententiam faciunt? quandoquidem multum ignoſcitur illi, qui per ignorantiam iniuriam infert, mendacium profert, vel aliud quicquam committit mali, legesq́; in eos ſeuerius animaduertunt, qui volentes mala faciunt, mentiunturq́;, quam qui nolentes. Ex aduerſo Socrates curſorem ſponte tardum, & in palæſtra luctatorem, qui ſponte cadit, ei præfert, qui inuitus hæc facit, & idipſum de plurimis ita ſe habere inductione oſtendit. Ratio, qua vtitur eſt: quia aberrans ſponte, præditus eſt ſcientia & potentia recte agendi, qui aberrat inuitus, vel vno, vel altero caret: at ſciens non ſciente, potens impotente præſtantior eſt. Inde colligit, ſi quis igitur hominum eſt, qui ſponte aberret, turpiaque & iniuſta committat, haud aliud eſt, o Hippia, quam vir bonus: ao ita, cum pro omni parte dubitaſſet, rem ſub dubio reli-

Ariſtoteles. quit. Ariſtot. in 6. moralium Nicomach. c. 5. ſoluens difficultatem, inquit: *in arte qui ſua ſponte peccat, ei eſt anteferendus, qui inuitus; in prudentia contra deterior eſt is, qui ſponte ſua offenderit,*

Seneca. *quemadmodum & in virtutibus.* Eandem ſententiam protulit Seneca epiſt 96. inquiens: *Vis ſcire, quam diſſimilis ſit aliarum artium conditio, & huius, nempe moralis ſcientiæ? in illis excuſatius eſt voluntate peccare, quam caſu, in hac maxima culpa eſt ſponte delinquere, grammaticus non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit, erubeſcit, ſi ne-*

Reſolutio difficultatis. *ſciens, &c.* Reſolutio itaque difficultatis eſt, in attinentibus ad mores deterius eſſe ſponte peccare, in cæteris contra. Ratio eſt, quia in attinentibus ad ſcientias, & artes perfectio poſita eſt in cognitione, exactaque poſſeſſione habitus, in attinentibus vero ad morales actiones potiſſime poſita eſt in præelectione, ex ea

Dubitatio. enim conſurgit probitas, vel improbitas actionis. At dices: medicus ſponte veneno necans. iudicatur dignus pœna, non au-

Solutio. tem, ſi neſciens, & inuitus id faciat. Reſpondeo, id contingere, quia tunc medicus præcipue peccat vt vitioſus, pauca vtens præelectione. & tanquam errans in attinentibus ad mores, iudicatur pœna dignus. Hac de re profecto inter Ariſtotelem & Platonem nulla eſt diſſenſio: propterea Marſilius Ficinus in argumento in Minorem Hippiam eandem difficultatem eadem di-

Dubitatio. ſtinctione diſſoluit. At pulcra occurrit dubitatio, quia non apparet ex ſententia Platonis in attinentibus ad mores dici poſſe hominem ſponte errare, cum aſſeruerit neminem ſponte ma-

Solutio. lum. Reſpondeo: aliud eſt inficiari hominem ſponte reddi malum, & inficiari ſponte agere actiones prauas, vt furari, & ſimilia ſcelera patrare: poteſt homo ex ſententia Platonis ſponte furari, & cædere, at non ob id dicitur ſponte fieri malus, quia non patrat ea ſcelera vt per ea improbus reddatur, ſed ob bona, quæ in eis reperiri iudicat.

FINIS TERTII GRADVS.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS IV.

De Virtute Morali.

Proponitur explicanda virtus. CAP. I.

RECTA ratione contigiſſe putandum eſt, vt virtuti quartus reſponderet ciuilis aſcenſionis gradus; virtus enim quadrata dicitur cum hominem quadratum reddat, ſemper ſtantem ac omni ex parte per-fectum: & præſertim, quia ſi de elementis loquimur, quartus gradus conuenit igni, ſi de cœlorum orbibus, quartus eſt ſol: Ignis autem & ſol recta ratione virtuti reſpondent, cum eorum officium ſit purgare, illuſtrare, dirigere & perficere. De virtute igitur pro quarti gradus conſtitutione agendum & diſſeren-dum occurrit: de qua cum varia ſeſe nobis offerant conſideranda: hæc tamen potiſſima capita, accuratioreque conſideratione digna eſſe videntur. Quotuplex ſit virtus vniuerſe ſumta. Qnid ſit virtus in more poſita; quotuplex ea ſit; in qua animæ parte collocetur, quomodo virtutes in more poſitæ nectantur ac diſtinguantur; quæ earum principatum obtineat; quomodo in nobis gignantur; ac demum quos vſus humano generi præbeant. In his ego capitibus potiſſimum verſabor, non neglectis aliis; quæ cum his connectuntur, & quorum cognitio á viro ingenuo optanda & expetenda eſt. Iure optimo autem in explicanda virtute accurati eſſe tenemur, cum ſit præſtantiſſima, iucundiſſima & vtiliſſima. Virtutem enim vt rem præclaram interna quadam naturæ commotione commendant omnes, cunctiq; admirantur & colunt: qui tamen ea ſint ornati, tam pauci inueniũtur, vt accommodate homo virtute præditus Phœnicis imagine deſignetur. Quod cum ex aliis cauſſis, tũ ex ea maxime ortum ducere putandum eſt, quia perpauci eius naturam & cõditionem exacte cognoſcunt: quicunq; enim mentis aciem in eius ſplendidiſſimam formã intendit, tam miro pulcritudinis li-

Virtuti recte congruit gradus quartus.

Quæ præſertim de virtute ſint declaranda.

Accurati tenemur eſſe in conſideranda virtute.

Pythagoras.

lius deſiderio flagrat, vt ſeorſum ab ea hominem non hominem, ac vitam prorſus inuitam eſſe fateatur. Propterea Pythagoras præclare enuntiauit, Dei lege virtutem ſolam eſſe, quæ potens ſolidaq; eſſet, cætera omnia eſſe nugas & ineptias; nunquam enim ſtygias fertur ad vndas inclyta virtus. Ex aduerſo autem, quia via virtutis ardua eſt, quicunque illam exacte non cognoſcunt, non vehementer appetunt, ac ob viæ difficultatem non quærunt, non quærentes non inueniunt, neque aſſequuntur, non aſſequentes, nec iure homines, nec vita præditi iudicari merentur. Propterea, vt pro eius adeptione, ita pro explicatione & cognitione accuratiſſimi eſſe tenemur.

Quotuplex ſit virtus. Cap. II.

Tres primi gradus virtutis.

VIrtus, quæ græce Ἀρετὴ dicitur, non vno modo, ſed multipliciter vſurpatur: cum enim virtus late ſumta ea ſit, quæ perficit id, cuius eſt virtus, & opus eius, vt aſſeritur ab Ariſt. in 2. moral. Nic. c. 6. Hæc late ac vniuerſe ſumta, in tres gradus eſt diſtributa. Vſurpatur enim nonnunquam pro ea, quæ eminentia tantum virtus eſt, in qua ſignificatione frequenter Deus dicitur iuſtus, ſapiens, omniq; virtutum perfectione eminetiſſime præditus: quę virtus eſt ipſamet eminentiſſima Dei eſſentia, ſola ratione, noſtroq; intelligendi modo ab eo diſtincta. Nonnunquã contra vſurpatur virtutis nomen pro vmbra, ac tenui eius imagine: in qua ſignificatione Ariſt. in 8. de hiſt. ani. c. 1 dixit, *in iumentis & feris inueniri morales virtutes, quatenus in eis inſunt veſtigia morum hominis, ita leones dicuntur fortes formica & apes prudentes; ſimiliter de cæteris.* Quod autem eis virtutes in more poſitæ re vera non competant, docuit Ariſt. in 7. moral. Nic. c. 1. inquiens: *etenim vt fera neq; vitium eſt neq; virtus, ita neq; Dei: ſed hoc quidem præſtantius eſt virtute, illud autem diuerſum eſt à vitio.* Tertio vſurpatur virtutis nomen media quadam ſignificatione magiſque proprie, pro forma ſiue habitu, ac congruenter eius conſtitutione: quod tertium virtutis genus ad hominem contractum, in eoque conſideratum triplex eſt, vel enim nobis conuenit per naturam, vel infunditur à Deo, vel noſtro ſtudio, cura, & labore acquiritur. Virtutes infuſæ illæ ſunt, quæ nobis conueniunt peculiari Dei munere deſuper illuſtrantis, vt fides, ſpes, caritas: quę ad inſtitutum noſtrum non pertinent. Virtutes nobis naturã competẽtes, duplices ſunt, vel enim ſunt virtutes generis, vel ſingulorum. Virtus generis eſt nobilitas, vt in lib. de nobilitate referente Stobæo docuit Ariſt. & in 1. rhet. cõfirmauit. Quæ nobilitas eſt duplex, vel publica gẽtis & vrbis, qua natio vna alteri nobilitate præfertur, & de qua nationes variæ inter ſe contendunt, vel priuata alicuius familiæ, vt in eodem 1. rhet. ab eodem philoſopho

Virtus in homine triplex.

ſopho diuiſa fuit. Altera ex parte virtus ſingulorum hominum duplex eſt, vel enim eſt virtus corporis, vel animi. Virtutes corporis ſunt naturæ munera, robur ſcilicet, ſanitas & pulcritudo, quę vel ſunt totius corporis, vel partis eius: ita Ariſt. in lib. de nobilitate ex relatione Stobæi dixit, εὐπρόσωπον dici, quod faciei habet virtutem: idipſum de oculi virtute affirmauit in eodem lib. nec non in 2. moralium Nic. c. 6. Et quamuis ſenſus ſint facultates animæ, quatenus tamen eorum præſtantia & optima conſtitutio oritur ex optima conſtitutione inſtrumenti, non eſt abſurdum eas inter virtutes corporis numerare. Animi autem naturalis virtus etiam duplex eſt: vel enim late vſurpatur pro ſingulis animę facultatibus, quę frequenter virtutes nuncupantur, rectius tamen & magis proprie δυνάμεις, vires, ac facultates dicuntur, quatenus ſunt principia variarum operationum hominum vel animalium: quarum virium ſiue virtutum nonnullę ſunt nobis communes cum cæteris viuentibus, vt virtus nutriẽdi, aliæ cum animalibus, vt virtus ſentiendi, aliæ nobis propriæ, vt ratio, mens & voluntas. Magis autem proprie naturalis animi virtus ea dicitur, quæ eſt congruens animi per naturam diſpoſitio, & facilitas ad recte perficiendum munus aliquod: per quam virtutem nonnulli dicuntur valere ingenio, alii memoria, nonnulli phantaſia, & ita de cæteris. Huius generis ſunt illæ virtutes & mores, de quibus Ariſt. in ſexto moralium Nicomach. c. 13. dixit: *ſingulis à natura quodam modo mores, ſuus cuiq; tributi videntur, natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur.* Qui mores ſunt igniculi & ſemina virtutum potius, quam virtutes: de quibus Cic. quinto de finibus dixit: *Eius partis, quæ princeps eſt, quaque mens nominatur, plures ſunt virtutes, ſed duo prima genera: vnum earum, quæ ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntaria: alterum earum, quæ in voluntate poſita, magis proprio nomine appellari ſolent, quarum eſt excellens in animorum laude præſtantia: prioris generis eſt docilitas, memoria, quæ fere omnia appellantur vno ingenii nomine, easque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur, &c.* At hæ quoque virtutes per naturam nobis inſertæ, extra limites ſunt præſentis gradus, & inſtituto noſtro non inſeruiunt. Aliæ demum inueniuntur virtutes labore, ſtudio, & diligentia comparatæ, quæ eatenus in hominis animo extenduntur, quatenus extenditur ratio. Et quoniam partibus animæ ratio conuenit, vel ex ſui natura & conditione, vel participatione aliqua, ex ſe, ſuique natura conuenit menti, participatione vero appetitui ſenſuum: propterea duplex conſurgit humanæ virtutis genus, vnum attinens ad mentem, aliud ad appetitum ſenſuum: primum virtus rationis; alterum virtus in more poſita nuncupatur. Virtus rationis, quæ ad

Virtus corporis.

Virtus animi naturalis.

Virtutes noſtra opera comparatæ.

mentem pertinet, adhuc eſt duplex: Vel enim eſt ſemper recta, vel obliquitati, & errori eſt obnoxia, de quibus ſuo loco occurrit diſputandum. Aliud virtutis genus ad ſentiendi appetitum pertinens, quia more, & aſſuetudine acquiritur, morale nuncupatur. Quod etiam duplex eſt, vel enim eſt ſemiuirtus, vel abſolute virtus: de ſemiuirtute iam ſumus loquuti. Abſolute autem moralis virtus adhuc duplex eſt, vel enim in quadam excellentia, & ſublimi conſtitutione ſupra humanam conditionem poſita eſt, & nuncupatur virtus heroica, vel magis intra hominum terminos nos continet, communique voce virtus ciuilis, & moralis nuncupatur. Quæ adhuc eſt duplex: vel enim eſt virtus vniuerſa, ſuo ambitu cunctas amplectens, vt vniuerſa iuſtitia, vel eſt virtus in parte ſumta: quæ etiam duplex eſt, vel enim attinet ad appetitum iraſcendi, vt fortitudo & manſuetudo, vel ad appetitum cupiendi, vt temperantia & ſimiles. Cum autem variæ ſint virtutum formæ, omnes in quatuor capita redigi poſſunt, in virtutes phyſicas, morales, rationales, & diuinas. Virtus phyſica perficit res natura conſtantes, virtus moralis virum probum, ciuemque bonum format, virtus rationalis præcipue virum ſapientem conſtituit, virtus diuina, & infuſa format Chriſticolam, & ciuem cœli. Ego cæteris derelictis, de morali virtute modo mihi diſſerendum propono.

Quid ſit virtus moralis, definitiones variæ referuntur.

Cap. III.

SEntentia fuit Platonis in Phædro, approbata á Cicerone in primo de officiis, *omnem quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutionem debere à definitione proficiſci, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur.* Id inprimis ſeruare nos tenemur, dum agimus de virtute, cum variæ eius definitiones circumferantur, nec conſtet, quæ earum præferenda ſit cæteris. Neque primo explicare tenemur virtutes dari, cum ex ſe ſplendidiſſimæ fulgeant: nam (vt enuntiauit Seneca in lib. de beneficiis) *maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen ſuum permittit, etiam qui illam non inquirunt, eam vident, omnes quidem confuſe virtutem intuentur & cognoſcunt, exactè autem pauciſſimi.* Vt igitur appareat quid ea ſit, & ad verioris definitionis inuentionem paremur, definitiones nonnullas ab aliis traditas referamus. Eudoxus, & cum eo Epicurus, dixerunt, *virtutem eſſe conſtantem diſpoſitionem eliciendi ex vnoquoque congruentem voluptatem:* hinc in voluptate, non quidem corporis, vt perperam multi credunt, ſed honeſta & vera, ſummum bonum collocarunt. At errarunt; quia huiuſmodi voluptas potius eſt comes & aſſecla virtutis, actionis probæ, & ſummi

Seneca.

Quid ſit virtus.

Definitio ab Eudoxo & Epicuro tradita.

Digitized by Google

ſummi boni, quam natura & eſſentia eius. Plato in Menone, ſiue in dialogo de virtute, ex ſententia Menonis quatuor traditi caſque in perſona Socratis reiicit, virtutis definitiones: primo definit enumerando virtutem viri ciuilis, mulieris & pueri, virtus enim viri ciuilis eſt ad ciuilium rerum adminiſtrationem congruenter paratum eſſe: ſecundo definiens inquit virtutem eſſe facultatem, qua omnibus præeſſe valemus: tertio dicit virtutem eſſe gaudere honeſtis: quibus quarto addit virtutem eſſe appetitum honeſti & facultatem illud aſſequendi. At nulla harum cenſeri debet vera definitio virtutis, per eas enim ſolum officia quædam virtutis numerantur, non autem quid re vera ſit virtus explicatur. Ex libris de repub. Platonis, virtutis vniuerſe ſumtæ hæc definitio colligitur: virtus eſt habitus animæ, quo potentia naturalis eius quam optime ſuum opus exercet. Hæc definitio eſt ſimilis illi, quam dedit Ariſtoteles in ſecundo moralium Nicom. cap. 6. inquiens: *virtus ea eſt, quæ perficit id cuius eſt virtus, & opus eius*, & rectius traditur ab Ariſtotele, quia manifeſtatur non vnum, ſed duplex officium virtutis, primum eſt perficere id, cuius eſt virtus, alterum perficere opus eius. At hæc definitio communis eſt, nos autem quærimus propriam, quæ ſoli virtuti morali competat. Alcinous in lib. de doctrina Platonis, c. 3. dixit: *Virtus eſt affectio quædam animæ perfecta & optima, ornatum, concordem, & ſtabilem efficiens hominem, tum ad agendum, tum etiam ad loquendum, & erga ſe, & pariter erga alios.* At nec proprium traditur genus, nec potiores differentiæ aſſignantur, ac ſuperuacaneæ nonnullæ afferuntur, vt conſideranti redditur conſpicuum. Theages dixit: *Virtus moralis eſt congruens relatio irrationalium partium animæ ad eam quæ ratione prædita eſt, ac inſuper eſt habitus decori*, quam definitionem ex Platone deſumſit, qui ſub initio ſecundi de legibus dixit, virtutem eſſe obtemperantiam rationi. Quæ definitio approbanda non videtur, quoniam etiam vitioſus obtemperat rationi, ratio tamen eius deprauata eſt. In Theæteto dixit, *Virtutem eſſe ſimilitudinem cum Deo, & alibi optimum animi habitum per ſe laudabilem.* Plotinus Ennead. prima, libro ſexto, capite ſexto, ait, *eſſe animi purificationem.* Ariſtot. in ſeptimo phyſic. context. 16. *eſſe perfectionem animi, & conſtitutionem eius ſecundum naturam*: in decimo moralium Nicomachiorum, cap. 5. affirmauit, *Virtutem eſſe omnium menſuram*, & in 1. rhet. *eſſe facultatem comparandi*, quæ bona ſunt, eademque ſeruandi, ac inſuper eſſe facultatem multa & magna in alios beneficia conferendi, eſſe facultatem, quæ poteſt omnes omnibus in rebus adiuuare, eſſe habitum recte diſponentem appetitum ſenſuum, & actiones eius. Alii dixerunt, *eſſe humani animi ſanitatem, ac bonum eius Dæmonem, inſuper eſſe*

Definitiones relatæ à Platone.

Alcinous.

Theages.

Plotinus.

menſuram & regulam humanæ dilectionis. Hæc omnia recte dicuntur de virtute, & per varia eius munera modo vario virtutem circumſcribunt, nulla tamen earum eſt propria, cunctiſque numeris abſoluta definitio. Stoici virtutes vacuitates quaſdam perturbationum, animique tranquillitates eſſe dixerunt, vt in ſecundo moralium Nicomach. c. 3. refert Ariſt. At hi aberrant, cum perturbationes non euelli, ſed corrigi debeant, vt in explicatione perturbationum apparuit. Exactior igitur inquirenda, & aſſignanda eſt definitio.

Stoici.

Propria definitio virtutis moralis. CAP. IV.

Tria quæ in animo reperiuntur.

IN hominis animo, & potiſſimum in appetitu ſenſuum tria conſiderantur, vt monuit Philoſophus in 2. moralium Nicomach. c. 5. facultas, perturbatio, & habitus, nec quartum addere debemus, diſpoſitionem ſcilicet & viam ad habitum, quoniam via à ſuo fine & termino non diſtinguitur, niſi per minus & magis, ac vt imperfectum à perfecto. Facultates atque perturbationes communes ſunt omnibus, nedum hominibus, verum inſuper iumentis, & feris, eas à natura recipimus, per illas nec commendamur, nec vituperamur, virtutes ſolis competunt hominibus, & illis quidem paucis, more & aſſuetudine acquiruntur, reddunt nos honore dignos: propterea virtus nec facultas nec perturbatio dici debet: quibus cum tertio ſuccedant habitus, per quos vel commendamur vel vituperamur, ad hos proculdubio virtus redigi debet, & ſub his contineri. Neque putandum eſt virtutes eſſe vias tantum, & diſpoſitiones ad habitum, virtus enim eſt quid perfectum; via autem & diſpoſitio ſunt aliquid incoatum & imperfectum. Per facultates ac perturbationes ſumus nos ad varia faciles & accommodati: attamen inconſtantes ſumus, leues, in nullo vitæ genere firmi, & ad vitia potius quam ad virtutes procliues: per habitum vero firmamur, certo vitæ generi, vel probo, vel improbo deſtinamur, munera eius vitæ cum voluptate obimus. Qui habitus, ſi humanæ conditioni, rectæque rationi fuerit conſentaneus, adeo vt per eum animi perturbationes congruenter componantur, virtus ac morum perfectio nuncupatur, ſi contra ad nimium vel paruum declinet, rectæque rationi non congruat, vitium, detrimentum, conſtitutio præter naturam, ægritudo animi, ac diſſonantia partium eius iudicari debet. Virtus itaque moralis eſt habitus, per quem congruens modus imponitur perturbationibus, qui modus medium eſt nobis accommodatum, quod recta ratione ad prudentiam pertinente ſtatuitur. Propterea præclare Moyſes medium illud viam mediam, viamque regiam nuncupauit: recte

Virtus eſt habitus.

Moyſes.

Digitized by Google

recte etiam Philon Iudæus in morum latitudine medium dextrum, ac ſiniſtrum conſiderauit: nec iniuria Pythagoras malum, quia receſſus eſt à medio, infinitum, bonum ſiue virtutem finitam, at indiuiduam aſſeruit, nam recte agere medium quo ſeruare, vnice valemus: errare autem contingit modis innumeris. Inſuper quia dum appetitus implet mandata rationis, prælectio conſtituitur, quæ rationem proxime ſequitur, in qua prælectione, tanquam in eo, quod noſtrum eſt, in noſtraque facultate poſitum collocatur potiſſima ratio ac perfectio virtutis, ideo virtutis habitus cum prælectione neceſſario complicatus dicitur. Ex his Philoſophus in ſecundo moralium Nicomachiorum capit. ſexto definitionem moralis virtutis colligens dixit: *virtutem moralem eſſe habitum prælegendi in ea mediocritate poſitum, quæ ad nos refertur, rectaq; prudentia ratione eſt definita.* Hac definitione ſatis exacte explicantur pertinentia ad naturam, & eſſentiam moralis virtutis, externæ tamen cauſſæ prætermittuntur: ideo, ſi latius virtutem moralem definire volumus, cunctaſque eius tradere cauſſas, non recedentes ab Ariſtotele ita dicamus. Virtus moralis eſt habitus appetitionis ſenſuum, natus præligere, in ea mediocritate, quæ ad nos refertur, quæque à prudentiæ habitu definitur, collocatus, comparatus more, vt ciuili felicitate fruamur. Ex hac definitione omne genus cauſſæ eluceſcit. At pulcra ſe offert dubitatio, quia Ariſtoteles & cum Platone & ſecum pugnare videtur. Cum Platone primo, quia Plato in Menone quærens communem virtutis definitionem, Gorgiam damnat diſtinguentem virtutes pro varietate ſexus & ætatis. Ariſtoteles in primo de republ. cap. 8. Platonem carpens inquit: *qui vniuerſe loquuntur, & aiunt virtutem eſſe animo bene valere, aut recte agere, aut tale quippiam, ſe ipſi decipiunt, qui autem virtutes numerant, vt Gorgias, longe melius dicunt, quam qui ſic vniuerſe definiunt, &c.* Pugnat itaque cum Platone. Pugnat autem ſecum, quia eo loci damnat communem virtutis definitionem, quam tamen inquirit & tradit in primo moralium Nicomachiorum. Cui difficultati reſpondens dico Ariſtot. ſecum non pugnare: non enim abſolute damnat communem virtutis definitionem, ſed eam eo modo traditam, hoc eſt, leuiter per remota & communia, vt viſus eſt feciſſe Plato. Inſuper damnat communem, quia ſine diſtinctis definitionibus partium non eſt ſatis: danda eſt communis definitio non neglectis propriis definitionibus partium, virtus enim eſt commune ab vno, quod non exacte cognoſcitur, non explicatis contentis ſub eo. Nec propterea Plato damnandus eſt, nam ei diſputanti cum Sophiſta fuit ſatis illum redarguere, præcipue tamen Ariſtoteles Platonem carpit, quatenus virtutem

Philon Iudæus. *Pythagoras.*

Definitio virtutis.

Definitio explicans omnes cauſſas.

Dubitatio.

Solutio cum conciliatione.

mulieris ab ea viri non ſecernebat, qua de re alius occurret diſſerendi locus.

Communis quædam explicatio definitionis virtutis.

Cap. V.

Virtus cur dicitur habitus.

Tres habitus conditiones.

Senecæ ſententia.

QVoniam virtus eſt congruens animi conſtitutio, humanorum bonorum ſola firma & conſtans, iure optimo dicitur habitus, cuius conditio eſt, vt conſtanter, expedite, ac cum iucunditate per illum operemur, omnem internam pugnam, ac cunctationem excludens. Quam virtutis conſtantiam epiſt. 93. explicans Seneca dixit: *hoc aduerſus virtutes poſſunt calamitates, damna, & iniuria, quod aduerſus ſolem poſſunt nebulæ.* At illuſtriorem forte protuliſſet ſententiam, ſi dixiſſet, longe minus virtuti obeſſe res aduerſas & turbidas, quam ſoli nebulas, cum virtus in aduerſis refulgeat, ſplendidiorque appareat: ſol vero per nubes nobis ſaltem ſe offerat obſcurior. Inſuper hæc moralis virtus dicitur ad appetitum ſenſuum pertinere, vt ſecernatur á ſapientia, ſcientia, cæteriſque habitibus mentis. Præterea dicitur habitus præeligendi, ſiue, vt inquit Ariſtoteles προαιρετικός; quia eo habitu conſtanter illa præeligimus, quæ recta ratione decernimus: præelectio enim, quamuis dicatur appetitus mentis, ac eius ſequatur conſilium, nectitur tamen cum appetitu ſenſuum, in eoque perficitur, dum hic appetitus á ratione dirigitur, & id proſequitur vel fugit; quod ratione approbatum, vel reprobatum fuit. Præelectio in actione eſt veluti ſpiritus eius, & tanti eſt momenti, vt iure Ariſtoteles in 8. libro moralium Nicom. c. 13. dixerit, præcipuum virtutis & moris in præelectione eſſe poſitum, quod mox lib. 10. c. 8. confirmauit. Præterea virtus dicitur in ea mediocritate poſita, quæ ad nos refertur, mediat virtus inter nimium & parum, ſiue exuperantiam, & defectionem perturbationum. de qua recte dicitur:

Cur attinens ad appetitum ſenſuum.

Cur præeligendi.

> *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,*
> *Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.*

Virtus ſimul & medium, & extremum eſt.

Quomodo ſit medium.

Virtus ita in medio extremorum vitiorum eſt poſita, vt ſimul etiam extremum cenſeri poſſit. Virtus eſt medium, ac in medio poſita, quia eſt moderatio perturbationum, recta ratione circumſcripta, quæ recta ratio in actionibus medium coniectat, & ſtatuit: eſt euitatio eius, quod nimium eſt vel parum, eſt conſeruatio omnium medii conditionum, vt ſcilicet homo agat, vel affectibus commoueatur, quando, quantum, quomodo, cuius gratia, ac ita de cæteris, quæ congruens medium circumſcribunt. Sic itaque recte Heſiodus dixit, *Deum inter duo vitia collocaſſe virtutem: ita namq; magis fulget, potentiorem ſe patefacit, ac homini magis ſalutarem.* Altera ex parte virtus eſt exuperantia & extre-

Digitized by Google

extremitas: primo munere ſuæ perfectionis, cui opponitur imperfectum: ſecundo ratione ſuæ rectitudinis, cui aduerſatur obliquitas: tertio, vt virtus eſt, à qua vitium maxime diſtat, ita virum omni virtute prædictum dicimus gradum ſupremum ſibi cooptaſſe, & in gradu ſublimi eſſe collocatum. Dum virtus cõparatur cum vitio & conſtituit extremum vnum, ea tunc obtinet locum exuperationis, formæ, & continentis: eſt enim id cõtrarium, quod bonum eſt. Vitium vero omne quatenus vitium, eſt defectio, priuatio, receſſus á forma, & modo aliquo non ens. *Quomodo virtus ſit extremum.*

Cum virtus ſit in medio collocata, medium triplex eſt. Arithmeticum, & eſt id, quod abſolute æque diſtat ab extremis, vt inter duodecim & ſex mediant nouem: hoc medium quantitatis abſolutum eſt, & idem apud omnes. Aliud eſt medium Muſicum, & eſt illud, quod eadem maioris numeri parte á maiori ſuperatur, qua ipſum minoris minorem ſuperat numerum, vt quatuor mediare dicuntur inter ſex, & tria: quatuor enim tertia maioris parte á maiori exceditur numero, eadem autem minoris numerum excedit minorem. Medium tertium Geometricum eſt, & id eſſe dicitur, in quo eadem ſeruatur ratio maioris termini ad medium, & medii ad extremum, vt ſex mediant inter nouem & quatuor: vt enim nouem ad ſex, ita ſex ad quatuor ſe habent. Hoc Geometricum medium illud eſt, quod in analogia eſt poſitum, à recta ratione ſtatuitur, & à virtute ſeruatur, pro cuius medii inuentione omnia ſunt conſideranda, quæ pertinent, nedum vniuerſe ad humanam actionem, ſed ad ſingulas quoque conditiones & circumſtantias eius, quæ tunc temporis ad definitam ac indiuiduam noſtram actionem conſpirant, quas circumſtantias ſuo in loco cumulatiſſime enumeraui. Et quia circumſtantiæ variantur, propterea hoc non eſt medium abſolutũ, quod abſolute à ciuili ſtatui poſſit, ſed ita varietati eſt obnoxiũ, vt concurrentia ad actionem variari poſſunt: propterea dicitur medium ad nos, ſe habens perinde ac regula, quæ flectatur, ac ſui flexione variis aptari poſſit. Hoc Geometricum mediũ modo aliquo in omni virtute ſeruatur, maxime tamen & magis conſpicue ſeruatur in iuſtitia diſtributiua, quæ non ita inter duo vitia mediat, vt reliquæ virtutes morales, quemadmodum latius in explicatione patebit. Statuere hoc mediũ eſt officium prudentiæ, propterea ſine ea virtus moralis conſiſtere nequit. *Medium triplex. Arithmeticum. Muſicum. Geometricum.*

Sed dignum conſideratione eſt, cum recta prudentiæ ratio debeat conſtituere medium, idque facere non valeat ſine regula aliqua firma, conſimili, & conſtanti, quænam eſt ea regula, qua vtitur recta ratio pro ſtatuendo medio? Philon Iudæus, vir doctus & eloquens, triplicem dixit, *eſſe regulam examinandarum rerum, dirigendique actiones noſtras, amorem Dei, virtutis, & pro-* *Quæritur à quo petenda ſit regula decernendi medium. Philon Iudæus.*

Inſtantia. *ximi.* At hoc non videtur eſſe ſatis: quoniam regula & menſura vnius generis rerum vna eſſe debet: ea tria vel vno aliquo nectuntur vel diſtincta ſunt penitus, ſi ſunt diſtincta, non valent conſimiliter omnium noſtrarum actionum eſſe regulæ, ſi vno aliquo nectuntur, id vnum quærimus quod ſit conſimilis menſura mediorum omnium. *Alia opinio.* Propter ea rectius alii dicunt menſuram eſſe vnam, eamque eſſe caritatem, quæ cum ſit maxima virtutum, iure cæterarum eſt regula & menſura. *Dubitatio.* At hoc difficultate adhuc non caret: quoniam omne ordinatum in finem ab alio regulam & menſuram recipit, caritas, cum ſit virtus, in finem eſt ordinata, quare ea quoque eget regula & menſura. Præterea pro caritatis munere recte obeundo etiam circumſtantiæ omnes ſunt perpendendæ, & medium modo aliquo ſeruandum, vt quid pro quo, & quantum ſit agendum, recte decernatur: cum enim caritas ſit poſita in dilectione Dei, & proximi, quomodo, cuius gratia, & quando id ſit agendum, regula aliqua vna decerni debet. *Opinio propria.* Propterea dicamus regulam vnam, conſtantem, & conſimilem inueniendi medium, dirigendique humanas actiones, ab alio non eſſe petendam, niſi ab eo, à quo omnium operationum regulæ eliciuntur, nempe à fine, quod eſt principium conſtans omnium noſtrarum conſultationum, quæ pro inueniendo medio formantur. & iure optimo profecto: omnia enim in finem ordinata, ab eo fine menſuram, ordinem, rectamque conſtitutionem recipiunt, vt Ariſt. in 2. phyſ. 91. & in 7. metaph cont. 23. patefecit, nam finis operationis eſt principium conſultationis, quod etiam confirmauit Ariſtoteles in 7. moralium Nicomach. cap. 8. inquiens: *Principium autem actionis & officii, id eſt, cuius gratia cætera fiunt, ideo virtus bene ſentire debet de principio.* Finis itaque ille eſt, per quem cuncta diriguntur, lex ſingulis præſcribitur, & medium ſeruandum exactiſſime definitur: nam conſtituto & præaſſumto (munere mentis & voluntatis) fine, viam rectam, officio noſtro congruentem, quam regiam diximus, inſpicere valemus, per quam progredientes, declinantes extrema, dicimur ſeruare medium, fungi officio noſtro, & ea agere, quæ ad propoſitum finem feliciſſime perducunt. *Confirmatio.* Hinc euenit, quod theologi rectius inſpicientes finem humanarum actionum, rectius quoque & procul ab errore media ad illum perducentia decernunt; conſtituentes enim ſibi pro fine ſummum bonum futuræ vitæ, rectius media decernunt, quam id faciant Peripatetici, qui in hac ſola vita ſummum bonum nobis competere perperam exiſtimarunt. Similiter iidem Peripatetici varium medium reſpondere affirmant pro componendis animi perturbationibus viro ciuili, & viro contemplationi incumbenti: nec aliam ob cauſſam, niſi ob varietatem

tatem proprii finis. Forma itaque virtutis eſt habitus natus præeligere illa, quæ recta ratione decernuntur: materies eius interna, in qua verſatur, eſt perturbatio, quam moderatur: materies, cui vt ſubiecto competit, eſt appetitus ſenſuum: principium efficiens eſt mos, & aſſuetudo: finis eſt actio proba, & ſummum bonum ex ea prodiens. *Epilogus dictorum.*

An virtus moralis in medio ſit poſita,

CAP. VI.

VT exacte cuncta appareant, quę in definitione virtutis fuerunt aſſumta, tria præſertim explicanda occurrunt: primum eſt, an virtus in medio ſit poſita: alterum, an pertineat ad appetitum ſenſuum: demum conſiderandus eſt modus quo acquiritur. A primo ordiens, dubium videtur id quod dictum eſt, virtutem omnem moralem in medio eſſe poſitam: primo quia iuſtitia in medio duorum vitiorum non eſt collocata, ſed ei ſola opponitur iniuſtitia: ſecundo, quia virginitas eſt virtus moralis ad temperantiam pertinens, quæ non moderatio, ſed euulſio eſt concupiſcentiæ: tertio, magnanimitas, & magnificentia in ſummis honoribus, maximiſque ſumtibus poſitæ ſunt, & propterea non in medio ſunt collocatæ: demum dubitationem auget virtus heroica, quæ culmen moralium virtutum eſſe dicitur, hæc in mediocritate non videtur poſita, cum ſupra humanam conditionem nos eleuet, & vniuerſam perturbationis latitudinem reiiciat. Vt his ac ſimilibus difficultatibus ſatisfaciam, accipio primo, duplici præſertim ratione virtutes morales in medio eſſe poſitas, primo ratione perturbationis, in qua verſantur, ac ita, virtus omnis moralis vt talis, in medio vitiorum, extremarumque perturbationum eſt collocata: ſecundo ratione iuſtitiæ, omnis enim moralis virtus eſt iuſtitia quædam, vt ſuo loco patebit. Vtraque conſideratione virtuti congruit medium Geometricum congruente rationum ſimilitudine præditum, præſertim tamen Geometrica rationum ſimilitudo refulget, dum virtus conſideratur quatenus eſt iuſtitia quædam: ita enim æſtimantur merita rerum, & recta inter quatuor terminos iuſtitiam patefacientes formatur rationum ſimilitudo, quæ analogia dicitur, aſſerimus enim exempli gratia, vt ſe habet læſio cum ſuis circumſtantiis ad meritum meum, ita iræ magnitudo erga lædentem. At dum abſolute virtus moralis conſideratur, vt virtus moralis eſt, tunc in medio duorum extremorum vitiorum eſt poſita. Accipio ſecundo, cum virtus omnis moralis ſit collocata in medio, non conſimiliter cunctis eius partibus medium reſpondere: virtus enim poteſt in medio eſſe poſita, vel conſiderando latitudinem perturbationis,

Tria dubia proponuntur. *An virtus omnis in medio ſit poſita.* *Quod non.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Pro ſolutione primo accipitur.* *Alterum quod accipitur.*

vel inſpiciendo duo extrema vitia, vel perpendendo conditiones, quæ circumſtantiæ nuncupantur, vel demum (vt de iuſtitia dixi) conſiderando conſimilitudinem rationum, quæ in diſtributione ſeruantur. Ex his aduerſarum rationum facile eliciuntur ſolutiones. Sumebatur prima inſtantia ex iuſtitia, quæ ſoluitur, iuſtitia enim variis modis medium ſeruat: primo enim, dum conſideratur vt virtus moralis, in medio eſt poſita, quia eſt moderatio propriæ perturbationis, non tamen ita apparet in medio duorum vitiorum collocata, quia eadem iniuſtitia ſimul, & ad nimium, & ad parum inclinat; dans enim vni plus æquo, dat alteri minus: inſuper iuſtitia in diſtributione poſita ſeruat medium Geometricum, poſita vero in commutatione medium Arithmeticum, vt docet Ariſtoteles. Secunda inſtantia ſumebatur ex virginitate, quæ ſoluitur: nam primo dico eam ex ſententia Peripateticorum, conditionem naturæ rerum pro ſtatu præſenti conſiderantium, non eſſe virtutem moralem: addo ſecundo, quod cum ex ſententia Theologorum aliam vitam cognoſcentium re vera ſit virtus, & ſit heroica temperantia, etiam modo quodam heroico in medio eſt poſita: collocata eſt enim in medio non quidem perturbationis, & cupiditatis abſolute, ſed circumſtantiarum eius: ſeruanda enim eſt virginitas non cuiuſuis finis gratia, neque à quolibet, puta non à nupta puella, ſed ab eo, qui adminiſtrat ſacramenta Dei, totumque ſe Deo deuouit. Tertia inſtantia ſumebatur ex magnanimitate, & magnificentia; cui reſpondens dico, eas virtutes verſari in maximis conſideratione materiei & obiecti, at non ratione circumſtantiarum: dicuntur enim ſeruire mediocritatem, quia verſantur in maximis ſumtibus, & honoribus, non eos appetendo pluſquam oportet, quando, quantum, quomodo, à quo, & pro quibus non oportet, ſed in omnibus his modum ſeruando. Hoc nos docuit Ariſtoteles in 4. moralium Nicom. c. 4. inquiens: *magnanimus igitur ſummus, ac extremus eſt, magnitudine quidem, ſed modo, ratione medius*. Poſtrema dubitatio erat de virtute heroica, quæ nos ſupra hominis conditionem eleuat. Cui reſpondendum eſt, virtutem heroicam ſeruare quidem medium, at modo heroico, modo ſupra communem hominis conditionem poſito, quemadmodum decet virum, eam vitam viuentem, vt in eius virtutis explicatione cumulatius patebit.

Solutio primæ inſtantiæ.

Solutio ſecunda.

Solutio tertia.

Solutio 4.

An virtus moralis in appetitu ſenſuum poſita ſit: opinio prima. Cap. VII.

DIctum eſt in definitione virtutis eam eſſe habitum appetitionis ſenſuum, ac ita in appetitu ſenſuum tanquam habitum eius aſſeruimus eſſe collocatã, quæ ſententia dubia eſt: propterea,

pterea, vt veritas eluceſcat, opiniones variæ, earũque fundamẽta perpendenda ſunt. Exiſtimarunt nonnulli, è quorum numero eſt Scot. 3. ſen. di 33. nec non Stoici, *morales virtutes non in appetitu ſenſuum, ſed in intellectu potius, ſiue in voluntate, eſſe poſitas*: nam inquiunt in appetitu ſenſuũ, ſolum gigni habitus per quos inclinamus ad obtemperandum rectæ rationi cum voluptate, qui habitus non debent cenſeri virtutes: quia *virtus eſt habitus* προαιρετικός (vt inquit Ariſtoteles,) *hoc eſt, natus præeligere, & vergens ad rectas præelectiones*: huiuſmodi autem habitus non appetitui ſenſuum natus eſt competere, ſed intellectui: cum præelectio non ſenſuum, ſed mentis ſit appetitus, vt docet philoſophus in ſecundo moralium Nicomac. cap. 6. Et confirmatur, quia (vt patuit in præcedentibus) perfectio moralis actionis in præelectione eſt poſita. Præterea obiectum virtutis eſt honeſtum, quod nõ ad ſenſum, ſed ad mentem & rationem pertinet: ſenſus enim rem appetit vt delectabilem non vt honeſtam, quemadmodum monet Ariſtoteles in tertio de anima, cont. 29. & alibi. Præterea id patet ex laude & honore: nam virtus eſt habitus laude dignus, ex quo prodeunt actiones, quæ nos reddũt honore dignos: laus autem, honor & gloria eorum ſunt, quæ ad mentem pertinent, non autem pertinentium ad ſenſum. Præterea virtus ad eam animæ facultatẽ pertinet, ad quam pertinet libertas & ſummum bonum; libertas enim neceſſaria eſt pro virtutis conſtitutione, ſummum vero bonũ eſt virtutis finis, & ex virtute prodit: at neque libertas, neque ſummum bonum, ſenſui conueniunt, ſed menti, quæ ſola æterna eſt, nata frui ſummo bono, & libertatis compos. Præterea virtus in ratione poſita eſt, & ſeorſum à ratione ſeruari nequit: ratio propriè mẽtis eſt, in ſenſu autem ſolum apparet vmbra rationis: quatenus rationi obtemperare valet, nõ ſecus ac dum equi obtemperant aurigæ: vt igitur virtus dirigens aurigæ eſſe dicitur, non equorum, ita virtus moralis, non appetitus ſenſuum, ſed rationis quæ appetitionum ſenſus quaſi equorũ eſt auriga, vt in Phædro dixit Plato, iudicari debet. Præterea id ipſum colligi poſſe videtur ex verbis Ariſtotelis: qui in primo moralium Nicomach. quærens: *in qua operatione collocatum ſit ſummum hominis bonum*, inquit cap. 7 *collocatum eſſe in actione propria hominis, quæ à facultate hominis propria proficiſcitur, quæ rationis eſt particeps*: ex quibus verbis hæc colligitur ratio. Ad eam animæ partem virtus pertinet, ex qua prodit actio hominis propria, in qua ſummum bonũ eſt collocatum: at huiuſmodi actio non ex ſenſu communi fit, ſed ex ſola ratione hominis propria prodit: quare non ad ſenſum, ſed ad rationem & mentem virtus pertinet. Id ipſum confirmatur ex ſexto moralium Nicom. cap. 2. vbi hæc ſcripta leguntur: *tria autem ſunt in*

Opinio Scoti & Stoicorum.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Ratio ſexta.

Confirmatio.

animo, quæ actionis & veritatis dominatum obtinent, ſenſus, mens, appetitus: ex his tribus ſenſus nullius actionis eſt principium, quod ex eo patet; quia belluæ ſunt illa quidem ſenſus participes, actionis autem non ſunt, &c. Ex his colligitur virtutem in ea animi parte eſſe poſitam, quæ hominis propria eſt.

Alia confirmatio.

Inſuper in 2 lib. moralium Nic. cap. 4. inquit philoſophus: *quæ virtute aguntur, tria expoſcunt, ſcientiam, prælectionem & conſtantiam, quæ ad mentem, non ad appetitum ſenſuum pertinere videntur.*

Ratio ſeptima.

Inſuper id oſtenditur, quia voluntas eſt facultas indifferens: ideo eget habitu, quo in actionibus moralibus cõtrahatur ad vere honeſtum, ac ad illud ſolum dirigatur, qui habitus cum in actione ſit princeps & dominus, iure virtus moralis cenſeri meretur.

Ratio octaua.

Præterea eius animæ partis eſt virtus, cuius eſt actio proba, in qua actione ab Ariſt. ſummum bonum collocatur: actio proba eius eſt, cuius eſt prælectio & gaudium, comes ſummi boni: at prælectio & gaudium ſummi boni, non ad ſenſum pertinent, ſed ad facultates mentis: quare proba actio & virtus nõ ad appetitum ſenſus, ſed ad eum qui eſt mentis pertinebit. Hinc Ariſt. in 2 phyſ. *ſolos homines ratione vtentes* ait, *agere, non iumenta & pueros.*

Ratio nona.

Præterea in ea parte locum habent virtutes, in qua inſunt ſemiuirtutes, continentia ſcilicet & tolerantia: cum enim hæ ſint viæ ad virtutes, & principia earum, in eadem animæ parte, in qua virtutes reperiri debent; via enim & terminus, eiuſdem ſunt facultatis: at ſemiuirtutes, non ad ſenſum, ſed ad mentem pertinent: non enim officium eſt ſenſus ſe abſtinere à ſuo obiecto, ad quod per naturam eſt procliuis, ſed rationis & mẽtis munus eſt ſenſum corrigere, illumque à corporis voluptatibus auertere: iudicat enim mens, voluntas finem optat, prudẽtia & prælectio recte nos dirigunt in ordinatis ad finẽ, quæ ad continentiam & tolerantiam neceſſaria ſunt: quare cũ hæc omnia ad virtutem ducentia, eamque cõſtituentia, ad mentẽ, nõ ad ſenſum pertineant, virtus quoque ad facultates mentis, non autem ad eas ſenſus pertinebit. Hinc Ariſt. in 7. moralium Nicom. cap. 6. inquit: *bruta non eſſe temperãtia, quia carent ratione.* Et in tertio moral. Nic. antequam de virtutib. ſingulatim verba faceret, de prælectione, volũtate & libertate diſſeruit, quæ ad mentem pertinent: quod facere non debuiſſet, ſi virtutes ad appetitum ſenſus, non ad mentem pertinerẽt.

Dictorum epilogus.

Quare (ſiue principia virtutes conſtituentia, ſiue naturam & conditionem virtutum, ſiue earum actiones, ſiue affectiones & comites, ſiue obiectum, finem & vſum, ſiue vias ad eas, ſiue demũ cõditiones facultatum animæ inſpiciamus) omnia nobis indicãt, & conſpicue manifeſtant, virtutem non ad appetitum ſenſuum, ſeu ad facultates mentis pertinere. Non itaque iniuria Stoici virtutes morales ad mentem pertinere putarunt: & Scotus aſſeruit

ruit ſolum habitum voluntatis debere honeſtari nomine virtutis, non autem habitum appetitus ſenſuum, qui ſolum inclinat ad obtemperandum. Et qui ſunt huius opinionis, quique eiuſdem cenſent fuiſſe Ariſtotelem, vt ſeruent ea, quæ ab Ariſtotele dicuntur, & præſertim in ſecundo moralium Nicom. dum virtutes morales in perturbationibus eſſe poſitas affirmat, inquiunt, *perturbationes etiam voluntati conuenire*: & addunt, quod ſi perturbationes conſiderantur in appetitu ſenſuum, in eis locum habet virtus, quatenus ab habitu & virtute voluntatis dirigentis & imperantis corriguntur. Demum addunt per partem animæ natam obtemperare rationi, cui Ariſtoteles tribuit virtutes, denotari voluntatem, quæ rationi iuncta eſt, eam ſequitur, eique proxime obtemperat.

Quomodo reſpondeant aduerſis auctoritatibus.

Diſputatio aduerſus relatam opinionem.

CAP. VIII.

QVamuis ſententia aſſerentium, virtutes morales in voluntate, non in ſenſuum appetitu eſſe collocatas, aliquid veri includat, vt ex dicendis apparebit: magna tamen ex parte nec veritati, nec Ariſtoteli conſentanea eſt: re vera enim morales virtutes cēſeri debent habitus appetitionis ſenſuum; quod maniſeſtiſſime oſtenditur, & primo Materies & forma virtutis, ad eandem pertinent animæ partem; non enim forma in alio recipitur, quam in ſua materie: at materies virtutum eſt genus perturbationum, quod (vt in gradu perturbationum appatuit) ad ſolum appetitum ſenſuum pertinet, non ad voluntatem & mētem, vt perperam cum Stoicis exiſtimauit Scotus. Quod autem genus perturbationum ſit materies virtutum, conſpicuum eſt: ſunt enim virtutes non euulſiones, ſed moderationes earum: ideo dixit Ariſtoteles in ſecundo moralium Nic. c. 5. *habitus morales ſunt, quibus probe vel male affecti ſumus in perturbationibus: veluti ſi iraſcimur, ſi nimium vel parum, male: ſi mediocriter, bene affecti ſumus, itemque in ceteris, &c.* Præterea id ipſum colligitur ex eo, quod in ſecundo moralium Nicomach. cap 3. aſſeritur: quo loci legitur, virtutes omnes in more poſitas in voluptate & dolore verſari: & Platonis commendatur ſententia, aſſerentis oportere nos ſtatim à pueris ita eſſe educatos ac inſtitutos, vt quibus rebus oportet, iis lætemur & doleamus: & hanc eſſe rectam inſtitutionē ex eo colligit philoſophus, quia omnem perturbationē, in qua verſatur virtus, inſequitur dolor & voluptas. Neque putandum, quod Ariſtoteles loquatur de voluptate ad appetitum mentis pertinente, ea enim nec pueris conuenit, nec ſequitur omnem perturbationem. Hoc lucidius etiā ex eo patet, quod in eodē cap. profert philoſophus de medela & pœnis vitiorum: inquit enim: *hoc quoque indicant ſupplicia, quæ in*

Quod virtus moralis ſit in appetitu ſenſuum.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

doloribus ferendis cōſtituuntur in maleficos; curationes enim quædā ſunt: at curationes ex contrariis adhiberi natæ ſunt, &c. ex his hæc colligitur oſtenſio: ad eam animæ partem pertinent virtutes morales & vitia, ad quam pertinent ſupplicia & pœnæ: at hæc ad appetitum ſenſuum pertinent; dolor enim ex ſupplicio conſurgens ſenſuum eſt, vt conſtat: ad ſenſum igitur, & ad appetitum eius pertinent virtutes, & vitia: alioquin peccaret mens, puniretur ſenſus, recederet mens à ſcopo, coerceretur & dirigeretur ſenſus. Præterea id ipſum lucidiſſime conſtat ex illis moribus, qui nobis per naturam competunt, & ſunt igniculi & ſemina futurorū morum, de quibus loquitur Ariſtoteles in ſexto moralium Nicom. cap. 13. *Hi mores cum in infantibus inſpiciantur, non ad voluntatem & mentem, cuius vſu carent pueri, ſed ad ſenſum proculdubio pertinent: propterea hac contexitur ratio.* Ad eam animæ partem pertinent virtutes & vitia, ad quam pertinent naturales mores, qui ſunt viæ, ſemina, & igniculi eorū: at hi pertinent non ad mentem, ſed ad partem & facultatem ſentiendi.

Ratio tertia.

Præterea eādem veritatem inſpicere valemus perpendendo diſcrimen continentiæ à temperantia: vt enim patet ex ſeptimo moralium Nicom. Temperans homo eſt, dum appetitus ſenſuum ita aſſuetudine eſt confirmatus, vt aduerſus rationem non inſurgat cum ea non pugnet, ſed libentiſſime ei obtēperet: continens vero, dum ratio recte ſe habet, voluntas ac præelectio optime ſunt compoſita, ſolum appetitus ſenſuum tergiuerſatur, & domitus non eſt. Ex qua differentia hæc colligitur ratio. Ille habitus cenſeri debet virtus, quo præſente adeſt virtus, quo abſente abeſt: at præſente habitu ſentiētis facultatis adeſt virtus, & homo dicitur temperans, eo abſente & præſente illo voluntatis & mentis, non adeſt virtus, vt patet de viro continente. Virtus igitur non mentis, ſed ſenſuum, & appetitionis eorum habitus eſt.

Ratio quarta.

Quod etiam colligi poteſt perpendendo principia & modū, quo virtutum habitus acquiruntur: gignitur in nobis habitus moralis (vt ſub initio ſecundi moralium Nicom. aſſeritur) more & aſſuetudine: mos autem verſatur in compoſitione perturbationum, ad appetitum ſenſuum pertinentium: euadit homo tēperans, dum coercet, ac ad medium congruens redigit commotiones cupiditatis. quare habitus quoque virtutis moralis ad eundem appetitum pertinebit. Ideo recte Plato monebat, domādos eſſe equos, a quibus ducitur currus vitæ noſtræ: nam ad virtutis conſtitutionem non ſat eſt recta prudentiæ ratio, congruenſque voluntas, ſed requiritur optima conformatio, internaque tranquillitas noſtrarum perturbationum, quod fit per habitum more acquiſitum, qui moralis virtus nūcupatur.

Ratio quinta.

Ita cum Platone manifeſte aſſerit Ariſtoteles, *fortitudinem attinere ad appetitum*

Confirmatio.

patitum iraſcendi; temperantiam ad appetitum concupiſcendi. Et lucidiſſime in calce primi lib. moralium Nicom. affirmat, ex duplici animi parte, quarum vna ex ſe, altera per participationem eſt rationis compos, oriri duplex virtutis genus, quorum vnum in cogitatione & ratione, alterum in more poſitum eſt. Ita quoque Theages virtutes quaſdam morales tribuit appetitui iraſcendi, alias appetitui concupiſcendi. Quod etiam fecit Alcinous in lib. de doctrina Plat cap. 31. Præterea eadem veritas conſpicua apparet, dum conſideramus cauſam & rationem, ob quam egemus morali virtute: nam ſi homo eſſet ſolus, hoc eſt, ſi mens eius eſſet ſeiuncta à ſenſibus, non egeret virtute morali, vt ea nō egent intelligentiæ à corpore ſolutæ ex ſententia Ariſtotelis: ſed quia ſumus iuncti cum corpore, & cum appetitu ſenſuum, per quem ad illecebras reddimur proni, propterea condocefieri domari, rectoque habitu cōformari in nobis debet pars ſentiens & fera, ne quaſi indomitus equus nos ducat præcipites. Quod confirmatur per dicta in 7. phyſ. cont. 17. quo loci virtus pulcritudini & ſanitati dicitur ſimilis: vt igitur ſanitas in humorum contemperamēto pulcritudo in recta partium proportione, ita virtus in perturbationum quaſi in humorum mediocritate eſt poſita, quæ mediocritas in appetitu ſenſuum, non in eo qui eſt mentis locum habet. Idipſum lucidius oſtenditur per ea, quæ in cont. 19. necnon 20. eiuſdem libri proferūtur. Inquit philoſophus in cont. 19. *gigni in nobis moralem virtutem, & abiici vitium, cum aliquid in nobis alteratur*: quāuis enim nec virtutis nec vitii ſit alteratio, tamen ſine alteratione in nobis non gignūtur: alteratio attingit facultatem ſentiendi, & appetitum eius, non autem mentem, vt in cont. 20. aſſeritur: quare infero, cum virtus moralis ad partem eam animæ pertineat, ad quam peruenit alteratio, vt dicitur in cont. 19. & hæc non attingat facultatem mentis, vt dicitur in cont. 20. ſed facultatem ſentiendi, ad hanc, non ad illam pertinebit neceſſario virtus. Hinc Ariſtoteles in eo cont. 19. aſſerit, *verſari moralem virtutem in voluptatibus & doloribus*: & in eo cont. loquitur de facultatibus animæ ſentientis, conſiderans, an ad eius habitus ſit motus: mox in cont. 20. tranſit ad mentem, & habitus eius, & conſiderat an motus ſit ad eos, ideo inquit: *at vero neque in facultate intelligendi animæ eſt alteratio, &c.* quaſi dicat: cum ad habitum moralium virtutum ad partem ex ſe rationis expertem pertinentium non ſit motus: neque etiam in facultate intelligendi, ad quam pertinent virtutes, quę habitus mentis dicuntur, motus reperiri poteſt. Ideo recte Simplicius illum locum explicans, inquit: *cum oſtenderit philoſophus, morales virtutes, ac vitia, eorumque receptiones & abiectiones, non eſſe alterationes; nunc oſtendit, quod neque partis intelligentis ſunt alte-*

Theages. *Alcinous.* *Ratio ſexta.* *Ratio ſeptima.* *Confirmatio.* *Simplicius.*

rationis, vt morales erant virtutes circa partem animæ rationis expertem, in qua voluptates, & dolores communes animalibus omnibus inſunt. Quod etiam confirmatur, quia inquit Ariſt. in eo cont. 19. *virtus eſt, vel perpeſſionis euulſio*: vt putarunt Stoici, qui virtutes euulſiones perturbationum exiſtimarunt: vel perpeſſio talis, hoc eſt moderata, & ad medium redacta, vt ipſe cenſet: at hæc, quæ virtuti tribuuntur, non menti, ſed appetitui ſenſuum conueniunt, vt manifeſte patet. Quod demum ex Ariſtotele manifeſte colligitur, qui in calce primi moralium Nicomachiorum, cum dixiſſet, *facultatem ſentiendi animæ eſſe participem rationis, quia rationi valet obtemperare, mentem vero ſui natura eſſe rationis compotem* addit: *atque ex hac animi diuiſione, ac differentia; virtutis quoq; diſtinctio ac partitio naſcitur; alias enim virtutes in cogitatione, ac ratione poſitas eſſe dicimus, alias ad mores pertinere, quas morales appellamus, &c.* Aperte igitur Ariſtoteles affirmat virtutes morales ad appetitum ſenſuum pertinere, qui ex ſe caret ratione: natus tamen eſt, perinde ac puer, inſtrui & obtemperare rationi.

Confirmatio.

Ratio octaua.

Euerſio fundamentorum & ſolutionum, quibus vtuntur illi, qui ſecus ſentiunt. CAP. IX.

Conſpicuum ſatis ex dictis eſſe puto, habitum moralium virtutum non in mente, ſed in appetitu ſenſuum reperiri. Nec difficile eſt patefacere, fundamenta ea leuiſſima eſſe, inaneſque eſſe ſolutiones; quibus Scotus, & alii nonnulli nituntur diluere aduerſas rationes, auctoritatibuſque ſatisfacere, quæ ex Ariſtotele depromuntur. Nam primo aſſerebant, perturbationes etiam in mente reperiri, quod quam longe abſit à vero, in gradu perturbationum cumulate patefeci. Addebant virtutes pertinere ad perturbationem ſenſuum, tãquam ad commotionem virtute corrigendam; non autem tanquam ad ſubiectum & materiem, in qua virtutis forma recipiatur. Quod etiã verum nõ eſt, quia virtus eſt ea forma & habitus, qui more & aſſuetudine acquiritur: huiuſmodi autem habitus in appetitu ſenſuũ, vt in ſubiecto, recipitur, q patet ex Ariſtotele, qui in ſecundo moralium Nicomachiorum, c. 3. inquit: *tria in animo reperiri, perturbationes, facultates & habitus*: & aſſerit virtutem eſſe habitum; declarans autem, qualis ſit habitus, inquit: *habitus vero ſunt, quibus probe, vel male affecti ſumus in perturbationibus: veluti cum iraſcimur, ſi vehementer, vel parum, male, ſi mediocriter, bene, &c.* Aperte Ariſtoteles ea tria in eadem animæ facultate conſiderauit, & habitum virtutis in perturbatione ſenſuum, nõ in voluntate eſſe poſitum dixit. Similiter id quod demum addunt, Ariſtotelem per partem natam obtemperare rationi denotaſſe volũtatem, alieniſſimum

Euertuntur fundamenta Scoti.

Euertitur primum.

Euertitur ſecundum.

Euertitur tertium.

Digitized by Google

niſſimum eſt à vero. Hoc conſpicue patet ex primo magnorum moralium, cap. 1. quo loci damnat Socratem dicentem virtutes eſſe ſciẽtias; nam ſi ſcientiæ eſſent, pertinerent ad mẽtem, quod iudicat abſurdum: & Platonem commendat, quia recte diuiſit animā in partem rationis compotem & expertem, ac vnicuique propriam virtutem condonauit. Inſuper in tertio, de anima, 41. luce clarius ſuam ſententiam patefaciens, inquit (*vim ſentiendi nec rationis expertem, nec compotem quis facile ponet*) indicans eam mediare, cum ſit nata obtemperare rationi. Præterea luculentiſſime Ariſtot. in calce primi moralium Nicomachiorum idipſum patefacit, inquiens: *nam ea facultas, quæ ad ſtirpes proprie pertinet, nulla ex parte rationis eſt particeps: ea autem, quæ ad concupiſcẽdum, & omnino ad appetendum impellit, aliqua ex parte ratione prædita eſt, nempe quæ ei paret, atq; obtemperat, &c.* Aperte Ariſtoteles eā partem, quæ nata eſt obtemperare rationi, ad quam aſſerit pertinere virtutes in more poſitas, cenſet eſſe facultatem appetendi ſenſuum. Idipſum patefecit in ſexto topicorum, loco 68 nam inquit, *manſuetudinem eſſe illum habitum, qui reperitur in appetitu iraſcendi: & ideo addit errare eos, qui habitum conſequenti facultati tribuunt: vt qui dicunt manſuetudinem eſſe continentiam iræ & fortitudinem, ac iuſtitiam timorum, & lucrorum continentiam, &c.* Similiter Theages Pythagoreus nec non & Plato ſecundo de legibus, & quarto de republ. partem natam obtemperare rationi virtute formandam, aſſerunt eſſe appetitum ſenſuum. Dixit enim Theages ex relatione Stobęi, ſermone primo: *Pars vna animæ eſt ratio, pars altera vis iraſcendi & concupiſcendi, virtus animæ rationalis eſt ſapientia, iraſcendi fortitudo, concupiſcendi temperãtia.* Similiter Euſtratius in calce primi moralium Nicomachiorum nomine partis natæ obtemperare rationi, cui competunt virtutes morales, partem appetentem ſenſuum denotari cenſuit. Nec aliud intelligere valemus, quia Ariſtot. in 3. moralium Nicomachiorum, c. 10. inquit, *temperantiam & fortitudinem irrationalium partium eſſe virtutes videntur.* Voluntas autem cum pertineat ad mentem, ad partem abſolute rationalem redigitur, & præſertim, quia à mente ſola ratione diſtinguitur: quod lucidiſſime aſſeruit Ariſt. in tertio, de anim. 42. inquiens, *in parte rationali voluntas fit, in irrationali concupiſcentia & ira:* & in ſexto topicorum, loco 70 inquit: *omnis enim voluntas in parte animæ eſt, quæ rationis eſt compos.* Conſtat itaque Ariſt. voluntatem redegiſſe ad partem ex ſe ratione præditam; virtutes autem morales tribuiſſe parti, quę ex ſe eſt expers rationis, eſt tamen nata obtemperare rationi, & per hanc partem denotaſſe appetitum ſenſuum. Et res apud Ariſtotelem adeo eſt conſpicua, vt mirum ſit viros doctiſſimos tam aperte eſſe hallucinatos.

Theages. *Plato.* *Euſtratius.*

Explicatio propria opinionis. CAP. X.

VT veritas clarior fulgeat, & aduerſarum rationum conſpicua reddatur dilutio, nõnulla præaccipienda, accurateque conſideranda ſunt. Præcipue autem conſiderandum eſt, virtutes omnes morales ex recta ratione tanquam ex fonte manare, ac eam vt principem ſequi; eatenus enim extenditur virtus, quatenus effunditur recta ratio. Propterea cum mens primo, & ex ſe ſit rationis compos, virtutes omnes pertinent ad mentem, vt ad ducem & principem: ad quam munere ſapientiæ pertinet iudicare verum; munere voluntatis finem optimum velle; munere conſultationis & prudentiæ congruentia media inuenire, mediũ circumſcribere, & aurigæ more appetitionis ſenſuum quaſi equos dirigere: conditio autem appetitionum ſenſus quaſi equorum eſt, ita eſſe domitas, habituque conformatas, vt libentiſſime rationi obediant Ex his conſtat, quomodo virtus ſit mira cõſonantia partiũ animæ, ſit pax & trãquillitas ſaluberrima, ſit facultatum in finem optimum feliciſſima conſpiratio, ſit demum ſeruitus, & imperium apprime conſentaneum naturæ. Ideo recte Plato in quarto de republ. affirmauit, *iuſtitiam in animæ partibus quaſi in repub. reperiri, dum partes omnes ſuo funguntur munere*: & Theages aſſeruit virtutem conſurgere, dum ratio, vis iraſcendi & concupiſcendi recte contemperata fuerint. Cõſpicuum inſuper ex dictis eſt, humanas actiones ex mente, & facultatibus eius, vt ex primo mouente, manare; proxime vero ad appetitum ſenſuum pertinere. Propterea in ſexto moralium Nicomachiorum, capit. 1. *Menti duæ tribuuntur facultates, vna contemplandi, altera agendi* Ex declaratis diſtinctionem hanc colligere valemus: virtutem competere vni, vel alteri facultati animæ, dupliciter contingere, vel tanquam ducenti & dirigẽti, vel tanquam fundamẽto moderationis, & ſubiecto habitus in medio collocati, more acquiſiti: in prima ſignificatione virtutes ad mentem pertinent, & ad eius facultates; in altera vero ad appetitum ſenſuum. His præaſſumptis duo nunc explicanda ſuperſunt; primum eſt, in qua conſideratione Ariſtot. in libro de moribus virtutem ſumpſerit ac definiuerit: alterum eſt, an opinio Scoti in præcedentibus reiecta, poſſit cum opinione altera cõciliari, & tãquam vera defendi. De primo dico, Ariſtotelem virtutis nomine denotaſſe, nõ dirigentis rectitudinem, optimamque eius conformationem, ſed formam, habitum, moderationemque perturbationum in appetitu ſenſuum exiſtentium, & iure profecto: nam huiuſmodi habitus, & forma eſt proximum principium actionum, per quod cõſtanter, expedite, & cum iucunditate operamur, quam iucunditatem Ariſtotel dixit eſſe ſignum

Officium mentis.

Officium appetitionis ſenſuum.

Dupliciter virtus poteſt facultati competere.

Quid Ariſt. nomine virtutis denotauerit.

Digitized by

gnum contracti habitus, qui pro virtutis genere ſumtus fuit. Id ipſum confirmatur, perpendendo modum, quo dicuntur gigni virtutes morales, conſiderando partem animæ & materiem, quæ huiuſmodi virtutibus formantur, & demum conſiderando ea omnia, quæ cumulate in præcedentibus capitibus dicta ſunt. De ſecunda difficultate, dum quæritur, an opinio Scoti, & aſſerentium virtutem moralem in voluntate, & mente eſſe poſitam, poſſit cum aduerſa opinione conciliari. Reſpondeo, ſi auctores eius ſententiæ ſolum aſſererent morales virtutes ad volũtatem & mentem pertinere, proculdubio verum enuntiarent. nam (vt patuit) aliqua ratione ad mentem pertinent: at cum addant habitus appetitionis ſenſuum non eſſe virtutes, & Ariſtotelem definientem virtutes, & dicentem eas eſſe habitus, non denotaſſe habitus in appetitu ſenſuum collocatos, ſed eos, qui in voluntate reperiuntur: ac inſuper, cum dicant Ariſtotelem per partem rationis expertem, denotaſſe volũtatem, & virtutem eſſe id medium, quod in perturbatione voluntatis reperitur: tam longe ab Ariſtotele, & à vero in his omnibus recedunt, vt nihil magis, quemadmodum ex dictis in præcedentibus lucidiſſime colligitur, & præcipue, quia (vt patebit in gradu virtutum mentis) ex ſententia Ariſtotelis in mente, & eius facultatibus, vt in ſubiecto nihil recipitur.

An opinio Scoti poſſit cum aduerſa conciliari.

Diluuntur rationes aſſerentium, virtutes non in appetitu ſenſuum, ſed in voluntate & mente eſſe collocatas.

Cap. XI.

QVamuis ſatis facile ſit ex dictis ſolutiones elicere aduerſarum rationum, tamen non inutile eſſe cenſui diſtinctè de ſingulis aliquid dicere. Ratio prima ſumebatur ex prelectione: nam virtus eſt habitus natus præeligere, præſtantia virtutis in prælectione eſt poſita, prælectio ad mentem pertinet, quare & virtus. Reſpondeo, prælectionem perfici in appetitu ſenſuum, & virtus eſt habitus natus præeligere, quia eſt habitus appetitus ſenſuum, per quem præligimus, hoc eſt, illud ſequimur & perficimus, quod recta ratione decretũ eſt, & hoc conſpicuum redditur per incontinentem, qui recte ratiocinatur: tamẽ, quia appetitus ſenſuum non perficit mandata eius, non dicitur operari cum prælectione. Secũda ratio ſumebatur ex obiecto, quod eſt honeſtũ, pertinens nõ ad appetitũ ſenſuum ſed mentis. Reſpondeo, honeſtum pertinere ad ſenſum, non abſolute, ſed vt habitu virtutis ornatũ, & cum recta ratione conformatum. Tertia ratio ſumebatur ex laude, gloria & honore, quæ ſunt præmia virtutum, vel pertinentium ad eam, & non ſenſui, ſed menti conueniunt. Reſpondeo virum probum dignum eſſe laude, gloria &

Diluitur ratio prima.

Diluitur ſecunda.

Diluitur tertia.

honore, munere cum facultatis dirigentis, tum facultatis directæ: vir enim ꝓbus optime eſt a natura conformatus, præditus eſt mira conſonantia omnium animæ virium ad honeſtã actionem cõſpirantium. Hic vicit ſe, perturbationes domuit, & congruente habitu ſe honeſtauit. Quarta ratio ſumebatur ex libertate, & ſummo bono, quæ ad mētis facultates pertinent. Cui reſpondens dico, virtutem pertinere ad facultatem libertatis vtpote, vel ex ſe & primo, vel ſaltē per participationem: nam virtus pertinet ad mentem, vt ad ducem & dirigentem, non vt ad eam, in qua inſit habitus more acquiſitus. non enim mens eo habitu & moderatione eget: inſuper ſummum bonum morale cõuenit coniuncto ex omni animæ parte ad actionem conſpirante: at tranquillitas tanquam forma cõſideratur in moderatione perturbationum. Quinto inſtabatur fundamento ſumto à ratione, quæ menti conuenit. Solutio eſt conſpicua: per id enim oſtenditur virtutem competere menti vt duci & aurigæ, ſed habitus emendationis in obtemperante, & proximo agente reperiri debet. Sexta ratio ſumebatur ex verbis Ariſtotelis in primo moralium Nicomachiorum, cap. 7. aſſerentis, *propriam hominis actionem non communem feris, eam eſſe, in qua ſummum bonum eſt collocatum.* Solutio ex dictis eſt conſpicua, nam ciuilis & moralis actio ortũ ducit à mente vt à dirigẽte, perficitur in appetitu ſenſuum, vt in obtemperante rationi per habitum virtutis. Confirmabatur per Ariſtotelem in ſexto moral. dicentem, *ſenſum nullius actionis eſſe principium.* Reſpondeo, ſenſum munere ſuæ cognitionis & iudicii non eſſe principium actionis, quia ſic communis eſt feris, at munere ſui appetitus rationi obtemperantis eſſe proximum principium actionis, & eſſe aliquid proprium hominis: hinc Ariſt. eo in loco, *appetitum*, dixit, *principium actionis.* Addebatur, ea quæ virtute aguntur, tria expoſcere, ſciẽtiam, prælectionem & conſtantiam: dico ſcientiam competere dirigenti, prælectionem perfici in appetitu ſenſuum, conſtantiam pẽdere ab habitu in appetitu ſenſuum producto. Septima ratio ſumebatur ex conditione voluntatis, quæ eget habitu. Reſpondeo, voluntatem nec ratione cognitionis, nec ratione perturbationis, habitu egere: nõ ratione cognitionis, quia vis appetēdi nõ conſultat, vt dicitur in tertio de anima, 57. *non ratione perturbationum, quia eis caret:* voluntas enim eſt appetitus mentis perturbationis expers, ſequens iudicium rationis; quare dum vna ex parte ratio recte ſe habet, ex altera perturbationes ſenſuũ ſunt compoſitæ, iam in pace ſunt omnia. Octaua ratio ſumebatur ex gaudio ſummi boni, & probæ actionis comite, quod ad voluntatem pertinet. Reſpondeo, gaudium & voluptatem conſurgere ex vniuerſo ordine partium animæ cõcordi amicitia ad probam actio-

Quarta. *Quinta.* *Sexta.* *Ratio ſeptima.* *Ratio octaua.*

Digitized by Google

actionem conſpirantium: nam menti vt duci, qui victoriam & finem ſuum ſit adeptus, primo & præcipue ſincerum & eminens gaudium competit, ex moderatione autem perturbationum, & habitu virtutis contracto in appetitu ſenſuum, conſurgit ea voluptas, quæ contracti habitus eſt ſignum, quod ex eo patet, quia continens, qui ſine eo habitu operatur, moleſtia potius quam voluptate afficitur. Ratio nona ſumebatur ex ſemiuirtutibus, ex continentia inquam & tolerantia, quæ ad facultates mentis pertinere videntur. Hac de re opiniones ſunt variæ: nonnulli has dicunt eſſe poſitas in ratione, vniuerſa enim vis continentis, ſeque à vitio abſtinentis, in recta eius ratione videtur poſita. Alii, vt D. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſtione 155. art. 3. inquiunt, *eſſe collocatas in voluntate, cum ſint quædam diſpoſitio ei ſuperaddita, per quam pugnant aduerſus vehementes perturbationes*. At proculdubio hæc opinio vera non eſt, quia voluntas vt habitu, ita diſpoſitione aliqua non eget, nec ratione conſultationis, nec ratione perturbationis, vt patuit: nam ſi egeret diſpoſitione, pari ratione in viro probo egeret habitu, cum diſpoſitio ſit via ad habitum. vt patet ex prædicamento qualitatis. Propterea dicendum cenſeo, continentiam & tolerantiam proprie & præcipue ad rationem pertinere, in parte autem etiam ad appetitum ſenſuum. Et pro notitia conſiderandum eſt, ad conſtitutionem virtutis duo requiri, ex parte mentis rectitudinem rationis, ex parte appetitionis ſenſuum, habitum moderationis, in viro continente, & ſe abſtinente, reperitur id quod ad rationem pertinet, nempe rectitudo eius, deeſt ſolum habitus moderationis, qui pertinet ad appetitum. Hinc minus dicitur cōtinentia pertinere ad appetitum ſenſus, quam temperantia. Attamen quia, quamuis in viro continente non ſit productus habitus, adeſt tamen diſpoſitio quædam ad habitum, quæ diſpoſitio eſt via ad virtutem, vt in incontinente reperitur diſpoſitio ad vitium, ob has diſpoſitiones & vias ad habitum, continentia & incontinentia ad appetitum ſenſuum modo aliquo pertinent, adeo vt quatenus ſunt ſemiuirtutes, & ſemiuitia, & viæ ad virtutem vel vitium, ad appetitum ſenſuum pertineant. Hinc euenit vt, quamuis continens & incontinens præditi ſint ratione recta: tamen ob varietatem diſpoſitionis attinentis ad appetitum ſenſuum, vnus ſit continens, alter incontinens. Ita etiam Ariſtot. in ſexto topic. loco 70 *verecundiam* aſſerit, *in parte rationis compote reperiri, quia ex ratione oritur, nec eſt virtutis habitus in appetitu ſenſuum more confirmatus*. Addebatur poſtremo Ariſtotelem in 3 moralium egiſſe de voluntate, libertate & prælectione, pro explicandis virtutibus. Reſpondeo, Ariſtotelem de his egiſſe, quoniam ſunt principia formantia, du-

Ratio nona.

In qua anima facultate continentia & tolerantia ſint poſita.

Non attinere ad voluntatem.

Opinio propria.

centia & conſtituentia habitus virtutum: at habitus ad appetitum ſenſuum pertinent, vt lucidiſſime frequẽter affirmauit. Nil itaque pro aduerſa parte dici poteſt, quod per fundamenta noſtræ opinionis non facile diluatur.

De iuſtitia, vtrum ſit in appetitu ſenſuum, an in voluntate, opinio communis. CAP. XII.

IAm manifeſtè ſatis patere cenſeo, morales virtutes in appetitu ſenſuum reperiri, qua de re D. Th. in prima ſecundæ, quæſt. 56. artic. 4 recte ſentit, de iuſtitia tamen non leuis eſt dubitatio. Latini enim omnes vna cum D. Th. in prima ſecundæ, q. 56. art. 6. eam in voluntate eſſe poſitam exiſtimãt. Inquit enim D. Tho. *facultatem egere habitu & virtute, quotieſcunq; ex ſe non eſt ſatis ad bene agendum: an autem ex ſe ſuaq; ratione ſit ſatis, cognoſcitur ex relatione eius ad obiectum.* Proprium voluntatis obiectum eſt bonũ ratione approbatum voluntati congruens, ideo ad hoc nõ eget habitu; ex ſe enim habet, vt ad bonum rationis tanquam ſibi ꝓprium tendat, hinc non eget virtutibus moralibus, quæ bonum rationis reſpiciunt, ad illudque recte parant: verum quia datur bonum, quod ſuperat humanam conditionem, & eſt bonum diuinum, inſuper datur bonum, quod præſtat bono proprio, & refertur ad alios homines, ideo ob huiuſmodi bona rationis, quæ non ſunt propria volẽtis, voluntas eget virtute, & ob prima bona eget caritate, ceteriſque diuinis virtutibus, ob ſecunda vero eget iuſtitia: ideo iuſtitia vna cum Theologicis virtutibus in voluntate collocatur. Quicquid ſit de virtutibus Theologicis, de quibus modo non loquor agens de iuſtitia, his præſertim rationibus telatam opinionem confirmari poſſe exiſtimo. Prima ſumitur ex definitione iuſtitiæ: nam definitur à iuris prudẽtibus, quod ſit cõſtans & perpetua voluntas tribuendi vnicuiq; quod ſuum eſt; ab Ariſtotele vero in quinto moralium Nicomachiorum, quod ſit habitus, quo volumus, poſſumus & agimus iuſta: in quibus definitionibus ſola voluntas, non appetitus ſenſuum collocatur. Praeterea, virtus ad appetitum ſenſuum pertinens eſt moderatio alicuius perturbationis, & mediat inter duo extrema vitia: iuſtitia non eſt huiuſmodi, ea nullius perturbationis videtur eſſe moderatio, neque inter duo oppoſita vitia collocatur, ſed ſolum iniuſtitia ei eſt contraria, neque ita medium eſt, vt reliquæ virtutes morales, quemadmodum in quinto moralium Nicom. cap. 3. & 4. oſtenditur: reliquæ enim virtutes mediant inter nimium & parum commotionis perturbationis: iuſtitia autem ſeruat medium Geometricum vel Arithmeticũ, quod ad minus quatuor terminos expoſcit, duas nempe perſonas duaſque res, in quorum congruente ratione poſitum eſt ius. Præterea

Iuſtitia an ſit in voluntate. D. Thom.

Confirmatur opinio D. Thom.

Ratio prima, à definitione iuſtitiæ.

Secunda.

Tertia.

terea ita argumentantur, maior perfectio requiritur in mouente quam in moto, voluntas mouet appetitum ſenſuum; præſtātior igitur, & magis debet competere virtus voluntati, quā ſenſui: at ſenſui conuenit, quare & voluntati. Hinc Ariſt. in 2. moralium Nicomachiorum, cap. 7. cum morales virtutes numeraſſet, de iuſtitia & attinentibus ad rationem inquit (alius erit de his diſſerendi locus) indicans, *iuſtitiam non conuenire appetitui ſenſuum, vt reliqua morales virtutes.*

Oſtenditur iuſtitiam attinere ad appetitum ſenſuum, non ad voluntatem. CAP. XIII.

Iuſtitiam non attinere ad voluntatem.

Ratio prima.

IVſtitiam eſſe habitum & virtutem voluntatis, vt multorum eſt opinio, alieniſſimum & à vero, & à ſententia Ariſtotelis exiſtimo: quod oſtendo primo perpendendo iuſtitiam vniuerſalem, quæ ſuo ambitu virtutes omnes morales amplectitur. Ea dicitur virtus vna, virtus perfecta, virtus vniuerſa, vt patet ex quinto moralium, cap. 1. cum itaque ſit virtus vna & perfecta, ad vnam animi facultatem debet pertinere, & cum includat virtutes omnes morales, in ea animæ parte debet reperiri, in qua inſunt ceteræ virtutes morales, quæ ſunt partes eius, ſed ceteræ virtutes morales ſunt in appetitu ſenſuum, vt patuit, quare & vniuerſa moralis virtus: at vniuerſa moralis virtus & iuſtitia, re ſunt idem, ſola ratione ſecernuntur, vt patet ex quinto moraliū Nicomachiorum, cap 1. igitur vt vniuerſa virtus, ita vniuerſa iuſtitia in appetitu ſenſuum, & non in mente locum habet. Hæc ratio mihi profecto magni momenti eſſe videtur. Et confirmatur, quia ad eandem animæ partem pertinet iuſtitia, ad quam pertinet via, & ſemen iuſtitiæ nobis per naturam inſertum: at iuſtitiæ ſemen (quod eſt quædam ſemiiuſtitia) conuenit pueris ante rationis & voluntatis vſum: quare non conuenit voluntati, ſed appetitui ſenſuum: ſi ei non conuenit ſemiiuſtitia, neque etiam iuſtitia competere poterit: nam inquit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, capite poſtremo, *natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur, &c.*

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Præterea voluntas proprium aliquem habitum more acquirendum non expoſcit, neque ratione perturbationis, neque ratione conſultationis, vt in præcedentibus apparuit: hinc Ariſtot. in 7 moral. Nic cap. 3. oſtendit, *hominem actu ſcientem non peccare*: dum enim ratio & perturbatio recte ſunt compoſita, omnia congruenter ſe habēt.

Ratio quarta.

Duo virtutum genera Ariſtoteli.

Præterea id ipſum oſtenditur per attinentia ad diſtinctionē virtutum: nam Ariſtoteles duo ſola ponit virtutum genera, vnum attinēs ad partem ex ſe rationis compotem, & dicitur virtus rationis, aliud ad partē ex ſe impotem, natam tamen audire rationem, & dicitur virtus moralis, vt patet ex calce primi, & ex prin-

cipio ſexti moralium Nicomachiorum: ſub hoc ſecũdo genere iuſtitiã Ariſtoteles collocauit: cum igitur moralis virtus pertineat ad appetitum ſenſuum, & iuſtitia ſit moralis virtus, neceſſario ea quoque pertinebit ad appetitum ſenſuum.

Solutio D. Thom.

At reſpondet D. Tho. in prima ſecundæ, q. 56. art. 6. inquiens: *Ariſtotelem virtutes morales appetitui tribuiſſe: nomine autem appetitus cum appetitum ſenſuum, ad quem pertinent reliquæ virtutes morales, tum volũtatem, ad quam pertinet iuſtitia, denotaſſe.*

Reiectio.

Hæc ſolutio vniuerſam ſententiam Ariſtotelis confundere & euertere videtur. Nam Ariſtoteles virtutes morales tribuit parti, quę ex ſe ratione caret, & ſolum eſt nata obtemperare rationi: at iam patefeci in præcedentibus per hanc partem non denotaſſe voluntatem, quæ vbique ab Ariſtotele dicitur pertinere ad partem ex ſe rationis compotem, ſed ſolam phantaſiam, & appetitum ſenſuũ. Quod etiam lucidiſſime affirmauit in ſeptimo de republ. cap. 14. inquiens: *diuiſæ ſunt duæ partes animæ, quarum altera rationem per ſe habet, altera non habet quidem per ſe, veruntamen rationi obtemperare poteſt, cuius diximus eſſe virtutes illas, per quas vir bonus dicitur, &c.* Cum autem per iuſtitiam homo abſolute denominetur vir probus, neceſſario ad eam facultatem pertinebit.

Ratio quinta.

Inſuper Ariſtoteles in 3. de anima, cont. 42. voluntatem parti rationali conuenire affirmat: inquit enim, *in parte rationis compote voluntas fit: in experte autem cupiditas, & appetitus iraſcendi,* & in context. 50. addit, *cum autem ſecundum rationem mouetur, & ſecundum voluntatem mouetur.* Ex his patet, quam aperte ea ſolutio aduerſetur Ariſtoteli. Inſuper confirmatur eadem principalis aſſertio ex modo, quo iuſtitia, & aliæ morales virtutes acquiruntur. Nam quæ more & aſſuetudine acquiruntur, ad appetitum ſenſuum pertinent, hic enim appetitus ille eſt, qui pueri more corrigitur, & aſſuetudine formatur: at nedum ceteræ virtutes morales, verum etiam iuſtitia more & aſſuetudine acquiritur, quod dicitur ab Ariſtotele in 2. moralium Nicom. cap. 1 aſſerente: *iuſti, temperantes, forteſque efficimur, cum ea facimus, quæ iuſta ſunt temperata & fortia.*

Ratio ſexta.

Demum id ipſum colligere valemus ex attinentibus ad iuſte agendum: nam qui recte iudicant iuſta, eaque volunt, præeligunt & agunt, ſi internam appetitionis ſenſuum pugnam ſeruant, illi profecto iuſti non ſunt, nec iuſte agunt, ſed iuſta tantum, non ob aliam rationem, niſi quia in appetitu ſenſuum non eſt contractus habitus: quare iuſtitia, non ſecus ac ceteræ morales virtutes, eſt habitus appetitus ſenſuum, & expoſcit, vt iuſte agens ſit animo certo quodam modo affectus, vt latiſſime explicatur 9. c. 5. lib moralium Nic. Hinc iuriſperiti, qui decorati ſunt habitu ciuilis ſcientiæ, quamuis iuſta iudicent, velint & præeligant: non propterea dici debent iuſti, niſi id agant ſine pugna appeti-

Digitized by Google

appetitionis ſenſuum, conſtanter, & cum habitu in eo appetitu confirmato. Demum hanc veritatem lucide protulit Ariſt in calce quinti moralium Nic. inquiẽs: *de iuſtitia igitur, aliiſque virtutibus moralibus ita à nobis determinatum ſit.* Aperte indicans iuſtitiam eſſe vnam ex moralibus virtutibus.

Diluuntur rationes aſſerentium iuſtitiam in voluntate eſſe poſitam. CAP. XIV.

RAtiones, quibus Diuus Thomas, Scotus, & alii viri docti nituntur oſtẽdere, *iuſtitiam in voluntate, non in appetitu ſenſuum eſſe poſitam*, ſatis facile diluuntur. Principale eorum fundamentum eſt, quia inquiunt voluntati debere habitum aliquem competere, vel quia abſolute eſt indifferens (vt ait Scotus) vel ſaltem quia non eſt determinata ad bonum diſtinctum a proprio, & ſupra propriũ collocatum: (vt inquit Diuus Thomas) at hoc nullius videtur eſſe momenti. Non id, quod dicitur à Scoto, quoniam appetitus cum facultate cognoſcente cõnectitur, vt per eum vitentur vel quærantur illa, quæ à facultate cognoſcente approbantur vel reprobantur: propterea, dum ratio recte ſe habet, & compoſitæ ſunt perturbationes, id vult voluntas, & perficit pelectio, quod recta ratio decernit; ex ſui enim natura appetitus omnis dicitur determinatus ad id obiectũ, quod tanquam bonum à facultate cognoſcente ſibi iuncta iudicatur: ita appetitus ſenſuum ſequitur iudicium phantaſiæ proxime ſibi iunctæ, appetitus mẽtis tendit ad bonum ratione approbatum, quod mox præeligitur, niſi aliqua perturbatione interturbetur. Hinc Ariſtoteles in ſeptimo moralium Nicom. c. 3. inquit: *cum opiniones alia ſint de rebus vniuerſis, alia de ſingularibus, quarum ſenſus arbiter & dominus eſt, neceſſe eſt, vbi ex duabus vna effecta ſit, in iis quidem quæ ſunt cognitionis, animum id quod concluſum eſt affirmare; in iis autem quæ ſub actionem veniunt, ſtatim agere, &c.* Sic itaque Ariſtoteles nullum in voluntate cenſuit reperiri habitum, ad actionem requiſitum: habitus enim ſolum requiritur ad cognitionem dirigentem ad agendum, & ad moderandas perturbationes: omnis appetitus, vt appetitus per naturam ad bonum dirigitur, iudicium boni non ad eum, ſed ad facultatem cognoſcentẽ ſibi iunctam pertinet. Similiter id quod dicitur à D. Tho. ſatisfacere nõ videtur: nam ſi volũtas ſequitur rationem & iudicium mẽtis, dum ratio præfert id quod melius ei eſſe videtur (ſiue ſit bonum propriũ ſiue alienum) ſemper voluntas id bonum ſiue proprium ſiue alienum proſequetur: voluntas enim rem abſolute vult, vt a ratione prælatam, & mente potiorem indicatam: non autem cum diſtinctione boni reſpicientis vel ſe, vel alios. Altera ratio ſumebatur ex definitio

Diluitur ratio prima aduerſis.

Solutio alterius rationis.

ne iuſtitiæ quæ dicitur conſtans & perpetua volũtas, ac inſuper habitus quo volumus, &c. Cui reſpõdẽs dico, ſimiles definitiones eſſe veras de ſingulis virtutib. moralibus. nam fortitudo eſt conſtans & perpetua voluntas agendi fortia, & ita de ceteris. Et ratio eſt: primo, quia ad omnes virtutes, earumque actiones cõſpirant iudicium mentis, recta ratio, voluntas optans finem, prælectio ordinatorum in finem, moderatio perturbationis, & demum libens obediẽtia appetitus ſenſuum: ſecundo, quia voluntatis nomen frequenter late uſurpatur pro omni appetitu hominis ſequente cogitationem, in qua ſignificatione eo eſt vſus Ariſtoteles in ſeptimo de repub. capit. 15. inquiens: *vt corpus prius gignitur quam anima, ita pars animæ rationis expers quam compos: argumento, quod ira & voluntas, itemque appetentia pueris etiam ſtatim genitis adſunt; ratiocinatio autem, & intelligentia ætate progredientibus naturaliter ingeneratur, &c.* Addo, quod potiſſimum id fieri poteſt, dum omnes appetitiones conſpirant: tunc enim denominatio ſumitur a præſtantiore, vt etiam Ariſtoteles in tertio de anima, contextu 56. phantaſiam ſequentem rationem, rationalem appellauit. Tertia ratio ſumebatur ex forma iuſtitiæ: quia non ita perturbationis eſt moderatio, & inter duo vitia mediat, vt reliquæ virtutes morales. Cui reſpondens dico, etiam iuſtitiam eſſe moderationem perturbationis, ac ita in medio eſſe collocatam, poſſumus enim ab ortu eſſe procliues ad inferendam iniuriam, ad ſurripienda aliena bona, ad tribuendum plus vni quam alteri, quæ propenſio & commotio corrigitur per habitum iuſtitiæ. Hinc Ariſtotel. in 6. moralium Nicom. cap. 13. dixit, quoſdam per naturam eſſe faciles ad iuſtitiam, & in 2. moral. Nic. c. 1. manifeſtauit iuſtitiam, non ſecus ac ceteras morales virtutes, more & aſſuetudine acquiri; more autem & aſſuetudine recte componuntur perturbationes animi. Hanc veritatẽ lucidiſſime patefecit Ariſt. in 5. moral Nic. c. 2. inquiens: *ſed hæc quidem* (nempe iuſtitia) *in honore verſatur, aut pecunia, aut ſalute, aut ſi quo vno nomine hæc omnia complecti poſſimus: & propter voluptatem eam, quæ è lucro proficiſcitur, &c.* Aperte indicat iuſtitiam reſpondere alicui perturbationi, & corrigere voluptatem, quæ ex lucro vel ſimilibus prodit. Differt tamen iuſtitia a ceteris virtutibus in more poſitis, non quidem ex parte materiei, hoc eſt, perturbationis alicuius corrigẽdę, ſed ex parte proprii modi, quo ſeruat medium: quãuis enim iuſtitia, vt eſt virtus in more poſita, ſit moderatio propriæ perturbationis: quia tamẽ refertur ad aliud, ſimilitudinemque rationum expoſcit, non valemus ſimilitudinem rationum deſtruere pro vna parte, quin deſtruamus pro altera, ſimul enim dũ plus æquo tribuimus vni, minus æquo relinquimus alteri, & ob id oppoſitum

Diluitur tertia ratio.

eius

eius vno iniuſtitiæ nomine denotamus. Quarta ratio ſumebatur ex præſtantia, & dignitate facultatis: dicebatur enim maiorem virtutem requiri pro mouente, quam pro moto. Reſpondeo, ſi ea ratio eſſet alicuius momenti, ex ea colligeretur morales virtutes non eſſe in appetitu ſenſuum, ſed in voluntate, quod tamen negat D. Thom. Inſuper facta comparatione inter voluntatem, & mentem ſiue rationem, colligeretur eas non in voluntate, ſed in ratione, & mente eſſe poſitas, quia iudicium & ratio excitant appetitum. Inſuper addo voluntatem non egere habitu, vt patefeci, & virtutes omnes eminentiori quodam modo eſſe in ratione, & mente, quam in appetitu ſenſuum; quoniam in eis inſunt, vt in auriga & duce. Auctoritati ſumtæ ex Ariſtotele, qui in ſecundo moralium Nicomachiorum, c. 7. dixit de rationalibus virtutibus, & de iuſtitia alium eſſe diſſerendi locum. Reſpondeo, philoſophum denotaſſe poſt explicationem cæterarum virtutum moralium explicandam eſſe iuſtitiam, non quia in alia animę facultate reperiatur, (ſolum enim in principio ſexti libri, dum incipit de virtutibus rationis verba facere, reperit diſtinctionem partium animæ, & de virtutibus alterius partis loquitur) ſed id facit: primo, quia iuſtitia vniuerſa eſt virtus vniuerſa, vniuerſum non eluceſcit niſi notis partibus: ſecundo, quia variatur relatio, primo enim origine debemus nos intrinſecus perficere, mox vero recte diſponi erga alios, quod fit per iuſtitiam. Tertio, quia reliquæ virtutes in ſeruando medio magis ſunt conſimiles, iuſtitia id facit vario modo, ideo ſeorſum fuit declaranda. Demum id facere debuit philoſophus, quia iuſtitiæ explicatio pluribus eget, latior eſt, nec ita paucis poterat abſolui, vt declaratio vel temperantiæ, vel alterius moralis virtutis. Colligamus itaque in eadem animi parte collocandam eſſe iuſtitiam, in qua cæteræ morales virtutes poſitæ ſunt.

Diluitur ratio quarta.

Cur iuſtitia vltimo loco declaretur.

In qua animæ parte poſita ſit iuſtitia ex ſententia Academicorum. CAP. XV.

PAtefeci ex ſententia Ariſtotelis, *iuſtitiam in appetitu ſenſuum eſſe collocatam*, ſupereſt modo vt perpendamus, quid hac de re ſenſerint Pythagorei, & cum eis Academici. Exiſtimarunt viri hi ſapientia & auctoritate illuſtres, ſingulas virtutes in propriis, ac ſibi deſtinatis animæ partibus reperiri, temperantiam in appetitu concupiſcendi, fortitudinem in appetitu iraſcendi, iuſtitiam autem vniuerſam in amicitia & conſenſione omnium partium, rationis nempe & appetitionis ſenſuum: & iure profecto. Vt enim pars ad partem, ita totum ſe habet ad totum: cum igitur virtutes in parte ſumtæ ſint moderationes partium, iuſtitia, quæ eſt virtus vniuerſa, erit perfectio totius. Ideo Plato *Plato.*

in quarto de republ. inquit: *meminiſſe oportet, quod quiſque noſtrum; cuius ſingula animæ partes ſuum munus explent, iuſtus erit, ſuaq; peraget: nec obliti ſumus, quod ciuitas ex eo iuſta viſa eſt, quia, cum tria in ea ſint hominum genera, ſuo quiſq; munere fungitur.* Alcinous in lib. de doctrina Platon. cap. 31. inquit: *iuſtitia eſt conſenſio quadam omnium animæ partium: quippe vis quadam, qua tres animæ vires ſibi mutuo conſonant, & vnaqueq; pro dignitate ſuum explet officium.* Propterea neſcio qua ductus ratione Marſilius Ficinus in Platone accurate verſatus, in argumento in Menonem dixerit, *iuſtitiam & liberalitatem perficere voluntatem, fortitudinem appetitum iraſcendi, temperantiam & continentiam appetitum concupiſcendi:* nam ea ſententia, vt ad liberalitatem & iuſtitiam pertinet, nulla nititur Platonis auctoritate, vel recta ratione. Ideo Theages Pythagoreus, ex relatione Stobæi ſermone primo, dixit, *fortitudinem eſſe habitum partis iraſcendi, temperantiam concupiſcendi, iuſtitiam vero totius animæ.* Ex his conſtat, Pythagoreos, quos ſequutus eſt Plato, iuſtitiam non in ſolo appetitu ſenſuum (vt fecit Ariſtoteles) ſed in coniuncto ex appetitionibus ſenſuum & ratione collocaſſe: lis tamen in ſolis verbis eſt poſita. Quod vt pateat, conſiderandum primo eſt, iuſtitiam tripliciter vſurpari: primo pro origine, hoc eſt, pro principiis virtutum congruenter & iuſte diſpoſitis: ſecundo pro iuſtitia vniuerſe ſumta: tertio pro iuſtitia, quæ eſt pars virtutum. Dum vſurpatur in prima ſignificatione, recte dicimus, nedum cum Platone & Pythagora, verum etiam cum Ariſtotele, iuſtitiam eſſe conſenſionem congruentemque rationem partium animæ inter ſe: dum vſurpatur in ſecunda ſignificatione (pro iuſtitia nempe, quæ eſt virtus vniuerſa, & habitus more comparatus) tunc eſt moderatio perturbationum vtriuſque appetitus: at ſi tertio vſurpetur pro parte virtutis, ſic vni ſoli facultati tribui debet, appetitui nempe iraſcendi, vt ſuo loco patebit. Re vera igitur Plato & Ariſtoteles hac de re non diſſentiunt. Et accurate conſiderandum eſt, quod quamuis congruens ratio, & conſenſio partium animæ pro omni virtute requiratur, quæ in more ſit poſita, præcipue tamen & magis proprie tribuitur iuſtitiæ: idque ex tribus cauſſis prodire cenſeo. Prima eſt, quia fungi ſuo munere, & ſeruari ab vnoquoque quod ſuum eſt, iuſtitiæ eſt officium. Secunda, quia iuſtitia eſt virtus maxime omnium expoſcens moderationem ſingularum animi perturbationum, quæ congruens moderatio, & conſenſio iuſtitia eſt. Tertia, quia, cum ſit vniuerſa virtus, & totius obtineat rationem, maxime etiam præ ſe fert connexionem cum duce ratione, cæterarumque animi partium conſenſionem.

Alcinous. *Capitur Marſilius.* *Theages.* *Ariſt. cum Platone & Pythagora conciliatur.* *Iuſtitia tripliciter accipitur.* *Cur congruens ratio partium animæ præſertim tribuatur iuſtitiæ.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.*

De modo, quo acquiruntur Virtutes morales.

Cap. XVI.

IN definitione virtutis dictum fuit, quod more, & aſſuetudine acquireretur, quæ res dubitatione non caret: propterea, cæteris explicatis, ſupereſt vt de hoc quoque verba faciamus. Vt autem clarius pateat, in quo ſit poſita dubitatio, conſiderandum eſt in attinentibus ad virtutem tria conſiderari, primo facultatem, ſecundo virtutis habitum, tertio muneris functionem, hoc eſt, poteſtatem, actum primum, & ſecundum. Non eſt dubitatio de facultate, omnes conſentiunt facultates, ac propenſiones ad vnum potius, quam ad aliud nobis per naturam competere. Neque etiam eſt dubitatio de functione muneris, ea enim eſt actio noſtra ex prælectione habituque virtutis prodiens, quæ muneris functio iam genitum habitum ſequitur. Ideo de modo tantum eſt dubitatio, quo in nobis virtutis habitus gignitur, qua de re frequenter Socrates apud Platonem acriter diſſeruit, & ſe dubium oſtendit; & præſertim eſt dubitatio, an doctrina, & diſciplina, an munere naturæ & Dei, vel potius more & aſſuetudine acquiratur.

An virtus doctrina, vel natura, vel aſſuetudine acquiratur.

Inquit Plato in Menone in perſona Socratis, *Theognidem Poetam nonnunquam dixiſſe, virtutem doceri poſſe, nonnunquam id negaſſe:* affirmaſſe quidem his carminibus. *Hos prope bibe & comede, cum iis vna ſedeto, iis obſequere, quorum magna poteſtas: à bonis enim bona perdiſces, quod ſi malis adhæſeris, quam habes mentem, proculdubio perdes.* Negaſſe vero his verbis: *ſi ſana mens homini tradi poſſet, multam ſane magnamq; mercedem, qui id efficerent, reportarent, neq; bono ex patre filius malus eſſet, prudentibus monitis imbutus, verum docendo nunquam ex malo bonum hominem facies.* Sic dubius & ſibi non conſtans viſus eſt Theognides.

Theognides.

Galenus in eo libro, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, affirmat virtutes nobis per naturam, & temperamenta competere, hinc medicos eſſe affirmat optimos, & principales morum moderatores: de qua ſententia cumulate diſſerui, dum de animi perturbationibus verba feci.

Galenus.

Plato ſuo more diſputans, nil certe dicere videtur: nam in Menone primo oſtendit, virtutem eſſe prudentiam quandam; ex quo infert virtutem non à natura nobis competere, non enim prudentes ſumus natura: confirmat, quia eorum, quæ nobis natura competunt, ſigna quædam nobis inſunt, per quæ dignoſcuntur, at in homine non inſunt ſigna, quibus probi ab improbis diſtinguantur. Mox oſtendit virtutem doceri non poſſe, quia non inueniuntur præceptores, qui eam doceant: ideo colligit neque doctrina, neque natura nobis competere, ſed diuina ſorte. Mox in Protagora, in perſona Socratis iterum oſtendit eam doceri non poſſe, quia de attinentibus ad ciuilem adminiſtrationem non illi ſoli, qui

Plato.

ciuilem virtutem didicerunt, ſed omnes deliberant atque conſultant. Similiter apparet viros ciuili virtute illuſtres non alios erudire, nec probos parentes filios ſuos doctrina reddere meliores. Ex aduerſo in perſona Protagoræ late oſtendit doceri poſſe, & noſtra cura, ac diſciplina acquiri, non natura nobis competere, alioquin non commendatione, vel vituperio ob virtutes, & vitia digni eſſemus, non pœnis & præmiis, non reprehenſione & ſimilibus. Inſuper idipſum confirmat, quia multi apparent virtutum præceptores, vt nutrix, mater, pædagogus, pater, poetarum carmina, conditores legum, & ſimiles. Et demum Socrates, cum primo negaſſet virtutem doceri poſſe, ſatis firma ratione patefacit eam ex doctrina, & diſciplina ortum ducere: quatenus omnis virtus eſt quædam prudentia, omnis prudentia pendet à ſcientia, omnis ſcientia eſt nata acquiri doctrina, & diſciplina, omnis itaque virtus, doctrina, & diſciplina acquiritur. Hinc *à ſapientia, & ſcientia ad prudentiam* ait *dari progreſſum, & ob id ſcientia in homine dicitur dux vitæ, & regula bonorum, & malorum.* Et demum in Euthydemo ſiue litigioſo in perſona Socratis eam ſententiam commendat, quod virtus doceri poſſit. Quare

Ariſtoteles.

Plato modo affirmat, modo negat eam poſſe doceri. Ariſtoteles ſub initio ſecundi moralium Nic. duo ponit virtutum genera, vnum ad cogitationem ſiue rationem attinens, alterum ad mores: primum genus ait magna ex parte à doctrina ortum, & incrementum ſuſcipere, ideo cum experientiam, tum tempus expoſcere: alterum autem ait non natura nobis competere, quod quatuor oſtendit rationibus: ſed more acquiri, à quo nomen ſumſit, ideo mox, quo pacto, more & aſſuetudine acquiratur, latiſſime patefacit. Altera ex parte videtur Ariſtoteles concedere

Videtur Ariſt. ſibi non conſtare.

virtutes nobis competere natura, quia nobilitatem aſſerit virtutem generis, nobiles autem ſtatuit eos, qui nati ſint procreare filios probos. Quod confirmatur, quia, niſi nobis per naturam conuenirent, periret phyſiognomia, per quam Ariſtoteles docet ſignis corporum cognoſci mores animorum. Demum videtur Ariſtoteles aſſerere acquiri doctrina, & diſciplina, quia conſtruxit philoſophiam ciuilem, quæ eſt methodus aſſequendi virtutes & ſummum bonum, & manifeſtauit in procemio moralium Nicom. quinam ſint idonei auditores ciuilis ſcientiæ, & qui non. Patet itaque rem eſſe dubiam, & cum Platonem, tum Ariſtotelem non videri ſibi conſtare.

Reſolutio difficultatis ex ſententia Ariſtotelis.

CAP. XVII.

Dubitatio eſt de efficiente.

PRo conſpicua reſolutione difficultatis duo præaccipienda ſunt. Primum eſt, quod, cum ad rei conſtitutionem variæ debeant

beant (diſtincto genere) conſpirare cauſſæ, & materies, & forma, & finis, & efficiens, modo dubitatio eſt de efficiente: quod efficiens etiam poteſt eſſe multiplex, cum proprium, tum commune cum proximum, tum remotum, dubitatio eſt de efficiente proprio, & proximo. Inſuper pro acquirenda, & formanda virtute tria præſertim conſiderantur: primo facilitas ad eam recipiendam: ſecundo directio in eis, quæ virtutem pariũt: demum cauſſa propria, & proxima; qua virtutis habitus formatur & firmatur. His præaſſumtis, ſi loquimur de facilitate, & propenſione ad virtutes & vitia, eam habemus á natura: & quia eam magna ex parte ſequuntur habitus conſimiles, ideo nobilitas, phyſiognomia, & cura congruentis coniunctionis maris & fœminæ res inanes non ſunt. Si loquimur de directione in his, quæ virtutem pariunt, dico eam vt a diſtãte principio duci ab inſpectrice philoſophia: cognitio enim veri eſt dux prudentiæ & humanarum actionum, proxime vero pendere à ciuili ſcientia. Hac itaque ratione virtutes in more poſitæ à doctrina & diſciplina ortum ducunt, & ob earum adeptionem parata eſt diſciplina ciuilis: eandem vtilitatem præbent admonitiones, adhortationes, emendationes, cum parentum, tum amicorum. At demum, ſi de proprio, & proximo principio loquimur formante, & producente habitum, tale principium eſt mos, & aſſuetudo, de quo loquitur Ariſtoteles in ſecundo moralium Nicomachiorum. Pro dictorum tamen exactiore notitia conſiderandum eſt, tribus modis virtutes in more poſitas poſſe in nobis gigni: primo proprie, & proxime, & id fit more & aſſuetudine: ſecundo per connexionem, & conſecutionem ex actione propria alterius virtutis ei iunctæ, cum enim morales virtutes ſint complicatæ, nec vna conſiſtere valeat ſine reliquis, ob eam connexionem per actiones proprias vnius altera producitur: tertio produci poſſunt modo eminẽti, per principia priora, per inſpectricem nempe philoſophiam, per quã cum mens verum intueatur, valet nos dirigere in attinentibus ad bonum: nam rectam mentis conſtitutionem in homine per naturam recte affecto, ſequitur congruens diſpoſitio appetitionum ſenſus. Propterea recte Plato in ſexto de repub. & poſt Platonem Alexander, Simplicius & Auer. in prooemio phyſicorum, aſſeruerunt, *inſpectricem philoſophiam parere probos mores, & iure optimo profecto*: eius enim ſeptem poſſunt aſſignari conſpicuæ rationes. Prima eſt, quia ipſemet contemplationis actus animum à corpore reuocat, purioremque reddit. Altera, quia philoſophia ciuilis ab inſpectrice ſua principia recipit. Tertia, quia per inſpectricem philoſophiã intuemur leges prouidentiæ, fati, & naturę, quibus qui obtemperant, probi redduntur. Quarta, quia in Dei & naturæ operibus impreſſa

Efficiens multiplex.

Tria pro formanda virtute.

Propenſio à natura.

Directio à doctrina.

Habitus more firmatur.

Modi tres quibus in nobis gignũtur virtutes.

Philoſophia inſpectrix parit probos mores.

Septem huius rei traduntur cauſſæ.

inſpicimus conſpicua virtutum exempla, ad quorum imitationem dum noſmetipſos conformamus, probitate decoramur. Quinta, quia cognoſcentes naturam & conditiones rerum, percipimus quanti vnumquodque facere teneamur: qui autem vnumquodque tanti facit, quanti fieri debet, congruenter eſt affectus. Sexto, quia nos ipſos, hoc eſt, mentem, noſcimus: cuius præſtantiam intuentes, eam actionibus noſtris ducem præficimus, ſenſuumque appetitiones ei ſubiicimus. Septimo, quia noſcimus cuncta manare à Deo, cunctaque eſſe Dei, & propterea teneri nos ipſos, cunctaque noſtra retribuere Deo. Ab his modo quodam regio, & eminente in nobis inſignes virtutes producuntur. Ex his conſtat virtutes in more poſitas & per naturam, & per doctrinam, & per aſſuetudinem in nobis gigni.

Sententia Platonis de modo, quo in nobis gignuntur virtutes morales. Cap. XVIII.

QVomodo ex ſententia Ariſtotelis virtutes in more poſitæ in hominum animis producantur, ſatis eſt conſpicuum. Opinio Platonis eſt obſcurior, ipſe enim diſputans pro omni parte, varia protulit inter ſe ſatis pugnantia: at ſi veſtigia diſputationum eius accurate ſeruamus, principiaque perpendimus, quib. vtitur, nec non eorum ſeriem, non erit difficile veritatem inſpicere, propriamque Platonis ſententiam è tenebris eruere. Ea, quæ in Platone præſertim difficultatem pariunt, hæc ſunt: nam modo virtutes omnes aſſerit eſſe prudentiam, vt in Menone, modo id negat, vt in calce eius dialogi: pariter nonnunquam affirmat, nonnunquam negat, eas eſſe ſcientiam, vt in Protagora: inſuper modo negat, modo affirmat virtutem doceri poſſe, vt patuit. Demum nõnunquam aſſerit viros probos, & ciuiles non intelligere, nec mente vti, ſed diuina quadam ſorte, & recta opinione duci, vt in calce Menonis: nonnunquam ait ſolos philoſophos recte adminiſtrare rempub. ac eam poſſe felicem reddere. Per quas apparentes controuerſias, latenter varia, ſcitu digna indagantibuſq; veritatem vtilia indicare voluit. Nam in virtute (vt ad rem noſtram pertinet) duo conſiderantur: vnum eſt connexio earum cum prudentia, & prudentię cum ſcientia: alterum eſt habitus proprius, quo perturbatio corrigitur. Inſuper conſiderauit Plato virtutem poſſe competere hominib. duplici modo: nonnunquam cum connexione conſtanti & firma cum ſuperioribus principiis ſuis, nempe cum prudentia & ſcientia, vt in philoſopho & viro ſapiente; & hanc appellauit in Menone virtutem conſtantem, ſimilem ſtatuis Dædali ligatis: eandem connexionem in viro ſapiente reperiri, in Epinomide latiſſime patefecit: nonnunquam vero ſine ea connexione, ſed ſolum cum qua-

Opinio Platonis explicatur.

Statua Dædali legata & volantes.

quadam recta opinione, vt in Themiſtocle & conſimilibus, qui in adminiſtranda repub. valuiſſe viſi ſunt, cum tamen contemplationi nullam nauauerint operam, horum virtutes ait eſſe ſimiles ſtatuis Dædali ſolutis, quæ fugiebant, & inconſtantes erant. His præaſſumtis dico ex ſententia Platonis: Virtus eſt prudentia, dum conſideratur pro duce & communi forma virtutum, non eſt prudentia, dum vſurpatur pro habitu proprio moderante perturbationem. Secundo, virtus eſt ſcientia ratione principii, á quo pendet & dirigitur, pro habitu vero in appetitu formato non eſt ſcientia: inſuper virtus modo nuper relato eſt ſcientia in philoſopho, & viro ſapiente, in aliis eſt opinio quædam recta. Tertio virtus, vt connexa cum prudentia & ſcientia, poteſt doceri; pro habitu vero more confirmato non dicitur doceri, ſed aſſuetudine acquiri, ita etiam vt coniuncta cum recta opinione, dicitur diuina quadam ſorte nobis competere. Demum nonnunquam aſſerit Plato, ciues & viros probos non intelligere, nec mente vti: id debet intelligi de illis, qui ſine connexione cum primis principiis virtutem habent, & reſp. gubernant, de quibus loquitur in calce Menonis, ideo inquit in appendice legum. Quicunque non á ſapientiæ principiis omnia deducunt, Deum inuocent, & fortunam, quaſi dicat hos bona quadam ſorte, non per conſtantia principia recte agere: hi namque recta ducuntur opinione, quæ inductione, exemplis, auctoritate, & ſorte nobis conuenit, ſorte inquam, diuina, quatenus inquit Plato in legibus, *non poſſe feliciter homines multos ab vno principe regi, niſi & ille vnus regatur à Deo.* Nonnunquam aſſerit, *philoſophos & ſapientes feliciſſime gubernare reſpub.* quod veriſſimum eſt conſiderando virtutes cum ſuis primis principiis firmiter colligatas, de quibus inquit in calce Menonis: *ſi ex viris ciuilibus talis quiſpiam exiſteret, qui alium quoque ciuilem efficere poſſet, hic talis erit inter viuentes, qualem Homerus ait Tyreſiam inter mortuos eſſe, ita dicens: inter eos, qui apud inferos ſunt, ſolus ſapit, cæteri vero vmbræ volitant, ſimiliter ciuis hic ad alios tanquam ad vmbras ſe haberet, &c.* Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, quatuor colligere valemus. Primum eſt, quod Plato ſibi optime conſtat, & varietate ſuarum enuntiationum variam virtutis conditionem patefecit. Secundo colligimus, virtutem & doctrina, & more, & diuina ſorte nobis competere: & dum dico (diuina ſorte) id poteſt ad varia referri, & ad opinionem rectam, & ad varietatem temperamenti, & ad alia ſimilia. Colligimus tertio, Platonem & Ariſtotelem ſolis verbis, non autem ſententia diſſentire: nil dictum eſt ex ſententia Ariſtotelis, quod pugnet cum opinione Platonis, & vice verſa: lis ſolum inter eos eſt de modo connexionis, quatenus Plato

Virtus moralis eſt, & non eſt prudentia: pariter ſcientia.

Poteſt & non poteſt doceri.

Quatuor ex ſententia Platonis colliguntur.

id fieri cenſet per ordinem idearum mentis, & rationum animæ, cum quadam reminiſcentia, quod non cenſet Ariſtoteles. At de hoc alius occurret diſſerendi locus: demum colligimus Theognidem Poetam, quem vt ſibi contradicentem induxit Socrates, minime ſecum pugnare. Dum enim dixit, *poſſe virtutem addiſci, & bona aſſuetudine acquiri*, manifeſtauit vim aſſuetudinis, ac inſuper vtilitatem diſciplinæ, pro recte inſtituenda noſtra vita. Dum vero aſſeruit (*Si ſana mens homini tradi poſſet, multam ſane magnamq́, mercedem, qui id facerent, reportarent*) indicauit diſciplinam, & aſſuetudinem non eſſe ſatis, ſed alia quoque requiri ad temperamentum & naturam pertinentia. Imo etiam fortuna non leue valet afferre momentum, per occaſiones varias, quas nobis offert, per copiam diuitiarum, & inopiam, per ſocios varios, per id, quod nos ciues facit vel recte formatæ, vel deprauatæ reipub. per id, quod nobis vel probos vel improbos offert præceptores, perque alia huius generis. Ideo inter partes bonæ fortunæ Alexandri hæc quoque refertur, quod Ariſtotelem ſortitus eſt præceptorem.

Theognides ſibi conciliatur.

Diuiſio virtutum moralium ex ſententia Academicorum.

Cap. XIX.

APparuere hactenus pertinentia ad definitionem virtutis, necnon ad explicationem partium eius; nunc ordini conſentaneum eſt, vt ad eius diſtinctionem deſcendamus, ac mox de numero moralium virtutum verba faciamus. Virtus, quæ in recta morum compoſitione poſita eſt, ab Academicis in varios gradus diſtribuitur. Plotinus in libro de virtutibus, capite tertio, Deum ſtatuit ſupra virtutem, menti tribuit non virtutem, ſed virtutis exemplar, animæ demum rationali virtutem conuenire affirmat. Quam virtutem rationalis animæ duplicem eſſe dicit, ciuilem vnam, alteram purgatricem. Prima non abſolute virtus dicitur, ſed cum additione ciuilis. Altera abſolute virtus eſt, per quam reddimur Deo ſimiles, omnis enim virtus purgatio eſt. Hæc inſuper, quæ abſolute dicitur virtus, diuiditur in virtutem purgatricem, & virtutem animi purgati: virtus igitur triplex eſt, ciuilis purgatrix, & animi purgati. Virtus ex Plotini ſententia non eſt bona, ſed conferens, vt purgatio corporis dicitur vtilis, non autem abſolute bona. Bonum autem animæ eſt, cum purgata per virtutem fuerit, hærere menti, & Deo. Porphyrius in libro de occaſionibus ad intelligibilia quatuor ſtatuit virtutũ gradus: primum aſſerit eſſe virtutum ciuilium, quæ ſunt moderationes perturbationum, nos recte diſponentes in attinentibus ad cœtus & conuentus hominum. Secundum gradum aſſerit eſſe purgationum, quas cenſet fieri per ſciẽtias inſpectrices,

Diuiſio virtutis moralis ex ſententia Plotini.

Porphyrius.

cet, quibus anima á corpore & nube perturbationum liberatur,
& mente perficitur. Tertium gradum tribuit virtutibus animi
purgati, dum anima expurgata op-ratur per abiunctam & libe-
ram mentem: in quarto poſitas affirmat virtutes exemplares ad
mentem pertinentes, ad quem gradum quartum qui ſe extule-
rit, virtutes omnes abſolute poſſidet. Primus gradus ad ani- *Quatuor*
mam pertinet, per quem homo rectè diſponitur & inſtituitur, *gradus vir-*
ſecundus ad animam hominis ſe purgantis, tertius ad animam *tutum.*
mente plenam, quartus ad eſſentiam mentis, quicunque agit
per virtutes ciuiles, dicitur homo virtutis ſtudioſus, qui per pur-
gatrices, homo Dæmonicus, vel bonus Dæmon, qui per virtu- *Al. Dæmo-*
tes animi purgati, Deus, per exemplares demum, dicitur pater *nius.*
Deorum. Virtus ciuilis ſecundos amputat animi motus, ad ſen-
ſilia vergentes, purgatrix eos nedum amputat, verum etiam e-
uellit: virtus vero animi purgati iam ſecundos animi motus do-
muit, ac eadem primos motus vel euellit ab homine, ſi id fieri
poteſt, vel ſaltem eos ratione aliqua, & aſſuetudine moderatur.
De his quatuor virtutum gradibus Macrobius in primo de ſo- *Macrobius.*
mnio Scip. cap. 10. inquit: *politica ſiue ciuiles virtutes paſſiones mol-*
liunt, ſecunda auferunt, tertia obliuiſcuntur, in quarta nefas eſt no-
minari: & hoc dicit, quia exemplares Deo tribuit. Nonnulli ta-
men Platonicorum cenſent eas nobis quoque competere poſ-
ſe, in participatione mentis, & eleuatione ad non participa-
tam mentem. Ammonius in explicanda prima qualitatis ſpe- *Ammonius.*
cie, his in parte aſſentitur: eo enim loci enumerat quinque vir- *Ammonii*
tutis gradus, naturalem, moralem, ciuilem, purgatricem, & in- *ſententia.*
ſpectricem. Naturalem vult eſſe primam illam ad virtutes faci-
litatem, de qua Ariſtot. in ſexto moralium, capit 13. moralem
vult eſſe congruentem morum conformationem more & aſſue-
tudine partam, ſine notitia cauſſæ virtutum: ciuilem aſſerit eſſe
habitum, per quem honeſtiores mortalium voluptates, vt de-
cet, conſectamur: purgatricem, per quam voluptates omnino
contemnimus, ad infera non conuertimur, & ſolum pure agi-
mus, ſupra quam ſtatuit virtutem inſpectricem, quæ non eſt
præſentis conſiderationis. Euſtratius quoque non longe ab his *Euſtratius.*
recedit, cum affirmet in viro contemplationi addicto, & iam
purgato, perturbationes penitus eſſe euulſas. D. Thom. in prima *D. Thom.*
ſecundæ, quæſtio. 61. artic. 5 vna cum Macrobio commendat
diuiſionem quadrimembrem virtutum, in politicas, purgatri-
ces, animi purgati, & exemplares: quas virtutes exemplares in
Deo conſiderauit: inquit enim, *quod mens Dei, in* DEO *dicitur*
prudentia, conuerſio diuini instituti in ſeipſum, dicitur temperan-
tia, eius immutabilitas, fortitudo eſt, iuſtitia demum eſt conſeruatio
æterna legis. Diuus etiam Aug. varios hos virtutis gradus nouit: *D. Auguſt.*

V

ideo in libro vnius ſupra viginti ſententiarum, ſententia 14. inquit: *purgatoria virtutes illa ſunt, quibus exſuitur anima à vitiis, exemplares, quæ iam contemplanti menti imprimuntur à Deo, vbi totum viuit, vbi totum ſemper viuit, vbi totum ſemper beate viuit, &c.* Opera virtutum animi purgati viri ſancti patefecerunt, dum humanis voluptatibus & doloribus omnino neglectis in Deum flagranti quadam pietate conuerſi, in martyrio exſultabant, humana omnia negligebant, & in ſola connexione cum Deo ſe viuere, & bene viuere aſſeuerabant.

Bembus de Stephano. Ibat ouans animis, & ſpe ſua damna leuabat.

Diſputatio aduerſus Academicos. CAP. XX.

THeologi ſuperno lumine illuſtrati, poſtremum hominis finem, ſummumque bonum eius exacte cognoſcentes, etiam pertinentia ad virtutes, vt vias ad illud, exacte cognoſcere valuerunt: nam, vt dixit D. Auguſt. 19. de ciuit. Dei. cap. 25. *Virtutes, niſi ad Deum referantur, nedum non ſunt virtutes, verum potius pernitioſa vitia.* Has itaque virtutes cum exacte nouerint Theologi, varios quoque earum gradus recte diſtinguere valuerunt: ita D. Auguſtinus virtutes exemplares in homine conſiderauit, quarum nomine nil aliud, niſi virtutes infuſas, denotauit. Similiter D. Thomas modo iam explicato exemplares virtutes in Deo eſſe patefecit, quorum decretis conſtanter adhærendum ac ſubſcribendum eſt. Academici eatenus recte ſenſerunt, quatenus cum noſtris theologis conuenerunt, nam Academici quoque futuram vitam, futuramque felicitatem aliqua in parte cognouerunt: in plurimis tamen eorum ſententia dubia eſt, & iure optimo à Peripatetico redarguuntur. Primo enim errant, quatenus mentem ab anima rationali in homine ſecernunt, & homini in eleuatione ad mentem virtutes ideales conuenire affirmant, quod nec theologi, nec Peripatetici approbant, in homine enim nil ſupra animam rationalem reperitur: propterea mens illa participata ab eis excogitata, commentum, & fictum aliquid cenſeri debet, & longe magis reiiciendum eſt id, quod addunt, dum inquiunt, in anima rationes, virtuteſque rationibus congruentes, in mente ideas, idealeſque virtutes reperiri. Nam mens hominis ſua natura nuda penitus eſt, & expers omnium formarum, vt cum theologis conſentiunt Peripatetici: propterea nec in anima rationali inſunt rationes, nec in participata mente ideæ. Præterea, ſi in humana mente eſſent ideæ, non propterea virtutes illæ eſſent ex numero moralium, de quibus modo eſt ſermo, virtutes enim morales in perturbationibus verſantur, & ad appetitum ſenſuum pertinent, non ad mentem. Præterea, cum ipſi tribuant virtutibus animi purgati euulſionem perturbationum, profecto id nobis tribuunt, quod cum

D. Auguſt.

Academici. Aduerſus Academicos. Primum quod obiicitur Academicis.

Alterum.

Tertium.

Quartum.

cum corpore & ſenſibus complicatis nunquam competit, eſt enim neceſſe, vt appetitu ſenſuum præditi aliquid expetamus, & modo aliquo commoueamur: imo ea affectionum euulſio homini potius vitio, quam virtuti danda eſt, nam peccat, qui, dum debet agere: in ſola contemplatione verſatur, & qui debet ſperare, timere, iraſci, miſereri, non commouetur vt debet. Ideo Diuus Auguſtinus 14. de ciuitate Dei, capite nono, aſſeruit: *apud nos autem iuxta ſcripturas ſacras, ſanamq́; doctrinam, ciues ſancta ciuitatis* D E I *in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viuentes, metuunt, cupiuntq́; dolent, gaudentque.* Præterea minus recte virtutem ciuilem á purgatrice, & ab ea quæ eſt animi iam purgati ſecernunt: nam virtus eſt optima animi conſtitutio, habitu firmata: ideo vel ſola poſtrema eſt virtus, vel aliæ non ſunt ab ea diſtinctæ, niſi vt viæ á ſuo termino, & imperfectum á perfecto, quæ diſtinctio non variat ſpeciem. Si autem ita ſe habent, idem iudicium debet fieri de via, & termino, quoniam aſſuetudo, & præcedens actio eſt principium ſequentis habitus, ideo talis eſſe debet actio præcedens, qualis futurus eſt habitus ſequens: cum itaque actiones antecedentes ſint cum moderatione perturbationum, non cum euulſione, etiam poſtremus habitus talis erit. Et hoc patet perpendendo virtutes heroicas, quæ ſunt eminentiæ virtutum moralium: hæ autem non omnino euellunt, ſed heroice perturbationes moderantur. Præterea minus recta videtur ſententia Plotini, quod virtus non bona, ſed conferens cenſeri debeat: virtus enim nedum purgatio eſt, verum etiam ſanitas, eſt enim forma & habitus perficiens id, cuius eſt virtus, & opus eius: ideo humanorum omnium optima eſt, adeoque cum mandatis Dei eſt coniuncta, vt non valeat homo eam amare & amplecti, niſi primo & maxime Deum amet, non ſunt profecto virtutes finis vltimus, ſunt tamen tales, vt ſua natura & conditione eminentem includant conditionem boni. Colligamus igitur, omnem humanam moralem virtutem eſſe ciuilem, quatenus omnis á prudentia formatur, & fundamentum eſt ciuilis vitæ, omnem eſſe purgatricem, & animi purgati, quatenus omnis hominem purgat a vitiis, & ab eo, quod nimium eſt vel parum, inſuper omnem eſſe moderatricem perturbationum, quia ea purgatio moderatio eſt. Aſſero tamen, quod (facta comparatione inter varias humanæ vitæ conditiones) varia quoque eſt perturbationum moderatio: adeo vt liceat non quidem abſolute, ſed cum comparatione virtutes quaſdam dicere moderationes, vt eas quæ ſunt viri ciuilis, alias euulſiones, vt viri contemplantis: cum tamen virtus omnis medium ſeruet nobis congruens, perturbationes corrigat, animum curet, à vitiis purget, cumque ſibi, & aliis reddat con-

D. Augu. *Quintum.* *Sextum.* *Epilogus dictorum.*

cordem: & propterea eſt ſalutaris harmonia, ſuauis tranquillitas, ingenua libertas, ſeruitus demum & imperium omnibus vtile.

An virtutes morales ſint diſtinctæ ſpecie, an potius omnes prudentia ſint, & ſola materie diſcernantur.

CAP. XXI.

APparuit, quid de moralium virtutum gradibus ſentiendum ſit, reliquum modo eſt, vt de earum numero, & ordine loquamur, & iure profecto: non enim leuis eſt dubitatio, an virtutes ſint forma, & ſpecie diſtinctæ, vel potius omnes vna

Menedemus. ſint, ſola materie ſecretæ. Menedemus Eretrienſis cenſuit *morales virtutes vnam eſſe, variis tamen nominibus deſignatam, adeo vt temperantia, fortitudo, & iuſtitia ſolo nomine, non eſſentia & natura*

Ariſto Chius. *inter ſe diſtinguerentur.* Ariſto etiam Chius eiuſdem fuit ſententiæ: ipſe enim prudentiam à moralibus virtutibus, eaſque inter ſe non ſeiunxit, ſolum aſſeruit variis deſignari nominibus, quatenus ad varia referuntur, adeo vt extrinſecus, non intrinſecus

Zeno Citieus. ſecernantur. Zeno Citieus Stoicorum princeps id ipſum affirmauit; omnem enim virtutem aſſeruit eſſe vnam, & eam prudentiam nuncupauit: adeo vt fortitudo ſit prudentia in rebus gerendis, iuſtitia ſit prudentia in rebus diſtribuendis, & ita de cæteris, vt refertur à Plutarcho in libro de morali virtute, nec non in eo, qui de Stoicorum repugnantiis inſcribitur. Quam

Plato. opinionem idem Plutarchus Platoni adſcripſit, veluti etiam Ariſtot. in ſexto moralium Nicomachiorum, capite vltimo inquiens: *Et Socrates quidem partim recte quærebat, partim errabat: nam quod virtutes omnes prudentias eſſe putauit, errauit, quod autem eas non ſine prudentia cenſuit, recte dixit, &c.* Hanc difficultatem mouit Plato in Protagora inquiens: *eſſe inquirendum, vtrum ſapientia, temperantia, fortitudo, iuſtitia, & ſanctitas, quinque nomina eiuſdem rei ſint, an vnicuique horum nominum propria quædam eſſentia reſpondeat, & res quædam vim propriam habens, adeo*

Protagoras. *vt non ſit alterum, quale eſt alterum.* Protagoras diſtinctionem virtutum tuebatur, & præcipue fortitudinis ab aliis, Socrates contra conſimilitudinem, & vnitionem, & quamuis diſputan-

Socrates. do progrediatur, tamen (vt colligitur ex rationibus Socratis in eo dialogo, necnon ex dictis in Menone, de Philoſophia, appendice legum, & Euthidemo ſiue litigioſo) Plato omnes virtutes in vnam redigi prudentiam exiſtimabat, quam cum ſcientia & ſapientia connectebat, adeo vt ſine ea eſſent tanquam ſtatuæ Dædali ſolutæ, fugaces, & inſtabiles. Hinc frequenter Plato ſapientiæ, ſcientiæ, prudentiæque nomina confundit, quamuis proprie ſumta diſtinguantur. Quod quinque illæ à

Plato-

Platone enumeratæ virtutes ſolo nomine & materie, circa quam verſantur, non natura & forma diſtinguantur, in Protagora ita oſtenditur. Id, cui vnum tantum eſt contrarium, vnum iudicari debet: at enumeratis omnibus vna inſania aduerſatur; quare non multæ, ſed vna ſunt virtus. *Ratio Platonis prima.* Confirmatur, quia ſi ſanctitas à iuſtitia differret, vt ſpecies vna ab altera, tunc vna de altera non diceretur, vt homo non dicitur eſſe leo: at de his non ita ſe habet, nam vna dicitur de altera; verum enim eſt dicere, ſanctitatem eſſe rem iuſtam, & iuſtitiam eſſe rem ſanctam, vt falſum eſt negare iuſtitiam rem ſanctam eſſe. *Ratio 2.* Confirmatur, quia ſpecies diſtinctæ ſub eodem genere poſitæ, non ita ſe habent, vt vna ſublata demantur aliæ, non enim contradiſtinctarum ſpecierum vna pendet ex altera: at moralium virtutum demta vna omnes euaneſcunt, vt infra patebit: non itaque ſunt contradiſtinctæ ſpecies. *Ratio 3.* Præterea, ſpecies eiuſdem generis per oppoſitas differentias conſtituuntur, quæ differentiarum oppoſitio ab Ariſtot. in 4. 7. & 10. metaphyſicæ ad oppoſitionem contrariam redigitur: quare ſi hæ virtutes diſtinguuntur ſpecie, etiam erunt inter ſe contrariæ, nec poterunt ſimul in eodem ſeruari, quod eſt abſurdum. *Ratio 4.* Demum eadem ſententia confirmatur, quoniam vnumquodque per id conſtituitur, quod eſt eius forma: at prudentia, quæ eſt recta ratio agendi, eſt communis forma omnium moralium virtutum; omnes enim ſunt recta ratio agendi, omnes in medio ſunt poſitæ à prudentia circumſcripto: omnes igitur vna erunt virtus, non autem plures forma diſtinctæ. *Ratio 5.* Hinc omnes nomine iuſtitiæ, nomine perfectæ virtutis, nomine communis temperantiæ, communis fortitudinis, communiſque prudentiæ, & ſcientiæ denotantur: & ideo putandum eſt Platonem virtutibus omnibus vnam præpoſuiſſe ideam, ſapientiam nempe, à qua fluerent ſcientia, prudentia, ſequenteſque morales virtutes ſola materie diſtinctæ.

Opinio Ariſtotelis de diſtinctione moralium virtutum.

CAP. XXII.

Pro virtutum diſtinctione à prudentia. QVod omnes morales virtutes iunctæ ſint, & modo aliquo ſint virtus vna, virtuſque perfecta, nemini dubium eſſe debet: at id, de quo eſt dubitatio, & de quo modo agitur, hoc eſt, an virtutes omnes morales ſint eiuſdem ſpeciei, cum inter ſe, tum vna cum prudentia, & ſolum per materiem, in qua verſantur, diſtinctæ ſint. Quod ego minime verum cenſeo: nam quod diſtinguantur à prudentia, oſtenditur primo, quia prudentia eſt habitus mentis, morales virtutes ſunt habitus appetitionis ſenſuum: *Ratio prima.* inſuper prudentia non eſt moderatio alicuius perturbationis, morales virtutes ſunt moderationes perturbationum: *Ratio ſecunda.*

prudentia verſatur proprie in ordinatis ad finem, virtus moralis nos recte diſponit erga finem, vt patet ex ſexto moralium Nicomach. Per prudentiam non denominamur boni vel mali, per morales virtutes & vitia, probi & improbi dicimur. Secernuntur itaque morales virtutes à prudentia. Nec cenſeri debet prudentia forma propria & proxima virtutum: propria enim virtutum forma eſt habitus more contractus, ſolum prudentia illi habitui medium præſcribit, mediaque proponit, adeo vt prudentiæ officium ſit dirigere, officium vero habitus virtutis ſit conſtanter exſequi. Ita quoque putandum non cenſeo morales virtutes non eſſe forma, & ſpecie inter ſe diſtinctas. Primo quia pertinent ad diſtinctos appetitus, nonnullæ enim pertinent ad appetitum iraſcendi, aliæ ad eum concupiſcendi. Inſuper ſunt moderationes & mediocritates diſtinctarum perturbationum: & quia materies, & forma ſunt ad aliquid, & diſtinctæ materieì diſtincta eſt forma, vt dicitur in ſecundo phyſic. 26. ideo neceſſe eſt eos virtutum habitus, quibus diſtinctæ perturbationes formantur, eſſe diſtinctos. Præterea actiones & obiecta, ſiue externa materies diſtinctarum virtutum ſunt ſpecie diſtincta, quare virtutes quoque cenſeri debent diſtinctæ ſpecie: diſtinctio enim actionum, nedum indicat diſtinctionem principiorum, verum inſuper tanquam fines ſunt cauſſæ diſtinctionis eorum, id enim, cuius eſt opus, eſt operis gratia, vt dicitur in ſecundo de cœlo, context. 17. ita quoque res terrificæ, honores, pecuniæ diſtributiones, & ſimilia, in quibus verſantur virtutes, patefaciunt earundem diſtinctionem. Præterea nonnulli magis ſunt apti ad vnam, quam ad aliam virtutem, magiſque in eis vna, quam altera virtus fulget, quare eſt neceſſe, vt ſint formæ diſtinctæ. Quod demum confirmatur: quia morales virtutes more acquiruntur, nam agentes iuſta euadimus iuſti, fortia fortes, temperata temperantes, non autem agentes fortia euadimus temperati, niſi ex euentu: cum itaque principia, quibus producuntur, ſint diſtincta, eſt neceſſe, vt etiam habitus & formæ diſtinctæ ſint. Ex his conſtat virtutes cum à prudentia, tum inter ſe, ſpecie eſſe diſtinctas. Conſtat inſuper male à Stoicis, & præſertim à Zenone fuiſſe definitas, qui in omnium definitione prudentiam tanquam genus & communem formam aſſumſerunt. Demum patet minus recte à Platone virtutes in Protagora in Menone, in Lachete, & alibi dici ſcientias, vt fortitudinem eſſe ſcientiam metuendorum & non metuendorum, ac ita de cæteris: non enim ſcientia eſt ſatis pro conſtituenda virtute. Poſſemus tamen Platonem à calumnia vendicare, & patefacere de verbis potius quã de ſententia eſſe litem. Nam quamuis prudentia non ſit genus virtutis, cum pertineat ad diſtinctam animæ partem, omnis tamen

Marginal notes: *Tertia.* — *Quarta.* — *Prudentia non eſt propria virtutum forma.* — *Virtutes inter ſe diſtingui.* — *Ratio prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — *Quinta.* — *Concluſio dictorum.* — *Defenditur Plato.*

virtus

Digitized by Google

virtus dicitur prudentia, quatenus eam ſupponit, ab ea dirigitur, & in ea quodam modo facultate continetur. Propterea Plato frequenter multas numerat virtutes, & in Menone primo affirmat, mox negat virtutem eſſe prudentiam, quia nouit partim eſſe, partim non eſſe: Stoici tamen minus prudentiam à virtute morali ſecreuerunt, nam putarunt ad eandem animi facultatem vtraſque pertinere. Simili ratione defenditur Plato, cum dicat virtutes eſſe ſcientias: dum enim id dixit, inſpexit principium primum, & conditionem principalem exactiſſimæ virtutis: de eius enim ratione eſt, vt vna cum altera inſolubili nodo ſit iuncta, & omnes ſimul iunctæ ſint cum prudentia, ſcientia, & ſapientia, tanquam cum principiis, ex quibus per naturam pendent, ſine quibus vltima perfectione præditæ eſſe non poſſunt. Solum igitur ratione primi principii virtutes vna ſunt: quo autem pacto rationes aduerſæ diluantur, infra patebit.

A quo ſumenda ſit diſtinctio virtutum moralium.
CAP. XXIII.

CVm apparuerit, virtutes morales non vnam, ſed plures eſſe, vnde petenda ſit earum inter ſe diſtinctio, conſiderandum occurrit. Plato inſpiciens ſcientiam & prudentiam, inficiatus eſt eſſe diſtinctas: non enim per ſcientiam vel prudentiam diſtingui poſſunt, cum ſint communia principia, diſtinctio autem à propriis petenda ſit. *Plato.* Ariſtoteles nonnunquam videtur diſtinctionem ſumere ex partibus animæ: inquit enim in calce primi moralium Nicomachiorum. *Ariſtoteles.* Atque ex hac animi diuiſione ac differentia virtutis quoque diſtinctio partitioque naſcitur; alias enim virtutes in cogitatione ac ratione poſitas eſſe dicimus, alias ad mores pertinere. Similiter in libro de virtute, referente Stobæo, diſtinctionem virtutum ex diſtinctione facultatum animæ depromſit. Ita Marſilius Ficinus in argu. in Menonem, *Ficinus.* Alcinous in libro de doctrina Platonis, capite 30. *Alcinous.* Theages Pythagoreus in libro de virtute, referente Stobæo, diſtinctionem *Theages.* ſumſerunt á partibus animæ virtute perficiendis. At hoc diſtinctionis principium non eſt ſatis, quoniam in eadem facultate variæ reperiuntur perturbationes, quibus vnicum virtutis medium non eſt ſatis: *Reiicitur horum opinio.* quod confirmatur exemplo virtutum, & habituum mentis: vni enim menti quinque tribuuntur diſtincti habitus, ſcientia, ſapientia, intelligentia, prudentia, & ars: ſolum verum eſt, quod communia genera virtutum diſtinguuntur differentia facultatum; at vltimæ ſpecies differentiis magis propriis ſecernuntur. Propterea Diuus Thom. in 1 ſecundæ q. 60. artic. 5. inquit, *D.Thom.* *virtutes, quæ in perpeſſionibus verſantur, diſtingui inter ſe ſpecie per obiecta conſiderata in ordine ad rationem,*

& hoc cenſet eſſe principale principium diſtinctionis habituum, vt affirmauit q.54. art.2. Addit tamen in eadem q 60. *virtutes inter ſe diſtingui vel per diſtinctas materias, vel per diſtinctas perpeſſiones, vel per diſtincta obiecta.* Hic igitur per obiecta varia, vario modo ſe habentia ad rationem, principaliter cenſet diſtingui virtutes, perfectio enim virtutis ex ratione pendet, quare etiam diſtinctio.

In dubium reuocatur ſententia D. Thom.

Hæc ſententia aliquid dubij includit, quoniam ratio non pertinet ad virtutem moralem, neque ad facultatem cuius eſt virtus, ſed ad mentem: propterea, dum referimus obiecta ad rationem, ea potius referimus ad mentem, & habitus mentis, quam ad aliam facultatem, ſiue habitum alterius facultatis. Non itaque obiecta, vt vario modo ſe habent ad rationem, ſunt principale principium diſtinctionis habituum ſolus. Confirmatur, quia ratio recta eſt aliquid commune cunctis virtutibus in more poſitis. Præterea, omne ordinatum in finem, primum diſtinctionis principium á fine recipit, virtus in finem eſt ordinata, ab eo itaque primo petenda eſt diſtinctio.

Alia opinio.

Alii dixere, virtutes diſtingui diſtinctione voluptatis, in qua verſantur: omnis enim virtus in recta conſtitutione erga voluptatem & dolorem poſita eſt, vt cum Platone in Protagora, & de legibus, affirmauit Ariſtoteles in 2. moralium Nicom.

Reiicitur.

Quæ opinio falſa eſt, quia diſtinctio voluptatum ſequitur diſtinctionem facultatum, actionum, & obiectorum, ideo voluptas non poteſt eſſe prima ratio diſtinctionis.

Opinio propria.

Primum quod accipitur.

Propterea dicamus res per ea diſtingui, per quæ etiam ſunt, ac etiam per ea eo ordine diſtingui, quo ab illis pendent: res habent eſſe á ſuis cauſſis, ideo per eas diſtinguũtur, & eo ordine, & gradu diſtinguuntur, quo pendent ex eis.

Alterum.

Inſuper addamus varia reperiri, quæ ad conſtitutionem virtutum conſpirant. Nam virtutes ſunt formæ, non ſui gratia paratæ, ſed ordinatæ ad aliud, nempe ad honeſtum, quod in ciuilibus actionibus reperitur: pro ſubiecto habent appetitum ſenſuum, pro materie corrigenda perturbationes: pro obiecto ſiue externa materie, circa quam verſantur, habent varia, veluti terribilia, honores, diſtributiones bonorum, commutationes, ac ſimilia: pro cauſſa efficiente, habent aſſuetudinem à ratione & prælectione directam.

Reſolutio.

His præaſſumptis dico, virtutes intrinſecus diſtingui ſeipſis, hoc eſt, ſuis formis receptis in diſtincto appetitu, vel in eodem per diſtinctas perturbationes: quarum formarum diſtinctio extrinſecus pẽdet à diſtincto fine proximo, nempe à diſtincta actione, ſiue diſtincto honeſto incluſo in diſtinctis actionibus, quæ verſantur in diſtincta externa materie, vel in eadem, modo tamẽ vario: quæ diſtincta forma in diſtincto ſubiecto ordinata in diſtinctum finem, ortum ducit à diſtincta aſſuetudine ratione directa. Ita diſtinctio pẽdet ex omni genere cauſſę, origo tamen

tamen prima diſtinctionis eſt proprius finis, adeo vt ob diſtinctum finem parata ſit diſtincta forma in diſtincta materie à diſtincto efficiente proprio & proximo. Ex his patet, vnde petenda ſit diſtinctio, & qui ſit ordo inter principia diſtinctionis eorum, quæ dirigũtur ad aliud. è quorũ numero eſt virtus: quæ eſt actionis probæ, ſiue honeſti, quod in ea actione includitur, gratia. Patet ſecundo, non eſſe dicendũ virtutes diſtingui per obiectum: nam id, quod dicũt obiectum eſt externa materies, in qua verſantur actiones virtutum, non autem eſt vere finis virtutis.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur virtutes morales non diſtingui ſpecie. CAP. XXIV.

CVm apparuerint principia, quibus virtutes morales inter ſe diſtinguuntur, non eſt difficile eas diluere rationes, quibus oppoſitum oſtendebatur. Nemo profecto inficiari debet, virtutes morales mira neceſſitudinis cõnexione eſſe iunctas, adeo vt ex eis, tanquam ex partibus, vnum totum abſolutiſſimum conſurgat: diſtinguuntur tamen (vt patuit) fine, forma, materie & efficiẽte proprio. Et ideo, dum dicebatur virtutibus vnicum opponi contrarium nempe inſaniam, itaque vnam eſſe earum formam: hæc ratio tribus de cauſis neceſſitate caret. Primo, quia virtutibus non proprie aduerſatur inſania, niſi virtutes dicantur ſcientia, ſapientia, & prudentia, vt eo in loco dicebãtur à Platone: at ſic inſania erit contrarium cõmuniſſimum, nõ proprium, ratione generis vel communis principii, at non ratione propriæ formæ. Secundo, quia inquit Ariſt. in 4. topic. loco 42. *plures eſſe ſpecies ægritudinis quam ſanitatis, ita plures poſſent eſſe ſpecies virtutis quam vitii.* Sed quia hoc dicitur à philoſopho in topicis probabiliter, ideo addo tertio virtuti vt generi vni, opponi vitiorum genus vnum, diſtinctis autem virtutum ſpeciebus opponi diſtinctas ſpecies vitiorum. Addebatur ſecundo, quia, *ſi virtutes eſſent forma diſtincta, iuſtitia non eſſet res ſancta, nec ſanctitas res iuſta:* quod eſt abſurdum. Reſpondeo, virtutes dupliciter conſiderari poſſe: vel penes communia quibus iunctæ ſunt, quæ communia ſingulis competunt, & de ſingulis dicuntur, ac ita omnis virtus eſt iuſtitia, & res quædam ſancta: vel conſiderantur penes propria, qua conſideratione vna non eſt altera; non enim fortitudo eſt temperantia, neque hæc liberalitas, & ſic de ceteris. Tertia ratio erat, quia dempta vna virtute omnes auferũtur. Reſpondeo, id indicare connexionem earum: nam ex vnius deſtructione perit alia, non quatenus diſtinguuntur, ſed quatenus cõmunibus ligamentis ligatæ ſunt ad earum vltimam perfectionem. Addebatur quarto, ſpecies eiuſdem generis contrariis differentiis inter ſe pugnare. Reſpondeo, eam differentiarum pu-

Diluitur prima ratio.

Diluitur ſecunda ratio.

Diluitur tertia.

Diluitur quarta.

Digitized by Google

gnam, non eſſe veram contrarietatem, ſed eſſe oppoſitionẽ, quę in diſtinctis virtutibus ſeruari poteſt, vt in carne, oſſe, & neruis ſeruatur, oppoſitio quædam propria, ita tamen, vt ex eis vnum aliquod confici poſſit. Sic igitur virtutum quædam ſunt in vno; aliæ in diſtincto appetitu, quædam ſunt ordinatæ ad honeſtum temperatæ actionis, aliæ ad honeſtum actionis liberalis vel fortis, quædam ſunt moderationes vnius, aliæ alterius perturbationis. His accedit, quod virtus non eſt proprie genus vnum, cui per oppoſitas differentias competant variæ proprie ſumtæ ſpecies, ſed potius eſt commune ab vno, ſub quo varia ſubordinata contineantur abſque vlla oppoſitione, vt in diuinis. Poſtrema ratio ſumebatur ex prudentia, quæ communis forma virtutum omnium in more poſitarum eſſe videtur. Cui respondens dico, prudentiam minime eſſe formam internam, proximam & propriam virtutum; pertinent enim ad diſtinctam animæ partem, variaque reſpiciunt, ſolum hoc habent, vt neceſſario connectãtur, mutuoque ſibi opem ferant: at forma propria temperantiæ eſt habitus, quo conſtanter honeſtum quærimus in attinentibus ad voluptates: & ſic de reliquis.

Diluitur quinta.

Prudentia non eſt forma Virtutum ordinis & ſpeciei ea earum differentia.

De numero virtutum moralium opinio aliorum.

CAP. XXV.

APparuit, virtutes morales non vnam, ſed plures eſſe ſpecie diſtinctas: verum, quot ſint, nõ facile eſt cognoſcere. Chryſippus, ex relatione Plutarchi in lib. de virtute morali, pene innumeras eſſe cẽſuit, vt etiam pene innumeræ ſunt perturbationes. Plato, quamuis vnam modo quodam ſtatuerit, tamẽ quinque dicebat eſſe eius partes principales; ſapientiam ſiue prudẽtiam, temperãtiam, fortitudinem, iuſtitiam & ſanctitatem. Philon Iudæus, qui ea ingenii felicitate, ſentẽtiarum copia, ſermoniſque fœcunditate refulſit, vt vel ipſum Platonizare, vel Platonem Philonizare dictum ſit: longe plures enumerat virtutes; earum tamen definitum numerum, numerique rationem nõ tradit. Leo Hebræus, vir ſimul doctus & elegans, in primo ſuo dialogo de amore ait: *Virtutes debere inter ſe diſtingui, & in capita redigi, inſpiciendo finem cuius gratia agimus, & mouemur.* Qui finis vel eſt vtile aliquod, vel delectabile, vel honeſtum. Si vtile, quales ſunt diuitiæ, valemus erga vtile duobus modis eſſe affecti, vel in eo appetendo, vel in eo diſtribuendo: in appetendo conſurgit prima virtus, quæ ab eo dicitur ſufficientia, per quam contenti reddimur eo, quod neceſſarium nobis eſt, cuius extrema ſunt cupiditas redundantis, & negligentia neceſſarii: in diſtribuẽdo autem vtili conſideratur ſecunda virtus, & eſt liberalitas, cuius extrema ſunt prodigalitas & auaritia. Erga finem delectabilem ſolum conſideratur appetitio, non diſtributio: ex qua conſurgit ter-

Chryſippus.

Plato.

Philon Iudæus.

Leo Hebræus.

Prima virtus.

Secunda virtus.

git tertia virtus, temperantia nempe cum ſuis extremis. Erga finem honeſtum pariter conſideratur ſolum appetitio, nõ diſtributio: & conſurgit quarta virtus poſita, non in medio, vt aliæ, ſed in vehementi deſiderio honeſti. Hæc diſtributio quod non ſit Peripatetica, nemini dubium eſt, vt ex dicendis patebit: quod non ſit conſentanea rationi, ita oſtenditur, & primo. Singularũ virtutum finis eſt id honeſtum, quod in actionibus ſingularum includitur; vniuſcuiuſque enim virtutis finis eſt honeſtum aliquid: & propterea quicunque præditus eſt appetitu congruenter compoſito erga honeſtum, decoratus eſt cunctis virtutibus, non enim recte hic appetitus componitur, niſi per virtutes omnes ſimul iunctas: quare non debet deſiderium honeſti pro vna virtute numerari diſtincta ab aliis. Et præſertim, quia vtile, & delectabile, nõ debent cẽſeri finis virtutum, ſed potius externa materies earum; finis autẽ eſt id bonum honeſtum, quod in eis reperitur, hinc in attinentibus ad virtutes vtile & delectabile ab honeſto non ſecernuntur. Præterea male ſecat pertinentia ad vtile in appetitionem & diſtributionem: nam eadem virtutẽ ambo recte formantur: quia enim moderate appetimus diuitias, moderate eas diſtribuimus, vt patefecit Ariſt. Pręterea, in eo virtutum ordine iuſtitia non inſpicitur, quæ tamen inter virtutes morales numerãda eſt. Demum honor eſt res honeſta, nec propterea debemus eum vehementer optare. Ariſtot. in 2 moralium Nicom. vndecim ſtatuit virtutes morales numerata iuſtitia. Ratio numeri ab eo non traditur, neque declaratur, quæ earum ad appetitum iraſcẽdi, quæ ad appetitũ cõcupiſcendi pertineat: ſed accuratis indagatoribus id inquirendum & explicandum dereliquit. Linconienſis hanc eius numeri rationem, virtutumque ordinem eſſe cenſuit: nam inquit, *Affectio ſiue animi perturbatio, vel abſolute reſpicit obiectum, vel ſolum id facit ſub ratione ardui: ſi abſolute, ad cupiditatem pertinet, ſi ſub ratione ardui, ad appetitum iraſcendi.* Si pertinet ad cupiditatem, vel reſpicit ſe, vel alium. Si ſe, in re delectabili eſt temperantia, in vtili liberalitas, in honeſta, moderata honoris appetitio: ſi reſpicit alium, in verbis & actionibus conſurgit veritas, in ſeria conuerſatione affabilitas ſiue facilitas, in locis comitas ſiue vrbanitas. Si perturbatio ad iraſcendi appetitum pertinet, vel in bono verſatur, vel in malo: ſi in bono, id vel eſt vtile, & conſurgit ex moderatione magnificẽtia, vel eſt honeſtum, & oritur magnanimitas: ſi in malo, vel eſt præſens, & oritur manſuetudo, vel futurum, & oritur fortitudo. Cum Linconienſe ſunt etiã Latini fere omnes, & D. Tho in prima ſecundæ, quæſt. 60. art. 5. eiuſdem eſt ſententiæ. Verum hæc opinio, vt eſt valde communis, ita apprime dubia, cum ratione pugnans, ſententiæque cum Platonis, tum Ariſtotelis minime

Tertia virtus.

Quarta virtus.

Reiicitur ſententia Leonis Hebrei.

Ariſtot.

Linconienſis.

Reiicitur ſententia Linconienſis.

Ratio prima. conſentanea mihi eſſe videtur. Primo enim inconſtanti nititur fundamento, quatenus auctores eius per arduũ & non arduum ſecernunt perturbationes duarum appetentiũ facultatum: nam arduum & non arduum non conſtituunt diſtinctum genus obiecti, vt in perturbationum gradu latiſſime patefeci. Præterea *Ratio ſecunda.* perperam liberalitatem & magnificentiam diſtincto appetitui tribuunt, liberalitatem cupiditati, magnificentiam appetitui iraſcendi, ſimiliter moderatam honoris appetitionem cupiditati, magnanimitatem appetitui iraſcendi. Hoc enim à ratione abhorret. Nam, vt nimium, parum & medium ad eundem appetitum pertinent: ita ad eundem pertinere putandum eſt, in eodem obiecto verſari liberaliter & magnifice, honoremque expetere vt decet, cum magnum, tum paruum: quod conſpicue declararunt Plato in 9. de rep. Galenus in lib. quod animi mores ſequãtur corporis temperaturam, c. 2. & Simplicius in 2 de anima, cont. 28. Hi enim abſolute appetitionẽ omnem honoris & *Ratio tertia.* gloriæ, appetitui iraſcendi tribuerunt. Præterea, cur fortitudinem ſolum referunt ad futura, cum frequenter etiam in malo præſente verſetur? dum accidit, quod animus viri fortis cõſtanter, ac vt decet præſentia mala ſuffert, ab eis non proſternitur, nec pluſquam deceat, turbatur. Ideo dixit Ariſt. *multos abſentia pericula non formidare, timere præſentia, & propterea non eſſe fortes.* *Quarta.* Miſſum facio, quod veracitas & affabilitas ad iraſcendi potius, *Quinta.* quã ad cupiendi appetitum pertinent, vt ſuo loco patebit. Præterea Latini ea diſtributione miſſam faciunt iuſtitiam, quaſi ad aliam animi facultatem pertinentem: quod eſſe falſum latiſſime in præcedentibus patefeci. Propterea nonnulli, vt etiam iu- *Quorundam opinio.* ſtitiam enumerent, inquiunt, *virtutum quaſdam in moderandis actionibus, alias in moderandis perturbationibus verſari: iuſtitiam in* *Euerſio.* *moderandis actionibus, reliquas in moderandis perturbationib.* Quod etiam minime verum cẽſeo: nam omnis virtus recte cõponit id, cuius eſt virtus, & actiones eius, vt conſtat ex communi virtutis definitione ab Ariſtotele tradita. Præterea conſpicuis verbis Ariſtotelis & ratione patefeci, dum oſtẽdi iuſtitiam ad appetitum ſenſuum pertinere, eam quoque definitæ cuidam perturbationi modum imponere, & quicunque iniuſte agunt, ob appetitionem & perturbationem deprauatam delinquunt.

De ratione numeri & ordinis virtutum, opiniones aliæ.
CAP. XXVI.

VIri nonnulli ingenio, moribus & ſapiẽtia fulgentes, vt numeri virtutum rationem afferant, inquiunt: *anima vis, quæ ex ſe caret ratione, & nata eſt ei obtemperare, vel refertur ad alios, vel ad habentem: ſi ad alios, eiſque cuncta tribuit pro iure & meritis,* *dicitur*

dicitur iuſtitia vniuerſalis, ſi autem id facit, non in omnibus, ſed in propria materie iuſtitiæ, dicitur iuſtitia particularis. At ſi altera ex parte refertur ad habentem, tunc ex obiecti varietate virtutes variæ oriuntur. Nam externa obiecta dupliciter conſiderantur, vel quatenus homo ad ea relatus agit, vel quatenus patitur: ſi vt agit, & ad præclaras actiones ab obiectis excitatur, ac deterretur, fortitudo oritur: ſi vt patitur, & per obiecta voluptate afficitur, vel ea voluptas pertinet ad corpus, vel ad animum: ſi ad corpus, moderatio eſt tẽperãtia: ſi ad animũ, delectatur animus variis obiectis externis, quæ in quarto moralium Nicomachiorum voluptates animatæ nuncupantur; præcipua tamen obiecta ſunt, diuitiæ, ac in paruis liberalitas, in magnis magnificentia dicitur: & honores, ac in paruis moderata honoris appetitio, in magnis magnanimitas nuncupatur. Vel delectatur quotidiana conuerſatione, in qua ratio habetur vel iræ, & medium eſt clementia, vel habetur ratio conuerſationis, quatenus in ſeriis vel ludicris verſamur, vt decet: & hoc nobis cõpetit, vel ratione rerum, de quibus agitur, & oritur veritas, & candor ſiue integritas, vel ratione perſonarum, cum quibus ſi recte verſamur in re ſeria, oritur affabilitas ſiue humanitas; ſi in ludicra, cõſurgit vrbanitas. Hæc etiã diſtributionis ratio mihi ſummopere dubia videtur: præſertim, quia per eam non conſtat, quæ virtutum ad vnam, quæ ad alterã appetendi facultatem pertineat, quod maximi mométi eſt. Præterea male diſtinctionis rationem ſumit à voluptate: quia hoc eſt commune virtutibus omnibus, ex ſententia Platonis & Ariſtotelis, in voluptate & dolore verſari; proprie autẽ, vt ab aliis ſecernitur, eſt proprium temperantiæ: ideo non recte tribuitur pluribus virtutibus, non autẽ vel omnibus, vel vni tãtum. Præterea dubium eſt ꝙ dicitur, hominem in fortitudine agere, in reliquis virtutib. pati: nam in fortitudine cum cõſtanter & patienter ſuffert, maxime patitur; ideo tolerantia, quæ perpeſſio eſt, ad eam pertinet. Inſuper in omni virtute, quæ in perturbationis moderatione eſt poſita, conſideratur cũ perpeſſio, tũ actio, vt inductione cõſtat. Demum (vt cetera miſſa faciam) virtus vniuerſa, quæ ſola ratione ab vniuerſa iuſtitia ſeiũgitur; ea quoque, vt virtus eſt, reſpicit habentem, vt in quinto moralium Nicomach. cap. 2. aſſeritur: quare, cum referant vniuerſam iuſtitiam reſpicientem alium, male prætermittunt virtutem vniuerſam, quæ ad habentem refertur. Non deſunt viri alii docti, qui ita in ordinem redigunt virtutes. Inquiunt enim: *quamuis virtutes omnes in perturbationum moderatione ſint poſitæ; nonnullæ tamen earum in perturbationibus moderandis præſertim verſantur, aliæ magis in externis actionibus: primæ rediguntur in ordinem per ordinem perturbationum; quarum prima eſt voluptas, cui*

Opinio quorundam.

Externorum obiectorum duplex eſt conſideratio.

ἡδοναὶ ψυχικαί.

Relata opinio in dubium vertitur.

Alia opinio.

opponitur dolor : & in voluptate temperantia , in dolore fortitudo locum habet. Præter dolorem & voluptatem duæ aliæ competunt homini vehementes perturbationes, ira & deſiderium honoris, quæ manſuetudine, moderato honoris deſiderio, magnanimitateque componuntur. Altera ex parte ſi virtutes præſertim in externis actionibus verſantur, vel ſunt tales, vt eis ſine ſcelere carere non valeamus, & oritur iuſtitia: vel conſiſtunt in euitanda turpitudine, qualis eſt liberalitas, magnificentia, veritas, amicitia & vrbanitas. Hæc diſtributio, vt cenſeo, approbanda non eſt. Primo, quia minime per eam oſtenditur, quæ virtutum pertineant ad vnum, & quæ ad alterum appetitum. Inſuper falſum iudico, temperantiam verſari in voluptate, fortitudinem in ei oppoſito dolore: nam materies fortitudinis interna eſt timor & audacia, externa ſunt res formidabiles: dolor autem oppoſitus voluptati ad temperantiam pertinet, verſatur enim temperantia in moderando appetitu erga dolorem & voluptatem: quod confirmatur, quia *oppoſita pertinent ad eundem appetitum*: vt dicitur ab Ariſtot. in 7 de repub. temperantia autem & fortitudo ad diſtinctum appetitum pertinent. Præterea, cum omnes virtutes morales nobis competere debeant pro recte componendis perturbationibus, minus recte earum ordo & numerus colligitur, partim ex perturbationibus, partim ex externis actionibus. Præterea, ſi appetitio honoris numeratur inter perturbationes corrigendas, non video cur pari ratione appetitio pecuniæ inter eas numerari non debeat, & ob id liberalitatem inter virtutes corrigẽtes perturbationes non eſſe numerandam. Demum (cum dicant, qui carent iuſtitia, eſſe in vitio; qui vero ceteris virtutibus, nequaquam, ſed ſolum turpitudine quadam eſſe fœdatos) hoc proculdubio dici nõ debet: quoniam qui carẽt iuſtitia, & ceteris numeratis virtutibus, poſſunt vel oppoſito habitu eſſe præditi, vel medio modo ſe habere: ſi medio modo ſe habent, vt pueri, fœminæ, & multi alii, proculdubio vt virtute, ita & vitio carẽt, nam in paucis firmi habitus reperiuntur: ſi autem oppoſito habitu ſunt præditi, vt iniuſti, ita auari, vitioſi debent iudicari, virtuti enim vitium opponitur: hoc ſolum dicere poterimus, quod vt iuſtitia eſt virtus præſtantior, ita iniuſtitia deterior eſt quam auaritia.

Dubia aduerſus eum.

Canon phyſicus.

Opinio propria de numero & ordine virtutum & primo de virtute vniuerſali.

CAP. XXVII.

CVm ſatis dubiæ & rationi parum conſentaneę apparuerint relatæ opiniones, nitendum eſt alia ratione & via ordinem & numerum virtutum patefacere: dicam igitur quod ſentio, me ſemper ſubiiciens iudicio eorum, qui ingenue philoſophantur, & ſub-

Virtutis moralis diſtributio.

& ſublimiori ingenio, acrioreque iudicio ſunt præditi. Virtus moralis (ex Peripateticorum ſententia) vel in quadam præſtantia eſt collocata, per quam homo ſupra humanam conditionem eleuatur, & nuncupatur heroica: vel eſt humana magis, ac intra communes hominum terminos nos continet, & dicitur

Virtus ciuilis vniuerſa & in parte.

De virtute vniuerſa.

ciuilis: quæ adhuc eſt duplex: vel eſt virtus vniuerſa, ſuo ambitu virtutes omnes amplectens, vel eſt virtus in parte ſumta, diſtincta ab aliis. Ordiens à virtute vniuerſa, iam in præcedentib. patefeci, diſtinctionem virtutum petendam primo eſſe à fine; finis eſt id honeſtum, quod in actione proba includitur: id honeſtum iudicatur diſtinctum inſpiciendo diſtinctionem materiei, circa quam verſatur, quæ obiectum communiter dicitur, necnon materiei, cuius virtus eſt moderatio, hoc eſt, perturbationis; nam honeſtum in actione refulget, dum erga obiectum perturbatio moderate ſe habet. Cum hæc igitur ſibi reſpondeant, perpendendæ ſunt perturbationes variæ ad varia obiecta relatę: & à capitibus ordiens manifeſtaui, dum agerem de perturbationibus, principia omnium perturbationum eſſe amorem & odiū obiecti; media θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν, quæ ſunt commotio ad obiectum vel aſpernatio: quæ demum ad varia obiecta & perſonas, cum quibus verſamur, referri poſſunt. Si igitur prima principia inſpicimus, conſurgit vna quædam vniuerſa virtus, qua omnia (vt decet) diligimus, vel odio proſequimur, quam qui habet, in

Prima communis & vniuerſa.

Virtus moderatus amor.

omnibus recte eſt diſpoſitus. Prima itaq; communis virtus erit omnium optabilium moderatus amor, in eoque contractus habitus: & quoniam moderatus amor temperantia quædam eſt: iure hæc prima vniuerſa virtus, tum communis amor, tum communis temperātia dici meretur: quam ſequitur contemperatio omnium voluptatum & dolorum perturbationem omnem comitantium. Mox progrediendo ad medium perturbationum, in eo conſideratur proſequutio & fuga, in qua animi noſtri robur

Vniuerſa temperātia.

Vniuerſa fortitudo.

Vniuerſa iuſtitia.

Quatuor primæ vniuerſæ virtutes ſūt vnica perfectiſſima virtus.

refulget: cuius cōgruens forma fortitudo dici poteſt, per quam conſtanter (vt decet) ſeruamus medium, declinamus extrema, & in omni perturbatione noſmetipſos vincimus, omnes aduerſas propenſiones, internaſque commotiones domamus. Tertio erga finem, & obiecta in quæ ferūtur perturbationes, & erga perſonas cum quibus verſamur, conſurgit vniuerſa iuſtitia, per quā iure (vt decet) erga omnia diſponimur, parteſque animæ felici nodo ligamus. Hæ quatuor vniuerſæ virtutes, nō re, ſed ſola ratione, diſtinctaque relatione ſeiunctæ ſunt; eadem enim eſt vniuerſus amor, vniuerſa temperantia, vniuerſa fortitudo, vniuerſaque iuſtitia: & ita ſe habent, vt amorem recte compoſitum ceteræ ſequātur, & ſint veluti tres gradus eius, qui gradus in omni particulari virtute inſpiciuntur: omnis enim dici poteſt tū mo-

deratus amor, tum tẽperantia; tum fortitudo, tum iuſtitia quædam. Hic vniuerſus & moderatus amor ex eo conſurgit, quia vnumquodque tanti facimus, quãti fieri meretur, quod eſt fundamentum vniuerſæ noſtræ rectæ inſtitutionis. Et pro clariori confirmatione horum trium, ſiue quatuor virtutis graduum, vt ordiar à primo, qui eſt moderatus amor & vniuerſa temperãtia, eam ſignificauit Plato ſub initio ſecundi de legibus inquiẽs: *Diſciplinam appello virtutem, quæ primo pueris aduenit, ſi voluptas & amor, dolorque & odium, recte in animos influant, antequam ratione moueantur, & ratione deinde præſente, rationi conſentiant propter ſuperiorem bonorum morum conſuetudinem, &c.* Sic itaq; Plato amorem recta formatum ratione primam ac communem virtutem manifeſtauit. Idipſum patefecit Diuus Auguſt. in lib. de moribus eccleſiæ, c 15. aſſirmans quatuor virtutes morales aliarum principes nil eſſe aliud, niſi amorem recte compoſitum: & lib. 15. de Ciuit. Dei, cap 22. inquit: *Virtus vera eſt ordo amoris.* D. Tho. Auguſtinum ſequens id ipſum affirmat in prima parte ſecũdæ, q. 55. art. 1 q 56. art. 3. q. 62 art. 2. Hoc etiam nouit Ariſt. ideo in 8. de rep cap. 5. inquit: *virtus efficit, vt recte oblectemur, & amemus; & odio proſequamur, &c.* Hunc communem amorem iure optimo communem temperãtiam nuncupare valemus, quatenus eſt modus in dilectione ſeruandus, eſt congruens compoſitio communis illius voluptatis, quæ origo & fons eſt perturbationum. Cicero in primo de officiis explicans connexioné quatuor primarum virtutum, communem ac vniuerſalem temperãtiam poſuit, ſed longe ſecus ac ego faciam: nam eam ponit in omniũ, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, ac in conſeruatione decori communis; quod virtutum omnium moralium officia amplectitur. At obiiciet aliquis, quia Ariſt in 4. top, loco 68. reiicere videtur temperantiam communem: inquit enim, *errare eos, qui habitum in conſequentem facultatem ordinant, vt qui dicunt manſuetudinem eſſe continentiam iræ, & fortitudinẽ ac iuſtitiam, eſſe timorum ac lucrorum continentiam, &c.* Reſpondens dico, Ariſtotelem tunc conſiderare virtutes particulares inter ſe diſtinctas, vt diſtinctæ ſunt. Progrediens autem ad medium, in quo proſequutio & fuga conſiderantur, iure in eo vniuerſa fortitudo ſtatuitur, ad quã robur pertinet, quo obiectum aſſequimur, nos ipſos vincimus, & in ſentẽtia cõſtanter permanemus: hæc fortitudo per oẽs vagatur virtutes, in omni refulget: de qua recte dixerunt Stoici, ꝙ eſt propugnatrix pro æquitate; æquitas autẽ in omni virtute locum habet. De cõmuni demum iuſtitia cõſentiunt omnes: & Ariſtoteles nõ tres communes virtutes, tãquam tres gradus amoris, ſed vnicã poſuit communem iuſtitiam, quam diſtincta ratione & virtutẽ cõmunem, & com-

Amor & temperantia.

Plato.

D. Aug.

D. Thom.

Cicero.

Obiectio.

Solutio.

Vniuerſa fortitudo.

Vniuerſa iuſtitia.

& communem iuſtitiam nuncupauit. Vt autem eſt communis virtus perficiens habentem, diſtincta ratione cum communis temperantia, tum communis fortitudo dici poteſt. Vſus autem eſt Ariſtot. præſertim nomine communis iuſtitiæ, quia virtus vniuerſa re vera vnica eſt, quæ varia ratione denotatur nomine vario. Ille amor & communis temperantia, eſt veluti caput, & commune principium vniuerſæ virtutis: communis fortitudo eſt tanquam cor, pectus, & medium eius: iuſtitia demum nedum principium & medium ſupponit, verum inſuper finem addit & abſolutionem, quo fine cuncta optime denotantur, & definiuntur.

Cur Ariſtot. ſit vſus nomine communis iuſtitia.

De virtutibus moralibus in parte conſideratis.

CAP. XXVIII.

EXplicata vniuerſa virtute, ſiue potius declaratis virtutum omnium communibus neruis ac gradibus, de ſingulis diſtinctis eius partibus diſſerẽdum eſt, in quibus explicandis tria præſertim ſeruanda cenſeo: primum, vt de ſingulis appareat, ad quẽ appetitum pertineant: mox, vt inter virtutes ad appetitum ſenſuum pertinentes numeretur iuſtitia, & proprius eius locus eluceſcat: demum, vt tot numerẽtur, per quot congruenter omnes perturbationes recte componantur. Vt hæc præſtare valeamus, quoniam virtutes ſunt tanquam medelæ perturbationum animi noſtri, propterea imitati optimos Medicos ægritudines inſpiciemus, vt inde ordo, & numerus virtutum eluceſcat. Et quia perturbationum multitudo eſt confuſa valde, voluptas autem, quæ eſt & principium, & comes, & aſſecla earum, clarius in capita redigitur: propterea, vt clarior numerus virtutum eluceſcat, voluptatum capita inſpicere debemus, & præſertim id faciendum eſt, quoniam (vt cum Platone affirmat Ariſtoteles) *omnis virtus in more poſita, eſt compoſitio recta voluptatis & doloris.* Quamuis enim origo diſtinctionis virtutum primo petenda ſit non ex voluptate, ſed ex fine proprio, vt patefeci: per varium tamẽ voluptatis genus, quod corrigi debet, eluceſcit diſtinctio propriorum finium, cum finis proprius ſit id honeſtũ, quod in actione & moderatione propriæ voluptatis collocatum eſt. Dicamus itaque, voluptatum ad ſenſum pertinentium duplex eſſe genus, vnum ad corpus pertinens, alterum ad animum, vt cum Plato in Philebo, tum Ariſtot. in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 10. affirmarunt: primum pertinet ad appetitum concupiſcendi, alterum ad appetitum iraſcendi, vt ex eodem 3. moralium colligitur. Genus voluptatum pertinentium ad corpus, & appetitum concupiſcendi, vel oritur ex his, quæ primo ad corpus referuntur, ad illudque pertinent, & hoc temperantia corrigitur, propterea temperantia omnino ad cupiditatem perti-

Tria quæ ſint ſeruanda.

Ex voluptatum capitibus capita virtutum eliciend a.

Duplex voluptatum genus.

Temperantia.

net, & eſt origo ac commune ſemen omnium virtutum: vel hu-
iuſmodi voluptas pertinet ad inſtrumẽta, quibus explentur vo-
luptates corporis, quæ inſtrumẽta ſunt diuitiæ, & fortunæ mu-
nera, dum in eis verſamur erogando, vel congregãdo illa, & per-
Liberalitas. turbationes, quæ comitem habent huiuſmodi voluptatem, ma-
Magnificen-tia. gnificentia, & liberalitate, componuntur, quæ quamuis ad ap-
petitum cupiendi pertineant, non tamen eius ita ſunt propriæ,
vt temperantia, ſed frequenter cum attinentibus ad appetitum
iraſcendi permiſcentur: temperantia itaque, liberalitate & ma-
gnificẽtia recte componuntur perturbationes omnes ad appe-
titum concupiſcendi pertinentes. Ex aduerſo, ſi voluptatum ge-
nus ad animum magis pertineat, magiſque ψυχικὸν, id eſt, ani-
male ſit, ad appetitum iraſcẽdi pertinebit: & hoc vel verſatur in
ſui primi obiecti appetitione, quod obiectum eſt honor, gloria,
Magnani-mitas. & victoria, & cõponitur magnanimitate, moderataque honoris
appetitione, vel hoc voluptatis genus verſatur in adeptione &
Moderata honoris ap-petitio. conſeruatione obiecti optabilis, & corrigitur fortitudine: vel
tertio collocatum eſt in quadam relatione ad aliud, ſiue cum a-
lio conuerſatione, & hoc tripliciter contingere poteſt: vel enim
Fortitudo. verſatur in actione noſtra erga alios, & huiuſmodi eſt diſtribu-
Iuſtitia. tio, & cõmutatio, quæ iuſtitia corrigitur: vel in actione aliorum
erga nos, dum ab aliis lædimur, vel beneficio afficimur, & cor-
Manſuetu-do & gra-tia. rigitur manſuetudine, cui gratia iuncta eſt, vel demum in con-
greſſu & familiaritate cum ceteris poſita eſt, & inde prodeunt
virtutes, quæ in cœtu & familiaritate verſari dicuntur. Nam vel
cõſideratur communis dilectio & affabilitas in ſermonibus ſe-
Affabilitas. riis, & inde prodit affabilitas, quæ amicitiæ eſt ſimilis, vel in ſer-
Vrbanitas. monibus iucũdis, iocoſis, ſalibuſq; inſperſis, & oritur vrbanitas,
ſatis iuncta cum attinentibus ad appetitum concupiſcendi; vel
demũ conſiſtit in rebus, de quibus agimus vel loquimur, & con-
Integritas. ſurgit animi candor ſiue integritas. Quibus octo virtutib. con-
gruenter cõponitur omnis voluptas, omniſque perturbatio ad
Colligitur primo. appetitum iraſcendi pertinens. Ita cumulate me ea tria præſti-
tiſſe cenſeo, quæ ſeruanda aſſerui. Ex quibus conſtat veritas ſen-
tentiæ Ariſtot. relatæ à Stobæo: virtutum nempe nonnullas o-
mnino ad appetitum concupiſcendi, vt temperantiam, alias pe-
nitus ad appetitum iraſcendi, vt fortitudinem, & manſuetudi-
nem pertinere, quaſdam præcipue ad vnum, modo tamẽ aliquo
ad vtrumque, ex quarum numero præſertim eſt iuſtitia: ea nam-
que quamuis ratione propriæ voluptatis, & obiecti formaliter
conſiderati, ad appetitum iraſcendi pertineat, id tamen obiectũ
Conditio iu-ſtitia. pro materie ſumtum ad cupiditatem pertinet. Nam iuſtitia eſt
huius conditionis, vt, quamuis proprie verſetur in voluptate iu-
ſti, & iniuſti, quod eſt bonum animi, maxime tamen ſequatur
virtutes

virtutes alias: dum enim recte erga perſonas, & obiecta per reliquas virtutes ſumus affecti, etiam iuſte ea bona aliis distribuimus. Hinc non iniuria Ariſtot. hac quoque de cauſſa, poſtremo de iuſtitia verba fecit. Demum conſtat, quod, quamuis Ariſtot. numeri virtutum nullam aſſignauerit rationem, tamen non ſine ratione eo numero eſt vſus, quem nobis colligendum ex eo reliquit: quia virtutes dixit moderationes perturbationum, nec non voluptatis ac doloris, quas voluptates diuiſit in animarias, & attinentes ad corpus. *Colligitur ſecundo.*

Decem virtutum formulæ, cum earum extremis, ex ſententia Ariſtotelis. CAP. XXIX.

VT ſententia Ariſtotelis magis reddatur conſpicua, non inutile duxi breuibus virtutum formulas ex eius opinione ſubſcribere.

Fortitudo, Græce Ἀνδρεία, verſatur

Præſertim in formidine	Secundo loco in confidentia *

Declinatio ad parum caret nomine proprio, dicitur tamen, qui eo habitu eſt præditus, ἀνάλγητος, id eſt, doloris expers, & μαινόμενος, ſiue inſanus.	Mediocritas, Ἀνδρεία Fortitudo.	Qui labitur ad nimium, dicitur Δειλὸς, ignauus, & timidus.

* Secundo loco in confidentia

Declinatio ad parum, Δειλὸς ignauus, & timidus.	Mediocritas Fortitudo.	Ad nimium vergens, nimiumq; confidens dicitur θρασύς, Audax.

Inter virtutes non eſt neceſſarius ordo, ſequar ego Ariſtotelem, qui à fortitudine orditur, nec iniuria profecto: competit enim appetitui præſtantiori, & nos recte componit erga poſtremum vitæ, quod maxime omnes turbat, ſine qua recta compoſitione non valemus recte erga cetera affici.

Fortitudinem ita definiendam cenſeo: fortitudo eſt moderatio formidinis & confidentiæ erga ea terribilia, quæ ad ſalutem corporis pertinent, appetitui iraſcendi competens, vt inde honeſtæ prodeant actiones. *Definitio.*

Non eſt abſurdum, vt vni medio varia competant extrema, quoniam id medium, quamuis nomine ſit vnum, eſt tamen ratione & materie diſtinctum, propterea extrema quoq; ponun-

tur diſtincta: quæ tamen ita ſunt diſtincta, vt ſummopere ſint conſimilia.

Potuiſſet Ariſt. ob eam ſimilitudinem & connexionem, vnicum medium, duoque tantum extrema ponere: per hanc tamen diſtinctam diſtributionem diſtinctius natura & conditio eorum eluceſcit.

Inſuper hoc, quod Ariſtot. facit loquens de fortitudine, aſſignans varia extrema contrariarum perturbationum, potuiſſet etiam ſeruare in explicandis aliis virtutibus: id tamen non facit breuitati ſtudens, & quia ei ſat eſt hoc patefeciſſe exemplo fortitudinis.

In definitione ſingularum virtutum pro genere habitum nō accipio, nam ſat eſt illum ſumſiſſe in definitione vniuerſæ virtutis, in quam definitiones ſingularum reſoluuntur.

In voluptate & dolore ad ſenſum tactus & guſtatus pertinente, & præſertim in voluptate:

Defectio caret nomine, dici poteſt deſtitutio ſenſus, & ſtupor, Ἀναιϑησία.	Mediocritas Σωφροσύνη Temperantia.	Nimium voluptati indulgere dicitur Ἀκολασία Intemperantia.

Verſatur temperantia in voluptatibus corporis, non quidem omnibus, ſed his, quæ nobis cum ceteris animalibus ſunt communes, & vehementiſſimæ ſunt, ad tactum præſertim, & modo aliquo ad guſtatum pertinentes: in aliis ſolum exeuentu, vt cum his complicatæ ſunt.

Et cum Ariſtot. in ſecundo moralium Nicomachiorum, cap. 7. nec non in 3 cap. 11. dicat: *temperantiam verſari in voluptate & dolore, præcipue tamen in voluptate*: conſtat errare viros nonnullos eruditos, qui dicunt, temperantiam in voluptate, fortitudinem in dolore verſari.

Vt fortitudo præcipue componit appetitum iraſcendi, ita temperantia appetitum concupiſcendi, & hæ ſunt duæ virtutes, quæ intrinſecus nos recte componunt: ceteræ virtutes magis in externis verſantur.

Definitio. Temperantia eſt moderatio voluptatis & doloris, ad ſenſum tactus & guſtatus pertinentis, appetitui concupiſcendi competens, vt inde honeſtæ prodeant actiones.

In

Digitized by Google

In pecuniæ mediocri acceptione & ſumtu:

Defectio in eroganda pecunia, exſuperantia in ea exigenda Ἀνελευθερία Auaritia Illiberalitas.	Mediocritas Ἐλευθεριότης Liberalitas.	Exſuperantia in eroganda, defectio in exigendo Ἀσωτία Prodigalitas Profuſio.

In magnis ſumtibus, & pecuniæ receptionibus:

Defectio in eroganda Μικροπρέπεια Indecora parſimonia, & homo indecore parcus.	Mediocritas Μεγαλοπρέπεια Magnificentia.	Nimium in eroganda Ἀπειροκαλία Decori imperitia Elegantiæ inſcitia Βαναυσία, id eſt, Inſolentia in ſumtu faciendo, ac ineptitudo.

Verſantur liberalitas & magnificentia in pecuniis: pecuniæ autem nomine denotamus omnia, quorum æſtimationem metitur numus; vt inquit Ariſtot. quarto moralium Nicom. cap. 1. *Differunt, quia magnificentia in magnis, præclaris, & illuſtribus verſatur, in quibus tamen medium ſeruat, quia agit quod decet, quando, quantum, &c. Liberalitas in mediocribus, & paruis verſatur.*

Definiri poteſt liberalitas hunc in modum: liberalitas eſt mediocritas recte componens appetitum cupiendi in eroganda ac recipienda mediocri pecunia, vt in his aſſequatur honeſtum. *Definitio.*

Magnificentia vero eſt mediocritas in magnis ſumptibus ac pecuniæ receptionibus occupata, appetitui cupiendi competẽs, vt in eis aſſequatur quod decet.

Cum liberalitas & magnificentia in eadem externa materia verſentur, nempe in pecunia, quam reſpondere oſtendi appetitui cupiendi, iure vtramque virtutem ad eundem appetitum pertinere aſſerui.

In honore, & infamia, ſi fuerint mediocria, vel parua:

Defectio Contemtio honoris Ἀφιλοτιμία	Mediocritas, caret nomine, denotatur nomine extremorum, & modo ambitio, modo contemtio honoris dicitur: poteſt autem dici moderata honoris appetitio.	Nimium ambitio Φιλοτιμία

In magnis honoribus:

Defectio	Mediocritas	Exſuperantia
Μικροψυχία	Μεγαλοψυχία	χαυνότης
Puſillanimitas	Magnanimitas,	Inflatio
Vir humili anguſtoque animo præditus.	Animi magnitudo.	Elatio animi Superbia Ἠλίθιος homo ſtolidus;

Honor maximum eſt externorum bonorum, infamia autem ei oppoſita eſt deterrima, vt in quarto moralium Nicomachiorum, cap 3. inquit Ariſtot. ideo iure dicitur: *melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multa.*

In honore & infamia modo explicato verſantur numeratæ duæ virtutes, quæ ambæ ad appetitum iraſcendi, pertinent, cum honor & gloria ad illum appetitum pertineant, vt cumulate patefeci, poſſunt ita definiri.

Definitio. Moderata honoris appetitio eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt in mediocri honore conſtanter præeligat, id quod decet.

Magnanimitas eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt in magnis honoribus conſtanter præeligat id quod decet.

In vniuerſa iræ latitudine reperitur:

Nimium	Mediocritas	Defectio
Ὀργιλία Iracundia Ὀργίλοι qui celeriter plus æquo iraſcuntur. Ἀκρόχολοι ſupra modum celeres & bilioſi. Πικροὶ, ſiue amari & implacabiles, qui diu in iracundia perſeuerant, χαλεποὶ, ſiue difficiles, duri, ſæui, & aſperi, dicuntur illi, qui grauius, & diutius, & implacabilius quam decet, iraſcuntur, nec placantur niſi vlti.	Πρᾳότης Manſuetudo Clementia Lenitas.	Ἀοργησία dicitur in 2. & in 4. moralium, capit. 5. in 2. rhetoricor. πρᾳότης eodem nomine cum medio, Lentitudo. Iræ vacuitas.

Iure Ariſtot. ſtatim, poſt virtutem pertinentem ad honorem, poſuit virtutem, quæ in ira verſatur: ira enim ex læſione honoris præſertim oritur, cuſtoſque eſt eius.

Ita ſignificat vniuerſam latitudinem perturbationis, quæ ex læſione

læſione oritur: propterea in hac ſignificatione ei contrarium non competit, ſed nimium, parum, & mediocritas.

Gratia ex ſententia Aſpaſii modo aliquo opponitur iræ, quatenus ira ex læſione oritur, gratia & ingratitudo ad receptum beneficium referuntur: vel ſaltem ira vindictam quærit, gratia indulget penitus. Si gratia conſideratur vt opponitur ingratitudini, non per manſuetudinem corrigitur, ſed partim per iuſtitiam, partim per magnificentiam, quæ non permittit, vt ab alio in conferendis beneficiis ſuperemur: ſi conſideratur vt opponitur irę, tunc gratiam facere idem erit, quod parcere illi, qui nos iniuria affecit, & componitur per manſuetudinem, ſiue clementiam. *Gratia.*

Manſuetudo ſiue clementia eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt in attinentibus ad iram conſtanter præeligat, quod decet.

Enumeratis ſeptem virtutibus inquit Ariſtot. in 2. moralium Nicom. cap. 7. *Iam vero ſunt & tres aliæ mediocritates, quæ tametſi aliqua ſimilitudine inter ſe connectantur, differunt tamen: nam cum omnes in ſermonum, & actionum communitate verſentur, diſtinguũtur, quod vna in veritate ea, quæ in eis ipſis rebus ineſt, vertitur, aliæ duæ in earum iucunditate poſita ſunt. Atque huius quidem iucunditatis altera pars in ioco, altera in iis omnibus, quæ in hac vita quotidiana vſu venire ſolent, cernitur, &c.* Earum formulæ hæ ſunt.

In cœtu & congreſſibus hominum, dum verſamur in actionibus vel ſermonibus ſeriis, reperitur in iucundo & moleſto.

Nimium deſiderium placendi competens illis, qui auribus audientium inſeruiunt: & id faciunt vel

- Emolumenti gratia, & dicitur Aſſentator Κόλαξ
- Non emolumenti gratia, & dicitur Blandus Obſequioſus Placendi ſtudioſus Iucundus ἄρεσκος

Mediocritas caret nomine, & videtur Φιλία. Amicitia vel ei ſimilis Humanitas. Affabilitas. Familiaritas. Facilitas.

Defectio Δύσκολος Δύσερις Litigioſus Moroſus Difficilis Pugnax in contentionibus.

Nedum in iocis, verum etiam in rebus ſeriis, ſeruari debet vt decet iucundum: nam vir prudens etiam, dum ſuæ reipublicæ vice magiſtratus officio fungitur, dum iura dat aliis, damnat,

præmia vel pœnas decernit, id ita facere debet, vt nemini velle obeſſe, neminem odio proſequi videatur, ſed deſiderio videatur flagrare omnibus, vt decet, rem gratam faciendi, homo enim ita affectus etiam a damnatis diligitur, & commendatur: idipſum ſeruare debet in congreſſibus, vel cum amicis, vel cum aliis. Hæc mediocritas ſimilis quidem eſt amicitiæ, differt tamen ab ea, vt inquit Ariſtoteles in 4. moral. liur. Nicomach. capit. 6. *Quia hæc mediocritas caret eo animi motu, amoreque affectu in eos, quibus cum verſatur, quo prædita eſt amicitia: & iucondum æque ſe præbet erga omnes, ſiue notos, ſiue ignotos.* Definiri autem poteſt hæc virtus hunc in modum.

Definitio. Affabilitas amicitiæ ſimilis eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt cum in ſermonibus, tum in actionibus ſeriis, nos aliis faciles vel difficiles ita præbeamus, vt decet.

In congreſſibus hominum, dum loquimur de attinentibus ad nos, vel ad illos, ſiue etiam agimus:

Diminutio *Εἰρωνεία* Diſſimulatio; Qui res paruas & conſpicuas diſſimulant, dicuntur Β*ωμολόχος* Veteratores & verſipelles: & ſunt hi *εὐκαταφρόνητοι*, id eſt, abiecti homines. Qui vero vltra modum diſſimulatione vtuntur & diſſimulant non admodum nota; *χαρίεντες*, hoc eſt, politi homines dicuntur.	Mediocritas, *Ἀλήθεια*, veritas, ſiue veracitas, & candor quidam per quem ad nos, & ad alios pertinentia talia patefacimus, qualia ſunt, & potius noſtra minuimus, quam augeamus.	Accretio, vel nullius rei cauſa, & homo talis dicitur *μάταιος*, hoc eſt, nugator, & leuis potius quam malus; vel id facit gloriæ & honoris cauſſa, & parum eſt vituperandus, vel pecuniæ gratia, & magis eſt vituperandus: dicitur autem vitium *ἀλαζονεία*, arrogantia. Dum vero id facit, quia abſolute delectatur mendacio, abſolute mendax dicitur.

Veritas triplex. Hæc virtus; quæ veracitas & candor dicitur, non verſatur in vero ad contemplationem pertinente, nec in eo, quod in pactis conuentis ineſt, ſiue in eo, quod pertinet ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam: ſed in eo, quod pertinet ad res, & ſermones, de quibus nil refert, an ſic vel ſecus ſe habeat; ſolum enim conſideramus

mus conditionem hominis, per quam eſt paratus dicere & patefacere verum, vel mentiri. Inquit Ariſtoteles in quarto moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo. *Diſſimulatores autem, qui ſua omnia verbis minuunt, moribus videntur illi quidem eſſe politioribus, non enim lucri cauſſa ita loqui videntur, ſed quod elationem animi iactationemque fugiant: maxime autem etiam hi glorioſa omnia de ſe negant, quod faciebat & Socrates, &c.* At ſi ironia & diſſimulatio vitium eſt, Socrates, qui ea in omni ſuo ſermone vtebatur, non verax, ſed diſſimulator & vitioſus erit iudicandus. Reſpondendum eſt, Socrati non eſſe vitio dandum, quod diſſimulatione ſit vſus, duplici de cauſſa. Primo, quia dum ſe nil ſcire affirmabat, ea non erat diſſimulatio, ſed ſuæ ſententiæ explicatio, conſiderabat enim in ordine ad ſapientiam, quatuor gradus: in primo ſunt pueri, qui nec ſciunt, nec ſcire ſe putant: in ſecundo ſunt ſophiſtæ, qui verſantur in participationibus & vmbris rerum, & ea iudicant vere eſſe, cum re vera non ſint, ideo in ſophiſta dicuntur verſari in non ente, hi cum non ſciant, putant ſe ſcire: in tertio gradu ſe collocatum profitebatur Socrates, in quo reperiuntur illi, qui iudicant has eſſe vmbras rerum, & iudicant ſe non ſcire, hi ſupra ſophiſtas collocantur, & valent detegere errorem ſophiſtarum: in quarto reperiuntur ſapientes, qui per animæ rationes eleuati ſunt ad ideas rerum in mente exſiſtentes, quæ re vera ſunt, & vere ſapientem formant, quod pauciſſimis competit. Ea igitur Socratis erat elegans eleuatio ſui ſupra ſophiſtas, & modeſta veritatis indicatio, non vitioſa ironia. Secundo ea non erat damnanda, quoniam Socrates, dum primo vltra merita commendabat ſophiſtas, & ſe deprimebat, id faciebat, vt eorum arrogantiam comprimeret, iactantiam corrigeret: eos verbis commendabat, rationibus arguebat, vt eos non prouocaret ad iram, ſed modeſte corrigeret. Arguenda autem, vitioque nobis danda eſt ea ironia, qua vtimur, quia mendacium ſit nobis gratum: & vires noſtras minuimus, vel, vt vitemus officia pro patria, parentibus, & amicis, vel (hypocritarum more) vt maiori honore, vel lucro afficiamur. Cicero in lib. de Oratore inquit: *Socrates opinor in hac ironia diſſimulantiaque longe lepore & humanitate cæteris præſtitit.* Et in lib. de claris oratoribus ait: *ironia illa, quam in Socrate dicunt fuiſſe, faceta & elegans, &c.* Hanc virtutem ita definiendam cenſeo.

Dubitatio de Ironia. *Solutio.* *Cicero.*

Veracitas eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt in congreſſibus hominum de attinentibus ad nos, vel ad illos veritatem (vt decet) patefaciamus. *Definitio.*

In congreſſibus hominum etiam nonnunquam dandus eſt locus iocis & ſalibus:

Inclinans ad parum	Mediocritas	Ad nimium tendens
ἄγροικος Agreſtis Inſulſus Ruſticus.	ἐπιδεξιότης Dexteritas, & homines dexteri, inſuper εὐτράπελος quaſi, εὔτροποι, hoc eſt, ingenio verſatili præditi, faceti, vrbani, & comites.	Βωμολόχος Scurra Φορτικὸς ridiculus.

Virtutes, quæ ὁμιλητικαί, hoc eſt, in congreſſibus poſitæ dicuntur, tres ab Ariſt. in 2. & in 4. moral. Nicom. c. 8. numerantur: quæ omnes in ſermonum ac actionum communitate verſantur. Differunt tamen, quia vna in veritate, reliquæ in iucunditate poſitæ ſunt. Atque harum ipſarum quæ ad iucunditatem pertinent, altera in iocis, altera in congreſſionibus ac reliquæ vitæ communitatibus vertitur. Nam vir prudens cum omni hominum conditione, in omnique actione & ſermone, debet ſeruare decorum, & talem ſe præbere, qualem locus, perſona, & occaſio expoſcunt: propterea etiam in ſalibus & iocis tenetur modum ſeruare, & gratia requietis nonnunquam iocis debet dare locum, vt ſe gratiorem reddat aliis, vitam ducat iucundiorem, animum reficiat, & ad ſeria ſe reddat alacriorem. Hæc virtus quamuis appetitui iraſcendi tribuatur, quatenus verſatur in quadam animi voluptate, magnam tamen cum cupiditate habet connexionem: eſt enim relaxatio curarum animi, quam ſic definiendam cenſeo.

Definitio vrbanitatis. Vrbanitas eſt mediocritas recte componens appetitum iraſcendi, vt in congreſſibus hominum in attinentibus ad ſales & iocos nos conſtanter præbeamus, vt decet.

De iuſtitia. Cap. XXX.

Iuſtitia nomen dupliciter vſurpatur. *Iuſtitia cum dicatur referri ad aliud. Et ad obiectum id aliud quadruplex eſt.*

ENumeratas decem virtutes ſequitur iuſtitia, quæ vt origine modo quodam eſt poſtrema, ita perfectione eſt prima. Vſurpatur iuſtitiæ nomen dupliciter, vel pro virtute vniuerſa, vel pro parte virtutis. Iuſtitia ſumta pro virtute vniuerſa, intra ſuos fines omnem virtutem includit, & diſtincta ratione cum vniuerſa virtus, tum vniuerſa iuſtitia nuncupatur: dicitur virtus, quatenus eſt habitus virum probum, eiuſque actiones recte componens. Nuncupatur vero iuſtitia per relationem ad aliud, quod aliud quadruplex eſt: vel enim ſunt perſonæ cum quibus agimus, tribuendo vnicuique quod ſuum eſt, neminemque aut opera

331

opera aut verbo lædendo: vel ſunt leges, quibus qui obtemperat, præcepta ſeruat omnium virtutum, vt dicitur in 5. moralium Nicomachiorum: *ſunt enim regulæ humanæ vitæ, quibus* (vt dixit Plato) *quicunq; obtemperat, Deo obtemperat*; vel tertio ſunt res, in quibus verſamur, ſiue enim in voluptate, ſiue in pecunia, ſiue in honore, ſiue in ira, ſiue in alio quouis verſemur: dum enim vnicuique tribuimus, quod ei competit; tanti id facimus, quanti fieri debet, & eam portionem recipimus, quæ nobis congruit, iuſtitiam & æquum ſeruare dicimur: vel demum ſunt facultates animæ noſtræ, in quibus iuſtitia refulget, dum inuicem ita ſe habent, vt inferiores obtemperent ſuperioribus, ſuperiores recte imperent. Hinc non iniuria Plato in facultatibus animæ noſtræ principem iuſtitiam conſiderauit: his quatuor relationibus vnaquæque virtus iuſtitia quædam dici poteſt. Iuſtitia autem pro parte virtutis ſumta, propriæ cuiuſdam perturbationis eſt moderatio, & in propria materia verſatur. Perturbatio componenda, recteque hac virtute formanda, eſt appetitio late ſumti lucri & voluptas ex eo prodiens. Hoc lucidiſſime aſſeruit Ariſtot. in 5. moralium Nicomachiorum cap. 2. inquiens: *ſed particularis iuſtitia in honore verſatur, aut pecuniis, aut ſalute, aut ſi quo vno nomine hæc omnia complecti poſſimus, & propter voluptatem eam, quæ è lucro proficiſcitur.* Vt enim hominum nonnulli ad deſiderium pecuniæ magis ſunt per naturam proni, alii minus, ita ad ius vel iniuriam, ad æquum vel iniquum, vt conſtat ex 6. moralium Nicomach. cap. 13. quæ perturbatio, voluptas, ac appetitio, iuſtitiæ habitu corrigenda eſt. Materies, in qua hæc virtus, vel commutando, vel diſtribuendo verſatur, ſunt honores, dignitates, ac omnia fortunæ bona. Propterea cenſeo minus recte nonnullos ſentire, qui inquiunt, perturbationes iuſtitia moderandas eſſe, inuidiam, dilectionem, odiumque aliorum: nam hæ non ſunt perturbationes proprie corrigendæ per iuſtitiam, ſed illæ à me enumeratæ, hæ autem per alias proprias virtutes corrigi debent, quas ſequitur iuſtitia: ideo dixi iuſtitiam origine poſtremam, & poſtremo loco ab Ariſtotele declaratam. Et quia ius & iniuria voluptatem & dolorem animo afferunt, non corpori, ideo iuſtitiam dixi pertinere ad appetitum iraſcendi: eius definitio hæc eſſe poterit.

Iuſtitia in parte ſumta proprium habet obiectum.

Iuſtitia pertinet ad appetitum iraſcendi.

Iuſtitia eſt moderatio appetitus iraſcendi, vt in omni commutatione & diſtributione externorum bonorum æquum, & id quod decet expetamus, ac conſtanter præeligamus.

Definitio.

Diuiditur iuſtitia & ab Ariſtotele in quinto Nicomachiorum, & à iuris peritis. Ex ſententia Ariſtotelis ita in partes eſt diſtribuenda.

Diuiſio ex ſententia Ariſtot.

Iuſtitia

- Vniuerſalis
- Particularis*
  - Vel proprie eſt iuſtitia & ius, & dicitur ciuile
    - Vel eſt ius naturale, ſub quo ius gentium, continetur.
    - vel legitimum & eſt id, quod a iuris peritis ciuile dicitur.
  - Vel non proprie ſed ſimilitudine
    - Vel herile, domini ad ſeruos.
    - Vel paternum, patris ad natos.
    - Vel viri ad vxorem.

Iuris hæc diuiſio ex ſubiecta materia. Homini enim conuenit, quatenus animal κοινωνικὸν eſt, κοινωνία autem & conuerſatio alia eſt vniuerſalis cum omnibus, alia particularis cum quibuſdam.

* Iuſtitia particularis

- Vel verſatur in diſtributione, in qua ſeruatur medium geometricum in analogia, ac rationum ſimilitudine poſitum: vbi ratio habenda eſt actionum, & perſonarum.
- Vel in emendatione, ſiue commutatione, in qua ſeruatur medium arithmeticum, nec ratio habetur perſonarum. Et hæc eſt:
  - Vel eorum, quæ fiunt ſponte
  - Vel factorum inuite
    - Vel per vim
    - Vel per inſcitiam.

Sic igitur ius etiam aliud erit κοινὸν, aliud ἴδιον: illud quod omnibus hominibus, hoc vero, quod certo generi competit.

Iuriſperiti alia videntur vti diſtinctione. Inquiunt enim ius & iuſtitiam, vel eſſe publicam, vel priuatam: vtramque mox diſtribuunt, in naturalem, quæ ex natura ſumitur; gentium, quæ apud omnes gentes æque ſeruatur, & ciuilem, quam quæuis ciuitas ſibi conſtituit: quæ ciuilis iuſtitia ſiue ius, duplex eſt, vel non ſcriptum ſed vſu approbatum, vel ſcriptum: quod in ſex partes diſtribuunt, conſtat enim vel lege, vel plebiſcito, vel ſenatuſconſulto, vel principum placito, vel prætorum edicto, vel reſponſo prudentum. Quæ diuiſio nil includit in ſententia, quod diuiſioni Ariſtotelis aduerſetur. Hinc etiam Ariſt in primo Rhetoricorum diuidens legem vſus eſt prima illa Iuriſconſultorum diuiſione, in communem, & propriam, ſiue publicam & priuatam. Conuenit iuſtitia cum cæteris moralibus virtutibus: primo, quia ea quoque pertinet ad appetitum ſenſuum, inſuper componit perturbationem, tertio more & aſſuetudine acquiritur, demum medium ſeruat: poſſumus enim cum in diſtributione, tum in commutatione, ad nimium & parum labi. Differt vero primo, quia vtraque à recto declinatio eodem iniuſtitiæ nomine denotatur: ei tamen ſoli demum iniuriam facere, cui minus boni, quam æquum ſit, tribuimus, & hoc etiam de iuſtitia vniuerſa verum eſt: nam vt omnis virtus dicitur iuſtitia, ita omne

Iuſtitia quomodo conuenit cum cæteris virtutibus.

Quomodo differt.

Prima differentia.

vitium

vitium eſt iniuſtitia, quoniam iniuſtitia abſolute eſt receſſus à medio. Inſuper differt, quia in attinentibus ad iuſtitiam non poſſumus inclinare ad vnum extremum, quin ſimul labamur in alterum, dum enim vni plus æquo tribuimus, alteri minus relinquimus. Demum differt, quia in ſeruanda iuſtitia magis actio reſpicit alium, & ſeruat medium, non quidem inter duo vitia, vt cæteræ morales virtutes, ſed inter terminos proportionem conſtituentes: eſt enim æqualitas proportionis.

Secunda.

Tertia.

Affectiones nonnullæ ſimiles virtuti vel vitio.
CAP. XXXI.

HOmini nedum competunt virtutes, verum inſuper affectiones nonnullæ virtuti ſimiles, commendatione dignæ, è quarum numero eſt verecundia, indignatio, miſericordia, & ſimiles, quæ re vera virtutes non ſunt, ſed perturbationes certo modo affectæ. Et quamuis homo ob animi perturbationes vniuerſe ſumtas nec commendetur, nec vituperetur, ob quaſdam tamen certo modo conſtitutas, tanquam per indicia & imagines virtutis, vel vitii vel per vias ad ea carpitur, & commendatur. Cum igitur ſint ſimiles virtuti, imitatus Ariſtotelem, poſt enumerationem virtutum harum quoque formulas ſubſcribam: rectius tamen inter ſemiuirtutes numerantur.

Semiuirtutes ſeu inchoatæ virtutes.

In verecundiæ perturbatione:

Defectio	Medium	Exſuperantia
Ἀναίσχυντος	Αἰδὼς	ὁ καταπλὴξ, ὁ πάντα αἰδούμενος.
Impudens	Verecundia	tanquam obſtupefactus, qui omni in re verecundatur.
Impudentia	Pudor	Pauiditas
		Obſtupefactio.

In dolore & voluptate ex iis ſuſcepta, quæ aliis accidunt:

Φθονερὸς	Medium	Ἐπιχαιρέκακος
Inuidus	Νέμεσις	Maleuolus, &
Inuidia,	Indignatio,	Maleuolentia, per quam
Inuidentia,	per quam	alienis malis, nedum non
Per quam nimium aliorum rebus ſecundis dolemus, & contabeſcimus.	dolemus rebus ſecundis eorum qui indigni ſunt.	dolemus, ſed lætamur, ſine noſtro emolumento, vt ait Cicero quarto Tuſculanarum.

Hunc in modum diſtinguuntur ac diſtribuuntur ab Ariſtotele indignatio, & eius extrema: diſtinctius tamen & lucidius hoc alio modo id fieri poſſet.

Affectio animi in dolore ex alienis commodis:

Defectio	Medium	Nimium
per quam nullius commodis dolemus.	Νέμεσις Indignatio, per quam dolemus ſolum ob commoda indignis competentia.	Inuidia, per quam abſolute dolemus aliorum commodis.

Affectio animi in voluptate ex alienis incommodis:

Defectio	Medium caret nomine:	Exſuperantia,
etiam caret nomine: hac non gaudemus ob incommoda alicuius.	& eſt, dum gaudemus ob incommoda iure alicui competentia.	Maleuolentia, per quam gaudemus ob incommoda omnium.

Simili modo aſſignari poſſunt affectiones conſurgentes ex dolore alieni incommodi, quarum medium miſericordia eſt, cui (ex ſententia Ariſtotelis in ſecundo Rhetoricorum) contraria eſt nemeſis ſiue indignatio, quatenus indignatio conſurgit ex commodis, miſericordia ex incommodis & rebus aduerſis: re vera tamen contrariæ non ſunt, cum ambæ ſint dolores, & affectiones commendabiles. Ita quoque poſſent aſſignari affectiones prodeuntes ex voluptate alieni commodi: & nedum in his inueniuntur nonnullæ probæ & commendabiles affectiones, verum etiam in aliis, vt ex his, quæ nobis accidunt, ſiue proſpera, ſiue aduerſa ſint, variæ, & probæ & improbæ affectiones conſurgere valent: tamen ſat eſt potiores enumeraſſe, quarum exemplo innoteſcunt aliæ: nam attinentium ad nos ſumtæ ſunt illæ, quæ verſantur circa honorem; attinentium autem ad alios illæ, quæ oriuntur ex commodis vel incommodis eorum, quia hæ ſunt principaliores, & magis conſpicuæ. Hæ, quamuis modo aliquo reddunt hominem vituperio, vel laude dignum, re vera tamen virtutes non ſunt, neque vitia: non enim ſunt habitus facultatis appetentis ratione formatus, moreque confirmatus: ſed ſunt perturbationes

certo

Digitized by

certo modo ſe habentes, per naturam magna ex parte nobis competentes, quæ vel ſunt indicia futuræ virtutis & vitii, vt verecundia & impudentia, vel ſunt ſimiles virtuti, vel ex virtute iam præſente prodeunt, vt miſericordia, & nemeſis ſiue indignatio, quæ in viro probo locum habent, & ob connexionem, quam habent cum virtute, reddunt hominem commendatione dignum, non autem vero honore. At, cum enumeratæ affectiones nec virtutes nec vitia ſint, ſed perturbationes eis conſimiles; & omnis perturbatio debeat habitu aliquo virtutis formari, dubium eſt, quo virtutis habitu enumeratæ formari debeant. Cui difficultati reſpondens dico, verecundiam non eſſe virtute aliqua formandam, quia in viro probo locum non habet: vir enim probus nil agit ob quod verecundari debeat, ſat eſt vt homo virtutibus ornetur: ita namque ſolum honeſta aget, ſcelera non patrabit, nec vllo infamiæ timore turbabitur. Cæteræ autem enumeratæ perturbationes recte componuntur: primo per virtutes, nos recte diſponentes erga perſonas & obiecta: proxime vero per iuſtitiam, ſunt enim voluptates & dolores quidam ob ea, quæ iure vel iniuria aliis competunt: Demum conſiderandum eſt quod, vt dantur perturbationes probæ & commendabiles, ita nonnullæ dantur omnino prauæ, in quibus medium laudabile inueniri non poteſt, nam ex ſe ſunt extrema, in extremo non reperitur medium: huius generis ſunt maleuolentia, inuidia, & ſimiles: quæ quamuis prauæ ſint, non propterea ſunt vitia, ſed prauæ perturbationes, peccata, occaſiones vitiorum, & ſimiles vitiis: peccatum enim latius eſt quam vitium, cum poſſit eſſe ſine habitu. Inſuper, vt dantur perturbationes, ita dantur actiones omnino deteſtandæ, quibus medium adhiberi non poteſt, vt adulterium, furtum, homicidium, quæ quouis modo fiant, praua ſunt. Competunt itaque homini perturbationes indifferentes, improbæ, & probæ. Actiones indifferentes, improbæ & probæ, & demum virtutes, vitia, & peccata. Ambigunt tamen quidam, an dentur actiones neutræ. Nec deſunt, qui eas dari inficientur, quod minime faciendum cenſeo: dantur enim actiones nonnullæ adeo leues, adeoque exigui momenti, vt nec improbum nec probum reddant vel patefaciant hominem, quas iure neutras nuncupare valemus.

Dubitatio.

Solutio.

Perturbationes improbæ.

Peccatum & vitium differunt.

Actiones penitus prauæ.

An dentur actiones neutræ.

Dubia nonnulla, cum alia, tum præſertim ad Verecundiam pertinentia. CAP. XXXII.

An indignatio, & miſericordia, locum habeant in ſapiente.

EX declaratis in præcedente capite tria oriuntur dubia: primum eſt, an indignatio & miſericordia locum habeant in viro probo: alterum eſt, an pudor ſit virtus: poſtremum, an pu-

Stoici.

dor in viro probo locum habeat. De primo, Stoici negarunt, in viro probo indignationem & miſericordiam locum habere, quia virtus purgat & euellit omnes perturbationes: at falluntur, vt pâtuit in gradu perturbationum.

Propria ſententia.

Miſericordia & indignatio duplex à diuerſis cauſis.

Propterea dicamus, indignationem & miſericordiam eſſe duplicem: vnam per naturam nobis competentem, non ex ratione nec ex aſſuetudine pendentem, alteram ſequentem virtutem, virtutis habitum, rectamque eius rationem: prima eſt inconſtantior, ſecunda firmior, prima eſt frequenter mixta cum nimio vel pauco, altera eſt exacte media; prima eſt via ad virtutem, altera eſt fructus eius: & hæc ſecunda in viro probo reperitur.

An verecundia ſit virtus.

Ariſtoteles.

Quærebatur ſecundo, an verecundia ſit virtus? Ariſtoteles in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 8. eam appellat virtutem, inquiens: *Hac fortitudo ſimillima videtur ei, quæ primo loco poſita eſt, quoniam eius effectrix virtus eſt: pudor enim, & honeſti appetitio, videlicet honoris, & dedecoris, quod turpe eſt, fuga, eam efficit, &c.* Ex aduerſo Ariſtoteles in ſecundo moralium Nicomachiorum, & latius in quarto negat eſſe virtutem. Inquit in quarto lib. capit. 9. *De verecundia autem, quaſi virtus ſit aliqua, non attinet dicere, perturbationi enim quam habitui ſimilior eſt; definitur itaque infamia metus quidam: Exſiſtit autem ſimiliter atque metus, qui in rebus formidoloſis verſatur, erubeſcunt enim ii, qui pudore afficiuntur, palleſcunt autem, qui mortem extimeſcunt: apparet igitur vtrumque quodam modo ad corpus pertinere, quod quidem perturbationis potius quam habitus proprium videtur, &c.*

Solutio.

Soluens difficultatem dico, verecundiam minime eſſe virtutem: non enim virtutes competunt pueris, quibus tamen verecundia frequenter competit. Quod ſi Ariſtoteles eam in tertio libro appellauit virtutem, id fecit, quia eſt ſemiuirtus, ſemen virtutis, via ad virtutem: & oritur ex deſiderio honeſti, & timore infamiæ, quæ ſunt principia virtutis, & calcaria ad eam: Et dici etiam poteſt virtus quædam naturalis, quia eſt congruens conſtitutio per naturam nobis competens.

An pudor locum habeat in viro probo.

Ariſtoteles.

Poſtrema dubitatio erat, an pudor in viro probo locum habeat: ſimiliter etiam, an ſeni congruat? Inquit Ariſtoteles in quarto moralium Nicomachiorum, capit. 9. *Non omni porro ætati, ſed adoleſcentiæ verecundia conuenit, nam qui hac ætate ſunt, pudentes & verecundos eſſe putamus oportere, quia, cum eorum vita aſſiduis perturbationibus agitetur, multa peccent, à quibus pudore reuocantur: iuuenes itaque laudamus eos, qui ſunt pudentes, ſenem vero, quod facile pudore afficiatur, nemo laudauerit; nihil enim eum agere oportere indicamus eorum, propter quæ pudor exſiſtere ſolet: nam nec viri boni eſt pudor, ſiquidem ex rebus malis naſcitur, res enim eiuſmodi ne agendæ quidem ſunt, &c.* Sententia fuit Homeri

Homeri approbata à Platone in Lachete, viro egeno verecundiam non conducere. Ex aduerſo Plato in Protagora inquit, *iuſtitiam & pudorem eſſe munera Iouis, per Mercurium tributa hominibus, quæ ciuitates ornarent, & mutua beneuolentia ciues conciliarent*, & poſt pauca, *Omnes ſiquidem horum participes eſſe debent: legem propterea meo nomine condas, qua quiſquis omnino vel iuſtitiæ vel pudoris eſt expers, tanquam ciuitatis peſtis quædam vltimo ſupplicio afficiatur, &c.* Inſuper in 5. de legibus ait: *Sapiens legumlator ſenioribus præcipiet, vt ſint coram iunioribus verecundi.* Ita Plato verecundiam omnibus conuenire affirmat. Propterea nonnulli exiſtimant verba Ariſtot. nuper relata, fuiſſe prolata contra Platonem. At aberrant, non enim hac de re Ariſt. à Platone diſſentit, ambo dicunt affectionem hanc iuuenibus congruere: de Ariſt. iam patuit, de Platone redditur conſpicuum, nam in Charmide inquit: *tunc enim ipſius Charmidis genæ rubore ſuffuſæ gratiorem ſpeciem oſtenderunt, nam pudor eam ætatem decet, nempe adoleſcentiæ.* Inſuper in 5. de repub. inquit, *timorem & pudorem detinere iuuenes ne lædant ſenes, & ita ait eſſe cuſtodes ſenum, indicans iuuenibus conuenire.* Quod ſi in Protagora inquit conuenire omnibus, dicendum eſt primo, Plat. loqui in perſona Protagoræ, non Socratis, nec ex propria ſententia. Addendum ſecundo conuenire omnibus hominibus, at non in omni ætate. Addendum tertio, verecundiam nonnunquam vſurpari late, pro quauis formidine mali, cautione ſceleris, & deſiderio honeſti. Propterea inquit Plato in ſophiſta *dixiſſe Homerum, cum Deos alios, tum maxime hoſpitalem Deum, inter homines, qui iuſti pudoris participes ſunt, verſari, & hominum contumelias, iniuriasq; inſpicere, &c.* His demum addo, quod congruere poteſt omni ætati, quia dantur ſenes ætate, iuuenes moribus, quibus minus malum eſt verecundari, quam ſine verecundia patrare ſcelera. Tres enim dantur ſenum conditiones, vna intemperatorũ, qui ob habitum non verecundantur, ſecunda incontinentiũ, qui verecundantur, tertia temperatorum, conditio eius qui verecundatur, præferenda eſt primæ, & ob id in parte commẽdanda. At dices: nonne viro probo multa accidere poſſunt ob vxorem: filios, cæterosq; affinitate iunctos, ob quæ tenetur verecundari? Reſpondeo cum Ariſt. in 4. moral. Nicom. c. 9. pudorem eſſe eorum, quæ ſponte noſtra agimus: nam eorum tenemur rationem reddere, quæ noſtræ prælectioni ſubiiciuntur, & actiones noſtræ ſunt: ob hæc ſumus digni honore & vituperio, non ob alia: tenemur ægre ferre ſcelera eorum, qui nobis iuncti ſunt, ac pro facultate repellere, at non propterea verecundari. Definitur verecundia ab Ariſt in 2. Rhet. quod *ſit perturbatio in iis malis, quæ ignominiam & dedecus ferre videntur, cum aut ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt.* Et in 4. mo-

Plato.

Ariſt. cum Plat. conciliatur.

Diluitur obiectio.

Tres ſenum conditiones.

Dubitatio.

Solutio.

Definitio.

ralium cap. 9. definitur, quod ſit infamiæ metus, & proculdubio pertinet ad appetitum iraſcendi, qui honoris eſt cuſtos.

Difficultates ad numerum virtutum pertinentes.

Cap. XXXIII.

Quod numerus virtutum ſit diminutus.

DVm vndenarium illum moralium virtutum numerum mente perpendimus, ex vna parte diminutum, ex altera redundantem ſuſpicari valemus. Diminutum primo, quoniam virtus eſt moderatio perturbationum, perturbationes autem ſunt longe plures quam vndecim, quare & earum mediocritates. Præterea videtur Ariſtoteles numeraſſe virtutes minoris momenti, & principaliores prætermiſiſſe: nam prætermiſit religionem, qua vllum aliud iter ad felicitatem eſſe breuius vel tutius, negauit Iamblichus in lib. de Myſteriis Ægyptiorum ſect. 10. prętermiſit pietatem erga Deum, quam maximam humanarum virtutum in Epinomide Plato nuncupauit: ſanctitatem non enumerauit, quam eximiis laudibus in Eutyphrone Plato extulit, & variis deſcriptionibus circumſcripſit: prætermiſit fidem, ſpem & caritatem, quæ nedum virtutes, verum inſuper virtutum principes, cæterarumque regulæ iudicari debent. Inſuper de modeſtia, ſobrietate, honeſtate, ieiunio, obedientia, reuerentia, benignitate, concordia, amicitia, gratia, pœnitentia, pudicitia, caſtitate, humilitate, miſericordia, & ſimilibus, quæ in virtutum corona maxime fulgent, & á theologis ſummopere commendantur, nullum fecit verbum.

Dubitatio de religione.

Dubitatio de pietate & ſanctitate.

De fide, ſpe, caritate.

De modeſtia ſobrietate, & ſimilibus.

Quod ſit redundans.

Ex aduerſo numerus virtutum videtur eſſe redundans, nam vnica videtur ſtatuenda virtus, non plures: quia finis virtutis vnus eſt, ſcil. honeſtum, principium vnum, prudentia, forma vna, recta ratio, medium vnum, recta prælectio, ſubiectum vnum, appetitus ſenſuum, vna igitur erit virtus. Quod ſi eas volumus aſſerere plures, ſat erit forte cum Theage Pythagoreo in lib. de virtute quatuor ſtatuere: ſtatuit enim ducē prudentiam, comitem fortitudinem & temperātiam, compoſitam ex his iuſtitiam: nam ſingulis facultatibus ſingulæ virtutes videntur eſſe ſatis, pro ratione prudentia, pro cupiditate temperantia, pro appetitu iraſcendi fortitudo, pro vtroque ſenſuum appetitu ſimul iuſtitia. Quod etiam approbauit Alcinous in lib. de doctrina Platonis, c. 31. Ita communiter illæ quatuor nuncupantur virtutes principales & cardinales. Vel demum erit forte dicendum cum Platone, qui in Protagora quinque aſſerit eſſe virtutes; ſapientiam, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam, & ſanctitatem: nam ſapientia eſt dux omnium: temperantia & fortitudo, recte componunt appetitum cupiendi & iraſcendi, iuſtitia nos recte componit erga homines, ſanctitas demum erga Deum: cæteræ omnino redundantes eſſe videntur, & præſertim illæ tres, quæ ὁμιλητικαί, hoc eſt, in congreſſibus poſitæ dicuntur.

Theages.

Alcinous.

Plato.

Quomo-

Quomodo virtutum numerus ſit, vel non ſit redundans, & diminutus. CAP. XXXIV.

SI prima virtutum capita inſpicimus, ea pauciſſima ſunt, ſi deſcendimus ad media genera, ea ſunt plura; infimæ ſpecies longe plures, ac demum earum modi plurimi. Primum caput eſt vnum, virtus moralis, virtuſque perfecta, quæ virtus vniuerſa & vniuerſa iuſtitia dicitur, vt patet ex quinto moralium Nicomachiorum, cap. primo. Inſuper rediguntur in communem amorem, communem fortitudinem, communemque temperantiam, vt patuit in præcedentibus. Demum rediguntur in vnum caput & ducem, prudentiam ſcilicet, ſine qua nulla virtus conſiſtere poteſt, vt in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 13. dixit Ariſtoteles. At hæc non eſt virtus ad appetitum ſenſuum pertinens, & illæ non ſunt virtus vna ſpecie. Ideo ſecundo virtutes ad morum compoſitionem pertinentes, redigi poſſunt in duas, in vniuerſam ſcilicet iuſtitiam attinentem ad appetitum ſenſuum, communemqué prudentiam attinentem ad rationem. Inſuper adhuc, prætermiſſa prudentia, dici poſſunt duæ, quia duo ſunt ſenſuum appetitus, quorum concupiſcibilis temperantia, iraſcibilis fortitudine præſertim corrigitur. Ita Theages & Alcinous, duabus ſenſuum appetitionibus duas ſolas nuper relatas tribuebant virtutes: eadem ratione Ariſtoteles in 3. moralium Nicomachiorum, capit. 10 inquit: *temperantiam, & fortitudinem irrationalium partium eſſe virtutes videntur:* Quod dictum fuit, nedum ex ſententia Platonis (vt cenſuit Euſtrat.) verum etiam ex propria modo explicato. Præterea virtutes dici poſſunt tres, duæ ſimplices iam enumeratæ, & iuſtitia communis vtrique appetitui: Quibus ſi prudentiam rationi competentem addimus, quatuor principes virtutes conſurgent, quæ cardinales dicuntur à Latinis, & hæ à Theage numerabantur. Hac conſideratione Ariſtot. in primo Rhetor. inquit: *partes virtutis ſunt prudentia, iuſtitia, temperantia, & fortitudo.* At tunc populariter loquitur: prudentia enim non eſt eiuſdem ordinis cum cæteris, ſed eſt dux omnium & regula, ac pertinet non ad appetitum ſentiendi, ſed ad mentem, neque eſt moderatio alicuius perturbationis: ideo eſt virtus rationis, non moralis, nec inter morales numeranda. Neque debent ſtatui quinque (vt fecit Plato) nam aliud eſt loqui de virtutibus moralibus appetitui ſenſuum competentibus, de quibus modo eſt ſermo, & loqui de omnium virtutum ſubordinatis capitibus, vt fecit Plato: qui ob id numerauit ſapientiam; ad quam & ſcientiam, & intelligentiam, & prudentiam redigebat. Inſuper ea enumeratio alia ratione eſt redundans, quia ſanctitas ad iuſtitiam redigitur: eam tamen

Quomodo virtus ſit vna.

Quomodo ſint duæ.

Quatuor virtutes cardinales.

enumerauit Plato, vt amplecteretur virtutes rationis, virtutes moraleſ, & heroicas, ſanctitas enim eſt heroica iuſtitia. Virtutum igitur moralium principalia capita ex ſententia Ariſtotelis debent iudicari tria, temperantia componens appetitum cupiendi, fortitudo eum qui eſt iraſcendi, iuſtitia nos recte diſponens erga alios. Quod ſi mox ad diſtinctiores ſpecies volumus deſcendere, ſex enumerare poterimus, redigendo liberalitatem & magnificentiam in vnam, ſimiliter honoris appetitionem & magnanimitatem, magnificentia enim eſt liberalitas, & magnanimitas eſt congruens honoris appetitio, pariter prætermittendo tres illas, quæ in conuerſatione verſantur, quæ minoris ſunt momenti, & magna ex parte cum ex natura, tum ex aliis virtutibus prodeunt.

Quomodo morales virtutes ſint tres.

Quod ſi adhuc diſtinctius eas numerare volumus, & magis ad vltimas ſpecies deſcendere, quibus diſtinctius fiat moderatio perturbationum, ſic poterimus magnificentiam á liberalitate, magnanimitatem à moderata honoris appetitione diſtinguere, & octo numerare virtutes, prætermittendo tres illas in conuerſatione poſitas. Ita loquitur Ariſtot. in 1. Rhet. inquiens: *partes autem virtutis ſunt iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia.* Sed Ariſtot. tunc miſſam facit honoris appetitionem, & populariter loquens prudentiam numerat; quæ non eſt eiuſdem ordinis cum cæteris, ſed recta ratio earum.

Quomodo ſint octo.

Quod ſi adhuc diſtinctius numerare volumus virtutes morales, quibus fiat moderatio perturbationum, ita cum Ariſtotele vndecim eſſe dicemus. Quod ſi demum varietates ſingulas inſpicere volumus, ex variis prodeuntes, tunc cum Chryſippo dicere poterimus, eas eſſe pene innumeras, vt etiam Philon Iudæus plurimas enumerauit: ſingularum enim virtutum multæ varietates, diſtinctæ proprietates, variique fructus inueniuntur, quæ nonnunquam virtutum nomine denotantur, vt in temperantia conſideratur ieiunium, abſtinentia, virginitas, caſtitas, honeſtas, modeſtia, ſobrietas, & ſimiles, in fortitudine ſecuritas, & conſtantia: virtutum enim variæ ſunt conditiones, diſpoſitiones, & munera.

Quomodo vndecim. Quomodo innumera.

Ideo Stobæus in ſermone de virtute, ex libro Ariſtotelis de virtute hæc refert. *Eſt vero virtutis & hoc, beneficiis dignos afficere, bonos amicitia ſua dignari, odiſſe malos, tum nec pœna, nec vindictæ cupidum eſſe, ſed miſericordem clementemque, ac veniam concedere paratum eſſe, comites virtutis ſunt probitas, æquitas, candor, ſpes bona, & id genus alia, qualis eſt familiarum, amicorum, ſociorum, hoſpitum, hominum denique bonorum præſertim amor.* Hæc Stobæus. Sic itaque ob ſemiuirtutes, virtutum affectiones, officia, ac munera, virtutes innumeræ eſſe videntur, cum tamen omnes ad enumerata capita redigantur.

Stobæus.

Comites virtutis.

De

Digitized by Google

De pietate, ſanctitate & religione. CAP. XXXV.

ERat dubitatio, cur Ariſtoteles inter virtutes non enumerauerit religionem, pietatem, & ſanctitatem. Cui reſpondens, & à pietate ordiens dico, pietatis nomen in varia ſignificatione vſurpari: dum tamen in ſua principali & magis propria ſignificatione accipitur, denotat animi conſtitutionem, qua colimus maiores noſtros, & eos quibus debemus, & quia primo debemus Deo, ſecundo patriæ, tertio parentibus, ideo pietas primo Deum reſpicit, mox patriam, conſanguineos, & amicos. *Pietas.* Hinc recte Cicero in primo de natura Deorum dixit: *cum pietate ſanctitatem ſimul & religionem tolli.* & addit: *atque haud ſcio, an pietate erga Deum ſublata, fides, & ſocietas generis humani, & vna excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur, &c.* *Cicero.* Et iure hoc dixit, nam pietas eſt caput, & eminentia iuſtitiæ, ac fundamentum omnium virtutum: qui enim recte erga Deum eſt affectus, erga omnia congruenter ſe habet. Religio vſurpatur apud Platonem, cum pro ſcientia diuini cultus, tum pro habitu obſeruantiæ eius, quo habitu nos cum Deo deuincimus ac religamus. *Religio.* De his inquit Plato in Epinomide: *maiorem virtutem religione pietateq; in Deum nullam in humano genere inuenire, ſibi quiſquam perſuadeat.* Sanctitas demum ea eſt, per quam reddimus Deo quod ei debemus, & ab eo ſine medio recipimus, ſine medio autem ſuſcipimus mentem, eamque illi deuouere maxime debemus, quod ſanctitate perficimus. *Sanctitas.* Et quia via frequenter nomine termini & finis denotatur, ideo vſurpatur nonnunquam ſanctitas pro innocentia, & congruente animi erga Deum conſtitutione, de qua dixit Mercurius: *ſanctitas eſt frequens intuitus, & amor diuinitatis.* *Mercurius.* Pietas igitur, religio, & ſanctitas, arcto neceſſitudinis nodo ligantur. De his dixit Marſilius in Euthyphronem, *ſanctitatem præcedit pietas, religio ſequitur: eſt enim pietas Dei parentis cognitio: ſanctitas eius, quod Dei eſt, Deo agnito retributio: religio eius, quod Deo redditum eſt, aſſidua meditatione, iunctiſq; operibus cum Deo ipſo indiſſolubilis religatio.* De his virtutibus Ariſtot. verba non fecit quatuor de cauſſis. Prima eſt, quia ſub nube ſolum, & eminus inſpexit pertinentia ad cognitionem, modumque operandi Dei. *Cur de his Ariſt. non ſit locutus.* Inſuper futuram hominis vitam penitus ignorauit: propterea pietatem, religionem & ſanctitatem, quæ illis vt radicibus hærent, obſcuriſſime inſpexit: *Ratio prima.* Plato vero quia priſcis theologis in attinentibus ad Deum fidem præbuit, recte magis de illis ſenſit, ac magis pie loquutus eſt. *Plato.* Secundo Ariſtoteles virtutes conſiderauit, quæ ciuiles ſunt, nos recte diſponunt erga homines, quibus humanæ perturbationes componuntur, non autem eas, quæ ad futuram gloriam ducunt. *Secunda.* Tertio eas præter-

Tertia. miſit, quoniam, quatenus virtutes ſunt, ad heroicas rediguntur: heroica enim virtus ea eſt, quæ nos eleuat ſupra homines, & ad Deum extollit, quo munere feliciſſime funguntur numeratæ virtutes: rem autem ita ſe habere clare conſtat, cum conuertimur ad earum contraria, ad impietatem ſcilicet, prophanitatem, religioniſque aſpernationem, quæ deterrimæ feritates ſunt, feritas autem heroicæ virtuti opponitur. *Quarta.* Poſtrema cauſſa eſt, quia heroicæ virtutes ſunt eminentiæ & ſublimitates virtutum moralium: propterea quicunque de virtutibus moralibus, & heroicis diſſerit, de pietate, & aliis, vt ad Philoſophum pertinet, diſſeruiſſe dicitur: tres enim illæ enumeratæ ad iuſtitiam rediguntur, nam ſunt iuſtitiæ culmen, iuſtitia erga Deum, qua Deo reddimus quod ei debemus, & ſunt huius conditionis, vt ſine fide, ſpe, & caritate nobis exacte competere non valeant: conſideratur enim hic aureus ordo, virtutes naturales parant ad humanas, humanę ad diuinas, diuinarum autem fructus eſt pietas, religio, & ſanctitas.

Iuſtitia religioſa ſeu ὁσιότης Platoni latine ſanctitas.

De reliquis quæ inter virtutes numerandæ videbantur, & præſertim de fide, ſpe, & caritate.

CAP. XXXVI.

IVre optimo de fide, ſpe, & caritate ambigebatur, quare inter virtutes numeratæ non fuerint, cum ſplendidiores ſole in virtutum choro refulgeant, & ſine eis ſplendor omnis reliquarum virtutum deliteſcat. Hæ nos recte parant ad poſtremum finem, cum cæteræ ſolum corrigant ordinata in illum: Ideo nedum ſunt virtutes; verum inſuper ſunt regulæ, radices, ſpiritus, & perfectiones cæterarum, quæ virtutes dictæ fuere. Hæ a theologis virtutes theologicæ nuncupantur, quæ non humanæ, ſed diuinæ ſunt: & diuinæ quidem, primo ratione principii infundentis, ſecundo ratione finis, in quem eleuant, tertio ratione propriæ naturæ, & conditionis earum: ideo competunt homini, vt per gratiam participat conditionem diuinam, illumque eleuant ad finem ſupra vires naturæ poſitum. Hæ tres cum antecedant, eas comitantur tres aliæ, pietas ſcilicet, religio, & ſanctitas, ſpes enim pietatem parit, eique reſpondet, fides religionem, caritas ſanctitatem. His aduerſatur feritas ab animis hominum euellenda penitus. Hæ virtutes partim in medio, partim in ſummo ſunt poſitæ. In ſummo quidem, primo ratione obiecti, ſine medio enim ad ſummum, nempe ad Deum eleuant: ſecundo ratione feritatis, & aduerſæ perturbationis, quam penitus euellunt. In medio autem munere quarundam circumſtantiarum, nam credendum cui oportet, pro quo oportet. Id ipſum de ſpe, & caritate dicendum eſt. De his (vt inſtituto meo

Virtutes theologicæ cur diuinæ.

Quomodo in medio, & in ſummo ſint poſitæ.

to meo inſeruiunt) breuiſſime agam. Ac à fide ordiens, tribus præſertim modis fidei nomen vſurpari adinuenio, pro fide theologica, phyſica, & ciuili. Fides theologica definitur, quod ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, quæ à ſpe & caritate poſtremam recipit perfectionem. Huius obiectum eſt Deus ſub ratione veri, ſupra humanam facultatem noſtræ mentis collocari. Diuiditur autem in infuſam, & acquiſitam. Infuſa producitur à Deo in nobis ſine noſtra actione, at non ſine noſtra conſenſione: ei conducit noſtra actio, vt diſponens & ſeruans, at non vt producens. Fides autem acquiſita nititur aſſertione alicuius teſtis fide digni, qui tamen poſſit errare. Fidem ſequitur actio, non vt proprius finis eius, non enim fides eſt recta ratio agendi, ſed recte ſentiendi: ſequitur autem eam actio, & fructus eius; veluti inſpectrices ſcientias ſequuntur multæ artes, & effectiones. Propterea non aſſentior Scoto, qui in quarta quæſtion. prologi ſent. fidem hanc, de qua loquimur, ſtatuit habitum practicum. Inſuper, quia fides ſequitur aſſertionem teſtis fide digni, propterea recte Diuus Thomas 3. contra Gentiles cap. 40. eam auditui potius quam viſui ſimilem affirmat. Hæc eſt fides nota theologis, qui recte cognoſcunt, quomodo Deus loquatur hominij, veritatemque patefaciat: ignota autem philoſophis, qui per ſola naturæ opera eleuantur in Deum. Fides in hac ſignificatione ad mentem pertinet, non ad appetitum ſenſuum, niſi munere fructuum eius, propterea inter virtutes morales numeranda non eſt, ſed regula earum, & regula quidem heroica cenſeri debet, cum nos eleuet ad Deum. Altera eſt fides phyſica, ad theoricam philoſophiam pertinens, qua aſſentimur concluſioni ratione collectæ: de qua philoſophus in ſecundo de anima cont. 157. agens hunc ordinem ſtatuit: primam ſtatuit rationem, quam ſequi ait ſuaſionem; ratione enim ſuademur, ſuaſionem demum ait ſequi fidem, & fidem opinionem, quæ etiam fides ad rem non facit, cum ad mentem pertineat. Demum datur fides ciuilis & moralis, quæ ad actiones refertur, & ſæpe ſermo fit de danda, accipienda, ſeruandaque fide, & eſt dictorum factorumque conſtantia: quæ fides ad iuſtitiam redigitur, ad eamque pertinet. Hanc dixit Theages in periculis maxime lucere, & Plato in primo de legibus affirmauit eam eſſe iuſtitiam perfectam. Spes etiam non vno modo accipitur, frequenter tamen apud philoſophos vſurpatur pro animi perturbatione relata ad futurum bonum, cui timor opponitur, & à fortitudine præſertim corrigitur. Nonnunquam vero refertur ad finem poſtremum, & ſignificat fructum vniuerſæ virtutis, recte enim de ſummo bono ſperat, qui cum virtute vitam ducit: de qua recte cecinit Pindarus: *Quicunque iuſte ſancteque*

De fide. *Triplex fides.* *Fides theologica quid.* *Diuiſio fidei ſcholaſtica.* *Fides phyſica.* *Fides ciuilis.* *Spes.* *Pindarus.*

Vitam exigit, ducit eum ſpes comitatur, cor nutriens, ſenectutemq; fo-uens. Quam ſententiam commendauit Plato in primo dialogo de repub. Stobæus id ipſum in ſermone de virtute ex ſententia Ariſtotelis aſſeruit, *comites virtutis eſſe inquiens, æquitatem, candorem, bonam ſpem*, & id genus alia. De caritate ſoli theologi recte loquuntur & ſentiunt: vere enim (vt ipſi cenſent) caritas eſt feruens amor, quo diligitur Deus tanquam obiectum ſummi noſtri boni, ad quod dirigimur per fidem & ſpem, ſine qua caritate nulla, quæ abſolute ſit moralis virtus, conſiſtere poteſt: eſt enim mater, radix, neruus, forma, & ſpiritus virtutum omnium. Ariſtoteles tamen cum veram abſolutamque caritatem minime nouerit, ſolam imaginem & vmbram eius conceſſit: nam caritas ex principiis Ariſtotelis nil aliud eſt, niſi amor honeſti, cuius radix eſt dilectio Dei & proximi. Et quemadmodum vera theologorum caritas, veras & abſolutas parit virtutes: ita hæc caritatis vmbra parit virtutes Peripateticas; quæ comparatæ cum exactis theologorum virtutibus, vmbræ & imagines cenſeri debent. Hæc Peripateticorum caritas pertinet ac redigitur ad eam, quam primam & communem virtutem ſtatuebam, nempe ad moderatum amorem, qui eſt ſpiritus virtutum omnium: eademque caritas quatenus per ſingulos virtutum habitus ad frugem redigitur ac perficitur, dici poteſt fructus & comes earum. Patet itaque ex ſententia Peripateticorum, quid de fide, ſpe, & caritate ſit dicendum. De amicitia ſuo loco diſſeretur. De modeſtia, ſobrietate, honeſtate, virginitate, caſtitate, obedientia, reuerentia, benignitate, concordia, humilitate, honorum negligentia, paupertate, ieiunio, & ſimilibus, quæ frequenter commendantur, & á theologis ſummis laudibus extolluntur: iam ex ſæpe dictis conſtat, quid ſit dicendum: ſunt enim vel viæ ad virtutes, vel modi earum, vel comites & fructus, non autem virtutes ſpecie diſtinctæ. Hoc tamen ſeruandum eſt: quod, cum theologi & Peripatetici de fine hominis non idem ſentiant, & virtutes ad varium finem dirigant, vario quoque modo de virtutibus ad finem ordinatis loquuntur, & medium earum vario modo ſtatuunt: theologi recte id omnino faciunt: Peripatetici ſolam hanc mortalem vitam, ſummumque in ea bonum inſpicientes, nos recte formant ad commercia & conſuetudines cum hominibus ad ſalutem reipub. ad ornamentum noſtri, & demum ad optimam ciuilis vitæ conſtitutionem. Ideo mirum non eſt, ſi Ariſtoteles in 7. de repub. capit. 16. dixit: *de expoſitione educationeq; filiorum lex ſit, nihil orbatum natura fore educandum.* Non igitur Ariſtoteles in enumerandis virtutibus eſt diminutus: quod autem non ſit redundans, ex dictis in præcedentibus eſt conſpicuum.

Caritas.

Caritas ex ſententia Ariſtotelis.

Quomo-

Digitized by Google

Quomodo vniuerſa virtus, quæ etiam vniuerſa iuſtitia dicitur, vna ſit. CAP. XXXVII.

FRequenter in præcedentibus dictum eſt, & à Platone in Protagora, necnon ab Ariſtotele in quinto moralium Nicomachiorum aſſeritur, dari vniuerſam virtutem moralem: quam iuſtitiam vniuerſam, virtutem perfectam, ac vnam affirmant. Verum quo pacto hæc vniuerſa virtus vna ſit, minime conſtat: latet enim, num debeat cenſeri vna genere, vel ſpecie, vel numero, vel analogia. Vna genere eſſe non videtur: quoniam ſublata ſpecie vna, non aufertur genus; at, quauis virtute ſublata, perit virtus vniuerſa. Præterea, deſtructionem vnius ſpeciei nõ ſequitur deſtructio aliarum ſpecierum eiuſdẽ generis: at quauis morali virtute ſublata, vt omnes pereant neceſſe eſt, quemadmodũ in progreſſu patebit. Inſuper longe minus vna ſpecie & forma eſſe videtur: quoniam perturbationes corrigendæ ſunt diſtinctæ, facultates, quibus competunt obiecta, & actiones, variæ ſunt: quare, vt forma ſit varia, neceſſe eſt. Si virtus non poteſt eſſe vna ſpecie, longe minus vna numero erit; quæ enim numero ſunt vnum, etiam ſunt vnum ſpecie. Dicere, quod analogia, hoc eſt, rationis ſimilitudine ſit vna, ad rem non facit: proculdubio enim, vt temperantia ad voluptatem ſe habet, ita manſuetudo ad iram, & ſic de ſingulis: verum per hãc rationis ſimilitudinem minus proprie virtus diceretur vna, & perfecta. At forte dicet aliquis virtutem eſſe vnam numero, vt totum diſſimilium partium: veluti Alcibiades vnus numero dicitur, quamuis conſtet ex his, quæ forma inter ſe diſtinguuntur. Aduerſus hanc ſentẽtiam diſputat Plato in Protagora in perſona Socratis, manifeſtans omnem virtutem alteri virtuti eſſe ſimilem, & eiuſdem rationis; nam virtus omnis eſt modo aliquo prudẽtia, eſt iuſtitia, eſt temperantia, & fortitudo. Alexander in quarto naturalium quæſt. aduerſus id ita argumentatur. In toto conflato ex partibus diſtinctæ rationis, parti non competit ratio vel nomen totius: nõ enim caput eſt homo, vel animal rationis particeps: at de ſingulis virtutibus, cum nomen, tum definitio virtutis recte dicitur. Demum virtus non videtur poſſe dici vna ab vno, & ad vnum, ſiue ordine quodam: quoniam in his, quæ ſunt ab vno, poſteriore ablato non auferuntur priora: at quauis virtute demta pereunt omnes. Non itaque conſtat, quomodo virtus iudicari poſſit vna. Alexander hac de re multa dicit in quarto nat. quęſt. c 8. & 28. & demum in hanc ſententiam venit; vt virtus vna ſit, non tanquam genus, ſed tanquam totum ſimilium partium: ideo inquit in capit. 28. *Vt in corporibus ex mixtione diſſimilium elementorum mixtum ſimilium partium gignitur, ita de habitibus & virtuti-*

Virtutem vniuerſam non eſſe vnam genere.

Non eſſe vnam ſpecie.

Non vnam numero.

Dubitatio.

Plato.

Alexander.

Virtutem nõ eſſe vnam ab vno, & ad vnum.

Alexandri ſententia.

bus ſe habet: & quamuis ad actionem virtutis ea tota virtus conſpi-ret, tamen ex proprietate quadam, & modo liquendi tribuitur parti: & quia per talem mixtionem virtutes omnes redduntur ſimiles, ideo vir-tus vniuoce de illis dicitur. Hæc Alexandri ſententia approbanda nõvidetur. Primo quia, dum quæuis forma manet integra, formæ illæ non miſceri, ſed vna extendi, ſimulque ſeruari dicũtur, mixtio enim eſt miſcibilium alteratorum vnitio: formæ virtutum ſimul ſeruantur integræ, & nedum non caſtigantur, verum potius ſe perficiunt: male itaque dicuntur miſceri. Præterea appetendi facultates ſunt diſtinctæ, ſimiliter perturbationes, quæ virtute corriguntur, hæ non miſcentur, vt eſt conſpicuum: quare neque virtutes, quæ ſunt harum formę. Confirmatur, quia ea, quæ ſunt nata miſceri, etiam ſunt nata ſeorſum reperiri, vt aſſeritur in primo de generatione & interitu. Virtutes autem minime ſunt natæ ſeorſum ſeruari, & reperiri. Eſt igitur difficile videre, quomodo vniuerſa virtus ſit vna: præſertim quia, ſi vniuerſa virtus eſt vna, quid erit dicendum de vitio ei oppoſito? nunquid vnum vel multa debeat iudicari?

Contra Alexandrum.

Quomodo vniuerſa virtus ſit vna, opinio propria.

Cap. XXXVIII.

Virtus vniuerſa dupliciter vſurpatur.

Quomodo vniuerſa virtus ſit tanquam genus.

Virtus vniuerſa præcipue dupliciter conſiderari poteſt. Primo pro quodam prædicato communi, hoc eſt, pro toto vniuerſali, quod dicitur cum de vniuerſa virtute, tum de quauis parte eius: qua conſideratione proculdubio eſt tãquam genus, non quidem vniuocum, ſed ab vno, quod primo dicitur de virtute vniuerſa, ſecundo de virtute in parte cõſiderata, quæ virtus in parte conſiderata, mox vt genus proximum continet ſub ſe partes ſingulas virtutis. Secundo conſideratur vniuerſa virtus pro ſola perfecta virtute ex aliis vt ex partibus conſurgente, qua ſecunda conſideratione minime iudicari debet genus: non enim genus actu includit ſpecies, ſed ſolum poteſtate, virtus autem vniuerſa actu includit virtutes omnes. Nec cenſeri debet compoſitum ſimilium partium, vt pateſeci, ſed iudicari debet totum quoddam non mixtum, ſed vnum per connexionem & aggregationem, conflatum ex partibus diſſimilis ſpeciei: non ſecus ac mundus conſurgit ex ordine ſimplicium corporum, manus ex connexione carnis, oſſium, neruorum, & ſimiliũ partium, quæ, vt conſpirant ad conſtitutionem, ita conſpirant ad functionem muneris. Inſuper: vt in his, quæ ex variis partibus conſtant, inueniuntur nõnulla communia, quibus ſingulæ partes quaſi neruis ligantur, quorum auxilio fit vnum, ita quoque

Quomodo ſit vna per connexionem & aggregationem.

ea in

Digitized by Google

ea in vniuerſa virtute inſpiciuntur: ligantur enim virtutes ſingulæ communi prudentia, communi deſiderio honeſti, communi amore boni, communi obſeruantia legum, communi moderatione perturbationum, ac ſimilibus, ob quam connexionem mutuo ſe perficiunt, ad eandemque actionem conſpirant. Et quamuis aliqua ſit actio propria fortitudinis, quæ non eſt temperantiæ, vt aliqua eſt operatio propria neruorum manus, quæ non eſt oſſis: tamen ad obeundam perfectam actionem partes omnes vna conſpirant. Inſuper vt humanum corpus perfectum non eſt, niſi præditum ſit ſingulis partibus, ita virtus nunquam erit vniuerſa & perfecta, niſi omnibus partibus quaſi numeris ſit abſoluta: imo vt caput ſine pectore, pectuſque ſine ventre non viuit, ita nec temperantia ſiue fortitudine, nec vna quæuis virtus ſine alia, virtutis naturam & conditionem ſeruare valet, ex quibus vnum totum per connexionem, mutuamque conſpirationem diſſimilium partium conſurgit. Et quoniam exemplis ea, quæ ſunt obſcura, exactiſſime illuſtrantur, propterea vtar exemplo accommodatiſſimo à ſanitate, nec non à pulcritudine corporis ſumpto, quibus recta ratione animi perfectio reſpondet. Si corporis pulcritudinem ſanitatemque conſideramus; percipimus ambas per vniuerſum corpus extendi, eſſe totum quoddam ex variis partibus congruente ratione ligatis conſurgens: & quamuis alia oculi, alia oris, alia manus ſit pulcritudo & ſanitas, tamen ex huiuſmodi partium congruente ratione ac conſenſione iunctarum, vna abſoluta, vniuerſaque totius corporis ſanitas ac pulcritudo conſurgit. Idipſum de temperantia, fortitudine, ceteriſque virtutibus iudicare debemus. Neque arduum eſt aduerſis rationibus reſpondere. Nam Platoni in Protagora oſtendenti partes virtutis eſſe conſimiles & eiuſdem rationis, dico eas eſſe conſimiles ratione communium ligamentorum quaſi communium ſpirituum & neruorum, quibus ligantur, at ratione propria eſſe formas diſſimiles: quod patet ex ipſomet Platone, qui in 4. de Republ. & alibi, variarum partium virtutis varias tradit definitiones. Rationi Alexandri aſſerentis, dum totum ex variis partibus eſt conflatum, partibus nec nomen nec definitionem totius competere; reſpondeo, in hac argumentatione includi æquiuocationem: nam (vt dixi) virtutis nomen duo ſignificat, genus ſcilicet ſingularum virtutum, & virtutem vniuerſam, quæ eſt virtus tota & perfecta: de ſingulis virtutibus vere dicitur nomen & definitio virtutis pro genere ſumptæ, at non virtutis vniuerſæ: non enim fortitudo eſt vniuerſa virtus, nec liberalitas, neque his congruit definitio vniuerſæ virtutis, quod patet exemplo pulcritudinis, & ſanitatis:

Duo exempla accommodatiſſima.

Diluuntur aduerſa rationes.

Diluitur ratio Platonis.

Diluitur ratio Alexandri.

Virtutis duæ notiones.

Digitized by Google

ſanitas enim oculi, eiuſq; pulcritudo eſt quidem ſanitas, & pulcritudo, at non vniuerſa ſanitas, vniuerſaque pulcritudo totius corporis. Conſtat igitur virtutem vniuerſam eſſe vnam per connexionem, & communia ligamẽta ſingularum partium diſtinctæ formæ: in qua connexione pars quælibet ſuam ſeruat formam, & per connexas nedum non minuitur, vt ea quæ miſcentur, verum potius & quoad eſſe, & quoad actione perficitur: & cum quæuis pars in ſuo gradu ſit perfecta, ex cunctis tamen virtus vniuerſa perfectiſſima, ſplendidiſſima, & potentiſſima conſurgit. Inde euenit, vt virtutes ſingulæ, rectius partes forma diſtinctæ, quam diſtinctæ & ſeparatæ ſpecies nuncupentur. Propterea Ariſt. in primo rhetoricorum temperantiam, fortitudinem, & reliquas frequenter nuncupat partes, potius quam ſpecies virtutis.

Colligitur quomodo virtus vniuerſa vna ſit.

Particulares virtutes cur rectius partes quam ſpecies dicantur.

De connexione moralium virtutum.

CAP. XXXIX.

Frequenter dictum eſt in præcedẽtibus, & ab Ariſt. aſſeritur, morales virtutes adeo eſſe iunctas, vt vna ſine altera cõſiſtere nequeat, quæ connexio earum dignitatem & præſtãtiam patefacit: propterea ꝓ virtutum exacta notitia de earum mutuo amplexu mutuaque connexione agendũ eſt. Quemadmodum vitia ſummopere diſſident, & nedum virtutem, verum ſe quoq; mutuo deſtruunt: ita ex aduerſo virtutes morales inſolubili nodo ligantur, incomparabili conſenſione & harmonia ſibi mutuo reſpondent, ſalutarique ſpiritu ſe perficiunt, non ſecus ac diuinæ gratiæ, quæ ſemper ſe amplectuntur, & nunquam ſeparatæ inſpiciuntur Hanc felicem copulam inſpexit Pythagoras, expreſſit Plato in Protagora, nec non in lib. de regno: patefecit Ariſtot. in quinto moralium Nicomachiorum, dum virtutes in vnam redegit, nec non in calce ſexti libri, dum morales virtutes cum rationalibus comparauit: approbarunt noſtri theologi. Ideo Gregorius in 22. moralium dixit: *prudentia vera non eſt, quæ iuſta, temperans & fortis non eſt: nec perfecta eſt temperantia, quæ iuſta, fortis, & prudens non eſt: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & iuſta non eſt: nec vera iuſtitia, quæ prudens, fortis, & temperans non eſt, &c.* Oritur virtutum connexio ex octo præſertim arctiſſimis vinculis. Primum eſt prudentia, ſine qua nulla virtus moralis cõſiſtere valet, vt in calce ſexti moralium Nicomachiorum affirmauit Ariſtoteles. Hæc adeo cum virtutibus eſt inſerta, vt Zeno Stoicorum princeps, & Apollophanes virtutem omnem putarint eſſe vnam, & illam eſſe prudentiam. Alterum vinculum eſt communis finis, nam finis omnium eſt honeſtum, in quem conſpirant non alia ratione, niſi quia eſt honeſtum. Cum itaque homo virtute præditus, ſit vir probus, & vir probus ſua

Connexio virtutum.

Gregorius.

Per quæ connectantur virtutes.

Octo vincula virtutum.

Primum.

Secundum.

probi-

probitate & virtute expetat honeſtum vt honeſtum eſt, & reduplicatio vertatur in vniuerſale. Vir itaque probus appetet omne honeſtum, quod ei conuenire non poteſt, niſi omni virtute ſit præditus: qui enim conſtanter omne honeſtum expetit, omni virtute eſt decoratus. Hunc nodum ex fine prodeuntem cumulate patefecit Alexand. in 2. de anima, cap. 41. Tertius nodus oritur ex amore, quo (vt dicebat Plato in conuiuio) alter inſolubilior inueniri non poteſt. Amor tribus modis deuincit virtutes: primo per amorem ad voluntatem pertinentem, quo bonum & honeſtum conſtanter amamus & optamus: ſecundo per amorem attinentem ad appetitus ſenſuum, quo, vt decet, diligimus obiecta eorum, & rationem rectam: tertio per mutuam virtutum dilectionem; cum enim virtus omnis expetat honeſtum, ac vnaquæque virtus honeſta ſit, vnaquæque virtus diligit alteram, & pro facultate cum altera connectitur, finis enim amoris coniunctio eſt. Quarta connexio oritur ex principum virtutum coextenſione, mutuoque amplexu. Iam patuit iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam eſſe virtutes vniuerſas, meare per omnes & in ſingulis reperiri: quamuis enim vt verſantur in propria materie, & conſideratæ vt partes, diſtinctæ ſint, tamen per communes quaſdam earum proprietates meāt per omnes, & ſingulæ in ſingulis reperiuntur: per omnem enim virtutem obtemperamus legibus, vincimus noſipſos, vitia vt monſtra domamus, & perturbationes congruenter temperamus, ita conſurgit connexio in principio per communem temperantiam, in medio per fortitudinē in fine per iuſtitiam. Quinto oritur connexio ex requiſitis ad perfectionem actionis ſingularum virtutum, actionumque concurſu: ſi enim contingere poſſet, vt partem haberemus virtutis (exempli gratia) temperantiam & ſimul vitio auaritiæ eſſemus inquinati, nunquam omni ex parte perfectam temperantiæ ederemus actionem; cōtingere enim poſſet, vt puella caſta & temperata, ob auaritiam vel ægre fungeretur temperantiæ munere, vel temperantiam peruerteret. Cum igitur actiones ex virtute prodeuntes iunctæ ſint, eſt neceſſe, vt virtutes omnes morales ſint colligatæ. Ideo iure dicebat Plato in primo de legibus *claudam eſſe fortitudinem ex parte dextra, ſi ſuperat dolores, ſuccumbit voluptatibus*. Sexto elucefcit connexio, perpendendo attinentia ad denominationem nobis per morales virtutes competentem. Sententia eſt Ariſtotelis in ſexto moralium Nicomachiorū, cap. 13 (nec non in primo rhetoricorum morales virtutes eſſe huius cōditionis, vt homo eis ornatus abſolute vir probus denominetur, adeo vt vir fortis, cum ſit fortis, abſolute dicatur probus: ſimiliter liberalis abſolute probus nominatur: at nemo vnquam abſolute probus diceretur, niſi abſo-

Alexander.
Tertium.
Amor quomodo deuincit virtutes.
Quartum.
Quintum.
Plato.
Sextum.

lute virtutem omnem includeret. Quod confirmatur, quia homo vno vitio inquinatus, abſolute dicitur vitioſus, & quia nemo abſolute ſimul vitioſus & probus dici poteſt, ideo neceſſe eſt, vt homo vna virtute prӕditus omni virtute ſit ornatus, omnique vitio careat. Hinc dicitur, qui in vno eſt reus, in omnibus prӕſumitur reus, & vna actio vitioſa innumeras probas fœdat & labefactat. Iure igitur Ariſt. in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 13. dixit, *in naturalibus virtutibus fieri poſſe, vt inter ſe ſeparentur; in iis autem, in quibus abſolute vir bonus nominatur, nō poſſe.* Septima connexionis ratio ſumitur ex prӕelectione, quā recte explicauit Alexander in 4. nat quӕſt. cap. 22. Nam prӕelectio in functione munerum virtutis principem tenet locum, vt ſӕpe Ariſt. affirmat, prӕelectio recta rectam ſequitur cōſultationem, recta conſultatio expoſcit vt ducem rectam finis expetitionem: at cui prӕelectio, conſultatio, rectaque finis expetitio competunt, vt omnes competant virtutes neceſſe eſt. Octauum caput connexionis ſumitur ex integritate perfectioneque virtutis, ꝙ etiam declaratum fuit ab Alexandro in 2. de anima, cap. 41. nam inquit: *integrum quiddam eſt ipſa virtus, abſoluta & perfecta, cuius partes ſunt iuſtitia, fortitudo, & alia, quӕ non ſimpliciter virtutes, ſed cum additamento, & circa hac, ſimpliciter enim eſt illa integra*: Et addit, haud enim facile eſt (vt inquit Theophraſtus) virtutis differentias ita ſecernere, vt non inter ſe aliqua ſaltem in re conſentiant atque conueniant, appellationes vero ipſarum ſunt, vt communis vſus appellat. Demum eadem virtutum copula, felixque connexio cōfirmatur ex ſententia Pythagoreorum, prӕſertim Metopi & Theagis, qui tres ſtatuebant virtutis fontes: ſcientiam, ad quam redigebant prudentiam, potentiam facultati iraſcendi competētem, & voluntatem, cum qua prӕelectionem, & cupiditatem connectebant, & tunc cōſurgere virtutem exiſtimabant, dum ſcientia, potentia & voluntas vna recte conſpirant: at quicunque horum trium congruente conſpiratione fuerit prӕditus, vt omni virtute ſit honeſtatus neceſſe eſt. Non itaque iniuria Ariſt. morales virtutes ita complicatas exiſtimauit, vt vna ſine altera conſiſtere nequeat.

Septimum. *Octauum.* *Confirmatio.* *Felix trium conſpiratio.*

Dubia de virtutum connexione.

CAP. XL.

DVM principia, naturam, conditiones, muneraque virtutum perpendimus, miram in eis conſpirationem cōnexionemque inueniri iudicamus. At dum ex aduerſo humanam inſpicimus imbecillitatem, virtuteſque in variis diſperſas, & quaſi diuulſa membra ſeiunctas intuemur, cogimur de veritate ambigere, ac eas non ita neceſſario eſſe cōiunctas exiſtimare: & prӕſertim, quia nos potius experientiӕ, quam rationi cogimur adhibere

Experientia.

Digitized by Google

hibere fidem. Propterea aſſerebat Protagoras apud Platonem, *multos extitiſſe viros fortes, ſtrenuoſque militum duces, tamen vel intemperantes, vel iniuſti fuere: Vicerunt ſua fortitudine viros, victi fuerunt ob intemperantiam à fœminis*, vt legitur de filio Amilcaris, & de aliis innumeris. Similiter vice verſa viros plurimos cognoſcimus temperatos, iuſtos, liberales, magiſtratibus ſuæ reipubl. optime accommodatos, qui tamen, quoniam in terribilibus non ſunt verſati, ſunt timidi & imbelles. Hoc ipſum affirmauit Plato in dialogo de regno inquiens, *fortitudinem & temperantiam, quamuis virtutis ſint partes, tamen multis in rebus inter ſe pugnare.* Idipſum aſſeruit Ariſtót. in ſexto topicorum, loco 89. inquiens: *Accidet autem hoc, ſi hic quidem ipſorum temperantiam, & timiditatem habet, ille autem fortitudinem, & prodigalitatem.* Inſuper id, quod experientia cognoſcimus, ratione confirmare valemus, & primo: ſi virtutum vna ſine altera conſiſtere nequit, abſolute inferre licebit, neminem eſſe virtute præditum, quia nemo apud nos reperitur, in quo aliquid non deſideretur, in quo omne virtutum genus refulgeat, qui omni ex parte ſit beatus, qui dicere valeat, peccatum non habeo. Præterea virtutum nonnullæ inter ſe pugnãt, vna repellit alteram, vt liberalitas magnificentiam, honoriſque moderata appetitio magnanimitatem, adeo vt nec liberalis ſit magnificus, nec honorem mediocrem moderate appetens ſit magnanimus: Et nedum virtutes, verum etiam conditiones hominum pugnant cum conditione quarundam virtutum: nam viri pauperes & obſcuri, poſſunt quidem eſſe liberales, & honoris medioc ris congruenter cupidi, at non magnifici, nec magnanimi. Idipſum patet de vniuerſo ciuilium virtutum genere comparato cum genere heroicarum, quæ ſeruari ſimul non poſſunt, cum ciuiles relatæ ad heroicas obtineant locum defectionis, & vnius extremi, quod cum eminenti medio non ſeruatur. Propterea Scotus Theologus inſignis, & philoſophus acutiſſimus, in tertio ſententiarum, diſtinct. 36. connexionem illam virtutum minime neceſſariam affirmauit, idque his potiſſimũ rationibus demonſtrauit: primo conſiderando originem virtutum. Nam habitus virtutum more, iteratiſque actionibus producuntur: at frequẽter cõtingit, vt aliquis magis in actionibus vnius virtutis quam alterius verſetur, magis ad vnum quam ad alterum actionum genus ſit facilis, magiſque abundet inſtrumentis opportunitatibuſque ad vnam quam ad alteram virtutis actionem: & quoniam homo actionibus temperantiæ non euadit fortis, neque actionibus fortitudinis temperans, ſed fortis ideo poteſt homo vnam acquirere virtutem, & non alias. Inſuper idipſum oſtenditur ex definitione virtutum: ſi enim virtutum connexio eſ-

Protagoras. *Plato.* *Ariſt.* *Ratio pro ſeiunctione virtutum.* *Opinio Scoti.* *Rationes Scoti.* *Ratio prima.* *Altera ratio.*

ſet neceſſaria, etiam eſſet per ſe, & eſſet de ratione virtutum: at inſpicimus eam non accipi in definitione virtutis, nec ſequi definitionẽ eius; ſed ſolum denotari connexionem virtutum moralium cum prudentia ſibi propria, non earum inter ſe: ea igitur connexio virtuti competit ex euentu, & propterea poteſt non competere.

Ratio tertia. Præterea ita argumẽtatur: ſi ad conſtitutionem virtutis neceſſaria eſſet ea cõnexio, ſequeretur, quod quælibet virtus eſſet ratio alteri vt eſſet virtus: conſequentia nota eſt, conſequens eſſe abſurdum ita oſtenditur: ſi enim id eſſet, tunc aliqua eſſet virtus, antequam eſſet virtus: inſuper nulla eſſet prima virtus: demum nulla eſſet virtus. Hæ conſequentiæ ita facile deducuntur: nam ſi virtus vna non poſſet eſſe ſine altera, temperãtia itaque habebit à fortitudine vt ſit virtus, & vice verſa fortitudo à temperantia, quare fortitudo erit virtus, antequam ſit virtus: temperantia enim non eſt virtus ſine fortitudine: igitur oportet vt fortitudo prius ſit virtus; at ea nõ eſt virtus ſine temperantia, fortitudo itaque erit virtus antequam ſit virtus. Similiter ſequitur quod nulla erit prima virtus, nec vlla in nobis prius altera generabitur; quoniam nulla reperitur, quæ alias non ſupponat. Demum ſequitur, quod nulla erit virtus: quia ſi vna non poteſt eſſe virtus, niſi adſint aliæ, & aliæ nõ poſſunt eſſe ſine ea, vna igitur ſupponet alias, & ſupponetur ab eis, & erit prior ac poſterior aliis, & ſeipſa, quæ maxime pugnant, & ſimul ſeruari nequeunt: quare nulla erit virtus.

Quarta ratio. Præterea perfectiones non vniuerſæ, ſed in parte ſumtæ, ita ſe habent, vt vna poſſit eſſe ſine altera; vt ſanitas & pulcritudo oculi ſine ea, quæ eſt aurium: at virtutes morales ſunt perfectiones in parte, variæ enim varias perturbationes recte componunt: vna itaque non expoſcit alteram, ſed poteſt eſſe ſine ea, præſertim, cum perturbationes non ſint ſubordinatæ.

Concluſio. His ac ſimilibus rationibus nititur Scotus nodum & cõnexionem virtutum diſſoluere: ideo colligens aſſerit, nec vnam virtutem moralem cum altera eſſe neceſſario iunctam, nec partem prudentiæ cum vniuerſa prudentia, ſed ſolum virtutẽ cum ſibi propria & reſpondente prudentia eſſe colligatam, vt temperantiam cum ea prudentiæ parte, quæ verſatur in attinentibus ad temperantiam. Nam actiones variæ varias expoſcunt prudentiæ partes, & poteſt homo in attinentibus ad vnum actionis genus eſſe verſatus, in eoque eſſe prudens, non autem in attinentibus ad aliud, ac ita poteſt vna, & non altera morali virtute eſſe honeſtatus.

Nonnulla explicantur conducentia pro ſolutione difficultatis.

CAP. XLI.

QVoniam ſatis firmis rationibus conſpicuiſque auctoritatibus virtutum cõnexionem pateſeci, propterea, vt aduerſas ratio-

rationes valeam diluere, nõnulla præaccipienda duxi. Quorum primum eſt, virtutem duobus modis poſſe nobis competere, vel cum poſtrema ſua perfectione, vel cum diminutione & imperfectione aliqua. Dum de genere alicuius rei loquimur, debemus ſemper optimum, abſolutum, perfectumque illius generis inſpicere; id enim eſt finis, eſt perfecte & abſolute tale, nõ permixtum cũ ſuo oppoſito: per id autem, quod abſolute & perfecte eſt tale, vera, propria & ſincera rei conditio cognoſcitur, quæ eſt regula cognitionis aliorum. Hoc ſeruauit Cicero agens de oratore, Plato de repubſ. Ariſtoteles de demonſtratione, & ſimilibus: quare idipſum ſeruare debemus, dum agimus de virtute. Accipiendum ſecundo, ob cauſas in præcedentibus relatas nullam virtutem cũctis ſuis numeris poſſe eſſe abſolutam, niſi cum ceteris iuncta ſit; mutuo enim ſe perficiunt, augent, ſibique opera ferunt. Tertio id mente repetendum memoriaque ſeruandum eſt, quod in præcedentib etiam dixi, tribus præſertim modis poſſe in nobis virtutes morales gigni, vel munere eminẽtiorum habituum, ac ita dicuntur contemplationẽ ſequi, & ex naturæ, diuinæque prouidentiæ fontibus hauriri: vel per conſecutionem, munere mutuæ connexionis earum, per cuiuslibet enim virtutis actiones recte paramur erga communem finẽ, nec perfecte exercemur ad vnam, quin exerceamur ad alias, vel demum per ſe & primo, & id fit actionibus attinentibus ad virtutem illam, vt contradiſtinctam ab aliis, & de hoc modo, tanquã de proprio & per ſe primo, loquitur Ariſt. in 2. moralium Nicomachiorum. Accipiendum eſt poſtremo quod, cum ad habitum virtutis requiratur firmitas & conſtantia, ea nedum requiritur, vt à contrario non ſuperemur; verum inſuper, vt à nullo penitus a mediocritate reuocemur: veluti temperantia eſt habitus, quo tam cõſtanter in voluptatibus moderamur, vt nedum à nimia voluptate, verum neque à timore, neque ab auaritia neque ab vllo alio à medio retrahi valeamus, alioquin abſolute temperati non eſſemus. Hoc tamen verum eſt, quod, cum pro virtutis conſtantia ea duo requirantur, nempe vt neque a contrario, neque ab vllo alio à medio reuocemur; vnum tamẽ eſt magis proprium, magiſque de ratione ſingularum virtutum, ne ſcilicet à cõtrario reuocemur. Ex his conſtat primo actionum copula; ſecundo, quod nos in attinentibus ad virtutem aliquam dupliciter delinquere poſſumus; vel primo, & ratione contrarii proprii eius virtutis; vel ſecũdo, ob oppoſitum alterius virtutis, vt qui per iram, timorem, vel auaritiam a medio temperantiæ recedit. Ex dictis etiam ratio conſpicua eſt, cur virtutes imperfectæ ſeiungi à ſe inuicem poſſint, perfectæ nequeãt. Ideo Ariſt. in 6 moralium Nicomachiorum, capit 13 dixit: *Virtutes morales*,

Primum quod accipitur.

Alterum quod accipitur.

Tertium.

Quartum.

Nos dupliciter delinquere poſſe.

Virtutes imperfectæ ſeiungi poſſunt, perfectæ nequaquam.

ſiue potius virtutum ſemina & incoationes, quæ nobis per naturam competunt, poſſe ſeiungi: more autem confirmatas, nequaquam. Id ipſum nos iudicare debemus de virtutibus more acquiſitis, imperfectis tamen, nec cunctis ſuis numeris abſolutis, de his quoque vera eſt ſententia Ariſtotelis in ſexto topicorum cõcedentis temperantiam cum timiditate, & fortitudinem cum prodigalitate coniungi: & quoniã in hominum genere, vt plurimum virtutes inueniuntur ſine poſtrema perfectione, propterea vt plurimũ ſeiunctæ inſpiciuntur. Colligamus itaque virtutes vltima perfectione præditas neceſſario eſſe iunctas, incoatas vero & imperfectas nequaquam, & quoniam vt plurimum ſunt tales, ideo vt plurimum ſeiunctæ inueniuntur.

Epilogus.

Tria alia explicantur pertinentia ad notitiam connexionis virtutum. CAP. XLII.

Attinentia ad virtutes ſunt duplicia.

PRo exacta cognitione pertinentium ad connexionem virtutum tria adhuc explicãda ſuperſunt. Primum eſt, quod attinentia ad moralem virtutem duplicis ſunt conditionis: nonnulla enim ſunt de interna ratione, & eſſentia earum, alia non ſunt de eſſentia, ſed extrinſecus cum virtute colligantur. De eſſentia virtutum ſunt cõſtantia, ſcientia, prælectio, honeſtique deſiderium: externa ſunt, vt homo per naturam ad vnum potius quam ad aliud actionis genus ſit facilis, vt magis abũdet inſtrumentis vnius quam alterius virtutis, vt magis per varias occaſiones verſetur in vno quã in alio actionis genere. Dum dicimus virtutes perfectas eſſe iũctas, id intelligi debet de illis, quæ ſunt de interna ratione virtutum, non de ceteris: nam ſæpe accidit, vt in homine probo, quamuis virtutes ſint iunctę, modo tamen vna modo altera magis fulgeat ob externa nuper relata. Propterea hiſtoriarũ monumẽtis quorundam celebratur iuſtitia, aliorum fortitudo, nonnullorum magnificentia, ac ita de ſingulis. Alterum, quod explicãdum occurrit, eſt, num virtutes ita iudicari debeãt colligatæ, vt ſeruata inter eas proportione, ita ęque creſcant & perficiantur, vt æque ſeruata proportione dicuntur creſcere ſingulæ partes viuẽtis, quemadmodum aſſeruit Ariſtoteles in primo de gen. & inter. Cenſuit D. Tho. in prima ſecundæ, q. 66. art. 2. virtutes morales æque creſcere & perfici: ratio eius fuit, quia prudentia eſt cõmunis forma virtutum; ideo oportet, vt per eam ſeruata proportione medium in quauis materie virtutis recte conſtituatur. Cui ſententiæ ſubſcripſiſſe viſus eſt D. Auguſtinus in ſexto de Trin. c. 4. inquiens: *quicunque ſunt æquales in fortitudine, æquales ſunt in prudentia, temperantia, & ita de ceteris,* nam ſi dixeris eos eſſe æque fortes, ſed vnũ præſtare prudentia; ſequitur, vnius fortitudinem minus eſſe prudens, & propterea

An virtutes ſeruata ſemper proportione creſcant.

Opinio D. Tho. D. Auguſtini.

pterea non æqualis, & ita ſe habet de reliquis virtutibus. Plato in Protagora ſatis ſimilem formauit rationem: adeo vt hac in re, quemadmodum in aliis multis, videatur D. Auguſtinus ſequutus fuiſſe Platonem. Hanc opinionem ego ſatis dubiam & minus probabilem exiſtimo. Ratio eſt, quoniam virtus prudentiam expoſcit, prudētia longo rerum vſu acquiritur, & quia homo frequenter magis in attinentibus ad vnum, quam ad aliud virtutis genus verſatur, ideo poteſt magis in attinentibus ad vnā quā ad aliam virtutem euadere prudens, & propterea perfectius vnam quam aliam virtutem acquirere, quod experiētia nos docet. Conſpicimus multos verſatos in arte militari, rectius pro eo actionis genere conſulere, prudentioreſque euadere, quam pro alio, ac ita exactius aſſequi fortitudinem, quam temperantiam, conſtantius expetere honeſtum in materie fortitudinis, quam temperantiæ: contra nonnulli in otio & in reip. adminiſtratione educati, viri iuſti, & pro ea parte prudentes euadunt, cum tamen fortitudine videantur carere. Hinc ait Ariſtoteles, *rerump. nonnullas recte inſtitutas eſſe ad pacem, alias ad bellum.* Confirmatur, quia ſi virtutes æque creſcerent & perficerentur, ſequeretur quod, vt virtutes perfectæ, ita imperfectæ iunctæ ac complicatæ eſſent, quod non eſſe neceſſarium in præcedentibus patefeci. Ratio Diui Thomæ facile ſoluitur. Dicebat virtutes æque creſcere, quoniam prudentia eſt communis forma earum. Reſpondeo rationē dilui: primo, quia prudentia non eſt forma interna & propria earum, vt patefeci: ſecundo, quia poteſt prudentia pro vna virtutis ſpecie eſſe perfectior, quam pro altera. Confirmationi ſumptæ ex Diuo Auguſtino dico, rationem eius ſolum oſtendere, quod facta comparatione fortitudinis vnius cum fortitudine alterius, & ſuppoſita earum æqualitate, neceſſario ſequatur vt prudentia vnius hominis ſit æqualis prudētiæ alterius, at non quod fortitudo vnius ſit æqualis temperantiæ eiuſdem: poſſunt enim ambo æque eſſe fortes, & æque prudentes in materie fortitudinis, at non in materie tēperantiæ, vt iam patefeci. Hinc etiā minus veram cenſeo ſententiam D. Thomæ in prima ſecundæ, q. 65. art. 1. ad quartū dicentis, non poſſe prudentiæ rationem eſſe rectam in vna materie, & non in alia, quia agibilia ſunt ſubordinata & complicata: adeo vt qui in vno delinquit, in omnibus delinquere dicatur: at hoc cum rationi, tum experientiæ aduerſatur, vt patet ex prius dictis. Hic nonnulli rectum conſilium tradere valent in attinentibus ad bellū, quod non ita facere apti ſunt in attinentibus ad iuſtitiam & pacem. Et ea ſententia: (*qui in vno delinquit, in omnib. delinquere dicitur*:) ſolum vera eſt de illis, quæ ſunt communia omnibus virtutibus: veluti, cum honeſtum quia eſt honeſtum, ſit finis

Plato. *Reiectio.* *Ratio.* *Experientia.* *Confirmatio.* *Diluitur ratio D. Thom.* *Diluitur ratio ex D. August. de prompta.* *Reiicitur altera ſententia D. Tho.* *Reſtringitur ſeu limitatur ſentētia axiomatica.*

omnium, ideo qui ab honeſto per vitioſam aliquam actionem recedit, ratione receſſus ab honeſto in omni virtute delinquere dicitur: id tamen non eſt verum de propriis ſingularũ virtutum, inſuper aliud eſt dicere quod præſumatur, & dicere quod neceſſario ſit. Tertium caput & poſtremum, quod conſiderãdum eſt per iam dicta, fere eſt abſolutum Id autem eſt, quod cum Scotus ex vna parte cenſeat virtutes non neceſſario iunctas, ex altera D. Thomas vna cum D. Auguſtino eas eſſe complicatas affirmet, ambo verum aliqua ex parte tetigere: virtutes cum Scoto, vt imperfectæ, & per ea quæ ſunt propria ſingularum, & per extrinſecus concurrentia, non ſunt neceſſario complicatæ: ex aduerſo virtutes perfectæ, per communia capita connexionis, & per ea quæ ſunt de ratione earum, neceſſario ſunt complicatæ, vt cum Platone, Ariſtoteles & D. Auguſtinus exiſtimarunt.

Conciliatur Scotus cum D. Thom.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur virtutes non eſſe complicatas. CAP. XLIII.

Diluitur ratio prima.

EX declarata veritate facile modo eſt aduerſarum rationum elicere ſolutiones. Aſſerebatur primo ex Protagora, ex Ariſtotele in ſexto topicorũ, ex experientia, frequenter virtutes eſſe ſeiunctas. Dico cum Platone in eodẽ dialogo, nec non in eo qui eſt de regno, eas eſſe virtutes imperfectas, vel non re vera virtutes: veluti in Lachete feroces nuncupat leones, at non fortes, ita feroces potius, quam re vera fortes ſunt multi homines: ideo Ariſt. in 3. moral. Nicom. varias retulit formas non veræ, ſed apparentis fortitudinis. Vel itaque non ſunt re vera virtutes, vel ſunt imperfectæ: vel tertio, ſi perfectæ fuerint, videntur per externa ſeiunctæ, ob varias opportunitates, aſſuetudines, inſtrumenta & propẽſiones; cum tamen intrinſecus iunctæ ſint. At addebatur, quia ſic nemo eſſet virtute præditus. Reſpõdeo, homines exacta virtute ornatos adeo eſſe raros, vt iure Diogenes, *luce media, accenſa lucerna quærens perfectum hominem, neminem ſe inſpicere affirmauerit*: & Plato in conuiuio, priſcum Androgynum, virũ nempe omni ex parte quadratum, finxit ſectum ac ſeiũctum, cum in homine nil integrum inſpiciatur: ideoque huic incommodo humana vita ſubiiciatur, vt vnica actio improba innumeras ꝓbas fœdet ac labefactet. Dicebatur præterea, virtutes nonnullas inter ſe pugnare: reſpondeo, eas non pugnare, ſed ſuperiores eminentia & dignitate includere inferiores. Inſuper dum dicitur virtutes morales eſſe connexas, non fit comparatio inter varios virtutum gradus, quorum inferior ſine ſuperiori ſeruari poteſt, vt imperfectum ſine perfecto, ſed inter virtutes morales eiuſdẽ gradus. Demum addo, quod vt ſe habet liberalitas ad eam hominum conditionem, cui congruit, ita magnificentia ad eminentio-

Diluitur ſecunda ratio.

Diogenis lucerna.

Platonis Androgynus.

Diluitur ratio tertia.

Digitized by Google

nentiorem conditionem, vt docet Ariſt. Rationum autem Scoti ex iam dictis colligitur ſolutio. Nam dum inquit virtutes morales acquiri iteratis actionibus, quæ ſunt diſtinctæ: reſpondeo, virtutes non vno, ſed tribus modis in nobis gigni, vt patefeci, addo inſuper, nos non perfecte verſari in actionibus vnius virtutis, quin verſemur in omnibus, cum ſint connexæ, & mutuo ex ſe viciſſim pendeant. Propterea recte dixit Chryſippus Stoicus (referente Plutarcho in libro de Stoicorum repugnantiis) *Virtutes ſeſe viciſſim conſequi, nedum quia vna præditus habeat omnes; verum inſuper, quia per vnam agens, agat per omnes: & neque virum perfectum ait eum, in quo non ſint omnes virtutes, neq; actionem perfectam, ad quam non omnes conſpirent virtutes.* At addebat Scotus, connexionem non eſſe de ratione virtutis: Dico eam eſſe nō de ratione virtutis quouis modo ſumtæ, ſed eſſe de ratione perfectionis eius, quæ ob ſui puritatem cum nullo impuro ſeruari poteſt. Eſt enim de ratione perfectæ virtutis per cōſecutionem: primo, quia virtus eſt habitus firmus & conſtans; non eſt autem talis, niſi dum neque à contrario, neque ab vllo alio turbari poteſt. inſuper, quia de ratione virtutis eſt ratio recta, & deſideriū honeſti, vt honeſtum eſt, quæ duo non ſunt omni ex parte perfecta, ſine omnium moralium virtutum connexione. Dicebatur vlterius, quod ſi neceſſaria eſſet ea connexio, aliqua eſſet virtus, antequam eſſet virtus, & inferebatur varia abſurda. Quibus reſpondens dico, ea minime ſequi, quoniam virtus vna non habet ab altera, vt ſit virtus (id enim habet à rectitudine rationis, & à conſtantia in appetendo recto in propria materie) ſed vna habet ex connexione cum altera abſolutam perfectionem, perfectam conſtantiam & immobilitatem: adeo vt nec à ſuo contrario, nec ab aliq valeat ab honeſto, & à medio reuocari: quā poſtremam perfectionem adipiſcuntur omnes ſimul, dum impletur numerus virtutum, non ſecus ac in appoſitione vltimæ regulæ vniuerſa domus redditur perfecta, & in aduētu vltimæ formæ ſingulæ partes hominis poſtremam aſſequuntur perfectionem. Sic itaque temperantia non habet à fortitudine abſolute vt ſit virtus, neque ecōtrario, ſed vt ſit virtus omni ex parte perfecta pro his quæ ſunt de ratione exactæ virtutis, ſecundum abſolutam ſcilicet rectitudinem rationis, conſtantiam, & honeſti appetitionem, adeo vt fortitudo vna ex parte perficiat temperātiam, ex altera perficiatur; & hæc non ſunt abſurda, ſed veriſſima. Addebatur vltimo, perfectiones in parte poſſe ſeiūgi, vt perfectionem oculi ab ea manuum. Reſpondeo perfectiones, quæ ita ſunt in parte, vt vna nō pendeat vllo pacto ex altera, poſſunt ſeiungi: at quatenus vna pendet ex altera, & omnes habent aliquid cōmune, ſeiungi non poſſunt, vt ſe habet de virtutib. mo-

Diluuntur rationes Scoti.

Diluitur prima.

Chryſippus.

Diluitur altera.

Diluitur tertia.

Diluitur vltima.

Concluſio dictorum. ralibus. Colligamus igitur, virtutes morales omni ex parte perfectas cōplicatas eſſe, imperfectas nequaquam: addamus, quod cum ſint complicatæ, non tamen in eodem æque fulgent, ac demum non ſeruata eadem proportione creſcunt.

An virtus moralis recipiat magis & minus.

CAP. XLIV.

Opinio Stoicorum. SÆpe aſſertum eſt, virtutem moralem eandem, in variis vario modo refulgere, ac in eodem primo imperfectam, mox per- *Fundamenta eius opinionis.* fectam reperiri poſſe: qua de re non leuis eſt dubitatio. Dubium eſt enim, an temperantia, fortitudo, & virtutes ſimiles, præditæ ſint gradibus, per quos ſuſcipiant magis & minus. Huius difficultatis principes Stoicorum, & cum eis Seneca, Cicero, aliique viri præſtantiſſimi, negationem tuentur, aſſerentes, virtutem in indiuiduo eſſe poſitam, nec ſuſcipere magis & minus, pro qua *Ratio prima.* ſententia has ego cenſeo formari poſſe potiores rationes, & primo: virtus in medio Geometrico eſt poſita, huiuſmodi medium vnum & indiuiduum eſt, quare vno ſolo modo poteſt attingi; quod etiam aſſeruit Ariſtoteles in ſecundo moralium Nic. c. 6. inquiens: *recte agere vno modo contingit, errare vero modis innume-* *Secunda.* *ris.* Præterea qualitates contrario præditæ, propterea magis & minus recipiunt, quia cum contrario permiſcentur, virtus cum vitio permiſceri non poteſt, non enim recta ratio cum peruerſa, nec honeſtum cum eo quod non eſt honeſtum permiſcetur, & ſi permiſceantur, abſolute ratio deprauata, & actio vitioſa denominatur, præſertim cum in vno delinquens in omnibus modo *Tertia.* aliquo errare dicatur. Præterea id, de cuius ratione eſt perfectio & abſolutio, non recipit magis & minus, non enim omne, totū & perfectum, magis & minus ſuſcipiunt, quoniam minus toto non eſt totum, minus omni & abſoluto, nec omne nec abſolutum eſt: at de ratione virtutis eſt perfectio & abſolutio: perficit enim id, cuius eſt virtus, & eius actionem, non itaq; recipit ma- *Quarta.* gis & minus. Præterea Stoici vitia omnia eſſe paria ita oſtēdunt: vitium eſt poſitum, non in hac vel in illa, ſed abſolute in declinatione à recto & a ſcopo, quare quicunque ab his recedūt, abſolute & æque dicentur erraſſe; veluti abſolute dicuntur in aqua merſi, quicunque vel vno vel decem pedibus ſub aqua ſunt po- *Canones.* ſiti. Quod ſi vitia ſunt paria, longe magis pares erunt virtutes: tum quia cōtrariorum par eſt ratio: tum quia res, quo ſunt præſtantiores, eo magis in indiuiduo ſunt poſitæ, tum demum, quia virtutes ſui natura & cōditione certæ, definitæ, proprioque ter- *Quinta.* mino circumſcriptæ dicuntur. Inſuper virtus eſt rectitudo, cum includat rationem rectam; eſt veritas, cum a vero pendeat; eſt ordo, cum per congruentia media ducat in finem. Quare, vt nil recto

recto rectius, nil vero verius, nil ordine ordinarius, nil decenti decentius; ita nil bono melius, nil temperante tẽperantius, forte fortius, iuſto iuſtius excogitari poteſt: non itaque recipit virtus magis & minus, ſed vnice contingit eam cum rectã ratione conſentire, recte agere, vero reſpondere, mediumque attingere: & qui exacta rectum deſerit, ſtatim oblique meat, & in vitio eſt poſitus. Nõ itaque iniuria Stoici, aliique viri ſapientes virtutẽ in indiuiduo poſitã affirmarunt. Cũ his videtur etiã eſſe Alcinous in lib. de doct. Plat. c 26. inquiens: *abſolute profecto virtutes nec creſcunt vnquam, neque decreſcunt: vitia vero intenduntur & remittũtur.* Theages Pythagoreus in lib. de virt. inquit: *virtus eſt decorum, & quod conuenit fieri, cui nec adiectio, nec detractio conuenit; eſt media exceſſus & defectus; extrema eſt, quia nec adiectione, nec detractione opus habet, &c.* Hoc in loco conſiderare debemus, quod omne id, quod in indiuiduo poſitum eſt, & caret ſuæ conditionis latitudine, habet hoc, vt & maximum & minimum dici poſſit. Ratio eſt, quia nec maius, nec minus eſſe poteſt, vt non valet eſſe maius, dicitur maximum, vt non minus, minimum: ita punctum ſimul & maximum & minimum eſt: ſimiliter Deus eſt maximus, quia non valet eſſe maior; eſt minimus, quia ſi minor eſſet, non eſſet Deus. Ita conſtat Cardinalem Cuſſanum in lib. de docta ignorantia leuiter ſcientiam ſubſtuliſſe, cum oſtendat & minimum eſſe maximum, & maximum eſſe minimum, per quod iudicat ſe deſtruere principia ſcientiæ. At leuiter errat, quoniam, dum dicimus maximũ vel minimum, denotamus id, quod conſiſtit in indiuiduo, quod diſtincta ratione eſt vtrũque: ita virtus, ſi in indiuiduo eſt poſita, ſimul erit maxima & minima, quod abſurdum non eſt. Hoc quoque de virtute affirmaſſe viſus eſt frequenter Ariſtoteles: nam in 2. moralium Nicomachiorum. cap 6. inquit: *de operibus iis, quæ perfecta ſunt & abſoluta, dicere conſueuimus, nec iis detrahi quicquam, nec addi poſſe.* inſuper addit: *recte agere vno ſolo modo contingit*, & poſt pauca: *virtus igitur natura ſua & definitione eſt mediocritas, ratione autem rei optima & perfecta eſt extremitas.* Hæc indicant virtutem non recipere magis & minus, vt conſpicuum eſt; non enim in perfecto, extremo & ſummo magis & minus ſeruari poteſt; nam id, quod eſt minus, non eſt ſummum & extremum. Inſuper Ariſtoteles in 7. phyſic. context. 18. inquit, *virtutem eſſe perfectionem.* Auerroes id exponens ait: *perfectio eſt indiuidua, quoniam aliquid non eſt perfectum niſi in tempore, quo attingit perfectionem, quod tempus indiuiduum eſt.* Inſuper addit in calce, tum virtutem, tum vitia eſſe indiuidua: & propterea non dari medium inter virtutẽ & vitium. Præterea Ariſt. in prædicamento qualitatis inquit: *iuſtitia namque ſi dicatur magis & minus iuſtitia.* Quidã du-

Alcinous. *Theages.* *Sophiſma Cuſſani eliditur.* *Ariſtot.* *Auer.*

bitant; iuſtitiam namque iuſtitia non recte aiunt magis & minus dici, nec grammaticam, & ita de ſimilibus. Demum addit Ariſtoteles in 7. phyſicorum ad virtutem non eſſe motum, & in relatione eſſe poſitam, quæ id ipſum iudicare videntur.

Quomodo virtus recipiat, & non recipiat magis & minus.
CAP. XLV.

Virtutem recipere magis & minus. Oſtenditur experientia.

ASſerere abſolute virtutes morales in indiuiduo eſſe poſitas, nec vllo pacto intendi vel remitti, experientiæ, rationi, & auctoritati manifeſte aduerſatur. Experientiæ primo, quia in nobiſmet experimur, & in aliis ſeruari videmus, virtutes, virtutumque habitus recipi per gradus: ac eos modo magis, modo vero minus cōſtantes & firmos eſſe: ideo nonnullos magis, alios minus temperatos, vel iuſtos, vel fortes eſſe dicimus, quod honorum gradibus deſignamus. Cum n. honor ſit virtutis præmiū & ſignum, nō omnibus magiſtratus & leges æqualem honorem decernūt, nec omnes dicimus æque dignos eſſe honore. Rationi quoq; id ipſum aduerſatur: id enim, cuius principia, differentiæ, & affectiones recipiunt magis & minus, vt magis & minus recipiat neceſſe eſt: at principia, differentiæ & affectiones virtutum ſunt huiuſmodi: nam affectio virtutis eſt delectatio & gaudium, quo afficimur in obeundo virtutis munere, & id ipſum quoque eſt ſignū contracti habitus; id autem gaudium manifeſte recipit magis & minus, cum quidā magis, alii minus actione proba lætentur. Inſuper aſſuetudo, cōſtantia, honeſti deſiderium, & ſimilia, quæ conſtituunt virtutem moralem, aperte recipiunt magis & minus: id ipſum patebit in calce capitis de omnibus cōſpirātibus ad conſtitutionē virtutis. Et propterea Ariſtoteles in prædicamēto qualitatis, vt ex ſe conſpicuum profert, vnum dici altero fortiorem, iuſtiorem, & ſic de ceteris, quamuis de virtutib. in ſe conſideratis dubitet, an magis & minus recipiant. Similiter in 4. top. loco 77. inquit: *vt ſi virtus ſuſcipit magis, & iuſtitia, & iuſtus; dicitur enim iuſtus magis alter altero &c.* Cum itaq; res ſit dubia, pro ea explicanda conſiderandum eſt, quod forma dupliciter poteſt conſiderari; primo in ſe; ſecundo, vt in alio recipitur. Si conſideratur in ſe, & per ea, quæ ſunt abſolute de ratione formæ & ſpeciei, ita nulla forma recipit magis & minus. Ratio eſt quia id, quod pertinet ad rei eſſentiam & ſpeciē, eſt aliquid natura definitum, conſtans & certum: veluti etiā eſt definitio eam explicās. Hinc recte dicitur eſſentiā rei non includere gradus, in qua ſignificatione omnes formę in ſimplici ac inuariabili eſſentia diuinitus poſitæ. Et in eadem dixit Ariſtoteles in octauo metaph. tont. 19. *definitiones ac eſſentias rerum perinde ac numeros ſe habere, quibus nihil addi, & a quibus nil detrahi poteſt, ſine varietate ſpe.*

Oſtenditur ratione.

Ariſtoteles.

Opinio propria.

te ſpeciei. Ac ita etiam vniuerſe vera eſt ſententia Porphyrii, in c. de differentia dicentis, *differentias magis propriè ſumtas nec magis nec minus recipere, nam neq; genus magis aut minus dicitur de eo cuius eſt genus, neq; generis differentia, quibus diuiditur: ipſæ enim ſunt, quæ vniuscuiuſq; rationem complent, eſſe autem vnicuiq; vnum & idem, neq; intenſionem neq; remiſſionem recipit, &c.* Quod ſi Auerroes in decimo metaphyſicæ com. 13. aſſerit differentias coloris recipere magis & minus, id ſolum debet iudicari verum, quatenus in alio recipiuntur: vt etiam Ariſtoteles in octauo metaphyſicæ cont 10. conceſſit rerum eſſentias & formas recipere magis & minus, vt recipiuntur in materie, hoc eſt, habere gradus particularis inexiſtentiæ, non autem eſſentiæ abſolute. Verum hæ formæ in ſe conſideratæ duplicis ſunt conditionis: nonnullæ enim ſunt, quæ nedum expertes ſunt graduum eſſentiæ, verum inſuper naturæ earum repugnant gradus inexiſtentiæ, per quos in altero recipiantur: & hæ vel ſunt tales, quia de ratione earum propria eſt vt ſint indiuiduæ, veluti de numeris & figuris ſe habet. Ideo Ariſtoteles in prædicamento qualitatis negauit figuras recipere magis & minus: vel tales ſunt, quia ſui perfectione adeo dominantur materiei, vt vel ex ea non pendeant, qualis eſt mens hominis, vel ſi pendent, tamen ob ſui præſtantiam & imperium in eam minime ab indefinita & inconſtanti natura materiei habeant, vt magis & minus recipiant, quales ſunt animæ mortales. Aliæ ex aduerſo inueniuntur formæ, quæ quamuis ſuę eſſentiæ gradus non includant, eis tamen minime repugnant gradus indiuidui & inexiſtentiæ, qui tamen inter ſe ſint eiuſdem rationis ſecundum eſſentiam, per quos diſtinctos gradus in ſubiecto recipiantur. Inſuper huiuſmodi formæ, quæ per gradus in ſubiecto recipiuntur, dupliciter conſiderari poſſunt, primo ſecundum vniuerſam ſuam latitudinem, ac ita recipiunt magis & minus: ſecundo cum relatione ad vltimam ac abſolutiſſimam perfectionem, qua conſideratione nec magis nec minus recipiunt, quoniam ſic de earum ratione eſt, vt ſint totum perfectum, latitudine carens. His aſſumtis difficultatem tribus aſſertionibus ita reſoluendam cenſeo: prima eſt, virtutem in ſe, & per attinentia ad eſſentiam ſuam, nec magis nec minus recipere: altera eſt, virtutem in ſua latitudine conſideratam eſſe talem, vt ei non aduerſetur in ſubiecto per gradus recipi: poſtrema eſt, virtutem perfectam cunctiſque numeris abſolutam, nec magis nec minus vllo pacto recipere, cum qua vltima perfectione ſola potius mentis notione (τῇ ἐννοίᾳ) concipitur, quam inueniatur in homine. Virtus itaque, vt in homine nata eſt recipi, ſuſcipit magis & minus, & id ei conuenit ob multa ad virtutis conſtitutionem conſpirantia. Et primo ratione

Porphyrii locus explicatur.

Auerroes.

Formæ ſunt duplicis conditionis.

Gradus eſſentiæ & particularis exiſtentiæ.

Tres aſſertiones.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Cur virtus in homine per gradus recipiatur.

Ratio prima.

Secunda. ducis, nempe prudentiæ: quæ cum longo rerum vſu perficiatur, clarior & obſcurior nobis competere poteſt. Secundo ob aſſuetudinem in eis actionibus, quibus virtutis habitus formatur, poſſumus enim in eis magis & minus, accuratius & negligentius verſari, & ob id magis & minus conſtantes reddi in expetendo honeſto. *Tertia.* Tertio id poteſt oriri ex aptiore vel ineptiore diſpoſitione recipientis, nam ob varietatem recipientis vario modo recipiuntur formæ. *Quarta.* Quarto id euenire poteſt ex firmiore vel debiliore connexione cum ſcientia & ſapientia: nam prudentia & morales virtutes, dum complicatæ ſunt cum ſcientia & ſapientia firmiores ſunt, vt euenit in viro ſapiente, at ſeorſum à ſapientia ſunt, tanquam ſtatuæ Dædali ſolutæ (vt ait Plato in Menone,) quæ recedunt & fugiunt. *Quinta.* Quinto id oriri poteſt ex connexione maiori vel minori cum aliis moralibus virtutibus, de qua in præcedentibus verba feci. *Sexta.* Demum oriri poteſt virtutum intenſio & remiſſio ex variis extrinſecus occurrentibus, veluti ex naturæ ſiue fortunæ muneribus, quæ ſunt inſtrumenta virtutum, & ex variis oportunitatibus. Inde euenit, vt virtutes principum optimæ ſint, deterrima eorum vitia: nedum, quia ſunt duces, & exempla cæterorum, verum inſuper, quia prædita ſunt inſtrumentis, quibus eorum habituum perficiuntur actiones.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur, virtutes nec magis nec minus recipere. Cap. XLVI.

Diluitur prima ratio, per fiduciariam reprobationem & inſtantiam. EX dictis in præcedente capite colligitur reſolutio difficultatis, & dilutio aduerſarum rationum. Dicebatur primo, medium virtute attingendum eſſe indiuiduum, & carere latitudine. Reſpondeo primo per fiduciariam reprobationem, conceſſo aſſumto: quamuis enim medium ſit vnicum & indiuiduum, tamen poſſumus erga illud vario modo eſſe affecti: nam valemus firmiores & mobiliores, conſtantiores & inconſtantiores eſſe. Reſpondeo ſecundo per inſtantiam, aſſerens aſſumtum non omnino eſſe verum: quamuis enim medium exactiſſimæ virtutis ſit vnicum & indiuiduum, medium tamen virtutis cum latitudine ſumtæ præditum eſt aliqua latitudine. Ideo dixit Ariſtot. in calce ſecundi moralium Nicomachiorum: *Qui paululum aliquid decorum egreditur, non eſt in vitio: dicitur tamen id medium vnice poſſe attingi, quatenus contradiſtinguitur à vitiis, in quæ per vias varias multifariam multisq; modis labi poſſumus.* Dicebatur ſecundo virtutem non poſſe cum vitio miſceri, ideo non poſſe recipere magis & minus, quod fit per mixtionem contrarii. *Ratio ſecunda diluitur.* Reſpondeo, non miſceri virtutem cum vitio, ſed virtuti conuenire magis & minus, per acceſſum ad exacte perfectum, & receſſum ab eo, in illa latitudine, quæ eſt extra vitium: nam ea,

quæ

363

quæ habent medium per negationem, adeo vt ſubiectum valeat nudari extremis, veluti ſe habet de voluptate & dolore, de virtute & vitio, ac ſimilibus, non eſt neceſſe, vt remiſſio ſemper fiat per mixtionem cum contrario. ſat enim eſt, vt fiat per acceſſum ad contrarium. His accedit, quod virtus poteſt remitti ob nos, qui conſtantius vel inconſtantius eam poſſidemus. Tertia ratio ex eo ſumebatur, quia perfectio & abſolutio ſunt de ratione virtutis. Reſpondeo de ratione virtutis in ſua latitudine ſumtæ eſt, vt perficiat id, cuius eſt virtus, & actionem eius, hoc autem recipit magis & minus, gradusque includit: at de ratione virtutis, vt abſolutiſſima eſt, proculdubio eſt vt exactiſſime perficiat, ac ita gradibus caret. Addebatur quarto ex ſententia Stoicorum vitia eſſe paria: reſpondendum eſt, eos in conſpicuo verſari errore. Propterea Plutarchus in lib. de Stoicorum repugnantiis aſſerit, eos hac de re nedum male ſenſiſſe, verum inſuper ſibimet non conſtare, cum frequenter multa protulerint cum ea ſententia pugnantia: nam ſi vitia eſſent paria, perperam leges omnes aduerſus vitia pœnas ſtatuerent impares. Inſuper vitia ſunt malum, non ens præuaricatio, & receſſus á bono, in omni receſſu conſideratur diſtantia, & in omni diſtantia magis & minus, & dum oſtendunt vitia eſſe paria, quia poſita ſunt non in hac vel illa á medio declinatione, ſed abſolute in receſſu & declinatione: reſpondeo, vitium vniuerſe ſumtum poſitum abſolute eſſe in receſſu & declinatione, at vitium vt maius vel minus poſitum eſſe in maiori vel minori declinatione: adeo vt vitia imparia ſint nedum ob materiem, in qua verſantur, & extrinſecus, quod etiam concedebatur à Stoicis, verum inſuper intrinſecus per eorum gradus attinẽtes ad inexſiſtentiam, prodeuntes ex varietate modi prælectionis, necnon cæterorum quæ ad patrandum ſcelus conſpirant: veluti multi virginem non religioſam violarent, religioſam minime, alii maiori vitio correpti violarent vtramq;, propterea nonnulli facilius, alii difficilius curantur. Dicebatur quinto nil recto rectius, nil vero verius, nil decenti decentius, nil ordine ordinatius. Reſpondeo exactiſſime recto, quale eſt rectum mathematicum, nil eſſe rectius, decenti decentius, &c. at his in latitudine ſumtis datur minus exacte recto rectius: in mathematicis locum habet exactum & exquiſitum, in rebus ciuilibus minime, vt inquit Ariſt. in prooemio moralium Nicom. Inſuper eſto etiam, quod in eis non detur magis & minus: nos tamen ad illud medium exactum & exquiſitum poſſumus vel conſtantius vel inconſtantius eſſe affecti. Erat etiam dubitatio de vero: virtus enim moralis cum vero & cum virtutib. rationis iuncta eſt; cum itaque verum non recipiat magis & minus, non videtur virtus moralis poſſe recipere magis & minus. Reſpõdeo;

Non ſemper remiſſio per contrarium.

Tertia ratio.

Ratio quarta diluitur.

Vitia non eſſe paria.

Diluitur ratio Stoicorum.

Diluitur ratio quinta.

Digitized by Google

inquit Ariſtot. in 4. metaph. cap. 4 *falſum recipere magis & minus*: non enim ſimiliter mentitur, qui quatuor cenſet eſſe quinque, vt qui mille: ita quoque de vero magis & minus certi nos eſſe poſſumus, valemuſque id diſtinctius & confuſius cognoſcere: præterea conſtantius & inconſtantius poſſumus verum ſequi, non enim, vt erga verum, ita erga bonum ſumus affecti, incontinens enim recte iudicat, & male agit. De Alcinoo & Theage, dico eos eſſe loquutos de exacta & perfecta virtute, vt patet ex eorum verbis, de qua etiam loquebatur Ariſtoteles in ſecundo moralium. Dubia ſolum eſt ſententia Ariſtotelis in ſeptimo phyſic. cont. 18. & locus ille ſummopere turbauit Latinos expoſitores, nec (vt cenſeo) difficultatem recte penitus ſuſtulerunt. Et pro notitia conſiderandum, ibi duplicem reperiri contextum: vnum Ariſtotelis, qui legitur in Græcis codicibus, & exponitur á Simplicio: alterum Themiſtii, qui cum videatur clarior, loco eius Ariſtotelis á multis legitur, vt Simplicius affirmauit, & ab Auerroe, Latiniſq; expoſitoribus exponitur: & quia verba Themiſtii ſuppoſita pro verbis Ariſtotelis, ſummopere differunt ab illis, propterea Auerr. ea exponens nonnulla dixit ſatis dubia, & forte minus vera. In contextu Ariſtotelis nil reperitur, quod difficultatem pariat, ſolum in eo legitur: *eodem modo & in habitibus animæ, omnes enim hi in relatione ad aliud conſiſtunt, & virtutes perfectiones, vitia vero defectus ſunt, &c.* Quibus verbis ſolum ait Ariſtoteles ad virtutem non eſſe motum, quia eſt ad aliquid: relatio enim motum ſequitur, non autem eſt per ſe terminus motus, vt dicitur in quinto phyſic. Ac dicet aliquis, relatio in indiuiduo conſiſtit; quare & virtus. Reſpondeo primo, nos ad eam relationem poſſe eſſe firmius vel leuius diſpoſitos, vt dixi in præcedentibus. Addo ſecundo dum fundamentum relationis recipit magis & minus, etiam relatio dicitur recipere magis & minus, vt aſſerit Ariſtoteles in prædicamento relationis. In contextu Themiſtii ſuppoſito pro eo Ariſtoteles, & expoſito ab Auerroe, alia leguntur, quæ non proferuntur ab Ariſtotele: nam legitur ibi, quod virtus ſit ſimilis circulo, ad quem non eſt motus, nec recipit magis & minus. Ideo Auerroes inquit, *nec virtutem, nec vitium recipere magis & minus, & inter virtutem & vitium non dari medium*; inquit enim: *cum iſte finis* (nempe virtus) *ſit indiuiſibilis, etiam id, quod diſtat ab eo maxime* (vitium ſcilicet) *eſt indiuiſibile, ac ita non eſt medium inter virtutem & vitium.* Hæc tria ab Auerroe prolata de virtute, de vitio, & de medio; ſatis dubia eſſe videntur: nam cum virtus, tum vitium recipiunt magis & minus: & inter ea datur medium primo per negationem, puer enim nec vitio nec virtute præditus eſt, vt patet ex poſtprædicamentis; ſecundo datur medium per acceſſum & receſ-

De Alcinoo, & Theage.

Perpenditur ſententia Ariſt.

Dubitatio.

Solutio.

In dubium vertitur ſententia Auer.

ſum

ſum ab aliquo extremorum. Soluens tamen difficultatem dico primo, dicta Auerrois nullius eſſe momenti, quia ortum duxerunt ex eorum verborum expoſitione, quæ cenſuit Auerroes fuiſſe Ariſtotelis, cum tamen ab eo nunquam prolata fuerint. Addo ſecundo, ea tria dicta ab Auerroe ita poſſe reddi vera, virtus & vitium in indiuiduo conſiſtunt, dum conſiderantur vt extrema: nam extremorum, ſi vnum terminatum, alterum quoque terminatum eſt: inſuper in indiuiduo conſiſtunt, dum conſiderantur ſecundum gradus eſſentiæ, nam eis carent, vt patuit in præcedentibus. De medio autem dico, inter virtutem & vitium dari medium per negationem, inſuper inter virtutem exactam, exactumque vitium dari medium per magis & minus: at non dari medium conſurgens ex mixtione extremarum formarum ſpecie diſtinctum ab illis, vt datur inter album & nigrum, non enim virtus cum vitio permiſceri poteſt. Ita poſſet defendi Auerroes; mihi tamen curæ eſt natura rei, & Ariſtoteles. Solutio cæterorum ex iam dictis conſpicua eſt.

Virtutis & vitii non eſt mixtura.

Mutua comparatio moralium virtutum in dignitate & præſtantia. CAP. XLVII.

FVlgent profecto quaſi ſtellæ virtutes omnes, earumque radiis noſter hic tenebrarum orbis redditur illuſtris: quæ tamen earum magis fulgeat, ſoliſque inſtar ad cæteras ſe habeat, non facile eſt iudicare, variæ poſſunt inter virtutes fieri comparationes, & poſthabita prudentia, de qua alius erit ſermo, triplex inter morales virtutes nobis ſeſe offert comparatio. Prima vertitur inter iuſtitiam, quæ vniuerſa virtus eſt, & cæteras virtutes in parte conſideratas. Altera quia vniuerſa iuſtitia dupliciter conſideratur, & quatenus iuſtitia, & quatenus virtus, hoc eſt, vt refertur ad habentem, & ad alios, vt in 5. moralium Nicomachiorum, c. 1. docet philoſophus, ideo qua conſideratione ſit præſtantior, perpendendum occurrit. Tertia comparatio verſatur inter virtutes in parte conſideratas. Dum prima fit comparatio, proculdubio vniuerſa virtus, quæ etiam vniuerſa iuſtitia dicitur, partibus ſuis dignitate & ſplendore antecellit: totum enim, vt totum, ſuis partibus præſtat, nam totum, omne, & perfectum inter ſe conuertuntur, vt dicitur in proœmio de cœlo. Et hoc præſertim de vniuerſa virtute verum cenſeri debet, quia ſingulæ eius partes ſibi mutuo opem ferunt, ſe viciſſim perficiunt, & vna ſine cæteris conſiſtere nequit. Vt igitur vniuerſa corporis pulcritudo, vniuerſaque ſanitas, ſanitati & pulcritudini partium præſtat, ſaluſque vniuerſæ reipublicæ præfertur ſaluti partium, ita virtus vniuerſa, virtutibus in parte conſideratis antecellit. Huius ſplendor & dignitas ex operum eius præſtantia lucidiſſi-

Dubitatio in tres partes diſtribuitur.

Comparatio inter vniuerſam iuſtitiam & virtutes in parte ſumtas.

Virtus vniuerſa eſt illuſtrior.

Confirmatur eadem ſententia.

me conſtat: hæc enim ea eſt, quæ leges condit, reſpon. format, vrbes regit, cuius exemplar in Dei prouidentia refulget, & in naturæ operibus formata inſpicitur: bonum autem quo eſt communius, eo eſt præſtantius, & iure ob ſui præſtantiam digna eſt, vt ſola nomine perfectæ virtutis ab Ariſtotele in quinto moralium Nicomach. cap. 1. honeſtetur. De hac loquens Plato in Cratylo inquit, *putaſſe quoſdam iuſtitiam eſſe ſolem, alios ignem, aut eius inſitum calorem; nonnullos mentem, ab Anaxagora pro rerum ſecretione & ordine poſitam.* Hanc Pythagoras dixit eſſe ſummam, ac theſaurum omnium virtutum: cuius, vt perfectionem & abſolutionem ſignificaret, eam octonario numero, qui eſt ſolidorum primus, circumſcripſit: velutietiam Orpheus & Ægyptii per numina octo, & vniuerſa antiquitas per ordinem octo ſphærarum eam denotarunt. De hac Ariſtot. in 5. moral. Nicom. cap. 1. inquit, *eam eſſe virtutem omnium dominam & reginam, neque heſperum, aut luciferum tantam in hominum animis excitare admirationem. Hæc eſt turris fortiſſima, cuius tres ſunt anguli, honeſte ſcilicet viuere, neminem lædere, ius ſuum vnicuiq; tribuere*; de qua legitur: *veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit.* Conſtat itaque vniuerſam iuſtitiam ſingulis moralibus virtutibus in parte conſideratis eſſe præferendam.

Ariſtoteles. *Plato.* *Pythagoras.* *Orpheus.* *Ægyptii.* *Turris trium angulorum.*

Vtrum vniuerſa iuſtitia præſtantior ſit ratione iuſtitiæ, an ratione virtutis. CAP. XLVIII.

Pro parte virtutis.

VNiuerſa iuſtitia cum ſit re eadem cum vniuerſa virtute, differt tamen ab ea ratione, vt patuit in præcedentibus: ideo iure quæritur, qua ratione ſit præſtantior; num quatenus virtus eſt, perficiens id cuius eſt virtus, an potius quatenus eſt iuſtitia, & ad alios refertur. Nam ſuſpicari quis poſſet, eam eſſe præſtantiorem vt virtus eſt, quia bona nobis competentia eatenus magnifacienda ſunt, quatenus animũ & internum hominem perficiunt: at hoc ei competit conditione & ratione virtutis, non autem iuſtitiæ. Idipſum patet ex fine; habitus enim ea ratione eſt præferendus, qua magis conducit fini: finis eſt felicitas, quæ definitur, quod ſit actio perfectæ virtuti conſentanea, non autem dicitur, iuſtitiæ. Præterea ſe vincere, rectæ rationi ſe ſubiicere, optime ſe ſuaſq; actiones cõponere, eſt fundamentum, & ratio, per quam omnia nobis competentia vertuntur in bonum, & cuius munere erga alios recte diſponimur: at id nobis competit per habitum, vt obtinet rationem virtutis: virtuti igitur, vt virtus eſt, & non vt iuſtitia, principatus competit, imo iuſtitia non alia ratione commendatur, niſi quia virtus eſt. Ex aduerſo Ariſtot. in quinto moralium Nicomachiorum, cap. 1. habitum præſtantiorem affirmat per conditionem iuſtitiæ, quam per conditionem

Rationes pro parte iuſtitiæ.

tionem virtutis: inquit enim; *hac igitur iuſtitia virtus eſt illa quidem perfecta, non tamen ſimpliciter neq; abſolute, ſed ſi ad alterum referatur:* & poſt pauca; *& perfectiſſima virtus eſt, quia perfectæ virtutis vſus eſt*: ideo autem perfecta eſt, quia qui ea eſt præditus, etiam cum aliis & erga alios, non ſecum ſolum virtutem colere poteſt. Plerique enim in ſuis quidem rebus vti virtute poſſunt, in iis autem, quas cum altero contraxerunt, non poſſunt: quocirca præclare Biantis illud videtur eſſe dictum; *magiſtratus virum oſtendit.* Ac demum addit, iuſtitiam eſſe alienum bonum: aliorum enim vtilitati conſulit, nempe aut principis, aut reipub. aut populorum: deterrimus igitur ille habendus eſt, qui improbitate & in ſe & in amicos vtitur, optimus autem, non qui ſecum & ſibi, ſed qui cum aliis & erga alios virtutem colit. Hæc Ariſtoteles, quibus oſtendit & aſſerit conditionem iuſtitię pręferri conditioni virtutis. Et confirmatur, quia graduum perfectionis ille potior cenſeri debet, qui cęteros ſequitur, progredimur enim ex minus ad magis perfectũ: at non valemus erga alios recte diſponi, niſi noſmetipſos primo vt decet compoſuerimus. Inſuper bonum eo eſt præclarius, quo eſt cõmunius: virtus, vt virtus, eſt bonum ſuimet, vt autem iuſtitia, eſt bonum familiæ, vrbis, & orbis. Præterea virtus eatenus maxime fulget, quatenus regiam dignitatem præ ſe fert: at cui dubium, quod id facit conditione iuſtitiæ: hac enim ſola ratione principem format, leges condit, magiſtratus inſtituit, populorum incolumitati conſulit, vrbiumq; ſalutem parit. Et quemadmodum ſol maxime commendatur & colitur, non quia ſe tantum ſua luce perficit; ſed quia extrinſecus vniuerſum orbem illuſtrat: ita habitus morales conditione iuſtitiæ cæteris præſtat, quia pluribus ſui partem facit, in cæteros ſuam lucem effundit, adeo vt accõmodate Ariſtoteles hanc vniuerſam iuſtitiam cum ſtella Veneris comparauerit, eamque illi prætulerit, & iure prætulerit, cum potius ſimilis ſit ſoli omnibus cœli luminibus dominanti: ideo princeps iuſtus non ſecus populorum ſaluti eſt dicatus, ac ſol ſit deſtinatus ſaluti mundi. Et addere quoque non iniuria poſſumus, iuſtitiam ſole eſſe ſplendidiorem: quia ſol interdiu ſolum, hæc etiam noctu refulget, ſol oculis corporis tantum, hæc autem oculis mentis: ſol diuturna præſentia obeſt, & ſua abſentia noctu prodeſt, iuſtitiæ ſemper obeſt abſentia, ſemper prodeſt præſentia. Propterea non iniuria iuſtitia fingitur virgo, Iouis filia, in cœlo inter Leonem & Libram collocata, vt ii dicerent eam iunctam habere æqualitatem & fortitudinem, vt Nigidius, philoſophus ſimul & aſtronomus, affirmauit. Quare colligamus moralem habitum cõditione virtutis eſſe origine priorem, nobiſq; magis neceſſarium, at conditione iuſtitiæ eſſe priorem perfectione, & populis

Cõfirmatio.

Alia ratio.

Altera confirmatio.

Cur vniuerſa iuſtitia ſtellæ Veneris præferatur.

Princeps iuſtus ſoli ſimilis.

Iuſtitia ſole ſplendidior.

Nigidius.

Concluſio.

Diluuntur aduerſæ rationes.

magis ſalutarem. Ex his conſtat ſolutio aduerſarum rationum, iuſtitia enim maxime nos perficit, cum nos recte diſponat erga alios, & antecedenti perfectioni vltimum perfectionis gradum adhibeat. Et quia addebatur, quod iuſtitia eſt magnificenda quia virtus eſt: reſpondeo, virtutis nomen dupliciter vſurpari: primo, vt ſignificat habitum contradiſtinctum à vitio, & ita iuſtitia virtus eſt, ac vt virtus eſt magnifacienda: ſecundo, vt ſignificat rationem virtutis contradiſtinctam à ratione iuſtitiæ, in qua ſignificatione ea reduplicatio falſa eſt, non enim iuſtitia eſt magnifacienda vt virtus, imo potius vt iuſtitia. Ratio ſumta ex fine, nempe ex felicitate, ſoluitur: quia dum definitur felicitas, quod ſit actio perfectæ virtuti conſentanea, non accipitur virtus vt contradiſtincta à iuſtitia, ſed vt eam amplectitur, nam ex actionibus iuſtitiæ, vt iuſtitia eſt, præſertim ciuilis felicitas conſurgit: propterea principum vt vitium deterrimum, miſeriaque maxima eſt, ita eorum ſummum bonum, & iuſtitia eſt præclariſſima. Ratio autem poſtrema ſolum oſtendit virtutem conditione virtutis eſſe origine priorem, quod iam conceſſi. Verum quia in præcedentibus patefeci virtutem vniuerſam modo aliquo eſſe amorem moderatum obiectorum perturbationis, qui moderatus amor ratione principii poterat dici communis temperantia, ratione medii communis fortitudo, ratione finis communis iuſtitia: ſi quis quærat, qua harum quatuor rationum ſit præſtantior: reſpondendum cenſeo, ratione amoris: quia ſic per principium, medium, & finem effunditur, eſt ſpiritus & vita cæterarum rationum, & charitati proportione reſpondet: ſecundo autem loco, ratione iuſtitiæ, quia ratio finis præfertur rationi principii & medii.

Principes feliciſſimi & infeliciſſimi.

Vniuerſa virtus qua ratione abſolute præſtantior.

Comparatio inter virtutes morales in parte conſideratas.

CAP. XLIX.

TRium, quę nobis occurrebant, inter virtutes morales comparationum, duæ hactenus ſunt abſolutæ: de tertia modo agendum eſt. Dum inter ſe ſingulæ virtutis partes comparantur, variæ reperiuntur, quæ viciſſim (humaniſſime tamen) de dignitate contendunt. Iuſtitia reginæ nomine honeſtata, iure cæterarum regina eſſe videtur, cum nos erga alios recte diſponat, ciuilitati reddat aptiſſimos, reipub. apprime vtiles: ad quam pietas, religio, ſanctitas rediguntur, quibus nil humano generi optabilius, nil ſalutarius competere poteſt. Propterea iure Cicero in primo de legibus aſſeruit, *nil eſſe præſtabilius, quam plane intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius.* Hinc eſt, quod vniuerſa virtus nomine iuſtitiæ tanquam præclariſſimo cupit honeſtari, iuſtitia enim regibus

Pro præſtantia iuſtitiæ.

Cicero.

Digitized by Google

gibus & imperatoribus adeo congruit, vt ſola ad dominandum & imperandum nata eſſe videatur: quare vt principum conditio ad cæterorum conditionem ſe habet, ita iuſtitiam ad virtutes reliquas ſe habere putandum eſt. Hæc non ſolo pacis tempore, non ſolo tempore belli, ſed tempore omni eſt apprime neceſſaria: nec iuuenibus tantum, ſiue ſenibus, nec vni ſoli hominum conditioni, ſed omni ætati, omnique hominum ſtatui, & conditioni eſt vtilis. Et nedum reſpublica, verum nec paruus hominum cœtus, nec parua domus, ſine iuſtitia conſiſtere valet. Et quid de his dico? cum inter latrones quoque aliqua iuſtitiæ vmbra refulgeat: alioquin diſſolueretur eorum cœtus: aufer iuſtitiam ex pectore hominum, ſtatim eos inſpicies feris infeſtiores, ac vrbes ſyluis ſylueſtriores. Nunquam finem dicendi facerem, ſi præſtantiam, dignitatem, muneraque iuſtitiæ referre vellem. At luſtremus virtutes cæteras. Temperantia multiplici ratione ſe cæteris præfert, dignitatemque ſuam patefacit. Primo nomine: dicitur enim σωφροσύνη, hoc eſt, prudentiam ſeruans, vt vna cum Platone dixit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 5. cuſtodia autem prudentiæ ſaluberrima omnium cenſeri debet. Inſuper quia voluptatem maxime peruicacem frænat, ac illam quidem, quæ omnium eſt vehementiſſima, & intimius hominem inuadit, ideo internum hoſtem dicitur vincere ac frænare: de qua Ariſtot. vna cum Heraclito in ſecundo moralium Nicomachiorum, c. 3. dixit, *difficilius eſſe voluptati obſiſtere quam iracundiæ*, & Seneca affirmauit, *magnum imperium regit, qui ſibi ipſi dominatur, & fortior eſt qui cupiditatem vincit, quam qui hoſtem ſuperat*, & Salomon affirmauit, *fortiorem eſſe expugnatorem animi expugnatore vrbium*. Hæc eſt virtus apprime neceſſaria, eſt fundamentum, ac tanquam penu omnium virtutum: hæc facit, ne ex homine labamur in iumenta: eſt habitus, quo decentia eligimus & ſeruamus, *eſt ordo ac conſonantia animæ ad imperandum, & obediendum*, vt dixit Alcinous. De qua (vt ait Plato in Philebo) adagium illud præclarum enuntiatur, NIHIL NIMIVM: de eadem Pythagoræ circumfertur ſententia, ſemperque celebrabitur; *omnibus in rebus optima temperantia*: & Orpheicorum conſenſione, *vniuerſum temperantia regit*. Ideo iure optimo Plato in Charmide omnes ad temperantiam hortatur, præſertim tamen adoleſcentes, nobiles, & pulcros, & affirmauit Auicenna, & cum eo Arabum ſapientiores, *animam temperatam poſſe dominari elementis, eaque mira quadam virtute ad libitum mouere*: nec defuere, qui ſub anima temperata poſſe corpus ſeruari immortale exiſtimarint, vel ſaltem ſummopere diuturnum: *ſanitas enim eſt corporis temperantia, quæ à temperantia animæ conſeruatur*. Non itaque iniuria Plato in Gorgia Pytha-

Pro temperantiæ dignitate.

Heraclitus.

Seneca.

Salomon.

Alcinous.

Plato.

Pythagoras.

Orpheus.

Auicenna.

Digitized by Google

goræ ſententiam approbauit, *omnibus in rebus optimam eſſe temperantiam:* cui nos addere valemus, quod, vt ex intemperantia primi parentis humana miſeria fluxit, ita ex temperantia ei oppoſita ſummum hominis bonum exiſtere natum eſt. At fortitudo quoque nulli primum videtur cedere locum. Si enim virtus in re ardua fulget, in maxime arduis verſatur fortitudo, cum verſetur in attinentibus ad mortem, quæ ex ſententia Ariſt. in 3. moral. Nicom. eſt vltimum terribilium, quam omnia naturæ interna commotione pro viribus vitare nituntur, fortitudo ad iraſcendi appetitum pertinet: qui eminentior eſt, & rationi proximior, quam appetitus cupiendi. In hac virtute gradus heroicus maxime fulget: heroes enim præſertim robore fortitudinis ſupra humanam conditionem eleuantur, & Hercules ob eandem virtutem à priſcis doctis in ordinem heroum fuit elatus, & iure profecto: vir enim fortis cum fortuna apud homines potentiſſima dimicat, eam proſternit, conculcat, & eneruat. Ideo dixit Seneca, *poteſt fortis inuita fortuna viuere, inuita mori.* Fortitudo omnibus virtutibus vires, neruos, & robur præbet, & cum ea præſertim complicatus eſt honor: per eam enim virtutem homines maxime iudicantur honore digni, vt per oppoſitum infamiam. Sententia fuit Alexandri, *nil fortibus eſſe indomitum, nilq; ipſa natura munitum timidis tutum eſſe.* Iure igitur fortitudo ſuo robore cæteras virtutes ſibi ſubiicere videtur. Magnanimitas tamen nulli ſe ſubiici permittit, omnibuſque præſtare nititur: idque videtur aſſequi, quia nil magno animo præclarius, nilque eminentius excogitari poteſt: per reliquas virtutes humana recte componimus, per hanc ea deſpicimus, eiuſque calcaribus excitati eleuamur ad Deum, eius munere fortunæ bona vt vilia pedibus conculcamus, quæ tamen hominum genus tantopere admiratur & colit. De hac à Seneca Epiſt. 108 præclara illa enuntiatur ſententia. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradit: è contrario ille eſt puſillus, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat, & emendare mauult Deos, quam ſe. Magnanimitatis præſtantiam lucidiſſime expreſſit Philoſophus in 4. moralium Nicomachiorum, cap. 3. inquiens: *magnitudo animi magnis in rebus* (vt & nomen ipſum declarat) *elucere videtur, & vir magnanimus magnitudine eſt quidem ſummus, at in honore verſatur, quod externorum bonorum maximum eſt: inſuper eſt vir optimus & præſtantiſſimus, atq; etiam, quod in quaq; virtute magnum & amplum eſt, viri magnanimi eſſe videtur: quocirca videtur animi magnitudo, quaſi quoddam virtutum omnium eſſe ornamentum; nam & maiores eas amplioreſq; facit, & ſine illis conſtare nullo modo poteſt, atq; ob hanc cauſſam qui re ipſa magno ſit animo, non facile reperias, quippe qui ſine eximia quadam bonitate talis eſſe non poſſit.* His ver-

bis &

Pro fortitudinis præſtantia.

Seneca.

Alexandri ſententia.

Pro magnanimitate.

Sententia Senecæ.

Ariſtoteles.

Digitized by Google

bis & rationibus Ariſtoteles lucidiſſimum reddit magnanimitatis principatum. At liberalitas amplitudine ſuæ magnificentiæ exornata, ei non cedit, verum potius ſe illuſtriorem nititur patefacere: quia ſi caritas theologicarum virtutum eſt princeps, liberalitas, quæ ex moralibus ei eſt ſimilima, cæteris iure optimo præſtare videtur: præſertim, cum nulla actione proximius ad Deum accedamus, eique ſimiliores reddamur, quam dum liberaliter & magnifice aliis opem ferimus. Hæc eſt ea virtus, qua cunctos nobis regio quodammodo deuincimus, quæ nutrit egenos, virtutes alit, fortunæ bona in congruentem finem dirigit. Eius actionibus Dei & naturæ eſt ſimilima: Deus enim ſola ſua immenſa liberalitate mundum creauit: natura eius famula cum pro viribus operetur, ſuaque munera rebus impartiatur, liberalitatem ampliſſime ſeruat. Hæc præferenda videtur iuſtitiæ, quia iuſtitia aliena bona congruenter diſtribuit, liberalitas vero diſtribuit propria, quod longe eſt difficilius. Et præcipue magnificentia, quæ culmen eſt liberalitatis, cæteris præferenda videtur: quia reliquæ virtutes omni hominum gradui & conditioni conuenire natæ ſunt, hæc ſola præclariſſimum hominum ſtatum & conditionem quærit, cum ſolum ſplendide natis, & fortunæ bonis opulentiſſime ditatis conueniat. Demum liberalitas ea eſt, quæ theſauros è manibus fortunæ aufert, & tutiſſime recondit: nam eius munere dicere valemus; hoc habeo, quodcunque dedi: manſuetudo quoque, quamuis (vt eam decet) modeſtiſſime cæteras ſibi præferri cernat, dum tamen id facit, ſuæ ſimul præſtantiæ conſpicua edit indicia. Hæc ab iræ furore nos liberat, cui obſiſtere, vt frugiferum, ita apprime arduum eſt: hæc homini eſt accommodatiſſima, quia eum retinet intra terminos rationis, quos tranſgreditur, quicunque ab ira rapitur, extra quos terminos ne quidem homo iudicari meretur: hæc hominum cœtus deuincit, quos iracundia turbat ac diſſipat: hæc iraſcendi appetitum componit, quem rationis miniſtrum nobis natura largita eſt: hæc demum paci, tranquillitati, & requieti eſt ſimilima, quibus nil homini gratius, nil dulcius, nil cum ſummo eius bono coniunctius excogitari poteſt. Conſtat itaque virtutes ſingulas aliqua ratione ſibi principatum ſatis probabiliter vindicare.

Pro liberalitate & magnificentia.

Pro manſuetudine.

Opiniones nonnullæ de præſtantia virtutum moralium.

CAP. L.

Opiniones variæ ex vario vitæ genere ortæ.

VT variæ virtutum moralium partes inter ſe de dignitate contendunt, ita variæ hominum conditiones variis partibus principatum tribuunt. Viri in imperio & magiſtratibus con-

Opiniones varia ex vario vita genere orta.

ſtituti, iuſtitiam præferunt: milites, & duces exercituum, fortitudinem, viri ſplendide nati & educati, magnificentiam: ciues, qui per gradus magiſtratuum euehi cupiunt, & ambitione ducuntur, principem faciunt eam virtutem, quæ in honore verſatur: demum modeſti homines, & virgines recte educatæ manſuetudinem vel temperantiam. Plato in primo de legibus duo ſtatuit bonorum genera; *vnum humanorum, alterum diuinorum: in ſerie humanorum, primum locum tribuit ſanitati, ſecundum formæ, tertium robori, & viribus corporis, poſtremum diuitiis: in ſerie autem diuinorum bonorum, primam aſſerit prudentiam, ſecundam temperantiam, tertiam iuſtitiam, quartam fortitudinem.* Quæ ſententia dubia eſt: minime enim temperantia principatum obtinere videtur, cum ea vim appetendi ignobiliorem (cupiditatem nempe) recte componat, & perturbationem ſatis vilem moderetur. Inquit doctiſſimus Ficinus in argumento eius dialogi, *ſi ſubſtantiam animæ, puritatemq; contemplationi neceſſariam ſpectes, iuſtitiæ temperantiam antepone. ſi humanam ſpectes conſuetudinem, præpone iuſtitiam.* Quæ ſententia dubia mihi eſt, quoniam iuſtitia non ob conſuetudinem, ſed ſui natura & abſolute præferenda videtur, & præſertim quia eodem in loco inquit Plato, ex prudentia & temperantia cum fortitudine mixtis oriri iuſtitiam: quare cum iuſtitia temperantiam includat, abſolute videtur ea potior. Inſuper in eodem dialogo Plato quærens virtutem præſtantiſſimam, quam primo inſpicere debent rectæ inſtitutæ leges, commendat ſententiam Theognidis Megarenſis, qui dixit, *fidem eſſe hanc, ac fidem eſſe illam, quæ maxime in periculis & ſeditionibus fulgeat,* quam fidem aſſerit eſſe iuſtitiam perfectam: adeo vt Plato primo videatur præferre iuſtitiam, mox vero temperantiam. Propterea ex ſententia Platonis dicendum cenſeo, temperantiam eatenus præferri iuſtitiæ, quatenus conſideratur vt commune ſemen & fundamentum omnium virtutum, ita enim facultate continet omnes: inſuper, vt victoria ſuimet. De qua dixit in eodem dialogo: *primam & optimam victoriam eſſe dico, vt ſeipſum quis vincat, & demum, quatenus paci ſimillima eſt, ad quam in eo dialogo cenſet præſertim referendas eſſe leges.* Ex aduerſo autem iuſtitiam abſolute eſſe præſtantiorem, quia temperantiam præſupponit, actiones edit præclariſſimas, plurimiſque ſalutares: adeo vt temperantia facultate & virtute, iuſtitia forma & actione ſit præſtantior. Verum ex his ordo virtutum adhuc non eſt conſpicuus, præſertim cum fortitudo videatur præferenda temperantiæ.

Plato. — *Dubia aduerſus Platonem.* — *Ficini ſententia.* — *Dubitatio aduerſus eum.* — *Plato ſecum pugnare videtur.*

De prin-

Digitized by Google

De principatu & ordine moralium virtutum opinio propria. CAP. LI.

PRæclara profecto cenſeri debet inter virtutes de dignitate contentio, & ſummopere vtilis: cum ex præſtantia earum ducat ortum, & ad hominis perfectionem conducat. Et quoniam virtus omnis eſt amor recte compoſitus, ideo quo magis de principatu contendunt, eo arctius & flagrantius ſe amplectuntur & diligunt: quare potius permittendum eſſet, vt de dignitate contenderent, quam nitendum, vt concordi pace vna alteri cederet. Commendandæ, laudibuſque efferendæ ſunt virtutes omnes, nulla eſt negligenda, qui enim vnam negligit, omnes negligit, cum vna ſine cæteris ſeruari nequeat: & præcipue id faciendum eſt, quia vnaquæque aliqua conſideratione principatum obtinet. Nam ratione externę materiei, in qua verſantur, quoniam optimũ externorum bonorum eſt honor, magnanimitas, quæ eminentiſſime in eo verſatur, maxime fulget, eademque ad altiora nos euehit, cæteraſque præſupponit: ratione ardui & difficilis, in quo virtus refulget, fortitudo, quæ in vltimo omnium terribilium verſatur, cæteris præſtat: ratione neceſſitatis & fundamenti reliquarum virtutum temperantia omnibus antecellit: ratione affinitatis & ſimilitudinis cum caritate theologicarum principe, liberalitas, & magnificentia magnificentiſſime fulgent: demum ratione affinitatis cum humana conditionę, quatenus homo à feris ſecernitur, manſuetudo ſummopere commendatur: ac ita diſtincta ratione vnaquæque principatum obtinet. Adeo vt colligere valeamus, magnanimitatem omnium eſſe eminentiſſimam, fortitudinem potentiſſimam, magnificentiam ſplendidiſſimam, temperantiam maxime neceſſariam, manſuetudinem homini accommodatiſſimam, iuſtitiam regiam & vtiliſſimam. Verum, quia ea abſoluto optima cenſeri debet, cui optima præſtantiæ ratio competit, ratio dignitatis præſtantiſſima á fine præſertim petenda eſt: finis virtutis eſt actio, actionum præſtantiſſimæ illæ ſunt, quæ ex iuſtitia prodeunt: iure igitur iuſtitia abſolute principatum obtinet. Quod iuſtitiæ actio optima ſit, conſtat: nam munus eius eſt, actiones noſtras erga alios componere, cæteros congruenter gubernare, diſſipatos homines congregare, congregatos ſeruare, reſpublicas, hominumque cum paruos, tum magnos cœtus aureis ligamentis perſtringere, prodeſſe omnibus, & obeſſe nemini, quod virtutis ſummopere eſt proprium. Hæc ſunt munera nedum ſaluberrima, verum etiam communia, bonum autem quo eſt communius, eo eſt eligibilius. Id ipſum ex contrario patet: nam vir iniuſtus vituperio & pœna dignus iudicatur, cum fœdati aliis vitiis non adeo tales cenſeantur: hæc ob

Vtilis eſt virtutum de dignitate contentio.

Singulæ virtutes aliqua ratione principatum obtinent.

Quid colligere debeamus.

ſui præſtantiam intra ſuos limites pietatem, religionem, ſanctitatemque amplectitur, quæ mentem Deo retribuunt, ad Deum nos euehunt, cum Deo nos feliciſſime ligant. Inſuper cum eo arctiſſimo nodo iuncta eſt amicitia, cuius vtilitas & præſtantia ſuo loco patebit.

Prima iuſtitia.

Eſto igitur iuſtitia princeps, cui (ſi placet) ſuccedat fortitudo,

Secunda fortitudo.

qua ad heroicam eminentiam eleuamur: quod præſertim approbandum erit, dum magnanimitatem tanquam ſpeciem quandam fortitudinis conſiderabimus: eſt enim magnanimitas eminens quædam animi fortitudo, qua vitia & mortalia conculcamus. Plato eam poſtpoſuit, quia potius popularem quandam, quam veram fortitudinis formam conſiderauit.

Tertia temperantia.

Sequatur tertio temperantia, cum ſit reliquarum virtutum fundamentum, ſit apprime neceſſaria, & cum difficultate acquiratur. Fortitudo recte componit appetitum iraſcendi præſtantiorem, temperantia appetitum concupiſcendi, iuſtitia expoſcit rectam compoſitionem vtriuſque. Per hunc ordinem recte ſeruatur id, quod ſæpe nos docet philoſophus, in mortalibus ea eſſe potiora, quæ origine ſunt poſtrema. Declaraui in præcedentibus in curſu compoſitionis noſtrarum perturbationum, in principio fulgere temperantiam, in medio fortitudinem, in fine iuſtitiam.

Quarta liberalitas.

Quinta manſuetudo.

Iure itaque modo de dignitate agens; primam poſui iuſtitiam, ſecundam fortitudinem, tertiam temperantiam: quartum locum liberalitati & magnificentiæ, quintum manſuetudini tribuere valemus. Et hæc de mutua virtutum moralium comparatione.

An virtute morali valeamus non vti, vel male vti.

Cap. LII.

CVm finis moralium virtutum ſit vſus & actio, ac cætera fuerint declarata ad earum notitiam pertinentia, reliquum modo eſt, vt de vſu earundem aliquid dicamus.

Ariſtoteles.

Sententia eſt Ariſtot. in primo rhet. nos cæteris bonis omnibus poſſe perperam vti, ſola virtute non poſſe male vti. Inſuper de eadem virtute morali dicitur, dum nobis ſe offert occaſio, nos minime poſſe ea non vti: de quorum veritate iure optimo quiſpiam poſſet ambigere.

Dubitatio.

Ratio prima.

Primo quia ſi ea male vti non valemus, quoniam rectum ſit de ratione eius, ſimiliter nec habitibus mentis poterimus male vti, cum rectum ſit de ratione omnium, vt patet ex eorum definitionibus. *Scientia enim eſt recta ratio ſcibilium, ars recta ratio effectibilium*, & ſic de cæteris.

Ratio ſecunda.

Præterea dicitur in ſecundo moralium Nicomachiorum, quod *quamuis habitus non ſint in noſtra facultate, actiones tamen ſemper in noſtra facultate ſunt poſita: quare homo virtutis habitu præditus, poteſt male agere,*

agere, & nedum non vti, verum etiam perperam vti virtute. His accedit, quod etiam arte non videmur poſſe male vti, quoniam artifex non errat: nam inquit Plato in primo dialogo de republic. *Quare ſi rem ad viuum reſecas, nullus artifex peccat: quiſquis enim peccat, deficiente ſcientia peccat, huiuſmodi autem non eſt artifex, &c.* Dubiæ igitur ſunt ſententiæ illæ duæ primo prolatæ. Soluens difficultatem dico, dari aliquid commune virtutibus moralibus & habitibus mentis, dari inſuper aliquid proprium. Commune eſt rectum, adeo vt per ſe nemo eis præditus erret: artifex enim non errat vt artifex, ſed vel vt vitioſus, vel vt imperitus artis, quemadmodum aſſeruit Plato, & affirmauit Ariſtoteles, qui rectum ſumſit in definitione habituum mentis ſiue rationis. Proprium autem eſt virtutum moralium, quod eis nec male vti, nec non vti valemus, ſine oppugnatione & euerſione earum: ſtatim enim quod vir iuſtus iniuſtum patrat facinus, vel cum debeat iuſte agere, non agit; deſinit eſſe iuſtus, & ſuam iuſtitiam euertit. Ratio huius varietatis eſt, quia de ratione virtutum mentis ſolum eſt id rectum, quod ad opus pertinet, at non id, quod pertinet ad vſum, de ratione autem virtutis moralis eſt vtrumque rectum: virtus enim in more poſita hoc ſibi proprium optat, vt ſit regula congruentis vſus noſtri liberi arbitrii, cunctorumque humanorum bonorum, quod cæteris non competit. Et hoc elicitur ex principalibus definitionibus eius. Definitur enim quod ſit habitus, quo agimus quando, quantum, quomodoque oportet, ac ita cum cæteris circumſtantiis: ſi igitur tenemur per eam agere quando, & quomodo oportet, non valemus, dum nobis ſe offert occaſio, ſine eius euerſione vel non vti, vel male illa vti. Inſuper definitur ita, vt ſit habitus, quo poſſumus, volumus, & agimus honeſta, ſimiliter vt ſit habitus præeligendi honeſta: cum igitur per huiuſmodi virtutem velimus, teneamurque præeligere honeſta, qui id non ſeruat, conditionem virtutis euertit. Id ipſum patet, quia definitur, quod ſit habitus nos recte diſponens erga finem hominis, quod eſt honeſtum: at qui congruenter erga commune honeſtum eſt affectus, non valet ſine euerſione ſuæ conditionis, vel media ad id honeſtum ducentia non præeligere, vel ad finem oppoſitum ea dirigere. Hinc oritur etiam, vt vna ſola actio improba innumeras probas fœdet & labefactet: id enim accidit ne dum ob virtutum connexionem, verum inſuper quia euertit naturam & eſſentiam virtutis: euerſo autem principio & fundamento, euertuntur omnia, quę ducebantur ex eo. Ideo Stoici ſolā virtutem moralem iudicarunt bonam, quia ea ſola non valemus male vti: cętera autem iudicabant indifferentia, quatenus per congruentem vel præpoſterum vſum ex virtute vel ex vitio prodeuntem nobis &

Ratio tertia.

Artifex non errat, qua talis.

Proprium virtutum moralium.

Ratio varietatis.

Proprietas virtutis moralis elicitur ex eius definitionibus.

Cur vna actio improba innumeras probas fœdet.

Stoici.

bona & aduerſa reddi poſſunt. Ex veritatis explicatione elicitur dilutio aduerſarum rationum. Diluitur prima, eo quia rectum eſt duplex: vnum vſus habituam, alterum non vſus abſolute, ſed ordinatorum ad proprium ſcopum vel finem alicuius habitus: id primum ſoli competit virtuti in more poſitæ. Diluitur ſecunda, quia, quamuis actio ſemper in noſtra facultate ſit poſita, non propterea ita ſe habet, vt ſi improba fuerit, non euertat & labefactet habitum virtutis moralis: de cæteris autem habitibus ſecus ſe habet, quamuis enim medicus male vtatur arte medendi, non ob id deſinit eſſe medicus. Addebatur tertio, nos etiam arte non poſſe male vti, quia artifex non errat. Reſpondeo, nos poſſe artibus male vti: quia, quamuis artifex non erret per ſe, poteſt tamen errare ex euentu male vtens arte, nec ob id deſinit eſſe artifex, vt deſinit homo eſſe iuſtus, dum patrat ſcelus.

Diluitur prima ratio.

Diluitur ſecunda.

Diluitur tertia. Artifex errat per accidens.

Celebres nonnullæ ſententiæ ad virtutes morales pertinentes.

CAP. LIII.

Sententiæ variæ.

VT illuſtri aliquo fine gradum moralium virtutum abſoluamus, ingenuoſq; iuuenes ad eas inuitemus, ſententias nonnullas præclaras referam, partim ex aliis depromtas, partim á me excogitatas, dignas, vt continenter animo reuoluantur, memoriaque ſeruentur. Virtutis ea eſt vis & facultas, vt eius munere defuncti viuant, collocati in tenebris ſplendeant, depreſſi ſubuehantur in cœlum, ægri optime valeant, pauperes veris diuitiis abundent, ſerui ſint principes, impotentes potentiſſimi, humiles reddantur ſublimes, ignobiles nobiles, deformes formoſi, & demum infortunati euadant fortunæ domini: vt contra oppoſita vitioſis per vitia competere conſpicuum eſt, non ſecus per virtutem homo angelicam nanciſcitur conditionem, ac per vitium angeli lucis euaſerint dæmones tenebrarum: virtus mentis aciem purgans facit, vt tanti vnumquodque faciamus, quanti fieri debet, ideo iure recti, & honeſti menſura dicitur: virtus monet, vt vel ea agamus, quæ ſint digna ſcribi, vel ea ſcribamus, quæ ſint digna legi: viro probo conſcientia factorum egregiorum ampliſſimum virtutis eſt præmium: virtutis munere omnia vertuntur in bonum. Ideo dixit Plato, *Viro probo nil mali, improbo nil boni contingere poſſe.* Qui virtutem venerantur, Deum venerantur & colunt, virtus enim vel Dei eſt imago, vel via ad Deum, vel potius vtrumque: virtus eſt non cæcus, ſed oculatiſſimus amor, amorſque nodus inſolubilis, quo nobiſcum, cum inferis, & ſuperis vt decet colligamur, & á quibus decet diſſoluimur. Cato ſuos milites ita hortari ſolebat: *ſi quid labore recte facitis, labor cito recedit, benefactum ſeruatur: ſi quid autem voluptate nequiter feceritis, perpetuo nequitia vobiſcum mane-*

Digitized by Google

munebit, voluptas cito euaneſcet. Si ardua tibi videtur via virtutis, recordari debes nil præclarum apud nos reperiri niſi arduum; nil ſublime & pretioſum niſi ſudore paratum, nil animo ſalutare, quod corpori non videatur amarum. Quo cultus pro virtute paranda eſt laborioſior, eo fructus virtutis eſt ſalubrior: cum vnum viceris vitium, vnamve compoſueris perturbationem, recordare id ipſum de aliis eſſe faciendum: ita pugnandum cum vitio, vt nedum non vincamur ab ipſo, verum inſuper vt ipſum vincamus; quod aſſequemur, ſi inde ſuſcipiemus occaſionem bene agendi. Animo recte affecto longe dulcius eſt ſuperare vitium, quam animo vitioſo labi in vitium. Vtilis valde eſt ſententia Senecæ in epiſt. *ſic viue cum hominibus, tanquam Deus videat, ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtit. Salutaris eſt hæc celebris ſententia: *Viro probo nullum eſt maius theatrum conſcientia ſua: nil vetat, dum viuis, te bene viuere, nilq; vetat te bene mori:* qui corporis obſequitur libidinibus, inſanis inſeruit tyrannis: innocentia ſola (vt cecinit Pindarus) ſpem optimam in nobis parit, dulciſſimum vitæ ſolamen. Sententia fuit Platonis: *animus immortalis non debet pro breui hoc, ſed pro vniuerſo tempore eſſe ſolicitus: viro probo lex Deus eſt, improbo vero libido.* Probi ſunt, qui ſibimet imperare valent; improbi vero, qui nequeunt: optima enim victoria eſt ſeipſum vincere, deterrimum autem quiddam à ſeipſo vinci. Felicem ille ducit vitam, qui ſuperat voluptatem; infelicem vero, qui ſuperatur. Putandum eſt omnium oculos in nos eſſe conuerſos, adeo vt vitia noſtra neminem lateant: & enitendum eſt tales nos reddere, quales videri cupimus. Præclarius nobis erit à diuitiis non vinci, quam Aiaci non vinci à ferro. Neque permittẽdum eſt, vt cum exteriora noſtra multis ſua pulcritudine placeant, interiora interim ſua deformitate diſpliceant. De virtute re vera in omni aduerſa fortuna id enuntiare valemus, quod de Muſis Boetius cecinit inquiens:

Has ſaltem nullus potuit peruincere terror,
Ne noſtrum comites proſequerentur iter.

Veriſſima quoque cenſeri debet ſententia Boetii quarto de conſolatione: *In improbitate manentibus omnis fortuna peſſima eſt; in probitate vero omnis fortuna bona.* Qui viuẽs decipit alios, dum moritur, inuenit ſe à ſemetipſo deceptum: ſi Deum derelinquis, ab eo derelinqueris; & plus tibi prodeſt vnus Deus, quam vniuerſa ceterorum multitudo. Virtus ex Pythagoræ ſententia eſt animi harmonia quæ ex ſentẽtia Socratis omni harmoniæ corporum longiſſime præſtat. Propterea iure Cteſippus apud Platonem in Euthydæmo dicebat: O *Socrates hoſpitum voluntati meipſum committo, & ſi me magis etiam quam nunc excoriare velint, ex-*

corient, modo pellis mea non in vtrem, vt ea Marſyæ, ſed in Virtutem vertatur Verum hominis ornamentum non eſt corporis cõcinnitas, ſed animi virtus. Nam virtus ſemper ingenuo vultu ſerena eſt, ſimplex moribus, inceſſu grauis, vultu ſerena, genuino quodam pudoris colore ſuffuſa, ſemper ſui ſimilis, verbis non blanda, ornata non auro, ſed radiis diuini boni. Duces virtutis ſunt verum & bonum: præcurſores continentia, tolerantia, obedientia: caput ſapientia; oculi prudentia; crura iuſtitia; ſanitas temperãtia; robur, fortitudo; manus liberalitas; lingua, fides; pectus religio; collum pietas: cor amor, ſpiritus caritas: pulcritudo, ſanctitas: comites & ancillæ huius regiæ dignitatis multæ ſunt: vt ſecuritas, ſpes, tranquillitas, lætitia, reuerentia, clementia, benignitas, modeſtia, puritas, miſericordia, dilectio bonorum, & ſimiles.

Forma virtutis.

Virtus quomodo virgo.

Qui virtuté non colunt, non ſunt nobiles.

Virtus cum dicatur virgo, eſt huius conditionis, vt quo pluribus ſui partem copiamve facit, eo magis pudica & caſta ſeruetur: derelicta autem ab aliis, contaminetur & fœdetur. Virtus eſt parens nobilitatis: propterea qui virtutem non diligunt, vel parentem ſpernunt, vel ſe nõ vere nobiles oſtendunt. Ex Pythagoræ ſententia hæ ſunt anchoræ firmæ, prudentia, magnanimitas & fortitudo, eas nulla tempeſtas agitat. Hæc Dei eſt lex: virtutem ſolam eſſe, quæ potens ſolidaque ſit, cetera omnia nugas & ineptias. Stobæus in primo ſermone, qui de virtute eſt, hymnũ hunc refert, quem Ariſtotelis eſſe dicit: *O virtus ardua laborioſaque generi humano, pulcerrima vita inuentio: tuam, ô virgo, ob venuſtatem etiam mori in Græcia optabile habetur, ac labores vehementes perpeti, talem pectori inſeris fructum immortalem, auro potiorem, & parentibus, & leniſſimo ſomno. Tua equidem gratia Hercules Ioue satus, Ledaque filii multa perpeſſi ſunt, ſuis factis quid poſſent declarantes. Tui quoque deſiderio Achilles, atque Aiax Plutonis ad regiam deſcenderunt. Tuam inſuper ob amabilem formam Atarnea ciuem ſolis priuauit luce, itemque decantabitur ob egregia facta, immortaleſque ipſum euehunt muſæ Mnemoſynes filiæ, quæ Iouis hoſpitalis honorem & reuerentiam augent.* Eundem refert etiam Diogenes Laertius in vita Ariſtotelis. Sed cur tam multa de virtute dico, cum ipſa ſolo nomine ſe omni ſententia ſplendidiorem patefaciat?

Hymnus Ariſt. pro Virtute.

FINIS QVARTI GRADVS.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS V.

De virtute mentis ſiue rationis diſſerendum proponitur. CAP. I.

VIRTVTIS ea eſt natura & conditio; vt per varios gradus ad principium primum aſcẽdat, ſecum nos eleuet, nec vnquam requieſcat, quouſque cum illo nos coniunxerit: & iure optimo profecto. Cum enim vniuerſæ virtutis parẽs ſit Deus, ea pro facultate parentem quærens in eo ſolo requieſcit, à quo vitam, ſpiritum, præmium; poſtremamq; recipit perfectionẽ: ideo qui per gradus virtutis progreditur, ad Deum eleuatur. Vtinam autem; quemadmodũ eleuatur virtus, ita acies meæ mentis purgaretur & eleuaretur, adeo vt poſſem digne ꝓ meritis de ea verba facere. At quoniã erga virtutẽ deſiderium quoque flagrans cõmendatur, ꝓpterea de virtute mentis omni laude digniſſima, potius eius amore incẽſus, quam facultate paratus (vt inſtituto meo inſeruit) mihi diſſerendũ propono. Virtus, quę rationi eſt affinis, & vna cum ratione manauit ex Deo, eatenus effunditur, quatenus extẽditur ratio. Anima noſtra eſt rationis particeps: vel quia nata eſt obtemperare rationi, de cuius virtute cumulate diſſerui; vel quia ex ſe nata eſt rationis munere fungi, de cuius virtute modo diſſerẽdum occurrit. Anima ex ſe rationis particeps, cum nuda ſit omni habitu, ac ob cõnexionem cum phantaſia facile decipi & errare poſſit, iure optimo eget habitibus, quibus ornetur, formetur, cõgruenterq; dirigatur. Habitus, qui menti competere apti ſunt, duplicis ſunt cõditionis: vel enim ſunt tales, vt rectum ſit de eorũ ratione, vel ne. Si rectum de eorũ ratione fuerit, vel ſunt inſtrumentarii, vel principales. Inſtrumentarii in his verſantur, quæ nobis inſtrumenti loco à natura tributa ſunt, oratione ſcilicet, & ratiocinatione: & verſari poſſunt vel in ſola oratione, vt grammatica, vel in ſola ratiocinatione, vt ſophiſtica, dialectica, & facultas demonſtrandi, vel in vtriſque, vt poetica & Rhetorica: qui oẽs habitus, quatenus artes quædam ſunt, rectum includunt. Si vero fuerint habitus principales, vel dirigunt ad cognitionem veri,

Virtutis officium eſt eleuare ad Deum.

Virtus vna cum ratione manauit à Deo.

Diuiſio habituum mentis.

Habitus inſtrumentarii.

Habitus principales.

vel ad operationem. Si ad cognitionem veri: vel verſantur in ſola primorum principiorum cognitione, & dicitur mens ſiue intelligentia vel in pendentibus proxime, ex primis principiis, & complicatis cum ipſiſmet principiis, & dicitur ſapientia, vel in concluſionibus demonſtratione oſtenſis, & dicitur ſcientia. Si vero dirigunt ad operationem, vel ea eſt actio, & oritur prudentia, vel eſt effectio, & conſurgit ars. Ex quo cõſtat, omnem principalem mentis habitum, vel ad cognitionem veri, vel ad actionem, vel ad effectionem dirigere. Qui habitus diſtinguuntur etiam diſtinctione rei, in qua verſantur: nam in re, quę ſecus ſe habere non poteſt, verſantur intelligentia, ſapientia & ſcientia: in re vero mutationi & varietati obnoxia, verſantur ars & prudentia, & iure profecto: nam ſpeculamur æterna, agimus autem & efficimus ea, quæ noſtrę facultati ſubiiciũtur, & mutationi ſunt obnoxia Inſuper diſtinguuntur diſtinctione facultatum mẽtis reſpondẽtium duplici illi generi rerum: nam duplex (quod quidem ad rem facit) eſt mẽtis facultas, vt inquit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 1. *Vna qua res ſpeculamur, quarum principia aliter ſe habere nequeunt, altera, qua cernimus ea, quæ poſſunt ſecus ſe habere: ad ea enim, quæ ſunt diſtincta genere, intelligendæ, etiam partes animæ paratæ ſunt diſtinctæ genere, ſiquidem ex ſimilitudine quadam ac affinitate cognitio eis competit: ea pars quæ verſatur in his, quæ ſecus ſe habere nequeunt, ἐπιστημονικὸν dicitur, altera vero λογιστικὸν, hoc eſt, ſciendi vna, altera ratiocinandi facultas.* Hi ſunt habitus, de quorum ratione eſt rectum, & veritas. Ex aduerſo alii inueniuntur, de quorum ratione hæc non ſunt: huiuſmodi eſt opinio, exiſtimatio & fides; valemus n. opinari & exiſtimare etiam falſa, ac eis fidem adhibere: verum exiſtimatio & fides, vt neceſſitate carent, ad opinionem rediguntur. Hi poſtremi habitus virtutis nomine honeſtari non merentur: quoniam virtus eſt perfectio eius, cuius eſt virtus; perficere autem id ſolũ re vera dicitur, de cuius ratione eſt rectum & verum; ideo de his Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomach. minime verba fecit, ibi enim de virtute diſſerebat.

Primus modus diſtinctionis.

Secundus modus.

Tertius modus.

Habitus ex ſui ratione recti.

Dubia quædam de numero habituum mentis.

Cap. II.

Enumerationẽ habituum eſſe redundantem.

Dubitatio de habitu inſtrumẽtario.

NVmerus habituum modo relatus, cum diminutus, tum redundans eſſe videtur: primo redundans, quia Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum agens de habitibus mentis prætermiſit habitus inſtrumentarios; diminutus autem fuiſſet, ſi darentur huiuſmodi habitus diſtincti à principalibus: ita etiam in calce primi Poſteriorum enumerans eoſdem habitus, de inſtrumentariis nullum fecit verbum. Inſuper opinio inter habitus

Digitized by Google

Dubitatio de opinione:

bitus numeranda non videtur: quoniam habitus eſt firmus & conſtans, opinio contrà eſt mutabilis valde & inconſtans, non itaque eſt habitus.

De ſapientia.

Præterea ſapientia nõ videtur diſtincta à ſcientia; ambæ enim ex neceſſariis principiis cognitionem patiũt, ac in eis verſantur, quæ ſecus ſe habere nequeunt.

Eandem eſſe diminutam.

Ex aduerſo ea diſtributio & enumeratio videtur diminuta: quoniam philoſophus in calce primi Poſter. inter habitus mentis enumerat, (pręter ſcientiã, ſapientiam, prudentiam, artem & intelligentiam) etiam διάνοιαν, hoc eſt, rationem.

Dubitatio de dianoia.

Inſuper in primis verbis primi de partibus animalium duos ponit modos habituum, ſcientiam & παιδείαν, quam nonnulli peritiam, quidam experientiam, alii eruditionem dicunt: de qua ego mentionem non feci.

De pædia.

Præterea in primo magnorum moralium, cap. 6. enumerans virtutes pertinentes ad duplicem animæ partem, expertem ſcilicet rationis & compotem, inquit: *ex ea parte, qua habet rationem, oritur prudẽtia, ἀγχίνοια, hoc eſt, ſolertia, ſapientia, εὐμάθεια, hoc eſt, ingenium, memoria, & ſimiles:*

De ſolertia & ingenio.

enumerat eo in loco Ariſtoteles memoriam, ingenium & ſolertiam, quas ego prætermiſi, nec ipſemet in ſexto moralium Nicomachiorum enumerauit, adeo vt ſuimet oblitus fuiſſe videatur.

De ſacra theologia.

Demum eſt dubitatio de ſacra theologia diuinitus nobis reuelata: non enim apparet, ad quem enumeratorum habituum redigatur.

Diluitur inſtantia ſumta ab habitu inſtrumentario.

His difficultatibus nunc breuibus ſatisfaciam, nam latius hæc patebunt ex diſtincta ſingulorum habituum explicatione. Videbatur primo enumeratio redundans ob habitus organicos, ob opinionem & ſapientiam. De habitibus organicis dico, eos poſſe & cõnumerari & prætermitti. Cõnumerari poſſunt clarioris diſtinctionis gratia, quoniam re vera à principalibus diſtinguuntur, cum principalium ſint organa: ita ab Ariſtotele in primo topicorum numerantur, dum agẽs de problemate dialectico inquit: *problema autem dialecticum eſt ſpeculatio tendẽs vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem & ſcientiam, aut per ſe, aut adminiculans his, &c.* Si tamen prætermittuntur, vt fit in ſexto moralium Nicomachiorum, nihil refert; primo, quia nobis ea præſertim debent eſſe curæ, quæ in principem aliquem finem ducunt, per quæ organa etiam denotantur eis famulantia: ſecundo quia in tribus communibus finibus cum his conueniunt. Omnis enim habitus mentis vel ad actionem, vel ad effectionem, vel ad cognitionem tendit: hi habitus organici ad effectionem dirigunt; docent enim efficere & formare aliquid: & quamuis non propriè ſint artes, quia nõ verſantur in externa materie, ad artem tamen rediguntur, & iure optimo à priſcis ſapientibus inter artes ingenuas libero homine dignas numerati fuerunt.

Diluitur dubitatio de opinione.

De opinione dico eam enumeratam fuiſſe in calce primi Poſteriorum, nec non de eadem factam

fuiſſe mentionem in ſexto moralium Nicomachiorum: & iure. Primo, quia etiam dantur opiniones, quæ, quamuis ex neceſſariis principiis non oriantur, tamen firmæ & conſtãtes ſunt, quales ſunt inueteratæ ſenũ opiniones, illæ vulgi & anularum; quæ firmius hærent ſententiæ populari, conſuetudine vel exemplis confirmatæ, quam concluſioni demõſtratione oſtenſæ. Inſuper dantur opiniones de rebus nonnullis, quarum certi eſſe nõ valemus, nec pro earum oppoſito formari poſſunt ἐνδείξεις, id eſt, oſtenſiones: & propterea firmæ ſunt, quamuis virtutis nomine non ſint honeſtandæ. De ſapientia, quomodo diſtinguatur à ſcientia, in eius explicatione patebit.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur numerum habituum eſſe diminutum. Cap. III.

NVmerus habituum diminutus videbatur: quia τῆς παιδείας, εὐμαθείας, λογισμοῦ καὶ διανοίας, inſuper memoriæ & ſolertiæ nulla eſſet facta mentio; cum tamen nonnunquam ab Ariſt. inter habitus rationis numerentur. Pro quorum notitia conſiderandum eſt, rationis habitus ab Ariſtotele variis in locis modo vario pro varietate occaſionis fuiſſe enumeratos: nam in calce primi poſter. in calce ſecundi, necnon in primo magnorum moralium, c. 6. enumerati fuerunt: maximè tamen fidem adhibere tenemur 6. moralium Nicomachiorum, quo loci data opera accuratiſſime de illis verba fecit: ex eo autem ſexto elicitur diſtinctio in præcedentib. tradita, per quam dicta in ceteris locis ſunt explicanda. In calce primi poſter. inquit Ariſtoteles: *reliqua vero quomodo oportet diſtribuere & in* διάνοιαν*, ſiue cogitationem & mentem, & ſcientiam, & artem, & prudentiam, & ſapientiam; illa quidem phyſici; hac autem moralis conſiderationis magis ſunt, &c.* Annumerat eo loci philoſophus διάνοιαν, quã in ſexto moralium miſſam facit. Iacobus Faber eam redigit ad νοῦν, hoc eſt, mentem, adeo, vt vox vna explicet alteram, quam ſententiã non probo: quia mens proprie denotat inſpectionem primorum principiorum ſine argumentatione: dianoia vero eſt cum ratione, vt cum alibi, tum in ſexto moralium Nicomachiorũ; cap. 9 aſſerit philoſophus. Philoponus (quem multi ſequuntur) inquit, *Ariſtotelem per* διάνοιαν*, ſiue cogitationem denotare habitum ſiue actionem mentis, communiorem opinione & ſcientia proprie ſumta.* At qui ita exponunt, in conſpicuo verſantur errore: primo, quia abſurdum eſt inter ſpecies numerare genus, nõ enim, dum animalium ſpecies numeramus, recte dicimus eas eſſe animal, hominem, equum, & ſimiles. Inſuper; qui huius ſunt opinionis, fatẽtur quod cum Ariſtoteles in vltimo ca. ſecundi poſt. numerat λογισμὸν, ea voce idipſũ ſignificet, quod in calce primi

Habitus rationis ab Ariſtot. vario modo numerati.

De dianoia. Faber.

Philoponus.

denotauit per διάνοιαν: at Ariſtoteles λογισμὸν numerare conſueuit pro ſpecie habituum, qui non ſemper ſint veri, contradiſtinctorum à ſemper veris: quare perperam ea vox accipitur, vt communis, adeo vt amplectatur etiam habitus ſemper veros. Propterea dicamus, Ariſtotelem per διάνοιαν denotaſſe habitũ, quo de ſingulis probabiliter valemus argumentari; qui opinionem parit, & contradiſtinguitur à ceteris habitibus, de quorum ratione eſt rectum: ad quẽ habitum pertinet λογισμὸς, hoc eſt, ratiocinatio tanquã via, & opinio, tanquam terminus: ac ita recte explicare valemus Ariſtotelem in calce ſecundi poſter. dicẽtem: *habituum rationalis animæ, quibus verum enuntiamus, nonnulli ſemper ſunt veri, vt ſcientia & mens, alii ſuſcipiunt falſum, vt opinio & λογισμὸς, &c.* Hæc duo poſtrema Ariſtoteles in calce primi poſteriorum per διάνοιαν communi nomine denotauit. Hæc veritas eluceſcit per ea, quæ protulit Ariſtoteles in primo cap. ſexti moralium Nicomachiorum, quo loci dixit λογιστικὸν, hoc eſt, ratiocinãdi facultatẽ in his verſari, quæ ſecus ſe habere poſſunt.

Opinio propria.

Explicatur locus in calce primi poſt.

Miſſas fecit Ariſtoteles in calce ſecundi poſte. prudentiam & artem, quia loquebatur de habitibus, quibus verum enuntiamus: ad prudentiam autem & artem pertinent proprie, non enuntiatio veri, ſed actio & effectio: miſſam fecit etiam ſapiẽtiam, quia modo aliquo ex ſcientia & mente cõſtatur. Quod autem verum ſit id quod dixit διάνοιαν, ſiue cogitationem includere ratiocinationem, aſſeritur ab Ariſtotele in ſexto moralium Nic. cap. 9. quo loci verba faciens de conſultatione; *cum manifeſtaſſet eam non eſſe ſagacitatem, non ſcientiam, nec opinionem; addit: διανοίας ἄρα λοίπεται*, hoc eſt, *reliquum igitur eſt, vt conſultatio ſit ipſius cogitationis; hæc enim nondum enuntiatio eſt, &c.* Pertinet itaque conſultatio ad cogitationem; conſultatio autem eſt ratiocinatio quædam, per quam inferentes aliquid, id enuntiare dicimur. Et conſiderandum, quod locus ille à Lambino perperam interpretatur; inquit enim: *cogitatione igitur eſt inferior, &c.* Adeo vt ſententia ſit, conſultationem eſſe inferiorem cogitatione, at hoc ad rem non facit: non enim Ariſtot. tunc de præſtantia conſultationis loquitur, ſed conſiderat, ad quid pertineat: Et verba, quæ ſequuntur, nequaquam eius ſententiæ ſunt cõſentanea; addit enim Ariſtot. Hæc enim (nempe cogitatio) non eſt enuntiatio, ſed via ad eam, vt etiam conſultatio. Præterea Ariſt. vtitur ſigno illationis: at id, ꝙ de præſtantia dicitur, nequaquam Ariſt. poterat ex dictis colligere. Verũ inquit Lambinus verba græca, & modum illum loquendi id ſignificare, non autem illud, quod ego approbaui. Errat proculdubio. Inquirit enim tunc Ariſtoteles, cuius ſit conſultatio: & cum dixiſſet quod bona conſultatio nõ eſt opinio recta, nec ſcientia, addit; Reliquum igitur eſt cogi-

Explicatur locus in calce ſecundi poſt.

Confirmatio.

Lambini error.

Colligitur ſolutio principalis difficultatis.

tationis, nempe vt ſit: ſolum debet ſubintelligi verbum ſubſtantiuum, cuius paulo ante fecerat mentionem, & mos eſt Græcorum frequenter id ſubintelligere. Iure igitur Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, *διάνοιαν* & *λογισμὸν* inter habitus rationis non numerat, cum tunc loquatur de habitibus ſemper rectis, qui virtutes ſint; numerat autem in libro Poſteriorum: quia latius conſiderat habitus, nec eos contrahit ad ſemper rectos. Altera dubitatio erat de pædia, de qua quid ſit dicendum, in progreſſu latiſſime patebit. Nunc breuibus dico, eam diſtincta cõſideratione partim redigi ad diſciplinam inſtrumentariã; partim ad opinionem, partim non eſſe habitum, ſed viam ad illum.

De ſolertia.

De ſolertia, quam *ἀγχίνοιαν* nuncupat philoſophus, dico, eam non eſſe habitum mentis à ceteris diſtinctam, ſed congruentem animi cõſtitutionem pro inueniẽdo medio, partim nobis per naturam competentem, partim per diſciplinas logicas, ac, vt ad habitum pertinet, redigi ad inſtrumentarios: nam Ariſtoteles nomine habitus nonnunquam etiam eorum partes denotauit, vt conſtat ex ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 11. quo loci *γνώμην* ſiue ſcientiam, & *σύνεσιν* habitus nuncupat. De *εὐμαθεία*, hoc eſt, ingenio & memoria, in enumeratione habituum mentionem facere non debuimus, quoniam (vt cõſpicuum eſt) non ſunt habitus mentis: imo ad mentem non pertinent, ſed potius ad phantaſiam, cui iuncta eſt memoria. Nec mirũ eſt, ſi in magnis moralibus inter virtutes mentis vna cum ſapientia numerantur; illi enim libri ſunt conciſi valde nõ emendati, nec approbati ab Ariſtotele. Quod ſi etiam locum illum probabiliter tueri vellemus, dicendum eſſet, Ariſtotelem non habitus ſolos dinumeraſſe, ſed omnia conſpirantia ad habitum, & facilem adeptionẽ eius: & nedum habitus ſtudio acquiſitos, verũ etiam eos, qui per naturã nobis competunt, è quorum genere eſt memoria & ingenium, quæ quamuis præcipue ad phantaſiam pertineant, vel ex ea oriantur; tamen proxime inſeruiunt adeptioni habituum mentis, & ſeruant illos: mens enim ex ſententia Ariſtotelis nil tanquã ſubiectum recipit, nec ſeruat, ſed hoc eſt munus phantaſiæ, vt ſuo loco patebit. De ſacra theologia diuinitus reuelata ſermo eſſe non debet, quoniam nunc loquimur de habitibus ſtudio & ratione comparatis. Ex his conſtat, diuiſionem ac enumerationem virtutum mentis nec diminutam, nec redũdantem eſſe: cõſtat inſuper, de quibus primo vniuerſe, mox ſingulatim verba facere teneamur: ea autem ſunt opinio, *παιδεία*, fides, intelligentia, ſcientia, ſapientia, prudentia & ars.

Ad

Ad quam pertineat de virtutibus mentis verba facere.

CAP. IV.

Ariſt. non videtur ſibi conſtare.

CVm apparuerit, quæ ſint virtutes illæ, quæ quintum hunc conſtituunt gradum, iure optimo quis dubitare poterit, ad quem pertineat de eis verba facere: præſertim cum Ariſtoteles ſibi conſtare non videatur: nam in calce primi poſteriorum inquit: *reliqua autem quomodo oportet diſtribuere, in διάνοιαν ſiue cogitationem, & mentem, & ſcientiam, & artem, & prudentiam, & ſapientiam, hæc quidem phyſica, illa vero ethica conſiderationis magis ſunt.* Mox hoc ſeruare nō videtur, in phyſicis enim de nulla harum virtutum videtur agere, in ſexto autem moralium Nicomachiorum agit, non de horum parte, ſed de omnibus. Confirmatur dubitatio, quia in primo magnorum moralium, cap. 33. dubitans hac de re Philoſophus inquit: *dubitare quis poterit & admirari, quod locuturi de moribus, ac de ciuili negotio, de ſapientia verba faciamus.* Soluens ait: *primum hac de re non videtur eſſe aliena conſideratio, quoniam* (vt diximus) *ſapientia virtus eſt: inſuper fortaſſe Philoſophi eſt de his conſiderare, quæ in eodem fuerint: ideo neceſſe eſt, cum de his loquimur, quæ in anima ſunt, de omnibus verba facere, eſt autem in anima ſapientia, &c.* Ait itaq; ad Philoſophiam de moribus pertinere de omni virtute diſſerere, non autem de nonnullis tantum. Præterea res dubia eſt, quoniam ſapientia & intelligentia neque ad ciuilem Philoſophum, neque ad phyſicum pertinere videntur, ad quos reiecit horum conſiderationem Ariſtoteles in calce primi poſteriorum, ſed ad diuinum potius: nam metaphyſica eſt ſapientia & intelligentia, vt conſpicuum eſt, & eſt communis iudex omnium habituum mētis. Hæc ſunt, quæ rem hanc dubiam reddunt. Expoſitores varia dicunt. Inquit Philoponus in calce primi Poſterio. *ad ciuilem pertinere prudentiam & artem: ad metaphyſicum intelligentiam & ſapientiam, ad phyſicum & logicum ſcientiam, rationem & opinionem* Inſuper addit, *Ariſtotelem eo in loco per phyſicam denotaſſe etiam metaphyſicam.*

Philopon.

In dubium vertitur ſententia Philoponi.

At non video, cur ad moralem de arte potius quam de ceteris habitibus pertineat verba facere, non enim moralis in attinentibus ad effectionem, ſed in attinentibus ad actionem verſatur. Inſuper metaphyſicus, vel in habitibus mentis nō verſatur, cum non pertineant ad ſuum ſubiectum, vel ſi in eis verſatur, videtur vniuerſe vt princeps cognoſcere omnes, eos diſtinguere, & inter eos comparationem facere, vt fecit Ariſtot. in ſexto metaphyſic. & in prooemio primi. Nec videtur rationi conſentaneum, quod Ariſtoteles tam impropriè vſus ſit nomine phyſicæ. Propterea dicendum cenſeo, habitus omnes pertinere ad logicum,

Opinio propria.

Quomodo omnes habitus pertineant ad logicum. conſiderando ſaltem modum & inſtrumenta, quibus acquiruntur: proprie tamen ad eum pertinere ſcientiam & opinionem, quia omnis argumentatio vel ſcientiam firmam & cōſtantem, vel opinionem parit. Inſuper omnes pertinere ad phyſicū: quoniam ad eum pertinet loqui de anima, de eius facultatibus & operibus, ex quibus vel in quibus prodeunt, vel recipiuntur habitus. *Quomodo omnes pertinent ad phyſicum.* Ita in calce 2. de anima ſermo eſt de opinione, ſcientia, & aliis habitibus ſaltē vniuerſe ſumtis, & in tertio declaratur, quomodo anima fiat omnia, & ſit principium cognoſcendi & operandi: præcipue tamen, & magis proprie ob conſimilitudinem verſatur phyſicus in attinentibus ad contemplationem. *Quomodo pertineant omnes ad ciuilem.* Pariter ciuilis Philoſophus tenetur omnes habitus cognoſcere: cum enim eius officium ſit humanas actiones componere, hominemque ad ſummum bonum dirigere, quia ad ſummum bonū conſpirant omnes habitus mentis; propterea omnes tenetur cognoſcere: idipſum etiam tenetur facere, vt ordinem ſtatuat inter hominum gradus & conditiones, eas inter ſe comparet, honores recte decernat, ſtatuat cui diſciplinæ & quouſque danda ſit opera, vt dicebatur in procœmio moralium Nicomachiorum. Demum id efficere debet, vt valeat vtrumque ſummi boni gradum cognoſcere, & inter ſe comparare: quorum vnus in actione, alter in contemplatione eſt poſitus, quod ſeruauit Ariſtot. in 10. moralium Nicomach. Ex quo conſtat, quod non penitus ex euentu (vt perperam nonnulli dicunt) Ariſtoteles in 6. moralium Nicomachiorum de cunctis habitibus verba fecit: pręcipue tamen tenetur verba facere de prudentia, quoniam ea propria eſt ciuilis ſcientiæ. *Explicatur locus in calce primi poſter.* Ex his conſtat, quomodo explicanda ſint verba Ariſtot. in calce primi poſteriorum ſupra relata: dum manifeſtat, ad quas diſciplinas enumerati habitus pertineant: Reſpexit enim id, quod proprie & præſertim ad diſtinctas diſciplinas pertinet: ac inſuper variis ſcientiis potius varia delegauit ad enumeratos habitus pertinentia, quàm varios & diſtinctos habitus; de ſingulis enim in variis ſcientiis varia conſiderantur. De metaphyſica mentionem non fecit, quoniam ad eam minus proprie pertinent, cum nec animam, nec virtutes, nec organa, per quæ acquiruntur, conſideret, ſed ſolum vt domina vniuerſe cognoſcat habitus omnes, præſcribendo eis proprios terminos. Nam quamuis metaphyſica ſit ſapientia, includens intelligentiam, & modo aliquo ſcientiam, hoc parum refert: aliud eſt enim eſſe aliquid, & conſiderare illud; nam conſiderare virtutes vt habitus mentis, vno vel altero modo comparandos, nequaquam eſt officium metaphyſicæ.

Quid

Quid ſint virtutes mentis, ſiue rationis.
CAP. V.

CVm virtutes rationis, quæ explicãdæ occurrunt, enumeratæ ſint, quid ſint, modo declarare tenemur: nam quod ſint, nemo inficiatur. Qua de re nec Plato cum Ariſtotele idem ſentit, nec Ariſtoteles ſibi conſtare videtur. Plato, qui cuncta à primo principio per ideas, rationes, & ſemina manare exiſtimauit, fundamentum & eſſentiam horum habituum cenſuit eſſe ideas mentis, & rationes animæ, inſertas in eſſentia vtriuſque, cõcurrente tamen excitatione ab externis obiectis, per quam promerentur ab anima idola rationum, quæ per memoriam ſeruarentur: habitum tamẽ in regreſſu animæ in ſeipſam per rationes, ac in connexione rationum cum ideis mẽtis, eſſe collocatum exiſtimauit, vt latius alibi explicabo. Quæ ſententia reiicienda eſt: vere enim hominis anima nuda eſt omni habitu & forma, cũ ſit nata omnibus indui, cum ſit poteſtate penitus, cum ſit ad oppoſita facilis, nec tam facile deciperetur, ſi veritas & rectum inſerta eſſent in eſſentia eius. Rectius itaq; Ariſtoteles nec per internas rationes, nec per ideas competere nobis virtutes rationales exiſtimauit. Verum adhuc ex opinione Ariſtotelis quid ſint, nõ conſtant: nam in ſeptimo phyſicorum cont. 20. loquens de habitibus mentis ſiue rationis inquit, *eos eſſe relationes, & propterea ad eos non eſſe motum*: At ex aduerſo in prædicamento qualitatis habitum & diſpoſitionem qualitates eſſe affirmat, & in calce eius prædicamenti ait, *genera eſſe relationes, & ad aliud referri, ſpecies vero eſſe qualitates: adeo vt anceps fuiſſe viſus ſit, & ſibimet parum conſtans.* Communis ſolutio eſt, quod habitus mentis varia conſideratione ſint & qualitates, & relationes; ſint qualitates, vt ſunt formæ, quæ mente, vt fundamento nituntur: ſint relationes, vt ex relatione obiecti ad facultatem conſurgunt: ac inſuper, vt eorum nomen, & præſertim nomen generis præ ſe fert relationem ad id, cuius ſunt habitus, nam ſcientia ſcientis ſcientia dicitur. Hæc ſententia vera non eſt: Primo, quia vt alibi patefeci, re vera habitus non eſt ſpecies aliqua qualitatis ab aliis diſtincta, cum ſolum relationem & conſonantiam ſuperaddat. Inſuper, quia ratio Ariſtotelis in 7. phyſicorum inanis redderetur, vult oſtendere Philoſophus in mente nõ eſſe alteratione͂: & id probat, quia ſciens maxime ad aliud refertur: at ſi ſcientia aliqua cõſideratione eſſet qualitas mentis, ea ratio eſſet inanis: quia dicerem in ea eſſe alterationem, quatenus ſciẽtia qualitas eſt. Præterea, ſi virtutes rationis ſunt qualitates, quæ in mente recipiantur, falſa eſſet ſententia Ariſtotelis in 7. phyſic. cont. 20. dicentis: *Vt igitur dormiens cum excitatur non dicitur factus*

Lis inter Ariſt. & Platonem.

Opinio Platonis.

Contra Platonem.

Ariſtot.

An virtus ſit relatio.

Communis ſolutio.

Reiicitur.

Habitus & virtus non ſunt qualitates.

Ratio prima.

Secunda.

Ratio tertia.

ſciens, quamuis prius non valuerit vti ſcientia, ſed ſolo impedimento remoto ſciens apparet: ita qui à principio acquirit ſcientiam, per ſolam remotionem perturbationis redditur ſciens, &c. His verbis aperte aſſerit Philoſophus in mente nullam recipi qualitatem, dum homo non ſciens redditur ſciens. Præterea ſi virtus mentis & rationis aliqua ratione eſſet qualitas mentis, tunc perinde ad mentem ſe haberet, ac virtus animæ ſentientis ad animam ſentientem; & ita vt in vna, ſimiliter in altera animæ parte eſſet, vel nô eſſet alteratio. At Ariſtoteles colligit in calce, cont. 20. ex eo quod in mente nulla ſit permutatio, alterationem attingere ad partem animæ ſentientem, & ad nullum aliud, niſi ex euentu.

Ratio quarta.

Opinio propria.

Dicamus itaque, virtutes rationis ad duo referri poſſe, & ad mẽtem, & ad facultates animæ ſentiẽtis. Si referantur ad mentem, ſolum ſunt relatio, non qualitas, niſi per vulgarem quandam denominationem. Ratio eſt, quia (vt patebit) ex ſententia Ariſt. nil noui in mente recipitur, & ſi quid recipitur, id in phantaſia recipi dicitur, & per memoriam ſeruatur: vt autem ad mentem pertinet, ei ſat eſt congruens relatio ad obiectum, per phantaſiam & memoriam ei oblatum. At ſi virtutes rationis referantur ad phãtaſiam, cui iuncta eſt memoria, ita nedum relatio, verum inſuper modo aliquo qualitas ſunt: cum enim phantaſia, eique iuncta memoria, ex ſententia Ariſtotelis ſint facultates morti obnoxiæ, vtantur inſtrumento corporeo, valent aliquid denuo recipere & alterari. Ideo Ariſtoteles colligebat in ſolo ſenſu reperiri alterationem, & in 3. phyſ. contex. 8 ac in octauo phyſicorum, cont. 40. diſciplinam nuncupauit motum, quia acquiritur per alterationem quandam pertinentem ad animã ſentientem, & in anteprædicamentis dixit, *ſcientiam eſſe in anima, vt in ſubiecto.* Sic igitur ſcientia & virtutes rationis, vt ad mentem pertinent, ſunt relationes, vt attinẽt ad partem ſentiẽntem, ſunt qualitates ac relationes: præſertim tamen earum genera ad aliud referuntur: primo, quia genera ſunt notiones magis tenues, & ideo potius relationes, quam abſolutæ formæ eſſe videtur: ſecundo, quia communibus illis notionibus, & illis ad quæ referũtur, magis ſunt impoſita nomina relationem præ ſe ferẽtia, quã minus cõmunibus, quæ ſunt res abſolutiores & magis proprio nomine præditæ. Abſolute tamen ea ſententia Ariſtotelis vera nõ eſt, quoniam ad idem prædicamẽtum pertinent genus & ſpecies eius, vt dicitur in topicis. Propterea aliam veriorem eo in loco ſolutionem dedit inquiens: *non eſſe abſurdum, vt eadem res diſtincta ratione ſub diſtinctis prædicamentis conſtituatur.* At occurrit dubitatio, quia Ariſtot. in cont. 17. ſeptimi phyſicorum loquens de virtutibus moralibus attinentib. ad ſenſum dixit, *earum mutationem non eſſe alterationem, quia ſunt habitus & relationes:* quare etiam

Cur præſertim genera diſciplinarum dicantur ad aliud.

Dubitatio.

Digitized by Google

etiã, vt referuntur ad ſenſum, non qualitates, ſed relationes tantum eſſe vidẽtur, alioquin ratio Ariſtotelis inanis eſſet. Reſpondeo, virtutũ moralium & rationalium partim ſimilem, partim diſtinctam eſſe rationem. Similem quidem, quatenus ambæ, vt habitus referuntur ad aliud: nempe vel ad habentem, vel ad obiectum, vel ad vtentem, ac ita ad eas non eſſe motum. Eſt autem earum diſtincta ratio, quia virtutes morales ad ſenſum pertinẽtes, nõ ſine alteratione partis ſentientis, & inſtrumẽtorum eius acquiruntur: ideo eius ſunt modo aliquo qualitates, nõ tamen ad primam, ſed ad tertiam potius ſpeciem pertinentes, vt alibi manifeſtaui: ideo Ariſtoteles abſolute colligit in ſola tertia ſpecie qualitatis eſſe motum, non in alia. Virtutes vero rationis nec in mẽte, vt in ſubiecto recipiũtur, neq; acquiruntur per aliquam mentis alterationem: ideo Ariſt. in cont. 17. *Virtutes morales*, dixit, *eſſe ſimiles ſanitati, pulcritudini & robori corporũ*, & in cont. 20. colligebat, *ad ſolum ſenſum pertinere alterationem, non autem ad mentem*, & iure profecto: cum enim virtutes morales ſint moderationes perturbationum, ac in voluptate, & dolore corporis verſentur, non acquiruntur, niſi alterata quadã parte ſenſu prædita, vt in cont. 18 ſeptimi phyſicorum docet Philoſophus. *Solutio.*

In qua animi parte recipiantur, ac ſeruentur Virtutes rationis. CAP. VI.

QVoniam aſſertũ eſt virtutes rationis, quã pertinẽt ad mentem, eſſe ſolas relationes obiecti congruenter ſe habentis, per phantaſiam & memoriam ei oblati, quæ res eſt apprime dubia: propterea vt reddatur cõſpicua, vtile eſt aliquantulum in ea immorari: nec rem ad viuum penitus reſecabo, quoniam exacte de ea diſſerere ad tertiũ de anima pertinet. Quæritur itaque, in qua animę parte inſint virtutes rationis. Qua de re quatuor ſunt principales opiniones; vna Simplicii & Academicorum: altera Alexandri: tertia D. Thomæ, & fere omniũ Latinorum: quarta erit ea, quã ego cenſeo fuiſſe Ariſtotelis. Simplicius, qui in omnib nititur Ariſtotelẽ cum Platone conciliare, ſtatuens mẽtem ab anima rationali diſtinctã, ac in anima rationali conſiderans animaliũ intellectum, partim progreſſum, partim in ſe manentem, ac progreſſum, primo imperfectum, mox præcurrẽte excitatione à ſenſibilib facta per rationes in ſe manentis intellectus perfectũ, iudicat virtutes rationis in duobus eſſe collocatas, in vno, vt in inſtrumento, in altero, vt in fundamento: vt in inſtrumento, cõſiderantur in memoria phantaſiæ iuncta cõſeruante idola, quę promit anima rationalis, & ſecundũ hoc pereunt huiuſmodi habitus & virtutes intereunte phãtaſia, vt aſſerit in expoſitione 20. textus tertii de anima. Quatenus aũt ex parte fun-

In qua anima parte inſint virtutes rationales.

Opiniones quatuor.

Simplicius.

damenti, & principalis eorum formæ conſiderātur, ſunt in anima rationali progreſſa, & conſtituuntur per rationes coęternas animæ, dum in ſeipſam regreditur. Hinc habitus à Simplicio in expoſitione octaui, cont. 3. de anima, non dicitur ſubſtantia, ſed circa ſubſtātiam, hoc eſt, pertinens ad intellectum progreſſum, vt verſatur circa formas, quæ ſunt inſertæ in eſſentia animę in ſe manentis. Hæc opinio, vt non eſt Peripatetica, ita etiam approbanda non videtur: nam ea diſtinctio animæ rationalis à mēte, ea multitudo rationū, & quæ ſint in eſſentia animæ, & quæ promantur ab illis, inſuper modus intelligēdi per rationes inſertas, & animæ coæuas, Ariſtoteli, rationi & experientiæ aduerſantur. Præterea patuit in præcedētibus, ſcientiam ex parte intellectus ſolam eſſe relationem, & intellectum ſui natura abſolute & penitus eſſe poteſtate. Præterea ſi habitus præſertim per rationes formatur, quæ ſunt formæ & ſubſtātiæ; nō video, cur prima ſui ſignificatione non debeat eſſe ſubſtantia. Demum falſo iudicat intellectum habitu præditum poſſe ad libitum ſine ope phātaſiæ ſpeculari. At hæc in tertium de anima reijciātur. Altera opinio eſt Alexandri Aphrodiſei: qui falſo iudicans mentem hominis propriam eſſe moralem, & eſſentiæ phantaſiæ ſolum ſuperaddere puram præparationem & facultatē ad intelligibilia: dixit, *Virtutes rationis, & habitus earum, in ea mortali anima eſſe poſitas, & eſſe depoſitas illas, conſeruatas, & quieſcentes conſiderationes, quæ ſint tanquam ſuprema acies animæ, per quam homines ea præditi valent ad libitum operari.* Hæc opinio ob id præſertim deſpicienda eſt, quia mentem ſtatuit mortalem. Inſuper aduerſatur Ariſtoteli, quia ex eius ſententia ſcientia (vt ad mentem pertinet) ſola eſt relatio, & mens nil recipit, nec ad eam pertingere poteſt vlla alteratio, vt lucidiſſime in ſeptimo phyſicorum affirmauit. Inſuper, cum perperam cenſeat mentem ſolam dicere præparationem, perperam etiam aſſerit intellectum in habitu eſſe conſeruatas & quieſcentes conſiderationes: hæ namque ſunt habitus, non intellectus qui habitu ſit. Demum cenſet communes notiones ſeruari, quod minime exiſtimauit Ariſt. nam (vt patet ex lib. de memoria & reminiſcentia) *vniuerſalium & communium notionum ſolum ex euentu eſt conſeruatio, quatenus per memoriam phantaſiæ iunctam phantaſmata ſeruantur, ex quibus ad libitum ea communia elici poſſunt.* Propterea eſt tertia opinio D. Thomæ, & multorum qui eum ſequuntur: hi aſſerunt, *virtutes rationis ſiue habitus mentis eſſe qualitates de prima ſpecie qualitatis: in mente, quā recte immortalem ſtatuūt, receptas & conſeruatas.* Hæc opinio duabus præcedentibus præferenda eſt, verum (vt cenſeo) non eſt Peripatetica: ac (vt multa prætercam) primo per eam habitus vere eſſet qualitas, non ſola relatio, quod aduerſatur Ariſtoteli in

Contra Simplicium.

Alexander.

Reiicitur ſententia Alexandri.

D. Thom.

Reiicitur.

ſeptimo

Digitized by Google

ſeptimo phyſicorum, vt patuit, ideo etiam in quinto metaphyſicæ habitus inter qualitates non enumerantur, & virtus ad vitium ſolum dicuntur qualitates, quatenus ſunt pars quædam perpeſſionum ad tertiam ſpeciem pertinẽtium, vt eodem in loco aſſeritur. Præterea vt patuit, mens ex opinione Ariſtotelis nil recipit, & vniuerſalia non ſeruat. Propterea ex opinione Ariſtotelis dicendum cenſeo, *mentem hominis diſtingui à phantaſia, æternam eſſe, & nil in ea, vt in ſubiecto recipi:* id enim, quod immortale eſt, & a materie non pendet, nulli nouo accidenti ſubiici poteſt: ſat eſt menti, cum ex ſe pura ſit, & congruenter ſe habeat, vt ea ſola recte parentur, quæ ad phantaſiam, memoriam, ac phantaſmatum ordinem & diſpoſitionem requiruntur: his enim recte compoſitis, ſublatiſque impedimentis, mens recte fungitur munere ſuo, non ſecus ac Geometra (vt vtar exemplo Ariſtotelis) demta ebrietate & ſomno, congruenter ſpeculatur: adeo vt virtus rationis, quatenus pertinet ad mentem ſola ſit relatio, & id, per quod eſt qualitas aliqua denuo acquiſita & conſeruata, in ſola phãtaſia & memoria locum habeat. Ita Auerroes in 7. phyſ. cont. 20 dixit: *ſcientia potius eſt relatio, quam qualitas.* Et in 3. de anima, cont. 20. aſſeruit per phantaſiam diſtingui hominum facilitates ad quatuor virtutes dictas in topicis Colligamus igitur virtutes rationis in phantaſia recipi, & memoria ſeruari: & tunc hominem dici habitu prædituṁ, dum longo ſtudio, cura, experientia, iteratiſque actionibus phantaſmata ita firmauerit, digeſſerit, ac in ordinem redegerit, vt ad libitum valeat communes notiones mente colligere, ſpeculari, ac per eas vel ad actionem, vel ad effectionem dirigi.

Opinio propria.

Auer.

Concluſio dictorum.

Dubia nonnulla, quæ approbatam opinionem reddunt obſcuram. CAP. VII.

PErtinentia ad mentem & virtutes eius, vt ex ſe ſunt præclara & illuſtria, ita nobis ſunt ardua & tenebricoſa. Et cum primis arduum eſt cognoſcere, quomodo ad eam virtutes ſe habeant. Nam ſi dicimus mentem nil recipere, habitus non in ea ſed in phantaſia firmari, præter cetera hæc ſequi videntur abſurda. Primo enim falſa erit ſentẽtia Ariſtotelis, in principio ſexti moralium Nicomachiorum, aſſerentis, *has virtutes ad mentem pertinere;* ita enim ad phantaſiam potius, quam ad mẽtem pertinebũt: nec eſſet per hoc differẽtia inter virtutes morales, & eas rationis; imo nõ deberent dici virtutes rationis, cum non in parte rationis compote, ſed in phantaſia recipiãtur ac firmẽtur. Præterea, tunc nõ mens eſſet denominanda ſapiens, ſiue homo munere mentis ſed potius phãtaſia, & munere phantaſiæ: cuius oppoſitum aſſeritur in primo & in quinto context. 3. de anima. Inſuper, falſa eſſet ſententia Ariſtotelis in tertio de anima, cont. 5.

Prima dubitatio.

Altera dubitatio.

Tertia.

Digitized by Google

dicentis, *intellectum, antequam intelligat, eſſe omnia poteſtate, ac, ut recipere valeat, debere eſſe omni forma denudatum*: quem mox in cont. ſexto aſſerit eſſe locum ſpecierum: & in cont. octauo ait fieri omnia. Hæc proculdubio vera non eſſent, ſi intellectus nihil reciperet, ſed ſolum obiecta in alio poſita iudicaret.

Quarta. Præterea virtus acquiritur iteratis actionibus: actiones mentis ſunt immanentes, vt dicitur in 9. metaphyſicæ, cont. 16. quare in mente, & non in phantaſia, habitum formare & firmare debent.

Quinta. Præterea virtutes rationis, non ſingularium, ſed vniuerſalium ſunt, quæ vniuerſalia, non ſentiendi facultate, ſed ſola mente iudicantur. Et confirmatur, quia eiuſdem eſt actus primus, cuius eſt ſecundus; actio enim ex forma pendet: actus ſecundus virtutum rationis, primo & præſertim eſt mentis, vt de cõtemplatione eſt conſpicuum, quare & primus. Demum ſi id eſſet, virtutibus rationis minime competeret ea definitio, quæ illis traditur: non enim eſſent recta ratio mentis. Hæc ſunt, quæ præcipue approbatam ſententiam videntur reddere dubiam: ob quæ minime turbari debemus, ſed potius conſtantius declaratę veritati adhærere, cum hæc, quæ potiora ſunt, ſine magna difficultate diluantur. Et præſertim, quia approbata veritas confirmari poteſt, quoniam origo receptionis nouæ formæ eſt materies, à qua cum mens ſit abiuncta, nec vtatur inſtrumento corporeo, iure nil recipit, & ſi reciperet id nunquam deleretur: ſolus enim materiei fluxus & inconſtantia, cauſſa eſt vt formæ varientur & deleantur, ac propterea maxime ponenda eſſet memoria ad mentem pertinens, quæ tamen ab Ariſtotele non ponitur. Præterea cum mens ſit res diuina, ex ſe ſufficiens, vt recte fungatur munere ſuo, non eget forma aliqua & accidente mutabili, per q̃ intrinſecus dirigatur ac perficiatur: ſolus homo eget requiete perturbationum, & recta compoſitione phantaſiæ, vt ſpeculari valeat, quemadmodum aſſeritur in ſeptimo phyſicorum. Præterea ſi intellectus in ſe ipſo haberet ac ſeruaret virtutis habitũ; tunc, vt phantaſia ſine externo ſenſu, ita mens ſine auxilio phãtaſiæ operari valeret: cuius oppoſitum ſæpe affirmat Ariſtot. cum dicat neceſſe eſſe intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Solutio aduerſarũ rationum. Reſpondens autem aduerſis rationibus dico, nullum ſequi abſurdum. Non primum quod erat, quia tunc non dicerentur virtutes rationis. Nam hæ rationis dicuntur, non quia in mente & ratione vt in ſubiecto ſint poſitæ, ſed quia officium rationis & mentis eſt eis vti, ex eiſque communes notiones ad libitum elicere, & per eas ſpeculari, ſiue ad operationem dirigere. Et ob eandem rationem, nõ phantaſia ſed homo munere mentis debet dici ſapiens, quoniam ſolum per mentem valet fungi munere ſapientiæ. Nec propterea euertitur ſententia Ariſt. in 3 de anima dicentis, intellectum

lectum eſſe locum ſpecierum, antequam intelligat eſſe omnia poteſtate, & propterea debere eſſe denudatum omni actu, ac ita mox ſingula fieri: nam hæc omnia debent referri ad actum intelligendi, qui actus non eſt diſtinctus à ſpecie intelligibili. Si intellectus in ſe haberet rerum ideas & rationes, vt exiſtimabat Plato, non egeret excitatione & motu ab externo facto, ſed ſui natura & eſſentia perinde ac Deus per ideas omnia continenter intelligeret: cum autem noſter intellectus, vt intelligat, neceſſario egeat phantaſmatibus ei oblatis per phantaſiam, eſt neceſſe vt formis intelligibilibus ſit denudatus, & ob id dicitur poteſtate, omne enim (ſiue ſit recipiens vt ſubiectum, ſiue vt obiectum) eſt neceſſe, vt ſit denudatum, & hac conſideratione dicitur recipere ſpecies locus earum, & fieri omnia; quatenus iudicat, ratiocinatur, intelligit communia ei per phantaſmata oblata: qui actus intelligendi dicitur ſpecies, quia eſt ipſum intelligibile per repræſentationem, & in eſſe cognito, & idem eſt actus obiecti & facultatis cognoſcentis, vt aſſeritur in 2. de anima, cont. 138. & 141. Dicitur itaque recipere non tanquam ſubiectum, ſed vt iudicans obiecta: & propterea, cum nil vt ſubiectum recipiat, nil etiam ſeruat, ſed ſemper, vt intelligat, eget præſentia phantaſmatum. Ac ita explicatur ſententia Ariſtotelis in tertio de anima, cont. 8. dicentis, *quod intellectus omnia factus adhuc eſt poteſtate:* nam poteſtate adhuc dicitur, nedum ad actum ſecundum, verum inſuper, quia ſemper eget præſentia phantaſmatum, ex quibus communia abſtrahat, quæ abſtractio nil eſt aliud, niſi apprehenſio vnius (nempe communis naturæ) ſine apprehenſione coniunctorum cum ea: & intellectus dicitur in habitu, & factus omnia, dum ita parata & diſpoſita habet phantaſmata, vt ad libitum intelligere valeat ea, quæ etiam prius, antequam contractus fuiſſet habitus, intellexit: ac ita etiam intellectus tunc dicitur nobis, nedum per naturam, ſed etiam per phantaſmata & actum ſecundum copulatus. At addebatur habitum firmari iteratis actionibus: & propterea in eo recipi & firmari, cuius ſunt actiones. Reſpondeo habitus morales more & aſſuetudine acquiruntur: habitus rationis acquiruntur ſtudio, cura, vſu rerum, doctrina, diſciplina, & exercitatione, quibus omnibus phantaſmata inueniuntur, formantur, congruenter diſponuntur, & homo aſſueſcit eis vti, adeo vt mox ſine errore fungi valeat munere rationalium habituum. Dum enim mente ſpeculamur, vna phantaſia & memoria operantur, & propterea ſimul firmatur habitus in phantaſia & memoria, & homo aſſueſcit vti huiuſmodi habitibus: non igitur operatio eſt tantum mentis, ſed mentis eſt, vt vtentis, dirigentis, & iudicantis. At inſtabit adhuc aliquis, quoniam hæ virtutes, & præſertim principales,

Dubitatio.

Solutio.

Colligitur ſolutio principalis difficultatis.

tationis, nempe vt ſit: ſolum debet ſubintelligi verbum ſubſtantiuum, cuius paulo ante fecerat mentionem, & mos eſt Græcorum frequenter id ſubintelligere. Iure igitur Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, διάνοιαν & λογισμὸν inter habitus rationis non numerat, cum tunc loquatur de habitibus ſemper rectis, qui virtutes ſint; numerat autem in libro Poſteriorum: quia latius conſiderat habitus, nec eos contrahit ad ſemper rectos. Altera dubitatio erat de pædia, de qua quid ſit dicendum, in progreſſu latiſſime patebit. Nunc breuibus dico, eam diſtincta cõſideratione partim redigi ad diſciplinam inſtrumentariã; partim ad opinionem, partim non eſſe habitum, ſed viam ad illum.

De ſolertia.

De ſolertia, quam ἀγχίνοιαν nuncupat philoſophus, dico, eam non eſſe habitum mentis à ceteris diſtinctam, ſed congruentem animi cõſtitutionem pro inueniẽdo medio, partim nobis per naturam competentem, partim per diſciplinas logicas, ac, vt ad habitum pertinet, redigi ad inſtrumentarios: nam Ariſtoteles nomine habitus nonnunquam etiam eorum partes denotauit, vt conſtat ex ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 11. quo loci γνώμην ſiue ſcientiam, & σύνεσιν habitus nuncupat. De εὐμαθεία, hoc eſt, ingenio & memoria, in enumeratione habituum mentionem facere non debuimus, quoniam (vt cõſpicuum eſt) non ſunt habitus mentis: imo ad mentem non pertinent, ſed potius ad phantaſiam, cui iuncta eſt memoria. Nec mirũ eſt, ſi in magnis moralibus inter virtutes mentis vna cum ſapientia numerantur; illi enim libri ſunt conciſi valde nõ emendati, nec approbati ab Ariſtotele. Quod ſi etiam locum illum probabiliter tueri vellemus, dicendum eſſet, Ariſtotelem non habitus ſolos dinumeraſſe, ſed omnia conſpirantia ad habitum, & facilem adeptionẽ eius: & nedum habitus ſtudio acquiſitos, verũ etiam eos, qui per naturã nobis competunt, è quorum genere eſt memoria & ingenium, quæ quamuis præcipue ad phantaſiam pertineant, vel ex ea oriantur; tamen proxime inſeruiunt adeptioni habituum mentis, & ſeruant illos: mens enim ex ſententia Ariſtotelis nil tanquã ſubiectum recipit, nec ſeruat, ſed hoc eſt munus phantaſiæ, vt ſuo loco patebit. De ſacra theologia diuinitus reuelata ſermo eſſe non debet, quoniam nunc loquimur de habitibus ſtudio & ratione comparatis. Ex his conſtat, diuiſionem ac enumerationem virtutum mentis nec diminutam, nec redũdantem eſſe: cõſtat inſuper, de quibus primo vniuerſe, mox ſingulatim verba facere teneamur: ea autem ſunt opinio, παιδεία, fides, intelligentia, ſcientia, ſapientia, prudentia & ars.

Ad

Digitized by Google

Ad quam pertineat de virtutibus mentis verba facere.

CAP. IV.

CVM apparuerit, quæ ſint virtutes illæ, quæ quintum hunc conſtituunt gradum, iure optimo quis dubitare poterit, ad quem pertineat de eis verba facere: præſertim cum Ariſtoteles ſibi conſtare non videatur: nam in calce primi poſteriorum inquit: *reliqua autem quomodo oportet diſtribuere, in διάνοιαν ſiue cogitationem, & mentem, & ſcientiam, & artem, & prudentiam, & ſapientiam, hæc quidem phyſica, illa vero ethica conſiderationis magis ſunt*. Mox hoc ſeruare nõ videtur, in phyſicis enim de nulla harum virtutum videtur agere, in ſexto autem moralium Nicomachiorum agit, non de horum parte, ſed de omnibus. Confirmatur dubitatio, quia in primo magnorum moralium, cap. 33. dubitans hac de re Philoſophus inquit: *dubitare quis poterit & admirari, quod locuturi de moribus, ac de ciuili negotio, de ſapientia verba faciamus*. Soluens ait: *primum hac de re non videtur eſſe aliena conſideratio, quoniam* (vt diximus) *ſapientia virtus eſt: inſuper fortaſſe Philoſophi eſt de his conſiderare, quæ in eodem fuerint: ideo neceſſe eſt, cum de his loquimur, quæ in anima ſunt, de omnibus verba facere, eſt autem in anima ſapientia, &c.* Ait itaq; ad Philoſophiam de moribus pertinere de omni virtute diſſerere, non autem de nonnullis tantum. Præterea res dubia eſt, quoniam ſapientia & intelligentia neque ad ciuilem Philoſophum, neque ad phyſicum pertinere videntur, ad quos reiecit horum conſiderationem Ariſtoteles in calce primi poſteriorum, ſed ad diuinum potius: nam metaphyſica eſt ſapientia & intelligentia, vt conſpicuum eſt, & eſt communis iudex omnium habituum mẽtis. Hæc ſunt, quæ rem hanc dubiam reddunt. Expoſitores varia dicunt. Inquit Philoponus in calce primi Poſterio. *ad ciuilem pertinere prudentiam & artem: ad metaphyſicum intelligentiam & ſapientiam, ad phyſicum & logicum ſcientiam, rationem & opinionem* Inſuper addit, *Ariſtotelem eo in loco per phyſicam denotaſſe etiam metaphyſicam.* At non video, cur ad moralem de arte potius quam de ceteris habitibus pertineat verba facere, non enim moralis in attinentibus ad effectionem, ſed in attinentibus ad actionem verſatur. Inſuper metaphyſicus, vel in habitibus mentis nõ verſatur, cum non pertineant ad ſuum ſubiectum, vel ſi in eis verſatur, videtur vniuerſe vt princeps cognoſcere omnes, eos diſtinguere, & inter eos comparationem facere, vt fecit Ariſtot. in ſexto metaphyſic. & in procemio primi. Nec videtur rationi conſentaneum, quod Ariſtoteles tam impropriè vſus ſit nomine phyſicæ. Propterea dicendum cenſeo, habitus omnes pertinere ad logicum,

Ariſt. non videtur ſibi conſtare.

Philopon.

In dubium vertitur ſententia Philoponi.

Opinio propria.

Quomodo omnes habitus pertineant ad logicum. conſiderando ſaltem modum & inſtrumenta, quibus acquiruntur: proprie tamen ad eum pertinere ſcientiam & opinionem, quia omnis argumentatio vel ſcientiam firmam & cōſtantem, vel opinionem parit. Inſuper omnes pertinere ad phyſicū: quoniam ad eum pertinet loqui de anima, de eius facultatibus & operibus, ex quibus vel in quibus prodeunt, vel recipiuntur habitus. *Quomodo omnes pertinent ad phyſicum.* Ita in calce 2. de anima ſermo eſt de opinione, ſcientia, & aliis habitibus ſaltē vniuerſe ſumtis, & in tertio declaratur, quomodo anima fiat omnia, & ſit principium cognoſcendi & operandi: præcipue tamen, & magis proprie ob conſimilitudinem verſatur phyſicus in attinentibus ad contemplationem. *Quomodo pertineant omnes ad ciuilem.* Pariter ciuilis Philoſophus tenetur omnes habitus cognoſcere: cum enim eius officium ſit humanas actiones componere, hominemque ad ſummum bonum dirigere, quia ad ſummum bonū conſpirant omnes habitus mentis; propterea omnes tenetur cognoſcere: idipſum etiam tenetur facere, vt ordinem ſtatuat inter hominum gradus & conditiones, eas inter ſe comparet, honores recte decernat, ſtatuat cui diſciplinæ & quouſque danda ſit opera, vt dicebatur in prœmio moralium Nicomachiorum. Demum id efficere debet, vt valeat vtrumque ſummi boni gradum cognoſcere, & inter ſe comparare: quorum vnus in actione, alter in contemplatione eſt poſitus, quod ſeruauit Ariſtot. in 10. moralium Nicomach. Ex quo conſtat, quod non penitus ex euentu (vt perperam nonnulli dicunt) Ariſtoteles in 6. moralium Nicomachiorum de cunctis habitibus verba fecit: præcipue tamen tenetur verba facere de prudentia, quoniam ea propria eſt ciuilis ſcientiæ. *Explicatur locus in calce primi poſter.* Ex his conſtat, quomodo explicanda ſint verba Ariſtot. in calce primi poſteriorum ſupra relata: dum manifeſtat, ad quas diſciplinas enumerati habitus pertineant: Reſpexit enim id, quod proprie & præſertim ad diſtinctas diſciplinas pertinet: ac inſuper variis ſcientiis potius varia delegauit ad enumeratos habitus pertinentia, quam varios & diſtinctos habitus; de ſingulis enim in variis ſcientiis varia conſiderantur. De metaphyſica mentionem non fecit, quoniam ad eam minus proprie pertinent, cum nec animam, nec virtutes, nec organa, per quæ acquiruntur, conſideret, ſed ſolum vt domina vniuerſe cognoſcat habitus omnes, præſcribendo eis proprios terminos. Nam quamuis metaphyſica ſit ſapientia, includens intelligentiam, & modo aliquo ſcientiam, hoc parum refert: aliud eſt enim eſſe aliquid, & conſiderare illud; nam conſiderare virtutes vt habitus mentis, vno vel altero modo comparandos, nequaquam eſt officium metaphyſicæ.

Quid

Digitized by Google

387

Quid ſint virtutes mentis, ſiue rationis.
CAP. V.

CVm virtutes rationis, quæ explicādæ occurrunt, enumeratæ ſint, quid ſint, modo declarare tenemur: nam quod ſint, nemo inficiatur. Qua de re nec Plato cum Ariſtotele idem ſentit, nec Ariſtoteles ſibi conſtare videtur. Plato, qui cuncta à primo principio per ideas, rationes, & ſemina manare exiſtimauit, fundamentum & eſſentiam horum habituum cenſuit eſſe ideas mentis, & rationes animæ, inſertas in eſſentia vtriuſque, cōcurrente tamen excitatione ab externis obiectis, per quam promerentur ab anima idola rationum, quæ per memoriam ſeruarentur: habitum tamē in regreſſu animæ in ſeipſam per rationes, ac in connexione rationum cum ideis mētis, eſſe collocatum exiſtimauit, vt latius alibi explicabo. Quæ ſententia reiicienda eſt: vere enim hominis anima nuda eſt omni habitu & forma, cū ſit nata omnibus indui, cum ſit poteſtate penitus, cum ſit ad oppoſita facilis, nec tam facile deciperetur, ſi veritas & rectum inſerta eſſent in eſſentia eius. Rectius itaq; Ariſtoteles nec per internas rationes, nec per ideas competere nobis virtutes rationales exiſtimauit. Verum adhuc ex opinione Ariſtotelis quid ſint, nō conſtant: nam in ſeptimo phyſicorum cont. 20. loquens de habitibus mentis ſiue rationis inquit, *eos eſſe relationes, & propterea ad eos non eſſe motum*: At ex aduerſo in prædicamento qualitatis habitum & diſpoſitionem qualitates eſſe affirmat, & in calce eius prædicamenti ait, *genera eſſe relationes, & ad aliud referri, ſpecies vero eſſe qualitates*: *adeo vt anceps fuiſſe viſus ſit, & ſibimet parum conſtans.* Communis ſolutio eſt, quod habitus mentis varia conſideratione ſint & qualitates, & relationes; ſint qualitates, vt ſunt formæ, quæ mente, vt fundamento nituntur: ſint relationes, vt ex relatione obiecti ad facultatem conſurgunt: ac inſuper, vt eorum nomen, & præſertim nomen generis præ ſe fert relationem ad id, cuius ſunt habitus, nam ſcientia ſcientis ſcientia dicitur. Hæc ſententia vera non eſt: Primo, quia vt alibi patefeci, re vera habitus non eſt ſpecies aliqua qualitatis ab aliis diſtincta, cum ſolum relationem & conſonantiam ſuperaddat. Inſuper, quia ratio Ariſtotelis in 7. phyſicorum inanis redderetur, vult oſtendere Philoſophus in mente nō eſſe alterationē: & id probat, quia ſciens maxime ad aliud refertur: at ſi ſcientia aliqua cōſideratione eſſet qualitas mentis, ea ratio eſſet inanis: quia dicerem in ea eſſe alterationem, quatenus ſciētia qualitas eſt. Præterea, ſi virtutes rationis ſunt qualitates, quæ in mente recipiantur, falſa eſſet ſententia Ariſtotelis in 7. phyſic. cont. 20. dicentis: *Vt igitur dormiens cum excitatur non dicitur factus*

Lis inter Ariſt. & Platonem.

Opinio Platonis.

Contra Platonem.

Ariſtot.

An virtus ſit relatio.

Communis ſolutio.

Reiicitur.

Habitus & virtus non ſunt qualitates.

Ratio prima.

Secunda.

Ratio tertia.

Digitized by Google

ſciens, quamuis prius non Valuerit vti ſcientia, ſed ſolo impedimento remoto ſciens apparet: ita qui à principio acquirit ſcientiam, per ſolam remotionem perturbationis redditur ſciens, &c. His verbis aperte aſſerit Philoſophus in mente nullam recipi qualitatem, dum homo non ſciens redditur ſciens. Præterea ſi virtus mentis & rationis aliqua ratione eſſet qualitas mentis, tunc perinde ad mentem ſe haberet, ac virtus animæ ſentientis ad animam ſentientem; & ita vt in vna, ſimiliter in altera animæ parte eſſet, vel nõ eſſet alteratio. At Ariſtoteles colligit in calce, cont. 20. ex eo quod in mente nulla ſit permutatio, alterationem attingere ad partem animæ ſentientem, & ad nullum aliud, niſi ex euentu.

Ratio quarta.

Opinio propria.

Dicamus itaque, virtutes rationis ad duo referri poſſe, & ad mẽtem, & ad facultates animæ ſentiẽtis. Si referantur ad mentem, ſolum ſunt relatio, non qualitas, niſi per vulgarem quandam denominationem. Ratio eſt, quia (vt patebit) ex ſententia Ariſt. nil noui in mente recipitur, & ſi quid recipitur, id in phantaſia recipi dicitur, & per memoriam ſeruatur: vt autem ad mentem pertinet, ei ſat eſt congruens relatio ad obiectum, per phantaſiam & memoriam ei oblatum. At ſi virtutes rationis referantur ad phãtaſiam, cui iuncta eſt memoria, ita nedum relatio, verum inſuper modo aliquo qualitas ſunt: cum enim phantaſia, eique iuncta memoria, ex ſententia Ariſtotelis ſint facultates morti obnoxiæ, vtantur inſtrumento corporeo, valent aliquid denuo recipere & alterari. Ideo Ariſtoteles colligebat in ſolo ſenſu reperiri alterationem, & in 3. phyſ. contex. 8 ac in octauo phyſicorum, cont. 40. diſciplinam nuncupauit motum, quia acquiritur per alterationem quandam pertinentem ad animã ſentientem, & in anteprædicamentis dixit, *ſcientiam eſſe in anima, vt in ſubiecto.* Sic igitur ſcientia & virtutes rationis, vt ad mentem pertinent, ſunt relationes, vt attinẽt ad partem ſentientem, ſunt qualitates ac relationes: præſertim tamen earum genera ad aliud referuntur: primo, quia genera ſunt notiones magis tenues, & ideo potius relationes, quam abſolutæ formæ eſſe videtur: ſecundo, quia communibus illis notionibus, & illis ad quæ referũtur, magis ſunt impoſita nomina relationem præ ſe ferẽtia, quã minus cõmunibus, quæ ſunt res abſolutiores & magis proprio nomine præditæ. Abſolute tamen ea ſententia Ariſtotelis vera nõ eſt, quoniam ad idem prædicamẽtum pertinent genus & ſpecies eius, vt dicitur in topicis. Propterea aliam veriorem eo in loco ſolutionem dedit inquiens: *non eſſe abſurdum, vt eadem res diſtincta ratione ſub diſtinctis prædicamentis conſtituatur.* At occurrit dubitatio, quia Ariſtot. in cont. 17. ſeptimi phyſicorum loquens de virtutibus moralibus attinentib. ad ſenſum dixit, *earum mutationem non eſſe alterationem, quia ſunt habitus & relationes:* quare etiam

Cur præſertim genera diſciplinarum dicantur ad aliud.

Dubitatio.

etiã, vt referuntur ad ſenſum, non qualitates, ſed relationes tantum eſſe videtur, alioquin ratio Ariſtotelis inanis eſſet. *Solutio.* Reſpondeo, virtutũ moralium & rationalium partim ſimilem, partim diſtinctam eſſe rationem. Similem quidem, quatenus ambæ, vt habitus referuntur ad aliud: nempe vel ad habentem, vel ad obiectum, vel ad vtentem, ac ita ad eas non eſſe motum. Eſt autem earum diſtincta ratio, quia virtutes morales ad ſenſum pertinẽtes, nõ ſine alteratione partis ſentientis, & inſtrumẽtorum eius acquiruntur: ideo eius ſunt modo aliquo qualitates, nõ tamen ad primam, ſed ad tertiam potius ſpeciem pertinentes, vt alibi manifeſtaui: ideo Ariſtoteles abſolute colligit in ſola tertia ſpecie qualitatis eſſe motum, non in alia. Virtutes vero rationis nec in mẽte, vt in ſubiecto recipiũtur, neq; acquiruntur per aliquam mentis alterationem: ideo Ariſt. in cont. 17. *Virtutes morales*, dixit, *eſſe ſimiles ſanitati, pulcritudini & robori corporũ*, & in cont. 20. colligebat, *ad ſolum ſenſum pertinere alterationem, non autem ad mentem*, & iure profecto: cum enim virtutes morales ſint moderationes perturbationum, ac in voluptate, & dolore corporis verſentur, non acquiruntur, niſi alterata quadã parte ſenſu prædita, vt in cont. 18 ſeptimi phyſicorum docet Philoſophus.

In qua animi parte recipiantur, ac ſeruentur Virtutes rationis. CAP. VI.

QVoniam aſſertũ eſt virtutes rationis, qua pertinẽt ad mentem, eſſe ſolas relationes obiecti congruenter ſe habentis, per phantaſiam & memoriam ei oblati, quæ res eſt apprime dubia: propterea vt reddatur cõſpicua, vtile eſt aliquantulum in ea immorari: nec rem ad viuum penitus reſecabo, quoniam exacte de ea diſſerere ad tertiũ de anima pertinet. Quæritur itaque, in qua animę parte inſint virtutes rationis. *In qua animæ parte inſint virtutes rationales.* Qua de re quatuor ſunt principales opiniones; vna Simplicii & Academicorum: altera Alexandri: tertia D. Thomæ, & fere omniũ Latinorum: quarta erit ea, quã ego cenſeo fuiſſe Ariſtotelis. *Opiniones quatuor.* Simplicius, qui in omnib nititur Ariſtotelẽ cum Platone conciliare, ſtatuens mẽtem ab anima rationali diſtinctã, ac in anima rationali conſiderans *Simplicius.* animaliũ intellectum, partim progreſſum, partim in ſe manentem, ac progreſſum, primo imperfectum, mox præcurrẽte excitatione a ſenſibilib facta per rationes in ſe manentis intellectus perfectũ, iudicat virtutes rationis in duobus eſſe collocatas, in vno, vt in inſtrumento, in altero, vt in fundamento: vt in inſtrumento, cõſiderantur in memoria phantaſiæ iuncta cõſeruante idola, quę promit anima rationalis, & ſecundũ hoc pereunt huiuſmodi habitus & virtutes intereunte phãtaſia, vt aſſerit in expoſitione 20. textus tertii de anima. Quatenus aũt ex parte fun-

damenti, & principalis eorum formæ conſiderátur, ſunt in anima rationali progreſſa, & conſtituuntur per rationes coęternas animæ, dum in ſeipſam regreditur. Hinc habitus à Simplicio in expoſitione octaui, cont. 3. de anima, non dicitur ſubſtantia, ſed circa ſubſtãtiam, hoc eſt, pertinens ad intellectum progreſſum, vt verſatur circa formas. quæ ſunt inſertæ in eſſentia animę in ſe manentis. Hæc opinio, vt non eſt Peripatetica, ita etiam approbanda non videtur: nam ea diſtinctio animæ rationalis à mẽte, ea multitudo rationũ, & quæ ſint in eſſentia animæ, & quæ promantur ab illis, inſuper modus intelligẽdi per rationes inſertas, & animæ coæuas, Ariſtoteli, rationi & experientiæ aduerſantur. Præterea patuit in præcedẽtibus, ſcientiam ex parte intellectus ſolam eſſe relationem, & intellectum ſui natura abſolute & penitus eſſe poteſtate. Præterea ſi habitus præſertim per rationes formatur, quæ ſunt formæ & ſubſtãtiæ; nõ video, cur prima ſui ſignificatione non debeat eſſe ſubſtantia. Demum falſo iudicat intellectum habitu prçditum poſſe ad libitum ſine ope phãtaſiæ ſpeculari. At hæc in tertium de anima reiiciãtur. Altera opinio eſt Alexandri Aphrodiſei: qui falſo iudicans mentem hominis propriam eſſe moralem, & eſſentiæ phantaſiæ ſolum ſuperaddere puram præparationem & facultatẽ ad intelligibilia: dixit, *Virtutes rationis, & habitus earum, in ea mortali anima eſſe poſitas. & eſſe depoſitas illas, conſeruatas, & quieſcentes conſiderationes, quæ ſint tanquam ſuprema acies animæ, per quam homines ea prædití valent ad libitum operari.* Hæc opinio ob id præſertim deſpicienda eſt, quia mentem ſtatuit mortalem. Inſuper aduerſatur Ariſtoteli, quia ex eius ſententia ſcientia (vt ad mentem pertinet) ſola eſt relatio, & mens nil recipit, nec ad eam pertingere poteſt vlla alteratio, vt lucidiſſime in ſeptimo phyſicorum affirmauit. Inſuper, cum perperam cenſeat mentem ſolam dicere præparationem, perperam etiam aſſerit intellectum in habitu eſſe conſeruatas & quieſcentes conſiderationes: hæ namque ſunt habitus, non intellectus qui habitu ſit. Demum cenſet communes notiones ſeruari, quod minime exiſtimauit Ariſt. nam (vt patet ex lib de memoria & reminiſcentia) *vniuerſalium & communium notionum ſolum ex euentu eſt conſeruatio, quatenus per memoriam phantaſiæ iunctam phantaſmata ſeruantur, ex quibus ad libitum ea communia eliti poſſunt.* Propterea eſt tertia opinio D. Thomæ. & multorum qui eum ſequuntur: hi aſſerunt, *virtutes rationis ſiue habitus mentis eſſe qualitates de prima ſpecie qualitatis: in mente, quã recte immortalem ſtatuũt, receptas & conſeruatas.* Hæc opinio duabus præcedentibus præferenda eſt, verum (vt cenſeo) non eſt Peripatetica: ac (vt multa prætercam) primo per eam habitus vere eſſet qualitas, non ſola relatio, quod aduerſatur Ariſtoteli in

ſeptimo

Contra Simplicium.

Alexander.

Reiicitur ſententia Alexandri.

D. Thom.

Reiicitur.

Digitized by Google

ſeptimo phyſicorum, vt patuit, ideo etiam in quinto metaphyſicæ habitus inter qualitates non enumerantur, & virtus ad vitium ſolum dicuntur qualitates, quatenus ſunt pars quædam perpeſſionum ad tertiam ſpeciem pertinētium, vt eodem in loco aſſeritur. Præterea vt patuit, mens ex opinione Ariſtotelis nil recipit, & vniuerſalia non ſeruat. Propterea ex opinione Ariſtotelis dicendum cenſeo, *mentem hominis diſtingui à phantaſia, æternam eſſe, & nil in ea, vt in ſubiecto recipi:* id enim, quod immortale eſt, & à materie non pendet, nulli nouo accidenti ſubiici poteſt: ſat eſt menti, cum ex ſe pura ſit, & congruenter ſe habeat, vt ea ſola recte parentur, quæ ad phantaſiam, memoriam, ac phantaſmatum ordinem & diſpoſitionem requiruntur: his enim recte compoſitis, ſublatiſque impedimentis, mens recte fungitur munere ſuo, non ſecus ac Geometra (vt vtar exemplo Ariſtotelis) dempta ebrietate & ſomno, congruenter ſpeculatur: adeo vt virtus rationis, quatenus pertinet ad mentem ſola ſit relatio, & id, per quod eſt qualitas aliqua denuo acquiſita & conſeruata, in ſola phātaſia & memoria locum habeat. Ita Auerroes in 7. phyſ. cont. 20 dixit: *ſcientia potius eſt relatio, quam qualitas.* Et in 3. de anima, cont. 20. aſſeruit per phantaſiam diſtingui hominum facilitates ad quatuor virtutes dictas in topicis Colligamus igitur virtutes rationis in phantaſia recipi, & memoria ſeruari: & tunc hominem dici habitu præditum, dum longo ſtudio, cura, experientia, iteratiſque actionibus phantaſmata ita firmauerit, digeſſerit, ac in ordinem redegerit, vt ad libitum valeat communes notiones mente colligere, ſpeculari, ac per eas vel ad actionem, vel ad effectionem dirigi.

Opinio propria.

Auer.

Concluſio dictorum.

Dubia nonnulla, quæ approbatam opinionem reddunt obſcuram. CAP. VII.

PErtinentia ad mentem & virtutes eius, vt ex ſe ſunt præclara & illuſtria, ita nobis ſunt ardua & tenebricoſa. Et cum primis arduum eſt cognoſcere, quomodo ad eam virtutes ſe habeant. Nam ſi dicimus mentem nil recipere, habitus non in ea ſed in phantaſia firmari, præter cetera hæc ſequi videntur abſurda. Primo enim falſa erit ſentētia Ariſtotelis, in principio ſexti moralium Nicomachiorum, aſſerentis, *has virtutes ad mentem pertinere*; ita enim ad phantaſiam potius, quam ad mētem pertinebūt: nec eſſet per hoc differētia inter virtutes morales, & eas rationis; imo nō deberent dici virtutes rationis, cum non in parte rationis compote, ſed in phantaſia recipiātur ac firmētur. Præterea, tunc nō mens eſſet denominanda ſapiens, ſiue homo munere mentis ſed potius phātaſia, & munere phantaſiæ: cuius oppoſitum aſſeritur in primo & in quinto context. 3. de anima. Inſuper, falſa eſſet ſententia Ariſtotelis in tertio de anima, cont. 5.

Prima dubitatio.

Altera dubitatio.

Tertia.

by Google

lectum eſſe locum ſpecierum, antequam intelligat eſſe omnia poteſtate, & propterea debere eſſe denudatum omni actu, ac ita mox ſingula fieri: nam hæc omnia debent referri ad actum intelligendi, qui actus non eſt diſtinctus à ſpecie intelligibili. Si intellectus in ſe haberet rerum ideas & rationes, vt exiſtimabat Plato, non egeret excitatione & motu ab externo facto, ſed ſui natura & eſſentia perinde ac Deus per ideas omnia continenter intelligeret: cum autem noſter intellectus, vt intelligat, neceſſario egeat phantaſmatibus ei oblatis per phantaſiam, eſt neceſſe vt formis intelligibilibus ſit denudatus, & ob id dicitur poteſtate, omne enim (ſiue ſit recipiens vt ſubiectum, ſiue vt obiectum) eſt neceſſe, vt ſit denudatum, & hac conſideratione dicitur recipere ſpecies locus earum, & fieri omnia; quatenus iudicat, ratiocinatur, intelligit communia ei per phantaſmata oblata: qui actus intelligendi dicitur ſpecies, quia eſt ipſum intelligibile per repræſentationem, & in eſſe cognito, & idem eſt actus obiecti & facultatis cognoſcentis, vt aſſeritur in 2. de anima, cont. 138. & 141. Dicitur itaque recipere non tanquam ſubiectum, ſed vt iudicans obiecta: & propterea, cum nil vt ſubiectum recipiat, nil etiam ſeruat, ſed ſemper, vt intelligat, eget præſentia phantaſmatum. Ac ita explicatur ſententia Ariſtotelis in tertio de anima, cont. 8. dicentis, *quod intellectus omnia factus adhuc eſt poteſtate:* nam poteſtate adhuc dicitur, nedum ad actum ſecundum, verum inſuper, quia ſemper eget præſentia phantaſmatum, ex quibus communia abſtrahat, quæ abſtractio nil eſt aliud, niſi apprehenſio vnius (nempe communis naturæ) ſine apprehenſione coniunctorum cum ea: & intellectus dicitur in habitu, & factus omnia, dum ita parata & diſpoſita habet phantaſmata, vt ad libitum intelligere valeat ea, quæ etiam prius, antequam contractus fuiſſet habitus, intellexit: ac ita etiam intellectus tunc dicitur nobis, nedum per naturam, ſed etiam per phantaſmata & actum ſecundum copulatus. At addebatur habitum firmari iteratis actionibus: & propterea in eo recipi & firmari, cuius ſunt actiones. Reſpondeo habitus morales more & aſſuetudine acquiruntur: habitus rationis acquiruntur ſtudio, cura, vſu rerum, doctrina, diſciplina, & exercitatione, quibus omnibus phantaſmata inueniuntur, formantur, congruenter diſponuntur, & homo aſſueſcit eis vti, adeo vt mox ſine errore fungi valeat munere rationalium habituum. Dum enim mente ſpeculamur, vna phantaſia & memoria operantur, & propterea ſimul firmatur habitus in phantaſia & memoria, & homo aſſueſcit vti huiuſmodi habitibus: non igitur operatio eſt tantum mentis, ſed mentis eſt, vt vtentis, dirigentis, & iudicantis. At inſtabit adhuc aliquis, quoniam hæ virtutes, & præſertim principales, *Dubitatio.* *Solutio.*

Google

394

dicuntur recta ratio, ſiue agendi, ſiue efficiendi, ſiue contemplandi: recta autem ratio non eſt in phantaſia, ſed in mente. Reſpondeo, virtutes rationis eſſe rationem rectam munere vtentis & dirigentis, non munere ſubiecti earum; ideo Ariſtoteles in tertio de anima context. 56. dixit, *phantaſiam eſſe duplicem, rationalem vnam, alteram rationis expertem:* indicans, quod in phantaſia etiam recta ratio reperitur dum ab intellectu dirigitur. Addebatur inſuper rationales virtutes eſſe communium & vniuerſalium, quæ à ſola mente apprehenduntur. Reſpondeo, cum ſeruentur phantaſmata per memoriam, etiam dicuntur ſeruari communia, ideo communium ſolum ex accidenti dicebat Ariſtoteles dari memoriam: virtutes rationales ſunt communium munere vtentis, & dirigentis, vt autem ſeruantur, ſolum ſunt ſingularium. At dicebatur, tunc non eiuſdem eſſet habitus & operatio, ſiue actus primus & ſecundus, nec habitus eſſet principium operandi. Reſpondeo, actus primus duplex eſt: vnus principalis, & hic eſt intellectus, cuius etiam principaliter eſt actio: alter eſt ſecundus, & quodammodo inſtrumentarius: & hic eſt congruens & conſtans diſpoſitio phantaſmatum, qui habitus dicitur, cuius etiam ſecundo loco & tanquam inſtrumenti eſt actio: adeo vt vere actus ſecundus reſpondeat ſuo primo actui, à quo prodit. Addo inſuper, habitum non abſolute eſſe primum principium operandi, vt alibi patefeci, ſed eſſe id, per quod homo recte, facile, & promte operatur, quæ facilitas & rectitudo, nobis competit per congruentem phantaſmatum diſpoſitionem, & frequentem hominis exercitationem. Ex his etiam conſpicuum eſt, quomodo rationales virtutes dicantur recta ratio mentis: recta enim earum ratio oritur ex mente dirigente, formante, & vtente refulget in phantaſia, vt formata, ordinata, & directa: Et de his ſatis.

Habitus eſt principum Quo. Homo principum Quod.

Quomodo virtutes rationales inter ſe diſtinguantur.

CAP. VIII.

RAtionis & mentis variæ in præcedentibus enumeratæ ſunt virtutes, omnes tamen in tria capita rediguntur: vel enim ad veri contemplationem, vel ad actionem, vel ad effectionem dirigunt, vt dicitur ſub initio ſexti metaphyſicæ, quæ cum inter ſe diſtinguantur, vnde ortum ducat earum diſtinctio, non leuis eſt dubitatio. Et iure ambigere debemus, nam philoſophus ob rei difficultatem non ſemper idem dicere videtur. In ſeptimo enim metaphyſic. contex. 49. ait, *actum ſeparare; actus autem forma eſt.* Nonnunquam indicat diſtinctionem petendam eſſe à facultatibus ſiue partibus animæ, quarum ſunt virtu-

Ariſtoteles dubius. Diſtinctio à forma. A facultate, cui virtus competit.

tes

395

les, veluti in calce primi moralium Nicomachiorum: inquit enim, *ex animi diuiſione ac differentia virtutis quoque diſtinctionem partitionemque naſci*; alias enim virtutes in ratione poſitas eſſe dicimus, alias ad morem pertinere: ſimiliter in principio ſexti moralium Nicomachiorum volens inter ſe diſtinguere virtutes ad rationem pertinentes inquit: *Nunc autem eius partis, quæ ratione prædita eſt, facienda eodem modo eſt diuiſio: atque hoc poſitum ſit duas eſſe animi partes ratione præditas, vnam, qua res eas cernimus, quarum principia aliter ſeſe habere non poſſunt: alteram, qua eas, quæ ſecus poſſunt euenire: Ad ea enim, quorum non eſt idem genus, intelligenda, partium quoque animi eam, quæ ad vtrumque apta ſit natura, oportet genere differre, &c.* Sic itaque à facultatibus animæ, quarum ſunt virtutes, petendam eſſe diſtinctionem affirmat. Nonnunquam aſſerit diſtinctionem eſſe petendam à principio vtente, præeligente & dirigente, veluti in ſexto metaphyſicæ, context. primo inquiens: virtutum efficientium principium aut intellectus eſt aut ars, aut poteſtas quædam, agentium vero prælectio agentis. Demum nonnunquam affirmat diſtinctionem ortum ducere ex fine, veluti in tertio de anima 49 inquiens: *Intellectus ille eſt principium motus, qui propter aliquid ratiocinatur, & practicus eſt: differt autem à ſpeculatiuo fine, & appetitus omnis eſt propter aliquid; id enim, cuius eſt appetitus, principium eſt practici intellectus: vltimum autem eſt principium actionis, &c.* De re obſcura variæ ſunt opiniones. Græci interpretes, & cum eis Diuus Thomas, inquiunt diſtinctionem petendam eſſe à fine, & iure profecto: id enim, cuius eſt opus, eſt operis gratia, ſecundo cœli 17. & id, quod eſt alterius gratia, ab eo, cuius gratia eſt, recipit conditionem, terminum, & diſtinctionem: virtutes autem omnes & habitus ſunt alicuius muneris functionis gratia, vt finis: ab ea igitur diſtinctio petenda eſt. Ex aduerſo Scotus, Antonius Andreas, & horum aſſeclæ, inquiunt, diſtinctionem harum rationalium virtutum ſumendam eſſe, non à fine, ſed à ſubiecto & re in qua verſantur: ſiue (quod idem eſt) ab obiecto virtutum, & ab intellectu relato ad obiectum illud ſub ratione obiecti, at non ſub ratione finis. Et quia res eſt obſcura, propterea, vt reddatur clarior, & eluceſcat fundamentum huius ſecundæ opinionis; conſiderandum quod ratio obiecti eſt prior ratione finis, quatenus abſolutum eſt prius relatione, quæ eo vt fundamento nititur, primo enim conſideratur obiectum in ſe, mox refertur ad finem: veluti in arte medendi primo conſideratur corpus ſanabile, quod eſt obiectum medici, & artis medendi: hoc eſt ſua natura habet, vt referri poſſit ad ſanitatem, quod non competit obiecto ſapientiæ, neq

A principio vtente.

A fine.

Opiniones variæ.

Græci.

Scotus.

Diſtinctionem petendam ab obiecto.

Ratio Scoti.

Digitized by Google

ſcientiæ: at nunquam conditio aliqua & facultas ſiue relatio conuenit vni naturæ, & repugnat alteri: niſi per aliquod abſolutum illi naturæ internum prius ea relatione. Quare in arte & ſcientia præcedit aliqua conditio interna, per quam arti competit vna facultas, quæ repugnat ſcientiæ. Ea conditio artis & ſcientiæ oritur ab aliqua cauſſa priore: cauſſæ priores ſunt intellectus, & obiectum, ab his itaque ortum ducit prima ratio distinctionis: ea autem, quæ ſumitur à fine, ſequitur hanc, & hanc præſupponit. Confirmant id ipſum, & inquiunt, ſi per finem virtus vna eſſet principium agendi, altera efficiendi, ſiue contemplandi, aut id eis competeret per finem iam adeptum, vel cognitum, vel optatum: non per finem adeptum, quia hæc eſt res per virtutem effecta, ſequens virtutem, quare ea non conſtituit habitum, & diſtinguit: non per finem optatum, & intentione conſideratum, hoc enim per præcedentem rationem reiectum eſt: quare id facit per finem cognitum, finis autem vt cognitus habet rationem obiecti, non autem finis. Ac ita reſpondens auctoritati relatæ ex tertio de anima, context. quadrageſimo nono, aiunt enim Ariſtotelem denotaſſe finem vt cognitum, & ſub ratione & conditione obiecti, non finis. Non deſunt, qui cenſeant vniuerſam litem in verbis eſſe poſitam: quia virtutum, quæ in operatione ſunt poſitæ, finis & obiectum idem eſſe videntur, id enim, quod facere optant, & obiectum & finis dicitur: virtutum autem, quæ ſunt poſitæ in cognitione veri, finis includitur in obiecto formaliter conſiderato. Demum dicunt alii virtutes ex obiecto habere facultatem, vt poſſunt diſtingui, ex fine vero, vt actu diſtinguantur. Ac ita varietas opinionum difficultatem reddit obſcuriorem.

Confirmatio.

Finis adeptus: optatus: cognitus.

Opinio conciliantium.

De Virtutum rationalium diſtinctione, opinio propria.
CAP. IX.

VT difficultati clarius ſatisfaciam, nonnulla primo accipienda & explicanda cenſui. Conſiderandum primo eſt (vt declarat Ariſtoteles 10 metaphyſicæ, context. 12.) quod non idem eſt differentia, & alteritas, græce ἑτερότης, nam quæ differunt, aliquo differunt, altera autem ſeipſis poſſunt eſſe altera, ſiue diuerſa: ita materies cœli à materia mortalium & forma vna ab alia, varia eſt, non autem differunt. Inſuper accipiendum eſt, quod finis, ſcopus, obiectum, intentio, quamuis habeant ſignificationes proprias inter ſe diſtinctas, frequenter tamen confunduntur, & vox vna pro altera vſurpatur. Finis eſt vox ſatis communis, & diſtinguitur variis modis: primario diuiditur finis in finem generationis, & eſt rei forma, qua præſente completa

Primum quod accipitur.

Alterum quod accipitur.

Finis.

Digitized by Google

pleta eſt generatio, & in finem rei genitæ, qui adhuc eſt duplex, vel cui, vel cuius gratia: finis cui, eſt id, pro quo laboramus, & cui inſeruire debet id, quod quærimus, vel efficimus, vt finis cui productæ vel producendę domus, eſt dominus, qui habitare debet in ea: finis vero cuius gratia, eſt ille, qui ſcopus dicitur, ſiue circa ſcopum verſatur, vt finis cuius gratia laborant piſcatores, ſunt piſces, & capere eos. Scopus ille eſt quem ſibi attingendum proponit, qui actionem aliquam dirigit, vt capiendi piſces ſunt proximus ſcopus piſcatoris. Intentio, quæ propoſitum, conſilium, & inſtitutum vocatur, mediat inter cauſſam efficientem & ſcopum: nam intentio eſt appetitio, qua agens expetit attingere ſcopum, intentio piſcatoris eſt piſces capere. Obiectum, quod ab Ariſtotele etiam ſubiectum appellatur, proprie eſt facultatis cognoſcentis, vt ſonus dicitur obiectum auditus: eadem ratione ſubiectum ſcientiarum & artium, earum obiectum nuncupatur, quia eſt id, quod earum conſiderationi ſubiicitur ac offertur: frequenter tamen obiectum cum ſcopo confunditur, & ſcopus agentis dicitur obiectum eius. His leuiter explicatis, dum quæritur, an ſcientia diſtinguatur ab arte fine, vel ſubiecto ſiue obiecto, quamuis obiectum aliqua ratione ſit finis, vt patet ex dictis; tamen (vt ad rem facit) nomine obiecti intelligimus ſubiectum artis, nomine finis intelligimus illud cuius gratia eſt ars: vt obiectum artis medicæ eſt corpus ſanabile, finis eſt ſanitas, & ita de cæteris. Accipiendum tertio eſt, diſtinctionem ab eo petendam eſſe, à quo pendet eſſe rei: per idem enim res ſunt, cognoſcuntur, diſtinguuntur, & nomen recipiunt, loquendo de propria & principali diſtinctione, non de ea, quæ eſt per accidentia: Et quoniam eſſe rerum pendet ex quatuor cauſſis, quarum duæ ſunt internæ, duæ externæ, ideo intrinſecus res per internas cauſſas diſtinguuntur, extrinſecus vero per externas. His præaſſumtis dico, virtutes diſtingui inter ſe poſſe per omne genus cauſſæ: addo ſecundo, virtutes ſuiſmet formis intrinſecus alteras eſſe: addo tertio, originem diſtinctionis petendam eſſe à fine: demum dico, obiectum eſſe illud, ſine quo diſtinctio, quæ oritur à fine, ſeruari non poſſet. In his quatuor poſitam eſſe cenſeo reſolutionem totius difficultatis. Quod pertinet ad primum, nempe quod diſtinctio peti poſſit ab omni genere cauſſæ, ſatis patet: diſtinguuntur virtutes proprio fine, vt omnes fatentur: diſtinguuntur forma, quatenus ſunt formæ alteræ, adeo vt ratione formæ ſeipſis variæ, alteræ & diuerſæ eſſe dicantur. Tertio diſtingui poſſunt materie, ſiue per materiem intelligamus facultatem animi, in qua inſunt, poſſunt enim attinere ad diſtinctam facultatem, ſiue intelligamus rem, in qua, ſiue circa quam verſantur; demum poſſunt differre efficiente,

Scopus.

Intentio.

Obiectum.

Tertium quod accipitur

Diſtinctio à quatuor cauſſis petenda.

Reſolutio difficultatis per quatuor aſſertiones.

Declaratio primæ aſſertionis.

Google

hoc eſt, producente habitum, ſiue operationem eius, nam habitus morales producuntur more, & aſſuetudine habitus rationales doctrina, ſtudio, & exercitatione: inſuper agibilium principium eſt prælectio, aliarum eſt intellectus, vel aliud quid, vt dicebatur in principio ſexti metaphyſicæ. Ex his conſpicua eſt etiam ſecunda aſſertio, nempe quod virtutes intrinſecus ſua forma variæ & alteræ dicantur. Tertia aſſertio erat, originem diſtinctionis petendam eſſe à fine, hoc aſſeritur ab Ariſtotele tertio de anima, quadrageſimo nono, & ideo in ſecunda metaphyſicæ, context. 2. inquit: *Vocari vero philoſophiam veritatis ſcientiam, recte ſe habet: nam theorica finis eſt veritas, &c.* Cum autem a fine recipiat nomen, & nomen ſumatur ab eo, ex quo pendet diſtinctio, conſpicuum eſt, quod à fine ortum ducit: quod patet ratione. Quia vt cauſſæ conſpirant ad rei productionem, ita conſpirare dicuntur ad eius diſtinctionem: at ad rei productionem ita conſpirant, vt finis non pendeat ex aliis, ſed origo ſit ordinis & directionis cæterarum, quare idipſum de diſtinctione iudicare debemus. Confirmatur, quia (vt patuit in præcedentibus) omnis virtus, & habitus eſt alterius gratia, & omne, quod eſt alterius gratia, ab eo, cuius gratia eſt, recipit diſtinctionem: vnumquodque enim tale eſt, quale pro ſibi propoſito fine eſſe debet. Præterea, origo diſtinctionis vel petenda eſt à fine, vel ab obiecto: non ab obiecto, quia idem poteſt eſſe obiectum variarum virtutum, vt homo natus ægrotare vel ſanari, conſiderari poteſt & á phyſico, & a medico, ita homo natus beari conſiderari poteſt & a phyſico, & à ciuili. At reſpondebunt forte, id contingere diſtincta ratione. Verum dum hoc dicunt, ſtatim fatentur, originem diſtinctionis petendam eſſe á fine; nam varius illi conſiderandi modus à fine ſumitur: quod patet ex Ariſtotele in ſecundo phyſic. context. 26. dicente; *fabrum conſiderare æs, & medicum neruum, vt conducunt ſuo fini, ſimiliter phyſicum conſiderare formam, vt ſuo fini conducit: ita medicus conſiderat hominem natum ſanari & ægrotare, vt eum curet; phyſicus, vt de eo tanquam de ſpecie corporis phyſici notitiam habeat.* Cum igitur non ab obiecto ortum ducat diſtinctio, conſpicuum eſt quod ortum ducit à fine. Quod autem pertinet ad obiectum, ſiue ſubiectum, id ex ſui natura habet, vt ſit natum conſiderari in gratiam eius finis: & ideo in quarta aſſertione dictum eſt, ſine propria quadam natura obiecti non poſſe ſeruari diſtinctionem prodeuntem ex fine. Colligamus itaque, diſtinctionem virtutum ortum ducere á fine, proxime autem reperiri in obiecto ratione ſui modi conſiderandi: qui modus conſiderandi trium principalium habituum, eſt varius ratione varietatis finis. Hinc Ariſtoteles in ſecundo phyſicorum, context. 18. phyſicum & mathema-

Secunda aſſertio.

Explicatur tertia.

Quarta aſſertio.

Epilogus.

388

thematicum ait conuenire in obiecto & re conſiderata, diſtingui autem modo conſiderandi; referunt enim ea, quæ conſiderant, ad variam veritatem reſpondentem vario modo conſiderandi: nam res conſiderata eſt tanquam materies, modus conſiderandi tanquam forma, quæ cum ordinetur in finem, eſt varia ratione varietatis proprii finis. Hæc omnia demum confirmantur per definitionem virtutum: prudentia dicitur recta ratio agibilium, ars recta ratio effectibilium, ſcientia recta ratio ſcibilium, adeo vt poſtrema earum differentia ab actione, effectione, & veritatis cognitione petatur: vltima autem differentia eſt ea, per quam res proprie, primo, & per ſe ſunt, & diſtinguuntur, vt conſtat ex 7. metaphyſ. 43. Ex his quoque notæ ſunt ſolutiones aduerſarum rationum: nam quod Ariſtot. ex variis accipiat diſtinctionem, non eſt abſurdum, ex variis enim pendere poteſt: dubitatio eſt de origine, & primo principio. Dum oſtenditur eam non eſſe primo petendam á fine, quia vel id contingeret per finem iam adeptum, vel cognitum, vel optatum. Dico ſingulis his modis: nam per finem adeptum habent, vt actu ſecundo diſtinctæ ſint: per finem optatum habent, vt ſecundum formam & actum primum diſtinctæ ſint: per finem in eſſe cognito habent, vt cuncta in eum finem congruenter dirigantur, & diſtinctio conſpicua ſit. At addebant, finis in eſſe cognito pertinet ad obiectum. Reſpondeo, etiam finis ab agente cognoſci poteſt vt finis: ita inquit Ariſt. in calce ſecundi phyſ. & in 3. de anima, 49. primum in ratiocinatione in opere eſſe vltimum, & ſi pertinet ad obiectum, ad illud pertinet vt modus conſiderandi ſumtus ex relatione ad finem. Verum addebatur, nunquam facultas aliqua competit vni naturæ, & repugnat alteri, niſi per aliquod abſolutum illi naturæ internum, quod abſolutum prius eſt relatione eius ad finem. Reſpondeo, illud prius eſſe aliquid, ſine quo non recipitur diſtinctio petenda à fine, at non eſſe primam rationem diſtinctionis: imo in eo priori ſeiuncto à relatione ad finem, non reperitur, nec ſeruatur diſtinctio virtutum, vt patet, dum idem obiectum per relationem ad diſtinctos fines à variis virtutibus conſideratur. Addebatur poſtremo, Ariſtotelem in 3. de anima, 49. aſſerentem virtutes ſiue intellectum practicum à theorico diſtingui fine, denotaſſe finem in eſſe cognito, vt habet rationem obiecti. Sed errant manifeſtiſſime; nam Ariſtoteles vocibus vtitur proprie: & in ſecundo phyſicorum deſcribens finem, ait *eſſe id, cuius gratia ſunt cætera*: & dum alibi finem virtutum patefacit, ſemper explicat proprie ſumtum finem, vt patet 2. metaphyſ. context. 2. necnon ſexto moralium Nicom. & alibi; imo in eodem cont. 49. tertii de anima ſemetipſum manifeſtiſſime explicat, cũ dicat: *intellectus practicus differt à theorico fine, & appetitus*

Diluuntur aduerſæ rationes.

Ariſt non ſecum pugnat.

Diluitur ratio Scoti.

Error Scoti.

omnis eſt propter aliquid; id enim cuius eſt appetitus, principium eſt practici intellectus: Vltimum autem principium eſt actionis, &c. Sic itaque Ariſtoteles aſſerit ſe denotare illum finem, qui in intentione & ratiocinatione agentis principium eſt: hic autem eſt proprie ſumtus finis. Et hæc ſatis de virtutibus rationalibus vniuerſe ſumtis, deſcendamus ad partes earum.

De Virtutibus mentis, de quarum ratione non eſt, vt ſint ſemper Vera, & primo de opinione.

CAP. X.

VIrtutum mentis ſiue rationis, nonnullæ ſtatuebantur, de quarum ratione eſſet rectum, & veritas; aliæ vero, de quarum ratione ea non eſſet: & hæ dicebantur eſſe opinio, fides & *παιδεία*, quæ vel peritia, vel experientia, vel eruditio dicitur: de

De opinione.

his autem primo verba faciens ab opinione ordiar. Veteres philoſophi de attinentibus ad opinionem varia dixere. Nonnulli opinionem non ſecreuere á ſcientia, vt illi, qui cuncta cenſebant in motu eſſe collocata, & continenter fluere, veluti Protagoras, Heraclitus, Epicharmus, Homerus, & alii multi hi cenſebant omnia, quæ opinamur, eſſe vera; ideo Protagoras aſſerebat hominem eſſe rerum menſuram: vtebantur autem hac ratione. Ea opinamur, quæ nos mouent, ea nos mouent, quæ ſunt; at quæ ſunt, vera ſunt; quare ea ſolum opinamur, quæ vera ſunt. Cenſebant iſti res in motu eſſe collocatas: ideo cum res ſenſus noſtros mouent, quos non ſecernebant à mente, ex re mouente & ſenſu motorem proximum ſenſibilem conſurgere aſſerebant, in variis variam, & qualis conſurgeret, talis iudicaretur: ita geniſta capræ dulcis, homini eſt amara, vinum ſano dulce, febricitanti vt videtur ita eſt amarum. Qua de re multa dicuntur à Platone in Thæteto, ſiue dialogo de ſcientia. Sed hi decipiuntur: primo ratione fundamenti, nam cenſent ſenſum non ſecerni à mente: ſecundo in attinentibus ad naturam rerum, quæ cum ſit certa & definita, ab eis incerta ac indefinita aſſeritur, nam iudicium eſt non de proximo, ſed de primo mouente, primum mouens, vt vinum & geniſta, vnum eſt, ideo vna eſt natura eius, non varia. Sed cum iſti dicant omnia eſſe talia, qualia á nobis iudicantur, cum iudicemus eorum opinionem eſſe falſam & negligendam, eam vt falſam ex eorundem ſententia miſſam faciamus. Propterea alii iudicantes ſcientiam re vera diſtingui ab opinione, aſſeruerunt homini ſolam opinionem, non ſcientiam competere poſſe: ideo dialectici dixere, *de quauis re poſſe probabiliter pro omni parte diſputari*; & Diuus Auguſtinus conſiderans imperfectionem humanæ ſcientiæ dixit, *ſcire noſtrum eſſe pulcrum quoddam opinari*: Hinc varii prodiere libri de incertitudine ſcien-

Ratio putantium omnem opinionem eſſe veram.

Reiectio.

Alia opiniõ.

Digitized by Google

ſcientiarum, de docta ignorantia: qua de re etiam à Lactantio
Firmiano in libris diuinarum inſtitutionum multa dicta fue-
runt. Sed quoniam homo per naturam ad ſcientias eſt procliuis, *Reiicitur ſe-*
deſiderium autem per naturam nobis inſertum, omni ex parte *cunda opi-*
inane eſſe non debet, propterea cenſendum eſt hominem, ſi non *nio.*
omnium, vel plurimarum, quarundam ſaltem rerum ſcientiam
aſſequi poſſe: adeo vt non ſola opinio, ſed etiam ſcientia ei com-
petere valeat. Differt opinio à ſcientia primo per materiem; nam *Opinio dif-*
in re mutabili & variabili locum præſertim habet opinio: dico *fert à ſcien-*
præſertim, quoniam non omnis cognitio rei mutabilis opinio *tia, vel ra-*
eſt, dum enim inſpicimus ambulantem Alcibiadem, ea non opi- *tione mate-*
nio, ſed conſpicuus & certus ſenſus eſt. Et dum non differt per *ria.*
materiem, ſaltem differt per medium, de eadem namque re va- *Vel ratione*
let vnus per cauſſam habere ſcientiam, alter vero per accidentia *medii.*
& principia probabilia opinionem, ideo demonſtratio ſcienti-
am, ſyllogiſmus topicus opinionem parit. Opinio igitur eſt exi- *Definitio o-*
ſtimatio ſiue aſſenſio de eo, quod poteſt ſecus ſe habere, vel ra- *pinionis.*
tione rei, vel ratione medii, per quod ei aſſentimur, pertinens ad
eam animi facultatem, quæ ratiocinatrix nuncupatur. Plato in *Plato.*
5. 6. & 7. de rep. opinionem ab intelligentia & ſcientia per id, in
quo verſantur, diſtinguens, quinque ſtatuit gradus noſtræ cog- *Quinq; gra-*
nitioni reſpondentes. In primo conſtituit id, quod pure & vere *dus.*
eſt: huiuſmodi eſt mens, & eius ideæ, in quibus verſari ait intelli- *Intelligentia*
gentiam, & proprie dictam ſcientiam, quam etiam ſapientiam *& ſcientia.*
nuncupauit. Cui primo gradui opponitur alter, & eſt purum
non ens, in quo verſatur abſoluta inſcitia. Tertio ſub vero ente *Inſcitia.*
poſuit rationes ad animam pertinentes, quales ſunt illæ, in qui-
bus præſertim verſatur mathematicus, quarum cognitionem *Cogitatio.*
proprie nuncupandam cenſuit cogitationem, nonnunquam ta-
men nomine proprio primi gradus dixit per cõſuetudinem nun-
cupari intelligentiam & ſcientiam. Quarto conſiderauit ſenſi-
lia cum materie complicata, qualia ſunt animalia & plantæ: has
dixit eſſe imitationes, participationes, & vmbras eorum quæ ve-
re ſunt, nempe idearum; in his dixit verſari fidem. Poſtremas po-
ſuit vmbras imagineſque ſenſilium, quæ in ſpeculis apparent,
quibus ſimiles ſunt illæ, quæ ab anima à ſenſibilibus excitata
per rationes promuntur in phantaſiam: & hanc nuncupauit i-
maginationem, ſiue aſſimilationem. Fidem autem & imagina- *Fides.*
tionem, communi nomine dixit eſſe opinionem, vt ſcientiam &
cogitationem, nuncupauit intelligentiam. Hinc in quinto de
republic. *opinionem ait eſſe mediam inter ſcientiam & ignorantiam:
ſcientia enim eſt de eo, quod penitus eſt, ignorantia de eo, quod non
eſt, opinio vero de eo, quod partim eſt, partim non eſt.* In Theæte-
to, hoc eſt, in dialogo de ſcientia modum explicat, quo nobis

Digitized by Google

conueniat opinio, & quid ea ſit, inquit enim: *Poſtquam anima intra ſe aliquid interrogando reſpondendoque aſſerit, neque vagatur, hanc ipſam opinionem ponimus: quam ob rem opinari loqui appello, opinionemque ſermonem, non ad alium, ſed ad ſe, neque voce, ſed ſilentio, &c.* in Sophiſta autem ait: *Quando anima per cogitationem ſecum ſilentio loquitur, opinio nuncupatur, & dum talis paſſio nobis non per cogitationem, ſed per ſenſum accidit, phantaſia dicitur.* Ita Plato ſibi conſtare non videtur: nonnunquam cogitationem ait verſari in re diſtincta ab ea, in qua verſatur opinio, nonnunquam in eadem: inſuper, nonnunquam phantaſiam nuncupat opinionem, aliquando eam ab opinione ſecernit. Sed facile eſt Platonem reddere ſibi concordem: nam in libris de republic. conſiderat diſtinctionem ſumtam á re, in qua proprie verſantur: in Theæteto & Sophiſta conſiderat modum, quo fit, & formam. Inſuper cogitatio verſatur in rationibus, tanquam in propria materie: opinio non eſt de illis, non tamen nobis competit ſine diſcurſu & ratione. Demum phantaſia apud Platonem eſt duplex: vna formata à ſolo ſenſu, & hæc diſtinguitur ab opinione; opinio enim ex ratione oritur: altera eſt, quæ dicitur imaginatio, & aſſimilatio ex ratione prodiens; quæ etiam opinio dicitur. Hæc ex Platonis ſententia de opinione eſſent dicenda. Verum quia Plato præſupponit ideas mentis, rationes animæ, & in materie ſolas vmbras reperiri exiſtimat; nos autem cum Ariſtotele hæc non approbamus: propterea eum miſſum faciamus: ſat eſt quod de hoc cum Ariſtotele conuenit, quod opinio nec ſemper recta, nec prædita neceſſitate ſit. Hinc diuiditur opinio in veram & falſam; inſuper diuidi poteſt in perniciosam, vtilem & neutram, nam opinio falſa frequenter etiam perniciosa eſt. Hinc ait Plato in Gorgia: *nihil tam perniciosum hominibus arbitror, quam opinionem falſam, præſertim circa iuſtum & iniuſtum.* Inſuper diuidi poteſt in firmam, & mutabilem. Pertinet opinio primo & potiſſimum ad cogitationem & iudicium veri & falſi; ſecundo autem loco reſpicere poteſt actionem & effectionem, vt dirigens eam.

Plato non videtur ſibi conſtare. *Conſilium.* *Diuiſio opinionis.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

De Fide. Cap. XI.

INter virtutes ad rationem pertinentes, cum à Platone in ſexto & ſeptimo de republica, tum ab Ariſtotele in ſecundo de anima, 157. etiam fides numeratur: propterea, quid ea ſit, conſiderare tenemur. Fides (græce πίστις) in varia ſignificatione apud ciuilem philoſophum, apud theologum, & apud phyſicum vſurpatur; vt in quarto gradu pateſeci. Fides ciuilis & theologica,

Fides.

gica, non ſunt præſentis conſiderationis: propterea loquens de fide phyſica, ad veri cognitionem pertinente, quid ea ſit ex ſententia Platonis, in præcedente capite ſatis aperte explicatum eſt; ex ſententia autem Ariſtotelis ita dicendum cenſeo. Fides cum opinione eſt ſummopere complicata, ac vna ſequitur alteram, opinio enim ſequitur fidem, ideo vt vna, ita altera dupliciter vſurpatur: primo late, ſecundo vt à ſcientia contradiſtinguuntur. Dum vſurpantur late, conſideratur hic ordo relatus ab Ariſtotele in ſecundo de anima context. 157. Primo reperitur ratio, rationem ſequitur ſuaſio, ſuaſionem fides, fidem opinio: nam opinamur, quia fidem adhibemus, adhibemus fidem, quia ita ſuademur: ſuademur autem ratione: ac ita ea, quæ ſcimus, etiam opinari, eiſque fidem adhibere dicimur; & vſurpatur tunc opinio & fides pro quauis exiſtimatione, quæ græce dicitur ὑπόληψις. Inſuper nonnunquam etiam extenditur ad conſpicuam notitiam principiorum, in qua ſignificatione Ariſtoteles in 1. poſt cap. 3. dicebat, *nos magis credere, maioremque fidem adhibere principiis demonſtrationis, quam concluſioni, nuncupabat tunc fidem etiam cognitionem principiorum, & concluſionis demonſtrationis.* Secundo vſurpantur cum opinio, tum fides, vt contradiſtinguuntur à ſcientia: veluti dum dicimus, hoc ſcio, non credo, ſiue opinor; hæc mea non eſt opinio, ſed ſcientia: & tunc fides & opinio, neceſſariam cauſſam, exactamque certitudinem excludunt, & in veram ac falſam diuidi poſſunt. Non igitur hæc phyſica fides eſt habitus rationis diſtinctus ab opinione, niſi ratione, opinio enim abſolute concluſionem reſpicit: fides vero magis refertur ad aliud, cui fidem adhibemus; fides etiam videtur præ ſe ferre maiorem conſtantiam, quam opinio. Hinc Simplicius in explicatione context. 155. ſecundi de anima inquit: *Fidem eſſe aſſenſionem rei neceſſaria ſine cauſſa, & ſine formidine, & dum ita vſurpatur, eſt opinio firma & conſtans.*

Fides phyſ.

Opinio Ariſtot.

Climax.

De pædia, aliorum opinio. CAP. XII.

ARISTOTELES in principio primi de partibus animalium inquit: *In omni contemplandi genere & methodo, cum ignobiliore, tum nobiliore, duo videntur eſſe modi habitus; quorum vnum ſcientiam rei recte nuncupamus, alterum tanquam pædiam quandam: hominis enim congruenter pædia præditi officium eſt iudicare perſpicienter poſſe, quidnam recte aut non recte à docente traditur: talem enim exiſtimamus eſſe hominem omnino pædia præditum, & eſſe pædia præditum nihil aliud eſſe, niſi poſſe facere quod dictum eſt: Præterquam hunc quidem in omnibus* (vt ita dicam) *arbitramur iudicio valere numero vnum, illum*

Pædia exprimo de partibus animalium.

Digitized by Google

*vero certa natura alicui delegamus, fieri enim poteſt, vt erga rem v-
nam ita quiſpiam ſit diſpoſitus, vt alius erga omnes. Quamobrem
naturalis quoque hiſtoria limites huiuſmodi aliquos oportet eſſe, ad
quos facta relatione approbabit modum demonſtrationis, ſemoto ve-
ritatis examine, &c.* His verbis Ariſtoteles & quid, & quotuplex
ſit pædia, patefacit. De eadem loquens in calce ſecundi Me-
taphyſicorum dixit: *Propterea oportet ita pædia inſtitutos non eſſe,
vt iudicemus, quomodo ea, quæ dicuntur, ſint accipienda & appro-
banda, quia abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſcien-
tiæ, &c.* Conſpicuum eſt ex verbis Ariſtotelis eo loci, per mo-
dum ſcientiæ denotaſſe pædiam, quam in primo de partibus a-
nimalium modum habitus nuncupauerat: nam primo pædia
quadam præditi eſſe debemus, per quam in ſingulis ſcientiis
modum illum docendi amplectimur & approbamus, qui illi
ſcientiæ & methodo eſt accommodatus; de qua pædia verba
faciens in proœmio moralium Nicomachiorum inquit: *Eſt
enim hominis pædia præditi, eam in vnoquoque genere acriuiam ex-
petere, cuius natura rei eſt capax, nihil enim videtur intereſſe, v-
trum mathematicum rationibus ad perſuadendum accommodatis v-
tentem probes, an ab oratore demonſtrationes poſtules. De iis au-
tem, quæ habet perſpecta & cognita, bene quiſque iudicat, & bonus
quiſque eſt iudex: De ſingulis ergo rebus recte iudicabit is, qui de
ſingulis pædiam habet: abſolute vero, qui de omnibus pædiam ha-
bet. Quocirca iuuenis ad ciuilem ſcientiam non eſt accommoda-
tus auditor, &c.* Inſuper in 3. de Republic. de eadem pædia lo-
quens ait: *tribuimus iudicandi officium nihilominus pædia prædi-
tis, quam iis qui ſciunt.* Sententia Ariſtotelis eſt ſimilis ſenten-
tiæ Platonis in Menone dicentis: *Duo nos recte ducunt, ſcien-
tia, ac opinio vera.* Hæc referre volui, vt ex variis locis inuicem
collatis firmius, & clarius colligere valeamus, quid ſit pædia,
quotuplex ſit, & quodnam ſit officium eius. Pædia (quæ à Theo-
doro peritia, à nonnullis eruditio dicitur, mea autem ſenten-
tia recta ad diſciplinas inſtitutio dici debet) ex opinione Leo-
nici eſt vniuerſa, confuſaque rei cognitio, ex remotis materia-
libuſue cauſſis prodiens. Quæ ſententia vera non eſt: Pri-
mo, quia Ariſtoteles ait: *pædiam eſſe rei cognitionem ſine cauſſa.*
Præterea, congruens iuuenis inſtitutio pro audienda ciuili di-
ſciplina, minime oritur ex remotis materialibuſue cauſſis; ſed
ex accommodata morum compoſitione per domeſticas inſti-
tutiones, & congruentem aſſuetudinem. Inſuper iudicare, quis
docendi modus conueniat docentibus & tradentibus diſci-
plinam aliquam, minime ortum ducit ex notitia communi-
um, diſtantium, materialiumue cauſſarum, quas frequenter
ignorant illi, qui ad diſciplinas addiſcendas accedunt, & qua-
rum

Ex ſecundo Metaphyſ. cont. 15.

Pædia ex proœmio moralium Nicomach.

Ex tertio de republ.

Quid ſit pædia.

Leonicus.

Reiicitur ſententia Leonici.

rum cognitio non recte format iudicium addiſcentis. Propterea alii recentiorum, viri apprime eruditi, inquiunt, pædiam eſſe experientiam, quod ita nituntur ſuadere: ea, per quæ recte iudicamus, præſertim ſunt ſcientia, ars, & experientia: per pædiam recte iudicamus, vt inquit Ariſtoteles, quare vel eſt ars, vel ſcientia, vel experientia, non eſt ſcientia, neque ars: quia hæ conſtant ex cauſſis, & cognoſcunt propter quid, & ſunt habitus contradiſtincti à pædia: quare pædia eſt experientia. Hæc opinio mihi non ſatisfacit. Primo quia experientia proprie eſt principium artium: pædia autem magis proprie ad morum compoſitionem, & ad ſcientias pertinet: eſt enim ad eas inſtitutio; ideo Ariſt. in primo de partibus dixit, in omni contemplatione & methodo inueniri. Præterea cum pædia locum habeat in omni contemplandi genere, habebit locum in mathematicis; pro quibus tamen non eſt neceſſaria experientia, vt dixit Ariſt. in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 8. & propterea puer dicitur poſſe fieri mathematicus, quia principia mathematicæ nequaquam egent vſu & experientia. Præterea experientia proprie eſt de rebus, & in rebus verſatur, de quibus ſunt artes & ſcientiæ: pædia autem proprie ſeu ſpeciatim pertinet ad modum, quo ſcientiæ traduntur, vt Philoſophus monebat. Confirmatur, quoniam hi definientes pædiam inquiunt, *eam eſſe potentiam ſiue facultatem apte iudicandi, quid recte aut non recte exponatur à docente.* Quæ deſcriptio apprime eſt imperfecta: Primo, cum dicatur potentia iudicandi, nam facultates quoque, & partes animæ tales ſunt. Inſuper, quoniam id, quod eſt commune multis, & ex variis pendet, ad vnum contrahunt, ſolique experientiæ tribuunt: quod ſi etiam verum eſſet, non propterea pædia deberet dici experientia ſed genus habitus ex experientia prodiens; experientia enim minime eſt habitus, vel modus eius. Propterea alii reperiuntur, qui inquiunt, *in ſcientiis & artibus duo reperiri, rem ſcilicet conſideratam, & modum, quo pro eius conſideratione vtimur: ac propterea debere methodum tradi, qua manifeſtetur, quis ſit hic modus, qui ſint termini, quibus ſcientia circumſcribuntur, & quæ cauſſa in eis ſint conſideranda.* Et ideo Ariſtot. in proœmio moralium Nicomachiorum, in ſecundo metaphyſicæ, in primo de partibus animalium, & in principio primi phyſicorum, id quod pertinet ad hanc peritiam lucidiſſime præſtitit: cum patefecerit, primo declaranda eſſe principia, phyſicum conſiderare omne genus cauſſæ, & diſtingui á mathematico per modum conſiderandi, & in ciuili ſcientia non eſſe optandum exactum explicandi genus, aliaque huius generis. Verum cum dicant, quid re vera ſit pædia, non patefaciunt. Primo enim errant; quia, quod eſt commune rebus conſideratis & modo, con-

Alia opinio.

Reiicitur ſecunda opinio.

Opinio tertia.

Reiicitur tertia opinio. trahunt ad modum: pædia enim conducit vtriſque, vt patebit. Præterea non manifeſtant, an pædia ſi habitus diſtinctus ab ea ſcientia vel arte, cuius eſt pædia, nec ne: & ſi eſt quid diſtinctum, non manifeſtant, cuius facultatis ſit hanc eruditionem, & pædiam pro ſcientiis tradere. Si inquiunt hoc eſſe munus logici, errant: non enim ad logicum pertinet terminos ſcientiis præſcribere, vel iudicare, quæ cauſſæ in ſingulis ſcientiis ſint conſiderandæ, ſed potius hoc eſt officium metaphyſici, & dialectici, qui in omnibus verſantur. Præterea Ariſtoteles in procem. moralium Nicomachiorum affirmat requiri pædiam in eo, qui auditurus eſt ciuilem ſcientiam, quæ cum non reperiatur in iuuene, infert iuuenem non eſſe idoneum auditorem eius, cuius rei afferens cauſſam inquit: *Quia actionum, quæ in hac vita verſantur, eſt imperitus: at ex his conſtat, & de his habetur hæc diſputatio inſuper, quia inſeruit ac obtemperat affectibus animi, &c.* At affectuum compoſitio, & peritia actionum vitæ non competit nobis per logicam; non igitur abſolute eius pædia competit munere logicæ: ſimiliter etiam mathematicæ ante logicam addiſcebantur. Et ob hanc cauſſam approbandam non cenſeo quorundam aliorum ſententiam, aſſerentium pædiæ nomine ab Ariſtotele denotari logicam particularem, hoc eſt, contractam ad ea, quæ ſunt propria particularium diſciplinarum, cuius mentionem facit Auer. in ſecundo metaphyſicæ, context. 15. in 4. metaphyſic. context. 1. in 2. Phyſic. 16 & clarius in primo Nicomachiorum cap 3. Nam multa ab Ariſtotele tribuuntur pædiæ, quæ vt patuit, ex logica depromi non poſſunt, nec vniuerſali, nec propria. Nec deſunt etiam nonnulli, qui dicunt ex Platonis ſententia in Gorgia: *artem coquinariam, & rhetoricam dici pædias,* ſed errant: non enim tunc Plato vtitur nomine pædiæ, ſed experientiæ, eaſque non pædias, ſed experientias appellat, vt notum eſt legentibus græca verba: de pædia autem alibi loquitur Plato, vt ex dicendis patebit.

Reiicitur quarta opin.

Quinta opin. reiicitur.

De pædia opinio propria. CAP. XIII.

Opinio propria

Quid pædia.

CVm de pædia cæterorum opiniones apprime dubiæ apparuerint, propterea dicendum cenſeo, pædiæ nomen eſſe ſatis commune, & denotare congruentem omnem inſtitutionem ad quamuis diſciplinam, conſurgentem ex variis, quæ addiſcendæ diſciplinæ conducunt. Hinc pædia dicitur ſumpto à pueris nomine, qui præſertim recta inſtitutione egent: & eſt nomen ab vno, quod denotat primo congruentem puerorum educationem, mox transfertur ad denotandam omnem rectam inſtitutionem pro quauis diſciplina comparanda. Hoc nos docet Plato

Digitized by Google

Plato.

Pædia nomen ab vno.

Plato in primo de legibus, necnon in principio ſecundi, quibus in locis veram pædiam illam eſſe affirmat, qua in vrbe pueri & adoleſcentes recte moribus inſtituuntur: qua Ariſtoteles in procemio Nicomachiorum egere iuuenes aſſeruit, vt reddantur congruentes auditores ciuilis ſcientiæ.

Quid pædia.

Eſt itaque pædia commune nomen, vniuerſe denotans omnem rectam inſtitutionem, cum ad diſciplinas, tum ad omne genus vitæ, quod recte ducere optamus: ideo Xenophon libros ſcripſit de pædia Cyri: quam rectam inſtitutionem non ex vno tantum, ſed ex variis ortum ducere conſpicuum eſt.

Vnde oriatur pædia.

Oritur enim nonnunquam ex congruente educatione, familiari adhortatione, rectaque aſſuetudine, qualis ea eſt, quæ neceſſaria eſt iuueni audituro ciuilem ſcientiam: quæ cum logica nullam habet connexionem. Inſuper oriri poteſt ex experientia, exercitatione, & vſu rerum, vt eadem pædia ad artes, & ad ciuilem ſcientiam nos parat. Similiter naturalis philoſophia experientiam expoſtulat, & pædia ad eam frequenter experientia acquiritur.

Explicatur locus in primo phyſicorum

Ideo Ariſtot. in 1. phyſicorum 71. dixit, veteres philoſophos ob inexperientiam non valuiſſe ſoluere difficultatem aduerſus generationem, quæ inexperientia eo loci male ab Auerroe dicitur inſcitia logicæ.

Reiicitur ſententia Auerrois.

Vt enim differt experientia à logica, ita inexperientia ab inſcitia logicæ: & præſertim, quia philoſophus in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 8. ſemetipſum declarat, cum inquit, *puerum non poſſe euadere phyſicum, quia principia phyſica experientia noſcuntur.*

Logica facit nos diſcipulos.

Inſuper oritur pædia ex logica; nam logica facit nos diſcipulos, hoc eſt, nos recte parat, variiſque modis aptos reddit ad cæteras diſciplinas: & hoc nedum facit logica, quæ de demonſtratione eſt, verum etiam ſophiſtica, quæ nos recte inſtituit, ne decipiamur ab aliis, ac inſuper dialectica locos nobis argumentandi, communeſque regulas tradens. Ex his conſtat, quod cæteri, qui pædiam contrahunt vel ad experientiam, vel ad logicam, vel ad notitiam ex remotis cauſſis, diminute eam explicant, ac pro toto partem accipiunt. Ideo Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, cap. 7. ait: *principia ſcientiarum ex variis colligi*; inquit enim: *rem autem ita eſſe, primum, & principium eſt: principiorum autem alia inductione percipiuntur, alia ſenſu, alia conſuetudine, alia aliter.* Ipſa autem prima noſtra erga principia congruens inſtitutio, pædia quædam eſt. Similiter etiam libri de hiſtoria animalium pædiæ loco inſeruiunt cæteris libris, in quibus exactius pertinentia ad animalia explicantur.

Et hæc ſatis de pædia vniuerſe ſumta.

Digitized by Google

De diuiſione & vſu pædiæ, ac inſuper diluuntur nonnulla dubia. CAP. XIV.

QVid ſit pædia, & quomodo ex variis ortum ducat, cumulate ſatis eſt declaratum. Reliquum eſt vt perpendamus, quotuplex ſit, quos vſus præbeat, ac nonnullas difficultates re-
Prima diuiſio pædiæ. moueamus. Vario modo diſtingui poteſt pædia: & primo pædia duplex ſtatui debet: vna interna, qua ratio appetitum inſtruit,
Secunda. altera externa, quæ diſtinctio colligitur ex Platone in primo & ſecundo de legibus. Inſuper pædia externa duplex eſt: vna communis omnium artium & ſcientiarum, qua præditi ſunt homines recte educati, inſtrumentariis diſciplinis muniti, ac in rebus ſingulis accurate verſati: altera propria variarum methodorum. Hanc diſtinctionem pateſecit Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, & primo de partibus animalium. Et ne ali-
Detegitur error Lambini. quis decipiatur, latere nos non debet, quod Lambinus latina reddens verba Ariſtotelis in primo moralium Nicom. cap. 3 manifeſte errauit, cum diſtinctionem hanc deprauauerit. Inquit eo loci Ariſtot. *De ſingulis rebus recte iudicabit is, qui de ſingulis pæ-*
Tertia. *diam habet, abſolute vero, qui eam habet de omnibus.* Loco eius, quod Ariſtot. inquit (ὁ περὶ πᾶν πεπαιδευμένος, hoc eſt, de omnibus pædiam habens) ipſe inquit, in omni doctrinæ genere verſatus, quaſi vniuerſa pædia expoſcat omne genus doctrinæ, & diſciplinæ, quod falſum eſt: non enim phyſica, & aliæ philoſophiæ inſpectricis partes, quæ doctrinæ ſunt, pædiam pariunt, ſed
Quarta. ſcientiam. His accedit, quod, ſi ea ſententia eſſet vera, tunc ad addiſcendas ſingulas diſciplinas, primo in ſingulis diſciplinis deberemus eſſe verſati, quod pugnantia includit, vt conſpicuum eſt. Inſuper diuidi poteſt pædia in proximam & remotam, nonnulla enim è longinquo, alia proximius nos parant ad ſcientiam
Epilogus diuiſionum. aliquam vel artem. Quarto pædia duplex eſt: quædam parans ad inſtitutionem vitæ, habituſque morales, qualis eſt congruens educatio, rectaque aſſuetudo: altera ad habitus ſcientia-
Vtilitas pædiæ duplex. rum, & artium. Demum pædia attinere poteſt, vel ad methodum
Prima. & ordinem ſeruandum in ſcientiis, quam per logicam aſſequi-
Secunda. mur, vel ad res de quibus in ſcientiis agitur, & ortum ducit ab experientia vel aſſuetudine. Addo quod pædia vel interna, vel externa eſt: ſi externa, vel dirigit ad inſtitutionem morum, vel ad doctrinam aliquam: ſi ad doctrinam, vel pertinet ad docentem, vel ad addiſcentem, & vtraque vel eſt communis, vel propria: ſi propria, vel remota, vel proxima: & demum, vel eſt inſtrumētorum, vel rerum, de quibus agitur. Vtilitas pædiæ multiplex
Prima dubitatio. eſt. Primo ea nobis inſeruit loco ſcientiæ & artis, dum illis caremus, non ſecus ac phantaſia iumentis & pueris pro mente inſeruiat,

Digitized by Google

uiat, vt dicitur in calce ſecundi de anima. Secundo vtilis eſt ad facile, cito, & recte apprehendēdas artes & ſcientias: & his conducit, tum ad apprehendenda & colligenda principia earum, tum, vt recte iudicemus, an diſciplina & ars congruente methodo accommodatiſque rationibus tradatur, tum, vt habitum artis vel ſciētiæ felicius acquiramus, tum demum, vt præceptis eius diſciplinæ magis obtemperemus. His explicatis tres occurrunt ſoluendæ difficultates. Prima eſt, quia oſtēdebatur pędiam eſſe experientiam, cum nec ſcientia nec ars dici poſſit: altera eſt, quoniam non videtur partem eius à logica poſſe ortum ducere, quia inquit Ariſt. hominem pædia præditum carere cauſa & ratione, at logicus rationē tradit. Vltima dubitatio eſt, num pædia inter habitus mentis numerari debeat. Primam diluens difficultatem dico pædiam non eſſe experientiam, ſed modum habitus, nonnunquā ex experientia prodeuntem, non tamen ſemper, vt pateſeci. Ratio, qua id oſtenditur, leuis eſt: tum quia pædia non ſemper dirigit ad cognitionē veri, ſed nonnunquam ad rectam vitæ inſtitutionem: tum, quia pædia nōnunquam ex arte inſtrumentaria pendet, vt ex logica: tum demum, quia verum iudicare, rectoque aſſentiri valemus, nedum per experientiam, ſed etiā munere rectæ aſſuetudinis, rectæ educationis & rationum dialecticarum. At inſtabatur ſecundo, id nō poſſe fieri munere logicæ, quæ cauſſas tradit, & eſt habitus exactus, non modus eius, vt pædia. Reſpondeo, logica poteſt dupliciter conſiderari: primo in ſe, ac ita rationibus vtitur: ſecundo, vt iuncta phyſicæ, vel alteri ſciētię ſiue arti, & tunc eſt ſine cauſa, quia id, quod in logica explicatur, à phyſico ſine vlla ratione vt notum præaccipitur, ſuoque inſtituto iungitur, & ideo hac conſideratione ſolum quia dicitur cognoſcere, vt euenit de omnibus, quæ ex vna in alteram diſciplinam transferuntur. His accedit, quod (vt dixi) non omnis pædia ex logica ſumitur. At dicet quis: hæc videntur aduerſari Ariſtoteli, qui in primo de partibus animalium ex translatione Theodori dixit. *Et pædia non niſi facultatem huius officii eſſe, iudicandi quidnam recte aut non recte ab eo, qui docet, exponitur, &c.* Officium igitur pædiæ eſt, ſolum iudicare quid recte exponatur: ego autem dixi eius officium eſſe etiā nos parare accommodatoſque reddere ad vſum & adeptionem habitus virtutum moralium. Reſpōdeo id, quod dixi (vt patuit) ſumſi ex Ariſtotele, neque nobis aduerſatur locus ex primo de partibus: tum quia ex eo quod iudicamus an recte doceat, etiam reddimur faciliores ad recipiendum habitum: tum inſuper, quia Theodorus vnum addit, quod nō dicitur ab Ariſtotele, cum dicat pædiam non niſi facultatem eſſe huius officii, id (non niſi) ab eo additur, non autem ab Ariſt. ponitur, hinc minus veram

Secunda.

Tertia.

Solutio prima.

Solutio ſecunda.

Dubitatio.

Solutio.

Error Theodori.

Digitized by Google

Solut. tertia diff.

reddit ſententiam philoſophi. Poſtrema dubitatio erat, an pædia ſit habitus mentis. Reſpõdeo, pædiam tribus præſertim modis conſiderari poſſe. Primo ratione diſciplinæ ex qua deſumitur, ac ita poteſt eſſe ꝓprie habitus: vt logica eſt habitus inſtrumentarius: poteſt etiam non eſſe habitus: vt patet de experientia, morali inſtitutione, & ſimilibus. Secundo conſideratur, vt eſt modus habitus contradiſtinctus à ſcientia vel arte illa, cuius eſt pædia: ac ita dicitur modus, hoc eſt: via & rudimentum habitus; & redigitur ad opinionem, quatenus eſt ſine cauſa. Tertio conſideratur, vt principium perfecti habitus incluſum in eo, illumque conſtituens: & ita redigitur ad habitum cuius eſt pædia, in eoque includitur, non ſecus ac diſpoſitio includitur in habitu, qui enim habet habitum, etiam eſt diſpoſitus: at nõ viceverſa, vt dicitur in prædicamento qualitatis. Demum pædia in docente magis eſt habitus, in addiſcente potius diſpoſitio: ex quo duo colligo; primo minus recte nonnullos viros doctos damnaſſe Alexandrum Aphrod. quia dixerat, *ſingulas ſcientias ſibi parare propria principia*: id aſſerunt eſſe falſum, quia experientia cognoſcuntur principia ſcientiarum, non autem per ſcientiam parantur. At errant; primo, quia principia non ſola experientia cognoſcuntur: inquit enim Ariſt. in 1. mor. Nicom. cap. 7. *Principiorum profecto alia inductione percipiuntur, alia ſenſu, alia conſuetudine, alia aliter, &c.* Secundo errant; quia experientia, ex qua colliguntur principia, conſideratur vt iuncta ſcientiæ vel arti, ac tanquam cruseius, vt dicebat Galenus in primi Aphor. explicatione. Colligo ſecundo, pædiam non debere numerari inter habitus, tanquam diſtinctam ab aliis, cum redigatur vel ad opinionem, vel ad ceteros habitus, vt conſpicuum eſt ex dictis. Ideo recte Ariſtoteles in primo de partibus animalium dixit, *in omni contemplandi genere duos apparere modos habitus*: indicans eos non conſtituere vere diſtinctos habitus, ſed eſſe modos duos attinentium ad vnum completum habitum vnius rei. Propterea Theodorum Gazam approbandum non cenſeo, qui latinum reddens illum locum dixit, duos eſſe habitus, cum hoc nec ſit verum, nec dicatur ab Ariſtotele: alioquin habitus eſſent longe plures, quam illi, qui in 6. mor. ... um Nicomachiorum fuerant enumerati.

Pædia triplex conſideratur.

Primum quod colligitur.

Alterum quod colligitur.

Non approbanda interpretatio Theodori.

De virtutibus mentis, de quarum ratione eſt. Vt ſemper recta & vera ſint. CAP. XV.

DEclaratis virtutibus mentis, quæ non ſemper ſunt ſui conditione rectæ vel veræ: de illis agendum modo occurrit, quæ ſui conditione ſunt rectæ vel veræ: & quinque in præcedentibus enumeratæ fuerunt, ſapientia, intelligentia, ſcientia,

Digitized by Google

ars & prudentia. De quibus hoc primo conſiderandum occurrit, quo pacto poſſint dici virtutes ſemper rectę & verę, cum variis obliquitatibus & erroribus inueniantur obnoxię. Nam ſi de humana ſapientia & ſcientia loquimur, in attinentibus ad eas plurimæ ſapientum virorum inueniuntur opiniones, quarum cum vna tantum poſſit eſſe vera, neceſſe eſt vt plurimæ ſint falſæ, & forte ea, quæ vera eſt, ab illis non fuit inuenta: quod aperte patet, & experientia compertum eſt, frequenter enim veritas, quæ ſuperna releuatione nobis refulget, à nullo philoſophorum conſpecta fuit. Redditur adhuc obſcurior difficultas, perpendendo attinentia ad artes & prudentiam: cum enim ars & prudentia in re fluxili inconſtantique verſentur, eſt neceſſe vt illæ quoque multis varietatibus, obliquitatibus, & erroribus obnoxiæ ſint. Reſpondent huic difficultati nonnulli viri docti, & inquiunt prudentiā & artem dupliciter poſſe conſiderari: primo ex parte materiei, in qua verſantur, ac ita inconſtantiæ, varietati, & errori ſunt obnoxiæ: ſecundo ex parte enuntiationum & regularum, quæ de illis formantur, ac ita ſemper ſunt veræ & rectæ. Hæc ſolutio dubia videtur, quoniam enuntiatio reſpondet rei, ac vt res ſe habent ad eſſe & non eſſe, ita enuntiationes ad veritatem, quare ſi rei natura eſt inconſtans & mutabilis, veritas quoque enuntiationum inconſtans erit. Præterea per hoc non ſoluitur dubitatio de ſapientia, & ſcientia. Dicamus igitur enuntiationes, regulas, & definitiones debere intelligi per ſe, nam ita veræ ſunt, ex euentu autem nulla eſt regula & definitio, quæ non poſſit videri falſa. Sapientia itaque vt ſapientia, & ſcientia vt ſcientia, vera eſt: ſi autem à vero deflectit, nec ſcientia, ſed inſcitia, nec ſapientia, ſed inſipientia dici debet. Id ipſum quoque de prudentia & arte dicendum eſt: nam prudens nō errat vt prudens, pariter artifex vt artifex, quod ſi frequenter errare videntur, id euenit, vel quia artifex vt vir prauus perperam vtitur arte, vel quia ſunt imprudentes & ignari artis: ideo recte dixit Ariſtotel. *has virtutes ſemper eſſe veras ac rectas*; recte etiam affirmauit Plato *nullum artificem errare*. Inſuper conſiderandum eſt, in artibus & prudentia duo reperiri, vnum eſt officium artificis, virique prudentis, alterum eſt finis, & exitus: rectum in primo conſideratur, non in altero: officium eſt Medici ea facere, quæ ſanitati conducunt, & ab eo fieri poſſunt, vt etiam officium eſt viri prudentis ſua conſultatione ea præferre ac præeligere, quæ ad optatum finem præſertim conducunt: in his rectū ſemper ſeruat artifex & prudens: quod ſi finem non aſſequuntur, non eis dandum eſt vitio, ſed variis ad aſſequendum finē requiſitis, quæ in eorum facultate non ſunt poſita: vt enim munus eſt ſutoris ex datis pellibus calceum conficere, quam fieri po-

Quomodo virtutes rationis ſemper vera vel recta ſint.

Solutio quorundam.

Reiectio.

Solutio propria.

Differt officium à fine.

Cur dicatur medicum debere eſſe fortunatum.

Digitized by Google

teſt accommodatiſſimũ, ita officium eſt viri prudentis, oblata oportunitate ea agere quæ rectæ rationi agibilium ſunt cõſentanea. Hinc virorum æque prudentum nonnullos fortunatos, alios infortunatos dicimus ob ea, quæ in facultate eorum collocata non ſunt. Ideo Gal. in quinto de locis affectis aſſeruit, *medicum debere eſſe fortunatum, quod requiritur, non ob pertinentia ad artem, ſed ob extrinſecus conſpirantia ad exitum*. Ac ita etiam de illis, quæ inconſtãtia & fluxilia ſunt, formari poſſunt regulæ veræ & rectæ, quatenus recta ratione decernimus, id maxime cõducere pro adeptione finis, quæ regulæ ſunt veræ, & ratione enuntiationis, & ratione rei de qua formantur, at ex euentu poteſt contingere, vt minime conducant pro adeptione finis.

Ordo naturæ ac præſtantiæ, nec non ordo neceſſitatis virtutum mentis. CAP. XVI.

Virtus neceſſitate prima eſt ars.

ORdo ratione variorum varius eſt, vt autem noſtro inſtituto inſeruit, virtutum mentis duplex eſt ordo: vnus dignitatis, qui etiam vere eſt ordo naturæ, alter eſt ordo neceſſitatis, frequenter enim euenit vt illa, quæ ſunt neceſſitate prima, ſint nobilitate & dignitate poſtrema. Primæ neceſſitate ſunt artes, illæ enim ſuccurrunt humanæ neceſſitati, & ob humanam imbecillitatem paratæ ſunt: ideo hæ requiruntur pro eſſe, ceteræ autem virtutes potius pro bene eſſe. Proxime arti ſuccedit prudentia, quæ eadem eſt cum ciuili diſciplina, ſine qua homines vel diſſipati lacerarentur à feris, vel congregati mutuo ſe deſtruerent. Hinc hæ primo paratæ, hominumque ingenio primo inuentæ fuerunt, & ob earum neceſſitatẽ iumentis & feris veſtigia quædam earum per naturam inſerta animaduertuntur: nam animalia varia hominibus varias artes indicaſſe dicuntur, vt araneus artem texendi, hirundo & veſpæ ædificandi, ſimiliter de ceteris. Ita imago prudentiæ & ciuilitatis in formicis, apibus, & gruibus refulget: & nulla in nuper inuentis inſulis reperta eſt gens adeo fera & barbara, quæ aliqua arte ſibi parare neceſſaria, & aliqua ciuilitatis vmbra ſuam vitam formare viſa non ſit. Ex aduerſo, artes dignitate ceteris cedunt, cum artes ſolum quærant vtile, prudentia honeſtum, ceteræ virtutes verũ contemplatibile: prudentia autem medium dignitatis locum ſibi optat: virtutes aliæ, quæ contemplationi incumbunt, ſunt principes, regiæ, & dominæ omnium, vt in comparatione earum latiſſime patebit. Facta autem comparatione inter eas non facile cõſtat, quæ earum principatum obtineat. Nonnulli primum locum ſapientiæ tribuunt. Ratio eſt, quia ſapientia ex intelligentia & ſcientiã conflata eſt, propterea includit dignitatem vtriuſque, totum autem ſuis partibus eſt præferendum: ideo ſapientia regina omnium nuncu-

Arti ſuccedit prudentia.

Artes dignitate poſtrema.

Opinio aliorum.

Euerſio.

Digitized by Google

nuncupatur, & dicitur ſcientia capite prædita, vniuerſum autem corpus ſuo capiti perfectione præfertur. Hanc ſententiã minime veram cenſeo: dum enim virtutes variæ inter ſe comparantur, ſemper id inſpicere & conſiderare debemus, quod eſt proprium ſingularum, vnaquæque enim virtus propriũ aliquid includit, per quod a ceteris diſtinguitur, & in eo poſita eſt propria dignitas eius: At νοῦς, quæ mens ſiue intelligentia dicitur, hoc ſibi proprium habet, vt nullo egeat, ab alio lucem non recipiat, ſapientia autem proxime ex intelligentia pendet, ab ea lumen & perfectionem recipit: mens itaque ſiue intelligentia principatum obtinet. Hoc declarauit Ariſtoteles in primo poſt. loquẽs de cognitione principiorum demonſtrationis, inquiens: *Propter quod vnumquodque, & illud magis eſt.* Et in prima philoſophia dixit: *primum eſſe illud, per quod aliis conuenit vniuocatio*, huiuſmodi autem conditio & dignitas ſoli competit intelligẽtiæ, quæ primorum principiorum eſt inſpectio, & ob id ea prima principia dignitatum nomine honeſtantur. Nec difficile eſt aduerſæ rationi reſpondere. Dicebatur totum dignitate præferri partibus. Primo dico id non eſſe verum, dum vniuerſa perfectio totius ex parte prodit, nam tunc illi parti nobiliori modo conuenit perfectio quàm toti: parti enim cõuenit ratione propria, toti vero, vt pendet ex parte: ita formæ nobiliori modo conuenit perfectio quam compoſitio, & eſt ea, quæ per nomen primo ſignificatur, vt dicitur in octauo metaphyſ. cont. 7. Addo ſecundo, dum inter ſe comparantur intelligentia & ſapientia, id conſiderare debemus, quod vtriuſque eſt proprium, ac vni competit, vt contradiſtinguitur ab altero: proprium intelligentiæ eſt cognitio primorum principiorum, proprium ſapientiæ eſt cognitio concluſionis proxime pendentis ex primis principiis: cognitio prima proculdubio ſecundæ cognitioni præfertur, & ideo ꝓprium intelligentiæ præfertur proprio ſapientiæ. Seruans igitur ordinem dignitatis, agam primo de intelligentia, ſecundo de ſapientia, tertio de ſcientia, quarto de prudentia, vltimo de arte.

Opinio propria.

Mens præfertur ſapientiæ.

Diluitur aduerſa ratio.

De intelligentia, an ſit, & quid ſit.
Cap. XVII.

QVemadmodum ὄψις, viſus nempe, & pro facultate vidẽdi, & pro eius actione vſurpatur: ita νοῦς ſiue mens, quæ per metaphoram dicitur oculus animæ, vt inquit Ariſtoteles in primo moraliũ Nicomachiorum nedum immortalem animæ facultatem ſignificat, verum etiam primam eius actionem, quæ eſt apprehenſio primorum principiorum, & iure optimo profecto: hæc enim prima mentis actio ad ceteras eius virtutes ſe habet, perinde ac mens ad vniuerſam animam, & ceteræ virtutes

Mens oculus animæ.

Dari habitum, qui mens dicitur.

Digitized by Google

ab hac ſeiunctæ, re vera dici poſſunt luce, oculo, menteque deſtitutæ. Quod homini competere debeat primorum principiorum cognitio, conſpicuum eſt: niſi enim ei competeret, nullius ſcientiam aſſequi poſſet, nil enim ſcimus ignoratis primis. Inſuper homo nõ eſſet rationis particeps: omnis enim ratiocinatio expoſcit prænotionem alicuius definiti principii, per quod in notitiã cęterorum perducamur. Præterea natura nil fruſtra facit, nec tribuit animanti partem animæ ſine facultate iudicandi ſuum obiectum. Homo per naturã vel potius Dei munere præditus eſt mente, cui primo tanquam obiecta reſpondent prima principia: ne igitur ſit mens penitus amens, cogimur fateri eſſe natam competere homini hanc virtutem, quæ ſit cognitio primorum principiorum, quæ νοῦς ſiue intelligẽtia, nomine facultatis nuncupatur. De hac virtute exponi debet Ariſt. in 1 poſter. cap. 3. dum hæc verba protulit Hæc igitur ita dicimus, & nedum ſcientiam eſſe, verum inſuper principium quoddam ſcientiæ, quo terminos cognoſcimus. Per principium ſcientiæ nõ denotauit facultatem animæ, vt quidam male cenſent, non enim de partibus animæ ibi ſermo eſt: ſed denotauit hanc virtutem, quæ νοῦς ſiue intelligentia dicitur, quæ nedum eſt ſciẽtia, ſed eſt principium ſcientię, hoc eſt, per quã nedum principia dicimur ſcire, verum aſſerimus cognitionem eorum eſſe eminentiorem ſcientia, & eſſe principium ſciẽtiæ, quæ per demonſtrationem acquiritur: quo principio ſcientiæ cognoſcimus terminos, non quidem ideas, vel rationes ideis reſpõdentes (vt nõnulli græcorũ aiunt) nec terminos, hoc eſt, dictiones ex quib. cõſtant enunciationes (vt latinorum multi exponũt) ſed terminos, hoc eſt, prima principia demõſtrationum, quæ cum ſint ſuprema, termini ſunt. Ita ſe declarauit Ariſt. in 6. moral. Nicom. c. 8. inquiens: *mens eorum terminorum eſt, quorum ratio afferri non poteſt.* Et clarius c. 11. dum ait: *mens ad demonſtrationem pertinens, immobilium & primorum terminorũ eſt.* Per terminos igitur denotat Ariſt. prima principia, quæ cum ſint prima, dicuntur ſtare, nuncupãtur termini, & principium ſciẽtiæ. Ex his definitionem intelligentiæ colligere valemus, quæ talis erit: νοῦς ſiue intelligentia, eſt habitus humanæ mẽtis, quo perinde ac oculo prima cũ actionũ, tum contemplationis principia intuemur: vtor oculi metaphora, qua vtitur Ariſt. in 6 moral. Nicom. c 11. clarioris explicationis gratia, ac vt inde appareat, ea ſine medio ac demõſtratione cognoſci: neque abſurdum in circumſcriptionibus & præcipue ciuilibus vti metaphora.

Exponitur Ariſtoteles in primo poſteriorum.

Definitio mentis.

Diuiſio mentis, ſiue intelligentiæ. CAP. XVIII.

VErſatur ea virtus, quæ mens dicitur, in cognitione primorum principiorum, quæ cum ſint duplicia, complexa ſcilicet

licet & incomplexa, vtrorumque cognitio ad mẽtem pertinet, vt recte Themiſtius aſſeruit, & iure profecto: ambo enim ab homine per intellectum ſine demonſtratione percipiuntur, amboque ſunt principia cognitionis aliorũ, & cum eorum cognitio ad virtutem aliquam intellectus debeat pertinere, & non pertineat ad ceteras, neceſſe eſt fateri ad mentem ſiue intelligẽtiam pertinere. Primum principium complexum non debet iudicari illud, quod primum ſtatuitur ab Antonio Andrea, viro acutiſſimo, 4. metaphyſ. quæſt. 5. nempe ens eſt ens, nam ea enuntiatio, in qua idem de ſe ipſo dicitur, à ſcientiis tanquam nugax & ſuperuacanea reiicitur. Hinc Ariſtoteles in tertio de anima, 21. agens de ſecunda operatione intellectus, quæ eſt compoſitio, ait ea componi, quæ ex ſe quodam modo ſeparata ſunt: inſuper ea non eſt talis, vt in illam ceteræ enuntiationes reſoluantur. Propterea dicendum puto, principium complexum poſſe dici primum duplici ratione: vel quia ſit ſimpliciſſimum, ſi de re ſua natura notiſſima & prima, quale eſt hoc, Deus eſt: vel quia ſit communiſſimum, in quod cetera principia reſoluantur, & per quod ducendo ad conſpicue abſurda demonſtrentur. Huiuſmodi autem ſunt hæc duo maxime iuncta & complicata. Quorum primum eſt (*de nullo ſimul vera eſt affirmatio & negatio*) cuius oppoſitum manifeſtiſſime eſt falſum, & propterea ab Ariſtotele iure primum eſt conſtitutum. Alterum eſt (de quauis re vera eſt affirmatio vel negatio) hæ enuntiationes ſunt maxime communes, tum ratione ſubiecti, tum ratione prædicati, quæ communiſſima ſunt, tum demum ratione affirmationis & negationis, quæ ſunt primæ differentiæ enuntiationis. Altera ex parte, ſi de ſimplicibus vocibus loquimur, primi ac ſimpliciſſimi termini ſunt eſſentiæ rerum, quæ 8. metaphyſ. context. 10. tanquam numeri eſſe dicuntur: ad quas acies noſtræ mentis perinde ſe habet, ac oculus noctuæ ad lumen ſolis, vt ſub initio ſecundi metaphyſ. aſſeritur. Huiuſmodi ſimplices termini, vel ſunt confuſi, vel diſtincti: inter ea, quæ confuſa ſunt, primum eſt ens, inter diſtincta Deus. Ens enim cum ſit aliquid ab vno in omnibus gradibus varium, non poteſt diſtincte noſci non cognitis gradibus eius, & dum ſeorſum ab eis mente concipitur, confuſiſſime noſcitur: (quicquid hac de re ſentiat Scotus, qui inquit, *ens ſolum diſtincte cognoſci poſſe*,) eſſentiæ rerum explicantur per definitiones, quæ ratione rei explicatæ ſimplices ſunt, ratione autem vocum explicantium ſunt complicatæ & complexæ, rectius tamen ad principia ſimplicia & incomplexa rediguntur, quam ad complexa: ideo non dicunt rem eſſe vel non eſſe, ſed tantam rei eſſentiam nobis diſtincte offerunt, quam nomen confuſe, & ſine diſtinctione ſignificat. Diuiditur itaque primo hæc virtus,

Primũ principium complexum.

Simplicia principia.

Contra Scotum.

Prima diuiſio mentis.

quæ νοῦς ſiue mens dicitur, in ſimplicem & complexam: ſimplex eſt prior & pertinet ad primam actionem intellectus: complexa poſterior, & ad ſecundam eius actionem pertinet. Diuiditur ſecundo, quia principia vel ſunt abſolute prima, vel ſolum prima in aliqua determinata ſcientia, vt in mathematica & phyſica. Principia abſolute prima pertinent ad ſubiectum, affectionem, & ſcientiam abſolute primam, huiuſmodi ſunt principia metaphyſicæ. Vere, proprie & abſolute mens ea dicitur, quæ in abſolute primis verſatur; hinc ſola metaphyſica inter humanas ſcientias dicitur ſapientia capite prædita, conflata ex ſcientia & mente. Abſolute autem & penitus vera & pura mens refulget in ſacra Theologia, nam ea, quæ Dei munere nobis ſunt reuelata, lumina ſunt repellentia humanam inſcitiam, ceteraque omnia illuſtrantia: propterea eorum apprehenſio cenſeri debet mens abſolutiſſima, qua ſola abſolute ſapimus. Cognitio autem principiorum ceterarum ſcientiarum, quæ metaphyſicæ ſubiiciuntur, abſolute mens iudicari non debet, ſed aſſerendũ eſt ea principia dupliciter poſſe conſiderari: primo abſolute ſiue per relationem ad ſuperiorem ſcientiam, ac ita prima non ſunt, pẽdent enim ex aliis, cognoſcuntur per alia, & propterea non ad mentem, ſed ad alios habitus eorũ cognitio redigitur: ſecundo conſiderantur in ea ſcientia, cuius ſunt principia, in qua cũ ſint prima, aliqua ratione ad mentem pertinent, cum tamen non ſint abſolute prima, nec ſapiẽtiam conſtituunt, nec abſolute nomine mentis honeſtantur. At oritur dubitatio, quia etiam in phyſica inueniuntur nonnulla principia, quæ abſolute prima ſunt, nec per alia noſcuntur, vt motum eſſe, ea quæ ſunt eſſe multa: in mathematicis inueniuntur puncta, vnitates, eorumque definitiones: quare eorum quoque cognitio proprie, & abſolute mẽs erit. Reſpondeo, dum verſamur in ſcientiis, ea cenſeri debẽt abſolute prima, ex quibus tanquam ex cauſſis cetera pendent & quoad eſſe & quoad cognitionem, ſcire enim eſt rei cauſſam cognoſcere: de principiis particularium ſcientiarum non ſic ſe habet, ea enim vel non ſunt cauſſæ, ſed res effectæ ſenſu notæ, vel ſunt accidentia pendentia ex ſubſtantia, & propterea nec ſapientiam parere valent, nec exacte cognoſci; niſi per alia. Tertia diuiſio mentis eſt, quod principia, in quibus ea verſatur, vel dirigunt ad actionem, & officio mentis funguntur in attinentibus ad prudentiam, vel ſunt principia demonſtrationis, & ſcientiæ. Si fuerint principia demonſtrationis, ea ſunt abſolute prima, nec valent ſecus ſe habere: ſi autem dirigunt ad actionem, ea ſunt duplicia: vel enim ſunt communia principia ad actionem dirigentia, ex ſe conſpicua, ſiue ex ſingularibus collecta, ac ita Ariſtotel. in calce ſecundi poſteriorum communia prin-

Secunda diuiſio.

Abſolutiſſima mens.

Dubitatio.

Solutio.

Tertia diuiſio.

principia ad mentis habitum pertinentia, vel ad veri notitiam, vel ad operationē dirigere aſſeruit, vel ſunt ipſamet ſingularia, ad quæ pertinet, vel in quibus verſatur actio, dirigentia rationē, conſultationem & actionem noſtram; quæ dum formatur ratio practica, ſumuntur pro minori enũtiatione, vel ex eis ſaltem minor enuntiatio elicitur: veluti ſi dixero, omne quod vitæ periculum ſine honore affert, eſt vitandum; noctu vagari affert vitæ periculum ſine honore, igitur vitandum. Hæc minor propoſitio inductione ex variis ſingularibus euentis elicitur, quorum cognitio mens practica nuncupatur: nonnunquam autem ipſummet ſingulare pro minori propoſitione accipitur: vt ſi dixero, viro ciuili in magiſtratu conſtituto ſalus patriæ maxime debet eſſe curæ, ego ſum vir ciuilis, ſum in magiſtratu conſtitutus, maxime igitur de ſalute patriæ teneor eſſe ſolicitus. Vtraque cognitio, cum maioris enuntiationis dirigentis, tum ſingularium, nomine mentis deſignatur, non enim ad aliũ habitum pertinere poſſunt: dum tamen ſumitur mens practica pertinens ad prudentiam, vt contradiſtincta à mente theorica, ea ſingularium eſſe dicitur, quia in ſingularibus verſantur actiones, & maxime cognitio earum, quæ circumſtantiæ dicuntur, actionem dirigit, & mentis practicæ nomine deſignari meretur. Ac ita cenſeo explicandum eſſe locum in 6. mor. Nic. in calce cap. 11. vbi hæc leguntur verba: *Et mens extremorum eſt in vtramque partem,* (hoc eſt, ex parte primi abſolute, & ex parte vltimi) *eſt enim mens & primorum terminorum, & extremorum, quorum non eſt ratio, ac ea mens, quæ ad demonſtrationem pertinet, eſt immobilium, & primorum terminorum. Altera autem, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis,* (nempe minoris) *ſunt enim principia eius gratia, nam ex ſingularibus vniuerſale colligitur, eorum autem nos oportet habere ſenſum. ſenſus autem ille eſt mẽs, &c.*

Explicatur locus ſexti moralium.

Hæc Ariſtot. ex quibus varia colligere valemus. Colligo primo, perperam viros nõnullos eruditos illum locum exponere; nam præter cetera inquiunt. Dum Ariſt. ait: *altera autem, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis:* Alterius propoſitionis (inquiunt illi) hoc eſt, dirigentis ad actionem, contradiſtinctæ à principio contemplationis, at minus recte. Dum enim abſolute dicimus ad vnam vel ad alteram argumentationis propoſitionem attinere, maior & minor propoſitio denotantur. Præterea, quod pertinet ad maiorem, eſt firmum & conſtans, varietas eſt in eo, quod ad minorem pertinet: & Ariſt. inquit (quod ſecus ſe habere poteſt.) Inſuper in ratione practica cuncta ad minorem vt ad finē, & ad id quod dirigi debet, ordinãtur, Ariſt. inquit: *hæc enim principia ſunt eius cuius gratia,* hoc eſt, huiuſmodi ſingularium cognitiones, quę mentes di-

Primũ quod colligitur.

Error quorundam.

cuntur, ſunt principia eius cuius gratia, id autem, cuius gratia ratiocinamur, in minori propoſitione reperitur: nam perperam (vt cenſeo) Lambinus eo in loco dixit: *Hac enim pronuntiatorum genera, &c.* Demum, ſi Ariſtoteles per propoſitionem alterã denotaſſet, non minorem, ſed contradiſtinctam a principio contemplationis; redundans fuiſſet: dixit enim, *altera autem mens, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis, &c.* Si denotaret, quod eſſet alterius propoſitionis, nempe pertinentis ad actionem, eſſet idem ac ſi diceret, mens pertinẽs ad actionem eſt eius, quod pertinet ad actionem. Significauit itaque Ariſtoteles per alteram propoſitionem illã, quæ minor dicitur, quæ ſumit aliquid ſenſu notum, vel ex ſenſu conſpicuis collectum, & eſt id cuius gratia ratiocinamur, vt patefeci. Colligo ſecundo ex illis verbis, etiam cognitionem ſingularium dirigentium ad actionem ab Ariſtotele mentem dici, mentem inquam practicam, & mentem dirigentem actiones contradiſtinctam a theorica. Colligo tertio ex ſententia Ariſt. intellectum hominis ſingularia cognoſcere, & nedum cognoſcere, verum inſuper ea cognoſcere primo. Nam loquitur philoſophus de mente, quæ eſt habitus intellectus & virtus rationis, & cognitionem ſingularium aſſerit eſſe eius partem; & cum id oſtendat ex eo, quia vniuerſale ex ſingularibus colligitur, indicat mentem illam, hoc eſt, cognitionem eam ſingularium, primo intellectui competere. Demum conſiderãdum, quod vt cognitio ſingularium dirigentium ad actionem, quæ principii loco prudentiæ inſeruiunt, ab Ariſt. νοῦς ſiue mens dicitur; ita cognitio ſingularium dirigentium ad effectionem, artique famulãtium, non ad aliam rationis virtutem, quam ad mentem redigi poſſe videtur: adeo vt ſit mens quædam artis, & effectionum, vt aliæ ſunt actionis, vel contemplationis.

Alterũ, quod colligitur.

Tertium intellectus cognoſcit, & primo cognoſcit ſingularia.

Nonnulla ex dictis emergentes difficultates proponuntur & diluuntur. CAP. XIX.

EX dictis, præter ceteras, tres difficultates emergunt, quæ ſolutionem expoſcunt. Prima eſt, quis ſit ille ſenſus, quo proprie ea ſingularia percipimus, quorum notitia mox mentẽ conſtituit: Secunda eſt, num in contemplatione cognitio ſingularium, ex quibus vniuerſalia colligimus, debeat nũcupari mens. Poſtrema, quia Ariſt. ſibi conſtare non videtur; inquit cap. 11. 6. lib. moralium Nicomach. *cognitionem ſingularium dici mentem*, at cap. 8. dixit oppoſitum: aſſeruit enim id quod ſub actionem cadit, *eſſe extremum, & opponi menti, quia mens terminorum eſt, quorum non eſt ratio: prudentia autem eſt extremi, cuius non eſt ſcientia,*

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

ſed

ſed ſenſus, &c. Primæ difficultati reſpondere videtur Ariſt. in 6. moralium Nicomachiorum cap. 8. inquiens: *ſingularium, in quibus verſatur actio, non ſcientia ſed ſenſus eſt, non qui propriorum, ſed qualis eſt ille, quo ſentimus quod hoc, quod in Mathematicis eſt vltimum, ſit triangulus, nam in eo quoque eſt ſtatus. Verumtamen prudentia magis eſt ſenſus, eius autem* (nempe ſingularis trianguli) *altera eſt ſpecies, &c.* Verba ſunt breuia & obſcura: ex eis tamen vnum manifeſte elicimus, quod dixi in capit. præcedente; *mentem ſcilicet eſſe etiam eius vltimi, quod ad minorem propoſitionem pertinet: vt in Mathematicis quoque, pro minori poſitione accipimus, quod hic, qui in ſemicirculo, ſit triangulus*; vt conſtat ex 1. capit. 1. poſter. Quod autem pertinet ad propoſitam difficultatem, conſiderandum ex ſententia Ariſtotelis, in ſecundo de anima, ſenſilia eſſe trium generum, quædam per ſe & propria, vt colores, alia per ſe & communia, vt motus, quies, numerus, magnitudo, & figuras, nonnulla demum ex accidenti, vt Alcibiades, & ceteræ in diuiduæ ſubſtantiæ: & inde prodeunt tria iudicia ſenſuum. Hæc ſenſilia percipiuntur primo à ſenſu externo, ſecundo à communi, tertio à phantaſia proxime inſeruiente intellectui. Mathematicus, dum ad ſingularem triangulum, vel lineam deſcendit, verſatur non in ſenſili proprio, ſed communi, iuncto non materiei ſenſili, ſed intelligibili, vt ex Ariſtotele colligitur ſeptimo Metaphyſ. 35. & vtitur tunc Mathematicus non quidem externo ſenſu, nec ſenſu communi (quoniam hi ſolum operantur præſentibus ſenſilibus externis, & nil percipiunt, quod non ſit iunctum cum ſenſilibus propriis, à quibus abſtrahit Mathematicus) ſed vtitur phantaſia, quæ dicitur motus factus à ſenſu, qui actu eſt. Hinc errant nonnulli dicentes Ariſtotel. in eo ſexto moralium per ea verba; qualis eſt ille ſenſus, quo ſentimus quod hoc, quod in Mathematicis eſt vltimum, ſit triangulus, denotaſſe ſenſum communem: nam phantaſiam denotauit. Prudentia dum deſcendit ad ſingula, in quibus verſatur actio, dicitur verſari in variis ſenſilib. nam verſatur in ſenſili ex accidẽti, iuncto tamen cum ſenſilibus propriis, quatenus verſatur in ſingulis hominibus, inſuper verſatur in ſenſilibus communibus conſiderans circumſtantias, non eas ſecernens à propriis: & id facere poteſt ſenſu externo, communi, & phantaſia; proxime tamen id efficit phantaſia: & quia non abſtrahit à ſenſilibus propriis, vt Mathematicus, ideo Ariſt. dixit: *prudentia magis eſt ſenſus*: his accedit, quod Mathematicus magis verſatur in vniuerſalibus. Ex his conſtat ſolutio primæ difficultatis: nam ſenſus prudentiæ eſt ſenſilium vel ex accidenti vel communium, iunctorum cum propriis, proxime per phantaſiam oblatorum menti: ſingularium autem Mathematicorum

Solutio primæ difficultatis.

Explicatur locus in 6. mor Nic.

Senſilia trium generum per ſe & per accidens: per ſe, vel propria, vel communia.

Error quorundam.

Digitized by Google

Quid ſit vere ſapere.

de qua dixit Plato in Epinomide, *dubitandum non eſſe, quin bonus vir ſapiens ſit dicendus:* ideo viro ſapienti maxime propriam iudicauit *religionem, pietatemque in Deum, nam hæ ad ſublimia nos eleuant.* Vere autem ſapere dicuntur, qui heroica quadam prudentia, neglectis terrenis, cœleſtia quærunt: de qua ſapientia recte dicunt Theologi: *Initium ſapientiæ eſt timor Dei.* Et quoniam prudentiæ nomen ad vmbram eius nonnunquam extenditur, & de calliditate & aſtutia dicitur, ideo ſapientiæ quoque nomen viris callidis & aſtutis, vt Vlyſſi & ſimilibus, ab Homero & aliis viris doctis nonnunquam tribuitur: in qua ſignificatione Diuus Hieronymus in explicatione veteris teſtamenti dixit: *Erat ibi ſerpens ſapientior omni beſtia:* ita apud græcos φρονεῖν, & ſapere & prudentem eſſe ſignificat. Si vero ſapientia in parte ſumta refertur ad effectionem: hac conſideratione quicunque in aliqua arte ceteris præſtiterunt, & culmen eius attigerunt: ſapientis cognomine, non quidem abſolute, ſed cum contractione artis denominati fuerunt: ac ita fuere dicti ſapientes Medici, vt Æſculapius, & Hippocrates; ſapientes fabri lignarii, vt Dędalus, de quibus Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum c. 7. inquit: *Sapientiam in artibus iis attribuimus, qui cuiuſque artis ſunt peritiſſimi, vt Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem, Polycletum, ſapientem ſtatuarium dicimus, &c.* Ita quoque extenditur ad rhetores & dialecticos. Ex aduerſo, ſi ſapientia in parte ſumta refertur ad cognitionem veri, quicunque in aliqua particulari ſcientia maxime fulſerunt, fulgor ille ac præſtantia ſapientiæ nomine honeſtatur: Ita Thales Mileſius dictus eſt ſapiens phyſicus, aliis ſapientes Aſtronomi, vel Arithmetici, vel Geometræ fuerunt nũcupati. Ex his demum conſurgere poteſt ſapientia vere vniuerſa, vere ex illuſtrioribus ſplendoribus conflata: & erit ea, per quã homo, vt ei licet, redditur ſimilis Deo: per quam nedum ſublimia cognoſcit, verum inſuper ad eorum imitationem moderatur humana, in qua intelligentiæ, ſcientiæ & prudentiæ radii refulgent: per hanc altiſſimæ rerum cauſæ cognoſcuntur, & cuncta in congruentem finem diriguntur, cuius munere Androgynus Platonis reformatur, vere quadratus, vero omni ex parte perfectus, cum in attinentibus ad actionem, tum ad contemplationem. Et de hac præſertim verba facit Plato in appendice legum: dum oſtendit *Vere ſapientem illum dici, qui cum diuina ſpeculatus fuerit, recte de humanis ſapit, eaque congruenter moderatur.* Verum, cum tam late ſapientis nomen extendatur, ſapientia inſtituto noſtro inſeruiens, eſt mentis virtus, ſemper vera, quæ à ceteris contradiſtinguitur: propterea, ceteris prætermiſſis, de hac ſola breuibus verba faciam.

D. Hieronymus.

Androgynus Platonis.

Quid

Quid ſit ſapientia. CAP. XXI.

VEteres, qui rerum cognitioni nauarunt operam, quatenus nil ſupra phyſica corpora nouerunt, phyſici nuncupabantur: & quia præcipue in diuinorum corporum conſideratione verſabantur, dicti fuere Theologi; qui ſimul poetæ erant, vt Orpheus, Heſiodus & alii: mox hi omnes cœperunt nuncupari ſapientes. At cũ Pythagoras animaduertiſſet nomen illud hominis conditionem ſuperare, loquens cum Leonte Phliaſiorum principe, nomen ſapiẽtis in nomen philoſophi (hoc eſt, amatoris ſapientiæ) commutauit: dixit enim *ſi non ſapientem, ſed philoſophum eſſe*: quam ſentẽtiam Plato in calce Phædri commendauit inquiens: *cognomen ſapientis ſoli Deo conuenire, homines vero conuenientius nuncupari philoſophos.* Ariſtoteles agens de virtutibus mentis, eam nomine ſapientiæ appellat; quæ eſt cognitio communis & vniuerſa eorum, quæ ſunt, per altiſſimas cauſas, quæ etiam Metaphyſica nuncupatur, hoc eſt, poſt naturalia. Quod nomen ei conuenit primo ratione ordinis noſtræ cognitionis: nobis enim primo occurrũt phyſica, per quę ad diuina eleuamur. Secundo ratione rerum, de quibus agitur: nam primæ cauſſæ, res diuinæ, & ens vniuerſe ſumptum, ſupra res phyſicas collocantur, & rerum phyſicarum capita ac principia eſſe dicuntur. Nuncupatur Metaphyſica ab Ariſtotele ſapientia, prima ſcientia, prima philoſophia, abſolute philoſophia, methodus de primo principio: nam hæc eſt humana Theologia, quam philoſophi humanis viribus formare valuerunt. Eandem Plato, & cum eo Plotinus, ob eius acumen ac liberum indagandi & conſiderandi modum, dialecticam nuncuparunt; quam ſcientiarum apicem, vltimam abſolutionem, & culmen eſſe affirmarunt. Scio tamen aliquam inter dialecticam Platonis, & metaphyſicam Ariſtotelis eſſe differentiam, de qua alibi verba faciam. Huius ſapientiæ hæc eſt natura, vt ſit ſcientia capite prædita, hoc eſt, eleuata ad prima principia, cumque eis complicata: & inde prodeunt tredecim eius priuilegia. Primum eſt, vt ſola ſit libera, nulli ſubiecta. Altera, vt non ſit alterius gratia, ſed ceteræ ſcientiæ eius gratia. Tertia, vt ſibi ſola ſit ſatis. Quarta, vt altiſſime omnia ſciat. Quinta, vt tantum ſit veri gratia. Sexta, vt pariat ſcientiam procul ab omni ſuppoſitione, abſolute perfectam. Septima, vt ſit ſui natura prima & certiſſima, nobis vero poſtrema & obſcuriſſima. Octaua, vt ceteras omnes ſcientias & artes ſibi ſubiiciat. Nona, vt ſciẽtiis ceteris poſtremam adhibeat perfectionẽ. Decima, vt maxime docere valeat. Vndecima, vt maxime apta ſit imponere nomina rebus. Duodecima, vt ſit pſtantiſſima, maximeq; digna honore. Tertiadecima, vt nos ſummo

Phyſici, theologi, Poetæ.

Sapientes Philoſophi.

Metaphyſica & eius nomina.

Tredecim priuilegia ſapientiæ.

teſt accommodatiſſimū, ita officium eſt viri prudentis, poblata oportunitate ea agere quæ rectæ rationi agibilium ſunt cōſentanea. Hinc virorum æque prudentum nonnullos fortunatos, alios infortunatos dicimus ob ea, quæ in facultate eorum collocata non ſunt. Ideo Gal. in quinto de locis affectis aſſeruit, *medicum debere eſſe fortunatum, quod requiritur, non ob pertinentia ad artem, ſed ob extrinſecus conſpirantia ad exitum.* Ac ita etiam de illis, quæ inconſtātia & fluxilia ſunt, formari poſſunt regulæ veræ & rectæ, quatenus recta ratione decernimus, id maxime cōducere pro adeptione finis, quæ regulæ ſunt veræ, & ratione enuntiationis, & ratione rei de qua formantur, at ex euentu poteſt contingere, vt minime conducant pro adeptione finis.

Ordo naturæ ac præſtantia, nec non ordo neceſſitatis virtutum mentis. CAP. XVI.

Virtus neceſſitate prima eſt ars.

ORdo ratione variorum varius eſt, vt autem noſtro inſtituto inſeruit, virtutum mentis duplex eſt ordo: vnus dignitatis, qui etiam vere eſt ordo naturæ, alter eſt ordo neceſſitatis, frequenter enim euenit vt illa, quæ ſunt neceſſitate prima, ſint nobilitate & dignitate poſtrema. Primæ neceſſitate ſunt artes, illæ enim ſuccurrunt humanæ neceſſitati, & ob humanam imbecillitatem paratæ ſunt: ideo hæ requiruntur pro eſſe, ceteræ autem virtutes potius pro bene eſſe. Proxime arti ſuccedit prudentia, quæ eadem eſt cum ciuili diſciplina, ſine qua homines vel diſſipati lacerarentur à feris, vel congregati mutuo ſe deſtruerent. Hinc hæ primo paratæ, hominumque ingenio primo inuentæ fuerunt, & ob earum neceſſitatē iumentis & feris veſtigia quædam earum per naturam inſerta animaduertuntur: nam animalia varia hominibus varias artes indicaſſe dicuntur, vt araneus artem texendi, hirundo & veſpæ ædificandi, ſimiliter de ceteris. Ita imago prudentiæ & ciuilitatis in formicis, apibus, & gruibus refulget: & nulla in nuper inuentis inſulis reperta eſt gens adeo fera & barbara, quæ aliqua arte ſibi parare neceſſaria, & aliqua ciuilitatis vmbra ſuam vitam formare viſa non ſit. Ex aduerſo, artes dignitate ceteris cedunt, cum artes ſolum quærant vtile, prudentia honeſtum, ceteræ virtutes verū contemplatibile: prudentia autem medium dignitatis locum ſibi optat: virtutes aliæ, quæ contemplationi incumbunt, ſunt principes, regiæ, & dominæ omnium, vt in comparatione earum latiſſime patebit. Facta autem comparatione inter eas non facile cōſtat, quæ earum principatum obtineat. Nonnulli primum locum ſapientiæ tribuunt. Ratio eſt, quia ſapientia ex intelligentia & ſcientiā conflata eſt, propterea includit dignitatem vtriuſque, totum autem ſuis partibus eſt præferendum: ideo ſapientia regina omnium nuncu-

Arti ſuccedit prudentia.

Artes dignitate poſtrema.

Opinio aliorum.

Euerſio.

Digitized by Google

nuncupatur, & dicitur ſcientia capite prædita, vniuerſum autem corpus ſuo capiti perfectione præfertur. Hanc ſententiã minime veram cenſeo: dum enim virtutes variæ inter ſe comparantur, ſemper id inſpicere & conſiderare debemus, quod eſt proprium ſingularum, vnaquæque enim virtus propriũ aliquid includit, per quod a ceteris diſtinguitur, & in eo poſita eſt propria dignitas eius: At νοῦς, quæ mens ſiue intelligentia dicitur, hoc ſibi proprium habet, vt nullo egeat, ab alio lucem non recipiat, ſapientia autem proxime ex intelligentia pendet, ab ea lumen & perfectionem recipit: mens itaque ſiue intelligentia principatum obtinet. Hoc declarauit Ariſtoteles in primo poſt. loquẽs de cognitione principiorum demonſtrationis, inquiens: *Propter quod vnumquodque, & illud magis eſt.* Et in prima philoſophia dixit: *primum eſſe illud, per quod aliis conuenit vniuocatio*, huiuſmodi autem conditio & dignitas ſoli competit intelligẽtiæ, quæ primorum principiorum eſt inſpectio, & ob id ea prima principia dignitatum nomine honeſtantur. Nec difficile eſt aduerſæ rationi reſpondere. Dicebatur totum dignitate præferri partibus. Primo dico id non eſſe verum, dum vniuerſa perfectio totius ex parte prodit, nam tunc illi parti nobiliori modo conuenit perfectio quàm toti: parti enim cõuenit ratione propria, toti vero, vt pendet ex parte: ita formæ nobiliori modo conuenit perfectio quam compoſitio, & eſt ea, quæ per nomen primo ſignificatur, vt dicitur in octauo metaphyſ. cont. 7. Addo ſecundo, dum inter ſe comparantur intelligentia & ſapientia, id conſiderare debemus, quod vtriuſque eſt proprium, ac vni competit, vt contradiſtinguitur ab altero: proprium intelligentiæ eſt cognitio primorum principiorum, proprium ſapientiæ eſt cognitio concluſionis proxime pendentis ex primis principiis: cognitio prima proculdubio ſecundæ cognitioni præfertur, & ideo ꝓprium intelligentiæ præfertur proprio ſapientiæ. Seruans igitur ordinem dignitatis, agam primo de intelligentia, ſecundo de ſapientia, tertio de ſcientia, quarto de prudentia, vltimo de arte.

Opinio propria.

Mens præfertur ſapientiæ.

Diluitur aduerſa ratio.

De intelligentia, an ſit, & quid ſit.

CAP. XVII.

QVemadmodum ὄψις, viſus nempe, & pro facultate vidẽdi, & pro eius actione vſurpatur: ita νοῦς ſiue mens, quæ per metaphoram dicitur oculus animæ, vt inquit Ariſtoteles in primo moraliũ Nicomachiorum nedum immortalem animæ facultatem ſignificat, verum etiam primam eius actionem, quæ eſt apprehenſio primorum principiorum, & iure optimo profecto: hæc enim prima mentis actio ad ceteras eius virtutes ſe habet, perinde ac mens ad vniuerſam animam, & ceteræ virtutes

Mens oculus animæ.

Dari habitum, qui mens dicitur.

Digitized by Google

ab hac ſeiunctæ, re vera dici poſſunt luce, oculo, menteque deſtitutæ. Quod homini competere debeat primorum principiorum cognitio, conſpicuum eſt: niſi enim ei competeret, nullius ſcientiam aſſequi poſſet, nil enim ſcimus ignoratis primis. Inſuper homo nõ eſſet rationis particeps: omnis enim ratiocinatio expoſcit prænotionem alicuius definiti principii, per quod in notitiã ceterorum perducamur. Præterea natura nil fruſtra facit, nec tribuit animanti partem animæ ſine facultate iudicandi ſuum obiectum. Homo per naturã vel potius Dei munere præditus eſt mente, cui primo tanquam obiecta reſpondent prima principia: ne igitur ſit mens penitus amens, cogimur fateri eſſe natam competere homini hanc virtutem, quæ ſit cognitio primorum principiorum, quæ νοῦς ſiue intelligẽtia, nomine facultatis nuncupatur. De hac virtute exponi debet Ariſt. in 1 poſter. cap. 3. dum hæc verba protulit Hæc igitur ita dicimus, & nedum ſcientiam eſſe, verum inſuper principium quoddam ſcientiæ, quo terminos cognoſcimus. Per principium ſcientiæ nõ denotauit facultatem animæ, vt quidam male cenſent, non enim de partibus animæ ibi ſermo eſt: ſed denotauit hanc virtutem, quæ νοῦς ſiue intelligentia dicitur, quæ nedum eſt ſciẽtia, ſed eſt principium ſcientię, hoc eſt, per quã nedum principia dicimur ſcire, verum aſſerimus cognitionem eorum eſſe eminentiorem ſcientia, & eſſe principium ſciẽtiæ, quæ per demonſtrationem acquirit: quo principio ſcientiæ cognoſcimus terminos, non quidem ideas, vel rationes ideis reſpõdentes (vt nõnulli græcorũ aiunt) nec terminos, hoc eſt, dictiones ex quib. cõſtant enuntiationes (vt latinorum multi exponũt) ſed terminos, hoc eſt, prima principia demõſtrationum, quæ cum ſint ſuprema, termini ſunt. Ita ſe declarauit Ariſt. in 6. moral. Nicom. c. 8. inquiens: *mens eorum terminorum eſt, quorum ratio afferri non poteſt*. Et clarius c. 11. dum ait: *mens ad demonſtrationem pertinens, immobilium & primorum terminorũm eſt*. Per terminos igitur denotat Ariſt. prima principia, quæ cum ſint prima, dicuntur ſtare, nuncupãtur termini, & principium ſciẽtiæ. Ex his definitionem intelligentiæ colligere valemus, quæ talis erit: νοῦς ſiue intelligentia, eſt habitus humanæ mẽtis, quo perinde ac oculo prima cu actionũ, cum contemplationis principia intuemur: vtor oculi metaphora, qua vtitur Ariſt. in 6 moral. Nicom. c 11. clarioris explicationis gratia, ac vt inde appareat, ea ſine medio ac demõſtratione cognoſci: neque abſurdum in circumſcriptionibus & præcipue ciuilibus vti metaphora.

Exponitur Ariſtoteles in primo poſteriorum.

Definitio mentis.

Diuiſio mentis, ſiue intelligentiæ. CAP. XVIII.

VErſatur ea virtus, quæ mens dicitur, in cognitione primorum principiorum, quæ cum ſint duplicia, complexa ſcilicet

Digitized by Google

licet & incomplexa, vtrorumque cognitio ad mētem pertinet, vt recte Themiſtius aſſeruit, & iure profecto: ambo enim ab homine per intellectum ſine demonſtratione percipiuntur, amboque ſunt principia cognitionis aliorū, & cum eorum cognitio ad virtutem aliquam intellectus debeat pertinere, & non pertineat ad ceteras, neceſſe eſt fateri ad mentem ſiue intelligētiam pertinere. Primum principium complexum non debet iudicari illud, quod primum ſtatuitur ab Antonio Andrea, viro acutiſſimo, 4. metaphyſ. quæſt. 5. nempe ens eſt ens, nam ea enuntiatio, in qua idem de ſe ipſo dicitur, à ſcientiis tanquam nugax & ſuperuacanea reiicitur. Hinc Ariſtoteles in tertio de anima, 21. agens de ſecunda operatione intellectus, quæ eſt compoſitio, ait ea componi, quæ ex ſe quodam modo ſeparata ſunt: inſuper ea non eſt talis, vt in illam ceteræ enuntiationes reſoluantur. Propterea dicendum puto, principium complexum poſſe dici primum duplici ratione: vel quia ſit ſimpliciſſimum, ſi de re ſua natura notiſſima & prima, quale eſt hoc, Deus eſt: vel quia ſit communiſſimum, in quod cetera principia reſoluantur, & per quod ducendo ad conſpicue abſurda demonſtrentur. Huiuſmodi autem ſunt hæc duo maxime iuncta & complicata. Quorum primum eſt (*de nullo ſimul vera eſt affirmatio & negatio*) cuius oppoſitum manifeſtiſſime eſt falſum, & propterea ab Ariſtotele iure primum eſt conſtitutum. Alterum eſt (de quauis re vera eſt affirmatio vel negatio) hæ enuntiationes ſunt maxime communes, tum ratione ſubiecti, tum ratione prædicati, quæ communiſſima ſunt, tum demum ratione affirmationis & negationis, quæ ſunt primæ differentiæ enuntiationis. Altera ex parte, ſi de ſimplicibus vocibus loquimur, primi ac ſimpliciſſimi termini ſunt eſſentiæ rerum, quæ 8. metaphyſ. context. 10. tanquam numeri eſſe dicuntur: ad quas acies noſtræ mentis perinde ſe habet, ac oculus noctuæ ad lumen ſolis, vt ſub initio ſecundi metaphyſ. aſſeritur. Huiuſmodi ſimplices termini, vel ſunt confuſi, vel diſtincti: inter ea, quæ confuſa ſunt, primum eſt ens, inter diſtincta Deus. Ens enim cum ſit aliquid ab vno in omnibus gradibus varium, non poteſt diſtincte noſci non cognitis gradibus eius, & dum ſeorſum ab eis mente concipitur, confuſiſſime noſcitur: (quicquid hac de re ſentiat Scotus, qui inquit, *ens ſolum diſtincte cognoſci poſſe*,) eſſentiæ rerum explicantur per definitiones, quæ ratione rei explicatæ ſimplices ſunt, ratione autem vocum explicantium ſunt complicatæ & complexæ, rectius tamen ad principia ſimplicia & incomplexa rediguntur, quam ad complexa: ideo non dicunt rem eſſe vel non eſſe, ſed tantum rei eſſentiam nobis diſtincte offerunt, quam nomen confuſe, & ſine diſtinctione ſignificat. Diuiditur itaque primo hæc virtus,

Primū principium complexum.

Simplicia principia.

Contra Scotum.

Prima diuiſio mentis.

Digitized by Google

quæ νοῦς ſiue mens dicitur, in ſimplicem & complexam: ſimplex eſt prior & pertinet ad primam actionem intellectus: complexa poſterior, & ad ſecundam eius actionem pertinet. Diuiditur ſecundo, quia principia vel ſunt abſolute prima, vel ſolum prima in aliqua determinata ſcientia, vt in mathematica & phyſica. Principia abſolute prima pertinent ad ſubiectum, affectionem, & ſcientiam abſolute primam, huiuſmodi ſunt principia metaphyſicæ. Vere, proprie & abſolute mens ea dicitur, quæ in abſolute primis verſatur; hinc ſola metaphyſica inter humanas ſcientias dicitur ſapientia capite prædita, conflata ex ſcientia & mente. Abſolute autem & penitus vera & pura mens refulget in ſacra Theologia, nam ea, quæ Dei munere nobis ſunt reuelata, lumina ſunt repellentia humanam inſcitiam, ceteraque omnia illuſtrantia: propterea eorum apprehenſio cenſeri debet mens abſolutiſſima, qua ſola abſolute ſapimus. Cognitio autem principiorum ceterarum ſcientiarum, quæ metaphyſicæ ſubiiciuntur, abſolute mens iudicari non debet, ſed aſſerendũ eſt ea principia dupliciter poſſe conſiderari: primo abſolute ſiue per relationem ad ſuperiorem ſcientiam, ac ita prima non ſunt, pẽdent enim ex aliis, cognoſcuntur per alia, & propterea non ad mentem, ſed ad alios habitus eorũ cognitio redigitur: ſecundo conſiderantur in ea ſcientia, cuius ſunt principia, in qua cũ ſint prima, aliqua ratione ad mentem pertinent, cum tamen non ſint abſolute prima, nec ſapiẽtiam conſtituunt, nec abſolute nomine mentis honeſtantur. At oritur dubitatio, quia etiam in phyſica inueniuntur nonnulla principia, quæ abſolute prima ſunt, nec per alia noſcuntur, vt motum eſſe, ea quæ ſunt eſſe multa: in mathematicis inueniuntur puncta, vnitates, eorumque definitiones: quare eorum quoque cognitio proprie, & abſolute mẽs erit. Reſpondeo, dum verſamur in ſcientiis, ea cenſeri debẽt abſolute prima, ex quibus tanquam ex cauſſis cetera pendent & quo ad eſſe & quo ad cognitionem, ſcire enim eſt rei cauſſam cognoſcere: de principiis particularium ſcientiarum non ſic ſe habet, ea enim vel non ſunt cauſſæ, ſed res effectæ ſenſu notæ, vel ſunt accidentia pendentia ex ſubſtantia, & propterea nec ſapientiam parere valent, nec exacte cognoſci; niſi per alia. Tertia diuiſio mentis eſt, quod principia, in quibus ea verſatur, vel dirigunt ad actionem, & officio mentis funguntur in attinentibus ad prudentiam, vel ſunt principia demonſtrationis, & ſcientiæ. Si fuerint principia demonſtrationis, ea ſunt abſolute prima, nec valent ſecus ſe habere: ſi autem dirigunt ad actionem, ea ſunt duplicia: vel enim ſunt communia principia ad actionem dirigentia, ex ſe conſpicua, ſiue ex ſingularibus collecta, ac ita Ariſtotel. in calce ſecundi poſteriorum communia prin-

Secunda diuiſio.

Abſolutiſſima mens.

Dubitatio.

Solutio.

Tertia diuiſio.

Digitized by Google

principia ad mentis habitum pertinentia, vel ad veri notitiam, vel ad operationẽ dirigere aſſeruit, vel ſunt ipſamet ſingularia, ad quæ pertinet, vel in quibus verſatur actio, dirigentià rationẽ, conſultationem & actionem noſtram; quæ dum formatur ratio practica, ſumuntur pro minori enũtiatione, vel ex eis ſaltem minor enuntiatio elicitur: veluti ſi dixero, omne quod vitæ periculum ſine honore affert, eſt vitandum; noctu vagari affert vitæ periculum ſine honore, igitur vitandum. Hæc minor propoſitio inductione ex variis ſingularibus euentis elicitur, quorum cognitio mens practica nuncupatur: nonnunquam autem ipſummet ſingulare pro minori propoſitione accipitur: vt ſi dixero, viro ciuili in magiſtratu conſtituto ſalus patriæ maxime debet eſſe curæ, ego ſum vir ciuilis, ſum in magiſtratu conſtitutus, maxime igitur de ſalute patriæ teneor eſſe ſolicitus. Vtraque cognitio, cum maioris enuntiationis dirigentis, tum ſingularium, nomine mentis deſignatur, non enim ad aliũ habitum pertinere poſſunt: dum tamen ſumitur mens practica pertinens ad prudentiam, vt contradiſtincta à mente theorica, ea ſingularium eſſe dicitur, quia in ſingularibus verſantur actiones, & maxime cognitio earum, quæ circumſtantiæ dicuntur, actionem dirigit, & mentis practicæ nomine deſignari meretur. Ac ita cenſeo explicandum eſſe locum in 6. mor. Nic. in calce cap. 11. vbi hæc leguntur verba: *Et mens extremorum eſt in vtramque partem*, (hoc eſt, ex parte primi abſolute, & ex parte vltimi) *eſt enim mens & primorum terminorum, & extremorum, quorum non eſt ratio, ac ea mens, quæ ad demonſtrationem pertinet, eſt immobilium, & primorum terminorum. Altera autem, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis,* (nempe minoris) *ſunt enim principia eius gratia, nam ex ſingularibus vniuerſale colligitur, eorum autem nos oportet habere ſenſum. ſenſus autem ille eſt mẽs, &c.* Hæc Ariſtot. ex quibus varia colligere valemus. Colligo primo, perperam viros nõnullos eruditos illum locum exponere; nam præter cetera inquiunt. Dum Ariſt. ait: *altera autem, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis:* Alterius propoſitionis (inquiunt illi) hoc eſt, dirigentis ad actionem, contradiſtinctæ à principio contemplationis, at minus recte. Dum enim abſolute dicimus ad vnam vel ad alteram argumentationis propoſitionem attinere, maior & minor propoſitio denotantur. Præterea, quod pertinet ad maiorem, eſt firmum & conſtans, varietas eſt in eo, quod ad minorem pertinet: & Ariſt. inquit (quod ſecus ſe habere poteſt.) Inſuper in ratione practica cuncta ad minorem vt ad finẽ, & ad id quod dirigi debet, ordinãtur, Ariſt. inquit: *hæc enim principia ſunt eius cuius gratia*, hoc eſt, huiuſmodi ſingularium cognitiones, quę mentes di-

Explicatur locus ſexti moralium.

Primũ quod colligitur.

Error quorundam.

Digitized by Google

cuntur, ſunt principia eius cuius gratia, id autem, cuius gratia ratiocinamur, in minori propoſitione reperitur: nam perperam (vt cenſeo) Lambinus eo in loco dixit: *Hæc enim pronuntiatorum genera, &c.* Demum, ſi Ariſtoteles per propoſitionem alterã denotaſſet, non minorem, ſed contradiſtinctam à principio contemplationis; redundans fuiſſet: dixit enim, *altera autem mens, quæ pertinet ad actiones, poſtremi eſt, quod ſecus ſe habere poteſt, & alterius propoſitionis, &c.* Si denotaret, quod eſſet alterius propoſitionis, nempe pertinentis ad actionem, eſſet idem ac ſi diceret, mens pertinẽs ad actionem eſt eius, quod pertinet ad actionem. Significauit itaque Ariſtoteles per alteram propoſitionem illã, quæ minor dicitur, quæ ſumit aliquid ſenſu notum, vel ex ſenſu conſpicuis collectum, & eſt id cuius gratia ratiocinamur, vt pateſeci. Colligo ſecundo ex illis verbis, etiam cognitionem ſingularium dirigentium ad actionem ab Ariſtotele mentem dici, mentem inquam practicam, & mentem dirigentem actiones contradiſtinctam a theorica. Colligo tertio ex ſententia Ariſt. intellectum hominis ſingularia cognoſcere, & nedum cognoſcere, verum inſuper ea cognoſcere primo. Nam loquitur philoſophus de mente, quæ eſt habitus intellectus & virtus rationis, & cognitionem ſingularium aſſerit eſſe eius partem; & cum id oſtendat ex eo, quia vniuerſale ex ſingularibus colligitur, indicat mentem illam, hoc eſt, cognitionem eam ſingularium, primo intellectui competere. Demum conſiderãdum, quod vt cognitio ſingularium dirigentium ad actionem, quæ principii loco prudentiæ inſeruiunt, ab Ariſt. *νοῦς* ſiue mens dicitur; ita cognitio ſingularium dirigentium ad effectionem, artique famulãtium, non ad aliam rationis virtutem, quam ad mentem redigi poſſe videtur: adeo vt ſit mens quædam artis, & effectionum, vt aliæ ſunt actionis, vel contemplationis.

Alterũ, quod colligitur.

Tertium intellectus cognoſcit, & primo cognoſcit ſingularia.

Nonnulla ex dictis emergentes difficultates proponuntur & diluuntur. CAP. XIX.

EX dictis, præter ceteras, tres difficultates emergunt, quæ ſolutionem expoſcunt. Prima eſt, quis ſit ille ſenſus, quo proprie ea ſingularia percipimus, quorum notitia mox mentẽ conſtituit: Secunda eſt, num in contemplatione cognitio ſingularium, ex quibus vniuerſalia colligimus, debeat nũcupari mens. Poſtrema, quia Ariſt. ſibi conſtare non videtur; inquit cap. 11. 6. lib. moralium Nicomach. *cognitionem ſingularium dici mentem*, at cap. 8. dixit oppoſitum: aſſeruit enim id quod ſub actionem cadit, *eſſe extremum, & opponi menti, quia mens terminorum eſt, quorum non eſt ratio: prudentia autem eſt extremi, cuius non eſt ſcientia, ſed*

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

Solutio primæ difficultatis.

ſed ſenſus, &c. Primæ difficultati reſpondere videtur Ariſt. in 6. moralium Nicomachiorum cap. 8. inquiens: *ſingularium, in quibus verſatur actio, non ſcientia ſed ſenſus eſt, non qui propriorum, ſed qualis eſt ille, quo ſentimus quod hoc, quod in Mathematicis eſt vltimum, ſit triangulus, nam in eo quoque eſt ſtatus. Verumtamen prudentia magis eſt ſenſus, eius autem* (nempe ſingularis trianguli) *altera eſt ſpecies, &c.*

Explicatur locus in 6. mor Nic.

Verba ſunt breuia & obſcura: ex eis tamen vnum manifeſte elicimus, quod dixi in capit. præcedente; *mentem ſcilicet eſſe etiam eius vltimi, quod ad minorem propoſitionem pertinet: vt in Mathematicis quoque, pro minori poſitione accipimus, quod hic, qui in ſemicirculo, ſit triangulus*; vt conſtat ex 1. capit. 1. poſter. Quod autem pertinet ad propoſitam difficultatem, conſiderandum ex ſententia Ariſtotelis, in ſecundo de anima,

Senſilia trium generum per ſe & per accidens: per ſe, vel propria, vel communia.

ſenſilia eſſe trium generum, quædam per ſe & propria, vt colores, alia per ſe & communia, vt motus, quies, numerus, magnitudo, & figuras, nonnulla demum ex accidenti, vt Alcibiades, & ceteræ in diuiduæ ſubſtantiæ: & inde prodeunt tria iudicia ſenſuum. Hæc ſenſilia percipiuntur primo à ſenſu externo, ſecundo à communi, tertio à phantaſia proxime inſeruiente intellectui. Mathematicus, dum ad ſingularem triangulum, vel lineam deſcendit, verſatur non in ſenſili proprio, ſed communi, iuncto non materiei ſenſili, ſed intelligibili, vt ex Ariſtotele colligitur ſeptimo Metaphyſ. 35. & vtitur tunc Mathematicus non quidem externo ſenſu, nec ſenſu communi (quoniam hi ſolum operantur præſentibus ſenſilibus externis, & nil percipiunt, quod non ſit iunctum cum ſenſilibus propriis, à quibus abſtrahit Mathematicus) ſed vtitur phantaſia, quæ dicitur motus factus à ſenſu, qui actu eſt.

Error quorundam.

Hinc errant nonnulli dicentes Ariſtotel. in eo ſexto moralium per ea verba; qualis eſt ille ſenſus, quo ſentimus quod hoc, quod in Mathematicis eſt vltimum, ſit triangulus, denotaſſe ſenſum communem: nam phantaſiam denotauit. Prudentia dum deſcendit ad ſingula, in quibus verſatur actio, dicitur verſari in variis ſenſilib. nam verſatur in ſenſili ex accidẽti, iuncto tamen cum ſenſilibus propriis, quatenus verſatur in ſingulis hominibus, inſuper verſatur in ſenſilibus communibus conſiderans circumſtantias, non eas ſecernens à propriis: & id facere poteſt ſenſu externo, communi, & phantaſia; proxime tamen id efficit phantaſia: & quia non abſtrahit à ſenſilibus propriis, vt Mathematicus, ideo Ariſt. dixit: *prudentia magis eſt ſenſus*: his accedit, quod Mathematicus magis verſatur in vniuerſalibus. Ex his conſtat ſolutio primæ difficultatis: nam ſenſus prudentiæ eſt ſenſilium vel ex accidenti vel communium, iunctorum cum propriis, proxime per phantaſiam oblatorum menti; ſingularium autem Mathematicorum

Digitized by Google

Solutio ſecundæ diffic.

alia eſt ſpecies ſenſus, nam eſt ſenſilium communium, ſeiunctorum à propriis, ſola imaginatione apprehēſorum. Erat ſecunda dubitationum in cōtemplatione cognitio ſingularium, ex quibus vniuerſalia colliguntur, debeat cenſeri mens. Cui reſpondēs dico, omnem cognitionem intellectui competentem conſpicuorum ſingularium, vt ex eis vniuerſale colligitur, ad eam virtutem modo aliquo redigi poſſe, quæ mens dicta eſt, ſunt enim ſemina, lumina, & principia quædam ſcientiæ ex ſe conſpicua: præcipue tamen id verum eſt de ſingularibus prudentiæ, tribus de cauſis. Primo, quoniam ea in attinentibus ad prudentiā ſunt fines, & cuius gratia, vt dicebat Ariſt. Prudentia enim ad actionem dirigit, quæ in ſingularibus verſatur, & per ſingularia variatur: ſcientia autē & ſapientia verſantur in communibus, quæ per ſingularia non variantur. Altera ratio eſt, quia ſingularia ſumuntur in conſultatione dirigente ad actionem, & conſtituunt minorem propoſitionem, non autem ingrediuntur demonſtrationem producentem ſciētiam vel ſapientiam. Tertia ratio eſt, quia ſcientia abſolute eſt per cauſas, & per ea quæ ſunt abſolute prima: prudentia autem & conſultatio à poſtremis orditur, & ab his in quibus verſatur actio, quæ ſingularia ſunt, & circumſtantiæ pro recte formanda actione, ſingulares ſunt.

Solutio tertiæ dubitationis.

Erat vltima dubitatio, quia Ariſt. modo aſſerit cognitionem ſingularium, in quibus verſatur actio, opponi menti, modo ad mentem redigit. Reſpondeo, eorum cognitionem opponi non quidem mēti abſolute, ſed illi, quæ ſpeciatim mens dicitur, & eſt cognitio principiorum primorum demonſtrationis, nō autem opponi menti ad actionem dirigenti, quæ prudentiæ & cōſultationis eſt principium. Ita hiſtoriæ, quæ varia nobis ſingularia euenta offerūt, lumen hoc mentis in nobis accendunt, prudentiam augent, cōſultationemque perficiunt. Ideo Ariſt. in 6. moralium Nicom. cap. 7. & in procemio metaphyſicæ dixit: *in attinentibus ad actionem vel effectionem magis confidendum eſſe in viro experto verſato in ſingularibus, quam in prædito exactiore ſcientia verſato in ſolis communibus.*

Lux, mens, radius, ſapientia. Lumen, ſcientia. Splendor, prudentia. Vmbra ars ſapientiæ nomen.

De ſapientia, & primo de nominis ſignificatione & diſtinctione. Cap. XX.

Qvemadmodum ex præſtantiſſima ſolis luce manant radii, quibus lumine replentur perſpicua corpora, qui radii recuſſi per ſplendorem pariunt, & poſt primam repercuſſionē vmbras: ita ex intelligentia quaſi ex luce manant ſapientiæ radii, qui incongruente materie recepti, pariunt ſcientias, quaſi lumen, repercuſſi ad actiones, pariunt prudentiam quaſi ſplendorem.

Digitized by Google

rem, ac demum tanquam vmbras pariunt artes, humano generi apprime neceſſarias. Sapientiæ nomen vt eſt magnũ, ita quoque eſt latiſſimum, omue enim, quod eſt præclarum, illuſtre, & honore dignum, ſapientiæ nomine honeſtatur: ſapientia enim apud Græcos dicitur Σοφία; quod nomen à σέβομαι deducitur, quod cultum, honorem, & venerationem ſignificat, adeo vt Σοφὸς ſignificare valeat, & honorãtem, & eum qui honore dignus eſt: ſapiens enim magnifacit diuina, & honore ſimul ſe diguum reddit. Sapientia duplex eſt, vna diuina, altera humana. Diuina *Duplex ſapientia*
ſapientia ea eſt, de qua Plato dixit in phædro in perſona Socratis: *ſapientis cognomen, ô Phædre, magnum eſt, ſolique Deo conuenit, viros autem, quos nunc deſcripſimus, conuenientius modeſtiuſque Philoſophos nuncuparemus.* *Sapientia diuina.* De eadem quoque ſapientia vera eſt ſententia Simonidis, relata ab Ariſt. in proœmio Metaphyſ. dicentis, *ſapientiam Deo eſſe relinquendam.* Hæc ſapientia non eſt virtus humanæ rationis, ſed eadem eſt cum eſſentia Dei: propterea, cum noſtro inſtituto non inſeruiat, eam veneremur, & progrediamur ad alteram. Humana ſapientia adhuc duplex eſt, vel enim eſt ſapientia vniuerſe ſumpta, vel ſapientia in parte conſiderata: quam diſtinctionem ſumpſit Ariſt. ex Mergite Homeri dicentis:

Hic neque foſſor erat, nec arator, munere Diuum,
Nec ſapiens vlla in re alia, &c.

Eandem in dialogo de ſapientia approbauit Plato. Sapientia vniuerſe, & in prima ſui ſignificatione ſumta, eſt habitus humanæ *Sapientia humana.*
mentis, per quem vniuerſe cuncta ſcimus, & eſt ea virtus, quæ à ceteris mẽtis virtutibus cõtradiſtinguitur: de qua tenemur nos præcipue verba facere. Sapientia autem ſumpta in parte, etiam eſt duplex, vel enim refertur ad operationem, vel cognitionem, ſi ad operationẽ, ea vel eſt actio, vel eſt effectio: ſi fuerit actio, ſic qui prudẽtia fulgent, & in obeundis muneribus magiſtratuum, fungendoque munere optimi ciuis præſtant ceteris, ſapientiores nuncupantur. Hanc Plato epiſt. 10. ſapientiam morum appellat inquiens: *Audio te ante alios, & nunc familiarem eſſe Dionis, & per omne tempus ſapientiam morum ad Philoſophiam pertinẽtium in primis exercuiſſe: nam firmitatem, fidem, ſinceritatem, veram eſſe Philoſophiam exiſtimo, &c.* Et in Theæteto virum iuſtum vere ſapientem appellat, cum per iuſtitiam ſit ſimilimus Deo. Stoici hanc ſolam iudicarunt ſapientiam; ideo dixerunt ſapientiam eſſe ſcientiam bonorum, malorum, & neutrorum, ac inſuper eſſe artem vitæ degendæ: & de ſapiente per eam formato varia protulere paradoxa, veluti, ſolus ſapiens eſt pulcher, eſt potens, eſt diues, & ſimilia. De hac ſapientia vera eſt ea vulgata ſententia (*Sapiens dominabitur aſtris.*) id enim viri prudentis eſt officium,

Quid ſit vere ſapere.

de qua dixit Plato in Epinomide, *dubitandum non eſſe, quin bonus vir ſapiens ſit dicendus: ideo viro ſapienti maxime propriam iudicauit religionem, pietatemque in Deum, nam hæc ad ſublimia nos eleuant.* Vere autem ſapere dicuntur, qui heroica quadam prudentia, neglectis terrenis, cœleſtia quærunt: de qua ſapientia recte dicunt Theologi: *Initium ſapientiæ eſt timor Dei.* Et quoniam prudentiæ nomen ad vmbram eius nonnunquam extenditur, & de calliditate & aſtutia dicitur, ideo ſapientiæ quoque nomen viris callidis & aſtutis, vt Vlyſſi & ſimilibus, ab Homero & aliis viris doctis nonnunquam tribuitur: in qua ſignificatione Diuus Hieronymus in explicatione veteris teſtamenti dixit: *Erat ibi ſerpens ſapientior omni beſtia:* ita apud græcos φρονεῖν, & ſapere & prudentem eſſe ſignificat. Si vero ſapientia in parte ſumta refertur ad effectionem: hac conſideratione quicunque in aliqua arte ceteris præſtiterunt, & culmen eius attigerunt: ſapientis cognomine, non quidem abſolute, ſed cum contractione artis denominati fuerunt: ac ita fuere dicti ſapientes Medici, vt Æſculapius, & Hippocrates; ſapientes fabri lignarii, vt Dędalus, de quibus Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum c. 7. inquit: *Sapientiam in artibus iis attribuimus, qui cuiuſque artis ſunt peritiſſimi, vt Phidiam ſapientem lapidum ſculptorem, Polycletum, ſapientem ſtatuarium dicimus, &c.* Ita quoque extenditur ad rhetores & dialecticos. Ex aduerſo, ſi ſapientia in parte ſumta refertur ad cognitionem veri, quicunque in aliqua particulari ſcientia maxime fulſerunt, fulgor ille ac præſtantia ſapientiæ nomine honeſtatur: Ita Thales Mileſius dictus eſt ſapiens phyſicus, aliis ſapientes Aſtronomi, vel Arithmetici, vel Geometræ fuerunt nũcupati. Ex his demum conſurgere poteſt ſapientia vere vniuerſa, vere ex illuſtrioribus ſplendoribus conflata: & erit ea, per quã homo, vt ei licet, redditur ſimilis Deo: per quam nedum ſublimia cognoſcit, verum inſuper ad eorum imitationem moderatur humana, in qua intelligentiæ, ſcientiæ & prudentiæ radii refulgent: per hanc altiſſimæ rerum cauſæ cognoſcuntur, & cuncta in congruentem finem diriguntur, cuius munere Androgynus Platonis reformatur, vere quadratus, vero omni ex parte perfectus, cum in attinentibus ad actionem, tum ad contemplationem. Et de hac præſertim verba facit Plato in appendice legum: dum oſtendit *vere ſapientem illum dici, qui cum diuina ſpeculatus fuerit, recte de humanis ſapit, eaque congruenter moderatur.* Verum, cum tam late ſapientis nomen extendatur, ſapientia inſtituto noſtro inſeruiens, eſt mentis virtus, ſemper vera; quæ à ceteris contradiſtinguitur: propterea, ceteris prætermiſſis, de hac ſola breuibus verba faciam.

D. Hieronymus.

Androgynus Platonis.

Quid

Digitized by Google

Quid ſit ſapientia. CAP. XXI.

VEteres, qui rerum cognitioni nauarunt operam, quatenus nil ſupra phyſica corpora nouerunt, phyſici nuncupabantur: & quia præcipue in diuinorum corporum conſideratione verſabantur, dicti fuere Theologi; qui ſimul poetæ erant, vt Orpheus, Heſiodus & alii: mox hi omnes cœperunt nuncupari ſapientes. At cũ Pythagoras animaduertiſſet nomen illud hominis conditionem ſuperare, loquens cum Leonte Phliaſiorum principe, nomen ſapiẽtis in nomen philoſophi (hoc eſt, amatoris ſapientiæ) commutauit: dixit enim *ſi non ſapientem, ſed philoſophum eſſe*: quam ſentẽtiam Plato in calce Phædri commendauit inquiens: *cognomen ſapientis ſoli Deo conuenire, homines vero conuenientius nuncupari philoſophos.* Ariſtoteles agens de virtutibus mentis, eam nomine ſapientiæ appellat; quæ eſt cognitio communis & vniuerſa eorum, quæ ſunt, per altiſſimas cauſſas, quæ etiam Metaphyſica nuncupatur, hoc eſt, poſt naturalia. Quod nomen ei conuenit primo ratione ordinis noſtræ cognitionis: nobis enim primo occurrũt phyſica, per quę ad diuina eleuamur. Secundo ratione rerum, de quibus agitur: nam primæ cauſſæ, res diuinæ, & ens vniuerſe ſumptum, ſupra res phyſicas collocantur, & rerum phyſicarum capita ac principia eſſe dicuntur. Nuncupatur Metaphyſica ab Ariſtotele ſapientia, prima ſcientia, prima philoſophia, abſolute philoſophia, methodus de primo principio: nam hæc eſt humana Theologia, quam philoſophi humanis viribus formare valuerunt. Eandem Plato, & cum eo Plotinus, ob eius acumen ac liberum indagandi & conſiderandi modum, dialecticam nuncuparunt; quam ſcientiarum apicem, vltimam abſolutionem, & culmen eſſe affirmarunt. Scio tamen aliquam inter dialecticam Platonis, & metaphyſicam Ariſtotelis eſſe differentiam, de qua alibi verba faciam. Huius ſapientiæ hæc eſt natura, vt ſit ſcientia capite prædita, hoc eſt, eleuata ad prima principia, cumque eis complicata: & inde prodeunt tredecim eius priuilegia. Primum eſt, vt ſola ſit libera, nulli ſubiecta. Altera, vt non ſit alterius gratia, ſed ceteræ ſcientiæ eius gratia. Tertia, vt ſibi ſola ſit ſatis. Quarta, vt altiſſime omnia ſciat. Quinta, vt tantum ſit veri gratia. Sexta, vt pariat ſcientiam procul ab omni ſuppoſitione, abſolute perfectam. Septima, vt ſit ſui natura prima & certiſſima, nobis vero poſtrema & obſcuriſſima. Octaua, vt ceteras omnes ſcientias & artes ſibi ſubiiciat. Nona, vt ſciẽtiis ceteris poſtremam adhibeat perfectionẽ. Decima, vt maxime docere valeat. Vndecima, vt maxime apta ſit imponere nomina rebus. Duodecima, vt ſit pſtantiſſima, maximeq; digna honore. Tertiadecima, vt nos ſummo

Phyſici, theologi, Poetæ.

Sapientes Philoſophi.

Metaphyſica & eius nomina.

Tredecim priuilegia ſapientiæ.

bono perficiat, cum Deoque coniungat. Et quia bonum eſt fœcundum, ideo hæc fœcundiſſime ceteras ſcientias & artes parit. Sententia fuit Simonidis, *ſapientiam non eſſe humanam poſſeſſionem, nec ab homine eſſe quærendam.* Ariſtoteles in procemio metaphyſicæ eius ſententiam reiicit, nec non in decimo moralium Nicomachiorum. Idipſum facit Plato in appendice legum. At nos dicere debemus, *ſapientiam diuinam non eſſe humanam poſſeſſionem, ſed conditionem diuinorum, humanam vero ab homine eſſe optandam.* Inſuper addendum eſt, ſapientiam humanam non eſſe poſſeſſionem & perfectionem hominis mortalem vitam & vulgarem viuentis, ſed eſſe poſſeſſionem eminentioris hominis, commune aliquid cum diuinis habentis, diuinamque vitam viuentis. Ideo dicebat Ariſtoteles in 10 moralium Nicomachiorum: *Deum viro ſapienti eſſe amicum, quæ amicitia in quadam conſimilitudine poſita eſt, quam homo aſſequi valet per ſapientiam.* Ideo in 12 Metaphyſicæ, 38. aſſerebat, *diſpoſitionem optimam competere Deo ſemper, homini vero exiguo quodam tempore.* Iure itaque Socrates apud Platonem in Phædro deprecabatur Deum, vt ſe ſapientiæ auro ditiſſimum redderet: hic enim eſt theſaurus ille, quo nobis cetera bona parare valemus, cunctaque deſideria (vt homini licet) explere.

Simonides.

Ariſtoteles aduerſus eum.

Concilium.

An ſapientia ſit habitus vnus ſimplex diſtinctus à ceteris, vel mixtus ex intelligentia & ſcientia.

CAP. XXII.

VAria ad ſapientiam pertinentia ſe nobis offerunt, quæ longam expoſcerent conſiderationem: verum quia ab inſtituto noſtro ſunt aliena, illis ſilentio inuolutis, de hoc ſolo verba faciam, quod præſenti conſiderationi videtur accommodatum, num ſcilicet ſapientia ſit ſimplex habitus, an potius ex duobus conſurgens. Apparet rationi conſentaneum debere eſſe ſimplicem: nam ceteri ſimplices ſunt, habent aliquid proprium, per quod inter ſe diſtinguuntur: & dum numerantur ſimplicia, nõ debent cõflata ex ſimplicibus numerum augere. Ex aduerſo Ariſtoteles aſſerere videtur, *ſapientiam ex intelligentia & ſcientia eſſe conflatã,* *ideo eam nuncupat ſcientiam capite præditam*: nam inquit in ſexto moralium Nicomachiorum, cap 7 *Quapropter perſpicuum eſt ſcientiarum omnium certiſſimam eſſe ſapientiam. Sapientem igitur oportet non ea ſolum intelligere, quæ ex principiis colliguntur, ſed etiam in principiis verſantem, de iis vere loqui, vereque ſentire: itaque ſapientiam dicere licebit eſſe tum mentem, tum ſcientiam, ac ſcientiam quidem rerum honoratiſſimarum, quaſi capitis inſtar obtinentem. &c.*

Sapientiam eſſe habitum ſimplicem.

Sapientiam non eſſe habitum ſimplicem.

Digitized by Google

Aperte Philoſophus ſapientiam ex ſcientia ac intelligentia conflatam affirmat. Quod etiam in primo magnorum moralium, cap. 33. confirmans ait: *Sapientia porro ex ſcientia menteque conſtituitur: eſt namque ſapientia circa principia, ipſa quoque mentis particeps: at, quatenus eſt circa ea quæ poſt principia ſunt cum demonſtratione, ſcientiæ eſt particeps: & proinde dubium non eſt, quin ſapientia ex mente ſcientiaque conſtetur, ideo in eis verſabitur, in quibus verſantur mens & ſcientia.* His verbis Ariſtoteles ſententiam ſuam lucidiſſime patefecit. Propterea communis opinio eſt ſapientiam eſſe habitum ex ſcientia & intelligentia conflatum, quam ſententiam ſatis dubiam cenſeo: nam ſi id eſſet, tantum quatuor, non quinque numerandæ eſſent rationales virtutes; compoſitæ enim non augent numerum ſimplicium. Pro reſolutione difficultatis præaccipiendum eſt, ſapientiæ nomen dupliciter poſſe vſurpari; primo pro vniuerſa ſua latitudine, ſecundo, vt includit aliquid proprium, contradiſtinctum à cæteris habitibus. Quo præaſſumto dicendum puto: ſi nomen ſapientiæ ſumitur, vt denotat vniuerſam eius latitudinem; ita ſapientia includit mentem, & ſcientiam ex mente proxime prodeuntem: ſi vero vſurpatur pro habitu à cæteris contradiſtincto, hac ratione eſt virtus ſimplex, hoc ſibi proprium vendicans, vt ſit cognitio concluſionis proxime prodiens ex principiis abſolute primis. Propterea recte finxere veteres, Palladem ſapientiæ Deam ex Iouis capite, nempe ex mente, duxiſſe ortum. Differt ſapientia à mente, quia eius proprium eſt proxime ex mente manare & cum mente iungi. Differt à ſcientia contradiſtincta à ſapientia: primo, quia proxime pendet ex primis & communiſſimis principiis: ſecundo, quia late verſatur in omni eo quod eſt, cum cæteræ ſcientiæ ſolam partem conſiderent: tertio, quia ſua principia ab alio non recipit, ſed ipſa dicitur exquiſitiſſime ea noſcere, cum cæteræ ſcientiæ ſua principia, per quæ conſiderata in eis ſunt & cognoſcuntur, recipiant à ſapientia, & propterea ſola ſapientia dicitur libera, capite prædita, cuncta cognoſcens, vltimumque colophonem cæteris ſcientiis adhibens. Ex his conſtat, quomodo ſapientia pro habitu quinto ſimplici à cæteris diſtincto numerari poſſit: conſtat inſuper, quomodo verum ſit, quod ex mente & ſcientia ſit conflata; ex ſcientia inquam proprie ſumta, cui maxime competit definitio ſcientiæ, non ſcientia contradiſtincta à ſapientia: conſtat demum, cur cæteræ ſcientiæ quamuis principia cognoſcant, non propterea dicantur capite præditæ, id enim euenit, tum quia ea non ſunt abſolute prima, tum inſuper quia illa à ſuperiore recipiunt. De quibus loquens Ariſtoteles in primo poſteriorum dixit: *ſed horum principia habent communia, &*

Reſolutio difficultatis.

Quomodo Pallas ex Iouis capite orta.

torum ſcientia eſt domina omnium. Quod etiam comprobauit ſub initio ſexti Metaphyſicę.

Quas cauſſas conſideret ſapiens. CAP. XXIII.

DIctum eſt ſapientem altiſſima indagare, in primorumque principiorum conſideratione verſari: at cum genera cauſſarum ſint quatuor, dubium eſt, num omne genus cauſſę conſideret, ac in omni genere cauſſę primum cognoſcere valeat necne. Cenſuit Auerroes (vt conſtat ex procemio phyſicorum, & paraphraſi metaphyſicę) ſolum primam formam, vltimumque finem conſiderare. Quod ſi nonnunquam dixit conſiderare primum efficiens, vt in primo comm. primi phyſicorum, tunc denotauit non efficiens proprium, ſed conſeruans, ac id quod in idem venit cum forma, vt ſe declarat in primo tractatu paraphraſis metaphyſicę. Sic recte Auerroes ab apparente contradictione vendicatur, non autem vt fit à Zimara. Conſiderat itaque ſapiens ex ſententia Auerrois ſolam primam formam, vltimumque finem: & ratio eſt, quia metaphyſicus abſtrahit à materie, à motu, & à tranſmutatione, quę ad phyſicum pertinent: ideo nec materiem primam, nec primum efficiens valet conſiderare. Quod confirmatur, quia conſiderat principia entis quatenus eſt, & cum reduplicatio vertatur in vniuerſale, ideo conſiderat principia, quę omni enti competunt; omni autem enti nequaquam competunt materies, & efficiens. Sic itaque Zimara & Latinorum multi dixere cauſſarum duas primas à diuino, formam ſcilicet & finem, reliquas duas à phyſico conſiderari. Quam ſententiam cum à vero, tum ab opinione Ariſtotelis alieniſſimam exiſtimo. Cum enim munus ſapientis ſit ſcire omnia, & altiſſimas cauſſas cognoſcere, niſi primam cognoſceret in omni genere, nec omni ex parte, nec abſolute eſſet ſapiens. Inſuper, ſi cognitio primarum cauſſarum eſt intelligentia, non minus intelligentia connecteretur cum phyſica quam cum metaphyſica, vt enim metaphyſica duas, ita phyſica primas duas cauſſas cognoſceret: ratione quarum etiam phyſica eſſet ſapientia capite prædita, non ſola metaphyſica; ac inſuper tunc metaphyſica non abſolute eſſet domina ſcientiarum omnium, nec abſolute eas ſibi ſubiiceret ac perficeret. Præterea luculentiſſime Ariſtoteles in primo metaphyſicæ, capit. 3. ſciendi gratia proponit agendum de omni genere cauſſæ, deque illis agit: & ſub initio quarti metaphyſicæ abſolute affirmat inquirendas cauſſas entis vt ens, neque id contrahit ad aliquod genus cauſſæ. Præterea eſſentia & quid eſt, ſunt prædita omni genere cauſſæ, at ea pertinent ad metaphyſicum, quare tenetur metaphyſicus cognoſcere omne genus cauſſæ. Quod autem

Opinio Auerrois.

Fundamenta Auerrois.

Confirmatio.

Canon modalis.

Reiicitur ſententia Auerrois.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Digitized by Google

autem eſſentia & quid eſt prædita ſint omni genere cauſſæ, conſtat ex initio octaui Metaphyſicæ, quo loci exemplo definitionis eclipſis, ſerenitatis, & ſimilium, oſtendit cum internas tum externas cauſſas eſſe ſumendas in definitione. Et in 7. metaphyſicæ oſtenditur, quæ materies, & quomodo ſit vel non ſit pars definitionis. Præterea ſubiectum Metaphyſicæ eſt ens; hoc autem non eſt vniuocum, ſed ab vno: id, quod eſt ab vno, in omnibus eſt varium, nec cognoſcitur non cognitis illis, de quibus dicitur: ea autem, de quibus ens dicitur, magna ex parte habent omne genus cauſſæ: ideo debent cognoſci per omne genus cauſſæ, & præſertim ſubſtantia compoſita, & accidentia eius. Præterea Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ inquit (Principia quæruntur ſubſtantiæ) mox, quia ens diuiſum in decem prædicamenta pertinet ad Metaphyſicum, quærit poſt, cont. 18. an omnium prædicamentorum eadem ſint principia, & oſtendit analogia quadam eſſe eadem, eaque ſtatuit actum & potentiam, actum ad formam, potentiam ad materiem redigens. At quia dubitatio eſt de ſola materie, & efficiente, ideo oſtendo primum efficiens, primamque materiem ad ſolum diuinum proprie pertinere. De efficiente manifeſte conſtat ex 2. phyſicorum, 71. & 73. quibus in locis aſſerit philoſophus ad phyſicum tantum pertinere motorem mobilem, non autem motorem immobilem: at motor immobilis eſt primum efficiens: inficiatur igitur ad phyſicum pertinere primum motorem, vt etiam idipſum facit in primo de ortu & interitu 14. Inſuper Ariſtoteles ſæpe pollicetur in prima philoſophia ſe oſtenſurum dari genus abſtractorum, idque oſtendit in 12. Metaphyſicæ vtens pro medio æternitatis motus: at dum æternus motus refertur ad ſubſtantias ſeparatas, conſiderantur hæ vt principia efficientia motus. Similiter in eodem 12. context. 30. ait *motores cœli, ut ſemper moueant, eſſe ſui eſſentia actus, & cum producant motum æternum, debere eſſe abiunctos, totque eſſe, quot ſunt motus cœli*, & context. 35. oſtendit cœli motores eſſe immobiles, ac ita multa in eo libro de primis motoribus declarat. Quamuis enim phyſicus aſcendendo ac reſoluendo valeat auxilio motus eleuari ad primum motorem: interrogatus tamen, quid ſit ille primus motor, tanquam phyſicus reſpondere non valet, ſed ad metaphyſicum tenetur interrogantem reiicere. Præterea, qui conſiderat motum, viamque ad id quod eſt, etiam tenetur conſiderare motorem, cum motus ſit actus, ad illumque referatur: At metaphyſicus conſiderat primum: quare & alterum. Aſſumtum eſt Ariſtotelis ſub initio quarti metaphyſicæ dicentis, metaphyſicũ conſiderare id quod eſt; id autem quod eſt, ab vno eſt: & alia ſunt, quia ſunt ſubſtantiæ, alia, quia affectiones; quædam, quia viæ ad ſubſtantiam,

Quinta.

Sexta.

Primum efficiens ad ſolum diuinum pertinere.

Ratio prima.

Secunda.

Diluitur tacita obiectio.

Tertia.

vel interitus, vel priuationes, vel qualitates, vel efficientia, vel generantia ſubſtantiã, ſiue ea, quæ ad ſubſtantiam dicuntur, &c. Confirmatur, quia definitio motus, quod ſit actus eius quod eſt poteſtate, eſt per voces metaphyſicas: & Ariſtoteles in quinto Metaphyſicæ, cont. 4. & 17. inſuper 9. Metaph. definit *potentiam agendi & patiendi per eſſe principia motus*: conſtat itaque primum efficiens ad metaphyſicum pertinere. Idipſum oſtenditur de prima materie, cum enim metaphyſicus conſideret accidens, cuius eſſe eſt alteri inhærere, neceſſario tenetur materiem conſiderare. Et quod ille ſolum conſideret materiem primam, conſpicuum eſt triplici præſertim ratione: prima eſt, quia Metaphyſicus ſolus conſiderat materiem vniuerſe, diuiſam per ſenſilem & intelligibilem, vt conſtat ex 7. & 8. Metaphyſicæ: ſecunda, quia ille ſolus materiem conſiderat in prima notione, at materies in prima notioñe eſt prior ſeipſa in ſecunda notione: tertia, quia metaphyſicus refert materiem ad materiata, tanquam entia, eamque conſiderat vt principium entis, quæ eſt conſideratio prior. Conſiderat itaque metaphyſicus omne genus cauſſæ, & ſolus vere conſiderat primum cuiuſque generis: quod demum oſtendo per principia ab ipſomet Auerroe prolata, & primo ita argumentor. *Qui conſiderat principia, cauſſas, & elementa, conſiderat omne genus cauſſæ: metaphyſicus conſiderat principia, cauſſas, & elementa: quare, &c.* Minor eſt Ariſtotelis ſub initio ſexti metaphyſicæ. Maiorem cogitur concedere Auerroes, cum exponens eas voces (principium, cauſſam, & elementum) aſſerat denotare quatuor genera cauſſarum. Inſuper ita argumentor. Qui conſiderat finem cuius gratia eſt motus, tenetur etiam conſiderare cauſſam efficientem, finis enim efficienti reſpondet, vt legitur in capite de ſubſtantia orbis: At inquit Auerro. in primo de anima 51. *Quare ſit melius cœlum moueri quam quieſcere, & quare in orbem potius quam recte moueatur, conſiderare, ad metaphyſicum pertinet:* Sic itaque Auerroes ſuiſmet verbis conuincitur. Nec ſatisfacit quorundam euaſio aſſerentium conſiderari à metaphyſico omnes cauſſas, vt modos entis, quatenus ens diuiditur in cauſſam, & id quod pendet ex cauſſa, nam formatæ oſtenſiones oſtendunt etiam conſiderari vt principia ſui ſubiecti, vel partium eius, ac etiam prima in omni genere abſolute á ſolo metaphyſico conſiderari. Ideo recte etiam Simplicius in primo phyſicorum 69. dixit, *materiem eminentiori modo conſiderari à metaphyſico.* Eſt itaque metaphyſicus omni ex parte ſapiens abſolute capite præditus, omni ex parte dominus, abſolute cæteras ſcientias ſibi ſubiiciens, & ſolus á ſupremo habitu intelligentiæ perficitur.

Oſtenditur primam materiem proprie ad ſolum diuinum pertinere.
Ratio prima.
Secunda.
Tertia.
Sententia Auerrois euertitur conceſſa ab eo.
Ratio prima.
Secunda.
Euertitur ſolutio quadam.
Epilogus.

Digitized by Google

Pro reſolutione difficultatis elucidatur dubitatio de ſubiecto metaphyſicæ.

CAP. XXIV.

QVoniam exacte loqui de attinentibus ad ſapientiam ſublimioris eſt ſcientiæ; propterea multa perſpicue paucis perſtringam, quæ alibi exquiſitiſſime explicaui. Accipio primo ſubiecti nomen, vt inſtituto inſeruit, dupliciter vſurpari. Primo pro obiecto, & re quauis de qua in ſcientia ſermo eſt: ita Ariſtoteles in ſecundo de anima, context. 180 & alibi, obiectum facultatis cognoſcentis nuncupauit ſubiectum: qua conſideratione abſolute omne quod eſt, latiſſime ſumtum, eſt obiectum ac ſubiectum metaphyſicæ. Secundo vſurpatur magis proprie: & tunc, dum ſubiectum metaphyſicæ quæritur, conſiderandum eſt vnum magni ponderis, quod eius eſt proprium, & non competit aliis. Id autem eſt, quod cum metaphyſica ſit ſapientia, quæ ex ſcientia & intelligentia eſt conflata, ideo tripliciter poteſt conſiderari: primo, vt eſt habitus conflatus ex ſcientia & intelligentia: ſecundo, ex parte ſcientiæ contradiſtinctæ ab intelligentia: tertio, ex parte intelligentiæ contradiſtinctæ á ſciẽtiæ: ob quam triplicem conſiderationem eius triplex poteſt aſſignari ſubiectum. Nam dum conſideratur ex parte intelligentiæ, ita ſubiectum ſiue obiectum eius ſunt prima principia, ſiue complexa, ſiue incomplexa, quæ non ab alio recipit, ſed per intelligentiæ habitum propria ratione conſiderat: & principale obiectum eſt Deus. Si ſecundo conſideratur ex parte ſcientiæ contradiſtinctæ ab intelligentia, ſubiectum eius cenſeri debet ens dependens ac compoſitum, quod proprie & per denominationem ens dicitur, & hoc eſt id, quod in decem prædicamenta vel proprie, vel per ſimilitudinem diſtribuitur: dico per ſimilitudinem, quia quinque modis cenſeo res ad prædicamentum pertinere. Vel enim in eo directe continentur, vt genera, & ſpecies, vel à latere, vt differentiæ, vel ſub prædicamento, vt indiuidua, vel ſupra, vt principia: vel per ſimilitudinem & analogiam, vt cœlum & eius accidentia. Cum enim æterna proprie non ſint ſub genere prædicamenti, quod vniuocum eſt, & per oppoſitas differentias diuiditur: in eo ſaltem ſunt ſimilitudine, & analogia quadam: huiuſmodi itaque ens compoſitum ſtatui debet ſubiectum metaphyſicæ conſideratæ pro parte, quæ eſt ſcientia contradiſtincta ab intelligentia. Et quia huiuſmodi ens eſt ab vno, & primo dicitur de ſubſtantia, & eorum, quæ ſunt ab vno, id quod primum eſt, nedum dicitur principale, ſed etiam proprie ſubiectum: ideo hac conſideratione ſubſtantia & principale, & proprie ſubiectum metaphyſicæ ſtatuitur, vt aperte conſtat,

Primum quod accipitur.

Nomen ſubiecti dupliciter vſurpatur.

Metaphyſica tripliciter conſideratur.

Triplex ſubiectum metaphyſicæ.

Quinq; modis res in prædicamento.

Eorum quæ ſunt ab vno, quod eſt primum, etiam eſt proprie ſubiectum.

Digitized by Google

ex principio quarti metaphyſicæ. At ſi demum metaphyſica conſideratur ratione vtriuſque, vt inquam ſapientia ex ſcientia & intelligentia conflata, ita obiectum ac ſubiectum eius iudicari debet congregatum ex vtriſque: ens inquam extenſum ad principia, & ad ea, quæ ex principiis pendent, inter quæ principatum obtinent principia, non ſecus ac intelligentia præfertur ſcientiæ. Hæc de ſubiecto metaphyſicæ elucidatio, tam conſpicue elicitur ex ipſomet Ariſtotele, vt nil clarius: inquit enim in primo libro magnorum moralium, capit. 33. *cum ſapientia ex intelligentia & ſcientia conſtetur, ideo in eis verſabitur, in quibus intelligentia & ſcientia verſantur, &c.* Ex his hanc elicio oſtenſionem, ſapientia in eo verſatur, in quo verſantur ſcientia & intelligentia, metaphyſica eſt ſapientia, vt dicitur in eius proœmio, quare in eo verſatur in quo verſantur intelligentia, & ſcientia, ex quibus conſtat: id autem in quo habitus verſatur, dicitur modo aliquo ſubiectum eius. eadem elucidatio & veritas elicitur ex ſexto Nicomachiorum, capite ſeptimo, quo loci hæc verba leguntur, *ſapientem igitur oportet non ea ſolum intelligere, quæ ex principiis colliguntur, ſed etiam in principiis verſari; de illis vera loqui, &c.* Ex quo conſtat, quod quicunque noſtræ elucidationi aduerſantur, conſpicue cum Ariſtotele pugnant. Hinc nonnulli viri acuti, qui pro viribus nixi ſunt ſententiam meam hac de re euertere, tantum abeſt vt id ſint aſſequuti, vt potius eam conſpicue comprobarint, cum inſtantiæ quas magno ſtudio, & cura excogitarunt, adeo ſint leues, vt vix in gradum dialecticorum rationum aſcendant, quod erudite, & exacte patefecit Octauius Roccius Brixienſis, philoſophiæ doctor egregius, eiuſdem lector publicus, menſque auditor accuratiſſimus, in libro quem viuens edidit de intelligentiarum conſideratione. Ex his varia colligere valemus ſcitu perpulcra & vtilia. Colligo primo, ſeparatas mentes partim eſſe principem ſpeciem ſubiecti metaphyſicæ, partim non ſpeciem, ſed principia ſubiecti eius. Colligo ſecundo, tum ens late ſumtum ad omnia extenſum, tum ſeparatas formas, tum ens concretum, tum ſubſtantiam compoſitam, eſſe ſubiectum metaphyſicæ. Colligo tertio, metaphyſicam iure optimo ab Ariſtotele frequenter dici ſcientiam de ſeparatis formis, vt conſtat ex proœmio de anima, ex ſecundo phyſicorum, 26. & locis aliis. Dicitur enim de ſeparatis formis: primo, quia ſunt id, per quod præcipue à phyſica ſecernitur, & ſupra eam collocari dicitur, nam cætera omnia, quamuis diſtincta ratione, etiam à phyſico conſiderantur: ſecundo, quia denominatio fit ab eo, quod eminentius ac præſtantius eſt. huiuſmodi eſt intelligentia, & præſertim conſideratio ſeiunctarum

[Margin notes: Ἔνδειξις. — *Primum quod colligitur.* — *Alterum.* — *Tertium.*]

Digitized by Google

ctarum formarum: tertio, quia vires ſemper menſurari dicuntur per maximum quod poſſunt, & per terminum poſtremum ad quem extenduntur, vt conſtat ex primo cœli, contextu 116. Ratio quarta eſt, quoniam inquit Ariſtoteles in ſexto metaphyſicæ, contextu tertio: *Niſi darentur ſubſtantia abiuncta, phyſica eſſet prima philoſophia.* Cuius ſententiæ rationem non eam eſſe cenſeo, quam communiter latini afferunt, & cum eis Zimara: quia metaphyſica verſatur in rebus abiunctis, quarum duo ſunt genera, vel enim ſunt abiuncta per eſſentiam, vel per indifferentiam: quæ abiuncta per indifferentiam non darentur, niſi darentur abiuncta per eſſentiam: non enim datur commune, niſi dentur ea, quibus id commune eſt. Hanc rationem inanem puto: primo, quia commune ab vno non eſt natura vna in omnibus eadem, quæ exacte conſiderari poſſit ſeorſim à contentis ſub eo, explicatio enim eius, quod eſt ab vno, eſt explicatio contentorum ſub eo: ac tranſcendentia illa & indifferentia ab illis nuncupata, ſunt communia ab vno: quare ex notitia contentorum elucescunt, non autem ex ſola indifferentis naturæ conſideratione. Propterea de hac loquens Ariſtoteles in procemio de anima, contextu octauo dixit: *Animal vniuerſale vel nihil, vel poſterius eſt.* Inſuper, dum Ariſtoteles inquit conſiderari in metaphyſica ens quatenus ens, & eius principia; per ens non denotauit commune abiunctis, & iunctis cum materie: ei namque communi principia non competunt, ſed denotauit ens compoſitum, & concretum. Ita frequenter philoſophus per id quod eſt, compoſitum ſignificauit, vt in primo & in ſecundo phyſicorum ſeruare licet; ens enim cum ſit vox concreta, proprie ſignificat vere compoſitum: quod patefacit Ariſtoteles in quinto metaphyſicæ contextu 13. vbi explicans ens dixit dici dupliciter, ſecundum ſe, & ex accidenti, & per vtrunque membrum denotauit compoſitum, vt conſtat ex eius verbis accurate conſideratis. Et aperte ſuam ſententiam explicauit Ariſtoteles ſub initio quarti metaphyſicæ; quo loci cum dixiſſet, *principia & ſupremas cauſſas alicuius natura per ſe eſſe debere, & eam eſſe ens quatenus ens,* addit; *Ens multipliciter quidem dicitur, ſed totum ad vnum principium, quadam enim, quoniam ſubſtantia, entia dicuntur, quoniam affectiones ſubſtantia; quadam quoniam via ad ſubſtantiam, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, &c.* Indicans ſemper eam ſubſtantiam, quæ primo dicitur ens, eſſe ſubſtantiam compoſitam. Dicamus itaque, quod dum Ariſtot. dixit; *niſi darentur ſubſtantia abiuncta, phyſica eſſet prima philoſophia*: minime denotauit eas eſſe ſubiectum metaphyſicæ: ſed id eatenus eſſe verum, quatenus, niſi darentur ſubſtantiæ abiunctæ, nullum daretur primum cauſſæ genus,

Explicatur locus ſexti metaphyſicæ.

Reiicitur communis ſententia.

Ens dicitur dupliciter.

Opinio propria.

Digitized by Google

ad quod non poſſet modo aliquo eleuari phyſicus, ac ita phyſica eſſet prima philoſophia: veluti etiam in primo de partibus animalium dicebatur; *ſi phyſicus conſideraret mentem, quæ eſt abiuncta, & ex materie non pendens, nulla remaneret alia philoſophia*, hoc eſt, non amplius ſupra ſe haberet metaphyſicam, quæ ſola ad ſeparata principia eleuatur: nam loquitur tunc philoſophus de conſideratione animæ, quæ conſideratur à phyſico, non vt ſpecies ſubiecti, ſed tanquam principium potioris ſpeciei: gradus enim conſiderationis principiorum reſpondet gradui ſcientiæ, & modo conſiderandi eius. Hinc veteres philoſophi, qui nil ſupra corpus excogitarunt, & naturam iudicarunt primum principium, etiam ſcientiam de natura primam ſtatuerunt. Quamuis enim, circumſcriptis imaginatione ſeparatis mentibus, excogitari poſſet modus quidam alius eadem corpora phyſica conſiderandi (nempe vt entia) tamen quia ea prædicata, præter id quod ſolum competerent phyſicis, principia non haberent eminentioris gradus: propterea non diſtinctam conſtituerent ſcientiam, ſed in phyſica conſideratione includerentur. Quarto ex hac elucidatione colligo, iure Ariſtotelem 11. metaphyſicæ, capite ſexto aſſeruiſſe præſtantiam metaphyſicæ ortum ducere ex præſtantia ſeparatarum mentium, tanquam ex præſtantia rei conſideratæ: nam quamuis ſeparatæ mentes rectius dicantur principia ſubiecti, quam ſubiectum metaphyſicæ: tamen, quia eſt ſapientia, quæ pro ſui parte includit intelligentiam, quod cæteris ſcientiis non competit, ideo præſertim, ex eo quod ad intelligentiam pertinet, eminentem dignitatis gradum ſibi optat. Demum ex eadem elucidatione conſtat, quomodo enti vt ens eſt, principia & affectiones competant: nam principium & affectio debet modo aliquo ab eo differre, cuius principium & affectio eſt. Principia itaque entis minime debent eſſe entia, ne idem ſit principium ſui: & propterea entis vniuerſe ſumti principia eſſe non poſſunt; at entis pro dependente & compoſito ſumti dantur principia, quæ non ſunt entia per denominationem & compoſita, ſed principia eius: ea autem dicuntur ſolum entia, vt ens contradiſtinguitur à nihilo. Ita Plato *Deum* dicebat *eſſe non ens, ſed ſupra illud, & principium eius*: quod etiam fecit Ariſtoteles in 8. phyſicorum, cont. 52. quo loci *Deum* nuncupauit *principium entis*. Et huiuſmodi ens de ſuis differentiis prædicatur, quia cum non ſit genus, ſed commune ab vno, caret propriis differentiis, & quæ nuncupantur differentiæ ſunt gradus & modi quidam eius, de quibus commune iure prædicatur. Ita variæ diluuntur difficultates, vt conſideranti redditur notum.

Quartum quod colligitur.

Quintum.

Principia entium an dicantur entia.

Cur ens de ſuis differentiis prædicetur.

Diluun-

Digitized by Google

Diluuntur aduerſa rationes. CAP. XXV.

EX præcedente elucidatione facile modo eſt colligere ſolutiones earum rationum, quibus oſtendebatur, metaphyſicum non conſiderare omne genus cauſſę. Dicebatur primo, eum nec materiem, nec ſufficientem conſiderare poſſe, quia conſiderata ab eo ſunt vt rectum, non vt ſimum, vt dicitur ab Ariſt. abſtrahit enim à materie, á tranſmutatione & motu. Reſpondeo metaphyſicum hac ratione ab eis abſtrahere, quatenus in modo conſiderandi eius non actu includuntur, vt in modo conſiderãdi naturalis philoſophi, at non ob id penitus excluduntur: vt qui dicit animal, non includit actu hominem: at non ob id illum excludit. Inſuper dicitur ab eis abſtrahere, dum conſideratur, vt diſtinguitur à phyſico per habitum intelligentiæ ei iunctum, vt enim monet philoſophus in primo de cœlo, contextu 116. vires menſurantur per maximum, ad quod extendi poſſunt: non igitur ab eis ita abſtrahit, vt non valeat, diſtincta tamen ratione ac id facit phyſicus, ea conſiderare. Nam qui conſiderat diuiſionem entis in ſubſtantiam & accidens, & conſiderat quod accidentis eſſe ſit alteri inhærere, neceſſario tenetur conſiderare materiem vt cauſſam accidentium. Addebatur inſuper, metaphyſicum conſiderare ens, & entis vt ens quærere cauſſas; ens autem vt ens non includit omne genus cauſſæ. Hæc ratio leuis eſt, tres potiſſimum ob cauſſas. Prima eſt, quia iam patuit id ens, quod proprie eſt ſubiectum metaphyſicę, eſſe illud quod eſt compoſitum, & in decem prædicamenta diſtribuitur, cui competunt omnia genera cauſſarum. Decem enim prædicamenta ſunt rerum mortalium: & quamuis ſimilitudine quadam cœlum redigatur ad prædicamentum ſubſtantiæ, hoc nihil refert, quia etiam cœlo ratione motus competit materies & efficiens. Altera eſt, quoniam ſecus ſe habet de reduplicatione vniuoci, & eius quod eſt ab vno: vniuocum eſt natura vna in omnibus eadem, ideo reduplicatio cadit ſuper eam conſimiliter in omnibus ſe habentem: at id, quod eſt ab vno, non eſt vna natura eadem in omnibus, ſed varia varietate graduum quibus competit; & huiuſmodi nomen ab vno proxime ſignificat gradus eos, quibus competit: propterea, dum fit reduplicatio, non reduplicatur natura aliqua penitus vna, ſed diſtincta per varios gradus: ideo conſiderans ens vt ens, tenetur cõſiderare ea, quæ ſunt principia & cauſſæ diſtinctorum graduum eius: adeo vt ad conſideratioñẽ omnis generis cauſſæ, ſat ſit, vt aliquis gradus entis omne genus cauſſæ includat; á maximo enim ſumitur denominatio virium. Veluti phyſicus cum conſideret principia corporis phyſici, vt phyſicum eſt, quamuis cœlum & mundus ex ſentẽtia Ariſtotelis efficiente careant, nec-

Solutio primæ inſtantia.

Solutio ſecund.

Diſtinctio vniuoci & communis ab vno.

non forma, quæ natura ſit, dicitur tamen per ſe conſiderare genus omne cauſſæ, vt patet ex ſecundo phyſicorum, nam corpus phyſicum non vniuocum, ſed ab vno eſt. His tertio accedit, quod ea dictio (quatenus) frequenter non veram reduplicationem, ſed potius modi explicationem ſignificat. Colligamus itaque & metaphyſicum & phyſicum conſiderare omne genus cauſſæ, vel conſideratione diſtincta, vel conſiderando diſtinctos gradus cauſſarum, vel ſaltem, quia abſoluta eſſentia cum primæ materici, tum primi efficientis, à ſolo metaphyſico conſideratur. Hoc tamen Auerroi, & aſſeclis eius condonare valemus, quod modi, quibus efficiens & materies ſunt cauſſæ, conſimiliores ſint modo conſiderandi phyſici, quam metaphyſici, vt è contrario modi, quibus cauſſæ ſunt forma & finis, conſimiliores ſunt modo conſiderandi metaphyſici: ideo Ariſt. nonnunquam materiem & cauſſam & efficientem, vt principium eſt motus, videtur excludere à conſideratione diuini philoſophi, vt 11. metaphyſicæ, c 1 & 6. At de his ſatis.

De his, qui inter Græcos ſapientiæ cognomine fuerunt honeſtati. Cap. XXVI.

PRætermiſſis altioribus quæſtionibus ad primum philoſophum pertinentibus, de his qui ſapientiæ cognomine inter Græcos fuerunt honeſtati, aliquid dicamus. Ex numero pene innumero philoſophorum, quæ in vniuerſa Græcia floruerunt, nonnulli refulſere, quibus felici potius ſorte, quam ſorte meritis contigit, vt communi populorum ore ſapientum cognomine fuerint honeſtati, de quorum numero ſententiæ ſunt variæ. Nam ab Hermippo in libro de ſapientibus decem & ſeptem enumerantur: Solon ſc. Thales, Pittacus, Bias, Cleobolus, Chilon, Periander, Anacharſis, Aceſilaus, Epimenides, Leophantus, Pherecydes, Ariſtodemus, Pythagoras, Laſus, Hermioneus & Anaxagoras. Ex his alii ſeptem eligunt, quos vocant Græciæ ſapientes: in quibus eligendis non conueniunt. Nam Dicæarchus quatuor enumerat omnium conſenſione ſapientes, Thaletem, Biantem, Pittacum & Solonem: his ſex ſuperaddit, Ariſtodemum, Pamphilum, Chilonem Lacedæmonium, Cleobolum, Anacharſim & Periandrum: ex quibus tres eligit, vt ſeptem ſeruet Græciæ ſapientes. Sed cum alii alios numerent, hi præſertim ab omnibus ſunt approbati: Thales Mileſius, Solon Salaminius ſiue Athenienſis, Chilon Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Pyreneus, Cleobolus Lydius, Periander Corinthius. Plato tamen in Protagora pro Periandro Myſonem Cheneum enumerat. Horum ſapientum variæ referuntur ſententiæ, quarum multæ apud Diogenem Laertium leguntur, nonnullæ apud Platonem in Protagora, quo in loco inquit Plato, *eos omnes fuiſſe*

Hermippus de numero ſapientum.

Dicæarchus.

Plato.

ſtudio-

ſtudioſos Lacedæmoniæ ſapientiæ, quæ talis erat, vt breuibus ea enunciarentur, quæ æterna memoria eſſent digna: veluti, *Teipſum noſce, Nihil nimis, Statera ne tranſgrediamini, Bonum manere difficile eſſe; & ſimilia.* Hi num vere fuerint ſapientes, & qua ratione ſapientes fuerint, non conſtat; nam Anaximenes ait, *omnes poeticæ magis fuiſſe ſtudioſos, quam re vera ſapientes:* Dicæarchus, *neq; ſapientes, neque philoſophos fuiſſe eos aſſerit: ſed probos & cordatos viros, legumq; latores.* At poetica non obeſt, quia priſci ſimul erant poetæ, theologi & phyſici. Inſuper, ſi re vera fuere probi & legumlatores, etiam fuere ſapientes ſaltem ea ſapientia, quæ tunc florebat: non enim prudentia ſuis numeris perfecta ſine ſapientia cōſiſtere valet, & præſertim: cum dicat Plato in 4. de rep. *ſolam ciuilem ſcientiam iure dici ſapientiam, cum per eam veneremur diuina.* Dicamus itaq;, vere ſapientem debere ſibi & aliis ſapere, cum ſibi ſapiat, ſapere debet omni ex parte: ille ſapit omni ex parte, qui cum in attinentibus ad verum, tum in attinentibus ad bonum ſapit; ſapimus in attinentibus ad verum per philoſophiam theoricam, in attinentibus ad bonum per ciuilem: & cum primo ſapiat ſibi, dicitur deinde ſapere aliis, ſiue pro aliis: ſapit aliis in attinentibus ad verum, qui alios docere valet, ſignum enim ſapientis eſt poſſe docere: ſapit pro aliis in attinentibus ad bonum, qui alios recte inſtruit, leges condit, & magiſtratus inſtituit. Quicunque ita ſe habent, abſolute ac omni ex parte ſapere dicuntur, diuinaſq; mentes æmulantur: vt enim ſeparatæ mentes per veram ſapientiam cognoſcunt omnia, beantur, & ad infera conuerſæ cuncta gubernant, ita qui hac forma ſunt ſapientes, conſimilibus conditionibus ſunt prędıti. Hęc ſapientia non eſt vnus mentis habitus à cæteris contradiſtinctus, ſed quatuor præſtantiores includit, & á ſapientia intelligentiam includente, vt à præſtātiore nomen recipit: hanc ſapientiam in Epinomide circumſcripſit Plato inquiens, *dubitandum non eſſe, quin bonus vir ſapiens ſit, ſapientem autem illum iudicat, qui cum diuina ſpeculatus fuerit, recte de humanis ſapit, eaq; moderatur.* Dum igitur quæritur, an illi qui Græciæ ſapientes dicti fuerunt, re vera ſapientes fuerint: cenſeo dicendū, eos re vera (ſaltem facta inter homines eorum temporum comparatione) fuiſſe ſapientes, & ſapientes quidem eo ſapientiæ genere, quod nuper explicatum fuit. Hoc colligitur ex præclaris eorum ſententiis, ex legibus, quarum multi eorum fuere conditores, quæ indicant eos fuiſſe viros prudentes, ac ea prudentia ornatos, quę ex veri cognitione deducitur. Hinc Thales Mileſius rebus cœleſtibus & diuinis accuratiſſimam dicitur nauaſſe operam. Ex his colligo non omni ex parte veram eſſe ſententiam illam Ciceronis prolatam in quinta Tuſculana, comprobatam in Bruto, necnon in primo Academicarum quæſtionum: *Socratem*

An vere fuerint ſapientes.

Sententia propria.

Qui vere dicantur ſapere.

Solutio difficultatis.

Sententia Ciceronis dubia.

primum deuocaſſe philoſophiam è cœlo, & in vrbibus eam collocaſſe: indicans veteres ſapientes fuiſſe verſatos in ſola diuinorum contemplatione: Socratem vero ad humana deſcendiſſe, & de hominum inſtitutione fuiſſe ſolicitum: nam veteres etiam de humanis fuere ſoliciti: quod indicarunt per aurea eorum præcepta, ſalutares leges, probamque ſuæ vitæ inſtitutionem. Defendi tamen poteſt Cicero, aſſerendo eius ſententiam eſſe veram facta comparatione: veteres enim magis in diuinorum conſideratione verſabantur; Socrates contra maxime in attinentibus ad vitæ inſtitutionem: quam philoſophiam in vrbibus collocauit, nedum ob cauſſam relatam, verum inſuper, quia ex diſputationibus, ſententiiſque eius, variæ in variis vrbibus prodiere philoſophorum ſectæ. Sed oritur dubitatio, quia Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 8. oppoſitum aſſerere videtur, inquit enim: *Ex iis igitur, quæ diximus, perſpicuum eſt ſapientiam eſſe earum rerum, quæ ſunt honore digniſſima natura, ſcientiam, & intelligentiam: Quocirca Anaxagoram, Thaletem cæteroſq; tales viros, ſapientes quidem eſſe dicunt, prudentes vero nequaquam, cum videant ea, quæ ſibi vtilia ſunt, ignorare: atq; eos fatentur recondita, atq; eximia quædam, & admirabilia, & difficilia, & diuina tenere, ſed inutilia, quia humana bona non quærunt, &c.* Hæc ſatis aperte his, quæ nuper dixi, aduerſari videntur, dixi namque, eos ſapientes etiam fuiſſe prudentes. Soluitur hæc dubitatio per duo fundamenta, quæ ex Ariſtotele eliciuntur. Primum eſt, hos non fuiſſe prudentes, non quidem ob inſcitiam & imperitiam, ſed ob negligentiam: neglectis enim mortalibus diuina magnifaciebant. Hoc declarauit Ariſtoteles in primo de republica exemplo Thaletis, qui præuidens ſterilitatem olearum, indicauit ſibi facile fuiſſe ditari, ſed diuitias paruipendere: ſimiliter Plato huiuſmodi negligentiam frequenter obiicit vetuſtioribus philoſophis. Alterum fundamentum eſt, quia ea prudentia, quam viri populares inficiabantur Thaleti & Anaxagoræ competere, non vera prudentia erat, ſed ſolum prudentia popularis, qua homines diuitiarum ac propriarum vtilitatum ſunt ſoliciti, neglectis publicis domeſticiſque curis: de qua ait Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 8. fuiſſe loquutum Euripidem, dum carmina huius ſententiæ protulit:

Dubitatio.

Solutio.

Prudentem enim quis me putet mortalium.
Cui ſuppetebat abſq; vllo negotio.
In totius turba numerato exercitus.
Sortem parem obtinere ſapientiſſimo?
Prudentiores namq;, & eos, qui pluribus
Se rebus implicant, male odit Iupiter.

Hac profecto prudentia illi viri ſapiẽtes nequaquam fuere prudentes.

dentes, ſed veram prudentiam patefecere, dum condidere variis populis ſalutares leges, ac inſuper dum aureas enuntiarunt ſententias inſtitutioni vitæ accommodatas. Hinc Ariſt. ea verba, quæ ego dubitans retuli, non ex ſententia protulit, ſed tanquam à multitudine hominum prolata: qui eos conſueuere nuncupare ſapientes, qui neglectis humanis diuina quærebant, prudentes vero è contrario, qui de propria vtilitate erant ſoliciti: hoc tamen verum eſt, quod eorum nonnulli magis vacarunt contemplationi, alii rectæ hominum inſtitutioni. Vetuſtioribus autem ſapientibus ſucceſſit deinde Pythagoras, Socrates, Plato & Ariſtoteles; qui (vt ſuo nomine patefacit) perfectioni ſapientum optimum adhibuit finem, & poſtremum addidit colophonem. Nec tamen nos fugere debet, quod, quamuis apud varios ſcriptores ſoli Græciæ ſapientes celebrentur, non propterea ipſi fuere primi ſapientiæ inſtauratores, ſed longe prius floruit ſapientia apud Aſſyrios, Armenos, Chaldæos, à Chaldæis ad Hebræos mox translata fuit, ab Hebræis in Ægyptios effuſa eſt; præſertim per Ioſephum & Iacobum, qui in Ægyptum cum vniuerſa familia commigrarunt, vt in Geneſi legitur: ab Ægyptiis in Græcos eſt propagata, qui de Ægyptiorum theologia fuere ſoliciti indagatores, & ob eam ſapientiores Græci frequenter in Ægyptum nauigarunt, vt Anaxagoras, Pythagoras, Plato & alii. *Et Apollonius Thyaneus* (referente D. Hieronymo in epiſt. ad Paulinum) *intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum* (latiſſimo Phyſon amne tranſmiſſo) *peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu docentem, audiret: inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aſſyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæſtinos reuerſus Alexandriam, perrexit Æthiopiam; vt Gymnoſophiſtas, & famoſiſſimam ſolis menſam videret in Sabulo, &c.* Hæc D. Hieronymus. Conſtat itaque Græcos ab alienis nationibus ſapientiam hauſiſſe, à quibus deinde ad Latinos vna cum imperio translata eſt. Ideo Ariſt. in primo de cœlo 21. barbaros Græcis præfert: & Plato in Timæo Græcos comparatos cum barbaris pueros appellat, tanquam ignaros antiquitatum: ſimiliter in Epinomide Ægyptios, & Syrios accurate ait primo ſeruaſſe ſtellarum curſus. Ex quo conſtat errаſſe Diogenem Laertium, qui ſub initio libri de vitis Philoſophorum inquit; *non Barbaros, ſed Græcos fuiſſe ſcientiarum priores parentes*: idque confirmat per Linum & Muſæum; qui cum fuerint Græci vetuſtiſſimi, etiam inter ſapientes fama notos extitere. At firmius Ariſtoteli, Platoni, D. Hieronymo, & variis hiſtoriis credendum eſt, quæ oppoſitum affirmant: & quod dicit

Quæ prudentia viri ſapientes præſtent.

Græci non fuere patres ſapientiæ.

Apollonius Thyaneus. D. Hieronymus.

Carpitur Diogenes Laertius.

Digitized by Google

de Lino & Muſæo, exigui ponderis eſt; tum, quia eos alii Barbarorum præceſſere, ſapientes; tum inſuper, quia illi potius poetæ ob antiquitatem celebres, quam re vera ſapientes fuerunt. At dicet aliquis, ſi barbari potius quam Græci ſunt ſapientiæ patres, cur ſoli Græcorum, non autem barbarorum ſapientes celebrantur? Dicendum id ex duplici cauſſa ortum ducere: vna eſt, quia latini proxime à græcis ſapientiam receperunt, & ideo eam celebrant vna cum græcis: altera eſt, quoniam (vt inquit Plato in Epinomide) *quicquid græci à barbaris receperunt, melius reddidere, ac eis poſtremam perfectionem adhibuerunt*: at apud alias nationes putandum eſt alios ſapientes celebrari.

Cur ſoli Græcorum ſapientes celebrantur.

Comparatio Ariſtotelis cum Platone. Cap. XXVII.

HOc in loco latiſſimus & accommodatiſſimus ſe offert digrediendi campus. Cum enim ſermo præceſſerit de græcorum ſapientibus, inter quos Plato & Ariſtoteles perinde ac duo ſplendidiſſima lumina refulſerunt, iure animus ſapientiæ amator quæret, quinam eorum inter ſapientes re vera ſibi principatum vendicauerit, & iure quæret: nam animorum acies in ſplendorem ſapientiæ eorum conuerſa, ab exſuperanti lumine circũfuſa, potius obumbratur & obtunditur: quam valeat exacte iudicare, quinam alteri præſtet, & in ſapientiæ regia regium ſibi locum optet. Non defuere nonnulli, animo ac iudicio adeo peruerſe affecti, vt vtrumque tanquam nugacem, mendacem, & leuem neglexerint. Alii minus inſanientes vnum maximi fecerunt, ſpreto altero: qui oppoſitæ fuere conditionis; nonnulli enim Platonem tantum commendarunt, neglecto Ariſt. alii vice verſa, neglecto Platone, ſolum Ariſt. laudibus extulerunt: at viri omnes acriore iudicio præditi, vtrumque re vera humanæ ſapientiæ lumen iudicarunt: qui deinde ob eximiam in eos reuerentiam, vel eos conciliare, vel eorum decreta pro veri indagatione accurate inuicem conferre conati ſunt, & hi poſtremi profecto via regia ad ſapientiam progrediuntur, & cæteris longe ſunt anteponendi. Nam qui Ariſt. cum Plat. de rebus altiſſimis continenter diſputantem interpretantur, nec exacte quid re vera ſenſerit Plato prænouerunt; non audita parte iudicium proferunt, & tanquam cæci eorum aſſeclas in foueas tenebrarum detrudunt. Et iure vtrumque maximi facere debemus, cum ambo fuerint tales, vt diſtincta quadam via ad culmen ſapientiæ progreſſi, æque ad illud ſe extulerint: nam in vtroque proprium aliquid reperitur, in quo nemini eſt ſecundus; taliſque vtriuſque eſt abſolutio, vt ab animo recte affecto deguſtata, nihil vltra in eo genere deſideretur. Quod vt clarius conſtet, animo accurate perpendendum eſt, duplicem eſſe viam aſſequendi poſtremam perfectionem, duplexque eſſe genus aſſequendi ſcientias & artes: vnum

Plato & Ariſtot. duo ſapientiæ lumina.

Homines erga Ariſtotelem & Platonem vario modo affecti.

Damnantur qui ignari ſententiæ Platonis Ariſtotelem interpretantur.

Cum Plato, tum Ariſtoteles, ſummi ſunt genere diſtincto.

Digitized by Google

vnum per doctrinam, diſciplinam & auſcultationem; alterum per inuentionem, excitationem & reminiſcentiam; primum præſupponit humanam mentem penitus eſſe poteſtate, natam fieri omnia, formarique ab omnibus, quod cenſuit Ariſt. alterum præſupponit eam in ſe habere ideas, vel rationes rerum, obumbratas tamen & latentes ob connexionem cum corpore, quod cenſuit Plato: primum infera ex materie & forma conflata, ſub ſenſum cadentia, res ſerias & abſolutas præſupponit: alterum eadem præſupponit vt vmbras, imagines, & idola excitantia ad internas animi rationes, mentiſque ideas. Horum duorum generum vtrum firmius & verius ſit, Deus ſcit; nos autem eatenus abſolute verum cognoſcimus, quatenus diuinitus illuſtramur. Ariſt. in primo genere excelluit, Plato in altero: Ariſt. pro attinentibus ad primum genus nemini eſt ſecundus, omnibus longe præſtat, Plato pro attinentibus ad alterum: Ariſt. pro explicandis ſcientiis vſus eſt genere docendi continuato & auſcultatorio, quia id genus ad doctrinam & diſciplinam eſt accommodatiſſimum; Plato contra vſus eſt genere dialogico, per diſputationem cum interrogatione & reſponſione, vt ingenia excitaret, ac inde ea excitata reminiſcerentur, & quaſi vtero gerentia fœtum ederent: pro docendis & ex integro formandis ſcientiis vti debemus præcipue ordine compoſitiuo, methodo depromto ex eſſentialiter connexis, vocibus propriis, non redundantibus; quod exactiſſime ſeruauit Ariſt. ad excitanda ingenia vtiles ſunt argutiæ, metaphoræ, orationes copioſiores, diſſimulationes. Ideo ex ore Platonis flumen quoddam eloquentiæ incomparabili dulcedine circumfuſum vberrime manauit, quo latius ingenia expergefacit: manarunt argutiæ, quibus acutius, metaphoræ, quibus popularius fœcundi animi excitantur ad partum: & ad detegendam ſophiſtarum ſui temporis, deprauatam inſcitiam vſus eſt Socratica illa ironia & diſſimulatione, qua nil vrbanius, nilque aptius ad id efficiendum excogitari poteſt. Pro ordinandis docendiſque ſcientiis neceſſaria ſunt principia ſolida, firma, conſtantia, ex ſenſilibus nobis familiaribus depromta, quod ſeruauit exactiſſime Ariſt. Pro excitandis ingeniis, latenteque ſcientia in lucem reuocanda, etiam dialecticæ & rhetoricæ rationes proſunt, quas venuſtiſſime format Plato: vt ab inferis excitemur & reuocemur ad ſupera, infera ſunt vilipendenda, aſſerendum ea non eſſe res ſerias, ſed imagines & vmbras; ſuadendum eſt de eis non eſſe ſcientiam, ſed leuem opinionem; quod ſua via progrediens Plato conſtanter ſeruauit: cum ex aduerſo Ariſtot. hauriens omnem noſtram ſcientiam ex ſenſilibus principiis, teneatur ſenſilia magnifacere, ſingularia res ſerias iudicare, & ideo in prædicamento ſubſtãtiæ ſingularia ſubſtantias

Duplex via & genus aſſequendi ſcientias.

Socratica ironia.

Cur Ariſtoteles profitetur ſe ſcire, Plato, minime.

Digitized by Google

primas affirmauit. Hinc manauit, quod, cum Ariſt. profiteatur ſe auctorem & formatorem ſcientiarum, quia ſignum ſcientis eſt poſſe docere, opinatus & confeſſus eſt ſe ſcire: cum ex aduerſo Plato cum ſuo Socrate, vt per negationem ad ſupera nos reuocaret, inſcitiã aliorum detegeret, & modeſtius nos excitaret, profeſſus ſit doctam ſuã inſcitiam, quæ erat (*hoc vnum ſcio, quod nihil ſcio.*) Ex quo conſtat, quam inſulſe nonnulli Platonem deſpiciant: quia ſcientias in ordinem non redegit, nec eas per ſua principia docuit, & nõ aduertunt, quod ſi id feciſſet, ſuam viam, ſuumque philoſophãdi genus euertiſſet. Profitebatur ipſe ſe nil ſcire, quare ſcientias in ordinem redigens, ſecum pugnaſſet. Profitebatur ſcientiam eſſe animæ inſertam, deſuperque ex rationibus & ideis per reminiſcentiam eſſe petendam: ideo ei ſatis fuit patefacere modos excitãdi ingenia: de rebus longe ſecus ſentiebat, ac viri populares, qui ſenſilia magnifaciũt, propterea nouit quod, ſi ſuæ ſententiæ ad aures populorum deuenirent, ab eis ſublimia nõ iudicantibus deſpicerentur. Plato ſuo genere vtens, hauriens cuncta per vmbras, ſemina, rationes & ideas ex ſuperis: quia ſupera longiſſime à nobis diſtant, & ſine ſuperno lumine cognoſci nequeũt. propterea magnam fidem adhibuit veterum legumlatorum, quaſi vocum Dei, teſtimoniis, quibus etiam ſine ratione loquentibus credendum in Timæo aſſeruit: ac inſuper internos quoſdam quaſi diuinos contactus maximi fecit, furorumq; varia genera ad ſupera nos reuocantia, ob ideas & rationes quaſi funiculos firmiora & magis ſalutaria exiſtimauit, quã id fecerit Ariſt. qui ſine ſerie rationum & idearum ſcientias, vt ex integro in nobis imprimendas docens, ea tantum approbauit, quæ ſenſibus experientię, ac oſtenſionib. ex eis deductis reſponderent. Sic itaque Ariſt. exactius vires humani ingenii periclitatus eſt, Plato magis in ſuperno lumine eſt confiſus: Ariſt. pro explicandis his, quę apparent, magis valuit, Plato pro nouis indagandis, formandiſque ſublimioribus abſtractionibus: Ariſt. in tradenda arte rhetorica refulſit, Plato in vſu: Ariſt. firmius hęret mortalibus, Plato liberiore ſpiritu nos eleuat ad ſupera: Ariſtot. nos exactiſſime format pro degenda hac mortali vita, Plato ſublimius nos dirigit ad futuram. Ambo ſuo progrediendi genere principatum ſibi vendicarunt: ambo ſe pręſtitere tales, vt gloriam pręcedentium ſuo ſplendore exobſcurauerint & poſteris ſe eis ęquandi ſpem abſtulerint: ambo in nos ſpirant fœcundiſſimos ſapientię ſpiritus. Debuit eminenti prouidentia pręcedere genus progrediendi Platonis, pro refellenda ſophiſtarum deprauata inſcitia, componendis animis, excitandiſque ingeniis. Debuit ſequi genus docendi Ariſtotelis, vt purgata, excitata, parataque ingenia congruenter formarentur. Quę non ſine Dei cura

Cur Plato ſcientias in ordinem non redegerit.

Digitized by Google

cura ordinata fuiſſe putandum eſt, vt hominum generi conſtaret, quod quamuis ingenia præxſtiterint prouidentia, natura, fortuna, & arte elaboratiſſima, non tamen eius fuere facultatis, vt veritatem exacte inſpicere valuerint. Propterea tertio ſucceſſit & acceſſit diuinũ ſupernumque lumen, per vnigenitũ Dei filium, quod ſolum valet omnem inſcitiæ nubem a mentis acie repellere, & lucidiſſimam veritatem detegere. Conſtat itaque, inter humana ſapientia fulgentes Ariſt. & Platonem ſibi principatũ optaſſe; conſtat vtrumque ſuo genere eſſe ſummum, nobis vtiliſſimum, à nobiſque accurate legendum: quod enim illi ſuo progrediendi genere non præſtiterunt, alius præbere nõ valet, & qui ad alterum eorum ſibi viam obſtruit, vno ſe mentis oculo priuat, quique eos omni ex parte conciliare nituntur, cũ eorum viæ ſint diſtinctæ, omnia euertunt cõfundunt, eis aduerſantur, & genera duo progrediẽdi vtiliſſima & diſtincta, inutiliter permiſcendo euertunt. Propterea alii via regia ad ſapientiã pgreſſi ſunt: vt non longe à noſtra hac tempeſtate, Vincentius Madius, vir acri quodam iudicio præditus, Marcus Antonius Genua, cui ego in explicanda Patauii philoſophia fui collega deſignatus, vir ſingulari quadam gratia inſignis, Franciſcus Vicomercatus, vario diſciplinarum genere perpolite ornatus. Sed vita functos ſilentio obuoluens, ad viuentes conuerſus, video refulgere Bononiæ Federicum Pandaſium, qui per ſeptennium in explicanda philoſophia Patauii fuit collega meus apprime honorandus, hunc noui ſemper moribus & ſapiẽtia illuſtrem: ibidemque refulget Nicolaus Turcus, vir acri iudicio, ſolidaq; doctrina præclarus: nec non Camillus Baldus in quo ſapientia cum affabilitate & humanitate de principatu cõtendunt; Senis inter humanæ ſapientiæ interpretes ſplendide cerno refulgere Iugurtam Thomaſium virum doctrina, prudentia, & ingenii dexteritate inſignẽ, & cum eo Fortunium Cinugum animi candore, & philoſophiæ habitu ornatiſſimũ. In Taurinenſi Gymnaſio refulget Auguſtinus Buccius philoſophus omni ex parte abſolutiſſ. Neapoli intueor Ioannem Bernardinum Longum, Romæ Hieronymum de Ponte, & Flamminium Nobilium, Piſis Frãciſcum, cognomine Verinum, Secundum, & Frãciſcum Bonamicum, Ferrariæ Antonium Montecatinum, virum ſublimi ingenio, ſummaque eruditione ornatiſſimũ, quod lucidiſſime patefecit doctiſſimis ſuis cõmentariis in tertium de anima. Hos ego omnes vt de ſapientia bene meritos, plurimi facio: vt interim varios ſilentio præteream, propria virtute ex ſe ſplẽdidiſſimos. Inter eos autem, qui humanã ſapientiam explicant, maxime fulgentẽ inſpicio reuerendum Thomam Pellegrinum, qui ſua ſapientia, iudicio acri, ingenioque ſublimi, iam omnẽ ſuperauit inuidiã: at

Epilogus.

Qui via regia ad ſapientiam ſint progreſſi.

Vincentius Madius Genua.

Franciſcus Vicomercatus.

Federicus Pandaſius.

Io. Bernardinus Longus.

Hieronym. de Ponte.

Flamminius Nobilius.

Franciſcus Verius.

Antonius Montecatinus.

Nicolaus Turcus.

Franciſcus Bonamicus.

Reuerendus Thomas Pellegrinus.

Digitized by Google

ad ſublimiores dignitatis gradus adhuc cõuerſus, varios intueor, qui humanã philoſophiã humi ſedentẽ ſublimẽ erexerunt, eamque ab omni errore purgantes, cũ diuina ſapientia feliciſſime cõiunxerunt: è quorum numero eſt illuſtriſſ. & reuerendiſſ. Archiepiſcop. Nicoſienſis Philippus Mocenicus, qui animo perfecta ſapientia fœcundo libros edidit vniuerſales inſtitutiones pro hominum profectione includentes, dignos profecto, vt à viro quolibet ingenuo legãtur, ſeruenturque memoria. Quid dicam de illuſtriſſimo & reuerendiſſimo Auguſtino Valerio, Epiſcopo Veronenſi digniſſimo & nunc Cardinali meritiſſ. qui ſiue ſublimia interpretetur, ſiue ſcribat, ſiue curæ ſui populi incumbat, ſemper ſupra humanam cõditionem ſe eleuat, & in cunctis ſapientiam, prudentiam, probitatemque patefacit. Inter huiuſmodi illuſtria lumina etiã fulgentẽ intueor illuſtriſſimum Tripoli Comitem, Cæſarem de Nores, reuerendiſſimum Parentii Epiſcopum, qui ingenii acumine ad ſublimia conuerſus, animi candore ſola purgata quærẽs, incomparabilique probitate humana componens, ſe talem præſtitit, vt Deo gratum, mundo vtilem, ſibique ſalutarem ſe reddiderit. At quid dicam de reuerendiſſimo Epiſcopo Craſſeti ſiue Volſarum, Domino Claudio Burgheſio? qui quamuis ſero ingenium ſuum ſublime ſapientiæ dicauerit, tam cito tamen, curſuque adeo felici ad culmen ſe extulit, vt aptiſſime ea ſententia illi congruat, veni, vidi, vici, propterea nunc ſuæ ſapientiæ fructibus incomparabili tranquillitate fruitur. Mitto varios æterna fama dignos, quos omnes honoro & magnifacio. Hi nõ Ariſtotelem ſpreuere, nec neglexere Platonem, ſed vtrumque humanæ ſapientiæ parentem ſibi familiarem reddidere: ab vtroque ſemina, ſpiritus, formamque ſapientiæ ſumſere, quibus elati, illuſtrati, & formati, ſe ſibi, vrbi, & orbi ſalutares, ſplendidiſſimos, & admirabiles reddidere.

Archiepiſcopus Cypri.

Epiſcopus Parentii.

Epiſcopus Craſſeti.

De ſcientia quotuplex ſit. CAP. XXVIII.

OMnes interna quadam animi commotione ſcientiam expetere, communi quadam voce dicuntur: num tamen hæc ſcientia re vera aliquid ſit; num ſit nata à nobis acquiri, quotuplex ſit, quid ſit, quomodoque à nobis comparetur, adeo obſcurum eſt, vt vniuerſa ſcientia in vniuerſam quandam inſcitiam conuerſa videatur. De qua cum varia ſe mihi offerant accurata conſideratione digna, eligam tamen potiora: & ea præſertim, quæ meo inſtituto magis accõmodata iudicabo: nec deſcẽdam ad ſpecies, ſed tantum in communibus verſabor. Latere primo nos minime debet, ſcientię nomen quadrupliciter vſurpari. Sumitur primo pro quauis certa rei cognitione: ita dicimur ſcire niuem eſſe albam, ignẽ calidum, nos ambulare, Alcibiadẽ ſedere: & hoc

Scientia quadrupliciter vſurpatur.

Primo.

& hoc præſertim ex veterũ philoſophorum ſententia verum eſt, qui mentem à ſenſu non ſecreuere. Vſurpatur ſecundo ſcientiæ nomen pro omni habitu mentis ſemper recto contradiſtincto à cognitione ſenſuum, & habitu non ſemper recto: in qua ſecunda ſignificatione Galenus artem medendi dixit eſſe ſcientiam, ſub initio libri artis medicæ: in eadem Ariſtoteles in primo Poſt. dixit, *nos ſcire principia demonſtrationis ſine demonſtratione: & ſcientia exactiore quam ſit illa concluſionis, quia propter quod vnumquodque eſt, & illud magis eſt.* In eadem ſignificatione prudentia à Stoicis definiebatur ſciẽtia bonorum, malorum, & neutrorum, & Ariſtoteles in proœmio moralium Nicomachiorum, ciuilem diſciplinam, quæ eſt eadem cum prudentia, nuncupauit ſcientiam. Tertio vſurpatur magis proprie, pro omni habitu acquiſito per demonſtrationem, cõtradiſtincto ab habitu ad actionem vel effectionem directo: in qua ſignificatione metaphyſica nedum eſt ſcientia, verum maxime eſt ſcientia, cum maxime conſtet ex primis: ideo in primo Poſteriorum dicitur, *ſcientia domina ceterarum, quæ maxime parit ſcientiam, cum vtatur cauſis ex aliis cauſis non pendentibus.* Quarto & vltimo loco vſurpatur preſſius adhuc ſcientiæ nomen, pro habitu demonſtratione comparato, contradiſtincto à ſapientia, in qua poſtrema ſignificatione phyſica & mathematica dicuntur ſcientiæ, metaphyſica vero ſapientia, & humana Theologia: & in hac præſertim ſignificatione de ſcientia loquar. Definiri poteſt ſcientia primo à logicorum relatione ad inſtrumenta ſciendi, ex quibus pendet, vt fit ab Ariſtotele in primo Poſteriorum: ſecundo à phyſico, vel tanquam affectio hominis, vel quatenus ex principali principio pendet, nempe ex mente phantaſiæ iuncta, vt conſideratur ab Ariſtotele in calce ſecundi, & in tertio de anima: tertio à Metaphyſico, cuius officium eſt conſiderare quod quid eſt rerum omnium, nedum vniuerſe, verum etiam in ſpecie vt ego cenſeo, ac inſuper cum relatione ad ens, & verum, quatenus ſcientia eſt veritas, & res vt ſe habent ad eſſe, ita ad veritatem, vt dicitur in ſecundo & quarto Metaphyſicæ. A morali demum conſideratur, vt eſt virtus hominis ordinata ad ſummum bonum eius. Vtitur moralis, dum ſcientiam definit, declaratis à logico, nec non à phyſico; ideo definitio ſcientiæ morali philoſopho ſatis accommodata, hæc eſſe poteſt: ſcientia eſt virtus mentis demonſtratione comparata, cuius veritas finis eſt. Dum ſcientia dicitur virtus, ſumitur genus morali congruens, cuius virtutis genus eſt habitus, dum additur, mentis, hoc recipit ciuilis à phyſico, quod comparetur demonſtratione, ſumit à logico, quod eius finis ſit veritas, præſertim ſumit à Metaphyſico. Nam ad exactam rerum cognitionem omnes ſcientiæ con-

Secundo. *Tertio.* *Quarto.* *Definitio ſcientiæ pertinet ad logicum.* *Ad phyſicum.* *Ad metaphyſicum.* *Ad ciuilem.* *Definitio ſcientiæ.*

Digitized by Google

Quotuplex ſit particularis ſcientia.

ſpirant. Verum hæc definitio etiã competit metaphyſ propterea, ſi eam ſecernere volumus ab aliis habitibus, ita dicamus: ſcientia eſt virtus mentis demõſtratione acquiſita, quę in partibus eius quod eſt, tanquam in adæquato ſubiecto, veritatem inquirit. Vt appareat quotuplex ſit hæc proprie ſumta ſcientia, ita dicẽdum cenſeo, ſcientia omnis in eo quod eſt, verſari debet, nam in eo quod non eſt, verſari nõ poteſt, quia non ens caret natura, caret eſſentia, caret principiis, nec vlli cognoſcenti facultati vt obiectũ reſpondet. Id autem quod eſt, vel conſideratur vniuerſe quatenus eſt, vel in parte: ſi vniuerſe conſtituitur metaphyſica, quæ cum ſit iuncta cum primis principiis, & omnia inquirat & doceat, ſapientia dicitur: ſi verſatur in parte, ea pars vel eſt ens rationis, vel naturæ, vel artis, vel prudẽtiæ. Ens rationis nõ vere eſt ens, ideo non proprie ſcientiam conſtituit: ſed ſi conſideratur cum relatione ad proprie ens, ad metaphyſicum pertinet, ſi conſideratur vt à mente producitur, pertinet ad phyſicum, ſi conſideratur vt inſtrumentum explicandi id quod proprie eſt, pertinet ad logicum. Ex quo conſtat, quam longe a vero recedunt illi, qui logicam ſtatuunt ſciẽtiam, quia verſatur in ente rationis: nam logicus, quid ſit ens rationis, & quæ ſint eius principia & affectiones, minime cognoſcit, id enim eſt munus phyſici, & metaphyſici: & cum logicus conſideret ens rationis, vt inſtrumentum, & ex modo conſiderandi conſurgat propria conditio, & natura conſiderationis, ſequitur neceſſario, vt logica inſtrumentum ſit, non ſcientia. Ens itaque rationis ſcientiã non conſtituit. Similiter ens arte elaboratum, non ad ſcientiam, ſed ad artem pertinet, vt humanæ actiones ex prudentia prodeuntes pertinent ad ciuilem. Si autem ea pars entis fuerit ens naturæ (intelligendo per ens naturæ omnia, quæ ad vniuerſi orbis cõſtitutionem conſpirant) huiuſmodi ens, vel eſt ſecretum penitus à corpore, vel non: ſi fuerit ſecretum, huiuſmodi ſunt ſeparatæ mentes, quæ ad intelligentiam & ſapientiam pertinent: ſi vero fuerit cum corpore complicatum, vel eſt ſubſtantia, vel accidens; ſi fuerit ſubſtantia, aliud eſſe non poterit niſi corpus phyſicum, quod totum à phyſico conſideratur: ſi vero fuerit accidens, id accidens, vel conſideratur tanquam affectio corporis phyſici, ac ita ad phyſicum pertinebit, vel cõſideratur cum abſtractione à corpore phyſico, huiuſmodi autem accidens nil aliud præter quantitatem eſſe poteſt. Et ratio eſt, quia quantitas eſt accidens illud, quod primo in ſubſtantia recipitur, nec ſubiectum ſibi certum ac definitum expoſcit: cetera vero recipiuntur interuentu quantitatis, & definitum quoddam expoſcunt ſubiectum: propterea quantitas ſeorſum à ſubiecto conſiderari poteſt, non autem cetera accidentia; quantitas enim eſt, vt curuum,

Logica non eſt ſcientia.

Ens rationis à quo & quo modo conſideretur.

Ars.

Prudentia.

Phyſica.

ſum, cetera accidentia, vt ſimum. Sola igitur quantitas diſtinctam ſcientiam parere valet, & ea eſt mathematica, quæ conſiderat quãtum vt quantũm, hoc eſt, vt ex ſe natum diuidi in partes, & menſurari: quæ conſideratio, ſi verſetur in communibus nonnullis, conſtituit mathematicam vniuerſe ſumptam, verum quia ea communia ſunt pauca, ideo mathematica communis negligitur, & partes cõſtituuntur. Nam quantitas vel eſt diſcreta, vel continua: ſi fuerit diſcreta, eſt numerus, qui pure ſine complicatione cum alio conſideratus, puram parit arithmeticam: at ſi fuerit complicatus cum aliquo ſubiecto, & ſeruauerit conſiderationem arithmeticam, ſic complicari poteſt cum ſono, & cõſurgit muſica, quæ ſubiicitur arithmeticæ, & cõſiderat numerum ſonorum vt quantum: ſi vero fuerit quantitas continua, ea vel eſt incompleta vt linea & ſuperficies, vel completa, vt corpus: ſi incompleta fuerit, ea poteſt conſiderari, vel ſecreta, & puram parit geometriam, vel cum aliqua materie complicata, ita tamen vt ſeruet modum conſiderando geometricum, & complicari poteſt cum radiis viſui inſeruientibus, & oritur perſpectiua. Si completa fuerit, pariter, vel ſecreta conſideratur, & oritur Stereometria, conſiderans corpus, quæ frequenter communi cum Geometria nomine deſignatur, cum ab ea recipiat principia, vel conſideratur complicata cum aliqua materie, ac ita cum mundo, cum cœlo, & cum mundi partibus complicari poteſt, & prodeũt Coſmographia, Aſtronomia, Chorographia, conſiderando mundum vel partes eius, vt quantæ ſunt. Vniuerſa itaque ſcientiarum ſeries hæc eſt. Prima eſt metaphyſica, quæ ſimul eſt ſcientia, ſapientia, & intelligentia: ſub ea eſt phyſica, quæ in ſubſtantia verſatur. Tertia dignitate eſt mathematica, quæ verſatur in quãtitate & ea eſt triplex, Arithmetica, Geometria, Stereometria: quibus ſubiiciuntur Muſica, Perſpectiua, Aſtronomia, & ſimiles. De quibus ſubalternatis dubiũ eſt, an debeant inter ſcientias numerari: ego tamen eas vt iunctas cum ſuis ſuperioribus ſcientias eſſe credo, alioquin per ſcientias non ſciretur omne ſub ſcientiam cadens ſingulis modis, quibus ſcire natum eſt; ideo ſeruant communem modum conſiderandi ſuarum ſuperiorum: vt vero à ſuperioribus ſeiunctæ, nequaquam ſcientiæ dici merentur, ſunt enim ſcientiæ munere ſuperiorum, à quibus principia recipiũt. At de his obiter, cum inſtituto meo non inſeruiant.

Mathematica. Arithmetica. Muſica. Geometria. Perſpectiua. Stereometria. Mathematica media. Series ſcientiarum.

Quomodo in nobis ſcientia producatur, opinio Platonis. CAP. XXIX.

TAM obſcure & imperfecte ſcientia homini competit, vt, quomodo ei conueniat, obſcuriſſimum ſit iudicare: pro-

Negãtes dari ſcientiam. pterea hac de re variæ fuerunt veterum philoſophorum opiniones. Cum enim omnes de hac veritate conſenſerint, id quod cadit ſub ſcientiam, debet eſſe firmum, conſtans, neceſſitateque pditum. ac ex aduerſo perſpexerint cuncta, quę ſenſu vſurpãtur, ac omnia phyſica corpora ſub cœlo poſita, varietati, inconſtantiæ, permutationiq; eſſe obnxia, qua ratione ſeruari poſſet ſcientia, ſummopere dubitarunt, & in varias iuere ſentẽtias. Nonnulli ob huiuſmodi fluxum & incõſtantiam ſcientiam è medio penitus ſuſtulerunt: horum princeps fuit Heraclitus, à quo Heracliticі fluxere. *Heracliti ſententia.* Alii mentem à ſenſu nõ ſecernentes, vniuerſam ſcientiæ facultatem ſenſibus tribuerunt, & ſenſus decipi non poſſe exiſtimarunt: è quorum numero fuerunt Democritus, *Democriti.* Leucippus Epicurus, Lucretius, & ceteri huius claſſis. Nonnulli comprehenſionem rerum negarunt, vel de quauis re pro omni parte diſputari poſſe aſſeruerunt, ac inde ortum duxere dialectici, Pyrrhonii, Zethici, Sceptici, Ephectici, Academici nouæ *Dialectici.* Academiæ, & ſimiles: qui quamuis in parte conſenſerint, aliqua ratione inter ſe diſtincti ſunt. Verum quia hæ ſententiæ iam diu multorum ſapientum conſenſione exploſæ ſunt, negligi potius debent quam rationibus reiici, præſertim cum nil conſtans dari putarint, ſed omnia continenter fluere. Nam ſi cuncta fluunt continenter, debet dari cauſa cõſtans & firma illius cõſtantis & firmæ fluxionis. Inſuper hi propriis ſe necãt armis: vel enim ſciunt non dari ſcientiã, vel non; ſi ſciunt, datur ſcientia, ſi non ſciunt, eis non eſt adhibenda fides. Et ſi comprehenſio non datur, quomodo res nõ poſſe comprehendi comprehendunt? Si nil eſt decernendum, quomodo decernunt tã conſtãter nil eſſe decernendum? Si nõ datur oſtenſio, cur laborant, vt oſtenſionib. nos in ſuam trahãt ſententiam? Si demũ cuncta ita ſe habent vt nobis videntur, cum eorum opinio fatua & inanis nobis videatur, vt fatua & inanis per eorummet principia, negligatur. Propterea Plato, q̃ in diuinis præſertim ſequutus eſt Pythagorã, in phy- *Opinio Platonis.* ſicis Heraclitũ, & in ciuilibus Socratem, iudicans dare ſciẽtiam (alioquin inanis eſſet ſciẽtiæ deſiderium per naturam nobis inſitũ, inaniſque naturæ & Dei ꝓuidentia & diligentia in formãdo homine ad ſcientias aptiſſimo) alia via progreſſus eſt. Nam cũ Heraclito iudicauit phyſica fluxilia & inconſtantia, cum Pythagora nouit ſeiuncta à materie vere eſſe. Et quia cognitio ſequitur naturã & cõditionem rerum, ideo dixit de phyſicis cum materie iunctis non eſſe ſcientiã, ſed opinionem: & quia phyſica ſunt vmbræ rerum in materie refulgentes, vmbræ aut prodeunt ex eo quod vere eſt, ideo inferebat, neceſſario in abiunctis mentibus reperiri ideas, quę vere eſſent rerum formę, quarũ hæ ſunt vmbræ: & quia vmbrę cognoſcuntur ex notitia eorum, quorum

vmbræ

Digitized by Google

vmbræ ſunt, ideo verã ſcientiam & intelligentiam idearum eſſe exiſtimauit, quã cenſuit nobis per reminiſcentiam competere. Vt autẽ eius opinio clarius refulgeat, cõſiderandum eſt, ex Platonis ſententia quinque in vniuerſo rerum gradus reperiri. Res enim ſunt in Deo, vt in fonte & cauſa prima, modo eminentiſſimo: ſunt ſecundo in mente per ideas, & formam: tertio ſunt in anima per rationes in eius eſſentia inſertas: quarto ſunt in natura per ſemina, natura enim eſt vis ſeminaria per mundi animam effuſa in vniuerſam materiem: quinto ſunt in materie tanquam vmbræ per imitationem, & participationem. Ex quo cõſtat, diminute viros nõnullos ſapientes & illuſtres enumeraſſe gradus rerum ex ſententia Platonis, cum eos tãtum tres ſtatuerint per cauſam, per formam, & per participationem, nam re vera quinque dicendi ſunt: qui gradus huius ſunt conditionis, vt ſuperiores dignitate præſtent inferioribus, per quos gradus nobis datum eſt ab inferis ad ſupera eleuari. Ex quo cõſtat, veras eſſe has ſententias, vbi nihil eſt (nempe modo materiato) ibi eſſe cuncta (modo ſcilicet diuino) vbi nulla eſt ſcientia (ſcilicet humana) ibi fulget lucidiſſima veritas: & vbi nulla eſt virtus (modo nẽpe humano) ibi cunctæ refulgent virtutes. Similiter conſtat, quomodo veræ ſint ſententiæ Heracliti; *in puteo latet veritas, in fuga requies reperitur*: exactiſſima enim veritas poſita eſt in puteo, hoc eſt, in latebris & penetralibus mentis: & vera quies nobis competit, dum à materiatis recedimus, ſemper id impurũ ſecernendo, quod per deſcenſum contraxerunt. His præaſſumptis, Plato duplici ratione & via ſcientiã cenſuit eſſe reminiſcẽtiam. Vnus eſt, quia exiſtimauit ab æterno ex diuina mente per ideã animæ manaſſe animas omnes rationis compotes, quę eſſent diſtinctæ illius ideę participationes, certo numero definitę, quarũ prima participatio eſſet ea animæ mundi mox aliæ: quarum pertinentes ad homines, eſſent effuſæ per ſtellas, quæ mox deſcenderent ad formãda mortalia corpora, ac purgationis loco mearent per varia corpora, variaſque ducerent vitas. Ex quo refulget primus reminiſcentiæ modus; ea enim, quæ nos denuo addiſcere videmur, ꝑnouit anima, antequam corpus formaſſet, tum ſtellæ aſſiſtens, tũ alteri mortali corpori iuncta. Hunc reminiſcentiæ modum patefacit Plato in Menone, auctoritateque Pindari comprobauit, inquiens. *Cum igitur animus immortalis ſit, ac ſæpius in hanc vitam redierit, viderit que per ſæpe, & quæ in hac & quæ in alia vita ſunt, omniaque perceperit, nihil vtique ſupereſt, quod ipſe non didicerit: ideo mirum non eſt, ſi eorum, quæ ad veritatem & ad alia pertinent, reminiſci valeant, quippe cum olim illa cognouerit, &c.* At hoc primũ reminiſcentiæ fundamentum ſatis eſt leue, & aliud principalius ac firmius expoſcit. Propterea modus alter ſumitur ex

Quinque rerum gradus.

Quid Natura.

Aduerſus eos, qui tres tantum numerant gradus.

Paradoxi vera.

Explicatur ſententia Heracliti.

Alia ſunt veri latebræ, cæcique receſſus.

Scientia duobus modis eſt reminiſcentia.

Modus primus.

Modus ſecundus.

Digitized by Google

ideis, & rationibus menti & animæ inſertis, quem indicauit Plato in Timæo inquiens: *denique cum Deus vniuerſum conſtituiſſet, aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibens, eiſque tanquam vehiculo impoſitis, monſtrauit vniuerſi naturam, ac leges fatales edixit, oſtendens quidem primam omnibus generationem ordine quodam vnam fore, ne quis ab eo minus aliquid ſortiatur, &c.* Cum dicat opificem monſtraſſe animis vniuerſi naturam, nil aliud ſignificauit, niſi quod in eis inſeruit rerum omnium rationes: & hic ſecundus modus magis proprie reminiſcentia dicitur, cum fiat per reliquias quaſdam rationum in anima progreſſa conſeruatas, & fit hunc in modum. Cum animæ ab æterno ex primo opifice manarint, ex quo nil niſi perfectum prodire poteſt, neceſſe eſt vt ſua poſtrema perfectione donatæ fuerint: poſtrema autem animæ perfectio eſt ſcientia: manarunt itaque omni ſcientia decoratæ, per rationes in eis inſertas, reſpondentes ideis mentis. Cum autem deinde deſcendant ad formanda corpora, in ea connexione cum corporibus ſecundas e-dūt vitas: vita enim prima eſt actus proprius animæ: vita ſecunda eſt ea, quæ ab anima in corpus effunditur, quales ſunt facultates expertes rationis, quæ ſunt imago & idolum primæ animæ & vitæ. Anima in corpore conſideratur, & vt in ſe manens, ſeruans conditionem ſuam, & vt progreſſa, ac declinans ad corpus: vt in ſe manens, ſeruat rationes illæſas, vt progreſſa & declinans, eaſdem ſeruat progreſſas, tenues, obſcuras, & obliuione fere deletas. Ideo dicitur tunc anima in humano corpore quaſi in campo obliuionis recipi, & collocari prope flumen negligētiæ, hoc eſt, ꝓprie fluxum humorum & incōſtantiam materiei, ob quæ ſuimet quodam modo obliuiſcitur, ſupernaque bona negligit: & dicitur dormiens, & ebria, quæ vt dormiens eget excitante, vt ebria, cū excitata fuerit, debet purgari. Excitatur autem hunc in modum, primo ſenſilia externa cum ſe nobis offerunt, mouent inſtrumentum ſentiendi, in qua motione inſtrumētum per corpoream partem patitur, per formantem vero animæ facultatem redditur ea affectio purior ac ſpiritalior: ita dicitur perpeſſio deſinere in actionem, ac inſuper dicitur anima promere idolum rationis. Ea tamen actio formantis facultatis iudicium non eſt, ſed mox ea ſpiritalior affectio attingit rationem facultatis vtentis ipſius animæ, ac cum ea tanquam cum cauſa nectitur, & tunc facultas vtens per rationem illi ſenſili reſpōdentem de eo iudicium profert, adeo vt vnica ratione albedinis iudicium promat de omni albedine, ac ita dicunt Academici, ſimile cognoſci ſimili. Mox ea ſimulacra per iudicium actu reddita, ab externis ſenſibus tranſeūt ad internos, in eiſque puriora redduntur, & per rationes ſuperioris ordinis illis ſimulacris

Quomodo ſcientia ſit reminiſcentia.

Quid vita prima & ſecunda.

Campus & flumen obliuionis.

Quomodo anima quaſi dormiens excitatur.

Quomodo ſimile cognoſcatur ſimili.

Digitized by Google

eris reſpondentes, exactius ac eminentiori cognitionis gradu iudicantur: nam primo occurrunt communi ſenſui, tanquam centro externorum, cui ſuccedit vis imaginãdi, quæ duplex eſt, vel aſſimilatrix, vel phãtaſtica; aſſimilatrix dicitur, quatenus eamet apprehendit, quæ ab externis & communi ſenſu ei offeruntur: phantaſtica vero, vt ſupra ſimulacrũ erigitur, vlterioremque notionem de eo format, iudicans illud tanquam conferens vel aduerſum, bonũ vel malum, ac ita ad libitum noua phantaſmata, ſiue potius ſimulacra format: imaginationem mox ſequitur fides, & ex fide & imaginatione conſurgit opinio, ad ſenſum internum pertinentes, cui tamen imperfectiſſime competunt: tertio ab internis ſenſibus ad rationem & cogitationem aſcẽdunt, in quo tertio gradu vera cogitatio, exactior fides, firmiorque opinio formatur, quæ vulgo ſcientia dicitur: demũ anima per rationem eleuatur ad mentem, & nectitur cum ideis, in quo quarto gradu vera ſcientia, & intelligentia refulget. Poteſt namque anima rationib. ſibi inſertis vti tribus modis, primo per eas promendo imagines ſimiles obiecto excitanti, ſecundo per ſuas rationes iudicãdo obiectum tanquam per ſimile, tertio per rationes aſcendendo ad ideas mentis, & ad principia & cauſas rerum. Primus vſus parit vmbras, ſecũdus patefacit formam participatam, tertius formam principem; primus facit putare nos ſcire, cum nil ſciamus; ſecundus facit nos percipere, quod nõ ſcimus, tertius parit ſublimem ſcientiam ac ſapientiam. Adeo vt ſic anima, primo ad externa cõuerſa, mox in ſe redeat, tertio ad ſupera conuertatur; conuerſa ad externa, ſentire, imaginari, vel aſſimilatione vti dicitur, rediens in ſe, dicitur cogitare, conuerſa ad ſupera, dicitur intelligentia & vera ſcientia vti. Ex his conſurgit duplex adeptio, quam eminus inſpexit Auerroes: prima eſt, dum anima excitata in ſe redit, & tunc dicitur ſuimet reddi compos, & ſeipſam adipiſci: altera adeptio eſt, dum ſuis rationibus cum ideis mentis connectitur, qua connexione dicitur beari, nam tunc mentẽ ſui perfectionem dicitur adipiſci, in quo gradu pauciſſimi reperiuntur. Ex his quoque reddũtur notæ quatuor hominum diſpoſitiones ad ſcientiam. Primo enim pueri & rudes, nec ſciunt, nec ſcire ſe putant, & hæc eſt inſcitia craſſa, & negationis. Secundo phyſici & ſophiſtæ, cum excitati per rationes verſentur in rerum vmbris, ideatumque participationib. quæ in materie refulgent, ac cenſeãt, vmbras illas eſſe veras formas rerum; hi cum non ſciant, ſcire ſe putant, & hæc eſt inſcitia deprauatæ affectionis, quã ſequitur tertia hominis conſtitutio, & eſt dum anima pgreſſa in ſe redit, cõuerſaque ad ſupera iudicat ideas eſſe eſſentias rerum veraſque formas, non autẽ has in materie refulgentes, ac ita inſcitiam ſuã animaduertit, quæ inſcitia

Senſus communis. *Vis imaginandi duplex.* *Aſſimilatrix.* *Phantaſtica.* *Fides.* *Opinio.* *Eleuatio ad rationem.* *Vera cogitatio & fides.* *Eleuatio ad mentem.* *Anima trib. modis vtitur rationibus.* *Triplex animæ conuerſio.* *Duplex adeptio.* *Quatuor hominum diſpoſitiones erga ſcientiam.*

ſupra mendacem ſecundæ diſpoſitionis conditionem collocatur: & huius tertiæ conditionis profitebatur ſe eſſe Socrates, dũ dicebat: (*Hoc vnum ſcio, quod nihil ſcio*:) de hac loquens Plato in Charmide inquit: *Quæ nullo modo quis noſcit, non poteſt cognoſcere ſe ignorare, quæ inſcitia ſupra fatuam ſophiſtarum oſtentationem, quæ arguebatur à Socrate, poſita eſt.* Ideo aſſeruit Socrates in Phædone ſe, dum primo in rebus Phyſicis, hoc eſt, in rerum vmbris verſaretur, putaſſe multa ſcire, at mox eo deuenit, vt vere nouerit ſe nil ſcire. Cum autem homo per ſalutarem hanc inſcitiam fuerit paratus, valet quartum aſcendere gradum, & quartæ conditionis fieri compos, quam aſſequi non valent illi, qui ſuæ inſcitiæ non ſunt conſcii. Quæ quarta & poſtrema conditio eſt, dum anima per ſuas rationes connectitur cum ideis mentis, & earum capite, vt lumen cum radiis, & radii cum fonte lucis, in qua connexione perficitur ſcientia rationum per intelligẽtiam idearũ: & in eo contractu & connexione animæ apprime ſalutar[illegible] quã per reditum eius in ſuum principium ſuamque naturalem conſtitutionem, animi incomparabili quodam gaudio perfunditur, ac poſtrema perfectione donatur. Ex his n. redditur conſpicuum, quod ex ſententia Platonis, non homo conflatus ex anima & corpore reminiſcitur, non enim eiuſmodi homo primo rationibus & ideis formatus erat, neque hoc cõpoſitum res prænouerat, ſed ſola anima. Conſtat inſuper, quomodo ea ſit reminiſcentia. Nam reminiſcẽtia apparet modo aliquo in omni cognitionis gradu, quatenus ſemper cognitio fit munere rationũ & idearũ, quas prænouerat anima: præcipue tamen reminiſcentia apparet in regreſſu animæ in ſeipſam, per veſtigia, quæ in ea progreſſa remanſerant, ac in connexione cum ideis exactiſſime perficitur. Hæc, vt obſcura, & minus ab aliis explicata, latius explicanda & declaranda iudicaui.

Explicatur ſecundus reminiſcentiæ modus.

Rationes aſſerentium ſcientiam eſſe reminiſcentiam.

CAP. XXX.

Ratio prima pro reminiſcentia.

Varia, nec leuia quidem, ſunt ea fundamenta, quibus illi nituntur, qui ſcientiam ac intelligentiam nobis competere per reminiſcentiam exiſtimarunt: quæ ego, qua potero breuitate, nitar referre. Prima ratio ſumitur ex eo, quod animæ ex diuina mente prodierunt, ex qua nil manat niſi perfectum, quare ex ea manarunt omni ſciẽtia decoratæ. Præterea cum animæ ex ſententia Academicorum, falſa tamen, anteiuerint generationem corporis & corpore ſint antiquiores, nõ eſt putandum, quod ſolutæ à corpore in tenebris ignorantiæ vitam duxerint: prænouerunt itaque omnia, quorum cum ſeruent rationes, eorundem mox reminiſcuntur. Præterea quæcunque per naturam ad aliquid tendunt, per propriam formam ad id tendere dicuntur,

Ratio ſecunda.

Tertia.

tur,

tur, vt grauia deorſum, leuia ſurſum: cum autem omnis homo per naturam ad ſcientias ſit procliuis, eſt neceſſe vt inſertas habeat rationes, per quas intus excitetur, commoueatur, reddatur facilis, tendatque ad eas. Inſuper vtor ratione, qua vtitur Plato in Phædone, quæ negligenda non eſt: niſi homo inſertas haberet rationes rerum, nunquam earum eſſentiam valeret apprehendere: at homo apprehendit eſſentias rerum, dum ſcientias adipiſcitur: quare inſertas habet earum rationes, prius ſibi notas. Connexum oſtenditur, quia extrinſecus nobis ſeſe offerunt ſolum affectiones & accidẽtia, quæ cum ſint imperfectiora ipſa eſſentia, & ab ea diſtincta, nunquam in nobis parerent eſſentiæ cognitionem, niſi rei eſſentia per rationes inſertas excitataſque ab accidentibus a nobis cognoſceretur: oportet itaque eſſentiam rei, quæ eſt ipſum vniuerſale, in anima & in mente eſſe inſertum, quod cum fuerit præcognitum, deinde eius reminiſci valemus. Præterea vtor ratione, qua vtitur Plato in Menone, & ita formatur; Quicunque recte interrogatus recte reſpondet, & ſola interrogatione excitatus ex ſe veram pmit ſententiam, reminiſci dicitur: at omnis homo recte per naturam affectus, eſt huiuſmodi: quare dicitur reminiſci. Maior conſpicua videtur. Oſtendit Plato minorem in famulo: qui recte interrogatus, ex ſe venit in cognitionem huius veritatis, ex diametro quadrati conſtitui quadratum duplum eius cuius erat diameter. Quod confirmauit Plato, in perſona Menonis inquiens: *At quo tramite id inueſtigabis, ô Socrates, quod quidem omnino quid ſit ignoras? Quale enim tibi propones, id quod ignoras inquires? Aut etiam ſi in illud incidas, quoniam ſigno id quod ignoraueras eſſe agnoſces?* Quam difficultatem tetigit Ariſtoteles in primo capite primi Poſt. Ex qua colligebat nos vel nil addiſcere, vel ea quæ prænouimus, niſi enim prænouiſſemus, inaniter rerum cognitionem inquireremus. Aliud principale fundamentum ſumitur ex natura & conditione animæ humanæ. Cum enim ea ex materie non pendeat, permutationi non ſit obnoxia, ſit æterna & immortalis, nil noui poſſe recipere videtur, ea enim, quę noui aliquid recipiunt, permutationi & varietati ſunt obnoxia: anima itaq; humana vel nil noui intelligit vel ea tantum, quæ ſibi ſunt coæua, per reminiſcentiam cognoſcit, vt declaratum fuit. Hoc viſus eſt nonnunquam approbaſſe Ariſtot. veluti dum in 1. de cœlo, & 1. meteor. inquit, *ſcientias eſſe æternas, nec dari primos inuentores earum, ſed tantum redintegratores: cum enim obliuioni tradãtur ſcientiæ, mox hominũ cura & diligẽtia in priſtinũ ſtatũ reſtituuntur, quod non fieret, niſi conſtanti quodã fundamento animæ inſerto niterentur.* Clarius etiam id ipſum in 7. phyſ. cont. 20 confirmat, inquiens: *accepto ab initio ſcientiæ, ortus non eſt, nec alteratio, quieſcere enim*

Quarta. *Quinta.* *Confirmatio.* *Ratio ſexta.* *Confirmatio ex Ariſt.*

& ſtare intellectum, ſcire, & prudenter agere dicimus, at in requiete non eſt ortus, neque mutatio, vt prius diximus, præterea, vt quando ex ebrietate, vel ſomno, vel morbo aliquis in contraria mutatur, non dicimus quod rurſus fiat ſciens, quamuis prius non valuerit vti ſcientia, perinde ac neque à principio receperit habitum, nam quia anima morali virtute ornatur, aliquando prudens fit, & ſciens: quocirca neque pueri poſſunt diſcere, neque iudicare, vt ſenes, in eis en m inſt magna perturbatio, & motus, &c. Aperte Ariſtot. indicare videtur ſcientiam (vt cenſuit Plato) eſſe reminiſcentiam cum dicat ſcire, græce ἐπίστασθαι deductum eſſe ab ipſo ſtare, græce στῆναι, quemadmodum etiam prius aſſeruit Plato: nam ex fluxu corporis & humorum eius oritur obliuio, ex requiete ſcientia & reminiſcentia.

Scientia vnde dicta.

Inſuper cum aſſerat ſcientiam perinde acquiri, ac dum homo habitu præditus, ex ebrietate, ſomno, vel morbo in oppoſitum mutatus, valet vti eo habitu. Ideo eo in loco inquit Simplicius: *Semper quidem animus habitum habet, & diſciplinæ re vera ſunt reminiſcentiæ*; vt Platonis oſtendit ratio: *verum* (vt inquit Plotinus) *eſt etiam habere habitum ſcientiæ, & non in promtu habere, & eius quod eſt in promtu habere, vel non in promtu habere, multæ ſunt differentiæ: nam pueri ita habent habitum ſcientiæ, & prudentiæ, veluti in ſubſtantia exiſtentem prorſus immobilem, ideo videntur egere diſciplina & receptione ſcientiæ.* Id ipſum confirmaſſe viſus eſt Ariſtoteles in calce ſecundi poſteriorum, quo loci explicãs modum deueniendi in notitiam primorum principiorum, inquit, *ſe habere de adeptione cognitionis eorum, vt in exercitu: dum euerſione militum facta mox incipit miles vnus ſtare, faciem vertere, & dimicare, cumque eo alter, & alter, adeo vt ex integro vniuerſa pugna redintegretur.* Cum autem Ariſt. aſſerat *ſe habere vt in exercitu, in quo euerſione facta, &c.* aperte indicat, adeptioni ſcientiæ præcurriſſe euerſionem eius per obliuionem, mox ex integro refici per reminiſcentiam.

Cognitio primorum principiorum.

Hoc confirmatur ex cognitione primorũ principiorum, quæ axiomata & dignitates nuncupantur; iudicamus nos ea ſemper nouiſſe, nec aſſignare valemus tempus, quo ea didicerimus, adeo vt per naturam nobis videantur inſerta, ac per reminiſcentiam in lucem reuocata.

Experientia.

Inſuper experiẽtia percipimus, quod, dum cogitatione ſublime aliquid accurate perquirimus, illudque optamus apprehendere, in nos ipſos reuocamur, ſecernimurque pro facultate ab externis omnibus, indicantes internam, ac in eſſentiam animæ inſertam eſſe naturam veri, quam inquirimus.

Porphyrius. Ammonius. Plutarchus. Priſcianus Lydus. Themiſtius.

Ita Porphyrius, Ammonius, Plutarchus Lydus, Priſcianus Lydus, Simplicius, & alii multi viri celebres, animæ putarunt inſertas rationes conuenire, & ſcientiam eſſe reminiſcentiam. Themiſtius quoque (vt patet ex 3. de anima, cap. 32.) nec non Auer. (vt colligitur ex 3. de anima, com. 5.) ſcientiam

Digitized by Google

entiam modo aliquo reminiſcentiam eſſe putarunt, id tamen fecerunt alio nixi fundamento: nam vnam numero mentẽ falſo putarunt vniuerſæ ſpeciei humanæ competere, munere cuius vnus homo valet addiſcere ab alio, nam ſcientia non eſt forma generans & producens ſcientiam, vt calor calorem, non enim eſt forma aliqua efficiens, ac ita valens ſimilem producere: cum itaque ſciẽtia nõ valeat efficere ſcientiam, & vnus homo per ſcientiam doceat alium, cogimur fateri id fieri modo quodam per reminiſcentiam, excitando cõmunes mentis ideas, ac latentem ſciẽtiam in lucem redigendo. Propterea inquit Auer. prope calcem quinti com. 3. de anima. *Fieri non poſſet, vt diſcipulus addiſceret à magiſtro, niſi ſcientia, quæ eſt in magiſtro, ſit forma generans & creans ſcientiam in diſcipulo, vt ignis generat alium ignem, quod eſſe non poteſt: & hoc, quod ſcitum ſit idem in magiſtro & diſcipulo hoc modo, fecit Platonem credere diſciplinam eſſe reminiſcentiam, &c.* Sic Auer. modo quodam putat ſcientiam eſſe reminiſcentiam. Satis itaque firmis nixi fundamentis putarunt Academici ſcientiam eſſe reminiſcẽtiam, & propterea Socrates ſe ineptum aſſerebat ad ſolutas auſcultatoriaſque orationes, illæ enim docentibus & addiſcentibus ſunt accommodatæ; ſed vtebatur argumentationibus, dialogis, interrogationib. vt ſic animos excitaret, eoſque per reminiſcẽtiam recte inſtitueret: Ideo etiam ſe fungi dicebat obſtetricio munere, quatenus ſcientiarum fœtum intus latentem in lucem educeret. Sed pulcra occurrit dubitatio, ſi ex ſententia Socratis ſciẽtia erat reminiſcẽtia, dabatur itaque ex eius opinione ſcientia, quæ ſi dabatur, cur ſe nil ſcire profitebatur? Præterea ſi ex ſententia Academicorum dabatur ſcientia, & erat per reminiſcẽtiam, cur viri nouæ Academiæ nil certi nos de rebus poſſe enuntiare aſſeuerabant? cur dicebant nos de quauis re pro vtraque parte diſſerere poſſe? His dubitationibus reſpõdens, de prima dico; Socratem nouiſſe dari ſciẽtiam. Nam quatuor ex eis opinione in relatione ad ſcientiã conſiderantur gradus in præcedentibus relati. Verum quia aſcendere in quartum gradum eſt homini difficilimum, ideo indicans ſe in tertio collocatũ, nempe ſupra ſophiſtas, qui cum nil ſciãt, ſe ſcire putant, dixit ſe nihil ſcire. De altera difficultate dico, plurimos hominũ verſari in vmbris rerum in materie apparẽtibus pauciſſimos eleuari ad ideas, quæ ex Platonis ſententia ſunt eſſentiæ rerum. Cũ itaque homines verſentur in vmbris & imaginibus, in quib. nil puri & ſinceri reperitur, ſed cuncta ſunt permixta, mutabilia, & magis nõ talia, quam talia; iure optimo dicebant de vnoquoque ꝓ omni parte licere diſputare, & cũcta in fluxu & motu eſſe poſita: diſputationes n. de his vmbris formãtur, eſſentiarum vero eſt purus & ſimplex cõtactus. Sciẽtia itaque eſt reminiſcẽtia,

Auer.

Socrates.

Obſtetricatio Socratis.

Dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

Epilogus dictorum.

tum ratione conditionis creatoris Dei, qui cuncta producit perfecta, tum ob æternitatem animæ, quæ nil noui valet recipere, tum ob præcurrentes eius vitas, tum ob cognitionem eſſentiæ rerum, tum ob conditionem ſcientiæ quæ non eſt nata ſimilem producere, tum ob inſertam dignitatum notitiam, tum ob propenſionem ad ſciẽtias, tum demum ob conditiones indagationis & inuentionis, quibus ea tantum, quæ prænouimus, videmur poſſe inuenire.

Reiicitur opinio aſſerentium, ſcientiam eſſe reminiſcentiam. CAP. XXXI.

Primum fundamentum inane reminiſcentiæ.

Alterum inane fundamentum.

OPinio aſſerentium, ſcientiam eſſe reminiſcentiam, nititur variis fundamentis apprime falſis, aduerſatur experientię, ac rationi. Primo nititur hoc fundamẽto quod animæ ab æterno definito quodam numero ex Deo manarint, migrentque per corpora varia: quod quam ſit abſurdum, & noſtri theologi, & Ariſtoteles cumulatiſſime patefecerunt. Secundo præſupponit ea opinio non hominem, ſed animam eſſe illam, quæ ſciat, addiſcat, & intelligat: quod verum non eſt, vt primo de anima, 65. aſſeritur, nam homo ille eſt, qui addiſcit, & ſcit; actiones enim compoſitorum, & totius perfecti ſunt, & homo non intelligit abſque ope phantaſmatum, quæ non excitant ſolum, ſed menti offerunt imaginem rerum, ex qua mens elicit eſſentiam & vniuerſale, apprehendens rei naturam, non apprehenſis aliis cum ea complicatis. Inſuper ſtatuit in mente ideas, in anima rationes reperiri, quarum ope competat nobis ſcientia, cũ tamen eas in tertio de anima, ac alibi cumulatiſſime Ariſtoteles reiecerit. Earum autem euerſio latiſſimam conſiderationem expoſceret, huic loco parum accõmodatam. Inſuper aduerſatur experientiæ: quicunque enim reminiſcitur, iudicat ac animaduertit ſe prius rem illam nouiſſe, at dum addiſcimus minime percipimus hoc nobis cõuenire, imo aſſerimus nos id prius nõ cognouiſſe. Præterea hoc ipſum confirmatur perpendendo modum productionis ſcientiæ, & cognitionis eorum, à quibus omnis noſtra ſcientia ortum ducit. Dicimur ſcire per definitionem, & demõſtrationem: definitionem, & principia demonſtrationis colligimus ex rebus ſingulis: nam ex indiuiduis colligimus definitionem ſpeciei, ex ſpeciebus eã generis, vt in ſecundo Poſteriorum oſtenditur: definitiones, & principia demonſtrationis, nõ competunt rationi in anima inſertæ, vel ideæ, ſed naturæ communi exiſtenti in indiuiduis, non diſtinctæ ab illis niſi ratione. Cum igitur in horum principiorum demõſtrationis collectione nulla appareat reminiſcentia, & ex his pendeat vniuerſa noſtra ſcientia, conſpicuum eſt eam non eſſe reminiſcentiam. Prętereaad eam

Tertium inane fundamentum.

Aduerſatur experientiæ.

Aduerſatur modo, quo in nobis producitur ſcientia.

eam animæ partem pertinet reminiſcentia, ad quam pertinet memoria, vel ſaltem ſine memoria fieri nequit, expoſcit n. reminiſcentia memoriam, & ſuperaddit vſum rationis: at memoria ſolum eſt phantaſmatum: quæ phantaſiæ, & parti ſentiẽti competunt: ideo memoria ad partem ſentientem pertinet: ſi autem memoria eſt vniuerſalium, ſolum ex euẽtu eorum eſt, quatenus lucent in phantaſmatibus, & ſeruantur ſeruatis illis, ex quibus ad libitum valemus mente colligere vniuerſalia, vt docet Ariſtoteles in libro de memoria & reminiſcentia. Cum itaque memoria & conſeruatio pertineat ad facultatem ſentientem, quæ facultas ſentiens in hominis interitu perit, eſt neceſſe, vt etiam aboleantur ſcientiæ, & in iuuene denuo producantur, & ex integro acquirantur. Ideo inquit in eo libro Ariſtoteles: *Motus factus à ſenſibus, imprimit veluti figuram quandam rei ſenſilis, vt faciunt ſigillantes annulis, &c.* Neque dicendum eſt cum Simplicio, memoriam eſſe duplicem vnam phantaſmatum, alteram rationum & idearum exiſtentium in eſſentia animæ & mentis: nam ſi ſeruantur principales formæ, inaniter ſeruarentur phantaſmata per diſtinctum genus memoriæ. Præterea, tunc nos poſſemus ſine conuerſione ad phantaſmata per ſolas rationes & ideas ratiocinari & ſpeculari, quod tamen experientia cognoſcimus nobis minime competere. Inſuper Simplicius, cum in explicatione 20 context. 3. de anima ponat duplex illud memoriæ genus, & per id nitatur Ariſtotelem cum Platone reddere concordem, nedum aduerſatur Ariſtoteli, qui in libro de memoria & reminiſcentia ſolum ponit memoriam phantaſmatum: verum inſuper aduerſatur Platoni, qui cenſuit nos reminiſci, nedum eorum, quæ anima ſoluta à corpore per rationes nouit, verum inſuper eorum, quæ nouit anima cum alio corpore iuncta. Aperte enim in Menone inquit, *animam recordari eorum, quæ vidit, nouit, & didicit, dum alias vitas duceret: & id confirmat auctoritate Pindari.* Non itaque recte difficultatem vitat Simplicius. Præterea ſi ſcientia eſſet reminiſcentia, non adeo laboraremus pro ea acquirenda, non tam ſæpe falleremur, nec adeo nobis propria eſſet ignorantia: ea enim, quæ prius recte nouimus, citiſſime, & ſine errore addiſcimus, & in his quæ nobis inſerta & familiaria ſunt, non fallimur. Pari ratione nõ adeo eſſemus indifferentes ad ſcientiam & inſcitiam, ad varias de eadẽ re opiniones, ſed definite magis parti veræ eſſemus addicti. Et confirmatur, quia, cum innumeræ frequenter ſint de eadẽ re opiniones, quarũ vnica eſt vera, ceteręq; falſę, vt in opinionem falſam ducimur ſine reminiſcentia, non enim falſi reminiſcentia per ideas eſt, ita vt in opinionem verã ſine reminiſcentia veniamus, neceſſe eſt: in vtramque n. per argumentationem de-

Ratio ſumta ex memoria.

Sententia Simplicii reiicitur.

Simplicius Ariſtoteli & Platoni aduerſatur.

Alia ratio ſumpta ex ignorantia.

Digitized by Google

Bion. ducimur, nec maior de vna quam de altera ratio eſt. Ideo Bion ex relatione Olympiodori in Phædone, dicebat: *Si ſcientia eſſet reminiſcentia, non daretur opinio ſalſa.* Propterea Plato in Theæteto laborauit pro ſeruando modo, quo detur opinio falſa. *Strato Lampſacinus.* Strato Lampſacenus hac ratione euertebat reminiſcentiam: *nam ſi ſcientia eſſet reminiſcentia, minime opus eſſet demonſtratione, ſed & ſigna, & cetera conſimilia media parem demonſtrationi parerent ſcientiam.* Conſequentia patet, quia conſimiliter nos duceret ad id, cuius ſumus obliti, veluti euenit, dum nos prioris ſcientiæ obliuioni traditæ per aliquod ſignum reminiſcimur. *Ratio ex natura & conditione recipientis.* Præterea maniſeſtiſſime in omnibus ſeruare licet, quod tunc aliquid ſui natura dicitur capax alicuius, dum ſui natura eius eſt expers: cum autem anima ſui natura ſit capax ſcientiarum, non debet eas ſui natura includere, recipiens enim eo debet eſſe denudatũ, quod recipere natum eſt, vt etiam Plato in Timæo loquens de materie affirmauit. Dicere autem, quod anima ob fluxum corporis obliuiſcatur, ob connexionem cum corpore progrediatur ac recedat à ſe, inania penitus hæc ſunt: nil enim recedit à ſua eſſentia, nec per aliquod externum id amittit, quod ſibi per naturam eſt inſitum. Demum ſi ſcientia eſſet reminiſcentia, cum Socrates ſe hoc ſolum profiteatur ſcire, quod nihil ſciat & ſcire ſe nil ſcire, non poteſt eſſe per reminiſcentiam, non itaque quod ſcimus per reminiſcentiam addiſcimus, & nil eorum, quæ Socrates ſciebat per reminiſcentiam, addiſcere potuit: quare cum dicat ſcientiam eſſe reminiſcentiam, & hoc vnum ſcio quod nihil ſcio, ſecum pugnat, & ſibimet aduerſatur. *Socrates per ſuamet fundamenta euertitur.* Quod Ariſtoteles non putarit ſcientiam eſſe reminiſcentiam, tam aperte patet, vt ſuperuacaneum ſit pro eius elucidatione laborare; frequenter enim patefecit, cum opinionem, tum fundamenta eius opinionis eſſe falſa: & Simplicius, dum nititur Ariſtotelem cum Platone conciliare, opinionem vtriuſque peruertit.

An ſcientia modo aliquo poſſit dici reminiſcentia, & ſolutio aduerſarum rationum. CAP. XXXII.

Ex ſententia theologorum ſcientia non eſt reminiſcentia. DE attinentibus ad animam variæ ſunt opiniones, quarum ea tantũ vera eſt, quæ eſt noſtrorũ theologorum, ex quorum ſententia ſcientia nullo pacto poteſt dici reminiſcentia: creantur enim animæ omni habitu nudæ, dum paratum fuerit corpus, & ideo demum ſcientiam acquirunt. *Neq; ex opinione Alexandri.* Ex opinione Alexandri & eorum, qui adeo delirarunt, vt hominis animam & mentem putarint mortalem, ex materia pendentem, cum corpore ortam, & cum eo pereuntem, ſimiliter ſcientia nulla ratione poteſt dici reminiſcentia. *Ex opinione Platonis.* Per fundamenta Platonis, & eius de anima opinionem, ſcientia eſt reminiſcentia: at cum funda-

menta.

menta, tum opinio eius, falſa & inania ſunt. Ex opinione demum Auerrois, Themiſtii, & eorum, qui falſo putarunt humanam mentem eſſe vnam totius humanæ ſpeciei, ſcientia aliqua ratione poteſt dici reminiſcentia; ſecus tamen, ac ex opinione Platonis id contingit: ex horum enim ſententia ſcientia catenus eſt reminiſcentia, quatenus mens vniuerſæ humanæ ſpeciei vna eſt, & nil intelligit in vno & per phantaſmata vnius, quod non infinities intellexerit in aliis per aliorum phantaſmata, & in hac ſignificatione Ariſtoteles in ſeptimo phyſicorum dixit, mentem nil denuo recipere, & ſcientiam nobis competere per ſolam rectam compoſitionem phantaſmatum & phantaſiæ: mens enim ſemper valet ea recte iudicare, quæ cōgruenter ei offeruntur; nil enim recipit mens ex ſententia Ariſtotelis, ſed ſolum ea iudicat, quæ per phantaſiam ei offeruntur. Hæc tamen non proprie eſt reminiſcentia; quia non mens, ſed homo intelligit, & mens nil ſeruat, ſed ſola phantaſia per memoriā, quę generatur & interit: inſuper, quia rationes & ideę ab Ariſtotele non conceduntur. Ex ſententia tamen Themiſtii ſcientia ſimilior eſt reminiſcentiæ, quia vna cum Platone menti inſertas rerum ſpecies tribuere videtur. Sic itaque ſtatuentes mentem hominis vnam, imaginem quandam reminiſcentiæ ſeruant; ſecus tamen, ac id fiat á Platone: verum cum id fundamentum, quod mens vniuerſæ humanæ ſpeciei ſit vna, fatuum ſit & inane, opinio ea tanquam fatua negligatur. Supereſt modo, vt rationes eas diluamus, quibus oſtendebatur ſcientiam eſſe reminiſcentiam. Prima ratio ſumebatur ex conditione creatoris, qui cum ſit abſolutiſſimus, cuncta creat abſoluta & perfecta. Reſpondeo, cuncta creat perfecta intrinſecus, at non extrinſecus; in attinentibus ad eſſentiam, at non in attinentibus ad ea, quæ proprio labore ſunt comparanda, in attinentibus ad facultates, at non ad ea, quæ prodeunt ex facultatibus; & demum in attinentibus ad actum primum, non ad ſecundum: largiens tamen facultates, dicitur largiri cuncta prodeuntia ex recto vſu earum. Dicebatur ſecundo, animas ab æterno manaſſe ex diuina mente. Hoc vt conſpicue falſum negligi debet: & præſertim quia ſi mens ab æterno manaſſet à Deo, non ob id ſcientia eſſet reminiſceutia; quia homo addiſcit, non mens. Tertia ratio ex eo ſumebatur, quia homo per naturam expetit ſcientiam. Reſpondeo, ex propenſione ad ſcientias non colligi ſcientiam eſſe reminiſcētiam; cuncta enim per naturam & per ſuam formam quærunt bonum, perfectionem ſui, & ſunt procliuia ad ea, quæ ex ſua facultate prodeunt: imo reflectitur ratio, quia ſi nobis per naturam rerum rationes & formæ competerent, non eas per naturam expeteremus, cum appetitus adnexam habeat priuationem. Dicebatur quarto, niſi hominis ani-

Ex opinione Auerrois & Themiſtii.

Themiſtius.

Diluuntur aduerſa rationes.

Diluitur prima.

Diluitur ſecunda.

Diluitur tertia.

Diluitur quarta.

Digitized by Google

ma rerum formas haberet inſertas, minime poſſet eſſentiam earum apprehendere. Reſpondeo eſſentiam earum definitione explicandam, minime eſſe rationes, vel ideas in mente collocatas, (vt perperam cenſuit Plato) ſed eſſe eam, quæ in indiuiduis & in materia reperitur, in cuius eſſentię notitiam ducimur per opera, perq; accidentia propria, neceſſario cum ea complicata, virtute humanæ rationis, qua nobis datum eſt ex vno aliud colligere: & hoc oſtẽditur, quia per opera ducimur in notitiam Dei; cum tamen (cõcedente Platone) ipſius Dei nec idea in mẽte, nec in anima ratio reperiatur. Quinta ratio ex reſponſionibus ſumebatur: puer enim interrogatus etiam de his, quæ non didicit, congruenter reſpondet. At facilis eſt ſolutio: nam per interrogationem non excitatur ſcientia in anima latens, ſed cum nos per naturam ſimus prædıti facultate ratiocinandi & iudicandi, ſtatim, quod per congruentem interrogationem ea nobis offeruntur, quæ vel ad veritatem ſunt nata deducere, vel eam ſunt apta nobis patefacere, nos facultate iudicandi, verum rationi conſentaneum approbamus, ac naturali ratiocinatione ex vno aliud colligimus: & hoc non ſemper, nec omnes facimus; nonnunquam enim perperam reſpondemus: & cum falſa reſponſio non prodeat ex reminiſcentia, inferendum eſt veram quoq; ex ea non prodire; oppoſitorum enim eadem eſt ratio. Confirmatio ex eo ſumta (quia ſi id, quod quærimus, non prænouiſſemus, etiam ſi nobis occurreret, non poſſemus illud cognoſcere) diluitur ab Ariſtotele ſub initio lib. poſteriorum: nam id, quod quærimus, cognoſcimus facultate, non actu; cognoſcimus per cõmunia quædam, at non per propria; cognoſcimus vel per ſigna, vel per accidentia propria, vel per cauſſas, & per id, quod prænoſcimus, ducimur in notitiam eius, quod latet. Afferebatur ratio ſexta ſumta ex conditione humanæ mentis, quæ cum interitui non ſit obnoxia, nec à materie pendeat, nil noui valet recipere. Reſpondeo primo cum Ariſtotele: mens nil noui recipit, ſed denuo ei oblata iudicat: addo inſuper, quod cum ea receptio ſit ſola perfectio ſine interitu, rei immortali non aduerſatur. Demum dico, quod cum hominis anima recedat à puriſſimo actu, includat poteſtatem, referatur ad mortale corpus, cumque eo per naturam connectatur, redditur particeps conditionis eius, ac ita eſt apta noua recipere & iudicare. Afferebantur ſeptimo loco auctoritates ex Ariſtotele depromtæ: quæ nil nobis aduerſum oſtendunt; ſolum enim indicant illum putaſſe mundum æternum, & mentem nil recipere vt ſubiectum, ſed tantum noua iudicare: Simplicius autem perperam opinionem Ariſtotelis explicauit. At afferebatur auctoritas ex calce ſecundi Poſteriorum: quo loci dicebat philoſophus, *ſe habere de ſcientiarum adeptione, vt de bello, in quo euerſione facta vnus*

Diluitur quinta.

Diluitur confirmatio.

Diluitur ratio ſexta.

Diluitur ratio ex auctoritatibus ſumta.

Explicatur locus ex 2. poſter.

ſtetit,

Digitized by Google

ſtetit, &c. adeo quod confitebatur primo per obliuionem fuiſſe factam euerſionem ſcientiæ, mox per reminiſcentiam fuiſſe redintegratam. Cui reſpondens dico primo, morem fuiſſe Ariſtotelis in afferendis exemplis ſequi opinionem aliorum, vt clarius rem patefaceret, ac ita id exemplum ex ſententia Platonis tunc temporis celebri allatum fui. Addo ſecundo, illud eſſe etiam verum ex opinione Ariſtotelis, quoniam præcurrentes diſpoſitiones ad ſcientiam, ſe habent perinde ac preludia belli: vt enim habitum aſſequamur, neceſſe eſt non ſemel, nec bis, ſed frequenter res imaginatione concipere, eaſque mente iudicare, alioquin quaſi milites terga dantes obliuioni traduntur. Demum ea ſententia eſt vera, dum humana mens refertur ad humanam ſpeciem; nil enim in aliquo indiuiduo iudicat, quod non iudicauerit in alio. Afferebatur alia ratio ſumta ex cognitione primarum enuntiationum, quę dignitates nuncupantur. Quę diluitur, quoniam (vt docet Ariſtoteles in calce ſecundi poſteriorum) in earum notitiam deducimur ope ſenſuum, memoriæ & experientię. Dicuntur autem nobis per naturam conſpicuæ & notæ; tum, quia ex ſenſu conſpicuis eliciuntur; tum, quia ſtatim quod menti offeruntur refulget earum veritas; tum demum, quia cum ſint de rebus primis ex ſe apprime conſpicuis, abſque ope alterius habitus exactiſſime iudicantur: competunt itaque nobis per naturam facultate: quia ſunt natæ, ſtatim quod menti exacte offeruntur, approbari, at non competunt actu. Afferebatur experientia, quia indagantes veritatem vitamus externa, in nos reuocamur, quaſi in nobis ipſis latentem ſcientiam perquirentes: & Democritus ob idipſum dicitur ſponte ſe priuaſſe oculis. Reſpondeo, eam ab externis reuocationem tunc nobis eſſe vtilem, cum imaginandi facultas per ſenſus rerum imaginibus fuerit formata: & tunc nobis conducit, vt accuratius eas conſideremus, & diligentius ex vno aliud colligere valeamus; non autem, vt rationes per naturam inſitas conſideremus. Afferebatur demum ratio ex Auerroe depromta, quia ſcientia docentis non poteſt parere ſcientiam in addiſcente, cum ſcientia non ſit qualitas efficiens, valens producere ſimilem, vt calor calorem. Reſpondeo, ad formandam ſcientiam in animo addiſcentis varia conſpirant, nam conſiderantur agens principale & inſtrumenta: agens principale eſt mens addiſcentis, eiuſque ratio, quæ conſiderans, iudicans, colligenſq; ex vno aliud, per iteratas actiones habitum producit: ita anima dicitur principium efficiẽs variarum actionum, ſine cuius cura & diligẽtia cætera omnia ſunt inania. Inſtrumenta varia ſunt, nam docens, libri, ſenſus, & ſimilia, ei famulari dicuntur. Non igitur ſcientia docẽtis vt agens principale, producit ſcientiam in addiſcente, ſed tanquam inſtrumẽtum

Ratio ſumta ex notitia dignitatum.

Quomodo cognitio dignitatum nobis per naturam competat.

Diluitur ratio ex experientia depromta.

Diluitur ratio ſumta ex conditione ſcientiæ.

Cauſſæ formationis ſcientiæ.

ei offerens iudicanda & apprehendenda. At vrgent adhuc, & inquiunt: *niſi per naturam nobis inſita eſſet ſcientia, mens non potius vere quam falſo adhæreret, ſed æque vtrumq; reciperet.* Reſpondeo, iure mentem præcipue parti veræ aſſentiri, quia ea ab obiecto præſertim offertur, & rationi reſpondet. Imo reflecto rationem: nam ſi per naturam inſita nobis eſſet ſcientia, non tamdiu ignorantiam ſeruaremus, nec tam pauca, tam obſcure, tanto labore, tamque perplexe cognoſceremus: & præſertim ex ſententia Academicorum, qui de omnibus nos poſſe probabiliter pro omni parte diſſerere aſſeruerunt.

Diluitur alia ratio.

An ſcientia & cognitio fiat per ſimile, adeo vt ſimile ſimili cognoſcatur. CAP. XXXIII.

Ariſtoteles ab antiquis & à ſe diſſentire videtur.

PVlcra ſe offert conſideratio, an ſimile ſimili cognoſcatur: qua de re Ariſtoteles & ſecum, & cum antiquis pugnare videtur. Primo cum antiquis, quia in primo de anima eos damnat, qui ſimile ſimili cognoſci aſſerebant, quod eſſe falſum affirmat: nam ex veteribus ſolus Anaxagoras exiſtimauit, *mentem* (vt indicaret) *debere eſſe à chao ſeiunctam, expertemque mixtionis, cæteri omnes ſimile ſimili cognoſci putarunt.* Secundo pugnat ſecum, quia in libris de anima falſum aſſerit ſimile ſimili cognoſci, at mox in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 1. inquit: *ad ea enim, quorum non eſt idem genus, intelligenda, partium quoq; animi eam, quæ ad vtrumq; apta ſit natura, oportet genere diſſerre: ſiquidem eis ex ſimilitudine quadam atq; affinitate cognitio comparatur, &c.* Eadem ſententia profertur, & confirmatur ab Alexandro in primo de anima, c. 22. Rationes etiam exſtant pro vtraque parte. Nam, quod ſimile ſimili cognoſcatur, primo oſtenditur, inſpiciendo cognitionem Dei, quæ omnium cognitionum debet cenſeri menſura; cognitionem enim Dei, ſiue ſit per ideas, ſiue per eminentiam, ſemper vel per ſimile, vel per idem fieri, conſpicuum eſt: ideo inquit Auerroes 12. metaphyſicæ, 37. *Deum res cognoſcere vt conueniunt cum eius eſſentia.* Ex aduerſo, ſi loquimur de cognitione ſenſuum, quæ infima eſt, ea quoque in ſimilitudine eſt poſita; nam ſenſus materiatus ſolum materiata apprehendit: viſus lucidus iudicat lucida: auditus aereus aerea percipit; ſonum nempe, qui in aere gignitur, & per aerem defertur: tactus in temperamento collocatus, iudicat attinentia ad temperamentum: ideo Plato in Timæo de ſenſu viſus loquens, manifeſtat eum fieri per ſimilitudinem. Similiter etiam noſter intellectus, qui mediare quodam modo dicitur inter mentes omnino abiunctas & ſenſum, per ſimilitudinem intelligit; nam intellectus in tertio de anima dicitur vere intelligibilis, adeo vt intelligibili intelligatur intelligibile: & in cont. 11. ac 16. manifeſtat Ariſto-

Quod ſimile cognoſcatur ſimili.

Ariſto-

Digitized by Google

Ariſtoteles, actum intelligendi fieri per conformationem intellectus cum intelligibili: & propterea inquit, *omnino vt ſeparabiles ſunt res à materie, ita quæ circa intellectum.* Et confirmatur, quià per habitum iuſtitiæ iudicamus pertinentia ad iuſtitiam, per habitum temperantiæ pertinentia ad temperantiam, per habitum geometricum geometrica, ac ita de cæteris. Et demum, vt intellectus eſt abiunctus á materie, ita in vniuerſali abiuncto verſari dicitur. Altera ex parte, non cognoſci ſimile ſimili oſtenditur ab Ariſtot. in primo de anima diſputante aduerſus Empedoclem, & alios veteres philoſophos, qui ſimile ſimili cognoſci affirmarunt: ideo in ſecundo & tertio de anima oſtendit, *ſenſum & mentem eorum debere eſſe expertia, quæ recipere debent, quoniam recipiens debet eſſe nudatum re recipienda, debet eſſe poteſtate, & dicitur modo aliquo pati: at nil eſt poteſtate id quod habet, nil patitur à ſe, nec à ſimili:* Et confirmatur, quia ſi cognitio fieret per ſimilitudinem, cum ſimilitudo eminenter in eodem includatur, maxime idem cognoſceret ſe; quod tamen de ſenſu & humana mente ab Ariſtotele non conceditur, niſi ex accidenti. Hac ratione Ariſtoteles in primo de ortu & interitu oſtendebat ſimile non pati á ſimili, quia idem pateretur á ſeipſo: & in primo rhetoricorum dicebat: *ſi iucundum eſſet ſimile ſimili, idem ſibi maxime eſſet iucundum.* Res itaque eſt apprime dubia. Hac de re quatuor ſe mihi offerunt opiniones. Prima eſt veterum philoſophorum, qui nil ſupra corpus reperiri exiſtimantes, putarunt animam eſſe corpus, & eſſe conflatam ex ea materie & principiis, ex quibus cætera phyſica conflata exiſtimabant; ac ita ſimili ſecundum eſſe corporeum & materiatum ſimile cognoſci affirmabant. Huius opinionis fuit Empedocles, quem dixit Ariſtoteles in primo de anima cont. 25. aſſeruiſſe, *æthere ætherem, igne ignem concordia concordiam, diſcordiaque diſcordiam cognoſci.* Quæ opinio negligenda eſt, nedum, quia animam ſtatuit corpus quoddam, & corpori iudicium tribuit: verum inſuper, quià ſi vera eſſet, maxime elementum terræ deberet eſſe natum iudicare terram, elementum aquæ aquam, & ſic de ſingulis; quod eſſe falſum aperte conſtat. Altera opinio eſt Galeni in lib. 7. de Placitis Hipp. & Plat. c. 5. & 6. qui nititur opinionem Empedoclis & Platonis tueri, & aliqua ex parte veram patefacere: inquit enim; *Similitudo vel conſideratur in facultate, vel in inſtrumento: ſi in inſtrumento, ſimile cognoſcitur ſimili: ſi in facultate & virtute, nequaquam.* Verba eius in c. 5. hæc ſunt: Apte igitur dicimus viſus inſtrumentum lucidum eſſe, aereum auditus, vaporoſum olfactus, guſtatus humidum, terreum tactus; nullo enim alio modo eſſe poteſt, cum ex ſimilium alteratione conſiſtant: atque hoc eſt, quod Empedocles ſignificauit inquiens:

Quod ſimile non cognoſcatur ſimili.

Opiniones quatuor. Prima.

Reiicitur prima opinio. Secunda opinio. Galenus.

Conſpicimus terram tellure, liquore liquorem,
Aere naturam aeream, igni cernimus ignem.

Sentimus enim re vera terreſtri ſenſu, hoc eſt, tactu, terreſtrem inſitam in rebus naturam, lucidiſſimo, qui eſt viſus, lucidam: non ſecus etiam aereo auditus ſenſu, proprias aeris affectiones dignoſcimus; quemadmodum guſtatu, qui humidus natura ſpongioſuſque eſt, ſaporum qualitates nobis innoteſcunt: ſupereſt vnius, olfactus nempe, inſtrumentum, quod non in narium meatibus ſedem habet (vt plerique putant) ſed in extremitatibus anteriorum cerebri ſinuum, quo narium meatus pertinent, quâ maxime in parte vaporoſos eſſe cerebri ventriculos conſtat. Hęc Galenus. Verum errat profecto, vt cenſeo: primo, quia ſibimet aduerſatur; cenſet enim in libro quod animi mores ſequantur corporis temperamentum; potentiam animæ non diſtingui ab eſſentia; & in eodem libro ait, *temperamentum eſſe eſſentiam animæ:* quare ſi temperamentum eſt eſſentia animæ, & eſſentia eſt potentia, non poteſt ſeruari ſimilitudo in temperamento, niſi etiam ſeruetur in eſſentia & potentia animæ. Præterea videtur aduerſari Empedocli, quem tueri nititur: nam dicebat Empedocles igne cognoſci ignem, terra terram, ac ita de cæteris: adeo vt ſenſu tactus, vt conflato ex quatuor elementis, quatuor elemēta perciperemus: Galenus autem cognitionem terræ tribuit tactui, ignis viſui, aeris auditui, & ſic de cæteris. Tertio aduerſatur Platoni, quatenus opinionem eius redigit ad opinionem Empedoclis: cum tamen Empedocles retulerit ſimilitudinem ad corporea elementa; Plato vero non ad hæc, ſed ad rationes & ideas. Inſuper eidem aduerſatur; quia Plato ſimilitudinem non tribuebat inſtrumento animæ, ſed rationibus vel principiis eius. Quarto aduerſatur veritati; nam ſi conſideramus pertinentia ad inſtrumentum, inueniemus id debere eſſe denudatum eo quod recipere debet: oculus debet eſſe ſine colore, auditus ſine ſono, ac ita de cæteris. Demum eius ſententia non eſt vera de mente, mens enim re vera caret inſtrumento corporeo; at perperam Galenus cenſuit etiam menti inſtrumentum competere; & ſi vera eſſet eius ſententia de mente, oportet eam ſimilem eſſe omnib. cum ſit apta omnia fieri, ac ita ſimul rebus contrariis eſſe ſimilis. Propterea eſt tertia opinio Pythagoræ & Platonis, qui inquiunt ſimile cognoſci ſimili: ideo Ariſtoteles in primo de anima, 26. inquit; eodem modo Plato in Timæo animam conſtituit ex elementis, putat enim *ſimile ſimili cognoſci, &c.* Plato in tribus cenſebat reperiri ſimilitudinem: non enim eam in re corporea collocatam exiſtimabat (vt Empedocles) ſed cenſebat eam primo eſſe poſitam in ideis & rationibus, quæ ſunt principia ſeminum naturæ, & vmbrarū in materie apparentium, quæ cum ſint ſimilia, ſupera

Reiicitur ſententia Galeni.
Ratio prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Opinio Platonis & Pythagoræ.
Triplex ſimilitudo ex ſententia Platonis.
Prima.

Digitized by Google

ſupera indicant infera, & infera nos excitant ad ſupera: ſecundo ſimilitudinem conſiderabat in numeroſis concentibus, cõmunibuſq; proprietatibus geometricis & arithmeticis, ex quibus animã in Timæo dixit eſſe conflatam, quas rationes & concentus modo quodam corporeo in corporibus quoque reperiri exiſtimabat: tertio eandẽ conſiderabat in communibus generibus & principiis; communia genera ſtatuebat, eſſentiam, motum, ſtatum, identitatem & alteritatem. Communia vero principia, infinitum, terminum & vnitionem, quæ & in corporibus, & in anima reperiri exiſtimabat. Demum addebat Plato, *animam conſtare ex principiis motus*; vt tum phyſica, tum mathematica, tum diuina, munere ſimilitudinis poſſet iudicare. Euerſio huius opinionis ex illis præſertim eſt conſpicua, quæ aduerſus reminiſcentiam in præcedentibus dicta fuere: neque hic eſt locus, vt exactius de ea debeam verba facere. Propterea eſt quarta opinio Ariſtotelis: ex cuius ſententia dicendum eſt, duplex eſſe cognitionis genus; vnum per eſſentiam, alterum per receptionem actionis ab obiecto. Si cognitio fuerit per eſſentiam, nedum ſimile cognoſcitur ſimili, verum idem eodẽ: at hoc cognitionis genus noſtro inſtituto non inſeruit. Si vero fuerit per receptionẽ, duo conſiderare debemus, facultatem animæ & habitum: ſi habitum inſpicimus, ſimile noſcitur ſimili, vt habitu phyſico iudicamus phyſica, ciuili ciuilia, mathematico mathematica, & ſic de ſingulis: ſi conſideramus facultatem animæ, vel conſideramus ſimilitudinem poteſtate, vel actu: ſi poteſtatem inſpicimus, ſimile cognoſcitur ſimili; quia facultas cognoſcens eſt poteſtate talis, quale eius obiectum eſt actu: ſi conſideramus ſimilitudinem actu: primo dicendum, quod non adeſt ſimilitudo modo corporeo, (vt cenſuit Empedocles) neque per rationes & ideas: (vt cenſuit Plato:) ſecundo addendum ſimilitudinem in duobus conſiderari poſſe; primo in communi quodam genere, communique conditione; ſecundo in propria forma & natura. Si inſpicimus commune genus, ſimile cognoſcitur ſimili; ſenſu corporeo & materiato ſenſilia materiata, mente abiuncta intelligibilia abiuncta conſideramus; & hoc commune genus, non vniuocum eſt, ſed ab vno: at ſi inſpicimus propriam naturam & formam cognoſcentis, & rei quæ cognoſcitur, in principio ſunt diſſimilia, in fine ſimilia; vt de omni agente & patiente ſe habere aſſeruit Ariſt. in primo de ortu & interitu, & in ſecundo de anima: hæc tamen ſimilitudo cognoſcentis eſt ſpiritalis, per imitationem & repræſentationem. Sic Ariſtot. in tertio de anima, context. 3. dixit, *mentem eſſe poteſtate talem, ſed non hoc.* Ratio, quod ſimilia eſſe debeant, non propria forma, ſed communi quodam genere, eſt: quia recipiens eſt perinde ac materies & genus proximum, quæ

Secunda.

Tertia.

Opinio quarta Ariſtotelis.

Approbatur authoritate.

Ratio.

formas & differentias oppoſitas ſunt nata recipere, vniuſcuiuſque enim actus in proprio & definito ſubiecto eſt natus recipi vt dicitur in ſecundo de anima. Hanc ſimilitudinem in communi quodam genere poſitam indicauit nobis Ariſtot. in 3. de anima, context. 9. dum ex eo quod aliud eſt caro & eſſe carnis, inferebat ea cognoſci vel diſtincta facultate, vel eadem vario modo ſe habente. Eandem quoque ſimilitudinis neceſſitatem clarius expreſſit in ſexto moralium Nicom. cap 1. per verba ſub initio huius conſiderationis relata. Neque aſſentiendum eſt Lambino, qui in annotationibus eius libri inquit, *Ariſtotelem tunc loqui, non ex propria, ſed ex aliorum ſententia*, id enim longe abeſt ab inſtituto Ariſtotelis & à recta eius loci interpretatione: loquitur enim tunc philoſophus ex propria opinione, ac eam pro cauſſa affert diuiſionis mentis in agentem & contemplantem; eandemque ſententiam alibi quoque protulit, vt pateſeci: ideo Alexander in primo de anima eam vt veram approbat. Patet itaque, ſimile cognoſci ſimili, poteſtate, non actu: cognoſci ſimili, genere quodam communi, non forma propria: cognoſci ſimili, non in principio, ſed in fine: cognoſci ſimili, habitu animæ, at non facultate animæ: & eam ſimilitudinem ſpiritalem eſſe, & per imitationem, non autem per propriam & principalem formam. Ex his quoque conſtat, quomodo ea intelligi debeant, quæ pro vtraque parte fuere adducta.

Canon philoſophicus.

Reiicitur annotatio Lambini.

Alexander. Epilogus reſolutionis.

De prudentia, quotuplex, & quid ſit.
Cap. XXXIV.

SInguli habitus, qui humanam mentem exornant, ſui natura & conditione digni ſunt, vt accurate conſiderentur: prudentia tamen maxime omnium à ciuili debet exquiſite cognoſci; cum eadem ſit cum ciuili methodo, & ſola ratione ab ea ſecernatur: quæ cum multipliciter vſurpetur, à variis eius ſignificationibus ordiri tenemur. Prudentia duplex eſt, vna diuina, altera mortalium propria: prudentia diuina eſt prudentia eminens, ſeiuncta ab omni indagatione & imperfectione; quæ tribuitur Deo & ſeparatis mentibus, quatenus eminenti quadam prouidentia, rectiſque legibus mundum gubernant: quæ cum inſtituto noſtro non conducat, prætereunda eſt. Prudentia mortalium adhuc eſt duplex; vel enim eſt prudentia naturalis, vel humana. Ea, quæ eſt prudentia naturalis, non vere eſt prudentia, ſed vmbra eius, quatenus per naturam & inſtinctum naturæ iumenta & feræ ea efficiunt, quæ etiam faceret vir prudens: ita formicæ colligentes grana, apes fauum conficientes, & regem ſequentes, aues pro temporum varietate mutantes loca, prudentes hac prudentia nuncupantur, de qua legitur: *eſtote prudentes ſicut*

Prudentia exquiſite cognoſcenda.

Prudentia multiplex. Diuina.

Naturalis.

Digitized by Google

ſicut ſerpentes. Prudentia humana adhuc eſt duplex: vel enim eſt prudentia ſpe & ſemine, vel habitu & forma. Spe & ſemine dicuntur pueri, dum per naturam indicant ſe ad prudentiam faciles, ſpemque præbent futuræ prudentiæ: de qua prudentia mentionem fecit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum *13.* ac inſuper in *1.* de repub. cap. *2.* inquiens: *homo arma tenet per innatam prudentiam, atq; virtutem, quibus plurimum valet in contrarium vti.*

Humana duplex.

Spe.

Altera ex parte prudentia habitu & forma adhuc eſt duplex: vel enim vſurpatur pro calliditate & verſutia, ac ita diabolus & viri aſtuti nuncupantur prudentes, & tales frequenter ſunt illi, qui cum additione prudentes huius mundi nuncupantur: vel eſt humana prudentia proprie ſumta, cum morali virtute coniuncta, media quærens ad attingendum honeſtum, & hæc á variis vario modo definita fuit.

Forma.

Dixerunt Stoici, *prudentiam eſſe ſcientiam bonorum, malorum & mediorum.* Speuſippus in libro de definitionibus Platonis latius eandem explicans dixit; *prudentiam eſſe ſcientiam bonorum & malorum, diſpoſitionem homini felicem trahens, qua quid agendum ſit & quid non, iudicamus.* Verum his definitionibus nec proprium genus prudentiæ traditur; non enim prudentiæ genus eſt ſcientia, neque eius differentiæ recte & proprie explicantur.

Definitio pruden[illegible] ex ſenti[illegible] St[illegible] Speuſ[illegible]

Plotinus Enn. prima, lib. 6. cap. *6.* dixit; prudentiam eſſe intelligentiam, declinantem inferiora, animumque ad ſuperna erigentem. At non intelligentia eſt proprium genus prudentiæ ſed habitus ab ea diſtinctus, neque erigere ad diuina eſt propria eius differentia; cum prudentiæ officium potius ſit humana gubernare; erigere autem ad diuina, & negligere mortalia, eſt officium, non prudentiæ vt prudentia vniuerſe eſt, ſed vt heroica.

Ploti[illegible]

Euerſio.

Alii dixerunt, *prudentiam eſſe habitum mentis, qua vnuſquiſque id quod ſibi eſt vtile, quærit.* In qua ſignificatione Euripides (referente Ariſtotele in ſexto moralium Nicomachiorum) prudentem circumſcripſit. Quæ etiam approbanda non eſt, quoniam prudentiæ munus principale eſt quærere id, quod eſt maius bonum, huiuſmodi eſt bonum publicum & ciuile, non proprium: præterea finis prudentiæ honeſtum potius, quam vtile cenſeri debet.

Aliorum opinio.

Euerſio.

Propria opinio.

Poteſt profecto prudentia variis modis circumſcribi: ea namque eſt regula humanæ vitæ; *eſt lex, quam qui ſeruat, felicem vitam ducit; eſt via regia ad honeſtum ducens, eſt auriga facultatum animæ noſtræ mortalem hanc vitam ducentium, eſt magiſtra docens ex omnibus eligere bonum, eſt acies mentis, quæ finem inſpiciens, recte dirigit ordinata in illum.*

Variæ circumſcriptiones.

At (cæteris circumſcriptionibus prætermiſſis) dicamus cum Ariſtotele in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 5. *prudentia eſt habitus cum ratione vera, ad agendum ea dirigens, quæ homini bona ſunt.* Habitus eſt genus, & communis forma eius. Additur, cum

Definitio ab Ariſtotele tradita, & breuis explicatio.

Digitized by Google

ratione vera: per quod indicatur prudentiam pertinere ad mentem, & ad eam mentis facultatem, quæ ratiocinatrix dicitur, græce autem λογιστικὴ, ad quam pertinet opinio, vt affirmat Ariſtoteles in eodem c. 5. Opinio tamen diuiditur in veram & falſam; prudentia autem ſolam partem veram & rectam ſibi aſciſcit. Inſuper, dum dicitur, practicus habitus, ſiue ad agendum dirigens; finis proximus prudentiæ oſtenditur, diſtinctus à fine artis & contemplationis; qui finis eſt vltima differentia perficiens formam prudentiæ: finis autem cuius gratia, eſt honeſtum, & ſummum hominis bonum, quæ finis vt notus prætermittitur. Demum explicatur externa materies, in qua prudentia verſatur; & ſunt ea omnia, quæ humanis actionibus ſubiiciuntur. Quæ circumſcriptio breuior redditur aſſerendo, quod ſit recta ratio agibilium: Nam prudentia & ars non ſunt prima operandi principia (ea namque ſunt variæ facultates animæ) ſed ſunt exemplar, regula, & lex recte operandi, quam operans nititur pro facultate ſeruare, ac extrinſecus exprimere, vt ſuo loco pateſeci.

Finis perfectio forma eſt.

Definitio in pauca reducta.

Conſpirantia ad internam prudentiæ conſtitutionem.

Cap. XXXV.

CVm prudentia ſit forma interna regia, humanæ vitæ magiſtra, & dux humanarum actionum, illuſtribus principiis, inſignibus partibus, præclariſque affectionibus debet eſſe inſignita. Et quoniam in humanis actionibus, vt in propria materie verſatur, actio autem à fine dirigitur: ideo neceſſe eſt ad formandam prudentiam, vt primo finem nobis proponamus, ac erga illum recte affecti ac conformati ſimus. Finem poſtremum & communem nobis voluntas proponit; erga quem, vt etiam erga fines proprios & proximos, nos firmos & conſtantes reddunt virtutes illæ, quæ in more ſunt poſitæ: quicunque enim conſultationis ſuæ non ſibi primo congruentem finem proponit, vt in vniuerſa ſua actione & conſultatione temere agitetur, imprudenterque ruat, neceſſe eſt. Propterea illi, qui ſeorſim à morali virtute prudentes nuncupantur, non vere prupentes, ſed potius callidi, verſuti & aſtuti nuncupari merentur. Recte autem conſtituto, & nobis propoſito fine, tenemur de mediis recte conſultare: pro qua conſultatione recte formanda, vt ad ſcientias requiritur ille habitus, qui intelligentia principiorum dicebatur: ita ad hanc neceſſarius eſt νοῦς, hoc eſt, intelligentia practica, ad actionem dirigens; quæ eſt cognitio exacta eorum ſingularium, in quibus verſatur actio, vel quæ ad actionem conſpirant. Ex attinentibus ad prænotionem finis, præſertim elicimus maiorem ſyllogiſmi practici enuntiationem; ex attinentibus vero ad notitiam ſingularium in quibus actio verſatur, & conditionis eorum.

Pro formanda prudentia requiritur, primo, vt optimum finem nobis proponamus.

Pro formanda prudentia conſultatione neceſſaria eſt intelligentia practica.

Digitized by Google

eorum, elicitur minor: quod non valemus conſtanter, & ſine errore efficere, niſi fuerimus experti, & in variis cum propriis, tum aliorum actionibus verſati: ac ob id conducunt hiſtoriæ, confert peritia morum & conſuetudinum variarum nationum, ſic ſenſim & ſero tandem prudentia creſcit. Ad cuius perfectionem congruens conſtitutio variarum animæ facultatum eſt neceſſaria. Requiritur memoria, vt diſtinctè viſa ſeruentur, & per phantaſiam quærenti media & ratiocinanti ad libitum offerantur. Vtilis eſt ἀγχίνοια, hoc eſt, ſolertia & dexteritas ingenii, celeriſque inuentio medii: quæ quamuis propriè pertineat ad contemplationem; tamen, vt cognitio veri, ita ἀγχίνοια ad conſultationem & actionem eſt vtilis. Inſuper neceſſaria eſt σύνεσις, hoc eſt, perſpicacitas & acumen ingenii: & eſt congruens ingenii diſpoſitio, qua aliorum dicta rectè apprehendimus, congruenter de illis iudicamus; ac ex vno aliud promtè elicimus. Hæc non ſecus à prudentia, in rebus dubiis verſatur, ac in his quæ ſecus ſe habere poſſunt: differt tamen à prudentia, quia ad σύνεσιν pertinet acutè perſpicere, rectèque iudicare. prudentiæ autem officium eſt dirigere & imperare. Inſuper neceſſaria eſt γνώμη: quæ eſt ſententia recta, ex iudicio prodiens, & ex præcedentibus facultatibus tanquam ex principiis pendens. Demum conſpirare debet facultas ea, quam δεινότητα Ariſt. nuncupat in 6. moral. Nicom. c. 12. & eſt vis ac facilitas ad ea agenda, quæ ad finem aſſequendum conducunt; in qua, perinde ac in animi oculo, habitus prudentiæ generatur, cùm per eam proximè prudentiæ officium & vis eluceſcat: quæ facultas, dum ſine prudentia ad malum properat, verſutia nuncupatur. Cum itaque tot ad prudentiæ abſolutionem conſpirent, voluntas & virtus, rectè diſponunt & firmant erga finem vltimum & proximum: habitus ille, qui νοῦς & intelligentia practica dicitur, nobis ea offert, ex quibus principia conſultationis eliciuntur, vel in quibus verſari debet actio: experientia & memoria, per phantaſiam menti varia euenta offerunt, per quæ rectè paramur ad conſultationem & iudicium: ſolertia inueſtigat media, & inuenit: σύνεσις apprehendit & iudicat: ex his conſultatio recta conſtituitur: ex qua prodit γνώμη, ſententia nempe recta. Munere autem horum omnium, prudentia in ea animi facultate generatur, quæ dicitur ad agendum idonea: hæc enim proximè ad agendum dirigit, famulantibuſque facultatibus præcipit, eam ſequitur prælectio. Prudentiam autem iam formatam, tanquam propriè affectiones, comitantur circumſpectio, vigilantia, prouidentia, cautio, & ſimiles. Cum autem ad abſoluendam prudentiam tot conſpirare debeant, quorum integer numerus raro in eodem reperitur, iure optimo prudentia, vt eſt præclara, ita eſt rara.

Hiſtoriæ vtiles. *Memoria vtilis.* *Solertia.* *Perſpicacitas.* *Sententia.* *Vis ad agendum.* *Colliguntur conſpirantia ad prudentiam.* *Affectiones prudentiæ.* *Prudentia cur rara.*

A quo in nobis prudentiæ habitus producatur.

Cap. XXXVI

Producentia habitum prudentiæ.
Opiniones tres.

DEclaratis illis, quæ intrinſecus ad prudentiæ conſtitutionem conſpirant, facilius modo principium indagare valemus, per quod prudentiæ habitus in animo ingenuo generatur. Qua de re tres ſunt principales opiniones. Plato prudentiam exactam & conſtantem, cum ſapientia iunctam cenſuit, & quoniam ſapientia doctrina & diſciplina in nobis gignitur, propterea per eadem principia in nobis gigni prudentiam exiſtimauit, qua de re latius verba feci, dum de modo diſſerui, quo in nobis virtutes morum producerentur.

Prima Platonis.
Secunda Ariſt.

Cum enim Plato virtutes morales dixerit eſſe prudentias, id quod dixit de vna, de reliqui etiam exiſtimauit. Ariſt. cenſuit *prudentiam experientia, & longo rerum vſu produci.* Alii dixere eam nobis per naturam competere, & quoniam munera naturæ ſunt munera Dei: ideo prudentiam Dei eſſe munus aſſeruerunt.

Tertia aliorum.
Omnes in parte veræ.
Conſiderandum primo.

Quæ opiniones ita ſe habent, vt omnes aliquid veri includant, præcipue tamen ſententia Ariſtotelis eſt approbanda: nam dum ſingula perpendimus, quæ ad prudentiæ abſolutionem conſpirant, inueniemus cuncta ea tria eſſe neceſſaria. Pro cuius notitia conſiderandum primo eſt, quod prudentia, quamuis non ſit virtus moralis, cum non pertineat ad appetitum ſenſuum, neque ſit moderatio alicuius perturbationis; maxime tamen iuncta eſt cum virtute morali: eſt enim dux earum, & vltimum eius nectitur cum principio moralium virtutum: vltimum enim erat decretum, & ſententia quæ præeligenda eſt; præelectio autem eſt proximum & principale principium actionum ex morali virtute prodeuntium.

Quomodo prudentia, cum non ſit virtus moralis, nectatur cum ea.
Conſiderandum ſecundo.

Cum itaque prudentia ſit virtus rationalis cum morali iuncta, includit modo aliquo conditiones vtriuſque generis virtutum. Conſiderandum ſecundo eſt ad exactam prudentiæ abſolutionem tria requiri: primo, tanquam principia, requiruntur facultates animæ per naturam congruenter affectæ: ſecundo, tanquam media, cognitio veri, diſciplinæ à quibus principia recipiat, variæque præceptiones virorum prudentum, à quibus homo euaſurus prudens dirigatur: demum tanquam vltimum & finis, qui habitum firmet & abſoluat, requiritur accuratus vſus eorum, quæ ſub actionem cadunt.

Reſolutio difficultatis.
Sententia verior.
Cur ſeniores ſint prudentiores.

Quibus præaſſumptis dico: prudentiam, per prima principia, eſſe munus naturæ & Dei, per media, doctrinæ & diſciplinæ, per finem, noſtro labore, longo rerum vſu, & experientia perfici. Et quoniam hoc maxime eſt proprium & proximum principium habitus prudentiæ: ideo, quamuis tres illæ ſententiæ aliquid veri includant, præcipue tamen hæc vera eſt, quod experientia & vſu rerum producatur. Ex his elicio primo, *iure ſeniores eſſe prudentiores*: id enim eis competit ratione principii, medii & finis, hoc

Digitized by Google

eſt, per temperamentum, per doctrinam, & per vſum rerum. Nam ſi temperamentum inſpicimus, contemperatus eſt in eis feruor ille ſanguinis, qui turbabat conſultationem, peruertebatque iudicium, & ſententiam rectam: inſuper lenitæ ſunt perturbationes, quæ animum diſtrahunt, quarum requiete & compoſitione anima dicitur fieri ſapiens & prudens: demum, quia prudentia expoſcit temperamentum quoddam ad frigidum & ſiccum inclinans, prodiens ex bile atra congruenter temperata (quod formicæ, apes, conſimiliaque animalia naturali quadam prudentia prædita nobis patefaciunt) & huiuſmodi temperamentum ſenioribus competit: ideo colligere debemus, ob ea quæ ad naturam pertinent, ſeniores eſſe prudentiores. Quod prudentiores eſſe debeant ob doctrinam & vſum rerum, ex ſe eſt conſpicuum. Ratione igitur principii, medii & finis ſeniores ſunt prudentiores, niſi nimio ſenio repueraſcant.

Ariſtot.

Propterea recte Ariſtoteles in 7. moral. Nicom. c. 9 dixit, *natura iunioribus vires, ſenioribus prudentiam largitur*.

Plato.

Et Plato in Timæo inquit, *non floreſcit virtus animi, niſi virtus corporis defloreſcat*.

Cur mares prudentiores.

Inſuper ex declaratis ſimiliter elicere valemus, cur mares ſint prudentiores fœminis, nam ex eiſdem tribus fontibus ratio huius elicitur, vt conſiderantibus redditur conſpicuum, quod intelligi debet ſemper præſuppoſita cęterorum conſimilitudine.

Sententia Heracliti.

Nam ſententia fuit Heracliti, approbata à Galeno in eo lib. quod animi mores ſequantur corporis temperamentum: ſplendorem aridum, hoc eſt, ſpiritus fulgentes, inclinantes ad ſiccum, reddere animam ſapientē & prudentem: ſpiritus autem fœminei ſexus, redundante quadam humiditate, craſſi & obtuſi ſunt.

Damnantur perperam vtentes aſtronomia.

Tertio colligere valemus aſtronomos minus recte rationem reddere, cur ſenes ſint prudentiores; inquiunt enim eius rei cauſſam eſſe, quia ſenibus præeſt Saturnus, qui contemplationis & conſtantię eſt dominus, & quia dum nimium ſunt ſenes, redeunt ſub imperiū lunæ, quæ pueritiæ prę-eſt, ideo tunc repueraſcunt. At hæc leuiſſima ſunt: ſtellæ. n. ſunt cauſſæ remotæ, cōmunes, æque cuncta fouentes, nemini aduerſæ, niſi ex euentu, & cum ſenes omnes æque, vt ſenes, ſub imperio Saturni ſint poſiti, non propterea ſunt æque prudentes. At commenta Aſtronomorum, perperam diſciplina ea nobili vtentium, miſſa faciamus. Nam ſi ſtellarum aſpectus, cœli conſtitutio, aeriſque ambientis qualitas, vim aliquam habent, ea ad temperamentum rediguntur, cum proxime per hominum temperamenta operētur.

Vnde ducatur, quod nationum quadam ſint prudentiores.

Quarto colligemus, quomodo inſpiciēdo ea tria principia & ſemina hominū generi prudentiam proxime largientia, fieri poſſint comparationes inter varias nationes, quarum nonnullæ vel natura, vel diſciplina, vel vſu, prudentiores vel imprudentiores eſſe videntur. Et quoniam vſus & experientia maxime

Cur in Senatu Veneto tot prudentes fulgeant.

valent, ideo demum colligere valemus; iure optimo in ampliſſimo Senatu Veneto plurimos reperiri ſenes, inſigni quadam prudentia adeo illuſtres, vt quilibet eorum nedum vrbem vnam, ſed ampliſſimum regnum aptus eſſet feliciſſime gubernare: nam ciues in vrbe libera educati, & præſertim in ea, in qua imperium optimatum fulget, maxime per diſciplinam & vſum ſunt nati reddi prudentes, cum ad prudentiam educentur, inſtituantur, & frequenti vſu ac exercitatione ducantur.

Diuiſio prudentiæ. CAP. XXXVII.

Prudentia & ciuilis ſcientia habitus vnus.

CVm definita ac formata hactenus ſit prudētia, ſequitur modo, vt de eius diuiſione loquamur. Quod vt exactius valeamus efficere, operæpretium eſt primo cum Ariſt. in 6. mor. Nic c. 8. accipere, *prudentiam & ciuilem ſcientiam habitum eſſe, fundamento & re vnum, ratione autem & forma diſtinctum: prudentia dicitur, vt ad nos, noſtramq; perfectionem refert; ciuilis vero ſcientia, vt refertur ad alios. Quemadmodum enim ſe habent inter ſe virtus vniuerſa, & vniuerſa iuſtitia, ita prudentiā & ciuilem ſcietiam ſe habere cenſendum eſt, adeo quod prudentia reſpicit virtutem vniuerſam, ciuilis autem ſcientia vniuerſam iuſtitiam.*

Diuiſio prudentiæ.

Prudentia priuata ſuimet.

Prudentia igitur, quæ cum ciuili ſcietia vnus eſt habitus, diuiditur: vel enim eſt vnius particularis hominis erga ſeipſum, & cōmuni voce ac abſolute prudentia dicitur, per quā homo ea recte diſponit, quæ ad ſuā vtilitatem, congruētemq; inſtitutionē pertinent, cui aduerſatur imprudētia, quæ eſt ſuimet, & ſuorū bonorum negligētia: vel hæc late ſumta prudētia reſpicit alios: & quia reſpicere poteſt cum familiā, tum patriā & vniuerſam ciuitatē: ideo diuiditur in domeſticam & ciuilem.

Prudentia domeſtica.

Prudentia ciuilis quæ eſt duplex.

Prudentia legum ferendarum.

Prudentia exſequens.

Quæ prudētia ciuilis adhuc eſt duplex: vel enim eſt prudētia nomothetica, h. e. ferendarum legum, quæ eſt domina, princeps & regia, cuius munus eſt leges condere, magiſtratus cōſtituere, dominari, imperare, pœnas & præmia decernere: vel eſt prudentia, quæ proxime in ſingulis hominum actionibus verſatur, & quaſi manibus negotia ad remp. pertinentia tractat, & hæc communi voce abſolute nuncupatur practica ſeu ciuilis. Quamuis.n. re vera ea mereatur ciuilis dici, quæ eſt domina, & ratio ferendarum legum, tamen quia multitudo inſpicit nō principia, ſed exitus, & poſtrema opera, propterea eos nuncupat abſolute ciuiles, qui in ſingulis magiſtratuum actionibus verſantur, illi enim proxime ciuilia tractant. Demum hæc in ſingulorum actionib. occupata prudentia, etiam eſt duplex; vel enim eſt conſultrix, vel iudicans: conſultrix in conſultatione & deliberatione verſatur, cui omne actionum ciuilium genus, vt materies ſubiicitur: iudicans in iudicio ferendo poſita eſt; nam eius officium eſt iudicare, quomodo actiones ſint vel non ſint conſentaneæ legibus, quibus pœnis vel præmiis dignæ ſint: de his omnibus prudentiæ partibus, &

Prudentia conſultrix.

Prudentia iudicans.

maxi-

maxime de principalibus Ariſt. latiſſime verba fecit. Nam de prudentia, quæ eſt ſuimet abſolute, & non per relationem ad definitum genus adminiſtrationis ſuæ patriæ, Ariſt. in lib. mor. Nic. cumulatiſſime diſſeruit. Prudentia quoq; legũ ferendarũ, quæ domina & princeps eſt, in eiſdem libris præſertim explicata fuit: ad hanc enim prudentiã duo pertinent. Vnum, quod eſt principale, & eſt cognoſcere finem, & principia legum: finis vltimus eſt ſummum bonũ, finis proximus eſt virtus. Principia ſunt hæc eadem vna cum prudentia iuncta: leges enim ex virtute prodeunt, & ad virtutem vt ad finem proximum dirigunt, vt in 5. mor. Nic. aſſeritur. Hinc leges ea præcipiunt, quæ ad omnes virtutes pertinent; & qui recte inſtitutis legib. obtemperant, ſeruant mãdata ſingularum virtutum. Cum .a. pertinentia ad ſummum bonum & ad virtutes, declarentur in libris de moribus, iure optimo in eis explicantur illa, quæ præſertim conſtituunt prudentiam ferendarum legum. Alterum minus principale pertinens ad prudentiam ferendarum legum, eſt cognitio quorundam, quæ ſunt propria huius vel illius vrbis & nationis, quę in libris de rep. vt minus cõmunibus accommodatius conſiderantur. Ex quo conſtat, quod quamuis in libris de rep. & legib. condantur leges, inſtituãturq; magiſtratus, recta tamen illarum, horumq; inſtituendorum ratio, ad libros de moribus pertineat. Propterea iure Ariſt. in procemio eorum librorum partem illam abſolute appellat ciuilem, & ſummum bonum in ea declaratum ait pertinere ad diſciplinam, quæ princeps & regia ſit cæterarum ad operationem dirigentiũ. Ex quo etiam conſtat libros de moribus, dignitate præſtare libris de rep. quamuis multi ſecus iudicent. Demum Ariſt de cæteris prudentiæ partibus in libris de rep. & cura familiari diſſeruit.

Vbi explicentur partes prudentia.

Recta ratio condendarum legum, & instituendorum magiſtratuum ex libris de moribus elicitur.

In qua prudentiæ parte verſentur illi, qui Iuriſperiti, ſiue Legiſtæ nuncupantur. CAP. XXXVIII.

PRouidentia, prudentia & lex, arcto quodam neceſſitudinis nodo colligantur; ex prudentia enim oritur prouidentia, & ex prouidentia lex: ideo, quot ſunt gradus prudentiæ, tot prouidentię & legum reperiri neceſſe eſt. Quatuor ſunt horum omnium principes gradus: in quorum primo refulget prudentia, prouidentia, & lex eminentiſſima Dei: ex qua in ſecundo gradu prodeunt & refulgent prudentia, prouidentia, & lex fati: in tertio naturæ, in quarto hominum, & nuncupatur prudentia, prouidentia, & lex humana; quæ eſt tenuis quædam vmbra legum naturæ, fati & Dei; & eatenus eſt firma & conſtans, quatenus cum præcedentibus principibus legibus conformatur. Et quamuis natura & fatum re vera idem ſint; tamen, quia ratione diſtinguuntur, ideo leges vtriuſque tanquam diſtinctæ numerantur. In prudentia & legib. Dei metaphyſicus & theologus verſantur,

Quatuor gradus prudentiæ, prouidentiæ & legis.

Primus gradus prudentiæ, prouidentiæ & legum.

Gradus ſecundus.

Tertius.

Digitized by Google

Alii re vera ſcrutantur principes & eminentiſſimas leges, modo tamen vario, hi per diuinam reuelationem, illi per humanam indagationem; in legibus fati & naturæ verſatur phyſicus, ciuilis philoſophus in his verſatur, quę ad quartum gradum pertinent, quæ comparatæ cum aliis, potius vmbræ legum, quam veræ leges nuncupari merentur. Inſuper verſari poſſumus in hoc quarto legum & prudentiæ ordine, duobus modis. Vel reſoluendo illum in ſua principia, & priores gradus, quod faciunt illi, qui ex mandato Platonis à ſapientia ad prudentiam progrediuntur; nam partes philoſophiæ ſibi mutuo opem ferunt: & propterea illi, qui primo inſpectrici philoſophiæ incumbunt, mox ad ciuiles leges deſcendunt, legitime in eis verſantur, & per regiam viam ad eas progrediuntur. Propterea priſci legiſlatores inuentionem legum in Deum retulerunt, veluti Moyſes, qui Iudæis leges dedit, in verum Deum; Mercurius ter maximus, qui Ægyptiis condidit leges, in Mercurium; Minos, qui Cretenſibus, in Iouem, & ſic de cęteris. Quod fecerunt, nedum ob maiorem auctoritatem, verum inſuper, quia re vera recte conditarum legum origo Deus eſt, ideo qui legibus obtemperat, Deo dicitur obtemperare, vt ait Plato in quarto de legibus. Sic approbanda maxime eſt Ciceronis ſententia in ſecundo de legibus dicentis: *Non tum incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed tum cum orta eſt; orta eſt autem ſimul cum mente diuina, quamobrem lex vera atq; princeps, apta ad iubendum & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis.* Alii ex aduerſo verſantur in humanis legibus, & gradum earum non egrediuntur, qui adhuc id facere valent duobus modis. Primo percurrendo partes omnes ad hunc gradum pertinentes: & hi ſint illi, qui ſummum bonum, virtutes, & alia proxima legum principia conſiderant, quæ in libris moralium Nicom. ab Ariſt. explicantur, ex quibus proxime elicitur recta ratio ferendarum legum: & hi, quamuis non abſolute, tamen in eo quarto prudentiæ genere perfecte verſari dicuntur. Alii demum reperiuntur, qui cum in hoc quarto gradu verſentur, non vniuerſum illum perquirunt, nec rationem ferendarum legum addiſcunt, ſed leges perlegunt, eas memoria ſeruant, per eas iudicant: & hi proculdubio in infima parte huius quarti gradus legum ſunt poſiti, quæ eſt cæterarum partium famula & miniſtra, vt docet Ariſt. in 6. moralium Nicomachiorum, cap 8. & Plato in lib. de regno, & hi ſunt illi, qui conſultores & iudices nuncupantur. Ex his conſtat, nos in quarto legum gradu, quæ humanæ & ciuiles dicuntur, tribus modis verſari poſſe: vel cum reſolutione vſque ad gradum ſupremum quod pauciſſimi faciunt: vel cum reſolutione in principia ſaltem proxima, ex quibus proxime elicitur recta ratio ferendarum legum, quod faciunt pauci: vel demum percurrendo leges

In quarto gradu legum tribus modis verſari valemus.

leges

Digitized by Google

leges latas, conſultando & iudicando per eas, negleꝺta recta ratione ferendarum legum, quod profecto multi faciunt. Primi ſunt abſolute philoſophi. Secundi philoſophi cum contractione, hoc eſt ciuiles tantum. Poſtremi ne quidem digni ſunt nomine philoſophi, quia philoſophari eſt rem in ſua principia reſoluere, quod illi non faciunt. Sententia eſt Ariſt. in 1. moralium Nic. cap. 13 magis neceſſariā eſſe ciuili philoſopho cognitionem animæ quam curare profitetur, quam Medico cognitionem corporis: at Medicus ignarus pertinētium ad corpus, Empiricus, & nō iure Medicus nuncupatur: quare longe minus ille iudicādus eſt ciuilis philoſophus, qui ignarus eſt animæ, & principiorū iuris. Dum autem quæritur, in qua parte verſentur Legiſtę ſiue Iuriſperiti, abſolute vnica reſponſione reſpondere non valemus, quia eorum nonnulli vna, alii alia ratione legibus incumbunt. Sat mihi eſt conditiones eius patefeciſſe, qui omni ex parte prudens, & vere ciuilis philoſophus nuncupari meretur: ego autem cunctos literarum ſtudioſos honoro.

Quid philoſophari.

Ariſtoteles.

De nonnullis quæ prudentiæ tribuuntur.

Cap. XXXIX.

Vnuſquiſque habitus per ea ſeruatur, quibus gignitur: cum autem prudentia vſu & exercitatione acquiratur, vſu etiam & exercitatione ſeruatur ac perficitur. Inter habitus, qui à prudentia ſunt diſtincti, temperantia præſertim dicitur cuſtos & conſeruatrix prudentiæ, vt vna cum Platone dixit Ariſtot. in 6. moral. Nicomach. cap. 5. propterea Græci temperantiam dixere σωφροσύνην, hoc eſt, conſeruatricem prudentiæ, & iure optimo profecto: temperantia enim corrigit, frænat, modumque imponit voluptati: voluptas & dolor ea ſunt, quæ potiſſimū nos incōſtantes reddere, noſtraſq; exiſtimationes peruertere valēt, non quidem omnes (non enim peruertunt exiſtimationes pertinentes ad mathematica, vel phyſica) ſed eas, quæ ad actionem dirigunt: quibus deprauatis, inquinatur virtus, peruerriturque iudicium de fine, ſine quibus prudētia ſeruari nō poteſt: iure igitur tēperantia, quæ modum præſcribit voluptati & dolori, prudentiæ dicitur cuſtos. Et conſiderandum quod omnis voluptas & dolor, dum non ſeruant modum (ſiue pertineant ad honores, ſiue ad diuitias, ſiue ad alia) nos male diſponunt erga finem, & peruertunt prudentiam, & propterea nedum temperantia contradiſtincta ab aliis virtutibus, verum etiā omnis virtus in more poſita, prudentiam ſeruat, id tamen tribuitur temperantiæ duplici de cauſa: primo, quia ſignificat temperantiam vniuerſalem nos recte diſponentem in omni voluptate & dolore: ſecundo, quia voluptas & dolor ad propriam temperātiam pertinen-

Axioma.

Seruantia prudentia.

Cur cuſtodia prudentia præſertim tribuatur temperantia.

Digitized by Google

tes, vehementiſſimæ omnium ſunt, & maxime aptæ peruertere iudicium honeſti, & mediorum ducentium ad illud. Ideo Homerus 14 Iliados de Ceſto Baltheo Veneris loquens, dixit: *Illic eſt amor, & cupido, & colloquium, & deceptio, quæ furatur mentem prudenter cogitantium.* De prudentia inquit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, capite quinto, *quod eius non eſt virtus, nam artis virtus eſt, prudentiæ minime: & rare profecto. Prudentia enim eſt prima & communis regula omnium actionum, & propterea ſupra ſe regulam aliam non habet, alioquin nec prima, nec omnium communiſſima eſſet: de ceteris non ſic ſe habet, rectus enim ceterarum vſus prudentiæ ſubiicitur: & propterea artis, & ceterorum habituum mentis datur virtus recte dirigens vſus earum, cum valeamus illis & recte & perperam vti: prudentiæ non datur huiuſmodi virtus, ſed ea eſt regula, menſura, & communis virtus ceterarum.* Ita cenſeo ſententiam illam exponi debere, quæ tamen communiter longe ſecus explicatur: & errant interpretum illi, qui verba Ariſtotelis Latina reddentes dicunt (artis porro virtus, & præſtantia eſt aliqua, prudentiæ autem nulla.) cum addant (præſtantia) quæ non ponitur ab Ariſtotele, ſententiam eius peruertunt, falſamque reddunt, vt ex ea explicatione conſpicuum eſt: & præſertim, quia etiam in prudentia conſideratur præſtantia & fulgor. Inſuper de prudentia comparata cum arte dicitur, quod, qui ſponte in arte errauerit, ei eſt præferendus, qui non ſponte: in prudentia contra deterior eſt is, qui ſponte ſua errauerit, quemadmodum & in virtutibus. Ratio huius differentiæ conſpicua eſt: nam prudentia, quamuis ſit virtus non moralis, ſed rationis, eſt tamen cum morali virtute neceſſario iuncta, vt in præcedentibus patefeci, & propterea in attinentibus ad actionem conſimilis eorum eſt ratio, nam ego de morali virtute agens patefeci, quomodo qui ſponte peccat, magis aberret; ideo idipſum de prudentia iudicandum eſt, præſertim cum ad agendum prudentia & moralis virtus vna conſpirent. Nam in attinentibus ad prudentiam dum aliquis ſponte errat; primo delinquit, quia finem à virtute non recipit: ſecundo errat; quia peruertit conſultationem, præelectionem, & vſum rectum, quæ ſunt de ratione eius: & ideo probitatem actionis, & ſuimet conditionem euertit. De arte ſecus ſe habet; non enim de ratione eius eſt congruens præelectio, & rectus vſus: nam perfectio artificis in habitu artis, & facultate recte efficiendi proprium opus cum ei libuerit, poſita eſt. Demum in eodem cap. 5. à philoſopho dicitur, *prudentiæ non eſſe oblinionem*; legitur enim eo loci: *Sed nec prudentia habitus eſt cum ratione coniunctus tantum, idque ex eo perſpici poteſt, quod huiuſmodi habitum delere poteſt oblinio, prudentiam non poteſt, &c.* Cenſuit Diuus Thomas (quem

Numerus.

Exponitur locus in 6. moralium c. 5. quod prudentia non ſit virtus.

Lambini error.

Cur in attinentibus ad prudentiam qui ſponte errat, magis delinquit.

An prudentia ſit oblinio.

In quo ſit perfectio artificis.

D. Thomas.

Digitized by Google

(quem fere omnes ſequuntur) Ariſtotelem tunc ſecernere prudentiam ab arte: nam prudentia non eſt recta ratio tãtum, quia ſic non differret ab arte; ſed eſt recta ratio agibiliũ, nam ars obliuione deleri poteſt, prudentia minime. Verum (vt cenſeo) hæc explicatio minime eſt approbanda: Quoniã inquit philoſophus prudentiam non eſſe rectam rationem tantum; quiã habituum, qui ſolum ſunt recta ratio, hoc eſt, in ſola recta ratione ſunt poſiti (vt ſcientiæ) datur obliuio; prudentiæ non datur: at ars quoque non eſt tantum recta ratio, ſed effectibilium, ideo non ſola diſciplina, ſed exercitatione cõparatur. Præterea dubium videtur, prudentiæ non eſſe obliuionẽ: multi enim reperti ſunt, qui cum diu in actionibus nõ ſint verſati, imprudẽtiores euaſerunt. multaque pertinẽtia ad prudentiam dederunt obliuioni. Cõfirmatur; quia, vt patefeci, prudentia modo aliquo etiã ex doctrina & diſciplina pendet: inſuper pẽdet ex rerum vſu & experientia, quæ nõ fiunt ſine memoria, & obliuioni tradi poſſunt. Propterea dicẽdum cenſeo, Ariſtotelem in eo cap. primo ſecernere prudentiam ab arte. Mox cum aſſeruerit prudentiam pertinere ad eam animæ partem quæ ad opinandum valet, & vna cum opinione in his verſari, quæ ſecus ſe habere poſſunt, quoniam poſſet quiſpiam putare prudẽtiam eſſe opinionem rectam tantum, & ſolum expoſcere eam, vt multæ veræ opiniones ſe habent, ac inſuper vt ſe habet ſcientia & ſapientia: propterea philoſophus ab his prudentiam ſecernens ait, eam non eſſe habitum cum ratione iunctum tantum, alioquin poſſet obliuioni tradi: obliuio enim eorum eſt, quorum phantaſmata in memoria ſeruãtur, ex quibus eliciuntur principia rectæ rationis: at prudentia non eſt recta ratio tantum, ſed vltra rationem rectam expoſcit habitum virtutum moralium, & habitum proprium, nõ ſola ratione, ſed præſertim lõgo vſu & aſſuetudine comparatum; eorum autem, quæ more, aſſuetudine, & vſu producuntur, non eſt obliuio: adeo quod prudentia, vt pendet ex ſapientia, & poſita eſt in ratione, obliuioni ſubiicitur; vt autẽ eſt agibilium, & lõgo rerum vſu acquiritur, & cum virtute morali eſt iuncta, nequaquam. Recte itaque loquitur Ariſtoteles cum dicat non tradi obliuioni, quia non eſt recta ratio tantum. Et pro exactiore notitia conſiderandum, quod triplici de cauſa prudentia ratione propria, hoc eſt quatenus eſt agibilium, obliuioni non traditur. Prima eſt, quia vſus eius eſt maxime cõtinuatus, vt etiam vſus virtutum moralium, quæ continuatio eſt de ratione earum: propterea Ariſtot. in 1. moral. Nicomachiorum dixit, *virtutem moralem firmiorem eſſe ſcientiis.* Altera ratio eſt, quia prudentia, cum dirigat ad actionem, maxime iuncta eſt cum prælectione & appetitu, quæ facultates nõ obliuione, ſed perturbatione

Euerſio.

Opinio propria.

Explicatur locus in 6. moralium.

Quomodo prudẽtia obliuione deleatur.

Cur ratione propria non deleatur obliuione.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia. peruertuntur: ideo Ariſt. in 6 mor. c. 5. dixit; *temperantiam ſeruare prudentiam.* Tertia ratio eſt, quia prudentia proprie vſu rerum comparatur, quæ autem ex eo prodeunt, nequaquam obliuione delentur. *Ars an obliuioni tradatur.* Ars in parte eſt prudētiæ ſimilis: nam quatenus ex ratione pendet, & recta ratio eſt, poteſt obliuioni tradi: at, quia eſt effectibilium, & expoſcit habitū in inſtrumentis motus contractum, exercitatione comparatum, nō obliuione, ſed longo otio abolctur, vt illis accidit, qui per longum aliquod tempus artem ſuam non exercuerunt; *Epilogus.* ex his conſtat primo reſolutio difficultatis: conſtat ſecundo, quomodo explicanda ſit ſententia Ariſt. conſtat demum, quomodo aduerſæ rationes dilui debeant.

Quos vſus prudentia præbeat. CAP. XL.

Prudentia πρακτικωτάτη & efficacia præclara. PRudentia tanquam fœcundiſſima planta, ſaluti humani generis ſummopere accommodata, vberes ac ſalutares fructus parere nata eſt, quos omnes ſi referre vellem, nimium effunderetur oratio, & in re latius conſpicua verſaretur: propterea paucis ero contentus, ea tamen proferam, quæ facultate cuncta continent. *Prudentia ſaluberrima.* Prudentia ſibi finem ſtatuens ſummum bonum, cū ad ſalutem nos dirigat, iure optimo ſaluberrima cenſeri debet. Inſuper prudentia cum terminos præſcribat actionibus noſtris, mediumque decernat à morali virtute ſeruandum, quod medium via regia, via hāc vitam viuentibus tutiſſima eſt: *Tutiſſima.* recte dux ſecurus, & tutus eſſe dicitur. Præterea prudentia ſemper cum virtute morali iuncta eſt: ac vt dantur virtutes naturales, morales, heroicæ, & diuinæ, ita putādum eſt dari prudentiam naturalē, moralem, heroicam, & diuinam. Cum itaque prudentia iunctā ſemper habeat virtutem, ac eam facultate modo quodam includat, per virtutem autem ad mores attinentem homo abſolute probus reddatur, iure cenſendum eſt prudentiā optimam eſſe. Præterea prudentia, non in vna, ſed in omni humana actione verſatur, *Optima virtutum.* omnem dirigit, omnem perficit, omnem formoſam reddit, in omni fortuna nos comitatur, ex omni euentu vel proſpero vel aduerſo bonum elicit, cunctis docet recte vti: propterea cōgruenter fideliſſima hominis comes iudicatur, *Fideliſſima.* & nullū numen abeſſe dicitur, dum adeſt prudentia. Inſuper homo in hunc terrenum orbem tanquam in arenam dimicaturus deſcendit, in qua à multis inimicis inuaditur & turbatur: *Inimici humanæ conditionis trium generum.* ei occurrunt inimici animi, vitium & ignorantia, inimici corporis, vt aduerſa valetudo, & deprauationes naturæ, inimici demum externi, vt aduerſa fortuna: deſtitutus prudētia, a cunctis vincitur, cunctis ſuccumbit: prudentia ſola ei arma miniſtrat quibus validiſſime ſibi ſubſternit omnes; munere enim prudentiæ ingenuus homo aduerſa for-

Digitized by Google

ſa fortunæ tela in fortunam retorquet, ac eam victam tanquam illuſtre trophæum ſecum defert: eiuſdem prudentiæ viribus vitia, pernicioſiſſima animi monſtra, proſternit, animique tumultuoſas perturbationes moderatur, & regit: & quotieſcunque à naturæ neceſſitate & fato inuaditur, prudentia adſtat, dolores leniens, non timenda negligens, incerto malo certiſſima bona opponens, accedentem mortem, vt ad ſe non pertinentem, & tanquam nuntiam potioris vitæ, tranquillo animo excipiens: adeo vt animi, corporis, & externorum trãquillitatem ac ſecuritatem ſuis viribus pariat, & propterea potentiſſima, ſecuriſſima, & tranquilla ſimul iudicari meretur: & præſertim, quia hac homo ſe vincit, ſe ſibimet reddit amicum, & cum ſe vicerit, hoc eſt, vehemẽtes aduerſaſque animi ſui perturbationes domuerit, vna & naturam, & fortunam, & fatum viciſſe dicitur, victoriam enim illã ſequitur victoria aduerſus cetera. Si reliqua humana bona conſideramus, inſpiciemus ea in vitæ curſu variari, & frequenter, dum magis eorum ope egeremus, nos derelinquere: Hæc, dũ magis irritamur, dum aduerſis magis premimur, dum à ceteris derelinquimur, intimius nobis hæret, magis fulget, robuſtior euadit, arma validiora miniſtrat. Præterea, ſi prudentiæ officium conſideramus ſaluberrimos eius fructus lucidius intuebimur, officium enim eius eſt imperare, dirigere, & corrigere, quod profectò eſt officium regium, adeo vt ob id prudentia vere regia nuncupetur. Quod vt clarius pateat, conſiderandum quod, quemadmodum prudentia diuina, cum prouidentia & ſuis legibus iuncta, vniuerſum orbem feliciſſime regit, per naturam effunditur, cuncta dirigens in congruentem finem: ita hæc prudentia humana, cum ſibi conſimili prouidentia & legibus iuncta; primo internum hominem, quaſi paruum mundum, regia ſua forma cõponit; mox per externa effunditur, familiam, & vniuerſam rempubl. feliciſſime regens. Sic homo prudens eſt ſenſilis imago inſenſilis rectoris mundi, & ſine regno verius eſt rex, quam qui regnum occupat ſine prudẽtia. Hæc eſt menſura rerum, quæ vnumquodque tanti facit, quãti fieri debet, terrena paruipẽdit, diuina magnifacit, quia diuina ſunt: & hoc eſt ſalutare fundamentũ rectæ inſtitutionis hominũ; ex eo n. tanquam ex fonte omnis error erumpit, quia de rerum precio decipimur. Inſuper prudẽtia in omni terreni orbis parte, in omni hominis ſexu, vitæ genere, ſtatu, ſorte, & cõditione eſt neceſſaria: Hæc enim felices euentus auget, aduerſos minuit, inchoatos perficit, præteritos recolit, præſentes iudicat, futuros præuidet, dolores lenit, voluptates moderatur, appetitum rectæ rationi ſubiicit, cunctis recte conſulit, præeligenda proponit, rebus adeptis recte vtitur: ſemper circumſpecta, vigilans, ſobria, perſpicax, ma-

Potentiſſima. *Securiſſima.* *Tranquilla.*

Regia prouidentia.

Menſura rerum.

Maxime neceſſaria.

Vigilans. *Sobria.* *Perſpicax.*

Matura. Solers. Oportuna. tura, oportuna, ſolerſque eſt: Hæc neminem decipit, nec permittit ſe ab alio decipi; & demum cuncta, vt ex ipſo bono prodeuntia, per congruentia media in optimum finem dirigit: & iure optimo tot munera ex prudentia prodeunt, cum viro prudenti lex Deus ſit, imprudenti vero libido. Ideo congruente metaphora prudentia a Platone dicebatur auriga humanæ vitæ: *Auriga humana vitæ.* qua deſtituti, a perturbationibus, quaſi effrænatis equis, præcipites trahimur: dicebatur peritus nauta, in puppi ſedens, a naufragio nos ſeruans incolumes; ea enim memoria reuoluens præterita, ſua perſpicacitate inſpiciens præſentia, futurorum ex ſui principali conditione eſt prouida. Præterea omnium noſtrarum actionum, conſiliorum & operum dux eſt, delectum habens rerum honeſtarum & turpium, bonarum & malarum, vtilium & inutilium, bona parans ſibi, familiæ, & vrbi. Demum, quia prudentia ordinem, & leges includit; ordo eſt forma mundi, ſplendor rerum, abſolutio compoſitorum, iure prudentia forma, ſplendor, ac perfectio cenſeri debet humanarum actionum. Ex his conſtat, quam formoſa, quam hominis propria ſingulis congruens, vrbi vtilis, mundo neceſſaria, & Deo grata ſit prudentia. *Dux humanarum actionum. Splendor rerum.*

An prudentia dignitate præſtet virtuti morali.

Cap. XLI.

Prima dubitatio. Secunda. Tertia. Varia ad prudentiæ notitiam pertinentia hactenus ſunt explicata: iam enim patuit, quotuplex ſit prudentia, quid ſit, ex quibus principiis cum intrinſecus tum extrinſecus prodeat, qualis ſit, quoſque vſus pbeat. At ex dictis tres magni momenti prodeunt difficultates: prima eſt, an prudentia dignitate virtutibus moralibus præſtet: altera num illi, qui proprio bono neglecto publicum quærũt, vel neglectis humanis quærũt diuina, debeant iudicari prudentes. Demum cum prudentia adeo præclara & vtilis apparuerit, num ſapientiæ ſit præferenda, vel potius ei primum cedat dignitatis locum? A prima vt ordiar ſuſpicari nõ iniuria quiſpiam poſſet, virtutem moralem præſtantiorem eſſe prudentia. Primo, quia finis dignitate præfertur ordinatis ad illum, virtus moralis (vt monet philoſophus) nos recte diſponit erga finem, prudẽtia in ordinatis ad finem, præſtat igitur virtus moralis. Confirmatur idipſum, quia virtus moralis perficit præelectionem, per virtutem enim moralem cõſtanter præeligimus id, quod recta ratione decernitur: in præelectione autem præſertim collocata eſt perfectio noſtrarum actionum. Demum per prudentiã homo non dicitur abſolute probus, ſed prudens, at per morales virtutes abſolute probus denominatur. Ex aduerſo cũ prudentia conſenſione omnium dicatur regula, dux, *An prudentia præſtet virtuti morali. Ratio prima pro parte virtutis. Confirmatio. Alia ratio. Quod prudentia præſtet.*

dux, & princeps moralium virtutum, iure optimo ſibi primũ di- *Solutio.*
gnitatis locũ optare videtur. Pro reſolutione huius difficultatis dicendum cenſeo; aliquid poſſe alteri præferri, vel ratione propriæ & vltimæ formæ, vel ratione eminentiæ & facultatis: veluti ſi quæratur, quid pſtantiori modo ſit calidum, num ignis vel ſol; profecto ſecundum poſtremam formam ignis dicetur calidior; ſol vero per facultatem & eminentiam: ſimiliter dico, moralem virtutem ratione poſtremi actus & vltimæ formæ præſtare; prudentiam vero ratione facultatis & eminentiæ: & quoniam id, quod virtute & facultate eſt tale, abſolute præfertur; propterea prudentia abſolute & dux, & regina virtutum nuncupatur. De prudentia enim non ſecus ac de conſultore ſe habet, qui ex ſententia Ariſtotelis in libro de rep. magis efficere opera dicitur, quam ille, qui ſuis manibus ea abſoluit. Et confirmatur, quia Ariſtoteles in ſexto moralium, capite octauo, inquit, *ciuilem ſcientiam eſſe eandem cum prudentia, & principem prudentiam eſſe illam, quæ eſt ratio legum ferendarum: ciuilis autem ſcientia cum eo habitu eadem eſt, qui principatum obtinet: quare in ciuili ſcientia prudentia princeps & regina ſtatui debet* Superſunt diluendæ rationes, quæ virtutem moralem præferebant; quæ profecto leues non ſunt: & præſertim prima, quæ ex eo ſumebatur, quod virtus moralis in fine, prudentia in mediis verſetur: quæ ſẽtẽtia num ſit vera, apprime eſt dubium. Ariſtoteles enim non ſemper idem videtur dicere, Diuus Thomas ſecum pugnare videtur, & Scotus cum Ariſtotele. Ac vt ab Ariſtotele ordiar; Ariſtoteles in ſecundo moralium Nicomachiorum, capit. 6. definiens virtutem ait; *eam eſſe collocatam in eo medio, quod à prudentia circumſcribitur: & quia id medium eſt finis virtutis; in eo enim poſitum eſt honeſtum, quod à virtute quaritur, iure apparet prudentiam virtuti finem praſcribere*: Ideo virtus dicitur habitus prudentiæ conſentaneus; cumque ratione recta coniunctus, in ſexto moralium, capite 13. Ex aduerſo ſæpe inquit, *Virtutem nos recte diſponere erga finem, prudentiam in ordinatis ad illum*; vt conſtat cum ex aliis locis, tum ex calce ſexti moralium Nicomachiorum: & iure profecto. Nam virtus moralis ad appetitum pertinet; appetitus finem quærit, ad finemque tendit, prudentia vero includit conſultationem rectam. Conſultatio autem, ſemper præſuppoſito fine, eoque pro principio ſumpto, per reſolutionem inquirit media deducentia ad illum. Ideo inquit Ariſtoteles in calce 9. capit. ſexti libr. moralium Nicomachiorum. *Ac bona ſane conſultatio abſolute ea eſt, quæ, propoſito ſibi abſoluto & totius humanæ vitæ fine, bene procedit: quædam autem bona conſultatio eſt, quæ certum aliquem & proprium finem ſpectat: Quod ſi bene conſultare prudentium eſt, bona conſultatio rectum quoddam con-*

Num virtus in fine, prudẽtia in mediis verſetur.

Ariſtoteles videtur ſecũ pugnare.

Conſultatio-nis regi.

D. Tho. videtur ſibi aduerſa dicere.

ſultationis erit; ad vtilitatem accommodatum, ad aliquem finem relatum, cuius vera exiſtimatio eſt prudẽtia, &c. Ex his aperte cõſtat, prudentiam in ordinatis ad finem verſari. Diuus Tho. in prima ſecundæ, quæſt. 66 art. 3. ſoluens tertiam rationẽ inquit, *prudentiam dirigere virtutes morales, etiam præſcribendo eis finem, finis enim eſt medium attingere, quod prudentia præſcribitur.* Ex aduerſo ſecũda ſecundæ, quæſt. 47. art. 6. ad tertium inquit, *finẽ præſcribi virtuti morali, non à prudentiâ, ſed à ſyntereſi, quæ ratio eſt per naturam nobis competens.* Scotus tertio ſent. diſtinct 36. art. 2 & Ariſtoteli & Diuo Thomę aduerſari videtur: inquit enim *prudentiæ munus eſſe decernere finem; & præcipere facultati appetenti, vt illum quærat:* Ratio eius præcipua eſt, quia virtus moralis ſemper naturæ ordine ſequitur prudentiam; & propterea in electione proprii finis eandem ſequi debet. Res itaque eſt, cum ex ſe, tum ob varietatem opinionum, apprime dubia.

Scotus videtur aduerſari Ariſtoteli.

Reſolutio difficultatis, an prudentia finem præſcribat virtuti morali. CAP. XLII.

Primũ quod accipitur.

VT propoſitæ difficultatis lucidior & exactior appareat reſolutio; accipiendum primo eſt; finem virtutum eſſe duplicem; vnum communem; alterum proprium: finis communis eſt ſummum bonum, confuſe & vniuerſe ſumptum: finis proprius eſt id definitum ac ꝓprium honeſtum, in medio poſitum, quod proxime ac diſtincte à diſtinctis virtutibus quæritur. Accipiendum ſecundo, prudentiam, & rectam conſultationem eſſe duplicem, vnam abſolute talem & communem, explicatam ab Ariſtot. in calce 9. cap. ſexti Moral. Nicomach. alteram particularem; contractam ad proprium finem ſingularum virtutum: per primam ꝓſertim decernimus quid agendum per alteram, quomodo agendum: prima eſt communior ac eminentior, altera popularior: prima eſt præſtantior; altera magis proprie nomine prudentiæ deſignatur. His præaſſumptis, vniuerſam difficultatem his tribus aſſertionibus ita reſoluendam cenſeo. Aſſero primo, finem communem nequaquam à prudentia præſcribi. Ratio eſt, quia prudentia eſt ratio recta conſultationem includẽs, cõſultatio ſemper fit aſſumto fine tanquam noto; finis vltimus & communis alium finem non præſupponit, alioquin non eſſet vltimus, quare non poteſt prudentia, & conſultatione decerni: ſed mens veri indagatrix illum iudicat vt bonum; voluntas vt finem optat, & appetitui ſenſuum per phantaſiam perquirendum proponit. Appetitus ſenſuum quamuis per naturam ſit ꝓcliuis ad bonum, tamen quia ſenſum ſequitur, qui in iudicando vero bono frequenter decipitur; ideo eget aliquo corrigente, & diri-

Finis virtutum duplex.

Alterũ quod accipitur.

Prudentia & εὐβουλία duplex.

Reſolutio.

Prima aſſertio.

Digitized by Google

dirigente: corrigitur autem proxime à virtute, à qua dirigitur, cõſtanſque redditur ad finis indagationem: ſic itaque communis & vltimus finis, non à prudentia decernitur, ſed ab ea vt iudicatum, approbatum, & optatum accipitur. Altera aſſertio eſt: proprius ſingularum virtutum finis à communi prudẽtia, communique recta conſultatione circumſcribitur. Ratio eſt, quia finis proprius relatus ad communem obtinet rationem medii: ideo prudentia, aſſumpto tanquam principio communi bono, communique fine, de ceteris vt de mediis recte cõſultat, recteque eos circumſcribit. Hoc lucidiſſime expreſſit Ariſtoteles in calce noni capit. ſexti libri moralium Nicomachiorum, cuius verba iam retuli. Cum itaque decernere media ordinata in finem vltimum, ſit officium vniuerſæ prudentiæ; & finis proprius ſingularum virtutum relatus ad finem vltimum, obtineat locũ medii, iure colligendum eſt, quod decernere illum ſit officium vniuerſæ prudentiæ. Tertia aſſertio eſt: prudentia tãtum in mediis verſatur. Ratio eſt, quia ſemper ratiocinatur aſſumto fine aliquo, ad quem dum cetera referuntur, obtinent locum medii: addo tamen, verſari circa finem proximum virtutum contingere dupliciter: vel ſtatuendo terminos eius, vt expedit ꝑ fine poſtremo, & hoc eſt officium vniuerſalis prudentiæ dirigentis ad commune bonum: vel conſtantem reddendo appetitum pro eius tanquam ꝓprii finis indagationẽ, quod eſt munus virtutis. Ex his conſtat, quo modo prudentia tantum in mediis verſetur, virtus vero nos recte diſponat erga finem: & dum Ariſt inquit: *Virtutem nos recte diſponere erga finem, prudentiam aſſumpto fine per conſultationem inquirere media*, id præſertim de prudẽtia propria ſingularum virtutum intelligi debet. Ex his elicio primo Ariſtotelem non ſecum pugnare. Elicio ſecundo, hac conſideratione veram eſſe ſententiam Stoici aſſerentis *prudentiã præſcribere ſingulis virtutibus proprium finem*. Præſcribit enim illum non propria, ſed vniuerſa prudentia, nec ſub ratione finis, ſed medii, adeo vt finem præſcribat, non formaliter vt finem, ſed vt medium, cui accidit vt aliqua cõſideratione ſit finis. Ex quo conſtat male loqui Scotum, cum dicat *prudentiam decernere finem, & præcipere facultati appetenti vt illum quærat, quia in electione proprii finis virtus ſequitur prudentiam, &c.* Male inquam loquitur primo, quia appetitus non dicitur eligere finem; electio enim eſt mediorum, non finis, vt dicit Ariſtoteles: ſecundo, quia (vt patuit) prudentiã non illum inſpicit vt finem, dum illum decernit: tertio, quia nedum virtus ſequitur prudentiam, ſed etiam contra prudentia virtutem, ſunt enim diſtincta ratione ſibi inuicem cauſæ & quælibet vt cauſa eſt altera prior: quarto male inquit prudentiam præcipere facultati appetenti, vt finem quærat, nam prudentia ſolum

Secunda aſſertio.

Tertia aſſertio.

Verſari in fine contingit ſimpliciter.

Primum quod elicitur.

Secundum.

Stoicus minus recte loquitur.

Digitized by Google

decernit & circumſcribit finem proprium tanquam medium ac virtus moralis ea eſt, quæ conſtantem reddit appetitum in quærendo proprio fine: ideo dixit Ariſtoteles virtutem & vitium recte ſtatuere, vel peruertere principia prudentiæ, & nos recte, vel perperam erga finem diſponere. Elicio tertio, Diuum Thomam non ſecum pugnare, quoniam prudentia abſoluta, eminenſque conſultatio, decernit finem proprium virtutum, non tamen ſub ratione finis, vt patefeci: prudentia vero, & bona cõſultatio ſequẽs & particularis, accipit illum finem vt optatum, eoque tanquam principio vtitur pro inuentione mediorum.

Tertiũ quod elicitur.

Dubia tamen eſt eius ſententia, cum dicat finem proprium decerni à ſynteresi: primo, quia ea nõ numeratur ab Ariſtotele inter facultates humanæ rationis, tanquam diſtincta à ceteris. Secundo, quia finis proprius non humana naturali ratione circumſcribitur, ſed vniuerſali prudentia & conſultatione, abſolute bonum principii loco accipiente.

Sententia D. Tho. in dubium vertitur.

Colligo quarto reſolutionem principalis difficultatis, ex dictis enim conſtat prudẽtiam dignitate antecellere moralibus virtutibus, quia vel eis præſcribit finem proximum per primam & vniuerſalem conſultationem, vel per ſecundam eius conſultationem modum eis tradit aſſequendi finem primo præſcriptũ, cum virtus ſolum nos conſtantes erga illum reddat. Sic à prudentia vniuerſus ordo, vniuerſaque recta inſtitutio ortum ducit.

Quartum quod colligitur.

Addebatur, quod virtus perficit prælectionem. Reſpõdeo cum Ariſt. prope calcem ſexti moralium, perfectionem prælectionis ex duobus pendere, ex recta prudentiæ conſultatione, & virtute, primum dirigit, & nobiliori modo concurrit.

Diluitur altera ratio.

Dicebatur vltimo, per virtutem dici hominem abſolute probum. Reſpõdeo cum Ariſt. in ſexto moralium Nicomachiorum, cap 13. dicente, *ſine prudentia neminem poſſe proprie dici virum probum*. Inſuper hoc eſt commune omni virtuti rationali, per nullam enim earum homo dicitur abſolute probus, cum tamen ſapientia præſtet morali virtuti, cuius rei ratio in progreſſu patebit.

Diluitur ratio poſtrema.

An Viri ciuiles & religioſi mereantur dici prudentes.

CAP. XLIII.

IVre optimo dubitabatur, an illi, qui neglecto proprio bono publicæ curæ incumbunt, vel neglectis humanis ſe totos dicant diuino cultui, mereantur dici prudentes: apparet enim eos non eſſe prudentes, cum officium prudentis ſit, ſe pro facultate perficere, & propriũ bonum quærere: Ideo Euripides (referente Ariſtotele, in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 8.) inficiabatur eos eſſe prudentes. Cui difficultati breuibus reſpondens dico, vt

Digitized by Google

to, vt virtutum, ita prudentiæ varios dari gradus, & eminentiori gradui virtutis eminentiorem reſpondere prudẽtiæ gradum: prudentia enim tradit media ad aſſequendum finem virtutis. Dantur virtutes morales, ciuiles, heroicæ, diuinæ, ſimiliter dantur gradus prudentiæ eis reſpondentes. Quicunque neglectis bonis propriis ciuili curæ dant operam, non ſunt prudentes ea vulgari & populari prudentia, quæ ſolum eſt ſuimet, de qua loquebatur Euripides, quæ etiam proprie prudentia cenſeri non meretur: vere enim prudẽs eſt, qui maius ſibi bonum parat, maius bonum eſt publicum, & commune multis; ideo qui multis prodeſt, vere ſe perficit, & hoc eſt officium caritatis, & propriæ prudentiæ: ſunt igitur hi prudentes vera ciuili prudentia, quæ moralem eleuat, & ad gradum eminentiorem perducit: ſimiliter illi, qui neglectis humanis quærunt diuina, dicuntur prudẽtes prudentia heroica vel diuina, ob varietatem gradus virtutis. *Quatuor prudentiæ gradus.*

At quæres, num illi, qui, neglectis publicis curis, ſe totos contemplationi tradunt, debeant cenſeri prudentes. Ariſt. in 6. moral. Nicomachiorum, c 7. id negat, inquiens: *Quocirca Anaxagoram, Thaletem, ceteroſque tales viros, ſapientes quidem eſſe dicunt, prudentes vero nequaquam, cum videantur ea, quæ ſibi vtilia ſunt, ignorare, &c.* Similiter Plato in Theæteto aſſeruit, *philoſophum in rebus agendis ſe deridendum patefacere, & propterea carere recta ratione agibilium.* Reſpõdens huic difficultati dico, huiuſmodi homines vt plurimum non eſſe prudentes prudentia ciuili, quæ longo rerum vſu comparatur, de qua præſertim verba facimus: eſſe tamen prudentes quodam eminentiori gradu, quatenus medium præeligunt, quod proximius eos ad finem vltimum perducit, dummodo, dum id faciunt, non adeo negligant ſuam patriam, vt ob ipſorum negligentiam in perniciem dilabatur: qui enim id facerent, in vitio eſſent, cum quo prudentia ſeruari non valet. Et demum viri ſapientes ſunt prudentes pro primo prudentiæ principio, at non ſemper pro forma poſtrema: nam (vt dicebat Plato) à ſapientia ad prudentiam progreſſio eſt. *An contemplationi incumbentes ſint prudentes.* *Solutio.*

Tertia dubitatio proponitur, quæ eſt, num prudentia præſtet ſapientia vel contra, & pro parte prudentiæ referuntur rationes. Cap. XLIV.

VTilis, pulcra, & frequenter inter viros celebres agitata eſt ea quæſtio; num ſapientia principatum obtineat, vel potius prudentiæ cedat. Hæc eſt lis illa, quæ verſatur inter actionem & cõtemplationem, vitam in actione ac in cõtemplatione collocatam; inter eos, qui iuri ciuili & contemplationi nauant operam, ac demum inter ſummum bonum, quod in actione eſt *De præſtantia ciuilis & inſpectricis virtutis.*

Digitized by Google

poſitum, & illud quod eſt poſitum in contemplatione. Quę dubitatio nedum ex ſe ardua eſt, verum præcipue ob auctoritates & rationes vtriuſque partis, ciuiles enim philoſophi vnam, alteram viri, qui cõtemplationi incumbunt, pro facultate tuentur: de qua difficultate multa dicuntur ab Ariſtotele in ſexto & decimo moralium Nicomachiorum, multa ab Academicis, & aliis viris illuſtribus. Pro parte prudentiæ & ciuilis ſcientiæ iuris prudentes inſurgunt: qui copioſa oratione, auctoritate, & viribus, imperatoriam ſuam maieſtatem exornant, ad æthera tollunt, contemplationẽ vero vt vilem, humilem, nudam, & pauperem, negligunt & paruipendũt: nitar multa paucis perſtringere. Colligitur primo præſtantia prudentiæ, & ciuilis vitæ ex regula ſumpta ab oppoſitis: id enim, cuius oppoſitum eſt deterius, debet cenſeri præſtãtius: oppoſitum huius vitæ & habitus eſſe deterius patet; nam prudẽtiæ iuncta eſt moralis virtus, imprudentiæ vitium: per imprudentiam & vitium homo abſolute dicitur infamis pœna dignus & prauus, per inſcitiã oppoſitam ſapiẽtiæ non ſic ſe habet: quare prudentia, & moralis virtus pferri debet dignitate ſapiẽtiæ. Ideo de vitioſo dicitur, ꝙ melius eſt ei non eſſe, quam eſſe, non de ignaro. Propterea recte Scotus 4. ſent. diſtinct. 49 quæſt. 4. dixit: *Odiſſe Deum eſt deterius, quam male de eo ſentire.* Confirmatur, quia bonum abſolute, præferri debet bono cum additamento & contractione: virtus moralis, cuius dux eſt prudentia, reddit nos abſolute probos, ſapientia non ſic ſe habet: quicunque enim morali virtute eſt ornatus, abſolute dicitur vir bonus; vir autem ſapiens non abſolute bonus dicitur, ſed cum additamẽto, vt bonus phyſicus, bonus metaphyſicus. Propterea Diuus Auguſtinus 11 de Ciuit. Dei, cap 18 aſſeruit, *neque vir bonus abſolute dicitur, qui ſcit quod bonũ eſt, ſed qui diligit.* Præterea (vt nos, cum in Philebo, tum ſæpe alibi monet Plato) dum perpendere volumus naturam & conditionem alicuius, debemus eam puram, nudatam, ſeorſimque à ceteris conſiderare, & dum inter duo fit comparatio, id cõſiderare tenemur, quod eſt proprium vtriuſque: At ſi nos ſapientiam perpendimus deſtitutam prudentia & morali virtute, ea erit vt gladius acutus in manu furentis, pernicioſa, & infamis, ex aduerſo autem prudentia, quæ morales virtutes comitatur, ſeorſim à ſapientia, ſemper vtilis & honoranda iudicatur; reddens homines probos: exemplo nobis ſunt innumeri ciues prudentes & probi, qui ſine ſapientia in ſua republica vt ſtellæ refulſerunt. Tertio id ipſum oſtenditur ratione ſumta à fine: finis contemplationis eſt verum, finis actionis eſt honeſtum & bonum, & quamuis ens bonum & verum inuicem reciprocentur; diſtinguuntur tamen ratione, & ratio boni præfertur rationi veri, cum vnumquodque eatenus

Rationes pro dignitate ciuilis ſcientia.

Ratio prima.

Confirmatio.

D. Auguſt.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

fit

Digitized by Google

ſit finis & optetur, quatenus bonum eſt: quoniam igitur optimo nil melius eſt, propterea nil melius excogitari poteſt fine actionis. Quæ ratio à fine ſumpta confirmatur: nam ciuilis ſcientia ſummum hominis bonum conſiderat, ad illudque nos ducit, ſapientia mundum ſpeculatur ex ſummo bono pendentem ad illudque ordinatum: at ſummum bonum mundo debet præferri, quia mundus ex bono pendet, & ad bonum tendit; ideo ſummi boni dicitur filius. Quarto ſumi poteſt ratio ex eo, quod ad nos pertinet, nobiſque conducit: vnuſquiſque enim in eo tenetur verſari, quod ad ſe pertinet, ipſi vtile eſt, ea vero, quæ non pertinent ad ſe, debet miſſa facere, nec iudicare eſſe ſummum ipſius bonum: at prudentia, virtutes morales, earumque actiones ad hominem pertinent, eique ſunt vtiles, ſapientia autem, cura mundi, ordo rerum, pertinent ad Deum: ea igitur ſummum hominis bonum, non hæc ſtatui debet. Hinc dicitur: *Mitte arcana Dei, nec plus ſapere quam oportet ſapere; nam ſapientia inflat, & ſtultitia eſt apud Deum.* Et recte monebat Simonides: *Cum ſimus mortales, quæramus mortalia: diuina autem diuinis derelinquamus*: nam vt legitur in ſacris literis: *Cœlum cœli domino; terram autem dedit filiis hominum.* Non debent populi perquirere ſecreta principum, quare nec homines Dei: mundus ſeruabitur à Deo, etiam ſi à nullo cognoſcatur. Nullam igitur præbet vtilitatem contemplatio ordinis & cauſſarum mundi, & ſi quam præbet, eam illi ſoli præbet, qui ſpeculatur. At vir ciuilis & prudens, nedum ſibi, ſed & domui, & vrbi, & orbi prodeſt, bonum autem quo eſt communius, eo præclarius & præſtantius cenſeri debet: Nos autem recordari debemus, quod vt ait Plato: *Non tantum nobis nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici.* Propterea de viro contemplationi addicto iure & patria & parentes & amici conqueri valent, tanquam ab eo derelicti. Et errauit Archimedes, dum in obſidione ſuæ patriæ, neglecta cuſtodia eius, contemplationi Mathematicorum nauabat operam. Præterea id quinto colligi poteſt ex re effecta, & per huiuſmodi habitus formata: Nam ille habitus, eaque virtus, princeps & regina cenſeri debet, per quam homo naturæ legibus princeps & rex conſtituitur: at ciuilis prudentia, non autem ſapientia, talis eſt. Quod oſtenditur latiſſime à Platone, in lib. de regno, & conceditur ab Ariſtotele: per prudentiam enim conduntur leges, formantur reſpublicæ, deprauatæ emendantur, & homo, qui prudentiæ habitu fuerit honeſtatus, forma regia habituque principis dicitur decoratus: Ac inſuper quicunque in vrbe ceteris prudentia præſtat, ille per naturam in ea vrbe princeps iudicari meretur, vt in primo de repub. monuit Ariſtoteles, quod patet

Confirmatio.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Digitized by Google

exemplo eorum animalium, quæ per naturam ſunt prædita duce, vt apum, & ſimilium: imo homo propterea iumentis & feris dominari dicitur, quia eis prudentia præſtat. Sexto vti poſſumus ratione ſumta ex debito & officio proprio hominis. Tenetur homo diligere Deum, & prodeſſe proximo, quare ea virtus præferenda eſt, per quam Deo gratiores, & à ceteris amabiliores reddimur: at bene agendo hæc duo conſequimur, non autem contemplando, præcipit enim Deus; (*Dilige Dominum tuum, & proximum tuum*) Non præcipit, vt ſpeculemur arcana: inſuper amabiliores ſumus ac vtiliores aliis munere probitatis, quæ animos allicit, & opem affert egenis, quam munere contemplationis. Confirmatur ratione ſumta ex Ariſtotele in 12. Metaphyſicæ aſſerente, *intelligentias cœli fore inutiles, niſi mouerent: cum autem intelligentiæ, quæ eminenter ſapiunt, & ſublimi contemplatione refulgent, niſi operentur, cenſeantur inutiles, quid dicendum erit de homine ſoli contemplationi addicto, cui non ſapientia, nec contemplatio exacta, ſed ſola eius vmbra competit?* Imo aſſerit Ariſtoteles in lib. de repub. *quod nec Deus optime ſe haberet, ſi omni externa actione eſſet deſtitutus.* Propterea conſpicimus ipſaſmet humanas ſcientias, ne penitus ſint inanes, ad aliquod opus dirigere: phyſica per phyſicam magiam docet operari, mathematica plura nos efficere docet, metaphyſica, niſi proxime, ſaltem per intermedias ſcientias, ad opus aliquod dirigit: adeo vt pateat in actione fructum & ſummum bonum eſſe poſitum. Septima ratio ex eo peti poteſt, quia ſapientia apta eſt cum miſeria iungi, prudentia nequaquam: poteſt vir ſapiens prudentia & morali virtute deſtitutus, à fortuna aduerſa agitari, ei ſuccumbere, in vitia labi, ac ita miſere viuere: prudens cõtra, quia in omni fortunæ euentu ſe conſtantem præbet, & eſt cubi inſtar, qui agitari poteſt, proſterni nequaquam, miſer nunquam euadere poteſt. Inſuper, prudentia ſemper, & omnibus frugifera eſt. contemplatio autem, & humana ſapientia, ſæpe nos deuiare facit à vero, & deprauatæ hęreſis eſt origo, vt patet de variis, de quibus Ariſtoteles ſecus ſentit, ac ſentiant theologi. Propterea Plato in Apologia inquit: *Communi voce facile philoſophis hac obijci ſolent, eos neque ſublimia ſuper terram, neq; profunda ſub terra, neque Deos eſſe putare.* Quod etiam in ſexto de repub. affirmauit, & Auerroes in proœmio ſuarum diſtinctionum dixit, *theologos & philoſophos inter ſe pugnare.* Demum id oſtenditur, quia propter quod vnumquodque, & illud magis: At per prudentiam & morales virtutes cetera omnia redduntur nobis bona, quia hæ ſolæ nobis tradunt vſum rectum cunctorum, ſine quo nil nobis bonum eſſe poteſt: hæ itaque inter humana bona principatum obtinent. Multiplici igitur ratione pruden-

Ratio ſexta. *Confirmatur.* *Ratio ſeptima.* *Ratio octaua.*

prudentia videtur præſtare ſapientiæ, & inter habitus omnes principatum obtinere.

Auctoritates nonnullæ pro dignitate ciuilis prudentiæ.

CAP. XLV.

PRæſtantia ciuilis prudentiæ, quæ firmiſſimis rationibus refulſit, illuſtribus etiam auctoritatibus confirmatur. Et vt ordiar ab Ariſtotele, quærit ipſe in ſecundo capit. primi lib. moralium Nicomachiorum, ad quam ſcientiam pertineat ſummi boni conſideratio. Reſpondens ait, *pertinere ad eam, quæ ceterarum princeps & domina eſt, qualem aſſerit eſſe ciuilem ſcientiam*; quod oſtendit inquiens: *nam, & quas in repub. ſcientias eſſe oporteat, & quas quiſque diſcere debeat, & quatenus, ea ſtatuit & præſcribit, facultates autem eas quæ ſummo in honore ſunt, vt artem imperatoriam, & œconomicam, & rhetoricam, huic eſſe ſubiectas videmus, &c.* Aſſerit itaque Ariſtoteles, & firma ratione oſtendit, *ciuilem prudentiam eſſe dominam, principem, & imperare ceteris, & propterea conſiderationem ſummi boni ad eam pertinere*: at ſi ſapientia præſtaret, ad ſapientiam, non ad ciuilem prudentiam pertineret conſideratio ſummi boni. Cum igitur prudentia imperet ſapientiæ, & ſummum bonum conſideret, iure optimo principatum obtinet. Præterea in primo de republ. capite ſecundo inquit, *hominem natura eſſe ciuile animal, & eum, qui non fortuna, ſed natura alienus eſt à ciuitate, aut improbum eſſe, aut homine præſtantiorem.* Hinc Homerus homini in contumeliam obiiciebat, *quod iure, tribu, domoque careret*, & poſt pauca: *Quicunque eſſe in ſocietate nequit, aut nihilo indiget propter copiam, aut pars ciuitatis non habetur; propterea aut beſtia erit aut Deus, &c.* Addamus autem nos: cum homo ille Deus dici non poſſit, reliquum eſt, vt ex ſententia Ariſtotelis ſit beſtia, ac præter naturam conſtitutus, cum homo per naturam ſit ciuile animal. Plato quoque clarius idipſum ſæpe affirmaſſe viſus eſt. Nam in libro de philoſophia oſtendit, *philoſophari non eſſe plurima ſcire, ſed ſeipſum cognoſcere, quod ſapere eſt, ſeipſum autem cognoſcere, eſt prudentiam & iuſtitiam colere, adeo vt philoſophi munus ſit dirigere & corrigere humanas actiones: & quicunque hoc non facit, tanquam inutilis planta, ex humano virridario abſcindi & reiici debet.* Inſuper Epiſtol. 10. inquit: *firmitatem, fidem, ſinceritatem, veram eſſe philoſophiam exiſtimo, alias vero ſcientias & facultates, ſi quis ornamenta nuncupauerit, recte appellabit, &c.* Manifeſtiſſime Plato ciuilem prudentiam contemplationi præfert. Et in Euthydemo Æſchylis ſententiam approbat dicentis, *ciuilem ſcientiam puppi ciuitatis præſidere, gu-*

Ariſtoteles.

Plato.

Quid vere philoſophari & philoſophum eſſe Platoni?

re, gubernacula totius tenentem, dominam omnium, cunctaque vtilia reddentem. Quod etiam confirmauit ſub initio Menexeni, dum in perſona Socratis dixit: *Quid tu ad Senatum? an forte, quia diſciplina philoſophiaque finem adeptum iam & ſatis perfeciſſe te putas, maiora poſthac aggredi ſtudes, nobiſque ſenioribus ipſe iuuenis imperare? &c.* His verbis magiſtratus & curam reipubl. Plato præfert philoſophiæ theoricæ: & tetigit rationem illam, qua vius deinde eſt Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, capit. ſecundo. Præterea in Theæteto inquit *philoſophum ſpeculari, quæ attinent ad vniuerſum, his neglectis, quæ nobis ſunt proxima. Et quemadmodum Thaletem, dum cœlum conſpiceret, intentum ſideribus, in foueam cadentem, Thracenſis quadam eius ancilla facete nimium carpſit, quod quæ in cœlo ſunt peruidere contenderet, proxima vero pedibus non videret: id ipſum ſimiliter omnibus, qui in philoſophia verſantur, obiici poſſe aſſeruit, latet enim philoſophum, non modo quid agat eius proximus, ſed fere homo ne ſit an brutum, &c.* Et latiſſime in eo dialogo manifeſtat, philoſophum contemplationi incumbentem, ad diſputationes forenſes & ad actiones minime aptum eſſe; ſed deridendum, ſuperbum, contemtoremque ſe patefacere. Ac demum, vt cetera prætercam, inquit in Gorgia: *philoſophia gratioſa res eſt & venuſta, ſi quis illam moderate in adoleſcentiaque attingat, ſi autem vltra modum tempus in ea contriuerit, hominum eſt corruptela.* Ideo in Phædone in perſona Socratis inquit: *Cum philoſophia incumberem naturali, vſque adeo ſum occæcatus, vt ea etiam, quæ prius manifeſte ſciebam, vt mihi aliiſque videbatur, dediſcerem.* Socrates nedum verbis & ratione ciuilem prudentiam prætulit, verum inſuper re factoque idipſum præſtitit; cum neglecta contemplatione, actioni ſe dicauerit: propterea de eo dixit Cicero: *quod philoſophiam à cœlo, hoc eſt, à diuinorum contemplatione, deduxit in terram ad curam hominum, & rectam eorum inſtitutionem.* Iamblichus in libr. de Myſteriis Ægyptiorum, ſection. 2. capit. 11. inquit: *Non cognitio & intelligentia Diis copulat ſacrificantes, ſed obſeruatio & perfectio operum ineffabilium, omni intelligentia ſuperior, atque ineffabilium, vis ſymbolorum ſolis cognita Diis, &c.* Inſuper ſententia fuit Porphyrii, quod *inquiſitio animum purificat, amor Deificat.* Stoici ſolam philoſophiam moralem magnifecerunt. Propterea Seneca Stoicis addictus Epiſt. 20. inquit: *Facere docet philoſophia, non dicere, & hoc exigit vt ad legem ſuam quiſque viuat, iudicans, vt facta dictis, ita ciuilem prudentiam contemplationi præſtare.* Et Epiſtola 89. latiſſime oſtendit, *quod detrimenta afferat nimia ſubtilitas, & quam infeſta ſit veritati, iudicans nos temere in iis laborare, quorum certi*

Stoici.

eſſe

eſſe non valemus, & à bono certo nos deuiant. Inde ortum duxere tot ac tam præclaræ Stoicorum ſententiæ, ad rectam humanæ vitæ inſtitutionem pertinentes, ad bonum, ad honeſtum, ad vitam cum virtute ducendam nos inuitantes. Ex theologorum quoque fontibus eandem veritatem haurire valemus, mandata enim Dei ad actionem nos dirigunt, non ad contemplationem. Præcipit Deus vt proximum diligamus, hunc negligit contemplator: præcipit vt impleamus opera caritatis, quod contemplator non ſeruat. Et iure ad actionem eius mandata nos dirigunt: Nos enim modo ſumus in ſtatu peccati, ideo actione ac ſudore id bonum quærere tenemur, ad quod nati & ordinati ſumus. Nam Adam in ſtatu innocentiæ totus in Deum conuerſus contemplationi incumbebat, at ob peccatum euaſit actor, cœpit ſe cooperire, & ad inferiora conuerti: in quo ſtatu cum nos modo ſimus poſiti, niti debemus vt per congruentes actiones felices euadamus. Multa ex theologis huc afferre poſſem, quæ vt minus inſtituto noſtro inſeruientia miſſa facio. Nec obeſſe videtur quod in Euangelio dicitur: *Martham indicantem actionem nimium dici ſolicitam, Mariam vero denotantem contemplationem elegiſſe partem optimam, quæ in æternum non auferetur ab ea.* Nam tunc non fit comparatio inter vitam actiuam & contemplatiuam, ſed potius inter ſpiritalem & corpoream. Maria curabat pertinentia ad ſpiritum, Martha pertinētia ad victum, ad curam corporis, & domeſticam, propterea turbatur erga plurima: imo Maria ea fuit, quæ vnxit pedes Chriſti, & inſperſit capillis. Ratione igitur & auctoritate patet, ciuilem prudentiam in actione poſitam ſapientiæ & contemplationi eſſe præferendam. Propterea Scotus vir acutiſſimus quarto ſentent. diſtinct. 49. actionem prætulit contemplationi, eſt enim actio præſenti vitæ accommodatior, magis propria, maioris meriti, & firmior, quam contemplatio. Henricus quoque de Gandauo Quolib. 12. ciuſdem fuit ſententiæ. Non iniuria igitur multi viri illuſtres ciuili prudentiæ principatum tribuerunt: idque tam conſpicue fecerunt, vt nonnulli auſi ſint aſſerere contemplationem tanquam ex matre ortum duxiſſe ex otio eorum hominum, qui cum inepti eſſent ad actiones, ac ad aſſequendos magiſtratus & honores, ſe ab hominum cœtu abdicarunt: cuius patrem dicunt fuiſſe ſuperbiam, quia viri contemplationi incumbentes perſimiles ſunt gigantibus, tentantibus aſcendere in cœlum, & ſe æquare Deo; imo tentantibus potius à cœlo repellere Deos, cum de diuinis frequenter male ſentiant: propterea ratione patris pœna egent, ratione matris veluti inutiles ſunt negligendi, & permittendum, vt intra ſuum thalamum macie, ſqualore, & atra bile conſumantur.

Theologi.

Scotus.

Henricus.

Digitized by Google

Rationes pro præſtantia contemplationis.

Cap. XLVI.

Apoſtrophe ad philoſophiam contemplatricem.

HEus inſpectrix philoſophia vbi vbi es? nonne aduertis, dum tuæ contemplationi incumbis, quot crimina tibi obiiciuntur? non conſideras, quam miſere damnaris? eſt neceſſe, vt vel te purges à crimine, vel vt latens ſemper in tenebris penitus euaneſcas? Et præſertim, quia nemo audet tuas defendere partes, ne à viris ciuilibus in magiſtratu conſtitutis, à principibus, à regibus opprimatur. Rhetores & aduocati pro te non ſurgent, nedum quia ciuili ſcien[illegible] ſunt coniuncti, verum inſuper, quia ſine præmio id non faciunt, tu autem nuda & mendica iaces, quare de re tua male agitur: & vereor ne tibi id accidat, quod contigit Socrati, qui ob pecuniæ inopiam damnatus fuit. At bono animo eſto, nam veritas ex ſe loquitur, conculcata reſurgit, diu tecta refulget, ac etiam inuitos ad ſibi aſſentiendum compellit. Qui igitur veritatem inſpicere cupiunt, non per alienas vias, ſed per tuas progrediantur, & fulgentiſſimam eam inſpicient. Et præſertim, quia ciuiles philoſophi, dum aduerſus te dimicant, ſemetipſos euertunt & interficiunt: ciuilis enim philoſophia, cuius officium eſt componere mores, proles eſt contemplationis, & à contemplatione ſua ducit principia, qui autem ſua principia deſtruit, ſemetipſum necat & deſtruit. Dum dimicant aduerſus contemplationem, dimicant aduerſus parentem ſuum: qui dimicat aduerſus ſuum parentem, peruertit bonos mores: quare moralis non amplius eſt moralis, dum aduerſus contemplationem inſurgit: vere itaque ſeipſum necat ciuilis, dum contemplationi parenti ſuo, à quo ſemina & principia recipit, præferri tentat. Et iure optimo philoſophia inſpectrix de ciuili dicere poteſt: filios peperi, & enutriui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cum itaque contemplatio pariat actionem, eam dirigat, eique principia tradat, vt patuit in prooemio, iure ei dignitate præſtat. Hinc dixit Plato in Phædro, *nomen ſapientiæ magnum eſſe, & ſoli Deo competere:* abſolute enim ſoli competit Deo, homini vero vt Deum æmulatur, eique pro facultate redditur ſimilis, nomen autem prudentis non adeo magnum dicitur. Et confirmatur ratione ſumta ex origine, nam vita ciuilis ortum duxit ex imbecillitate & impotentia: Quia enim homines non poterant ſeiuncti viuere, ſed laniabantur à feris, ideo vrbes condidere, & cœpere vitam ciuilem viuere: cum ex aduerſo contemplatio ex hominis diuina parte duxerit ortum, & ſit eius affectio, per quam homo cum ſeparatis mentibus affinitate coniungitur. Tertio idipſum patet ratione ſumta ex inſtrumentis, & ex eo quod magis vel minus ſibi ſatis ſit: nam contemplatio magis ſibi ſa-

Ciuiles vilipendentes contemplationem ſeipſos deſtruunt.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Tertia.

ſibi ſatis eſt, minuſque eget inſtrumentis naturæ ac fortunæ, quam vita ciuilis, vt cumulate Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, patefecit. Imo nonnulli, vt cumulatius contemplationi incumberent, diuitias neglexerunt, viresque corporis data opera minuerunt, hæc enim vita vel aliis non eget, vel ſi eget, non ſui, ſed neceſſitatum corporis gratia eget. His accedit, quod contemplatio in his ſolum eſt collocata quæ in noſtra ſunt facultate, & quæ nos ſemper comitantur: & dum ſoli ſumus, vel in vrbe intra domicilium, vel in eremo, tunc maxime valemus noſtro munere fungi, & dum maxime ſoli videmur, tunc in illuſtriore congreſſu ſumus poſiti: cum ex aduerſo ciuilis vita in ſola hominum congreſſione verſetur, & tot rebus egeat, vt vix ſimul in vno aliquando coniuncta inueniantur. Inſuper vita ciuilis eſt negotioſa, cum labore, cum ſudore, eſt, belli inſtar, in pugna, in conflictuque poſita: contemplatio autem tranquilla, ſerena, paceque fruens eſt. Quarto inſpicientes finem, propriumque terminum vtriuſque vitæ, idipſum conſpicue iudicabimus: nam contemplatio per opera phyſica & diuina ad ſupera eleuat, ad Deum nos extollit, & cum eo nos iungit, ciuilis autem vita nos conuertit ad infera, intra homines nos detinet, & ſolum hominibus illuſtribus & egregiis nos reddit ſimiles. Exclamabat Plotinus *homini propoſitum eſſe, non vt hominibus, ſed vt Deo redderetur ſimilis*: & quamuis Deo etiam vna cum contemplatione competat actio, contemplatio tamen antecedit, princeps eſt & dignitate præfertur: quod etiam innoteſcit ex præmio, nam vitæ ciuilis præmium eſt honor, contemplationis vero, vt viſitetur à Deo tanquam amicus ab amico, quemadmodum in 10. moral. Nicom. c. 8. docuit philoſophus. Quinto patere poteſt præſtantia contemplationis, perpendendo ea, ex quibus conſurgit præſtantia habituum. Sententia eſt Ariſt. in proœmio de anima, *diſciplinam vnam præferri alteri, & ratione rei in qua verſatur, & ratione exacti ac certi modi conſiderandi, ac etiam* (vt addit in octauo topicorum) *ratione vtilitatis, per quæ omnia manifeſtiſſime contemplatio actioni præfertur: contemplatio verſatur in rebus phyſicis & diuinis, actio in humanis: contemplatio verſatur in his, quæ ſecus ſe habere nequeunt, actio in obnoxiis variis mutationibus.* Hoc inſpiciens Ariſtot. in ſexto moralium Nicomachiorum, cap. 7. dixit: *Abſurdum eſt, ſi quis ſcientiam ciuilem aut prudentiam honeſtiſſimam eſſe cenſeat, niſi homo, in quo verſatur, ſit optimum omnium, &c.* Indicans quod, vt diuina præſtant humanis, ita contemplatio actioni, vitaque contemplationi addicta vitæ ciuili. Quod etiam ratione ἀκριβείας, hoc eſt, exacti & certi, ſapientia præſtet ciuili ſcientiæ, nemini dubium eſt: præſertim, quia ſapientia tradit principia prudentiæ, ſciungit ea: quæ conſiderat,

Ratio quarta.

Ratio quinta.

à materie, cognoſcit cauſſas, ex quibus res neceſſario pendent: cum prudentia ſecus omnino ſe habeat. Ideo frequenter Ariſtoteles in procemio primi moralium Nicomachiorum monet, *in ciuilibus non eſſe expetendam ἀκρίβειαν, neque id certum explicandi genus, quod contemplationi conuenit: ciuilia enim adeo inconſtantia ſunt, vt quid rectum iuſtumque ſit, potius lege, quam natura conſtitutum eſſe videatur.* Præſtat etiam ſapientia ratione vtilitatis: nam ſapientia eleuat ad ſummum bonum in contemplatione poſitum, quod eſt eminentius bono poſito in actione: ſapientia parit prudentiam & artes, quare eminenter includit fructus prudentiæ: ſapientia mentem vltima perfectione perficit, ciuilis autem prudentia componit perturbationes: contemplatio pro fine ſuo non habet prudentiam, ſed contra prudentia & compoſitio perturbationum in ſapientiam vt in finem ordinatur: eſt enim prudentia non finis, ſed fructus ſapientiæ, cum contra ſapientia ſit vere finis prudentiæ. Ideo inquit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, *prudentiam non imperare ſapientiæ, ſed imperare pro ſapientia, vt minister pro principe ſuo.*

Ratio ſexta. Sexto colligitur præſtantia contemplationis ex præſtantia facultatis animæ, cui competit: nam contemplatio competit inſpectrici menti, quæ omnium facultatum animæ noſtræ præſtantiſſima eſt, ciuilis autem prudentia per virtutes morales competit appetitui ſenſuum, per prudentiam, competit intellectui practico, qui intellectu contemplante longe eſt ignobilior.

Ratio ſeptima. Septimo vti valemus rationibus ſumtis ex eſſentia & conditionibus vtriuſque vitæ. Eſſentia contemplationis eſt omne quod vides, & quod non vides, vir enim ſapiens per imitationem eſt ipſum intelligibile: ideo in tertio de anima mens, cum intellexerit, dicitur omnia facta: homo ſapiens eſt vniuerſum per imitationem & modum intelligendi à materie ſecretum, vir autem ciuilis & prudens eſt recta ratio vrbis: vt igitur totum parti, & orbis præfertur vrbi: ita ſapientia prudentiæ. Quod confirmatur per conditiones vtriuſque habitus. Vſus contemplationis eſt iucundiſſimus, quia ſola voluptas eius eſt ſincera, non mixta cum dolore, vt patet ex decimo moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo, eſt purgatiſſimus, nam eſt actio animi purgati: eſt ſimpliciſſimus & maxime à materie ſeiunctus: eſt ſui gratia tantum, cum ciuilis vſus ſit alterius gratia, & præſertim ſapientiæ: eſt magis continuatus, minuſque interciſus, quam externus vſus prudentiæ, vt patet ex decimo moralium: iure igitur ſapientia dominatur, & regnat. *(Ἐπίτασις.)*

Ratio octaua. Octauo idipſum valemus oſtendere perpendendo conditionem eius, cuius vtraque vita eſt maxime propria. Homo vt ciuis mundi eſt contemplator, vt ciuis ſuæ vrbis eſt agens: at ciuis mundi pro principe habens Deum, longe præfertur ciui vrbis

vrbis pro principe hominem reſpicienti. Inſuper Adam in ſtatu innocentiæ contemplabatur, poſt peccatum ad actionem conuerſus eſt: vt igitur ſtatus innocentiæ præfertur ſtatui peccati, ita ſapientia prudentiæ. Præterea hæc vita eſt via ad alteram vitam, alterius vitæ eſt propria contemplatio, huius vero potius actio: vt igitur futura vita præſenti præfertur, ita ſapientia prudentiæ. Inſuper conditio eius, cui competit ſapientia, eſt diuina. Nam (vt inquit Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, capite octauo.) *Dii non operantur per moralem virtutem, ſed per ſapientiam*, & in 12. Metaphyſicæ contextu 39. *Optima diſpoſitio, quæ Diis ſemper competit, eſt contemplatio: conditio autem eius, cui competit prudentia & actio, eſt humana: Vt igitur diuina conditio præfertur humanæ, ita ſapientia prudentiæ.* Demum conditio contemplantis eſt conuerti ad interna & ad ſupera, agentis vero ad externa, & infera: prior autem conditio præſtantior eſt. Ideo Plato in decimo de republic. volens indicare operationem tendentem ad externa eſſe viliorem, & faciliorem, dixit; mundi animam genibus gubernare, & extremis manibus mouere cœlum. Conſtat itaque firmiſſimis rationibus ſapientiam principatum obtinere, maxime fulgere, mundum regere, prudentiam parere, & longe ciuili ſcientiæ præſtare: adeo vt non iniuria veteres ſapientes (vt Pythagoras, Anaxagoras, Zenophanes, Parmenides, Plato, Ariſtoteles, & alii plurimi) quamuis defuncti corpore, animo tamen illuſtrius viuant, ſplendidiuſque fulgeant, quam illi, qui ciuili prudentia præſtiterunt: mundo enim eminentiorem vtilitatem, humano generi diuiniorem ſplendorem, & patriæ ſalutarius ornamentum attulerunt.

Ariſtoteles.

Plato.

Auctoritates pro dignitate contemplationis.

Cap. XLVII.

SI iudicium eſt munus ſapientis, proculdubio ſapientia princeps & regina eſt omnium, cum ſapientes omnes ei primas tribuant dignitatis partes. Ac vt ordiar ab Ariſtotele, ipſe in calce ſexti moralium Nicomachiorum, necnon libro decimo capite ſeptimo ex inſtituto hac de re loquens, verbis affirmat, rationeque confirmat, ſapientiam ac contemplationem eſſe præſtantiorem: quod etiam conſtanter aſſerit in ſeptimo de republ. cap. ſecundo, nec non 14. In prooemio quoque primæ philoſophiæ id ipſum affirmat inquiens, *ſolam ſapientiam eſſe ſui gratia, propterea non humanam, ſed diuinam poſſeſſionem eſſe, cum humana conditio in multis ſit ſerua*: & in 12. Metaphyſicæ 39. contemplationem eſſe dixit affectionem abſolute optimam.

Plato quoque proculdubio eiuſdem fuit ſententiæ: nam in Philebo dixit, *vitam contemplationi dicatam cæterarum omnium diuiniſſimam eſſe, & ex ſapientia primo & præſertim ſummum bonum prodire.* Præterea Plato ille fuit, qui cenſuit *prudentiam ex ſapientia manare, ſine ſapientia leuem & fugacem eſſe, munere ſapientiæ doceri poſſe*, vt alibi cumulatius patefeci: propterea in omne bonum, quod in prudentia reperitur, ex ſapientiæ fonte manare exiſtimauit. Hoc manifeſtiſſime patefecit in lib. de regno: dum numerans duo regna, vnum Iouis, alterum Saturni, regnum Saturni prętulit regno Iouis, ſignificans per regnum Saturni contemplationis vitam, per regnum Iouis vitam actionis, & ciuilem. Et propterea Plotinus omnes, quæ in vniuerſo reperiuntur, præſtantes operationes, aſſeruit eſſe contemplationes, quatenus ex contemplatione, tanquam fructus è ſua planta, prodeunt: & addidit actionem tunc oriri, cum debilitatur contemplatio. Ideo Marſilius Ficinus in primum de rep. ex ſententia Platonis recte colligit: *Quanto oculus præſtat manibus, caput pedibus, ratio ſenſibus, anima corpori, finis omnibus quæ diriguntur ad finem, ſtatus motui, æternitas tempori, tanto contemplatio actioni præſtare videtur:* & Socrates (referente Stobæo) dixit, *Cum ſapiens os ſuum aperuerit, tanquam templum, ibi animæ pulcherrima ſimulacra perſpiciuntur.* Alcinous in lib. de doctrina Platonica, cap. 2. comparans hæc duo vitæ genera, ex ſententia Platonis contemplationem præfert, & colligens ſuam ſententiam inquit: *Propterea oportet philoſophum nunquam veritatis indagationem dimittere, ſed eam nutrire ſemper, humanas autem actiones tanquam inferiora quædam nonnunquam attingere.* Tyrius Maximus ſermone 6. cum multa præclara dixiſſet in laudem vtriuſque vitæ, demum ſapientiam ciuili prudentiæ præferens ait: Homero viſus eſt ſapiens Vlyſſes propter longitudinem erroris.

Tyrius. Maximus. Homerus.

Horat.

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

At ea, quæ vidit Vlyſſes, leuiſſima fuerunt: philoſophi autem ſpectaculum, inſomnio ſimile eſt hominis, cuius integro corpore manente, animus tamen in vniuerſam terram excurrit, ex terra effertur in cœlum, vniuerſum mare pertranſit, vniuerſum peruolitat aerem, terram ambit cum ſole, cum luna circumfertur, cæterorum aſtrorum iungitur choro, minimumque abeſt, quin vna cum Ioue cuncta gubernet, atque ordinet: *O peregrinationem beatam, o ſpectacula pulcra, o inſomnia veriſſima, &c.* Ac demum Proclus, Plotinus, Iamblichus, Syrianus, Ammonius, & alii in hanc venere ſententiam, quorum verba longum eſſet referre. Stoici etiam, quamuis accuratiſſimam moribus nauauerint operam, veritate tamen coacti idipſum affirmarunt. Propterea Seneca inter Stoicos non obſcurus in prœmio naturalium

Stoici.

Seneca.

lium quæſtionum præter cetera hæc profert: *Quantum inter philoſophiam intereſt, & ceteras artes; tantum intereſſe exiſtimo in ipſa philoſophia inter illam partem, quæ ad homines, & hanc, quæ ad Deos ſpectat: Altior eſt hæc & animoſior, multum permiſit ſibi, non fuit oculis contenta, maius eſſe quiddam ſuſpicata eſt ac pulcrius, quod extra aſpectum natura poſuiſſet: Denique tantum inter has duas intereſt, quantum inter Deum & hominem: altera docet quid in terris agendum, altera quid agatur in cœlo: altera errores diſcutit, & lumen admouet, quo diſcernantur ambigua vitæ.* Demum addit: *Et hoc habet homo argumentum diuinitatis ſuæ, quod illum diuina delectant, nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis, &c.* Hinc prodiere Stoicorũ Paradoxa, ſolum ſapientem diuitem, liberum, regem, dictatorem, de quibus Cicero tertio de finibus. Et quamuis Cicero primo officiorum elatus aura ambitionis, & flagrans deſiderio regnãdi, ciuilem vitam contemplationi prętulerit, tamen tandem aduerſis vndis Reip. iactatus & victus, ſententiam mutauit, & philoſophus potius, quã orator iudicari exoptauit. Theologi quoque idipſum affirmarunt, propterea ſummum bonum in contemplatione collocarunt, actiones autem morales, vias eſſe aſſeruerunt ad ſummum bonum. Et Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 182. & ſæpe alibi primas partes dedit contemplationi. Solus Epicurus inter veteres philoſophos (referente Diogene Laertio in vita eius) *prudentiam contemplationi prætulit: ille enim cum nil ſupra corpus nouerit, iure optimo circa diuina ſe cæcum penitus manifeſtans, ſola humana magnifecit.*

Cicero.

Theologi.

Reſolutio difficultatis.

Cap. XLVIII.

Lis, quæ verſatur inter viros ciuiles & philoſophos contemplationi addictos, ſi ſuffragiis hominum decernenda eſſet, proculdubio contemplatio cederet, paucos enim aſſeclas habet: at ſi recta ratione eſſet decernenda, ſecus proculdubio ſe haberet. Hinc factum eſt, vt cum ſub bono geminum contineatur regnum, vnum Saturni, hoc eſt, contemplationis, alterum Iouis, hoc eſt ciuilis imperii; finxerit antiquitas Iouem vſurpaſſe regnum Saturni, hoc eſt, ſibi ſubieciſſe contemplationem. Verum, quia frequenter accidit, vt, dum viri celebres inter ſe pugnant, nemo eorum penitus recedat à vero, propterea, num veri aliquid ſententiæ illæ, quæ inter ſe pugnare videntur, includant, conſiderandum & explicandum occurrit. Qua de re tribus cenſeo vtendum diſtinctionibus. Prima eſt: dum ſapientia cum ciuili prudentia comparatur, vel inſpicimus neceſſitatem, vel præſtantiam: ſi neceſſitatem, proculdubio

An pugnantes opiniones conciliari poſſint.

Prima diſtinctio.

Digitized by Google

prudentia humanæ conditioni magis eſt neceſſaria: ſi præſtantiam, vtendum eſt ſecunda diſtinctione, & dicendum. Aliquid eſſe melius, contingit dupliciter, vel abſolute, vel alicui definitæ naturæ & conditioni: vt habere quatuor pedes, bonum eſt equo, at non abſolute: eſſe philoſophum, bonum eſt homini, at non equo. De ſapientia & prudentia loquens dico, ſapientiam abſolute ſemper nobiliorem & præſtantiorem eſſe: dum vero refertur ad hominem, vtendum eſt tertia diſtinctione, & dicendum. Vel hominis vita conſideratur vt finis, vel vt via ad futuram vitam, futurumque Dei intuitum. Dum conſideratur vt via, ita homini melior & eligibilior eſt actio: eſt enim via tutior, homini accommodatior, digniotemque illum reddens ſummo bono, quo frui debet in futura vita: At dum hæc vita conſideratur, non vt via, ſed vt finis (quemadmodum eam conſiderauit Ariſtoteles) ita ſapientia homini etiam hanc vitam viuenti melior & eligibilior eſt, quoniam hac conſideratione actio non ad futurum Dei intuitum, ſed ad ſolam præſentem contemplationem dirigi poſſet. Ac demum de his perinde ſe habet, ac ſi fructum cum planta comparemus: fructus eſt profecto nobis magis neceſſarius, & proxime ſalubrior: planta tamen ſemper eſt eminentior, cum facultate fructum contineat, illumque edat, niſi perperam ſit affecta. Dum itaque oſtenditur ſapientiam obtinere principatum, id profecto verum eſt abſolute: dum vero prudentia præfertur, ſolum oſtenditur maior neceſſitas eius, vel quod homini ad futuram vitam properanti ſit accommodatior, vtilior, & eligibilior. Et ita philoſophi inter ſe non pugnant, nec theologi inter ſe, neque etiam theologi cum philoſophis, ſed rem eandem vario modo conſiderant, ac ad varia referunt: & conſtat etiam, quid veri includant rationes vtriuſque partis. Sed iure quærendum eſt, vtra harum virtutum debeat iudicari magis propria hominis, num prudentia & vita ciuilis, an potius ſapientia & contemplatio. Hac de re loquitur Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, & ex eius ſententia hac vtendum eſt diſtinctione. Eſſe proprium hominis, intelligi poteſt dupliciter: primo, conſiderando hominem, vt contradiſtinguitur à diuinis, & in hominum cœtu collocatur, ita diuinorum propria eſt ſapientia, hominum prudentia: ſecundo abſolute, ac ita ſapientia eſt eius magis propria, quoniam competit facultati eminentiori eius, per quam in eminentiſſimo gradu collocatur, à nobiliori autem fit denominatio: & ideo inquit Ariſtoteles. *Nam quod cuiuſque proprium eſt natura, idem & optimum cuiuſque eſt, & iucundiſſimum: igitur & homini optima ea vita eſt, quæ menti conuenienter traducitur, ſiquidem hac pars homo maxime eſt, &c.*

Secunda diſtinctio.

Tertia diſtinctio.

Quomodo intelligi debeant dicta pro omni parte.

Quæ ſit magis propria hominis.

Ex ſen-

Ex ſententia autem theologorum potius dicendum eſſet hominem conſiderari dupliciter, vel vt in via, ac lege peccati conſtitutum, vel abſolute, ſiue in fine poſtremo, ſiue in ſtatu innocentiæ extra peccati legem: prima conſideratione eius magis propria eſt actio, in altera contemplatio. Viſio enim Dei merces eſt, actio vero labor exſiſtentium in vinea, quibus dicit Dominus, *Venite qui laboratis, & ego reficiam vos.* At cum hæc duo vitæ genera inter ſe de dignitate contendant, nitendum pro facultate nobis eſt, vt ambas connectamus & vtriuſque ſplendore pro facultate exornemur, quoniam vna ſeiuncta ab altera, Plutonis inſtar ſola infera quærentis, eſt clauda, & Polyphemi more vno tantum eſt oculo prædita ac vltima perfectione deſtituta. Ciuilis prudentia ſeparata à ſapientia, eſt ſeiuncta à ſuo fonte, á ſuis principiis, eſt fructus á ſua planta ſecretus: propterea eſt inconſtans, eſt tenuis, facile euaneſcit, nec digna eſt, vt nomine philoſophię honeſtetur, cum munus philoſophi ſit cuncta redigere in ſua principia, ſed prudentia tantum iudiciaria, quæ cuſtos legum à Platone & Ariſtotele nuncupatur. Ex aduerſo non valet homo legitime contemplari, niſi morali virtute ſit ornatus, non ſpeculatur recte animus, niſi perturbationes eius ſint compoſitæ: Ideo ſcire apud græcos ab ipſo ſtare & requieſcere deductum fuit, vt primo Plato, mox Ariſtoteles in ſeptimo phyſicorum affirmauit. Et qui dant operam literis, & ſunt ſerui vitiorum, non philoſophi euadunt, ſed philologi (vt dicebat Seneca) hoc eſt, contentioſi, ſophiſtæ, & ambitioſi, de quibus dixit Plato, *ſomniare multos, non philoſophari.* At dum ambæ hæ virtutes connectuntur, tunc formant Ianum duplici fronte donatum, formant Platonis Androgynum omni ex parte quadratum, ex contemplatione vt mare, ciuili prudentia vt fœmina conſtitutum, oculatiſſimum formant Argum, heroicum Herculem partim apud ſuperos, partim apud inferos conſtitutum: reddunt paruum hominis mundum, ſimilem mundo magno, & cœleſti; in cœlo enim fulgent præſertim duo lumina, ſol, & luna; ſapientia ſoli, luna ciuili prudentiæ eſt ſimilis: vt enim luna á ſole, ita prudentia á ſapientia ſplendorem recipit: ac vt luna præeſt nocti, & ſol diei, ita prudentia præeſt huic tenebricoſæ vitæ, ſapientia vitæ diuinæ & abſolute præſtanti: prudentia propinquior eſt nobis, vt etiam luna. Ideo iure priſci poetæ, qui & theologi. & ſapientes fuerunt, Palladem cum ſapientiæ, tum belli finxere Deam: vt indicarent vtrunque vitę genus ex eodem principio duci & connecti debere. Demus igitur vnicuique generi vitæ, quod ſuum eſt: & dicamus ſapientiam eſſe diuinam, prudentiam humanam, ſapientiam honorandam, prudentiam commendandam, ſapientiam propriam eminentioris gradus & conditionis hominis, prudentiam

Theologi.

Qui philologi.

Sapientia ſoli, prudentia lunæ ſimilis.

Digitized by Google

humilioris, ſapientiam præſtantiorem abſolute, prudentiam alicui conditioni, ſapientiam illuſtriorem eminentioremque, prudentiam magis neceſſariam, ſapientiam magis conducere vt bene ſimus, prudentiam vt ſimus & ſeruemur: Ac demum ſapientiam eſſe illuſtrem parentem, prudentiam generoſam prolem, quibus hominum genus vere redditur nobile, ac vltima perfectione donatur.

Diluuntur nonnulla, quibus oſtendebatur, ſapientiam pernicioſam & inutilem eſſe. CAP. XLIX.

APparuit reſolutio vniuerſæ difficultatis, ex qua etiam facile eliciuntur ſolutiones aduerſarum rationum: ſed quoniam nonnullis rationibus contemplatio vilis, inutilis, & pernicioſa indicabatur, & nonnullæ infamiæ notæ ei inurebantur, propterea, quomodo delendæ ſint, breuibus eſt explicandum. Ac primo accipiendum eſt; quod, dum conditionem & naturam alicuius rei perpendimus, non prauum, ſed congruentem ac rectum eius vſum conſiderare tenemur; rectus enim vſus ei competit ex ſui conditione, prauus vero ex deprauatione alterius: ſi ex ſcientia & contemplatione detrimenta prodeunt, dicendum eſt cum Platone in ſexto de republic. *ea ortum ducere ex hominum deprauatione, & prauo vſu*, vt etiam cumulate declarauit Alexander in procemio phyſicorum, necnon Simplicius, & Auerroes: & ideo tunc non ſapientia, ſed homo damnandus eſt. Inſuper accipiendum eſt, vt monet Plato in Epinomide ſiue appendice legum, & poſt Platonem Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo & in procemio metaphyſicæ, *non audiendum eſſe Simonidem præcipientem nos, cum ſimus mortales homines, ſolum mortalia & humana debere conſiderare. Nam putandum eſt, non inaniter nobis à Deo tributam eſſe mentem & facultatem inquirendi diuina, non fruſtra per naturam nos ſummopere optare ea cognoſcere; Deus enim & natura nil faciunt fruſtra:* & præſertim, quia vnaquæque Dei proles pro facultate tenetur parentem inquirere, ad eum conuerti, ad illum euchi, illum imitari, & propterea tenetur homo continenter meditari eminentiam Dei; at quomodo eam meditabatur, ſi non cognoſcat? quomodo cognoſcet, ſi de mortalibus tantum ſit ſolicitus? Explodatur igitur ea ſententia, & per ea, quæ facta ſunt, eleuemur ad creatorem, nam cœli enarrant gloriam Dei, caueamus ab erroribus, mittamus ea, quæ curioſos nos potius reddunt quam ſapientes, caueamus ne nimium ſoliciti ſimus de illis arcanis, quæ ſibi propria ſeruauit Deus, & ad abſolutam Dei facultatem pertinent, & accurate indagemus ea, quæ per naturæ opera nobis patefacit: non confidamus nimium in noſtris viribus, adeo

In menſuranda præſtantia rerum inſpiciendus eſt vſus congruens.

Sententia Simonidis reiicitur.

adeo vt ob id ſuperbi euadamus, ſed cognoſcentes potius noſtram imbecillitatem, humiles nos ſubiiciamus Deo, ac ita ex recte compoſita ſapientia ſaluberrimi manabunt fructus. Dicebatur vitia & imprudentiam eſſe deteriora ignorantia, ideo moralem virtutem & prudentiam abſolute eſſe præſtantiorem ſapientia. Soluitur hæc ratio per duo fundamenta. Primum eſt; vitium reſpondere ignorantiæ, non quidem negationis, ſed prauæ diſpoſitionis, hæc autem deterior eſt vitio; quatenus (vt oſtendit Plato in Alcibiade primo, in Lachete, in Protagora, & alibi) hæc eſt cauſſa omnium vitiorum: ideo Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, capite primo inquit, *vitioſum omnem eſſe ignarum.* Alterum fundamentum eſt, quod ea ratio, ſi quam vim habet, ſolum oſtendit virtutem moralem magis homini eſſe neceſſariam, & proximius ei prodeſſe, ac ita vitium eſt deterius in parte, vt proximius deſtruit id, quod homini eſt magis neceſſarium inter homines viuenti, & ideo punitur: at ſimpliciter & tanquam cauſſa, deterior eſt ignorantia prauæ diſpoſitionis; ideo imitemur medicos, qui cauſſam morbi remouent, & morbum contrario curant. At inquit Scotus 4. ſent. diſtinctione quadrageſima nona, quæſtione quarta. *Deterius eſt odiſſe Deum, ſi voluntati competere poſſet odium Dei, quam illum non cognoſcere, etiam ignorantia praua & infidelitatis: ita quoque deterius eſt non amare Deum, quam non cognoſcere: quare virtus abſolute eſt præſtantior.* Reſpondens dico, hæc aſſumta non omni ex parte eſſe vera, nam ignorantia eſt deterior, vt cauſſa & principium prius, vitium vero formalius & proximius. Quicunque enim odit Deum, cum odium ſit rei malæ, eſt neceſſe vt apprehendat Deum tanquam malum, quæ deceptio eſt origo odii. Similiter qui Deum non cognoſcit, non poteſt amare, quare ſi amat, cognoſcit, & ſi non amat, non proprie cognoſcit: cognitio enim boni, vt bonum eſt, amorem parit, & omne vitium ex aliqua iudicii deprauatione oritur. At dicet quis, nedum ex ignorantia, verum etiam ex noſtra deprauatione prodeunt vitia. Reſpondeo, deprauatio noſtra ſemper nititur aliquo ignorantiæ fundamento, quia malum vt malum, non expetitur: malum enim vt malum, caret natura, efficiente & fine, vt dixit Magnus Dionyſius in lib. de diuinis nominibus. At de hoc alibi verba feci. Altera ratio ſatis vrgens, ſummopereque apparens erat: quia virtus moralis reddit nos abſolute probos, vitium abſolute improbos, non autem id facit ſapientia, & ignorantia. Reſpondeo, id euenire; quia probitas & improbitas in vſu noſtræ libertatis eſt poſita, vſus eius & probus & improbus ad virtutem moralem & vitium pertinet; ideo non ob præſtantiam, ſed ob proprietatem probitatis & improbitatis vſus id accidit.

Diluitur ratio prima.

Primum fundamentum.

Soluitur ratio Scoti.

Diluitur ratio ſecunda. His accedit, quod ſapientia & ignorantia ſunt tanquam cauſſæ noſtræ diſpoſitionis, virtus autem & vitium ſunt tanquam effecta & proximæ formæ, res autem abſolute nomen recipiunt à forma, non à facultate: non enim ſol, ſed ignis dicitur calidus, quamuis calor eminentiori modo competat ſoli. Addo tertio, per virtutem & vitium denominari probum & improbum abſolute, at non adeo abſolute, vt omnia per virtutem moralem & vitium dicantur talia (non enim Deus per moralem virtutem eſt abſolute bonus nec ſeparatæ mentes) ſed cum contractione ad homines, aſſerendo reddi hominem probum vel improbum: hoc autem indicat, non abſolutam præſtantiam virtutis, ſed maiorem neceſſitatem, & magis eſſe accommodatam homini, magiſque neceſſariam: at Deus ſua ſapientia optimus eſt; & ideo melius eſt eſſe abſolute bonum ſapientem quam eſſe virum probum. Diuo Auguſtino dicenti, *virum bonum non illum eſſe, qui ſcit, quod bonum eſt, ſed qui diligit.* Reſpondeo, ſolutionem patere ex dictis, iam enim patefeci, cur per actionem & moralem virtutem homo dicatur abſolute probus, nec ob id eam eſſe præſtantiorem contemplatione: Addo ſecundo, per cognitionem veri ſortiri hominem eminentiorem denominationem, vt patefeci: Addo tertio, id eſſe verum per relationem ad hominem in ſtatu peccati conſideratum. Afferebatur alia ratio, quia ſapientia ſecreta à morali virtute pernicioſa homini videbatur. Prudentia enim parit vſum rectum omnium humanorum bonorum, ſine quo nil nobis bonum eſſe poteſt. Reſpondeo, vnam pendere ex altera, & vnam ſine reliqua imperfectam eſſe: prudentia pendet ex ſapientia, vt ex potiore principio, per quod conſtituitur: ſapientia non eget prudentia, vt intrinſecus conſtituatur, ſed ſolum extrinſecus ob noſtram imbecillitatem, vt ea recte vtamur: ideo longe maius prudentia pendet ex ſapientia, quam vice verſa. Sapientia facultate propria parit virtutes morales: ſi eueniat vt connectatur cum vitio, id oritur ex noſtra deprauatione, nec abſoluta & vera ſapientia ea iudicari debet, nos autem cuncta menſurare tenemur per ea, quæ ex propria conditione & per ſe illis competunt. Inſuper dum inter ſe duo genera comparantur, tenemur ſuprema vtriuſque generis capita inſpicere, præſtantia enim menſurantur per maximum, ad quod genus aliquod extenditur: at inquiunt Academici, & conſentiunt Peripatetici, humanam primam rudiorem ſpeculationem purgare animum à vitiis, qui cum purgatus fuerit, eminentius bonum & verum intuetur, quæ poſtrema, eſt abſolutiſſima, & vera contemplatio, quæ vitio iuncta eſſe non poteſt. His demum addo, rationem & fundamentum illud ſolum denotare maiorem neceſſitatem prudentiæ, at non abſolutam eius præſtantiam. Diceba-

Prudentia magis pendet à ſapientia quam contra.

Diluitur tertia ratio.

ſtabatur inſuper, finem ſapientiæ eſſe verum, ciuilis ſcientiæ bonum. Reſpondeo; bonum duplex, vnum in contemplatione, alterum in actione poſitum; bonum attinens ad contemplationem (& eſt id, quod verum dicitur) præſtat bono ad ac[illegible] pertinenti, cum illud ſit conſtans & firmum, hoc vero vari[illegible] obnoxium: Sic Ariſt. in 34 de anima verum & falſum attinens ad contemplationem ait eſſe eiuſdem generis cum bono & malo actionis: ambo enim bona ſunt: & per hæc diluuntur pertinentia ad tertiam rationem.

Diluitur quarta.

Ratio quarta per prius dicta ſoluta eſt. Solum addo, ſecreta humanorum principum ad abſolutam eorum facultatem attinentia, non eſſe curioſe perquirenda, accurate tamen perquirenda eſſe pertinentia ad eorum dignitatem & ad ordinem, vt eos honoremus, eorumque mandata ſeruemus.

Vtilitas ſapientiæ.

Vtilitas ſapientiæ eſt conſpicua, & præſertim, quia omne bonum competens prudentiæ vt à primo fonte à ſapientia ducitur, cum conſtans & firma prudentia ex ſapientia pendeat. Vir ſapiens ad tria referri poteſt, ad Deum, ad patriam ſuam, & ad ſeipſum; ſi refertur ad Deum, dicitur ei ſedere à ſecretis, ſi ad patriam, ei origines legum patefacit, quas imitari tenetur, ſi ad ſe, ſibi pacem & tranquillitatem parit: ita cunctis eſt vtilis: de prudentia ſolum dicere poſſumus quod magis ſit neceſſaria.

Diluitur quinta.

At inſtabatur quinto quia prudẽtia eſt forma regia, reges intus formans, & cæteris imperans. Reſpondeo, prudentia eſt quidẽ forma regia proxima, at ſapientia eſt forma prior & potior, ex qua hæc proxima pẽdet, & cũ ſit imitatio Dei, dici poteſt forma diuina.

Diluitur ſexta.

Sexta ratio ſumebatur ex eo, quod per prudentiã & morales virtutes Deo reddimur gratiores, & aliis amabiliores. Reſpondeo hæc competere ſapiẽtiæ vt potiori principio, prudentiæ vero vt formæ & principio proximiori: at quod eſt cauſſa cauſſæ, etiã eſt cauſſa pendentium ex ea, & modo eminentiore. At addebatur, Deum, intelligentias, & cuncta aliquid agere. Reſpondeo, hæc indicare actionem eſſe non finem principalem, ſed fructum quendam ex cõtemplatione prodeuntem, vt ars medica eſt fructus philoſophię: planta autem, dum fructum non parit, ſterilis dicitur: ſi fructus fuerit adęquatus & principalis, abſolute dicitur ſterilis, ſi autem talis non fuerit, dicitur planta ſterilis in parte: ita intelligentię pro ea parte eſſent ſteriles, nec omni ex parte recte ſe haberent, niſi mouerent.

Diluitur ratio ſeptima.

Septima ratio erat, quia contemplatio poteſt cum miſeria iungi. Reſpondeo; vt vere ſapiens, etiam eſt eminenti prudentia prudens, ita miſer eſſe non poteſt: vere enim ſapiens negligit & deſpicit ea, quæ naturæ & fortunę ſubiiciuntur, ſola magnificiẽs diuina, propterea per mortalia miſer reddi non poteſt: inſuper, id ſolum oſtendit vſum rectum eſſe officium prudentiæ, vera ſapientia nunquam obeſſe poteſt, ſed tantum obeſt receſſus à vero,

Digitized by Google

Diluitur octaua reflexione.

& diminutio eius. Poſtrema ratio illa erat, quia propter quod vnumquodq; tale eſt, illud magis eſt tale: at per prudentiam cū- dduntur nobis bona. Primo reflecto argumentum: quo- n (vt patuit) id tanquam ex priore cauſſa pendet ex ſapiētia, cu rudentia ab ea ducatur: demum addo, id ſolum patefacere ... um rectum eſſe munus prudentiæ, at non pręſtantiam & eſſentiam rerum. Quomodo intelligi debeant auctoritates ex Ariſtotele depromtæ, ex iam dictis facile conſtat. Nam dum inquit in procemio moralium Nicomachiorum, *conſiderationem ſummi boni pertinere ad ciuilem, quia eſt domina, imperat, terminoſque præſcribit.* Dico, Eſt domina, non abſolute, ſed inter eas, quæ ad actionem dirigunt, imperat non omnibus (non enim imperat phyſico, vt iudicet cœlum moueri) ſed pro attinentibus ad actionem, & demum (vt Ariſtoteles in calce ſexti moralium Nicomachiorum affirmat) imperat non ſapientiæ, ſed pro ſapientia, vt miniſter pro domino ſuo. Addebatur, quod eremita, & homo contemplationi addictus, fugiens cœtus hominum, vel Deus vel beſtia eſt; non Deus, igitur beſtia. Reſpondeo homo in ſolitudine viuens, ſi vitam ducit ſenſuum, & corpori indulget, beſtia eſt, ſi congruenter ſpeculatur, eſt Deus per imitationem (vt homini licet) cuius otium eminenter includit omne negotium. His accedit, quod vere ſapiens non deſerit patriam ſuam, niſi cogatur. Plato quoque eiuſdem fuit opinionis: nam ex eius ſententia, ſi homo verſatur in conſideratione formarum, quæ in materie refulgent, nec veræ formæ ſunt, non dicitur ſapiens, imo cum non ſciat, putat ſe ſcire: ſi autem eleuatur ad ideas, vere ſapit, & ea ſapientia optimam ei præbet conſtitutionem, & optimos parit mores, qui ſunt fructus eius. Ideo in libro de philoſophia præcepit, philoſophum non in ſola contemplatione verſari, ſed etiam debere conuerti ad ſui ſuorumque emendationem, ne planta ſit ſterilis: ita plantam cum fructu ſæpe prætulit plantæ ſine fructu. Contemplator ſuperbus apparet. At ea eſt elatio animi diuina, qua negliguntur mortalia, eſt magnanimitas heroica, non autem ſuperbia vitioſa. Contemplatio videbatur inutilis: At inutilis eſt apparens ſapientia, non vera, inutilis eſt ad res minoris pretii, vtilis ad illa quæ præſtantiora ſunt, inutilis eſt (vt inquit Plato in ſexto de repu.) quia populi ei non obtemperant, vt inutilis eſt medicus laboranti ei non obtemperanti. Propterea recte Simplicius in Epictetum dixit, philoſophum eſſe formatorem hominum, proborum ciuium opificem, communem omnium patrem, & vere patrem patriæ, magiſtrum, emendatorem, & conſultorem. His, quæ in eius ignominiam & dedecus a nonnullis dicuntur, non reſpondet vir ſapiens: tum quia iniuſtum dedecus, inferentis eſt, non eius in quem

Reſpondetur ad auctoritates.

Explicatur ratio ex primo moraliū.

Ex primo de repub.

Plato.

Simplicius. Philoſophi elogium.

Sapiens non reſpondet conuitiis.

Digitized by Google

quem infertur: tum quia inanem gloriam negligit, ſeriam quærit: tum quia qui id dicunt, vere ſe non ciuiles patefaciunt, alioquin ſuo parenti non eſſent infeſti, viri enim ciuiles ſapientia vt parentem venerantur, & ſapientia virum vere ciuilem vt charissimam prolem dulciſſime amplectitur ac diligit: Illi igitur egent helleboro, quo purgati, viri ciuiles euadent, & ſapientiam magnifacient. Et ſi ſapientibus gigantibus eſſent ſimiles, quomodo omne bonũ in cœlo dicerent collocatum, & ſolum Deũ quærerent, colerent, ac magnifacerent? At de his ſatis.

De arte, quo duplicitet accipitur, & quid ſit.
CAP. L.

QVemadmodum ars dignitate & præſtantia poſtrema eſt omnium habituum mentis, ita neceſſitate eſt prima & primum inuenta ac formata fuit, vt in procemio metaphyſicæ docet philoſophus. De ea, quamuis præter opinionem, vere tamen id enuntiare valemus, quod filia ante matrem nata ſit, artes enim cum ſint filiæ ſcientiarum, ante ſcientias inuentæ & formatæ fuerunt. Et id contingere potuit, quoniam artes re vera ſunt filiæ ſcientiarum, dum conſiderantur vt perfectæ, ac omnibus numeris abſolutæ: illæ autem, quæ contemplationi præceſſerunt, rudes, inchoatæ, & obſcuræ fuerunt, quæ mox per contemplationem vltima perfectione fuerunt donatæ: & hoc de artibus magis neceſſariis præſertim intelligi debet. Nominis artis quatuor ſunt ſignificationes. Vſurpatur nonnunquam ars pro ea, quæ eminenter includit vniuerſam artis perfectionem, quam eminentiam vt in duce conſideramus in Deo, vt in famula conſideramus in natura. De Dei hac arte loquitur Plato in 10: de Legibus, dum diſſerẽs contra Empedoclem, Democritum, & veteres philoſophos, putantes cuncta cœco quodam caſu fuiſſe conſtituta, ait, *vniuerſum, & quæ in eo ſunt, diuina arte fuiſſe conſtructum.* De altera ad naturam pertinente loquimur, dum dicimus, *naturam eſſe artificioſam, & mira arte res gignere ac formare.* Vſurpatur ſecundo nomen artis pro imagine & vmbra eius refulgente in iumentis & feris: de qua dicimus, *araneum oſtendiſſe homini artem conficiendi telas, apem formandi domicilia, piſcem natandi, ac ita de ceteris.* Tertio vſurpatur late, & extenditur ad omnem habitum mentis, quatenus per illum, vt contra diſtinguitur à natura, aliquid agimus. Ita prudentia eſt ars recte componendi humanas actiones: ſcientia eſt ars inſpiciendi veritatem: In hac ſignificatione metaphyſica dicitur ars artium, & ſcientia ſcientiarum, in eadem geometria & arithmetica artes ingenuæ & liberales nuncupantur. Vſurpatur quarto & poſtremo ars proprie pro vera forma artis, contra diſtincta à

Ars orta ante parentem ſuum.

Quatuor artis ſignificationes.

Prima.

Ars Dei eminens.

Ars natura.

Secunda.

Imago artis.

Tertia.

Ars late pro omni habitu mentis.

Quarta proprie ſumta ars.

cæteris habitibus mentis, quatenus cæteri habitus ſunt rectæ rationes ſciendi vel agendi, ars autem eſt recta ratio efficiendi: in poſtrema ſignificatione inſtitutum meum eſt de ea verba

A definitione autem vt ordiar, definitur ars à nonnullis, ſit collectio multorum theorematum, communiumque ...eptorum verorum, vtilium ac ſibi conſentientium, ad vnum eundemque finem tendentium. Feræ ſimilem definitionem dedit Lucianus inquiens, *artem eſſe collectionem multarum apprehenſionum, quæ exercentur pro fine aliquo vtili noſtræ vitæ.* At per huiuſmodi definitiones nec proprium genus, quod habitus eſt, nec propriæ differentiæ recte explicantur: imo definitio primo relata modo aliquo etiam competit prudentiæ, vt conſideranti redditur notum. Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, capit. 4. artem definiens inquit, *eam eſſe habitum mentis cum recta ratione, ad efficiendum idoneum, in eo occupatum quod aliter ſe habere poteſt*; quæ definitio rectius per propria & interna principia, quid ars ſit, patefacit: deſunt tamen externæ cauſſæ, quas ſi addere cupimus, dicere valemus, ars eſt habitus mentis rectæ rationi iunctus, ad efficiendum idoneus, in eo occupatus quod ſecus ſe habere poteſt, experientia & ratione comparatus, vt humanæ imbecillitati ſuccurramus. Ex hac definitione omne genus cauſſæ eluceſcit. Et quia cauſſarum artis nonnullæ ſunt conſpicuæ, aliæ obſcuræ, prætermiſſis conſpicuis, de obſcurioribus verba faciam.

Definitio artis.

Lucianus.

Ariſtoteles.

Definitio artis αὐτάρκης.

Integra definitio.

Quid ſit recta ratio artis, & an ſit primum efficiendi principium. CAP. LI.

Ratio recta tribus competit.

QVoniam ars eſt recta ratio, ſiue habitus cum recta ratione coniunctus; propterea, quid ſit ea recta ratio, conſiderandum occurrit. Pro cuius explicatione conſiderandum, rationem rectam conſiderari primo in mente, ſecundo in habitu, tertio in opere artificioſo ex habitu prodeunte. Competit ratio recta menti, vt principio, habitui artis, vt formæ ex principio pendenti, operi demum artificioſo, vt rei effectæ & vmbræ. Recta ratio, quæ eſt eſſentia habitus artis, non eſt ratiocinatio, non enim artifex ſemper cum ratiocinatione operatur, vt aſſerit Ariſtot. in 2. phyſicorum, cum tamen ſemper operetur recta ratione: ſed hæc recta ratio eſt originalis forma rei efficiendæ mente concepta, cum notitia omnium conſpirantium ad eius expreſſionem externa materie. Quæ forma nuncupatur recta ratio; nedum, quia recta mentis ratione effingitur, verum inſuper, quia prædita eſt congruente ratione partium omnium cum inter ſe, tum per relationem ad proprium finem artis: & cum ita ſe habeat, per attinentia ad eam valemus rationem & cauſſam redde-

Cur dicitur recta ratio.

Digitized by Google

reddere omnium, quæ arte efficiuntur. Ideo Plato in libro de regno dixit, *omne artificioſum eſſe menſuræ particeps*; & in Gorg[illegible] aſſeruit: *Quod caret ratione, non eſt ars; omnis enim ars cum* [illegible]. Et Ariſt. in proœmio metaphyſicæ affirmauit, artificem [illegible]ro pter quid & cauſam cognoſcere. Hæc recta ratio artis, [illegible] eſt habitus mentis, eſt idea, exemplar, & forma rei efficiendæ, mente concepta. Propterea Ariſt. in 7. metaphyſicæ, cont. 30. & in 12. metaphyſicæ 24. inquit, *artem eſſe formam, & artem medendi eſſe modo aliquo ſanitatem*; nam eſt ſanitas in eſſe cognitio, & per modum cauſæ; ac ob id 12 Metaphyſicæ, cont. 18. dixit etiam artificioſa à ſimili fieri. Hęc forma & habitus artis, vt in anima rationis compote cõſideratur, etiam a Platone recta ratio diceretur, at non idea, nam ideam indiuidue in ſola mente conſiderauit, quam diſtinctionem non fecit Ariſt. Hæc recta artis ratio, dum refertur ad partem animæ, in qua eſt, dicitur forma, ad cuius imitationem extrinſecus alia producitur: at dum refertur ad rem efficiendam: modusque conſideratur, quo ad rei artificioſæ effectionem concurrit, redigitur ad cauſam efficientem: eſt enim ea recta ratio & directio, per quam efficiens operatur. Et de hac ſe habet perinde ac de idea: nam idea in ſe & in mente conſiderata, forma eſt, relata vero ad ea, quæ ab opifice per ideam efficiuntur, ad cauſam efficientem tanquam recta eius ratio pertinet. Propterea idea ab Academicis, dum conſideratur vt cauſa, redigitur, nõ ad concauſas, quæ ſunt forma & materies, ſed ad cauſas, quæ ſunt efficiens & finis: mediat enim inter efficientem & finem, cum ſit recta ratio, per quam efficiens attingit finem. Recte igitur Academici ideas numerant, non inter concauſſas, ſed inter cauſſas, & perperam multi Ariſtotelis expoſitores ad ſolam formam redigunt ideam, cum potius redigatur per modum producendi rem effectam ad cauſam efficientem. At cum recta ratio conſtituens artem redigatur ad efficientem cauſam, quæritur; an ſit efficiens primum operis, vel potius ſecundum, & modo aliquo inſtrumentum. Cui difficultati reſpondendum cenſeo, artem abſolute, minime eſſe primum principium efficiendi, aliqua tamen conſideratione & limitatione eſſe primum. Ars non poteſt abſolute eſſe primum principium, tum quia eſt habitus, qualitas & accidens, quod ſequitur ſubſtantiam, tum inſuper, quia neceſſario præſupponit naturam, & ab ea pendet: præſupponit inquam naturam, & in recipiente, & in efficiente: In efficiente expoſcit mentem artificis, quæ late dicitur natura, & abſolute eſt principium efficiendi, cum ars ei ſolum tradat regulas & modum; in recipiente & externa materie eam expoſcit, quia recipiens eſt corpus phyſicum, in quo ſæpe producitur forma artificioſa munere formæ & naturæ recipientis: veluti

Plato.

Ars medendi quo modo ſit ſanitas.

Recta ratio & forma & efficiens eſt.

Idea ad quod genus cauſſæ redigatur.

An ars ſit primum efficiens.

Solutio.

Digitized by Google

ars medendi in Medico non eſt primum, ſed ſecundum principium curandi, in laborante etiam primum principium non eſt pharmacum, ſed natura laborantis, vt ait Galenus. Hinc ſanitas exiſtens in laborante, & virtus eius efficit ſanitatem, non enim datur viuens adeo laborans, vt nil ſanitatis includat; malũ enim non reperitur in vniuerſo, niſi munere boni, quod in eo ſeruatur, in quo ineſt malum: ita agricultura nõ eſt prima cauſa meſſium & arborum. Aliqua tamen conſideratione ars dicitur primum principium, quatenus refertur ad opus cõſideratum cum hac reduplicatione (vt artificioſum) ſanitatis enim vt arte recuperatæ primum principium eſt ars medendi: hac conſideratione philoſophus in ſecundo phyſicorum 38. dixit *artem ædificandi eſſe cauſam ſummam ædificii.* Requiritur itaque ars, quæ eſt recta ratio, in artifice, non vt ei tradat principium primum operandi, id enim habet per naturam; ſed ne temere, fortuito, & perperam operetur, quæ ratio cum ſit recta, non poteſt eſſe principium erroris: ideo nullus artifex errat vt artifex, ſed tantum vt ignarus artis, vel arte male vtens.

Quomodo ars poſſit dici principium primum.

Qui artifex erret.

Quid ſit affectio, & actio. Cap. LII.

Ars & prudentia per varia principia mirum in modum iuncta & complicata ſunt: ambo enim hi habitus ad operam dirigunt, ambo pertinent ad eam mentis partem, quæ opinatrix & ratiocinatrix dicitur; ambo per materiem ſunt inconſtãtes & varii, ambo ratione ſui ſunt ratio recta: differunt tamen, quia prudentia dicitur recta ratio actionis, ars vero effectionis: & ideo, quid ſit effectio, & quid actio, accurate conſiderandum occurrit. Qua de re vt lucide loquar, dico actionem dupliciter vſurpari; cum late, tum proprie. Si late vſurpatur, frequenter cum effectione confunditur. Quod ſi etiam accipitur, vt ab effectione diſtinguitur, id quoque duobus modis fieri poteſt. Vel communius, & tunc vnica differentia diſtinguitur ab effectione, & ea ſumitur à fine: & eſt, quod poſt effectionem remanet opus aliquod effectum, quod ſit finis eius; vt poſt ædificationem domus, & ex effectione ſtatuarii conſurgit ſtatua: poſt actionem vero non remanet opus aliquod actione elaboratum, quod ſit finis actionis, & ſi remanet, id eſt, ex euentu, nec eſt finis actionis: veluti ſi poſt actionẽ viri magnanimi ſuperſunt erecta mœnia, conſtructa templa, & ſimilia, id ex euentu eſt, non enim eſt neceſſe vt remaneant, nec finis ſunt magnificæ actionis, ſed finis eſt id honeſtum, quod in actione includitur. Hãc differentiam ſæpe aſſignauit Ariſtoteles, vt in primo de repub. cap. 3. in calce primi libr. magnorum moralium, ſub initio primi moralium

Actio dupliciter vſurpatur.

lium Nicomachiorum, præſertim tamen id fecit in ſexto lib. c. 5. inquiens: *Effectionis aliud quam effectio finis eſt*, actionis vero nequaquam: vel (vt in aliis codicibus legitur) actionis vero nō ſemper. Et ait (non ſemper) quia, vt dixi, ſi remanet peractum aliquid, id eſt ex euentu, neque eſt finis. Eandem differentiam approbauit Alexander in ſexto metaphyſicæ exponens cont. ſecūdum, & vndecimo libro metaphyſicæ, commento. 25. Hac ſola differentia interpretes actionem ſecernunt ab effectione. Verum, dum id faciunt, in plures labuntur difficultates. Ita enim ſi quis lyram pulſat, ſi canit vel ſaltat, agere dicetur; cum tamē hæc non ad prudentiam pertineant, ſed potius ad artem. Quæ ſi nōnunquam nuncupantur actiones, (vt ab Ariſtotele in calce primi magnorum moralium pulſatio lyræ nuncupatur actio, ſimiliter ab Alexandro in ſexto metaphyſicæ ſaltans dicitur agere) putandum eſt tunc actionem vſurpari late. Nam ſi proprie vſurpatur, præter relatam, duæ aliæ ſunt addendæ differentiæ. Quarum vna ſumitur ex principio, nam principium actionis eſt prælectio ad appetitum mentis pertinens, effectionis autem principium abſolute dicitur eſſe intellectus & vis imaginandi. Differentiam hanc dedit Ariſtoteles in principio ſexti metaphyſ. inquiens, *Effectionum in efficiente principium eſſe, aut intellectum, aut artem, aut facultatem quandam, actionum vero in agente praelectionem, idem enim agibile & praeligibile eſt*. Eandem differētiam confirmauit in ſecundo phyſ. cont. 58, & 59. inquiens, *ſoli homini competere actionem, non iumentis & feris, quoniam eis non competit praelectio*. Altera differentia ſumitur ex modo operandi ſiue ex connexis cum eo: actio enim fit cum aliqua animi perturbatione, & intrinſecus præſertim abſoluitur; effectio nec cum perturbatione nectitur, & extrinſecus perficitur. Hanc differentiam patefecit Ariſtoteles in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 1. inquiens; *actiones hominis tum ab ira, tum à cupiditate ortum ducere*. Conſtat itaque ad actionem proprie ſumtam tria requiri, & tribus differentiis eam ab effectione diſtingui: & dum dicimus prudentiam eſſe rectam rationem actionis, vſurpatur tunc actio proprie. Diſtinctionem actionis ab effectione etiam nouit Plato, eamque protulit in Charmide ex ſententia Heſiodi, ſed ſecus ac id fecerit Ariſtoteles: at ego nunc Ariſtotelem ſequor, præſertim cum hæc ſit lis de ſola voce. Ex his elicio definitiones cum proprie ſumtæ actionis, tum effectionis: actio eſt operatio humanæ libertatis, quæ verſatur in attinentibus ad hominum mores, ex ratione & prælectione prodiens gratia eius boni, quod in operatione includitur. Hæc proprie ſumta actio, primo conſideratur in ratione, vt dirigente, ſecundo in prælectione, vt exſequente, tertio in appetitu ſenſuum, vt ob-

Alexander.

Aliæ differentiæ ſecernentes effectionem à propria actione.

Secunda.

Tertia.

Definitio actionis.

πρᾶξις in quibus ſpectetur.

temperante, demum in aliis, quæ noſtræ facultati ſubiiciuntur. Scio actionem ab aliis ſecus definiri, mihi tamen data definitio ſatisfacit. Effectio enim & latius, & preſſius vſurpatur. Dum proprie accipitur, pro ea nempe, quæ ad proprias artes pertinet, ita (vt cenſeo) eſt definienda. Effectio eſt operatio ab intellectu arte directo per phantaſiam & vim mouendi, in externam prodiens materiem, gratia eius operis quod elaboratum remanet. At oritur dubitatio, quia dictum eſt artem eſſe rectam efficiẽdi rationem, & inquit Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, c. 5 hanc definitionem conuerti cum arte, & nullam actionem eſſe effectionem, nec effectionem vllam eſſe actionem: at ſi hoc verum eſt, tunc habitus canendi, ſaltãdi, pulſandi lyram, non poterit eſſe ars: non enim ex eis prodeunt effectiones, cum opus non remaneat ab eis elaboratum, nec videntur ad alium habitum poſſe redigi. Confirmatur dubitatio, quia Auerroes in ſecundo phyſicorum cont. 3. duplex ponit genus artis, vnum, ex quo prodeunt res effectæ, vt ſtatuaria, alterum, ex quo ſolum prodeunt actiones, vt ars ſaltandi, canendi, & ſimiles: ac ita definitio artis non conuertetur cum arte, non enim omnis ars erit recta ratio effectibilium. Nec approbãda videtur ſententia Euſtratii in ſexto moralium Nicomachiorum dicẽtis, artiũ quaſdam eſſe efficientes, alias agentes: nam ſi ſunt agentes, nõ ſunt artes, cum eis non competat definitio artis. Propterea dicamus actum pulſandi lyram, canendi, ſaltãdi, eſſe actionem late ſumtam, non proprie, cum non ei competant poſtremæ differentię actionis: inſuper addendum eſt, habitum pulſandi lyram, ſaltandi, & canendi, artem eſſe ac ei competere definitionem artis. Et pro notitia conſiderandum, in arte duo inueniri, officium, & finem: officium Medici eſt, ea omnia facere, quæ ſanitati conducunt, finis eſt ſanitas. Officium Medici non eſt in fortunæ manibus collocatum, ſed finis adeptio: opus peractum quod poſt effectionem remanet, non conſideratur in officio artis, ſed in fine. Quod ſi conſideramus, ſemper inueniemus poſt effectionem artis remanere opus effectum. Nam loquendo de actu pulſandi lyram & canendi, proculdubio ad muſicam pertinet, cuius finis eſt congruens animi compoſitio & expurgatio eius à perturbationibus, ſiue earum moderatio (vt nos docet philoſophus in octauo de rep cap. 7.) ars autem ſaltandi, cum in parte iuncta ſit cum muſica, præſertim tamen pertinet ad Gymnaſticam, cuius finis eſt robur, ſanitas, & congruens corporis conſtitutio. Ratione igitur finis hæ ſunt effectiones, & earum principium eſt ars: de proprie ſumta actione ſecus ſe habet, nam finis eius eſt id bonum, quod in actione includitur. Hanc diſtinctionem cum interpretes non conſiderent, difficultatem hanc implicant, nec reſol-

Definitio propria effectionis.

Dubitatio.

Euſtratius.

Propria ſolutio.

Aliud eſt finis, aliud officium artis.

Finis Muſicæ.

Finis Gymnaſtices.

reſoluere valent. Ex his conſtat primo, perperam Latinos interpretes actionem diuidere in immanentem & tranſeuntem, omnis enim actio, vt actio eſt, immanens dicitur: & Ariſt. 9. metaphyſicæ cont. 16. non actionem, ſed operationem, quæ genus eſt, ea diuiſione diuiſit. Effectio poteſt eſſe & tranſiens, & immanens, proprie tamen eſt tranſiens, dum cõſideratur: vt relinquẽs opus effectum, quod ſi nonnunquam ſit immanens, id contingit ex euentu, vt, dum Medicus ſe curat, vel arte Gymnaſtica ſuum corpus exercet. Conſtat inſuper, quid ſit dicendum de nonnullis, de quibus eſt dubium, an ſint actiones, nec ne; vt de actu videndi, audiendi, contemplandi, & ſimilibus: nam hæ ſunt actiones in prima ſignificatione, & late ſumtæ, non autem propriæ. Tertio ex his colligitur, frequẽter actionem cum effectione connecti, & ob vnum eſſe actionem, ob aliud effectionem: veluti, ſi Medicus lucri vel odii gratia, venenis accurate permixtis, laborantem necat, vt prælegit tale ſcelus patrare, actio eſt, & finis eius eſt poſitus in eo apparente bono, quod in tali prælectione reperitur, vt vero recte miſcet venena, effectio eſt. ideo ob vitioſam actionem dicitur vir prauus pœna dignus, ob artificioſam vero & recte elaboratam permixtionem dicitur peritus artifex, & commendatur: & dum ea duo connectuntur, ratio actionis prior eſt ratione effectionis, nam prælectio, ac rectus ſiue deprauatus vſus, neceſſario præcurrit; vſus autem eſt munus actionis. Oritur dubitatio de logicis, philoſophis, Medicis, & metaphyſicis, dum publice docendo ſuam ſcientiam profitentur, num dicantur agere, vel potius efficere. Pro ſolutione accipio ſententiam Ariſtotelis in 8. de repub. cap. 2. dicentis. *Scientiis quibuſdam liberalibus operam quadantenus nauare, non eſt illiberale, ſed qui hoc facit aliorũ cauſa, is ſæpe mercenaria ſeruilique opera fungi videri poteſt, &c.* Indicat his verbis philoſophus, vſum eiuſdẽ diſciplinæ ob varietatem finis ſortiri nomina varia. Et pro exactiore explicatione conſiderandum eſt, quod dantur nonnullę, quæ abſolute & proprie ſunt actiones, aliæ, quæ vere ſunt effectiones, nonnullæ vero ſimilitudine, quodam modo actiones, modo effectiones dici poſſunt. Et loquens de eo, qui publice legens profitetur ſcientiam aliquam, aſſero illum poſſe tripliciter conſiderari, primo, vt id officium libere præligentem, ſecundo, vt alium docentem, tertio, vt contemplantem attinentia ad diſciplinam, quam profitetur. Per primam conſiderationem dicitur agere: nam id officium prælegit vt vtile, vel honeſtum, vel delectabile, & ea prælectio commendatur, vel damnatur, & ratione varietatis finis dici poteſt honeſta vel ſordida. At ſi ſecundo conſideratur, non prælectio eius generis vitæ, ſed abſolute officium docendi, vt pro fine habet alium inſtituere, ita eſt

Perperam actio in immanentẽ & tranſeuntem diuiditur.

An viſio ſit actio

Tertiũ quod colligitur.

Dubitatio de publice legentibus.

Primũ quod accipitur.

Alterũ quod eſt conſiderandum.

Publice legens qui profeſſor vulgo dicitur, tripliciter conſideratur.

effectio quædam ingenua, & remanet opus effectum, auditor ſcilicet, qui eruditus ex non erudito factus eſt: nam officium illud docendi eſt vſus ſcientiæ, quem conſiderantes dicimus, nõnullos habere rectam docendi artem, alios ea carere, ideo dixit Ariſtoteles in procemio metaphyſicæ, *Signum ſcientis eſt poſſe docere: recte autem docemus per duo ſimul iuncta, per logicam vel natura vel ſtudio nobis competentem, & per habitum proprium ſcientiæ quam docemus.* Ita logica primo reddit nos diſcipulos recte diſciplinabiles, mox reddit nos magiſtros: & propterea rectius ad artem, quam ad ſcientiam redigitur, nã finis eius eſt inſtrumentum, quod arte logica elaboratum remanet. Eos tamẽ ſummopere decipi cenſeo, qui, cum fateantur logicam docẽtem regulas formandi inſtrumenta eſſe artem, inquiunt eam iunctã ſcientiis reddi ſcientiam, cum vtatur principiis propriis ſcientiarum. Hoc alieniſſimum à vero iudicio: logica enim quouis modo conſiderata ſemper ſeruat cõditionem ſuam, alioquin perinde ſe haberet, ac ſi diceremus, inſtrumẽta naturæ iuncta operi eſſe naturam. Et præſertim, quia logica iuncta ſcientiæ eſt pædia quædam, at pædia ab Ariſtotele ponitur diſtincta à ſcientia, cui iungitur, & cuius eſt pædia, vt patuit. Sed de hoc obiter. At ſi tertio conſiderantur docentes, vt conſiderantes attinentia ad diſciplinam ſuam; ita ratione varietatis diſciplinæ, & inſpectores, ſeu contemplatores, & effectores, & practici nuncupantur.

Per duo recte docemus.

Logica quouis modo cõſiderata ſemper eſt ars.

Logica ars diſcendi & docendi.

Dubitatio quomodo actio dici poſſit finis.

Verum pulcra occurrit dubitatio, quomodo actio poſſit dici finis agentis; cum actio ſit motus quidam, & omnis motus ſit actus imperfectus tendens ad aliud. Confirmatur; quia Ariſtoteles in principio primi moraliũ Nicomachiorum inquit, *omnem actionem eſſe boni gratia, & alterius gratia: id autem, quod eſt alterius gratia, non eſt finis.* Cui difficultati reſpondens dico, actionẽ moralem dupliciter conſiderari poſſe. Primo intrinſecus & ratione eius honeſti, quod in prælectione includitur, ac ita non via ſed terminus, non imperfectus, ſed perfectus actus eſt. Secundo conſideratur extrinſecus, vt via, & per multa conſpirantia ad abſolutionem actionis, ac ita hæc omnia ſunt eius boni gratia, quod in actione includitur; & id particulare bonum eſt ſummi boni, & vltimi finis hominis gratia. Demum quæritur, quidnam abſolute debeat cenſeri præſtãtius, num actio, vel effectio; Breuibus dico, actionem eſſe præferendam: tum, quia actio in bonam & prauam ſecatur, non ita effectio, ſed in vtilem & non vtilem: tum, quia actio ad libertatem noſtram proprie pertinet, non ita effectio: tum demum, quia in actione collocatum eſt ſummum bonum, non in effectione.

Solutio.

Actio effectioni præfertur tribus de cauſis.

Expli-

Digitized by Google

Explicatio ceterarum cauſarum artis.

CAP. LIII.

CVm hactenus patuerit forma artis, quæ erat habitus efficiendi recta ratione, facile modo eſt ceteras cauſas explicare. Materies artis duplex eſſe poteſt: vna, in qua recipitur habitus artis, & huiuſmodi eſt homo, partim per mentem, partim per memoriam & phantaſiam, at quia præcipue pertinet ad mentem, ideo in definitione de ea facta eſt mentio: altera eſt materies, circa quam extrinſecus verſatur, & hæc eſt res permutationi, ortui, & interitui obnoxia, quæ vel ſola arte, vel arte ſimul & natura effici poteſt, vt patet exemplo ſanitatis, & declaratur ab Ariſtotele 7. metaphyſicæ, 29. & 30. Cauſa efficiens varia conſideratione multiplex eſſe poteſt. Plato dialogo 11. de legibus à tribus Diis prodire artes affirmat; Vulcano ſcilicet, Pallade, & Marte. Hæc eſt ea Deorum trinitas, quæ Ioui ſemper aſſiſtit: nam Pallas ſapiẽtiam denotat; cui ſubeſt recta ratio, à qua prodit ordo, qui in omni arte ſummopere fulget: Vulcanus igneum ſpiritum denotat, à quo manat efficax progreſſio, exactaque operis abſolutio: Mars facultatem ſignificat & vires, ex quibus munitiſſima prodit operis cõſtructio: Pallas eſt Dux, Mars eſt artifex, Vulcanus miniſter. In libro autem de regno inquit, *à Prometheo tributum fuiſſe ignem, à Vulcano vero, eiuſque conſorte artes*: indicans à cœlo, cum extrinſecus per lumen & motum, tum intrinſecus per ideas & rationes, manare vim principem pro artium conſtitutione, à terrenis vero manare materiem, & proxima earum principia. At Academicorum metaphoris relictis, principia propria & proxima quærentes, audiamus Auerroem, qui diſputatione tertia contra Algazelem, dubio 18. inquit, *multas artes ex multorum hominum ſententia non acquiri humana comprehenſione, ſed tradi à Dæmonibus*, vel (vt inquiunt alii) *ab angelis*, hoc eſt, Prophetis; ideo inquiunt eas artes eſſe maximum teſtimonium Prophetiæ: Verum Auerroes hanc ſententiam non approbat. Quæ etiam ſi in parte eſſet approbanda, vt re vera approbandi ſunt Dæmones, Angeli, Prophetæ, & ſupernæ reuelationes, ad rem tamen non facit: quoniam ea eſt manifeſtatio externa, vel ſuperna reuelatio, nos autem principia quærimus proxima, per ſe, & ꝓpria hominis. Propterea dico, artes ab humana indigentia ſumſiſſe occaſionem, ſunt enim artes omnes medelæ humanæ indigentiæ, vt in prooemio metaphyſicæ patefecit Ariſtoteles, & Plato in lib. de regno affirmauit. Proxima & magis ꝓpria principia, per quæ inueniutur & formantur, ſunt ratio & experiẽtia, vt nouit etiam Galenus in expoſitione primi Aphoriſmi, quæ experientia quomodo pariat artem, patefecit Ariſtoteles

Materies artis duplex.

Cauſa efficiens artis.

Plato.

Pallas.

Vulcanus.

Mars.

Auerroes.

Artes vnde manarunt.

Λόγος καὶ πεῖρα parentes artium.

in calce ſecundi Poſteriorum, & in procemio metaphyſicæ. Id, per quod in nobis firmatur habitus artis, eſt exercitatio: ædificantes enim & exercentes palæſtram, euadimus ædificatores & palæſtrici: iumenta & feræ nos etiam excitarunt ad inuẽtionem alicuius artis, cum in eis refulgeant imagines quarundam artium. Artes ſunt profectò humanum inuentum, attamen includunt aliquid naturale: ex conditione enim indigentiæ, reique efficiendæ tanquam finis, depromitur recta ratio artis, nõ ſecus ac ex natura rei deſumitur recta ratio nominis eius: Sic ex operis conficiendi conditione expoſcit ſerra, vt ſit ferrea, & dentes habeat; gladius, vt ſit acutus, ac ita de ceteris: qua de re cũ Plato & Ariſtoteles diſſentire videantur, re vera tamen non diſſentiũt. Sed de hoc alibi. Colligens itaque dico, ex Deo & natura pendere vires, ab humana neceſſitate offerri occaſionem inueniẽdi artes; rationem & experientiam eſſe proxima principia, per quæ formantur: exercitationem eſſe eam, per quam in nobis habitus firmantur: Demum ex conditione finis & rei efficiendæ elicitur id rectum, quod arti congruit: pro quarum artium inuentione excitare etiam nos valent iumenta & feræ, cum in eis refulgeat ars Dei & naturæ. De fine autem artium loquens, expedite dico finẽ earum eſſe duplicem; vnum productionis operis, & eſt forma rei arte elaboratæ, alterum operis iam producti, & eſt vtilitas ea, quam tale opus præbet: Quæ vtilitas duplex eſſe poteſt, vel enim per naturam, & vere ſunt vtiles, vel tantum apparent ob deprauatam hominis conſtitutionem. Inde prodeunt duo genera artium: quorum vnum eſt naturæ conſentaneum, & eſt illud, quod veras præbet vtilitates, vt ars medendi, ædificandi, & ſimiles: alterum eſt redundans, & minus dignum nomine artis, quemadmodum ars exornandi mulieres, artes ludicræ, & ſimiles: vt enim ſe habet de fine, ita cenſendum eſt ſe habere de ordinatis in eum.

Concluſiones.

Finis artis duplex.

An artifex vtatur conſultatione & praelectione, & num cum arte ſit complicata fortuna.

Cap. LIV.

Quod ars nõ vtatur conſultatione.

PVlcra eſt dubitatio de conſultatione, prælectione, & fortuna, quomodo ad artem ſe habeant; nam de his omnibus Ariſtoteles ſecum pugnare, & ſibi minime conſtare videtur. De conſultatione primo Ariſtoteles ſecundo phyſicorum, context. 86. negat artem vti conſultatione, inquiens: *Abſurdum autem eſt non opinari agere propter finem, niſi videant mouentem vti conſultatione, & tamen ars conſultatione non vtitur, &c.* Hoc patet experientia: non enim ſcribens, vel lyram pulſans, ratiocinatus & conſultat, quæ litera & quomodo ſit formanda, & quæ poſt

poſtquã pulſanda ſit chorda, ſed habitu artis ſine conſultatione & meditatione operatur. Ex aduerſo, ipſemet Ariſtoteles in 3. moralium Nicomachiorum, c.3. aſſerit artem cõſilio vti; inquit enim artem medendi, quærendæ pecuniæ, naualem, & ſimiles, conſultatione egere, eaque vti: id ipſum affirmauit etiã Plato in Alcibiade primo de gubernatore nauis. Similiter dubitatio eſt de præelectione: Dictum eſt in præcedentibus, præelectionem eſſe principium actionis, non autem effectionis; quod etiam aſſeritur ab Ariſtotele ſub initio ſexti metaphyſicæ. Ex aduerſo, ſi conſultatio locum habet in arte (vt aſſeritur in 3. mor. Nicomachiorum loco nuper relato) & cõſultationis terminus eſt præelectio, videtur neceſſarium etiam in artibus locum habere præelectionem. Demum de fortuna Ariſtot. ſibi conſtare non videtur. Inquit in 2 phyſ. cont. 57. & 58 *Fortunam eis competere, quibus competit actio, & in rebus agendis verſari: ſignum eſt, quoniam videtur vel idem eſſe cum felicitate, proſpera fortuna, vel prope, felicitas autem quædam eſt, nam eſt bona actio. &c.* Ex aduerſo in ſexto moralium Nicomach. cap. 4. ait: *Quoniam autem effectio & actio inter ſe differunt, neceſſe eſt artem effectionis eſſe, non actionis, in eiſdemque rebus quodammodo ars & fortuna verſantur*, quemadmodum & ait Agatho:

Quod ars vtatur cõſultatione.

An ars vtatur præelectione.

An in arte locũ habeat fortuna.

Ariſt. videtur ſecum pugnare.

Fortuna vt artem, ſic & ars fortunam amat.

Conſpicua eſt pugna inter ſententias Ariſtotelis, cum in 2 phyſicorum fortunam redigat ad actionem, in ſexto moralium ad effectionem contradiſtinctam ab actione. Galenus quoque in libro quinto de locis affectis, nec non in libro de præcognitione capit. 12. *Fortunam cum arte permiſcet, & medicum aſſerit debere eſſe fortunatum.* His difficultatibus reſpondens, de prima & ſecunda, hoc eſt, de præelectione & conſultatione, quæ coniunctæ ſunt, dico; artes dupliciter conſiderari poſſe: vel ſecundum rectum & improbum earum vſum, & id proculdubio ad actionẽ pertinet, & conſultationi ac præelectioni ſubiicitur: vel ſecundum attinentia ad proprium officium artis, & de hoc eſt dubitatio. Pro cuius ſolutione accipio, præelectioni & conſultationi duplicem ſubiici materiem; vnam primam & magis propriam, alteram ſecundam & minus propriam: prima & magis propria materies, ſunt attinentia ad humanas actiones: ſecunda & minus propria, ſunt etiam attinentia ad artes. Ratio huius varietatis duplex eſt: prima, quia attinentia ad humanas actiones magis ſunt dubia & varietati obnoxia, quam attinentia ad artes, imo ſunt maioris momenti, & ſunt communia viris omnibus, vt etiam cõſultatio & præelectio cunctis communis eſt: altera ratio eſt, quia præelectio maxime iuncta eſt cũ appetitu ſenſuum, & in eo perficitur, dum proprie vſurpatur; cũ quo appetitu con-

Galenus.

Solutio. per diſtinctionem.

Prima ratio varietatis.

Secunda ratio.

Digitized by Google

ſunctæ ſunt humanæ actiones, non autem artes. Sic itaque conſultatio & prælectio, locum habere poſſunt in artibus, non vt in ꝓpria & principali earum materie; qualem propriam materiem explicat Ariſtot. dum in libris de moribus de illis verba facit. Addo ſecundo (vt inquit Ariſt. in tertio moralium Nicomachiorum, c. 3.) artes eſſe duplicis generis: nonnullas ob varietatem eorum, quæ occurrere poſſunt, indefinitas & incertas, vt ars medendi, naualis, & ſimiles: alias definitas & certas, quæ eodem modo ſemper operantur, nec variantur ob varietatem materiei, vt ars ſcribendi, pulſandi lyram, & ſimiles; in his conſultatio & prælectio locum non habent: & de his vera eſt ſententia Ariſtotelis in ſecundo phyſicorum: nam ei ſat erat tunc oſtēdere dari nonnullas artes, quæ quamuis operentur propter finem, tamen conſultatione non egent, ita enim ſoluit difficultaem de natura, quæ quamuis nō vtatur conſultatione, tamen operatur propter finem, ſe habet enim perinde ac artes certæ & definitæ. Hinc in eodem tertio moralium Nicomachiorum, addit Ariſt. *Magis autem in artibus quam in ſcientiis conſultationi locus eſt, in eis enim ſæpius ambigere ſolemus, conſultandi autem ratio in iis locum habet, quæ plerunque vſu veniunt, cum eorum exitus incertus ſit, & in quibus nihil eſt definiti, &c.* Ex his conſtat erraſſe Trapezuntium, cum aſſeruerit Ariſt putaſſe artē nullo pacto vti conſultatione: ac ita cōſpicua eſt ſolutio primæ & ſecundæ difficultatis. Tertia dubitatio erat de fortuna, de qua aperte philoſophus ſecū pugnare videtur; At ſoluitur per duo fundamenta. Primū eſt, quod fortunæ duplex eſt materies in qua verſatur: vna magis, altera minus propria: materies magis propria ſunt humanæ actiones; & hanc ei aſſignauit in ſecundo phyſicorum, qui erat locus proprius eius declarationis: in ſexto autem mor. dixit fortunam & artem iungi, & mutuo ſe diligere, explicans materiem minus ꝓpriam. Alterum fundamentum eſt, quia in ſexto moralium Nicomach. magis loquitur populariter, & ex opinione Agathonis. Conſiderandum tamen, ꝙ fortunæ, non officium artis ſiue artificis ſubiicitur, ſed exitus & finis eius; officium enim artificis ex recta artis ratione prodiens, certum & definitum eſt, at felix exitus fortunam proſperam expoſcit: tenetur Medicus ea facere, quæ ſanitati nata ſunt conducere, pro qua aſſequenda eget fortuna proſpera, vt cuncta ei ſuccedant ad votum.

Ars duplex.

Diluitur tertia controuerſia.

Digitized by Google

De varius artium diuiſionibus. CAP. LV.

An recte ars diuidatur in theoricam & practicam.

VAriæ à variis traditæ circumferuntur artium diuiſiones, de quarum nonnullis non inutile eſt verba facere. Diuiduntur artes; & præſertim ars medendi, in theoricam & practicam: quod num recte fiat, conſiderãdum eſt. Proculdubio, ſi vocibus proprie vti volumus, ars nec theorica, nec practica dici poteſt. Non theorica, quia theoricæ finis eſt ſcire & veritas, practicæ & effectricis operari: & quamuis habitus, qui in operatione verſantur, multa conſiderent & ſpeculentur, quia tamen ea cõſiderant non ſui, ſed operis gratia, non theorici, ſed practici vel effectrices dici debent (vt docet Ariſt. in 2. metaphyſic. contex. 3.) denominatio enim à fine petenda eſt. Neque etiam ars dici debet practica: quia praxis eſt actio, quæ diſtinguitur ab effectione; ars autem non in actione, ſed in effectione verſatur, vt patuit: & propterea ars ſolum eſt effectrix, non autem theorica, neque practica. Poteſt tamen ea diuiſio defendi, aſſerendo arti competere partem theoricam & partem practicam late ſumptum, & facta comparatione inter partes eius. Quamuis enim vniuerſa medendi ars ſit effectrix: tamen pars eius vna, quæ in cauſſarum, temperamentorum, morborum, & ſimilium cognitione verſatur, comparata cum altera, quæ ad curationẽ deſcẽdit, poteſt dici theorica: altera vero, cum proprie ſit effectrix; late tamen ſumendo actionem, vt confunditur cum effectione, poteſt dici practica. Hoc denotauit Ariſtot. in ſexto moralium Nicomachiorum, capite quarto, inquiens: *Verſatur autem ars omnis circa generationem, καὶ τὸ τεχνάζειν, καὶ θεωρεῖν, quomodo fiat aliquid eorum, quæ eſſe & non eſſe poſſunt.* Dixit (*τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν*) indicans duas illas artis partes: quarum vnam nuncupauit theoricam; alteram non dixit practicam, ſed magis proprie loquens dixit, *τεχνάζειν*. In ſecundo autem metaphyſicæ contex. 3. vſus eſt actionis nomine latius vt extenditur etiam ad effectionem; cum dicat theoricæ finem eſſe veritatem, practicæ vero opus. Ars itaque, dum vocibus vtimur propriis, nec theorica nec practica eſt; ſola philoſophia vniuerſa ſumta recte diuiditur in theoricã & practicam: theorica namque eſt pars veri inſpectrix, practica vero pars ciuilis; nulli alteri habitui hæc diuiſio proprie competit. Plato in ſophiſta inueſtigans ſophiſtæ definitionem longa vtitur artium diuiſione: inquit enim, *artem omnem vel in acquirendo, vel in efficiendo verſari*; mox vnicuique capiti innumera ſubiicit membra, quæ ſuperuacaneum eſſet referre: verum quia non artes numerat inter artes, & numeri artium nullam aſſignat rationem, diuiſionem illam prætereundam exiſtimo. Neque etiam omni ex parte cõmendandam cen-

Ars perperam dicitur theorica.

Ars non eſt practica.

Quomodo ars dici poſſit theorica & practica.

Sola philoſophia recte diuiditur in theoricam & practicam.

Plato.

ſeo diſtinctionem, quã tradit in 10. de repub. dum artes omnes dixit, vel eſſe vtentes, vel facientes, vel imitantes; omnis enim ars aliquid facit, dum proprie loquimur: & quamuis defendi poſſit, tamen ad rem non facit; cum ex ea numerum, numerique rationem colligere non valeamus. Auerroes 9. metaphyſicæ diuiſionem accipit à modo apprehendẽdi eas; inquit enim, *artium nonnullas acquiri conſuetudine, alias ratione, quaſdam ratione ſimul & aſſuetudine*: Verum ex hoc quoque diuiſionis modo, nec numerus, nec conditio, nec ordo artium colligi poteſt. Dico igitur artes, varia conſideratione, vario modo diuidi poſſe: verum quia conditio, numerus, & ordo earum petendus eſt à fine, ideo recte diuiduntur inſpiciendo finem, & varietatem pertinentem ad illum. Finis artium eſt vtile, quod loco medelæ humanæ indigentiæ tribuitur: ideo humana indigentia inſpicienda eſt, ex qua occaſiones inueniendarum artium homines ſumſere. Indigentia competit homini, vel ratione corporis tantum, vel ratione animæ, vt iunctæ cum corpore (dico, vt iunctæ, quia anima ſeiuncta non eget auxilio artis,) vel demum ratione vtriuſque ſimul. Inſuper, hæc indigentia & medela eius, vel refertur ad eſſe, vel ad bene eſſe: ſi refertur ad eſſe, vel refertur ad eſſe pro generatione, vt ars obſtetricia; vel pro conſeruatione, vt agricultura & artes, quæ nutritioni hominis ſunt deſtinatæ; ſi altera ex parte ars eſt inuẽta, vt homo bene ſit, vel id bonum ſolum apparet, non autem re vera eſt bonum, vel eſt re vera bonum: ſi tantum apparet, & pertinet vel ad corpus vel ad animam, prodeunt illæ, quæ potius eluſiones quam artes iudicari debent, vt ars venefica, magia ſuperſtitioſa, deluſio quarundam artium diuinatricium; ars conficiendi fucum, cyncinnos, & ſimilia; & demum artes nonnullæ ludendi, quæ variæ ſunt ob varietatem apparentis indigentiæ, apparentiſve vtilitatis. Si autem ars refertur ad id quod vere bonum eſt, aut pertinet ad animam, & inde prodeunt artes vtiles, vt anima bene ſit: & quia ad animam quatuor præſertim pertinent, facultates ſcilicet, perturbationes, ratio & oratio: ideo dantur artes componentes hæc omnia. Ars conficiendi & perficiendi memoriam pertinet ad facultatẽ. Muſica ad animi perturbationẽ. Grammatica ad orationem. Logica ad rationem, Rhetorica & Poetica ad vtramque, orationem nempe & rationem. Aut altera ex parte indigentia & vtilitas reſpicit bonum corporis, huiuſmodi eſt ſanitas, & robur: inde prodeunt ars medendi, ars Gymnaſtica, & ſimiles. Si denique refertur ad bonum cõpoſiti: vel reſpicit diuturnam eius in hominum memoria conſeruationem, vt ars ſtatuaria & pingendi: vel eius in hac vita commodam cõſeruationem & cuſtodiam, vt mercatura, ars conficiendi indumenta & ſupellectilia, ars ædificandi;

Artium numerus, diſtinctio & ordo ex fine petendus.

Ματαιο τεχνίαι.

Quatuor ad animam pertinentia perficienda arte.

eandi: vel cuſtodiam ſimul & tranquillitatem, vt artes pertinētes ad militiam, quarum pax eſt finis. Hæc ſunt capita potiora, ad quæ dum artes referimus, valemus numerum, earum ordinē & rationem, vtriuſq; colligere. Quæ omnes artes deinde valent alia ratione & via diuidi: quatenus earum nonnullæ ſunt dominæ & principes operis, quæ architectonicæ nuncupantur; aliæ ſunt ὑπηρετικαί, id eſt, famulæ & miniſtræ: quæ diuiſio traditur primo à Platone in lib. de regno. mox ab Ariſt. in 2. phyſ. cont 25. Artes principes ſunt duplices, vel vtentes, vt ars naualis, muſica & militaris: vel non vtentes, ſed ſolum aliis præcipientes, vt ſunt illi, qui Proti artium nuncupantur & Architecti. Ex aduerſo ars famula eſt duplex: vna, quæ materiem vel inſtrumenta efficit alterius artis; quales ſunt artes conficientes inſtrumenta bellica, lateres, & ſimilia; altera, quæ domino præcipienti inſeruit: & huiuſmodi miniſtri; ſi præditi fuerint recta efficiendi ratione, artifices dici poſſunt; ſi ea carent, ſolum ſint dicendi miniſtri artis, non autem artifices, quales ſunt multi miniſtri ædificiorum. Inſuper, adhuc diuidi poteſt ars, quatenus vel naturam æmulatur, vel naturæ opera perficit: qua diuiſione vtitur Ariſt. in 2. phyſ. 79. Præterea enumeratarum artium quædam materiem exornant, opuſque ex integro conficiunt; aliæ inualentiam corrigūt & defectum reſarciunt: qua diuiſione vtitur Themiſtius in 1 de anima, 16. At prætermiſſis cæteris diuiſionibus, eam demum afferamus, quæ à Poſſidonio Stoico, referente Seneca in epiſt. 89. tradebatur: dicebat enim; *artium quatuor eſſe genera. Primum vulgarium & ſordidarum. Alterum ludicrarum. Tertium puerilium. Poſtremum liberalium & ingenuarum.* Verum hæc quatuor capita rectius ad tria redigi poſſe cenſeo, aſſerendo, artium nonnullas eſſe ingenuas, alias ſordidas, quaſdam medias, quales ſunt artes ludicræ & pueriles.

Alia artium diuiſio.

Alia artium diuiſio.

Diuiſio à Poſſidonio tradita.

Quæ ſint artes ingenuæ, ac libero homine dignæ.
CAP. LVI.

CVm varia ſint genera artiū, tenetur ciuilis philoſophus exactè cognoſcere, quæ earum ſint ingenuæ, liberoque homine dignæ; & quæ mercenariæ ac ſordidæ: hæc erant potiora poſtremæ diuiſionis capita. Vt autem appareant ingenuæ artes, finis præſertim earum, & definitio conſideranda eſt. Finis rei ingenuæ honeſtū eſt: ideo artes ingenuæ honeſto conducere, & ab honeſto nulla ratione recedere debēt. Quid autem ſit ars ingenua & liberalis, videtur ſentire Plato in dialogo de philoſophia: *Artem ingenuo homine dignam eſſe illam, quæ mentis ratione, non manuum miniſterio conficitur.* At anguſte nimium ingenuæ artis nomen ita vſurpatur: ideo Ariſtot. in 8. lib de repub. c. 2 inquit,

Artes ingenuæ.

Plato.

Ariſtot.

operum quoddam eſſe neceſſarium, aliud non neceſſarium. Opus non neceſſarium, vel ingenuum, vel ſordidum eſt. Opus ſordidum, & ars doctrinaq; ſordida ea putari debet, quæ liberorum hominum corpus, vel animum, vel intelligentiam, inutiles ad vſus actioneſq; virtutis reddit; corpus in deteriorem habitum inducit, mentem impedit abiectamque facit. Ex quibus philoſophi verbis colligimus, quod vt ars ſordida eſt ea, quæ animum inquinat, illumque a potiore hominis fine auertit: ita ars & diſciplina ingenua ea eſt, quæ fini ingenui hominis eſt accommodata; hominemque ingenuum vel reddit aptum ad vſus actioneſque virtutis, vel redditum decet, ſiue in otio ſiue in negotio vitam traducat. Quod autem ſint huiuſmodi artes, minime conſtat. Vetus eſt opinio, eas numero eſſe ſeptem; Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam & Muſicam; de quibus Martianus Capella, & alii viri docti multa dixerunt: quas etiam Encyclopædias, ſiue in circulo poſitas, & populares diſciplinas nuncuparunt. Quæ ſententia dubia eſt: primo, quia non artes inter artes numerant, Geometria enim & Arithmetica nulla ratione ſunt artes: ſecundo, nonnullas ingenuas artes miſſas faciunt: tertio, quia ſic artis nomen late vſurpant, vt etiã extendatur ad ſcientias, miſſas faciunt ſcientias maxime ingenuas. Propterea rem paucis perſtringens, dicendum cenſeo: vel quærimus diſciplinas omnes ingenuas, vel eas tantum, quę artes dici poſſunt, de quibus modo eſt ſermo. Si diſciplinas omnes ingenuas quærimus, aptiſſime omnes in tres gradus occurrunt diſtribuendæ: nonnullæ enim animum vel corpus iuuenis ingenui parant, aliæ virum ingenuum formant, nonnullæ demum virum iam ingenuitate formatum decent. Parant primo corpus viri ingenui artes Gymnaſticæ, vt Palæſtra, ludus paruæ pilæ à Galeno ſummo opere commendatus, nonnullaque venationum genera; & præſertim, quæ quadrupedum ferarum eſt, quę libera eſt, nõ fraude & dolo parata, quæ curſu & vulneribus perficitur, & demum, quæ corporis fortitudinem, animi vero ingenuitatẽ præ ſefert: de qua Virgilius Platonem ſimul & Ariſtotelem ſecutus eleganter dixit.

Quid ars ingenua?

De numero ingenuarum artium.

Propria ſententia.

Tres gradus ingenuarum artium.

Primus parantium ſeu diſponentiũ.

Venatu inuigilant pueri, ſyluaſq; fatigant.
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.

Secũdum locum aucupio tribuere debemus. Piſcatio (ex Platonis ſentẽtia) nil habet ingenui: contingere tamen poteſt, vt procul à nota ſordidi negotii aliquando ea quoque animum relaxemus; & præſertim in ea vrbe, quæ iuncta eſt mari, à qua abſint commoditates exercendi potiora genera venationum. Huiuſcemodi artibus bonam corporis valetudinem, robur, dexteritatem, agilemq; membrorum flexionem nobis paramus: quibus ingenuę

Digitized by Google

ingenue vti tenemur, pro virtutis, patriç, parentum, amicorumque ſalute; ac etiam, vt corpore id extrinſecus congruẽter polliceamur, ꝙ intrinſecus virtute ſeruare tenemur & exoptamus. Animum vero ingenui iuuenis recte parant diſciplinæ illæ, quæ orationem, vel ratiocinationẽ eius recte componunt, vt Grammatica, & artes illæ, quæ logicæ nuncupantur. Hæ ſunt artes, q̃ animum pro ingenuitate parant. Quibus ſecundo loco illæ ſuccedunt, quç formam ingenuitatis impartiuntur: & hæ illæ ſunt, quæ philoſophiæ nomine honeſtantur; philoſophia nẽpe theorica & practica; ſine quibus nemo re vera ingenuus dici meretur: His congruenter componitur cũ facultas animi inſpectrix, tum appetens. Tertio & poſtremo loco inueniuntur diſciplinæ & artes, quæ virum ingenuitate formatum decent. Huiuſmodi ſunt artes illæ, quæ fructus ſunt inſpectricis philoſophiæ: qualis eſt magia phyſica, ad quam redigitur ars medendi, ars diſtillandi, agricultura: quæ dum conſideratur vt magica phyſica, ingenua eſt; non quidem vt in aranda terra laboremus, ſed vt noſcamus vires naturæ, rectamq; eius rationem, & cognoſcentes, aliis p̃cipere valeamus. Inſuper ars pingendi, ſtatuaſq; efficiendi, ingenuitatis aliquid includunt; non ꝙ in ſtatuis ex marmore cõficiendis laborare debeamus (nimium enim id eſt laborioſum, & corpus reddit minus aptum ad officia virtutum) ſed ſat eſt rectã eius rationẽ, & menſuras cognoſcere. Huiuſmodi artes ingenui aliquid includunt, dum illis vtimur, non lucri gratia: ſed vt partiũ operis congruentes rationes, naturæq;, cuius ſunt imitationes, induſtriam & vires intueamur, ac ita artificioſi operis iudicium tradere valeamus. Similiter etiam vſus muſicæ ingenuo otio, & negotio eſt accommodatus, de qua Homerus cecinit:

Secundus gradus formantium.

Tertius earum, quæ decent.

Ars pingendi eſt ingenua κοινὴν ratione nimirum γνώσεως.

Homerus.

Quam iuuat ad lautam cœnam accerſire Thaliam.

Similiter architectura, ars naualis, artes nonnullæ diuinatrices, vt Aſtrologia, Phyſiognomia, & ſimiles; dum eis non perperam vtimur, ingenuç ſunt. Tres itaq; ſunt gradus ingenuarũ diſciplinarum: quorum medius non artis, ſed philoſophiæ nomine honeſtari meretur: duo alii gradus artis nomine deſignantur, & nuncupantur ingenui, dum eis congruenter vtimur. Multç n. inueniuntur diſciplinæ, quæ ancipitis ſunt conditionis, nam (vt monet Ariſt. in 8. lib. de rep.) plurimũ differt, quouſq;, quando, & cuius gratia eis nauemus operam. Ex his conſtat, ingenuas artes longe eſſe plures quam ſeptem, nec eodem gradu ingenuas eſſe. Nec ẽt tantum eſſe eas quatuor, quas in 8. de rep. refert Ariſtot. inquiens: *Quatuor eſſe communes diſciplinas, quibus olim pueros inſtituere conſueuerunt, literas, palæſtram, muſicam & artem pingendi;* nam præter has dantur & aliæ, vt patuit. Nimium eſſem prolixus, & à ſcopo longe recederem, ſi artes ſingulas ingenuas ac-

Quæ colligenda ex dictis.

ci ate enumerare, eaſq; inuicem comparare vellem. Sit itaquē ſa s cunctas in capita redegiſſe, earum patefeciſſe gradus, regulamque de diſſecernendi ingenuas à non ingenuis. Et prætertim, quia HIERONYMVS CAPELLVS, ILLVSTRIS VINCENTII FILIVS, vir familiæ ſplendore, morum integritate, ſapientiaque ſplendidiſſimus, auditor olim meus, & Dominus colendiſſimus, in ſuis libris de diſciplinis ingenuis rem hanc luculētiſſime præſtitit.

Clariſſimus Hieronymus Capellus.

Quæ valeat ars propria facultate efficere; quomodo recta ratione reſpondeat naturæ, & comparatio inter artes ex Arithmetica, Geometria, & Phyſica, prodeuntes.

CAP. LVII.

VAria, & ea quidem ſatis præclara, humana arte effici poſſunt: eorum tamen quæ arte effici dicuntur, nonnulla viribus artis, alia potiſſimum viribus naturæ perfici putādum eſt. Ars eſt habitus mentis, habitus omnis eſt accidens, nullum accidens propria facultate valet efficere ſubſtantiam: propterea putandum eſt arte nullam ſubſtantiam effici poſſe: nil enim propria facultate valet aliquid efficere, quod ſuperet gradum perfectionis eius. Quod ſi arte Chymica dicuntur nonnulla metalia confici, & per artes quaſdam dicitur effici materies, vt gypſum, calx, lateres, & ſimilia. Reſpondendū eſt, effici aliquid arte, contingere dupliciter, vel vt à principe cauſſa propriaq; virtute, ac ita ſubſtantia non poteſt arte gigni; vel tanquā aministra naturæ, & hoc cōtingere poteſt: ars enim, vt maga (hoc eſt, vt iungēs agentia patientibus, vt hymenæus marem cum fœmina nectēs) dicitur per agriculturam gignere plantas, per artem Chymicam nōnulla ſaltem compoſita metalla efficere, ac ita de ceteris. Ideo dum corpus artificioſum inſpicimus, vt domū, ſtatuam, & ſimilia; iudicandum eſt, nō ſubſtantiam eius arte fuiſſe confectā, ſed figurā, ordinem partiū, earumq; congruentē rationē. Propterea ambigitur ſæpe, an corpus artificioſū ſit diſtinctū à phyſico. Et dicendum eſt, artificioſum corpus non proprie eſſe vnū, &, dum vt vnum conſideratur, non eſſe diſtinctum ſpecie per eſſentiam a corpore phyſico ex quo conſtat, ſed extrinſecus & ex accidenti, & non eſſe diſtinctum ſubſtātia, ſed qualitate & accidentibus, ob quæ artificioſum denominatur; & tanquam artificioſum ex arte pendet. Ars in gignendis rebus congruēte quadam ratione naturæ reſpondet, quod verum eſt in parte, nō abſolute, verum inquam eſt in parte, quatenus, quemadmodum natura eſt proprium principium producēdi opus ſuum, vt ignis producēdi ignem, ita ars ſtatuaria eſt proprium, & primū principium producendi ſtatuam: differunt tamen, quia natura eſt prin-

Ars ſubſtantiam non efficit ſua vi.
Ratio affirmationis canonica.
Obiectio.
Solutio.
Cur ars dicitur maga?
An corpus artificioſum ſit diſtinctū à phyſico, & proprie ac per ſe vnum.
Artis & naturæ analogia eſt in parte.

Digitized by Google

principium internum, quod operatur intrinſecus, natura im rei interna eſt, ars vero eſt principium externum. Inſuper natura eſt vera rei forma in materie exiſtens, alteram ſimilem generans, ars autem non eſt forma materiei ſimilem in materie producens, ſed eſt habitus animæ formam in externa materie gignens: adeo vt artificioſa partim dicantur à ſimili fieri, partim minime; fiunt quidem à ſimili, per facultatem, repræſentationem, & apprehenſionem, non fiunt à ſimili, quia varium eſt eſſe formæ in anima & in materie. Hinc in phyſicis, cum forma generans, tum forma genita natura eſt: in artificioſis autem tantum forma, quæ effectionis eſt principium, & in mente artificis reperitur, dicitur ars, non autem forma genita, niſi minus proprie. Dicuntur artes fluere à ſcientiis filiæ ſcientiarum, & fructus earum: ideo, quæ ſcientiæ quas artes pariant, conſiderandum eſt. Inquit Plato in Philebo; *artes omnes in duplici ordine eſſe poſitas; alias, quæ Muſicam quidem in operibus ſectantur, perſpicacitatis minoris participes, alias architecturæ pediſſequas, aliquanto maioris, &c.* Sic itaque Plato artes omnes aſſerit prodire ex mathematicis. Ratio eſt, quia artes omnes numerum, menſuram, pondus, & proportionem includunt, quæ ad mathematicas pertinent. Ideo artes non puras, ſed cum materie maxime complicatas, ait reſolui in artes puras, quæ ſunt Arithmetica, & Geometria; quæ puræ artes vel modo populari, vel magis exacto in impurioribus continentur: & id omne aſſerit eſſe vile, quod præter has in artibus reperitur. Hæc eſt ſententia Platonis ex qua duæ prodeunt difficultates; Prima eſt quia etiam phyſica videtur proxime procreare artes, & eas quidem præclaras, vt artem medendi, agriculturam, & ſimiles. Altera eſt, quia Plato artes pediſſequas architecturæ, & geometriæ præfert artibus ad muſicam & arithmeticam pertinentibus, artes enim, quæ muſicam ſectantur, minoris perſpicacitatis ait eſſe participes: quod videtur dubium, cum Arithmetica ſit purior, exactior, & prior, quam Geometria. De prima difficultate dico, duo in artibus poſſe conſiderari. Primo id, quod eas præcipue conſtituit, obtinet locum formæ, & commune eſt cunctis potioribus artibus: hoc autem eſt numerus menſura, pondus, & congruens ratio partium, quæ ſunt interni ſpiritus artium; qua conſideratione recte inquit Plato, *artes omnes ex Mathematicis fluere.* Secundo conſiderare valemus principia propria & proxima earum, quæ ſunt tanquam materies numeri, menſuræ, ponderis, & proportionis artium, per quæ recte ex Phyſica prodire dicuntur. Nam (vt ex 4. phyſ. patet) datur menſura menſurans, & menſura menſurata. Prodeunt itaque artes cum ex mathematicis, tum ex phyſica ſcientia; A phyſica artes habent, vt magicæ ſint, a Mathematica, vt numero, & men-

Artificioſa partim à ſimili, partim non à ſimili fieri.

A quibus ſcientiis quæ artes fluant.

Plato.

Qui artes omnes fluant ex Mathematicis.

Duæ difficultates.

Prima.

Secunda.

Solutio prima.

Metaphyſica nullam & omnes parit artes.
Cur Metaphyſica dicitur ſcientia ſcientiarum.

ſura ſunt prǣditæ: ex metaphyſica proxime nulla ars manat, quia in abiunctis, in communibus, & primis principiis verſatur; quia tamen ex ea cæteræ ſcientiæ pendent, ideo eminenter & tanquam primus parens, dicitur parere omnes; & propterea dicitur ſcientia ſcientiarum, ars artium, & domina omnium. De altera difficultate dico, arithmeticam eſſe quidem puriorem, natura priorem, & exactiorem: at nobis contra ſe habere; nobis enim menſuræ geometricæ, cum ſint magis materiatæ, etiam ſunt conſpicuæ magis, & ſenſibus noſtris notiores. Ideo (vt in eodem dialogo inquit Plato) *in ipſa domorum & nauium conſtructione vtitur artifex amuſſi, regula, torno, circino, filo, perpendiculo, & ſimilibus, quæ maxime ſub ſenſum cadunt, & conſpicua nobis ſunt.* Abſolute igitur artes illæ, quæ phyſicæ ſubiiciuntur, præſtantiam ſuam recipiunt, primo à Phyſica, ſecundo ab Arithmetica, tertio à Geometria: at munere menſuræ, numeri, & formæ, ac etiam ex parte noſtri, primo à Geometria, ſecundo ab Arithmetica, vltimo à Phyſica perſpicacitatem & menſuram recipiunt. Sed mirum profecto eſt, ſi ſcientiæ & artes primo obſcuræ & exiguæ ſunt, mox tempore perficiuntur (vt inquit Ariſt. in primo moral. Nicom.) quomodo de plurimis ſecus ſe habere inſpicimus? commendamus priſcos artifices, eoſque tanquam diuino ſemine natos à Deo aliquo duxiſſe genus enuntiamus, Æſculapium medicinæ inuentorem vt Deum veneramur, Dædalum admiramur, priſcos ſculptores cæteris præferimus, Muſicam dicimus ſenſim euanuiſſe; cum tamen ratio debere rem ſecus ſe habere oſtendat. Cui admirationi per duo fundamenta ſatisfacere valemus. Primum eſt, quod re vera priſci artifices non abſolute poſterioribus ſunt præferendi: verum; quia vetuſtas eſt Diis proxima, & ipſi cum obierint extra inuidiæ limites ſunt collocati, nec æmulantium inuidiæ ſunt expoſiti; ac inſuper, quia conſiderantur tanquam inuentores, quæ inuentio eſt difficilis, & facile eſt inuentis addere; ideo eos magis admiramur. Hanc ſolutionem ex Platone colligimus, qui in Hippia dixit, *Dædalum* (ſculptores aiunt) *ſi reuiuiſcens talia fabricaret, qualia quondam, ex quibus ſibi gloriam comparauit, ridiculum fore, veruntamen priſcos homines præferre ſemper recentioribus conſueui, vt & viuentium inuidiam, & defunctorum indignationem vitarem, &c.* Hæc prima eſt ſolutio per inſtantiam. Altera dari poteſt per fiduciariam reprobationem. Nam conceſſo aſſumto, aſſerere poſſumus id ex eo euenire; quia veteres accuratius mathematicis nauarunt operam, ex quibus interna forma, communiſque ſpiritus potiorum artium conſurgit. Inſuper id ipſum ortum ducere valet ex varietate principum, quorum nonnulli vnam, alii alteram artem extollentes, modo hos, modo illos artifices magis fouent. Habent profectò artes

Solutio ſecundæ difficultatis.
Pulcra dubitatio.
Solutio per inſtantiam.
Cur priſci artifices poſterioribus præferantur.
Plato.
Solutio per fiduciarum reprobationem.

Digitized by Google

artes principia exigua obſcura, mox perficiuntur, at progreſſu temporis neglectæ, facile dilabuntur: veluti homo, qui per definitum tempus ad ſtatum deducitur, mox ſenio contabeſcit, tempore enim res potius conſumuntur, quam perficiantur, vt dicitur in 4. phyſicorum.

An ars præſtet naturæ, vel natura arti. CAP. LVIII.

QVemadmodum ars & natura vetuſtiſſima ſunt principia rerum: ita vetuſtiſſima eſt ea lis, & adhuc ſub iudice pendet, an ars naturæ, vel natura arti ſit præferenda: & iure optimo hac de re nobiliſſima & ingenua eſt altercatio, cum ambæ nobiliſſimæ ſint, & prçſtantiam ſuam firmiſſimis rationibus patefaciant. Inſurgunt pro parte artis nonnulli, aſſerentes artem obtinere principatum, & præferri naturæ, idque oſtendunt. Primo rationibus ſumtis ex modo operandi: ars enim vtitur conſultatione, natura minime: ars cum cognitione operatur, natura eſt expers cognitionis, non enim lapis per naturam deſcendens, cognoſcit quo tendat: de ratione artis, vt eſt principium operis, eſt rectum, dicitur enim recta ratio, quod non eſt de ratione naturæ, quæ ſolum dicitur principium motus abſolute. Inſuper quotieſcunq; ars & natura conſpirant ad aliquid efficiendum, ſemper ars obtinet locum ducis, regulæ, & menſuræ, natura vero eſt ea, quæ formatur, ducitur, & dirigitur: vt patet de eo, qui arte ſaltat, canit, orat, & ſimilia facit. Ideo dixit Ariſt. ſub initio primi rhetoricorum: *Dum aliquid fit arte, & natura, longe rectius fit arte, quam natura tantum.* Et Cicero quarto de finibus aſſeruit, *artem eſſe ducem certiorem, quam ſit natura.* Secundo idipſum oſtenditur rationibus ſumtis ex eo, cui ars vel natura competit, id enim, quod præſtantioris eſt proprium, præſtantius eſt: ars competit menti, natura infra mentem collocatur: ars propria eſt hominis, natura in rebus homine vilioribus maxime fulget: in homine opera naturæ, vt nutritio, accretio, & ſimilia, iudicantur vilia, opera mentis, & artis præſtãtiora. Deo, rerum omnium regulæ & menſuræ modus competit operandi conſimilior modo operandi artis quam naturæ: operatur enim Deus cognitione, eminentiſſima ratione, mente, voluntate: nam Deus eſt recta ratio omnium rerum efficiendarum ab ipſo, hoc autem longe ſimilius eſt modo operandi artis quam naturæ: vel (vt rectius loquar) ars, dum operatur, exactius imitatur modum operandi Dei, quam naturæ. Ideo Plato 10. de legibus eos damnat, qui naturam præferebant arti, & cum Democrito, Leucippo, & Empedocle aſſerebant, *mundum corporibus fieri ſua natura motis, cæco concurſu res producentibus, & quadam materiei neceſſitate conſpirantibus:* Et ſuam ſententiam proferens inquit: *Opinio igitur, cura, intelle-*

Pro dignitate artis. *Ratio prima.*

Ratio ſecunda.

Ars eſt æmula ſimia Naturæq; Deiq;.

Digitized by Google

ſtus, ars, & lex, duris ac mollibus, grauibus ac leuibus priora ſunt: Quare ingenita & prima opera, operationesq; ipſæ artis in primis erunt: quæ vero natura conſtant, & natura ipſa, quam non recte ſic appellant; poſteriora ſunt, & artem intellectumq; ſequuntur, &c. Præfert itaque Plato artem naturæ, & mundum aſſerit, non natura, ſed mente & arte factum. Tertio vti valemus rationibus ſumtis ex ordine, & origine rerum, ea enim, quæ origine ſunt poſteriora, nobilitate & præſtantia priora ſunt, nam præcedentibus perfectionem adhibent, vt aſſeritur in 8. phyſicorum: at ars naturam ſequitur, eſt origine poſterior, ideo eſt perfectione prior. Confirmatur per id, in quo verſantur: natura verſatur circa primam materiem, quæ infima eſt omnium; ars vero ſuas vires exercet in corporibus iam abſolutis, in rebus natura conſtantibus: iure igitur ars naturæ præfertur. Quarto idipſum efficacius oſtenditur rationibus ſumtis ex operibus & rebus effectis, res enim effectæ patefaciunt naturam & conditionem efficientis. Quod opera artis ſint potiora, patet: primo; quia inquit Ariſtot. in 2 phyſic. 79. *artem perficere opera naturæ:* at perficiens præſtantius cenſeri debet eo quod perficitur: Inſuper ſub initio quæſtio. mechanicarum ait Philoſophus, *arte nos ſuperare ea, à quibus per naturam vincimur.* Cum igitur arte ſuperemus naturam, iure optimo cenſeri debet eminentior ea: veluti, cum ſimus debiles, arte tamen grauiſſima pondera eleuamus, domamus equos & tauros, vires leonum ſuperamus, & alia plurima efficimus, quibus aperte patefacimus artem ſuperare naturam, & multa, quæ per naturam facere non valemus, arte efficimus. Hoc confirmatur, quia per naturam producitur homo rudis, impotens, ad mala procliuis, omnium imperfectiſſimus, qui mox in gremio artis receptus, formatur, perficitur, redditur potens, & ad vtilia & bona dirigitur. Hoc nobis lucidiſſime patefaciunt homines illi, qui in nuper inuentis inſulis reperti ſunt, qui nutriti ſeorſim ab arte, ſequentes propenſionem naturæ, potius belluæ quam homines viſi ſunt. Ideo recte Ariſtot. in 1 de repub. vna cum Platone dixit, *hominem perperam educatum deteriorem euadere feris.* Cum igitur ars pugnans cum natura eam vincat, vires eius ſibi ſubiiciat, eam exornet ac perficiat, iure optimo ei præferenda videtur. Vt itaque mens præfertur animæ, & anima naturæ; ita ars ad mentem pertinens, competentibus animæ & naturæ præferenda videtur: præſertim, quia naturæ nomen vſque ad infimam materiem deſcendit, eiſque ſolis competit, quæ à materie pendent, & circa eam verſantur; cum ars contra ſupra materiem, & eius formam erigatur.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Ars perficit naturæ opera atq; exornat.

Arte aliquando naturam ſuperamus; ſeu aliquando ars vires naturæ ſibi ſubiicit.

Digitized by Google

Rationes pro præſtantia & dignitate naturæ.

Cap. LIX.

PRæclara valde apparuit ars, & multiplici ratione præſtare naturæ viſa eſt: at ſi mentis aciem accurate in naturam intendimus, longe ſplendidior arte nobis refulgebit; & ex iiſdem fontibus, ex quibus hauriebantur rationes pro præſtantia artis, aduerſæ elicientur longe firmiores pro præſtantia naturæ. Et vt ordiar á primo pertinente ad modum operandi, proculdubio modus operandi naturæ eminentior eſt: Ea namque rem permutat intrinſecus, & eſt principium internum, ars ſolum extrinſecus operatur, & ſolum externam permutat figuram: natura dicitur eſſe ars Dei, & quæ natura fiunt, diuina arte fieri dicuntur, de qua dixit Ariſt. in 1. de cœlo, 31. (*Deus & natura nil faciunt fruſtra*) & in ſecundo de cœlo (*Natura nil facit temere, & vt contingit*) ars autem, de qua loquimur, eſt habitus humanæ mentis, qui, quamuis dicatur recta ratio, tamen ob hominis imbecillitatem, materiæque inconſtantiam, multis erroribus eſt obnoxius. Natura; quamuis proxime non conſultet, non intelligat, non cognoſcat; tamen munere primi principii eam mirabiliter dirigentis, eminentiſſime intelligit & cognoſcit: propterea à Themiſtio in 1. Phyſ. 81. & ab Auer. in 12. Metaph. 18. dicitur: *dirigi ab intelligentia non errante: dirigitur autem, quatenus ipſamet natura eſt forma, quæ pendens ex ipſo bono, inſertam habet rationem boni, & ſui conditione perfectionem & bonum quærit, adeo vt nil niſi illud expetere valeat, & propterea magis rectum eſt de ratione naturæ quam artis.* Inſuper dum ars & natura ad aliquid efficiendum conſpirant, natura obtinet locum principem, eſt enim ſubſtantia; & ars æmulatur naturam, non natura artem, ars dicitur inſtrumentum naturæ, non natura artis: ſubductis viribus naturæ, ars euaneſcit, at ſubductis viribus artis, adhuc natura viget & potens ſeruatur: nil fit per artem, quod primo per naturam vt per principem cauſſam non fiat; ſi enim homo arte ſaltat vel ædificat, primo per naturam mouetur, & natura eſt fundamentum artis, eique facultatem impartitur, ars autem ſolum ſuperaddit figuram, modum & ordinem, qui dicitur forma, ſed externa: ars nonnunquam dicitur ducere & dirigere: at id facit vt inſtrumentum naturæ, natura vero ducit artem, perficiens opera eius, vt princeps & domina. Et veriſſima eſt ſententia Ariſtotelis in primo rhetoricorum, quod, dum aliquid fit arte & natura, rectius fit arte quam natura tantum: nam tunc non comparatur ars ſola cum natura, ſed ars iuncta naturæ cum ſola natura; ac ita rectius fit aliquid per ambarum conſpirationem, quam per naturam ſolam. Et ſi ars à Cicerone dicitur dux certior: Dicendum, quod eſt certior in pauciſſimis hominis actionibus, at non in præſtantiſſimis ope-

Pro præſtantia naturæ. Ratio prima.

Natura nihil agit neque temere neque fruſtra.

Natura ſapientia.

Sententia Ariſt. explicatur.

Sententia Ciceronis.

526

ribus ad mundi conſeruationem pertinentibus: inſuper eſt dux certior, modo quodam inſtrumentario, & iuncta cum natura, vt dictum eſt. Propterea rectius Ariſt. in 6. moral. Nicom. c. 2. dixit, *naturam & virtutem eſſe duces certiores firmioresq; arte.* Sic itaque patuit rationibus ſumtis ex modo operandi, naturam præſtare arti: ideo natura abſolute dicitur cauſſa ſecunda, ars autem ſolum famula naturæ. Idipſum patet inſpiciendo ea de quibus ars vel natura dicitur. Natura non eſt accidens alteri inhærens, ſed eſt eſſentia rei & ſubſtantia; ars eſt habitus alterius, eſt qualitas, & accidens: ſubſtantia autem quouis modo prior eſt accidentib. vt aſſeritur in 7. metaph. cont. 4. Inſuper ſi natura dicitur eſſe alterius, non eſt alterius niſi Dei; nam Deo ſubiicitur, eius implet mandata, eius ſeruat leges. Vt igitur Deus præſtat humanæ menti, ita (quod pertinet ad hanc rationē) natura pręſtabit arti. Quod ſi ars dicitur competere menti, natura autem menti ſubiicitur, hoc nihil refert: quoniā ars pertinet quidem ad mentem, at non eſt mens, ſed qualitas eius; natura autem eſt ipſamet forma, quæ infra mentem collocatur, quæ forma pręſtat accidentibus mentis. At dicebatur, modum operandi Dei reſpondere modo operandi artis, non naturæ: reſpondeo, modum illum longe præſtare modis operandi vtriuſq;, & opera naturæ longe magis quam opera artis debere dici Dei opera, cum natura ſit famula & miniſtra Dei. His accedit; quod, ſi ordinem operationum Dei conſideramus, inſpiciemus in Deo primo inueniri ſui cognitionem, & communicationem ſuæ eſſentiæ cæteris perſonis, quod ei cōpetit per naturā & neceſſario; de ratione enim boni eſt ſui communicatio; ſecundo autem conſiderabimus in eo liberam prædeſtinationem, ac prædefinitionem efficiendorum ab eo: primus modus præſtat ſecundo; primus modus exemplar quoddam eſt modi operandi naturæ, cum quadam neceſſitate, ſecundus, qui liber eſt, magis eſt exemplar modi operandi artis: modus itaque operandi naturæ reſpondet principali modo operandi Dei, & ideo hac quoque ratione eſt præſtantior. Nec Plato in decimo de legibus artem prætulit naturæ (vt perperam nonnulli exiſtimarunt) imo in eo dialogo artem poſtponit; quatenus aſſerit, eam ſolum efficere imagines & vmbras rerum, non res ſerias. Solum Plato (dum verba profert in præced. cap. relata) comparat naturam, hoc eſt, impetum corporum, & neceſſitatem materiei; vt atomorum Democriti, vel quatuor elementorum Empedoclis, quam perperam aſſerit nominari naturam, cum diuina prouidentia & arte, qua cenſet mundum fuiſſe conſtructum. Hanc eminentiſſimam artem Dei præfert Plato infimæ illi conditioni naturæ corporum; non autem comparat artem hominis, de qua eſt ſermo, cum proprie ſumta natura, quæ eſt forma

Altera ratio pro naturæ præſtantia.

rerum

Digitized by Google

rerum natura conſtantium:& eandem ſententiam etiam protulit Ariſtot.in 1.metaph.c.3.dum eos commēdauit, qui mundum ex mente pendere putarunt,non ex cœco concurſu corporum; Hinc Plotinus,quaſi minor Plato,Ennead.4.lib.1.naturam arte digniorem affirmat. At conuertamur ad tertium fontem rationum pertinentem ad ordinem cauſſarum,& idipſum conſpicue inſpiciemus. In vniuerſa cauſſarum ſerie ſemper prior dignitate &origine poſteriori præfertur,vt in 8 phy.aſſeruit & iure profecto,nam cauſſæ ſecundæ & poſteriores pendēt ex primis, & ſine eis non operantur:at Deus dicitur prima cauſſa, Deo ſubiicitur natura,naturæ ars;quæ fiunt natura,fiunt à Deo & natura; quæ fiunt arte,pēdent ex Deo, natura,& arte:quare ratione ordinis huius natura præſtat arti. Et dum dicitur, poſterius origine eſt perfectione prius: reſpondendum eſt, id minime eſſe verum in vniuerſo ordine rerum,ſed è contrario ſe habere;ex præſtantioribus enim pendent viliora. Inſuper id non eſt verū in diſtincto genere rerum,vt dum ſubſtantia cōparatur cum accidente (*ſubſtantia enim & origine & dignitate prior eſt accidente*) Solum ea ſententia eſt vera in ordine formarum & graduum perfectionis in eadē re generabili recipiendorum,dum præcedens parat pro ſubſequente. Inſuper ratione rei, in qua natura & ars verſantur, etiā natura præfertur arti:Deus enim nil pro ſubiecto expoſcit: natura ſolum expoſcit materiem,quæ penitus eſt poteſtate: ars debilior,corporibus per naturam completis eget, quæ corpora cum ſint in attinētibus ad ſubſtantiam vltima perfectione prædita,ſolum per artem accidentia nonnulla recipiunt. Demū ad quartum & poſtremum rationum fontem conuerſi,ſumtum ex conditione operum vtriuſq;, luce clarius eandem veritatem inſpiciemus. Natura efficit ſubſtantiam,ars accidentia tātum: natura generat res ſerias ſolidſaq;,metalla,plantas,iumēta, & hominē;ars,ſolum imagines,& vmbras rerum:natura generat mūdi partes,ſeruat mundum;cunctaque dirigit in Deum, ars vilia quædam efficit,eaq; proxime non in Deum,ſed in hominem dirigit. Et dum aſſeritur,artē perficere opera naturæ: Reſpondendum eſt cū Porphyrio(referente Simplicio in ſecundo phyſ.79.) artem ea perficere non vt cauſſam principē, ſed vt inſtrumentū naturę,non ſecus ac ſeruus dicatur perficere opera domini:imo Ariſtot.eo in loco,vt notauit Porphyrius, argumento a minori ad maius oſtendit naturam operari propter finem, quaſi dicat: ſi ars vilior operatur propter finem: longe magis natura,quæ præſtantior eſt,& exemplar eſt artis, operabitur propter finem. Inſuper ſi ars nōnunquam ſuperat naturam, vires addit naturæ, & vincit ea,à quibus per naturam vincimur; id præſertim facit fundamento naturæ,vtens viribus naturæ: & comparatur tunc

Tertium caput rationū.

Non ſemper poſterius origine eſt prius perfectione.

Quartū caput rationū.

Quomodo ars perficit opera naturæ.

ars & natura ſimul cum ſola natura; & vincit in his, quæ exigui ſunt momenti, in magnis vincitur & ſuperatur, vires autem mēſurari debent per maximum, quod poſſunt. Demum quod ars hominem exornat, & modo aliquo perficit, parum refert; iam enim dictum eſt, *naturam cum arte iunctam præferri ſoli naturæ*: at ea, quæ ars tribuit homini, accidentia ſunt Inſuper id quod efferatos homines reddit ciuiles, non ars eſt, ſed prudentia, & ciuilis inſtitutio. Vt igitur ſubſtantia præfertur accidenti, cauſſa prima ſecundæ, res ſeria eius vmbræ, artifex ſuo inſtrumento, rẹs, quæ ſemper eſt eadem, rei mutabili: ita natura præfertur arti. Propterea recte Galenus ſexto de moribus vulgaribus, com. 5. aſſeruit, *arte qualibet potentiorem eſſe vim naturæ.*

Epilogus rationum.

Galenus.

An ars, aliqua ſaltem conſideratione, præſtet naturæ.

CAP. LX.

CVm apparuerit, naturam abſolute præſtare arti, & ſimul ſolutæ ſint omnes aduerſæ rationes; conſiderandum tamen eſt, an aliqua ſaltē ratione ars poſſit dici præſtare naturę. Et dicendum cenſeo, artem dupliciter conſiderari poſſe: primo ſecūdum vires proprias, & tanquam cōtradiſtinctam à natura, ac ita obſcura & imbecilla penitus eſt: ſecundo, vt naturam includens eiq; aliquid ſuperaddens, & quoniam id, quod addit, perfectionem adhibet, iure hac conſideratione ars præferēda eſt naturæ: hæ namq; duæ cauſſæ ſe viciſſim amplectuntur, mutuoq; perficiūt, ita tamen vt ars includat naturam, at non contra. Natura itaq; ſuis viribus ſuaq; propria conditione præſtat, ars vero nō ſuis tantum, ſed cum alienis iuncta. Natura nonnunquam artificioſa denominatur: quod ei competit primo munere diuinæ artis, quæ refulget in ea, & per eam ſenſibus noſtris offertur: ſecundo per eminentiam & tanquam exemplar, in ea enim refulgent modo quodam eminenti cunctæ perfectiones, quæ mox explicātur in arte. At iam hactenus decurſi ſunt ſinguli habitus, quibus humana mens formoſiſſima redditur; Quorum duo (intelligentia nempe, & ſapientia) ſunt tanquam oculi duo, ſupernam eius faciē perficientes; Alii vero duo (ars ſcilicet & prudentia) ſunt aliud oculorum par, quod inferā mentis faciē exornat: Horum media eſt ſcientia, cum vtriſq; mirabiliter iuncta, ea enim à ſuperis recipit perfectionē, quam mox inferis fœcundiſſime impertitur. Ex quo conſtat, ea eſſe cumulate explicata, quę humanam conditionem perficere valēt. Nitendum itaq; modo eſt, hominē ſupra hominis gradum eleuare, ad ſupera enim, nō ad infera nobis parata eſt via, & cum natura humanum corpus ad cœleſtia direxerit, vitio nobis eſt adſcribendum, ſi ob inertiam ac ſocordiam animum quoq; ad diuina non eleuamus.

Cur natura denominatur artificioſa?

Duo ſuperni humanæ mentis oculi.

Epilogus.

Duo alij ad inferam partem attinentes.

Habitus medius,

FINIS QVINTI GRADVS.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS VI.

De virtute Heroica.

De nomine Herois. CAP. I.

HOme, quaſi cœleſtis auis, in terris collocatus, in cœlumque euolaturus; ob varios gradus, per quos aſcendere tenetur, minus & magis ſublimes, variis quaſi pennis decurrendis gradibus congruenter reſpondentibus muniri debet; vt feliciſſime curſum abſoluere, ſcopumque ſibi propoſitum attingere valeat. Huiuſmodi ſalutares pennæ, nil aliud ſunt, niſi virtutes; quæ quo fuerint eminentiores, eo ad ſublimiora nos eleuant. In virtutum genere ea maxime fulget, eximiamque in animis ingenuis parit admirationem; quæ heroica dicitur, & hominem ſupra hominis conditionem eleuare nata eſt: de qua ego verba facturus, à nomine ordiar. Cenſuit Plato in Cratylo, *Heroes ab* ἔρωτος, hoc eſt, *ab amore fuiſſe nuncupatos:* ab amore autem; vel quia finxere veteres, *eos ortos ex mutuo amore Deorum & hominum*; vel (vt Hierocles exiſtimauit) quia *ſint Dæmones amore flagrantes, qui homines in Deorum amorem rapiant ac irritent.* Poteſt etiam id nomen duci ab εἴρειν, quod eſt dicere (vt in eodem dialogo ſuſpicatus eſt Plato) nam facundi rhetores, argutique ſophiſtæ, iudicati olim fuerunt heroica proles, cæterorumque hominum duces ac principes. Nec defuere, qui à voce ἥρας, hoc eſt Iunone dictos putarint; vt Diuus Auguſtinus in libro decimo de ciuitate Dei, cap 21. Ratio eſt, quia aer Iunoni dicatus eſt, in quo fingitur, heroas cum Dæmonibus habitare. Nonnulli ab ἔρας, hoc eſt, terra, dictos cenſent; quaſi terreni dæmones ſint. Hac de re proculdubio certi reddi non poſſumus, rationi tamen apprime conſentaneum cenſeo, inuentores huius nominis reſpexiſſe ad amorem, flagranſque deſiderium honeſti & diuinæ conditionis; vehemens enim ille amor, eſt ſpiritus hominem eleuans, heroemque for-

Plato.

D. Auguſt.

Digitized by Google

mans: à quocunque tamen nomen deducatur, parum refert, de hoc conſentiunt omnes, herois nomen denotare gradum & conditionem ſupra hominem collocatam. Quod vt latius explicetur, clariuſque pateat, conſiderandum eſt, quod Iamblichus in libro de Myſteriis Ægyptiorum, ſectione ſecunda, nouem ponit numinum ordines: in primo ſtatuit inuiſibiles Deos, in ſecundo Deos viſibiles, in tertio Archangelos, in quarto Angelos, in quinto Dæmones ſiue genios, in ſexto principatus, in ſeptimo principes, in octauo heroas, in nono animas vita functas, craſſo corpore ſolutas. Heroas itaque ſupra hominum animas collocauit, ad præclara & diuina nos inuitantes. Plato in Epinomide, hoc eſt, appendice legum, quinque numerat animalium gradus: animal igneum, hoc eſt, cœleſte, æthereum, aereum, aqueum & terreum, quorum tres medios ſæpe communi nomine Dæmones appellat: ibi tamen aereum & æthereum animal tantum, Dæmonis nomine nuncupat; aqueum vero nuncupat ſemideum, quod cum à nobis conſideratur, admirationem parit: & hoc (ex quorundam ſententia) eſt genus heroum. Cui opinioni ſubſcribendum non cenſeo; quoniam Plato aliam Dæmonum, aliam heroum ponit generationem & conditionem. Heroas oriri affirmat ex amore Deorum erga humanas mulieres, vel virorum erga Deas, vt patet ex Cratylo; Dæmonum autem in Timæo aliam ponit generationem. Propterea cenſerem ego, ex ſententia Platonis, heroas eſſe, non eos, qui ſunt ſui natura Dæmones, & diſtribuuntur in æthereos, aereos, & aqueos, ſed eſſe Dæmones peregrinos, hoc eſt, animas illuſtrium virorum vita functas, ſolutas à craſſo corpore, & ex aureo hominum genere prodeuntes: de quibus loquens in Cratylo inquit: *Scis ne, quos Heſiodus heroas eſſe inquit? Her. Non. Socr. Neque etiam, quod aureum genus hominum ait in principio exſtitiſſe? Her. Hoc quidem noui. Soc. Ait enim ex hoc genere poſt præſentis vitæ fata fieri Dæmones ſanctos, terreſtres, optimos, malorum expulſores, & cuſtodes hominum. Her. Quid tum? nempe arbitror vocare illum aureum genus, non ex auro conſtitutum, ſed bonum atque præclarum: quod inde coniicio, quia genus noſtrum ferreum eſſe dicit, &c.* Hos ego cenſeo Platonem nuncupaſſe heroas, qui etiam dici poſſunt Dæmones aduenæ & peregrini, non autem Dæmones aqueos, qui ſui natura ſint Dæmones. Hi à Iamblicho ſupra humanas animas conſtituuntur; quatenus ſunt animæ eorum hominum, qui ſupra humanam conditionem ſe extulerunt. Hinc à Marſilio Ficino, viro doctiſſimo, recedendum cenſeo: qui explicans ſextam orationem conuiuii Platonis, capite quinto inquit, *Heroas nuncupari tres Dæmonum ordines, qui tres Veneres comitantur, & in tres mundi regiones ſunt diſtri-*

Iamblichus.
Nouem gradus numinum.
Plato.
Quinq; animalium gradus.
Opinio quorundam.
Euerſio.
Opinio propria.
Reiicitur ſententia Marſilii.

diſtributi, ignem, aerem puriorem, aeremq́; craſſiorem, & in homines, qui ſuo temperamento eis proportione reſpondent, amoris aculeos iaculantur. Hoc inquam approbandum non cenſeo: tum, quia Plato heroas vult eſſe dictos, non quia amoris aculeos iaculentur, ſed quia ex amore partim humano partim diuino ſunt orti: tum inſuper, quia heroas ab illis, qui ſui natura ſint Dæmones, manifeſte diſtinguit. Colligamus itaque, ex poetarum commentis, *heroem eſſe Semideum, ex Deo & homine ortum*: Ex opinione Platonis, *eſſe animam hominis illuſtri vita functam, ſolutam à craſſo corpore*; vel hominem flagranti virtutis amore ſupra humanam conditionem eleuatum. *Epilogus.*

Quid ex ſententia Ariſtotelis ſit heros, necnon oppoſitum eius. CAP. II.

VArii apud poetas referuntur, qui effinguntur á Diis duxiſſe genus, & heroes ac ſemidei nuncupantur, vt Pan. Hercules, Romulus, Æneas, & alii: ita quoque Inſulæ à Plutarcho (ex Demetrii ſententia) referuntur, circa Britanniam multæ, à Græcis dictæ Sporades, quæ Geniorum & Heroum eſſe dicuntur. Sed quoniam hæc commenta ſunt Poëtarum, propterea, quid veri (ex ſententia Ariſtotelis) ſub his fabularum inuolucris claudatur, explicandum ac euoluendum occurrit. Heroes ſunt illuſtres homines, qui per eximiam aliquam virtutem, conditionem ſunt adepti ſupra humanam refulgentem, per quam vel præclaram ducunt vitam, vel vita functi per ora hominum celeberrime circumferuntur. Hi dicuntur ſupra hominis conditionem eleuari, quia (vt homini licet) ſe Diis ſimiles præſtiterunt. Dicti ſunt ducere genus à Diis: primo, vt denotetur abſque diuino afflatu non licere homini ad diuina eleuari: inſuper, vt pateat ex ſola eximia diuinorum dilectione, quaſi exſuperanti caritate, flagrantique deſiderio boni & honeſti, præclaras ac generoſas hominum actiones prodire. Indicatur autem huiuſmodi amoris præſtantia per diuinam aliquam naturam in herois procreatione cum humana conſpirantem; illa enim præclara heroum opera vere ortum ducunt ex diuina animæ noſtræ parte in humanis degente, quaſi ex Deo in ſe humanas omnes appetitiones & amores conuertente. Nuncupati autem ſunt heroes filii vel Iouis, vel Apollinis; vel Veneris; quatenus eorum præclara facinora præ ſe tulerunt conditiones & munera vnius, vel alterius ex fictis Diis: nam à Diis variis munera prodire varia finxit antiquitas. Hos cenſeo denotaſſe Ariſtotelem 7. de rep. cap. 12. dum dixit: *Fana quoq́; per agrum eſſe debent, tum Diis, tum etiam heroibus diſtributa, &c.* Generi heroum opponitur id genus efferato-

Cur heroes dicantur ducere genus à Diis.

Digitized by Google

Oppoſitum herois. rum hominum, qui ob conſpicuam eorum depreſſionem ac deprauationem ex homine & fera finguntur orti; quales ſunt homines illi, qui perperam educati, deteriores euadunt feris, vt inquit Ariſtot. in primo de repub. Ac vt heroici viri parentes proximi nil aliud ſunt, niſi mens ad diuina conuerſa, & vis ſentiendi apprehendendique purgata, & cum mente conformata; Ita parentes viri efferati ſunt ſenſus & appetitio, quaſi fera ad ſola terrena propenſa, quæ ſibi rationem & mentem penitus mancipaŕunt: adeo vt accommodate dicere valeamus, heroas, efferatoſque viros generare ſeipſos, cum per internas facultates, tanquam per parentes, formentur ac producantur. Hinc ortum ducunt Minotauri, Lycaones, virique cæteri immanes & efferati, qui ob varietatem deprauationis ex variis feris finguntur orti: de quibus loquens Plato, imitatus Pythagoram dicebat, animas hominum migrare & vagari per corpora ferarum ac iumentorum. Homo enim cum ſit paruus mundus, magnique mundi epilogus, diuinorum & mortalium hymenæus; Protei imagine omnem formam recipere, omnemque vitam viuere valet. Propterea Proclus in libro de anima & Dæmone dixit: *Quidnam admiraris, multos quidem per vitam eſſe lupos, multos porcos, plurimos autem alia quadam bruti ſpecie circumfuſos, cum terrenus locus Circes ſit diuerſorium, animaque multa ob immoderatam concupiſcentiam venenoſis ineſcata ſint poculis? Illud potius admirare, ſi qui inter mortales vſquam reperiantur huiuſmodi potionibus non permulcti, non etiam irretiti.* Conſtat itaque, quid herois, efferatique hominis nomine ſignificetur, & qui ſint veri parentes eorum, veraque fabulæ allegoria. Ex quo conſtat heroem conſenſione omnium ſolam denotare præſtantiam, & eminentem quandam hominis conditionem. Propterea erraſſe cenſeo Plutarchum, virum doctiſſimum, in lib. de placitis philoſophorum 1. cap 8. dicentem: *Thales, Pythagoras, Plato, Stoici, eſſe aiunt genios ſubſtantias anima præditas, heroes quoque eſſe animas à corporibus ſeparatas; bonos, ſi bonæ; malos, ſi malæ: Epicurus nihil horum admittit, &c.* Hanc inquam ſententiam eatenus veram non cenſeo, quatenus heroas malos ex eorum opinione dari affirmat; cuncti enim putarunt heroas omnes bonos: ideo dixerunt oriri ex Deo, nuncuparunt eos ſemideos, ac illis oppoſuerunt efferatos deprauatoſque homines, & præſertim Plato.

Proclus.

Carpitur Plutarchus.

Quæ ſit heroicæ virtutis eminentia. CAP. III.

VT clarior fulgeat heroicæ virtutis forma; & quid ea ſit, ac quo pacto in nobis gignatur, exactius conſtet, altius repetito principio ita dicamus. Quoniam homo, vt corpore, ita animo nudus in lucem venit; & ſolis à natura facultatibus, propenſioni-

Digitized by Google

ſionibuſque ad virtutes vel vitia donatus eſt, propterea in eius manibus ac facultate poſitum eſt, ſe ad libitum formare. In ſe autem formando hic trinus conſideratur graduum ordo: primo enim tanquam principium occurrit continentia & tolerantia, quibus incontinentia & mollities opponuntur. His tanquam medium ſuccedit virtus moralis, cui vitium aduerſatur: ſequitur demum vt finis virtus heroica, cui feritas opponitur ſiue immanitas. Continentia & eius oppoſitum, hominem vel recte vel perperam parant & afficiunt. Virtus moralis & vitium, hominem ciuilem vel formant vel deformant: virtus heroica & feritas, hominem vel eleuant ſupra communem ciuilemque conditionem hominis, vel deprimunt ac depellunt. Incontinentia rectam rationem non ſequitur, vitium rationem deprauat, feritas penitus eam reiicit ac labefactat: incontinentia operatur contra prælectionem, vitium cum deprauata prælectione, feritas per impetum perturbationis omnem conſultationem vel prælectionem excludens. At cum heroica virtus ſit ſplendor quidam & eminentia, quænam ea eminentia ſit, conſiderandum occurrit: propterea dicamus; Virtus eſt habitus animi noſtri, actionum ſibi congruentium principium: & quoniam actio omnis finem quærit, & alicuius boni gratia producitur; iure virtus quoque in finem ordinata eſt, hominemque perficit, vt tendentem ad illum finem. Relata ad finem, duplici ratione eminere ac refulgere dicuntur; primo, quia proximius ad finem ducunt, ſecundo, quia ad finem eminentiorem perducunt, virtus itaque heroica, cum ſit fulgor & eminentia, altero horum modorum præſtare debet. Si loqui volumus cum theologis recte ſentientibus, cum quibus in parte conſentiunt Platonici, facile eſt vtramque eminentiam explicare? cum enim ipſi duplicem nouerint vitam, ac finem poſtremum non in hac, ſed in futura vita collocauerint (finis enim poſtremus vnicus eſſe debet) propterea inſpicientes finem præſentis vitæ, qui vltimus non eſt, eas virtutes, quæ proxime ad illum perducunt, ciuiles & morales appellant: quo fine fruuntur Chriſtiani ciues, dum pie & iuſte ſuam rempub. moderantur & regunt: quæ virtutes, dum firmius, conſtantius, & ſplendidius finem hunc attingunt; facta cum obſcurioribus comparatione, heroicæ dici poſſunt. At dum homines, hoc proximo fine neglecto, ſolum inſpiciunt futurum, & virtutibus formantur, vt altius ad illum ſolum finem perducunt: tunc vera heroica forma, propriaque eius eminentia refulgent. Quod etiam duplici ratione contingere poteſt. Primo facta comparatione inter diſtincta virtutum genera: cum enim ex vna parte inueniantur virtutes theologicæ (fides nempe, ſpes, & caritas) quas ſequuntur pietas, religio, & ſanctitas; ex altera

Principium, medium & finis pro perfectione hominis.

Theologi.

virtutes more acquiſitæ, profecto theologicæ, quia ſine medio nos iungunt cum Deo, comparatę cum moralibus, heroicę nũcupari merentur. Secundo conſiderari poteſt eminentia heroica ſine diſtinctione generum virtutis, ſed tantum conſiderando virtutes in more poſitas, nam illæ quoque à caritate ſpiritum & formam recipiunt, & ſine ea conſiſtere nequeunt: propterea per eminentiorem caritatem illæ quoq; redduntur eminentiores, & neglecto fine humano & morali ad finẽ poſtremum nos ducere ac eleuare valent, ſeruantes medium, quod poſtremo fini maxime ſit accommodatum. Hac ratione virginitas eſt heroica temperantia, moralium negligentia eſt heroica magnanimitas. Sic igitur, tum morales virtutes refulgentes in humanorum adminiſtratione, tum eædem, dum, neglectis humanis, ad ſola diuina conſpirant, tum demum virtutes theologicæ cum ceteris comparatę, iudicari poſſunt heroicę. Ita viri Martyres, & qui ceteris neglectis ſequuti ſunt Chriſtũ, re vera fuerũt heroes, re dico, non nomine: quia herois nomen inanem quandam Gentilium gloriã prę ſe ferre videtur, quã ſpreuerunt viri ſancti. Propterea D. Auguſtinus 10. de ciu. Dei inquit: *Martyres noſtri heroes nuncupantur, ſi vſus Eccleſiaſtici ſermonis id permitteret.* Hæc cum vera ſint, diſtinctius tamẽ conditiones virtutum explicaremus, ſi ſupra morales virtutes collocaremus heroicas, q̃ eſſent ſplendores moralium: & ſupra heroicas diuinas, ſpem ſcilicet, fidem, & caritatem, cum his quæ eas ſequuntur, pietate, religione, & ſanctitate: tamen quia hoc minus notũ eſt philoſophis, & ego, præſuppoſitis decretis theologorum, præſertim Ariſtotelem ſequor, ideo diſtinctum diuinarum virtutum gradum pręter mittens, in heroico terminum eleuationis conſtituo. Cum noſtris theologis eatenus conſentiunt Platonici, quatenus ipſi quoque futuram vitam eminentioremq; gloriam (ſaltem ſub nube) inſpexerunt, & vtramq; virtutis eminentiã cognoſcere valuerunt: quæ duæ eminentiæ rationes in vnam veniunt; quatenus pertinentia ad ſummum bonum huius vitę, eatenus ſunt magnifacienda, quatenus conducunt fini futurę vitę. At ex ſententia Ariſt. ſecus ſe habet, ipſe enim ſolã præſentem vitam cognoſcens, cæcus circa futurã, in hac ſola homini ſummum bonum conuenire poſſe exiſtimauit, & tantum per relationem ad illud, cenſuit poſſe refulgere ſplendorem & eminentiam heroicæ virtutis. Verum quia ſummum hoc hominis bonum in duos gradus eſt diſtributum, in gradum actionis, & gradum cõtemplationis, ideo ratione huius duplicis finis, etiam dupliciter ex ſententia Ariſt. ſeruari & refulgere poteſt heroica eminẽtia moralium virtutũ. Primo enim inſpiciendo ſummum ciuile bonum: quicunque in rep. recte gubernãda ſummopere fulgent, & ſupra hominis conditionem

Martyres heroes κατὰ τὸ εἶναι non κατὰ τὸ λέγεσθαι.

D. Auguſt.

Opinio Ariſtotelis.

ditionem morum integritate iuſtitiaq; ſunt ornati, vel in remp. illuſtre aliquod beneficium contulerunt: horum virtus, quia ſplendidius, proximius, & exactius finē ciuilem attingit, comparata cum virtute ceterorum ciuium minus fulgentium, heroica nuncupabitur. Altero modo rectius ſeruatur eminētia heroica, dum conſiderantur virtutes morales, vt conducunt ad ſummū bonum in contēplatione poſitum, ꝙ præfertur bono ciuili: nā temperantia, manſuetudo, magnanimaq; humanorum negligentia, in viro contemplationi addicto eminentiorem moderationem expoſcunt, ſplendidiuſq; fulgent, quam in viro ciuili, ac ita comparatæ cum aliis vitæ ciuili congruentibus, heroicæ dici merentur. Adeo vt demum colligere valeamus, virtutes naturales ex temperamento, & corpore prodire, humanas ex conſenſione ſenſuum, & mentis recte ducentis, heroicas præſertim ex mente ſenſum & humilia negligente, magnifacienteq; diuina. *Epilogus.*

Quarum virtutum heroica virtus ſit ſplendor ſeu ἐνάργεια.

CAP. IV.

SAtis cumulate ex dictis conſtare cenſeo, heroem præ ſe ferre ſplēdorem quendam & eminentiam virtutis, at, cuius virtutis ſit ſplēdor, adhuc non cōſtat: qua de re verba faciens, dico. Si proprie loqui volumus, heroica virtus eſt ſplendor moralium virtutum, & earum præſertim, in quibus refulgere eſt difficilius, magis ſupra hominis vires collocatum, magiſque diuinam quandam facultatem expoſcit. Quod aperte conſtare poteſt ex eius contrario, nempe ex feritate; feritas enim proculdubio ad mores pertinet. Idipſum ratione cōfirmatur: nam heroes ex humana & diuina natura ſiue cōditione dicuntur orti, tales autem ſunt illuſtres mores, qui ex recta ratione diuinitatem prę ſe ferente, humanaq; appetitione ei obtemperante, ortū ducunt: propterea quicunque dicti ſunt heroes, vel eminenti fortitudine, vel magnanimitate, vel tēperantia refulſerunt. Ita apud Homerum ſtrenui militum Duces, Agamemnon, Achilles, Hector, Æneas, & ſimiles, herois nomine celebrantur: pariter Hercules, qui Iouis & Alcmenæ fingitur filius, & inter heroas ſummopere fulget, fortitudine pręſertim ceteris præſtitit. Romulus fingitur filius Martis, quia forti bellicoſoq; Romanorū generi principium dedit. Hinc finxit antiquitas heroas, cum viuentes, tum vita functos, ſemper verſari inter homines, non alia ratione, niſi quia moralibus & ciuilibus virtutibus refulſerunt, ob quas per ora hominum ſplendide circumferuntur. Iure igitur dictum eſt heroicam eminentiam ad morales virtutes pertinere. Euenit tamen, vt ſecundo loco & minus proprie illi quoque, qui in aliqua arte refulſerunt, & in genus humanum inſigne aliquod

Heroica virtus eſt ſplendor moraliū.

Hercules.

Romulus.

Heroica virtus proprie ad morales pertinet.

Extenditur ad præclaros artifices, Vi- [illegible] me- [illegible] præ- [illegible] nu- com [illegible]. Cur inuentores diſciplinarum dicantur Dij.

beneficium cõtulerunt, heroum nomine honeſtati fuerint: veluti Æſculapius, qui Apollinis fingitur filius, quia excelluit in arte medẽdi; Orpheus eiuſdem fingitur filius, ob muſicam: nam illuſtres quoque artes inter diuinum & mortale mediare dicũtur; oriuntur enim ex diuinitate ingenii, & in re mortali verſantur, & hoc præſertim arti medendi competit, ob eius præſtantiam, vtilitatem, ac neceſſitatẽ. Et conſiderandum, quod inuentores cum artium tum ſcientiarum, Dii potius quam heroes finguntur, quatenus inuentio ex ſola diuina animæ parte prodit. Hinc auctor medicinæ dicitur Apollo; & Minerua (quæ fertur Dea ſapientiæ) ex ſolo Iouis capite, ſine matre orta fingitur. At excellere in diſciplina & vſu artis, quia vſus in re mortali verſatur, potius heroicum eſt quam abſolute diuinum: propterea Æſculapio tribuitur. Viri autem ſapientes, qui ſcientia & contemplatione refulſerunt, non heroes, ſed diuini potius dicti ſunt. *Sapientis enim nomen eſt altiſſimum* (dixit Plato) *& ſoli Deo conuenit*; nec verſatur ſapientia in re mortali, ſed in permanente & diuina; & homo per ſapientiam ſcit omnia, & redditur imago Dei: adeo vt conditio ſapientis præſtet conditioni & gradui heroum. Nec dicuntur in aere habitare ſapientes (vt de heroum genere dixit Plato) neq; in Britaniæ inſulis (vt retulit Plutarchus) ſed dicuntur eleuari ſupra cœlum (vt in Phædro idem Plato affirmauit) Propterea minus recte (vt cenſeo) acutiſſimus Buridanus & alii, etiam in contemplatione reperiri putarunt heroicã virtutem, & dixerunt ſapientiam eſſe heroicam contemplationem. Id autem eſſe falſum ex dictis patet: nam ſi nonnunquam hominis alicuius ſapientia, vt Platonis vel Ariſtotelis, heroica dicitur; non proprie, ſed ſimilitudine tantum ita nuncupatur: neque id fit per comparationem cum ſcientia, ſed per comparationem cum ſapientia alterius; quatenus ſapientia eorum, communi hominum ſapientiæ præſtat, & ad diuinorum illam accedere videtur.

Errare eos, qui ſapientiam dicunt heroicã contemplationem.

In qua virtute heroicus ſplendor maxime fulgeat.

Cur carmina quædam dicantur heroica.

Fulgor heroicus ex uniuerſa iuſtitia.

Cum itaque heroica virtus ſit ſplendor ciuilium & moralium virtutum; non iniuria carmina illa, quibus præclara facinora illuſtriũ virorum celebrari conſueuerunt, heroica nũcupabantur. Et quoniam in omni morali virtute eminẽtia & fulgor locum habere poteſt, propterea in omni virtute morali heroica dignitas valet refulgere; præſertim tamen in virtute vniuerſa, quæ eadem eſt cum vniuerſa iuſtitia: idq; ei congruit potius, vt eſt vniuerſa iuſtitia, quã vt eſt vniuerſa virtus; cũ ea conſideratio huic præferatur, vt ſuo loco patuit. Ita Rhadamantus rex Lyciæ, quia hac eminenti iuſticia refulſit, heros, ac Iouis ex Europa filius fingitur, Minos quoq; rex Cretæ, qui primus Crctenſib. leges dedit, ob eandẽ illuſtrem iuſtitiã inter heroes celebratur. Similiter varij Italię principes, qui ſibi creditos populos eximia

Digitized by Google

eximia caritate & iuſtitia regunt, ſe meritiſſimos heroas patefaciunt. Inter quos ſublimem ac ſplendidiſſimum FRANCISCVM MARIAM Ducem Vrbini, omni ex parte meritiſſimum, tanquã ſalutare ſuorum populorum ſidus, fulgere eminenter video, qui variis ſuorum maiorum heroicis radiis, ex religione, ex militari gloria, ex ſublimiq; iuſtitia micantibus, alios ſuperaddens, in penetralibus Lycei & Academiæ accurate verſatur: vt iuſtitiam ſua ſapientia coniungens, eminentiorem, conſtantioremque illam reddat, ſimulq; heroico exemplo ſuo, ſapientiam illam Platonis illuſtret, tunc populos fore felices, cum principes philoſophiam colent. Mox vero (facta comparatione inter ceteras virtutes) in magnanimitate, qua humilibus neglectis honoribus, ſolum ſublimes & ſerios quærimus; necnon in fortitudine, quæ in re apprime ardua verſatur, ſplendidiſſime fulget: propterea viri ſupra humanam gloriam elati, viri ſtrenui & fortes, viri, qui nullis fortunę impulſibus ſuccubuerunt, inter heroes ab Homero, aliiſq; viris ſapientibus ſunt celebrati. His tamen omnibus illi ſunt præferendi, qui victo mundo, neglectiſq; mortalibus, ſola diuina quærunt & magnifaciunt.

Dux Vrbini.

Ex magnanimitate.

Ex fortitudine.

Ex ſanctitate.

Quomodo virtus heroica ſe habeat ad morales, quarum eſt eminentia. CAP. V.

VIrtutem heroicam proprie ad morales pertinere, earumque eſſe culmen, apicem, ſplendorem, ac ſupremam perfectionem, ex dictis ſatis aperte cõſtare cenſeo: verum, quomodo exſuperantia hæc ad morales virtutes ſe habeat, adhuc minime patet. Dubium enim primo eſt, num forte magnanimitas & magnificentia cenſeri debeant virtutes heroicæ, cum hæ quoq; ſint eminẽtiæ liberalitatis, & mediocris honoris moderatæ appetitiones. Inſuper dubium eſt, num virtus heroica ſit ſpecie diſtincta à morali, vel ſolum gradu per maiorem & minorẽ perfectionem abſq; diſtinctione formæ. De prima difficultate dicendum cenſeo, magnificẽtiam & magnanimitatem minime eſſe virtutes abſolute heroicas. Ratio eſt, quoniam hæ ſunt virtutes morales, quę & pręditæ & deſtitutæ heroico ſplẽdore inueniri poſſunt: non enim omnis magnificentia, omniſque magnanimitas heroica eſt, ſed ea tantum, quæ vel maxime fulget, vel ad finem eminentiorem eleuat. Facta tamen comparatione inter magnificentiam ac liberalitatem, ſimilitudine tantum & proportione dicere valemus, magnificentiam eſſe heroicam liberalitatem, & magnanimitatem eſſe heroicam in appetendo honore moderationem. Altera difficultas (num ſcilicet virtus heroica ſpecie diſtinguatur à morali) obſcurior eſt. Diuus Thomas in prima parte ſecundę, quęſtio 54. art. 3. eam eſſe ſpecie diſtinctam affirmat.

Prima dubitatio.

Altera dubitatio.

Solutio prima.

Magnanimitas nõ eſt virtus heroica.

Solutio ſecunda difficultatis.

Opinio D. Thomæ.

Digitized by Google

Ratio eius. Ratio eius eſt, quoniam illæ virtutes dirigũt ad actiones diſtinctarum naturarum; virtus enim ciuilis & humana diſponit nos ad actiones humanæ naturæ, heroica vero ad actiones congruentes gradui, & naturæ eminentiori. Cum itaq; virtutes diſtinguantur fine, & fines ſint diſtincti, putandum eſt etiam virtutes
Confirmatio eſſe diſtinctas. Confirmari poteſt eadem ſententia per magnificentiam & liberalitatem: quæ quamuis in eadem materie verſentur, & ſolum differant magnitudine & paruitate; tamen ab Ariſtotele pro diſtinctis virtutibus numerantur, vt etiã magna-
Alia ratio. nimitas & moderata honoris appetitio. Propterea id ipſum ſatis aperte colligi poſſe videtur ex oppoſitis earum: vitium enim, quod opponitur morali virtuti, eſt ſpecie diſtinctum à feritate, quæ heroicæ aduerſatur, & id patet: nam vt fera ſe habet ad hominem, ita feritas ad vitium; fera & homo diſtinguuntur ſpecie: & confirmatur, quia in feritate exploditur ratio, in vitio peruertitur, vt in ſeptimo moralium Nicomachiorum aſſeritur: & ſub initio eiuſdem libri inquit philoſophus, *tria eſſe genera eorum, quæ fugienda ſunt, ac feritatem eſſe diſtinctum genus à vitio affirmat.*
Opinio aduerſa. Hinc in diſtinctis libris de morali virtute, & de heroica verba facit. Ex aduerſo nonnulli cenſent, huiuſmodi virtutes ſolum per minus & magis perfectum diſtingui, nõ autem forma: quo-
Confirmatio prima. rum ſentẽtia confirmari poteſt. Primo, quia frequenter euenit, (vt dixi) vt finis vtriuſque virtutis idem ſit, vt dum ambæ referuntur ad ſummum bonum ciuile, & tunc ſolum differunt, quia virtus heroica exactius, firmius & ſplendidius finem attingit.
Altera. Præterea eadem definitio videtur vtriuſque competere; vtraque enim eſt habitus cum prælectione iunctus, in ea moderatione ſubiectæ ſibi perturbationis poſitus, quę ſuo vitę generi, ſuoque fini eſt accommodata. Et quamuis genus vitæ & finis nonnunquam diſtinguantur, non propterea eſt neceſſe, vt diſtinguatur forma virtutis, ſed ſeruari poteſt etiam, vt patet de temperantia viri cõtemplationi dicati, & viri ciuilis, quæ quamuis ob diſtinctos fines diſtinctam expoſcant moderationem, non propterea diſtinguuntur ſpecie; ambæ enim ſeruant medium Geometricum, ſuo generi vitæ accommodatum. Conſtat itaque in virtute heroica nõ variari eſſentiam virtutis ciuilis, quæ eſt Geometri-
Cõfirmatio. cum medium; ſed tantum variari terminos rationis, ex quibus
Reſolutio. congruens analogia deſumitur. Quod confirmatur exemplo.
Primum, quod accipitur. Nam viri, qui dicti ſunt heroes, non alia fortitudinis, magnanimitatis, iuſtitię ve forma refulſerunt, ab ea, quæ inter ciuiles numeratur. Res itaque dubia & perplexa eſt. Pro cuius reſolutione
Duo modi diſtinctorum ſpecie. accipio primo cum Ariſtotele 10 metaphyſicę, 25. diſtingui ſpecie dupliciter contingere, vel per interna principia ad eſſentiam pertinentia, vt leo ab equo, vel per externa, ac per accidentia ad mate-

materię ſpectantia, vt Æthiops à Scytha, mas à fœmina. Accipio ſecundo, virtutem heroicam dupliciter vſurpari, vel pro virtute diuina diuinitus infuſa, vt nonnunquam apud Theologos vſurpatur, vel pro ſplendore humanarum virtutum. His præaſſumtis tres profero aſſertiones. Prima eſt, ſi nomine heroicæ virtutis intelligimus virtutes diuinas & infuſas, vtique ea eſt diſtincta ſpecie ab humanis; nam definitio, modus acquirẽdi, & finis proximus, ſpecie diſtinguuntur, & hoc eſt ſatis conſpicuum. Altera eſt, ſi virtus heroica ſumitur pro ſplẽdore humanarũ virtutum, ꝓculdubio ſemper diſtinguuntur ſpecie per externa & accidentia; diſtinctę enim ſunt cõditiones, affectiones & accidentia earum, dum conſiderantur cum reduplicatione: (vt heroicæ nempe, & vt ciuiles.) Tertia aſſertio, ſi virtus moralis & heroica diriguntur ad eundem finem, vel ad diſtinctos ſed ſubordinatos, vt ſummũ bonum ciuile notum philoſophis ſe habet ad ſummum bonũ in contẽplatione collocatum; hac quoque cõſideratione non diſtinguuntur ſpecie intrinſecus & per eſſentiã, ſed tantum per illuſtrius & minus illuſtre; quatenus diſtantius vel ꝓximius, clarius vel obſcurius, vltimo fini ſibi propoſito conducunt: nam ſubordinati fines obtinẽt rationem vnius, cum in vnum poſtremum dirigantur. At ſi fines penitus fuerint diſtincti, & vnus nõ dirigatur in alterum, vt ſummum bonum excogitatum in hac vita ab Ariſtotele ſe habet ad ſummum bonum futuræ vitæ notum Theologis; ita proculdubio iudicari debent virtutes ſpecie diſtinctæ. Imo vt virtus ciuilis formata à Peripatetico, eſt diſtincta ſpecie (vt dixi) ab heroica Theologorum; ita virtus heroica vnius à virtute Heroica alterius, & ciuilis à ciuili. Quod patet, quia vnus munere ſupernę reuelationis recte ſentit de vltimo fine, alter perperam, & qui recte ſentit, recte in ſe virtutem format, quod alter efficere non valet; propterea in ſe vmbram tantũ, & tenuem imaginem format, vera eſſentia deſtitutam; nam eſſentia virtutis in recta eius conformatione cum fine vltimo & optimo poſita eſt. Nomen autem virtutis de vera forma eius & de imagine, non vniuoce, ſed æquiuoce dicitur; cum vna tantũ re vera & abſolute ſit proprie ſumta virtus. Propterea nõ eſt ꝓputandum veram virtutẽ ita eſſe variam, vt diſtincta ſit ſpecies virtutum ad mores attinẽtium, Gentilium, ab ea quæ eſt Hebræorum, ac illa Hebræorũ ab ea quæ eſt Chriſtianorum, ſed vna eſt vera virtus, recteque formata, ceteræ cenſeri debent vmbræ & imagines. Ex his patet ſolutio difficultatis. Patet inſuper, quomodo ſit ſatisfaciendum rationibus vtriuſque partis. Dum oſtendebatur virtutem heroicam non diſtingui ſpecie à morali; id verum eſt, cum de ordinatis ad eundem finem, tum de ordinatis ad fines diſtinctos, at ſubordinatos; veluti apud theologos

Alterum. *Heroica virtus dupliciter accipitur.* *Prima aſſertio.* *Secunda.* *Tertia.* *Vna eſt vera virtus.* *Diluuntur rationes contra diſtinctionem.*

Digitized by Google

nil debemus iudicare conſentaneum Chriſtiano ciui, Chriſtianæque reipublicæ, quod non ſit cõſentaneum vltimo fini futuræ vitæ hominis. At minime id verum eſt de relatis ad fines varios non ſubordinatos. Rationes etiam pro parte Diui Thomæ diluuntur; nam ſolum cogunt nos fateri, virtutes relatas ad variũ vitæ genus diſtingui ſpecie diſtinctione in accidentibus poſita, non autem per eſſentiam. Dicebatur primo, debere diſtingui ſpecie, quia congruunt gradui, naturæ & conditioni diſtinctæ. Reſpondeo; ſunt diſtinctæ conditiones, & gradus, at ſubordinati: & propterea ſemper recta conſtitutio petenda eſt à poſtremo fine, ſublimioreque gradu, in quem cominus vel eminus omnes virtutes conſpirant. His accedit, quod ea finium & conditionũ hominis diſtinctio, externa eſt virtuti, nec mutat eſſentiam eius, dum illi fines ſibi conſentiunt: nam ſemper ſeruatur verum medium Geometricum, tempori & conditioni conueniens, ad vltimum finem perducens. De inſtantia ſumta ex magnificentia & liberalitate, dico; eas diſtingui ſpecie, diſtinctione ſumta non ab eſſentia, ſed ab accidentibus, vt dixi ſe habere de Heroica, & morali Peripateticorum. Quod patet, quia omnis magnificus dicitur liberalis, vt affirmat Ariſtoteles. Verum, quia ciuilia ſunt ſatis popularia, nec ſemper exactum & exquiſitum in eis ſeruare licet (vt nos monuit Ariſtoteles in proœmio moralium Nicomachiorum) ꝓpterea pro diſtinctis virtutibus numerãtur, vt etiam virtus heroica explicatur ſeorſim, & tanquam diſtincta à ciuili. Rationi tertiæ ſumptæ ex feritate & vitio, quæ eis opponuntur & diſtinguuntur ſpecie: Reſpondeo, cum Ariſtotele in primo moralium Nicomachiorum aſſerente, maiorem diſtinctionem conuenire vitio quam virtuti; nam vitium infinitum, virtus finita eſt: & in quarto topicorum tradens locum ſeptimum inquit, *non omni ſpeciei ægritudinis competere contrarium diſtinctum*, in ſecundo etiam topicorum tradens locum 22. inquit, *eidem plura poſſe eſſe contraria.* Quamuis igitur feritas rationem excludat, vitium non excludat, ſed peruertat: tamen quia hoc habent commune, quod deſtruunt rationem rectam, vtrique incommodo eadem ſpecie rectæ rationis ſuccurrimus. Et ea regula (*quot modis dicitur vnum oppoſitorum, totidem dicitur & alterum*) vera eſt, non ſemper de abſoluta rei diſtinctione ex eſſentia ſumta, ſed ſaltem de diſtinctione rationis: vt enim eadem ſanitas diſtinctis rationibus opponitur dictis ægritudinibus, ita eadem virtus variis vitiis, ac ita quoque vni vnum erit contrarium, vt dicitur in primo libro de cœlo.

Diluuntur rationes pro diſtinctione.

Regul. topic.

Quomodo ſit verum, tot modis dici vnum oppoſitorũ, quot alterum.

In

In qua animæ facultate collocata ſit virtus heroica.

CAP. VI.

VIrtutum heroicam exiſtimarunt nonnulli ad intelligendi facultatem, ſiue ad mentem pertinere; cum enim eminentiſſima ſit, debet eminenti facultati competere: & præſertim, quia per fidem, ſpem & charitatem conſtituitur, vel (vt alii dicunt) ad ſanctitatem redigitur; quæ virtutes ad mentem, & eius facultates, pertinere dicuntur. Hãc opinionem minime veram cenſeo; quia virtus heroica (vt patuit) non eſt vere diſtincta ſpecie à virtute morali, ſed tantum per magis & minus, illuſtrius & minus illuſtre; ad eandem autem facultatem pertinet humana perturbationum moderatio, & eius ſplendor. Cum itaque morales virtutes pertineant ad appetitum ſentientis facultatis, & virtus heroica ſit earum ſplendor, eſt neceſſe, vt ad eundem appetitum pertineat. Idipſum confirmatur conſiderando feritatem, quæ heroicæ virtuti opponitur: nam feritas proculdubio ad appetitum ſentiendi pertinet, cum rationem excludat; contraria autem in eodem fieri nata ſunt. Aſſero tamen, cum ratio & voluntas, tanquam duces, omnibus moralibus virtutib. conducãt; quod præſertim fulgent, vireſque ſuas oſtendunt in formanda ac perficienda virtute heroica, ob præſtantiam & eminentiam eius. Inſuper dico, hoc eſſe verum, dum Heroicas virtutes conſideramus, vt conſentaneas fundamentis & principiis Ariſtotelis: nam ſi nomine Heroicæ virtutis intelligeremus virtutes theologicas infuſas, hæ proculdubio magis ad facultates mentis pertinent, in eiſque refulgent; quamuis appetitum quoque ſenſuum recte componãt. Loquens itaque de heroica Peripateticorum virtute, dico eam ad appetitum ſentiendi pertinere: nec obſunt aduerſæ rationes. Nam ratio ſumta ex præſtantia ſolum indicat eam maxime pendere ex ratione & voluntate, & ab ea præſertim vires & ſpiritum recipere: & iam dictum eſt, abſolutam ſapientiam ad mentem pertinentem, ſupra heroicam virtutem eleuari. Soluitur quoque altera ratio, quia quamuis virtus heroica à fide, ſpe & charitate vires & ſpiritũ recipiat; tamen ab eis diſtinguitur: & ideo non eſt neceſſe, vt in eadem facultate reperiantur. At cum interpretum Ariſtotelis multi conſentiant, virtutem heroicam ad appetitum ſenſuum pertinere, aſſerunt tamen omnes eam ſolum competere appetitui iraſcẽdi, quia ad eum ſolum pertinet ratio ardui, in quo fulget heroicus ſplendor, quam ſententiam minime veram cenſeo. Primo, quia nõ facile & difficile ſunt formæ cõſtituentes, diſtincta obiecta facultatum, vt latiſſime ſuo loco patefeci; facile enim & difficile in eadem facultate conſiderantur. Præterea, Heroica

Opinio prima.

Euerſio.

Opinio propria.

Diluuntur aduerſa rationes.

Reiicitur communis opinio.

Digitized by Google

eminentia in omni virtute reperiri & ſeruari poteſt, quare etiam in virtutibus cupiditatis locum habet. Aſſero tamen præſertim in appetitu iraſcendi refulgere: quia eius obiectum eſt honor, gloria & victoria: ac inſuper, ad eundem pertinent fortitudo & magnanimitas, in quibus heroica eminentia maxime fulget.

An virtus heroica ſit euulſio perturbationum.
Cap. VII.

Euſtratii ſententia.

QVoniam patefecimus, heroicam virtutem pertinere ad appetitum ſenſuum, & non ad alterum tãtum, ſed ad vtrumque; propterea iure quærendum eſt, quomodo ad appetitũ pertineat: num ita, vt euellat penitus perturbationes eius, vel potius vt eas modo quodam heroico moderetur. Cenſuit Euſtratius, quem alii nonnulli ſunt ſequuti, virtutem heroicam eſſe abſolutam euulſionem perturbationum. Ratio eſt, quia vt homo ſupra hominis conditiones eleuetur, neceſſe eſt vt cunctas humanas effectiones exuat; alioquin ſemper cum mortalibus erit cõplicatus, & nunquam humanis neglectis ſola diuina magnifaciet. Hãc opinionem nec Peripateticam; nec veram exiſtimo. Nõ Peripateticam, quia Ariſtoteles integram perturbationum euulſionem nobis non virtuti, ſed vitio adſcribit: cum autẽ morales virtutes ſint moderationes, non euulſiones perturbationum: & virtus heroica ad eas pertineat, ea quoque non euulſio, ſed moderatio erit; moderatio tamen eminentiſſima, vel ob eminentiorem conditionem virtutis, vel ob præſtantiam finis eius, vel ſaltem erit moderatio vehemẽtioris perturbationis feritatem conſtituentis. Eadem quoque ſententia theologis aduerſatur, quoniam theologi minime commendant omnẽ perturbationum euulſionem. Nam D. Auguſtin. 14. de ciuitate Dei, c. 9. ſcriptum reliquit: *Apud nos autem* (iuxta ſcripturas ſacras, ſanamque doctrinam) *ciues ſanctæ ciuitatis, in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viuentes, metuunt, cupiunt, dolent, gaudent, & quia rectus eſt amor eorum, has omnes affectiones rectas habent, &c.* Non itaque euellendas cenſent Theologi omnes humanas perturbationes; nam ſi putarent eas toto genere eſſe prauas, nõ eas per metaphoram tribuerent Deo. Commendant tamen Theologi, & cum eis Platonici, euulſiones earum perturbationũ, quę oriuntur ex dilectione rerum mortalium: huiuſmodi eſt virginitas, & omnium mundanorum magnanima negligentia: de his intelligi debet ſententia illa Euangelii: *Qui diligit me, abneget ſemetipſum, &c.* Inſuper & illa: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, fructum afferet, &c.* Hæc itaque ſola euulſio commendatur, quæ oritur ex interitu dilectionis mundi, pro ortu dilectionis Dei: quæ quamuis aliqua ex parte ſit euulſio,

Eius euerſio.

D. Auguſtinus.

per

per relationem tamen ad principales circumſtantias heroica moderatio dici poteſt. Hac ego de re, vt etiam de aliis nonnullis audiui in illuſtri animoſorum Academia Heroice loquentem, reuerendiſſimum D. Ioannem Iacobum Diedum Primicerium Patauinum, & modo Epiſcopum Cremenſem meritiſſimum, iuuenem religione, ingenio, moribus, & doctrina inſignem: qui cum olim fuerit auditor meus, nunc eſt Dominus colendiſſimus.

Reuerendiſſimus Ioannes Iacobus Diedus.

Vnde ortum ducat fulgor heroicæ virtutis.

C A P. VIII.

CVM apparuerit virtutem heroicam eſſe ſplendorem & eminentiam moralium virtutum, iure optimo conſiderãdum occurrit, quæ ſint cauſæ, principia & ſemina eius ſplẽdoris. Cui difficultati reſpondens dico, ſplendorem heroicum duplicis generis habere principia, vnum eſt eorũ, quæ ad internam eius eſſentiam pertinent, illamque conſtituunt; alterum eſt externorum & fortuitorum: ſi primum genus inſpicimus, tunc vel virtus dicitur heroica per relationem ad eundem finem virtutis ciuilis, vel per relationem ad finem vltimum & eminentiorem: ſi per relationem ad eundem finem, tunc ortum ducit ex flagranti amore honeſti, & vehementi deſiderio illius finis: ſi vero Heroica fuerit per eleuationem ad finem vlteriorem & ſublimiorem, quæ magis ꝓprie heroica dicitur; ea ſimiliter oritur ex flagranti eius finis amore, ex vehemẽtique deſiderio connexionis cum vltimo fine: qua delectione ſi mundum, & proximum quoque diligimus, ſolum id facimus per relationem ad Deum, & finem poſtremum. Hæc fœcunda & præclara dilectio nota philoſophis, congruenti ratione reſpõdet eminenti charitati theologorum: hic eſt ſpiritus, ſemen, vita & forma heroicæ dignitatis, ſine qua nec eſſe, nec ſeruari valet. Propterea in gradu moralium virtutum patefeci, virtutem omnem eſſe recte compoſitum amorem. Si alterum genus principiorum conſideramus, quod minus pertinet ad eſſentiam heroicę virtutis, inueniemus eam fulgere poſſe, vel ob vehemẽtem perturbationem, vel munere naturæ, fortunæ & aſſuetudinis. Quod pertinet ad vehementiſſimas perturbationes, ſcimus fulgere fortitudinem, & victoriam ex bello cũ hoſte robuſtiſſimo: propterea ſi quis a Deorum cultu abhorreat, ad infames voluptates ſummopere ſit ꝓcliuis (vt ad concubitum cum feris, cum matre, cum ſorore, ſiue ad comedendos natos ſuos) dum tam vehementes & infames perturbationes proſternit, heroicè refulgebit. Inſuper ex natura oriri poteſt fulgor; dum ſcilicet per naturam ſumus faciles valdeque procliues ad honeſtum, ad actiones illu-

Splendor heroicus duplex.

Fulgor ex vehementia perturbationis.

Ex natura.

Digitized by Google

ſtres, ad dilectionem Dei & proximi: nam tũc habitus ad ſublimem finem dirigentes, facilius, illuſtrius & firmius in nobis gignuntur. Fortuna quoque non leue momentum afferre poteſt, cum ad conſtituendũ, tum ad oſtendendũ heroicum ſplendorẽ: dum enim regia dignitate nos ornat, inſtrumenta illuſtrium virtutum nobis præbet, oportunitateſque varias offert ſplẽdide operãdi; ac tunc ſi eius muneribus congruenter vtemur, heroica virtute facile refulgebimus. In viro enim principe, vt deteriora magiſque pernicioſa ſunt vitia, ita virtutes ſunt illuſtriores magiſque ſalutares, cum ſint exempla & duces vitæ populorũ. Inſuper fortunæ bona ſunt inſtrumenta virtutum & vitiorum; virtus autem inſtrumento & viribus munita, longe illuſtrius fulget, quam eis deſtituta. Præterea, qui fortunam apprime aduerſam, nedum conſtanter ferunt, ſed animi robore ſuperant, heroice fulgent: Hercules enim dictus eſt heros, quia eximia quadam animi fortitudine, omnia aduerſa quaſi pernicioſa mõſtra ſuperauit. Inquit philoſophus in primo Nicomachiorum: *Qui incideret in calamitates Priami, felix non eſſet cenſendus.* At nos rectius ſentientes de fine poſtremo, dicere debemus. Si quis incideret in calamitates Priami, eaſque conſtanter ferret, vt virum decet heroice fortem, heroica fortitudine ſplendidiſſime refulgeret. Homo enim, quamuis aduerſam fortunam optare nõ debeat; tamen ſi in eam incidat, tenetur gratias referre Deo, qui oportunitatem ei obtulit, illuſtre fortitudinis ſpecimen patefaciendi: Herois enim eſt ea vincere, quibus paſſim humana conditio ſuccumbit; propterea ſolum in magnis, ſiue ſecundis, ſiue aduerſis fortunis refulget. Pari ratione, ſi ciui offertur occaſio patriam ſuam ſibi ſubiiciendi, ac rempubl. inuadendi, heroica pietate & iuſtitia fulgebit, ſi libertatem ſeruabit, ab eiuſque tyrãnide ſe abſtinebit: ita enim, neglecto proprio bono, commune præliget; & neglecto fine primo, poſtremum magnifaciet. Inſuper conducere poteſt fortuna ad patefaciendã, illuſtrandã, æternitateque donandã heroicã virtutem, quatenus felici ſorte contingere poteſt, vt à præclaro aliquo poeta heroum illuſtria facinora decantentur. Hac ratione Hector, Æneas, Vlyſſes, Achilles, qui ab Homero & à Virgilio æternitate donati fuerunt, dici poſſunt fortunati: veluti Alexander Macedonum rex, inuidia forte motus, fortunatum nuncupauit Achillem; quod ſuarum laudum tubam ſeu buccinam adeo p[illegible]ęclaram ſortitus fuiſſet. Demum fulgere poteſt munere rectæ diſciplinæ, congruentis inſtitutionis, probæque aſſuetudinis; ex his enim ortum ducunt virtutes: propterea qui in his ſe accuratiſſimum p[illegible]ębuerit, in omni virtutis genere facile poterit r[illegible] fulgere. Neminẽ latere cẽſeo, quot, & quam pernicioſa vitia ex falſis opinionibus prodeant,

Ex fortuna.

ἥρως Herois.

Ex congruente inſtitutione.

Ex recta opinione.

deant, præſertim ex his, quæ ad Deum, vel ad animam noſtram pertinent: vt ex illis, quod Deus non ſit; & ſi eſt, quod humana non curet, quod hominũ animę ſint mortales: ex quibus vt perniacioſiſſima vitia quaſi feræ prodeũt; ita ex earum oppoſitis formoſiſſimæ virtutes, tanquam radii ex ſole, refulgere natæ ſunt.

Heroicam virtutem ex ſententia Ariſtotelis non eſſe eandem cum ſanctitate, nec feritatem cum prophanitate.

CAP. IX.

EX his, quæ hactenus declaraui, colligere valemus; minus recte nonnullos, & cum eis Sueſſanum aſſeruiſſe, ex ſententia Ariſtotelis heroicam virtutẽ eãdem eſſe cum ſanctitate ex caritate prodeunte. Inquiunt enim eminentiam virtutis heroicæ petendam eſſe ex fine: nam dum virtus nos dirigit ad priuatum vel publicum bonum, humana dicitur: at ſi per caritatem, qui eſt flagrans Dei amor, nos ad Deum eleuat vt Deo fruamur, ea eleuatio & ſublimitas heroicam parit virtutem. At hi theologorum decreta cum opinione Peripateticorum permiſcentes, ſententiam proferunt; quæ nec theologis, nec Peripateticis eſt cõſentanea. Non Theologis, quoniam ex eorum ſententia nulla virtus ſine caritate ſeruatur; ea enim, quæ ſeiuncta eſt à caritate, non eſt virtus; & ideo non diſtinctio caritatis à non caritate, ſed diſtinctio graduum caritatis diſtinctionem virtutum conſtituit; neque tunc eminentia heroicæ virtutis debet dici caritas, ſed ſolum per eminentiorem caritatem formari. Eadem opinio non eſt Peripatetica: quoniam Ariſt. non nouit aliam vitam, alium finem, aliumve modum, quo Deo frueremur, ſiue cũ Deo coniungeremur, niſi per moralem, & inſpectricem felicitatem; propterea ex eius ſententia non poteſt virtus ad alium finẽ niſi ad alterum horum referri. Nec ſemper diſtinguitur heroica virtus à morali per finium diſtinctionem; ſed nõnunquam per modum ſplendidiorem, quo idem finis attingitur. Quod manifeſte conſtat, ſi memoria repetamus eorum virtutes, qui omnium ore heroes dicti fuerunt, vt Herculis, Hectoris, Achillis, Æneæ, Romuli, & ſimilium. Hi namque non per illam caritatis à non caritate differentiam heroes dicti fuerunt, cum ſolum reſpexerint mundi gloriam, & eius deſiderio incenſi refulſerint; veluti etiam pari ratione Cato Vticenſis heroica fortitudine celebratur fortis. His accedit, quod cum Ariſtoteles per ſua decreta ſolam vmbram, eamque ſatis tenuem, ſanctitatis, religionis, caritatiſque nouerit; vt vera Theologorum caritas omnem proprie ſumptam virtutem format, ita ea Peripateticorum caritatis vmbra in omnem virtutem ab Ariſtotele poſitam effundi-

Reiicit ur opinio Sueſſani.

Feritas non eſt eadem cũ prophanitate.

tur: adeo vt non differentia caritatis à non caritate heroicam virtutem formet, ſed exſuperantia eius, omniumq; ad formandam virtutem conſpirantium. Ex quo etiam conſtat, minus recte eoſdem feritatem eandem cum prophanitate aſſerere; eſt enim feritas communior, tum immanitate, tum prophanitate. Hoc tamen verum eſt, prophanitatem eſſe partem quandam eamque deterrimam feritatis, vt etiam ſanctitas dicta eſt diuina quædam portio heroicæ virtutis, vel rectius (vt dixi) eſt gradus diuinus, ſupra heroicum collocatus.

In quo hominum gradu & conditione, & num in fœmina heroica virtus ſit nata reperiri.

Cap. X.

Dignum conſideratione eſt, cum heroica virtus ſit fulgor moralium virtutum, nos eleuans ſupra humanam cõditionem, medioſq; fere conſtituens inter Deos & homines; num in omni hominum gradu & conditione locum habere valeat. Ex ſententia theologorum, pariter & Platonis, proculdubio in omni valet reperiri (dummodo ſibimet homo non deſit, & ſuimet non ſit proditor) omnis enim homo valet heroice ad futuram vitam diſponi, & omnis eſt capax infuſarum virtutum. Simili modo ex ſententia Stoicorum vnuſquiſq; valet formari vnaquaque virtutis forma, in qua ſummum bonum collocarunt, nec ei neceſſaria eſſe externa inſtrumenta iudicarunt. At ex ſententia Ariſtotelis id minus contingit: cum enim heroica virtus ſit eminentia & ſplendor pro attingendo fine, non in futura, ſed in præſenti vita; & egeat inſtrumentis & conditionibus illuſtribus; ſolum in ſplendide natis & educatis, illuſtrium inſtrumentorum facultate munitis, quorum actiones ſplendidiores ſunt, locum habebit, vel ſaltem maxime: propterea negat magnificentiam poſſe omnibus competere. Hinc, qui herois nomine celebrantur, ex illuſtri genere prodierunt. Præcipue itaque fulget in viro principe, qui eſt commune & conſpicuum populorum exemplum, in quo tanquam in ſublimi & illuſtri ſede omnia ſplendidiſſime fulgent; & præſertim in eo locum habet; quia videtur inter Deum & populos medium ſibi optare locum. Sic in ampliſſima vetuſtiſſimaque Ateſtinorum familia, inter tot maiorum ſuorum heroica lumina, Alphonſus II. Ferrariæ Dux ſereniſſime fulget; cuius omnis actio, conſilium & meditatio, ſupra humanam conditionem heroice extollitur, & ad diuina aſpirat. Fulgere etiam ſaltem ſecundo loco valet heroica virtus in ciue, & præſertim in eo, qui in vrbe libera degit; cum ei variæ poſſint offerri opportunitates erga patriam, pro communi bono, pro ceterorum ſalute, fungendi muneribus heroicæ virtutis: & hoc

Theologi. Platonici.

Stoici.

Ariſt.

Virtus heroica præſertim fulget in viro principe.

Alphonſus ſereniſ. Dux Ferra.

Secundo in ciue.

præſer-

Digitized by Google

præſertim competit illis, qui in rep. Optimatum partem habẽt, in qua virtus dominatur & ducit. Demum modo quodam minus illuſtri in humilioribus hominum gradibus inſpici poteſt: Et ratio eſt, quia in omni hominum gradu feritas locum habet, quare & heroica virtus, quæ ei opponitur: omnis enim homo, qui per virtutem operatur, refulgere, & ſupra hominis cõditionem extolli valet. Ideo hiſtoriis proditum eſt, plurimos viros ignobiles, humili loco & obſcure natos, munere ſuarum actionum euaſiſſe illuſtres. Hoc admirabilius profectò eſt, & propterea rarius. Addo demum, virtutem heroicam etiam in fœmina inſpici poſſe, & nonnunquam refulſiſſe. Theologi hoc oſtendũt exemplo virginum & martyrum, quæ iubilantes ad martyrium properarunt: inter quas Diua Iuſtina, Patauinæ vrbis ſplendor, ſummopere refulſit. Idipſum nititur in ſua repub. & in libris de legibus manifeſtare Plato, dum affirmat fœminas ad eadem eſſe aptas & idoneas, ad quæ accommodati ſunt viri: propterea Plutarchus librum conſtruxit de virtutibus mulierum. Ariſtoteles obſcurius id concedere videtur, cum fœminam ſtatuat animal læſum, & per naturam impotentius viro: tamen quia ipſe in fœmina quoq; conſiderauit feritatem, & oppoſita in eodem nata ſunt fieri: inſuper; quia etiam fœminæ valent feritatem emẽdare, & in functione munerum ſuarum virtutum viriliter fulgere; in eis quoq; cum eodem philoſopho virtutem heroicam ſeruare valemus: quarum exempla varia legi poſſunt apud Plutarchum in libro de virtutibus mulierum, & apud alios. Ita iudica Hebræa, Pẽtheſilea Amazonum regina, Camilla regina Volſcorũ, Cleopatra regina Ægypti, Artemiſia Cariæ, & aliæ multæ, illuſtri aliquo facinore heroicam virtutem patefecerunt. His accedit, quod mulierũ virtus cenſenda ſaltem erit heroica, facta inter virtutes mulierum comparatione: vt enim viri herois officium eſt, inter viros excellere; ita mulieris, inter mulieres: quæ etiam in patefacienda heroica virtute virilitatem præ ſe ferunt, & ob id viriles nuncupantur. Ideo poetæ nedum viros, ſed etiam fœminas nonnullas finxerunt à Deo duxiſſe genus.

In aliis obſcura & tertio loco.

In fœmina minus quam in viro locũ habet.

Theologi.

Plato.

Ariſtoteles.

Exempla nonnulla heroicæ virtutis ex ampliſſima Venetorum republica depromta. CAP. XI.

VT ſuperuacaneum cenſeo, longeq; à meo inſtituto remotum, priſca heroum exempla referre; cum ab hiſtoricis, illuſtribuſq; poetis locupletiſſime enarrata & decantata fuerint: ita ingratitudini mihi adſcribendum fore exiſtimaui, ſi nõnulla ſilentio obuoluerem, quæ ipſis fere oculis, dum Patauii ſub auſpicio Venetorum publice philoſophiam è prima ſede docerem, ſplendidiſſime refulgẽtia inſpexi. Conuerſus igitur in am-

Digitized by Google

Aloyſius Mocenicus Dux. pliſſimam Venetorum rempublic. video, quod vt ea inter reſpublicas, ita eius ciues inter ceteros heroice fulgẽt. Veluti Aloyſius Mocenicus Dux reipublicæ ſingularis, omni virtutũ genere ſe heroice ornatum manifeſtauit: dum & in bello cum fœdifrago Turcarum principe, & in variis ingentibus partium ſuæ vrbis incenſionibus, inundationibus, variiſque infeſtiſſimis calamitatibus; & demum in omnium perniciosiſſima lue, quæ deterrima contagione vniuerſum populum inuadens miſerrime innumeros pſternebat: ipſe ſolo virtutum ſuarum clypeo munitus, rebus ceteris languentibus & pene iam fractis, intrepido animo, ſemper manſit erectus; miraque erga Deum pietate, caritateque erga populos, omnia congruenter in finem optimũ direxit. In his reipublicę procellis, aduerſiſque ventis, quis inficiabitur heroice refulſiſſe Sebaſtianum Venerium Ducem Venetæ claſſis: qui mox iure optimo Dux reipublicæ incredibili Senatorum conſenſione, populorum lætitia, orbiſque applauſu electus fuit; Dum in medio innumerarum inimicarum triremium collocatus, in bello in quo agebatur de ſumma rerũ, vir octuagenarius intrepidum ſemper ſe pręſtitit, & in debili per naturam corpore, animum per virtutem heroicam patefecit inuictum. Quis non mirabitur, virum illum ſenio imbellem, præſtanti tamen animi fortitudine, vnum pro multis imbellem bellicoſiſſime, ac impotentem potentiſſime dimicaſſe? Non tunc corpus eius pugnabat, ſed virtus animi, non tremula manus, ſed conſtans eius ſpiritus, vires patefaciebat. qui vna cum voce vagabatur per exercitum, ceterorum animos excitabat, excitatoſque compellebat ad pugnam, adeo vt iure heroica victoria inde refulſerit. Varii tunc re vera heroes ſe patefecerunt. Nam quis nõ vere heroem, dilectione Chriſtianæ religionis, pietateque erga patriam flagrantem, iudicabit Auguſtinum Barbadicum? cuius conſilio cum naualis illa pugna in optimum finem fuiſſet deducta, ipſe aduerſo telo traiectus, iamque moriens dixit; *libenter ſe terrenam cum cæleſti patria commutare, quia ſua morte illuſtrem victoriam felicemque vitam ſua patria relinqueret.* Vere tunc priſcum Epaminundam eſt imitatus: qui cum Lacedæmonas vſque ad id tempus inuictos apud Leuctram & Mantinæam ſecundis præliis profligaſſet, traiectus haſta, ſpiritum efflans, an fuſi hoſtes penitus forent, interrogauit: quod poſtquam ex animi ſententia audiuit: *Non finis* (inquit) *commilitones mea vita, ſed melius & altius initium aduenit: nunc enim veſter Epaminundas naſcitur. quia ſic moritur.* At hoc rationalibus recens hic Venetorum Epaminundas enuntiare valuit, cum veræ religionis ſpiritu repletus, conſimilem ſententiam protulit. In eodem quoque naualí conflictu heroicam ſui animi præſtantiam patefecit Franciſcus

Sebaſtianus Venerius Dux.

Auguſt. Barbadicus.

ciſcus Duodus maiorum Triremium Dux inuictus: Qui primus aduentantes obſiſtenteſque hoſtes inuaſit, magnoque bellicorum tormentorum ſtrepitu eos deterrens, perterrefactos cogẽs deſerere ordinem, magnamque eorum copiã profligans, heroicæ victoriæ latiſſimam viam patefecit. A quo illuſtres filii nedum non degenerant, ſed tum parentis gloria incenſi, tum illuſtriſſimi Senatoris Dominici Duodi eorum patrui conſilio directi, tum inſito in eorũ animis honeſti deſiderio excitati, ſuorum maiorum ſplendoribus radios alios ex ſapientia depromtos ſuperaddunt: nam Petrus & Andreas, præter id quod in iuuenili ætate ſenilem patefaciunt prudentiam, libros etiam ediderunt, publiceque defenſarunt, ille Peripateticarum de anima diſpoſitionum, hic de habitibus mentis; acumen, elegantiam, & ſolidam eorum doctrinam cumulatiſſime patefacientes. At cur ſingula im nobiles Venetos refero, qui in ea pugna dimicarũt? cum omnes ſe tales præſtiterint, vt ſplendidiſſima exempla ceterorum cenſeri mereantur, qui erga Chriſtianam religionem, & patriam recte cupiunt eſſe affecti. Quid dicam de multis integerrimis ſenatoribus qui compoſitis cum principe Turcarum rebus, ſperantes ſe iam tranquilla pace poſſe frui, patriam inſpexerunt terribili peſte inuaſam & circumuentam? Ac dum ea populum magis depopulabatur, dum in vrbe Veneta ſingulis pene diebus mille homines miſere animam ſpirabant, dum iuuenes perterrefacti fugiebant, dum vniuerſa vrbs miſerrime languebat: ipſi tamen corpore ſeniores, animo robuſtiores, pietate erga Deum accenſi, caritateque erga patriam; in medio ceterorum ſoli videbantur vincere, in medio languentium ſoli videbãtur bene valere, cum ceteri eſſent perterriti, ſoli ſeruabantur intrepidi; & heroica caritate & magnificentia, pro egentium ſalute, pro dilecti populi incolumitate, bona publica munificentiſſime erogabant: adeo vt in dubiũ vertatur, num in bello contra Turcas, an pro liberanda patria ab infeſtiſſima peſte, plus pecuniarum conſumſerint In quo heroico negotio Iacobus Superantius, & Paulus Theupolus, ambo ſplendidiſſimi equites, ambo meritiſſimi diui Marci Procuratores, ambo illuſtrib. cum priuati tum publici muneris functionibus heroica dignitate fulgentes, ſummopere refulſerunt. Adeo vt mirum nõ ſit, ſi præclarus Stephanus Theupolus, heroici patrui excitatus & directus exemplo, ad ſola ſublimia aſpirat; & ætate iuuenis, iudicio ſenex, libros Academicarum contemplationũ ediderit: in quibus (præter cetera) id præſtitit, quod à nemine tentatum fuit, cum Academicorum ſeiuncta placita coniunxerit, ordineque deſtituta in ordinem congruenter redegerit, coramque vniuerſo Senatu publice diſputans ſtrenuiſſime defenſauerit; ob cuius

Franciſcus Duodus.

Dominicus Duodus.

Petrus & Andreas Duodi, fratres.

Iacobus Superantius.

Paulus. Theupolus.

Stephanus. Theupolus.

merita à ſereniſſimo Senatu ei delegata eſt cura ampliſſimæ Bibliothecæ Venetæ, vt felici coniugio cum animo ſapiētiæ amico cura librorum ſapientiæ iungeretur. Sed vt innumera ex ſe fulgētia heroum ſidera prætercam, eo ſermonem claudam, qui perinde ac ſol inter ceteros fulget. Hic eſt ampliſſimus & ſereniſſimus Nicol. de Ponte. Quo Ponte tutiſſimus nobis ſe offert tranſitus ex inſcitia ad ſapientiam, ex vitio ad virtutem, ex vita priuata ad publicam, ac demum ex conditione ciuili ad heroicam; ipſe enim nedum tempore belli magnam in Senatu negotiorum partem mira prudentia abſoluit, verum inſuper mox tēpore ingentis peſtis ſe vna prudentiſſimum & intrepidum oſtēdit: eius heroico exemplo vires virtutis exactæ metiri valemus; cum ſolo virtutis munere, ſibimet, ſuæ familiæ, ac vniuerſæ patriæ vtilitatem, gloriam & ſplendorem comparauerit: propterea, vt heroicæ virtuti heroica tribueretur dignitas, ad principatum ſuæ reipubl. honorificentiſſime eſt elatus.

Nicolaus de Ponte Dux Venetiarum.

Cauendum eſſe, ne vitium nomine virtutis heroicæ honeſtemus.

Cap. XII.

Definitio virtutis heroicæ.

QVoniam (vt latiſſime patuit) virtus Heroica eſt fulgor virtutum moralium, appetitui ſenſuum competens, ortum ducens ex præſtanti amore honeſti, noſque ſupra humanam conditionem eleuans: præterea eſt habitus præclarus, ſummopere optandus; præclaraque laude digniſſimus. At cauendum ſummopere eſt, ne vice virtutis heroicę vitium commendemus, ac pro fulgore heroico vitium populari voce formoſum amplectamur. Et quoniam ordinata in finem per ſolam finis rectam conſtitutionem rectæ formantur; propterea, qui in decernēdo, ac ſtatuendo fine aberrant, vt etiam in ordinatis ad illum delinquant neceſſe eſt. Priſci Romani in populari gloria & honore ſummum bonū conſtituentes, frequenter iudicati ſunt heroes, cum potius ſceleſti fuerint & vitioſi. Cato Vticenſis minor, Primi pronepos, ſuperato Pompeio à Cæſare, gladio ſe interfecit; cuius audita morte Cæſarem dixiſſe ferunt, & ſe Catonis inuidere gloriæ, & ſuæ Catonem inuidiſſe: Facinus hoc (vt heroicū) per ora populorum circumfertur, & re vera heroica in eo refulſiſſet fortitudo & magnanimitas, ſi recta eius, & Stoicorum de ſummo hominis bono fuiſſet ſententia. At quia ea falſa eſt, propterea id non virtus, ſed ſcelus cenſeri debet: nec ea fuit fortitudo ſed mollities, cum non valuerit fortunæ inuaſiones fortiter ferre; veluti etiam ſe molles declarant, qui vel ob amorem, vel ob aliud ſimile ſibi manus inferunt: nemo enim recta ratione

Multi vitioſi inter heroes celebrantur.

Cato Vticenſis.

valet

valet ſibi mortem conſciſcere. Splendidius heroicam virtutem vir ille patefeciſſet, ſi viuens, magno ac inuicto animo Cæſaris inanem gloriam labilemque fortunam irriſiſſet, ac perfunctiones munerum conſtantiæ ad veriorem gloriam aſpiraſſet. Lucretia etiam, Cleopatra, & aliæ, ob ſibi illatam mortem heroice commendantur, & vtique commendandæ eſſent, ſi vera fuiſſet popularis earum de poſtremo fine, ſummoque bono ſententia: verum cum in eo errauerint, etiam errarunt in ordinatis ad illum. Hæ vmbram quandam virtutis horribili actione præ ſe tulerunt, cum interim veram eius eſſentiam labefactarint. Errauit Lucretia primo, quia magis formidauit falſam infamiam ipſi à Sexto Tarquinio propoſitam, niſi eius deſideria expleret, quam occultum ſcelus: errauit ſecundo; quia ſemetipſam interfecit: demum errauit; quia magis viuens actionibus probis, quam mortua, valuiſſet ſcelus emendare. Æneas ab Homero & Virgilio inter heroas celebratur: quem tamen Lactantius lib. 5. de iuſtitia impietatis crimine damnat; quia Turnum, nedum non repugnantem, verum etiam precantem interemit. Id tamen Æneæ contigit, ob eandem cauſam; exiſtimabat enim morte Turni ſe magis pium erga Pallantem patefacere, quem Turnus interfecerat; nam putabat ſe quaſi holocauſtum immolare pro eo: ideo cum primo motus precibus Turni decreuiſſet ei parcere, mox inſpiciens baltheum & cingula Pallantis, iratus eum necauit inquiens:

Lucretia. *Cleopatra.* *Æneas.*

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Ex eo igitur quod Æneas valde pius deſcribitur erga ſuos, debuit per deprauatã eius religionem crudelior eſſe aduerſus eos, qui ſuis iniuriã intulerunt. Errauit abſolute, perperam ſentiens de ſummo bono, & fine vltimo; recte fecit ex conditione, ſi recta fuiſſet deprauata eius religio. Propterea, vt à calumnia hac Virgilium vendicemus, non eo confugiendum eſt; vt cum doctiſſimo Epiſcopo Caſertę Antonio Bernardo Mirandulano dicamus, eos errores in Virgilio reperiri; quia libros ſuos non emendauerit, nec eis vltimam manum impoſuerit, ac ob id præceperit eos comburi. Nam hoc ab eo mutandum nõ fuit, vt patuit. De Socrate etiã iure quis ambigere poſſet, an laude vel vituperio potius fuerit dignus; qui Athenis morte damnatus, interrito animo poculũ ſumſit, & libẽs venenum hauſit: cuius Socraticæ vanitatis mox varii Romanorũ fuerunt imitatores. Verum Socrates magis excuſatione eſt dignus; quoniã ei iam deſtinata erat ea mors, & cogebatur diem obire: ꝑpterea, vt coactus & cõſtitutus in manib. alterius, id fecit; nõ ſecus ac ſancti Martyres, qui iubilantes ad martyrium properarunt: ſolum caruit

Reiicitur ſententia Mirandulani.

Socrates exacta cognitione finis, & ideo abſuit ab eo illa caritas & amor, qui formam veram tribuit actionib. heroicis. Imo Socrates frequẽter monuit, nemini licere ſibi cõſciſcere mortem: addidit tamen, niſi neceſſitas compellat, quæ additio recto iudicio rectaque interpretatione eget. Colligamus igitur, cum nemo valeat eſſe re vera heros, niſi recte de poſtremo fine ſentiat, & ſolus Chriſticola recte de eo ſentiat, ſolum Chriſticolam re vera heroem euadere poſſe.

De feritate. CAP. XIII.

Regula Topica.

VT heroicæ virtutis præſtantia refulgeat, vt fructus gloriaque eius reddatur illuſtrior, de feritate ei oppoſita loquendũ eſt; oppoſita n. ſe mutuo illuſtrant & patefaciunt. Quemadmodum virtus heroica eſt fulgor moralium virtutum, ſupra humanam conditionem nos eleuans; ita feritas eſt peruerſio humanæ appetitionis, infra hominis cõditionem nos deprimens: inſuper quemadmodum virtus heroica ortum ducit ex flagranti dilectione vel eiuſdem, vel diſtincti finis; ita feritas ex auerſione oritur ab eo fine, & propenſione ad oppoſitum: adeo vt feritas ſit humanæ appetitionis in ferinam commutatio, omnem rationis vſum excludens, ex peruerſione veri amoris orta, per quam infra hominis conditionem deprimimur. Cuius perniciosiſſimæ feræ tria ſunt, quaſi Cerberi, infeſtiſſima capita, treſque fauces humanæ cõditionis voraciſſimæ; prophanitas nempe, immanitas & tyrannica impietas: prophanitas nos à Diis auertit, immanitas ſiue dira conditio nos caritate exuit erga proximum, tyrannis pietatem erga patriam peruertit. Dantur & aliæ feritatis formæ, ad ſingulas virtutes pertinentes; hæ tamen ſunt principales, ac ceteris efferatiores. Si itaque hominum conditiones, nationeſque varias mente reuoluimus: inueniemus, ſæpe ex naturæ deprauatione, aliquando ex morbo, nõnunquam ex praua educatione vel aſſuetudine, homines adeo exuere humanam naturam, tam longe recedere ab humana conditione, vt deteriores iumentis, ipſiſque feris efferatiores euadant. Ita non defuerunt, nec deſunt filii terræ, hoc eſt, viri terrenis cogitationibus quaſi interno ſpiritu ducti, qui cum Diis pugnare voluerunt, qui in Deos omnia maledicta contulerunt, qui templum Dianæ Epheſiæ combuſſerunt, & hodie ea Chriſti diruunt & labefactant. Ita multi fuere Syllæ, Mezentii, Caligulæ, Domiciani, Atilæ, aliique ſimiles, inſigni crudelitate notiſſimi. Sic legitur in ſacris literis Nabuchodonoſor in belluam fuiſſe commutatum, ſub dio degiſſe, ex terra alimentum recepiſſe: Inſuper non deſunt, qui nudi ferarum more vitam ducunt, qui hominum crudis veſcuntur carnibus, qui cum matre, vel

Definitio feritatis.

Tres fauces feritatis.

ſorore

Digitized by Google

ſorore ſine diſcrimine commiſcentur, qui patriam produnt, qui aliorum calamitatibus lætantur. Quæ cum vel magnitudine, vel modo ab humanis vitiis differant, & ad belluarum feritatem proxime accedant, iure feritatis nomine deſignantur. Humanum eſt peccare: at humanam naturam, nedum exuere, ſed omnino peruertere; omnem á ſe pietatem, caritatem, & religionem repellere, humanum non eſt, ſed ferinum: dico ferinum; non quia huiuſmodi ſcelus reperiatur in feris, ſed quia tunc homo ferarum more omne humanum exuit, ſoloque ſenſuum affectû ducitur; ferum enim id ſignificat, quod diuinæ hominis parti apprime eſt aduerſum. Eſt tamen tunc homo deterior omni bellua, pernicioſiorque omni fera; & diabolica potius affectio quam ferina dici deberet, ſi Peripateticus loquendi modus id permitteret.

Num feritas ſit deterior vitio. CAP. XIV.

IN attinentibus ad feritatem pulcra ſe offert dubitatio, dignaque conſideratione; & eſt, num feritas ſit deterior vitio, vel contra: ac pro omni parte adſunt non ſpernendæ rationes. Quod feritas ſit deterior, primo patere poteſt ex ſuo contrario, nempe ex heroica virtute: regula namque topica eſt, id eſſe deterius, quod præſtantiori opponitur: at feritas opponitur habitui heroico, qui eſt præſtantior virtute ciuili, cui opponitur vitium: quare feritas eſt deterior. Confirmatur id ipſum auctoritate Ariſtotelis, in ſeptimo moralium Nicomachiorum, capite primo, dicentis: *Atqui eos homines, qui vitio cæteris antecellunt, turpi & infami nomine feros appellamus.* inſuper, capit. 5. addit: *Omnis enim modum ſuperans vitioſitas, & amentia, & timiditas, & intemperantia, & ſæuitia, vel ferina eſt, vel morboſa, &c.* His verbis aperte indicat philoſophus, feritatem deteriorem eſſe vitio. Ex aduerſo Ariſtoteles in eodem libro capit. 6. inquit. *Eſt autem feritas minus malum quidem vitioſitate, ſed horribilius tamen, neque enim corruptum eſt in illis id quod eſt optimum, quomodo in homine, ſed eo carent: ſimile igitur eſt, vt ſi inanimum cum animato conferatur, vtrum ſit peius: Innocentior enim, minuſque pernicioſa ſemper improbitas eius eſt, quod prin ipium non habet, mens tamen principium eſt, &c.* Cum itaque deterior ſit deprauatio principii, quam negatio vſus illius; vitioſitas, quæ eſt deprauatio, deterior eſſe videtur feritate, quæ vſum rationis excludit: veluti etiam homo vitioſus, quatenus vitioſus, deterior eſt omni fera, vt vna cum Platone enuntiauit Ariſtoteles. Et ratio potiſſima eſt, quia culpa præeligentis eſt; dum autem excluditur ratio, excluditur prælectio, & origo culpæ, at improbitatis. Id ipſum patere poteſt exemplo hominum, qui velna-

Quod feritas ſit deterior morali vitio.

Ratio prima ex regula Topica.

Confirmatur ex auctoritate.

Ariſtoteles. Pro parte aduerſa.

Digitized by Google

tura, vel morbo efferati feruntur; vt qui in ſyluis nudi vagantur, crudis veſcuntur carnibus, & ea efficiunt, quæ ſimilia ſunt operibus ferarum: cuius generis eſſe dicebantur illi, qui in inſulis nuper repertis degebant, qui per inſcitiam craſſam errabant, quæ vulgo ſimplicitas nuncupatur: quorum error proculdubio leuior eſt, quam vitium illud; quod vel per impotentiam, vel per deprauatam rationem, animique malignitatem patratur: ideo hoc à theologis nuncupatur vitium aduerſus Spiritum ſanctum. Res itaque eſt ſatis dubia. Vt autem reſolutio eius appareat, conſiderandum eſt; feritatem non ſimplicem, ſed multiplicem eſſe. Nam primo datur feritas ex morbo, humorumque deprauatione conſurgens, qualis eſt mulierum vtero gerentium, quæ calcem, cinerem, terram & ſimilia comedunt: quæ tamen minus proprie feritas dicitur, rectius nuncuparetur morboſa affectio. Propterea Ariſtoteles nonnunquam eam à feritate ſeiungit, vt in ſeptimo moralium Nicomachiorum, capite quinto, inquiens. *Quemadmodum igitur & improbitas, alia quidem abſolute dicitur improbitas, ea, quæ in hominem cadit, alia cum adiectione, quia improbitas ferina, aut morboſa, non abſolute, &c.* Inſuper in eodem libro capite ſexto, inquit: *Quemadmodum initio à nobis dictum eſt, aliæ ſunt affectiones humanæ & naturales, tum genere, tum magnitudine, aliæ ferinæ, aliæ ex corporis debilitationibus & morbis natæ, &c.* Separat his verbis Ariſtoteles affectiones morboſas à ferinis & re vera ſecerni debent, nec proprie poſſunt dici ferinæ, niſi cum adiectione hac, ex morbo, quales ſunt etiam illi furores, qui ex temperamenti deprauatione prodeunt. Secundo datur feritas ex more vel aſſuetudine: quæ aſſuetudo, vel eſt communis vniuerſæ nationi, vt qui nudi in ſyluis errant; vel magis propria ſingulorum, vt qui pilos ſibi euellere, vngues corrodere, & ſimilia facere conſueuerunt, quæ etiam non abſolute feritas eſt, ſed feritas ex aſſuetudine. Datur tertio feritas ex deprauata quorundam populorum, vel ſaltem quorundam hominum natura: quales ſunt illi homines, qui re vera barbari & feri ſunt, qui rationis vſu ſunt deſtituti, & ſolo ſenſuum affectu, eoque deprauato ducuntur: hi magis proprie dicuntur feri. De his Ariſtoteles in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 5. inquit. *Voco autem ferinos habitus, qualis erat eius mulieris, quam dicunt grauidis mulieribus apertis ac perfectis pueros deuorare ſolitam, aut qualibus rebus efferatos quoſdam circa Pontum populos delectari feruntur, alios ſcilicet crudis, alios humanis carnibus, alios liberos ſuos inter ſe mutuo in epulis dare, &c.* Datur demum feritas, quæ à vitio non diſtinguitur ſpecie, ſed tantum per magis & minus, quatenus eſt exſuperantia vitii. Hæ quatuor feritates præſertim in duo capita rediguntur. Quorum vnum rationis vſum excludit, ſi non omnino

Reſolutio difficultatis.

Multiplex feritas.

Ex morbo, qui pica dicitur.

Ex aſſuetudine.

Ex deprauatione naturæ.

Ex magnitudine vitii.

Rediguntur feritates in duo capita.

Digitized by Google

omnino (id enim forte non contingit) ſaltem magna ex parte. Alterum non excludit, ſed maxime peruertit. Feritas pertinens ad primum caput, minus mala eſt vitio, & de hac loquitur Ariſtoteles in calce ſexti capitis inquiens; *quod eſt minus mala, ſed horribilior, & hoc oſtendunt rationes pro hac parte relata.* Feritas autem ſecundi generis vtique deterior eſt, & de hac non loquitur tunc Ariſtot. ſed eam comprehendit ſub vitio. Et rationi oſtendenti proprie ſumtam feritatem eſſe deteriorem, quia habitui præſtantiori aduerſatur. Reſpondeo oppoſitum eſſe duplex vnum ſumtum pro priuatione, alterum pro natura contraria maxime diſtante, feritas excludens vſum rationis opponitur per priuationem, vitium vero, vt vere contrarium, regula illa eſt vera de proprie contrario non de oppoſito per priuationem & negationem, nam feritas eatenus maxime diſtat à virtute heroica, quatenus hæc eſt ſupra, illa infra humanam rationem, ideo vt hæc eminentiorem, ita illa humiliorem gradum naturæ conſtituit: at non deteriorem, quia non opponitur rationi rectæ, vt recta eſt, quemadmodum opponitur vitium: ita leo humilior per naturam eſt improbo homine, at non deterior moribus, & de his ſe habet vt de ignorantia negationis, & ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ deterior eſt quauis ignorantia negationis, feritas enim remouens principium proportione reſpondet ignorantiæ negationis. Ad confirmationem, quia feritas eſt quædam exſuperantia antecellens, & modum ſuperans: Dico; Eſt exſuperantia vel ratione conditionis naturæ, & ita non deterior eſt, ſed natura humilior, vel ratione deprauationis rectæ rationis; ac ita eſt deterior. Ex his conſpicua eſt reſolutio difficultatis, & rationum vtriuſque partis dilutio.

Solutio aduerſæ rationis.

Quomodo per virtutem, & præſertim per heroicam, homo reddatur ſimilis Deo. CAP. XV.

SÆpe dictum eſt, munus virtutis eſſe hominem eleuare, illumque ſimilem Deo reddere: quod cum omni virtuti tribuatur, præſertim competere dicitur virtuti heroicæ, vt cæteris humanis eminentiori. Hoc tamen dubium eſt, quia in Deo nullus eſt habitus, ſed eſt eſſentia puriſſima; in qua vt nec perturbatio, ita neque moralis, neque heroica vlla virtus locum habet. Cui difficultati vt ſatisfaciam, accipio primo, Deum tripliciter poſſe conſiderari; primo in ſe, ſecundo per relationem ad creaturas, vt earum creator; tertio per relationem ad eaſdem, vt eas dirigens & perficiens. Virtutes valent reddere hominem non Deum, ſed Deo ſimilem (vt ei licet) quæ ſimilitudo relata ad Deum, eſt obſcuriſſima; relata autem ad conditionem mortalium, eſt præclariſſima & ſplendidiſſima. Virtutis officium eſt eleuare,

Quomodo per virtutem homo redditur ſimilis Deo.

Deus tripliciter conſideratur.

Digitized by Google

Quinq; gradus eleuationis hominis ſunt vt quinq; ſunt gradus virtutis.

perficit enim id cuius eſt virtus, & opus eius: & quemadmodum quinque ſunt virtutis gradus, naturalis, moralis, rationalis, heroicus, & diuinus; ita conſiderantur quinque gradus eleuationis hominis: per primum reddimur homines formoſi, & ſani, per ſecundum viri probi, ciues & principes, per tertium ſapientes: per quartum heroes, per quintum diuini: maiorem eleuationem nedum optare, verum nec animo concipere valemus. Præclaræ igitur ſunt virtutis vires. At cauendum nobis maxime eſt à vitio; id enim per totidem gradus nos ducit præcipites, & deprimit infra nihilum: nam vitium naturæ aufert á nobis eſſe, vitium morale aufert bene eſſe, reddens nos pernicioſa monſtra, & tyrannos, vitium rationis reddit nos amentes, feritas infra feras deprimit, vitium aduerſum diuinæ virtuti, nos reddit diabolicos, deteriores nihilo, quia non deterrimum eſt non eſſe, ſed peſſime eſſe. Virtus itaque eleuans hominem, iure illum reddere valet ſimilem Deo, tanquam ſupremo termino eleuationis, idque valet efficere per ſingulas tres enumeratas conſiderationes eius. Nam primo, vt Deus in ſe conſideratus, eſt omnia; ita homo per virtutem rationalem, & præſertim per ſapientiam, dicitur fieri omnia: homo enim intelligens, per repræſentationem & imitationem ſpiritaliter & vniti ſſime, fit ea quæ intelligit, vt patet ex tertio de anima, context. 8. & 38. Inſuper Deus in ſe conſideratus eſt ipſa veritas, quæ veritas homini in parte competit per habitus contemplantes: Deus eſt ipſum bonum, homo autem per virtutes morales & heroicas bonus redditur: Deus præſtat mortalibus omnibus, & liber eſt, ita ſapientia in proœmio metaphyſicæ libera dicitur; & *virtus moralis eſt congruens ac rectus vſus humanæ libertatis:* demum Deus ita conſideratus, eſt puriſſimus & ſimpliciſſimus actus. Pariter virtus hominem à terrena ſorde depurat, illumque reddit ſimplicem, cum homo ea præditus, neglecto corpore, ſolam viuat vitam mentis. Ideo recte dixit Plotinus Ennead. prima, libro ſexto, capite ſexto. Quemadmodum oraculum tradit antiquum; temperantia, fortitudo, prudentia, & omnino virtus omnis, eſt purificatio quædam, & quo eminentior fuerit virtus, eo exactius purificat. Secundo ſi Deus refertur ad vniuerſum, vt opifex eius eſt, ita homo, cum per rationalem, tum per moralem virtutem, fit ei ſimilis: per rationalem primo, hoc eſt, per artem, qua ad imitationem naturæ omnia efficit, format imagines mundi, domos ædificat, vrbes condit: mox per virtutem moralem format ſeipſum, componit familiam, format reſpub. iuſtitiam ſeruat. Ideo dixit Plato in Theæteto: *Nil Deo ſimilius, quam iuſtiſſimus homo*: & Seneca affirmauit, *virum probum eſſe ſtatuam Iouis*; quod cum omni homini competere poſſit, præſertim conuenit iuſto principi,

Quomodo virtus reddat hominē ſimilem Deo in ſe conſiderato.

Plotinus.

Quomodo virtus reddat hominem ſimilem Deo relato ad vniuerſum vt opifex.

Plato.

principi. Demumq́; ſi Deus conſideratur vt imperans, dirigens, ac perficiens, homo per moralem virtutem illum æmulatur. Primo, quatenus ſeruat mandata eius, eique obtemperat: obedientia autem eſt gradus ſimilitudinis, quia obtemperans cum imperante conformatur. Secundo, quatenus ad eius imitationem leges condit, homines regit, cæteris creaturis præeſt, ac proximo ſuo pro facultate prodeſt. Hac ratione Plato in 6. de repub. dixit, *hominem reddi Deo ſimilem, quia diuina imitatur.* Non itaque iniuria dictum eſt, hominem per virtutem reddi ſimilem Deo, & per varios virtutis gradus varios recipere gradus ſimilitudinis. Ideo Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum dixit, *Deum eſſe amicum ſapienti, ſimile enim ſimili per naturam amicum eſt.* Et cum hoc adumbrate dicantur facere humanæ virtutes philoſophis notæ, eminentiſſime demum & vere id facere natæ ſunt virtutes theologicæ, quæ diuino ſpiritu hominem replentes, diuinam faciunt eum ſpirare, viuamque viuere vitam, ſine qua cæteræ vitæ, viuæ mortes iudicari merentur; per hanc euadimus filii Dei, cohæredes autem Chriſti.

Quomodo virtus reddat hominem Deo ſimilem vt perficienti.

An homo pro vitanda miſeria, vitio, vel feritate, debeat aliquando præligere mortem: & primo oſtenditur quod non. CAP. XVI.

IN attinentibus ad mortem, quoniam videtur maxime omnium debere nos perterrefacere, maxime quoque virtus heroica refulgere nata eſt: propterea conſiderationi virtutis heroicæ ſummopere accommodata eſt ea quęſtio, inter philoſophos frequenter agitata, vtrum liceat homini ad vitandam miſeriam, vitium, vel feritatem, nonnunquam præeligere mortem. At pro omni parte exſtant opiniones, afferuntur efficaciſſimæ rationes, auctoritateſque grauiſſimæ referuntur. Pro parte inficiantium id homini licere, hæ formari poſſunt potiores rationes: & primo ita argumentor. Nemo per naturam recte effectam expetit mortem, quare nemo recte ductus ratione eam expetere debet. Aſſumtum patet; quoniam omnia naturæ propenſione expetunt eſſe, & viuere, vt inductione patet in iumentis omnibus, & feris. Conſequentia deducitur; quia natura recte effecta non errat, cum dirigatur ab ipſo bono; ideo recta ratio, ne erret, debet naturam ſequi. Propterea Auerroes 2. phyſic. 31. inquit: *Id, quod optatur ab agente per voluntatem, multoties videtur bonum, & re vera non eſt, quod vero expetitur ab agente per naturam, eſt vere bonum.* Confirmatur, quia rectæ leges, quibus conſentanea eſt recta ratio, ex naturæ fontibus hauriuntur. Prætereа res effecta proportione reſpondet ſuæ cauſſæ, & ex eminen-

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

tiore cauſſa res oritur eminentior. Eſſe manat ex Deo, à quo omnibus tributum eſt eſſe; nam ſolus ſua eſſentia eſt quod eſt: cum autem Deus ſit cauſſa eminentiſſima, eſſe & eſſentia eſt aliquid eminentiſſimum; & cum Deus ſit cauſſa prima, ipſum eſſe eſt id primum quod efficitur, & propterea præferri debet omnibus quæ ipſi mox adueniunt: quare nunquam vt vitemus malum, debemus recta ratione expetere non eſſe. Præterea eſſe hominis eſt ſubſtantia, bonum & malum, quæ ei per virtutem & vitium adduntur, ſunt accidentia: ſubſtantia præſtat ſuis accidentibus: quare magis formidandum & vitandum id, quod deſtruit ſubſtantiam, quam id, quod deſtruit accidentia: mors ſubſtantiam deſtruit, vitium deſtruit accidens: quare magis formidanda eſt mors, quam vitium: & propterea nunquam ad vitandum vitium, debemus recta ratione præeligere mortem. Præterea ſi ſolum bene viuere eſſet bonum, male viuere vero malum, tunc viuere abſolute nec bonum eſſet nec malum, ſed indifferens: quod tamen eſſe falſum conſtat, cum omnia naturæ inſtinctu appetant viuere & eſſe; natura autem cum pendeat ex bono, ſolum ad bonum nos dirigit, ad idque reddit per naturam procliues: imo ob vitæ præſtantiam generatio ducens ad eſſe & viuere nuncupatur in ſecundo de anima opus maxime conſentaneum naturæ; non igitur deterrimum eſt male viuere, ſed non eſſe penitus: quod patet exemplo inanimorum, deterius enim eſt aquæ corrumpi, quam calefieri, vel congelari: & quauis affectione ſit prædita, quamuis ſuæ naturæ aduerſa, ſemper tamen nititur ſeruare eſſentiam ſuam. Propterea Ariſtot. *appellat mortem vltimum terribilium*, & addit in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 6. *Neque quicquam poſt obitum mortalibus bonum, vel malum videtur contingere poſſe.* Et præſertim id ex falſa Ariſtotelis ſententia dicendum eſſe videtur; qui cum, præter hanc, aliam vitam non nouerit, non cenſuit per mortem fieri tranſitum ex vita miſera in meliorem, ſed in non eſſe penitus. Ex ſententia quoque D. Auguſtini non apparet mortem debere præeligi: nam in libro de libero arbitrio inquit: *Conſidera quantum bonum eſt eſſe: nam melius eſt eſſe, & miſerum eſſe, quam non eſſe penitus; propterea & beati, & miſeri, appetunt eſſe, &c.* Ita lege cautum eſt, ne quiſpiam ſibi manus inferat; & Plato in Phædone inquit; *Cum anima ſit nobis à Diis in cuſtodia tributa, nemo per vim eam extrudere debet.* Quod Ennead. prima. lib. 9. confirmauit Plotinus. Inde prodit ſententia Philolai Pythagoræi dicentis: *Ne diuidas in via lignum,* hoc eſt, *Ne animam ſecernas à corpore in vita curſu.*

Ratio tertia.

Ratio quarta.

D. Auguſtinus.

Plato.
Plotinus.
Philolaus.

Ratio

Rationes pro parte aduerſa, nempe quod praeligenda nonnunquam ſit mors. CAP. XVII.

MAgni profecto roboris viſæ ſunt rationes, quæ pro aduerſa parte ſunt relatæ: philoſophi tamen & theologi, vnanimi conſenſione affirmant, teneri hominem recta ratione nonnunquam præeligere mortē. Fundamentum principale ab Academicis prolatum & approbatum, eſt; quia bonum eſt eminentius ente, principium entis, & caput entis: Deus enim (vt noſcunt theologi, & āffirmauit Plato in Timæo) omnia produxit, quia bonus eſt, & nulla detinetur inuidia: & cum ens fluat à bono, ſimiliter ad bonum, vt ad finem, properat. Cum igitur bonum ſit principium & finis entis, præferaturque enti, & ens ſine bono, ſit deſtitutum initio & fine, conſpicuum eſt nos præſertim de ipſo bono teneri eſſe ſolicitos, & propterea maxime formidare debemus malum, idq; nobis debet eſſe terribilius morte. Et confirmatur, quia dum aliquid in proprium finem eſt ordinatum, aſſequi illum finem eſt ei bonum, non aſſequi reddit rem illam inanem, eſſe in oppoſito eſt ei malum & reiiciendum: veluti dum arma ferimus noſtræ ſalutis gratia, ſi ea arma parant nobis interitum, melius eſſet ea abiicere, ſi oculus nobis ſcandala parat, tenemur eruere illum: quare etiam, ſi hæc vita nos in perniciem duceret, & cum oppoſito ſui finis deberet eſſe coniuncta; expediret nobis, vt eam negligeremus, & honeſtam mortem turpi vitæ præponeremus. Hoc affirmauit Ariſtotel. tertio moralium Nicomachiorum, capite 9. inquiens, *honeſtam mortem turpi ſaluti eſſe praeferendam*: & libro tertio, capite primo, aſſeruit *eſſe quaedam, ad quae non licet quenquam eſſe compulſum; ſed potius oportere ſumma perpeſſum tormenta, mortem obire.* Ideo Auerro. in proœmio lib. Phyſic. ait, *virum ſapientem nonnunquam mortem praeligere, vt Socratem feciſſe affirmant.* Et Simplicius, in Epictetum, inquit; *Malumus non eſſe, quam male eſſe*: Philoponus in diſputationibus contra Proclum ait; *Melius eſt non eſſe, quam ſemper eſſe contra naturam.* Inſuper Ariſtotel. 9. moralium Nicomachiorum, capite 8. ait. *Vir bonus* (ſi opus fuerit) *mortem appetit: breui enim tempore ſummam mauult, quam longo leuem percipere voluptatem; & vnum annum bene & praeclare actum, multis quoquo modo decurſis potiorem decet; vnumque officium praeclarum & magnum, multis & paruis anteponet: quod iis profecto accidit, qui pro amicis, & pro patria, mortem non dubitant oppetere.* Conſimilibus ſententiis ſplendide ornati ſunt libri Academicorum; qui firmius & rationabilius id dicere valuerunt, cum futuram ac meliorem vitam ſaltem ſub nube inſpexerint. Ideo Plato in apologia

Ratio Academicorum.

Ratio altera.

Ariſtot.

Auerroes.

Simplicius.

Philoponus.

Plato.

Socratis dixit; *Mortem turpi ſaluti eſſe præferendam, nec difficile eſſe eum in bello, tum in aliis euentis, vitare mortem, & victum ſe tradere, ſed difficile eſſe vitare prauitatem, quæ velocius currit quam mors.* Et nono de legibus affirmauit; *Mortem vltimum non eſſe, ſed poſtrema magis eſſe inferorum ſupplicia.* Et in eodem dialogo monuit; *Legislatorem quos inſanabiles eſſe ſenſerit, vltimo ſupplicio debere puniendos decernere, non ignorantem ſatius fore his, qui inſanabiles ſunt, mori, quam viuere.* Et idipſum affirmauit in dialogo quarto inquiens, *non ſeruari ac eſſe debere magnifieri* (vt vulgus putat) *ſed vt quamdiu ſimus, optimi ſimus.* Et in Apologia; *Haud recte* (inquit) *o vir loqueris, ſi putas magnam aut vitæ aut mortis habendam eſſe rationem homini, cuius vel parua quædam vtilitas ſit, ac non illud potius duntaxat conſiderandum, quoties aliquid agit, vtrum iuſta agat an iniuſta, bona vel mala, alioquin ex hac ratione tua ſpernendi fuiſſent Semidei omnes, quotcunque apud Troiam occubuerunt.* Et ibi plura ad hoc pertinentia profert. In Crito etiam ait: *Cum deprauato corpore nobis minime viuendum eſt, & longe minus cum deprauato animo.* In Lachete. *Multis conducit mori potius, quam viuere.* In Clitipho; *Ei, qui neſcit anima vti, præſtat vt non viuat, & ſi viuit, vt viuat ſeruus.* In Gorgia quoque & alibi, ſæpe id affirmat. Stoici frequenter idipſum præcipiunt: & Seneca Catonem commendat, quia ſeipſum vita priuauit. Zeno vtebatur hac ratione; *Nullum malum eſt glorioſum; mors ſæpe eſt glorioſa, non igitur mala eſt.* Mitto varia, quæ apud Senecam, & alios Stoicos leguntur. Sed quoniam opinionis veterum philoſophorum menſura & regula cenſeri debet ſententia theologorum; propterea perpendamus, an ipſi quoque idipſum affirment: & proculdubio nedum ore, verum opera quoque confirmant. Multi Martyres potius mortis ſupplicio affici, quam à recta via declinare maluerunt; ideo in martyrio cum Deo gloriabantur & exſultabant. D. Paulus exclamabat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & cupiebat liberari à ſeruitute carnis.* Et de his, qui in gratia non erant, idipſum legitur, veluti de Iuda dicitur. *Melius ei fuiſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Inſuper Eccleſiaſtes, cap. 4. *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui nondum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub ſole fiunt.* Et cap. 6. De hoc ego pronuntio, quod melior illo ſit abortiuus, fruſtra enim venit & pergit ad tenebras. Et Apocalypſis cap. 6. de damnatis legitur. *Cupient mori, & fugiet mors ab eis.* Ex his itaque, ac ex innumeris aliis, quæ miſſa facio, conſpicuum redditur nonnunquam recta ratione præeligendam eſſe mortem.

Expli-

Digitized by Google

Explicantur nonnulla conducentia reſolutioni difficultatis. CAP. XVIII.

PRo exacta & clariore propoſitæ difficultatis reſolutione accipienda & conſideranda ſunt varia. Præſertim tamen accipiendum primo eſt, ordinata in finem recipere formam & rectam rationem, ex ipſo fine: propterea, cum de hominis vltimo fine variæ ſint veterum philoſophorum ſententiæ, cogimur ex eorum opinione, de ordinatis in illum varia enuntiare: de quo poſtremo fine recte ſentiunt theologi, cognoſcentes hanc vitam eſſe viam ad futuram, in qua ſola ſummo bono potiri valemus. Proximi illis ſunt Academici, qui ſub nube id ipſum nouerunt: longe diſtat Ariſt. qui mentem cum nouerit æternam, eam tamen viſus eſt putaſſe vnam totius ſpeciei, & propterea aliam vitam non nouit: deterrime ſenſerunt Epicurei, & illi, qui hominis animam penitus mortalem exiſtimarunt: propterea mirum non eſt, ſi de ordinatis ad poſtremum finem non omnino conſentiunt. Inſuper conſiderandum eſt, quod, dum quæritur, vtrum melius ſit non eſſe, quam male eſſe, per non eſſe duo intelligere valemus, vel non eſſe penitus, vel non eſſe in hac vita, vt pereuntes dicuntur tranſire ad non eſſe. Tertio accipiendum eſt, bonum eſſe multiplex: datur enim bonum metaphyſicum nuncupatum tranſcendens, quod conuertitur cum ente & vero, bonum phyſicum, & eſt congruens affectio naturæ rei, bonum morale & heroicum, reſpiciens honeſtum præſentis vitæ, & demum bonum diuinum futuræ vitæ. Bonum metaphyſicum eſt tenuiſſimum, cætera id expoſcunt, & aliquid ei addunt, adeo vt ſecundum præſtantiæ gradum obtineat bonum phyſicum, tertium morale, quartum diuinum; poſterior enim gradus eſt perfectio prioris. Quarto conſiderandum eſt, minus malum comparatum cum deteriore, obtinere locum boni, & pro eo bono eſſe optabile, vt nos monuit Ariſt in 5. moral. Nicom. cap. 1. & 3. Inſuper bonum commune præferendum eſſe bono proprio, & quo fuerit communius, eo eſſe eligibilius, nam maiorem caritatem includit, & hoc affirmat ſæpe Plato, & poſt Platonem approbat Ariſtot. in prooemio moral. Nicom. pari quoque ratione, præclarum bonum, quamuis momentaneum, præferendum eſt bono exiguo & diuturno, vt nos monuit Ariſt. in 9. moral. Nic. cap. 8. cui ſimile eſt id, quod legitur in ſacris literis; *Dies vnus in atriis tuis Domine, plus quam mille aliorum anni.* Quinto loco accipiendum eſt, quod dum aliquid alterius gratia optamus, finem optare dicimur, non id quod perducit ad finem, & ſi etiam dicimur id optare, putandum eſt nos id optare per conſecutionem, & ſecundo loco, non primo & per ſe: vt laborans, ſanitatis gratia, dicitur optare medicamentum; appetitus enim finem reſpicit: ita

Primo accipiendum.

Quatuor gradus opinionum de fine poſtremo.

Alterum quod eſt præaccipiendum.

Tertium. Multiplex bonum.

Quartum.

Quintum.

Digitized by

qui mortem expetunt, vt tranſitum ad vitam futuram, non mortem niſi ex euentu, ſed futuram vitam optare dicuntur. Demum conſiderare debemus, quod, non mors præueniens eſt ea, quæ primo & abſolute vitam aufert; ea enim ſolum aufert diuturnitatem vitæ, at natura ea eſt, quæ nos genuit mortales: propterea cum vita noſtra ex ſui natura terminata ſit, præferenda eſt vita breuis & honeſta diuturnæ & vitioſæ, nam inquit philoſophus in 1. moral. Nicom. c 6 *diuturnitatem non addere perfectionem naturæ rei, ſed ſolam extenſionem.* Propterea Socrates ab Athenienſibus morti deſtinatus reſpondit, & iudices à natura eidem deſtinatos fuiſſe, ac ſi breue tempus exſpectaſſent, ipſemet per naturam hanc vitam cum morte commutaſſem.

Sextum.

Socrates.

Solutio difficultatis, an mors recta ratione nonnunquam ſit præligenda. CAP. XIX.

CVm varia aſſumſerim reſolutioni difficultatis inſeruientia, nunc vniuerſam difficultatem quatuor aſſertionibus ita reſoluendam cenſeo. Dico primo mors, vt malum & interitus, optabilis non eſt, quoniam optandum omne debet eſſe bonum, optari tamen poteſt alterius gratia: & eſt idem ác ſi dicamus, non optari per ſe, ſed ex euentu, non optari vt finem, ſed tanquam ordinatam in finem. At perpendamus, quænam ea ſint, ob quæ mors nonnunquam eſt præeligenda; nam tria potiſſimum eſſe videntur: primum, ne virtus, vel vita ante honeſte acta fœdetur. Secundum, vt in memoria ſuperſtitum celebres ſeruemur, & per ora eorum circumferamur. Tertium, vt vitam alteram potiorem aſſequamur. Horum trium, poſtremum tantum magni ponderis eſſe videtur, ita enim vna ſolum per alteram potiorem, recta ratione negligenda videtur. Ex quo infero, eos tantum, qui ad futuram potioremque vitam aſpirant, recta ratione teneri præſentem nonnunquam libenter derelinquere: *vita enim hæc comparata cum illa* (ex ſententia Euripidis enunciauit Plato) *mors eſt, & corpus hoc* (ex Plotini ſententia) *eſt animi ſepultura: propterea per obitum corporis anima in potiorem vitam dicitur emigrare.* Qui inquiunt id eſſe faciendum, vel ne fœdetur virtus (vt dicebant Stoici) vel ob inanem quandam gloriam (vt Romani) vel ne vita ante honeſte acta turpi exitu denigretur, actioque vna improba multas probas labefactet vt Peripatetici. Hi ſententias ex ſe illuſtres proferunt, fundamento tamen ſatis leui inhærentes, & potius naturæ quendam inſtinctum, diuinumque contactum futuram vitam præſagientem patefaciunt, quam rectam veræ illius ſententiæ rationem afferant. Ex his ſecundam elicio aſſertionem, & eſt: *mortem non eſſe præligendam ob ea, quæ attinent ad corporis voluptates, vel ad bona naturæ & fortunæ; non enim in his collo-*

Prima aſſertio.

Ob quæ tenemur præeligere mortem.

Stoici.
Romani.
Peripatetici.

Secunda aſſertio.

Digitized by Google

tatum eſt ſummum hominis bonum. Ideo recte Ariſtot. in 3. moralium Nicomachiorum, cap. 7. dixit, *Molles eos eſſe, qui amoris gratia, vel paupertatis, ſibi mortem conſciſcunt.* Et cap. ſexto aſſerit, *nec paupertatem eſſe horribilem aut pertimeſcendam, nec morbum, nec omnino quicquam præter culpam, ob ea quæ præſtare nos poſſumus.* Eandem ſententiam etiam protulit Plato: Et Seneca Epiſtol. 59. inquit: *Imbecillus eſt & ignauus, qui propter dolorem moritur.* Quare qui his de cauſſis mortem præeligunt, id faciunt deprauata ratione. Aſſero tertio mortem nunquam expeti appetitu naturali, contradiſtincto ab appetitu ſequente rationem, vel rectam, vel deprauatam: Ratio eſt, quia natura eſt aliquid materiatum, ad corpus pertinens, eſt enim vel materies, vel forma ex materie pendens, & propterea ſemper appetit bonum corporis, & eius conſeruationem. Hinc euenit, vt iumenta & feræ, quæ naturam ſequuntur, & per naturam operantur, nunquam mortem eligant, ſed pro viribus eam ſemper vitent: propterea etiam natura, vt redderet animalia ſolum ad eſſe procliuia, principio generationis eorum ſummam iunxit voluptatem, interitui vero dolorem immenſum, mors enim eſt maximum malorum corporis: Generatio optimum. Eſt tamen inſtantia de equo, cuius mentionem fecit Ariſtot. lib. nono, de hiſtoria animal. cap. 47. inquiens: *Ferunt, regis Scytharum fuiſſe equam egregiam, ex qua mares generoſi omnes gignerentur, quorum vnus, qui præſtantior iudicaretur, cupiente rege vt pro futura prole cum matre iungeretur, id omnino recuſauit: cum autem deinde opertam matrem inſcius ſuperueniſſet, vbi à concubitu detectam matrem agnouit, fugam properauit, ac ſeipſum præcipitem tradens interemit.* Hæc Ariſt. Verum id ex naturæ appetitu minime putandum eſt contigiſſe; quoniam quod fit per naturam, eſt commune omnibus, vel pluribus, ſed tantum putandum eſt contigiſſe per *ἰδιοσυγκρασίαν*, id eſt, per propriam quandam eius indiuidui conditionem, caſu quodam ei competentem. Neque cenſendum eſt tunc equum illum optaſſe mortem, quam non cognoſcebat, ſed ſolum ægre tuliſſe ſe id patraſſe, quod ſuæ appetitioni aduerſabatur, & in furiam irruentem caſu periiſſe. Quarta & poſtrema aſſertio eſt: Quod, ſi fiat comparatio inter eſſe miſerum & non eſſe penitus, ea duo poſſunt conſiderari dupliciter. Primo abſolute, ac ita deterius eſt non eſſe penitus. Ratio eſt, quia ſi abſolute melius eſſet non eſſe penitus, male opifex illum procreaſſet, inſuper, id non eſſe penitus, nil diuini boni includit, quod includitur in altero. Secundo conſiderari poſſunt cum relatione ad eum, cui ex proprio vitio competit male eſſe, qua conſideratione melius ei fuiſſet non eſſe. D. Auguſt. inquit; *Melius eſt eſſe, & miſerum eſſe, quam non eſſe penitus.* Reſpõdeo, Melius eſt eſſe abſolute, at non ei competit miſeria: nam

Tertia aſſertio.

Inſtantia.

Solutio.

Quarta aſſertio.

Explicatur ſententia D. Auguſtini.

Digitized by

omnes expetunt eſſe abſolute, quod eſt participatio diuini boni, at non vt complicatum cum miſeria, non enim viro illi infelici, qui bono incluſo in ipſo eſſe, & talento ſibi credito male eſt vſus, melius eſt eſſe. Et accurate conſiderandum eſt, quod de Iuda non dicitur, quod melius fuiſſet, ſi natus non fuiſſet; nam qui hoc diceret, opificem damnaret: ſed dicitur, quod melius fuiſſet illi, quatenus eo diuino munere male eſt vſus, nam eſſe eſt bonum illis, qui recte eo vtuntur, male vtentibus non eſt bonum. Hinc Plato & Ariſtoteles inquiunt, *humana ingenia, quo fuerint meliora, eo per cultum aduerſum reddi deteriora*: ſimiliter multa inueniuntur abſolute bona, quæ tamen nobis bona non ſunt. Ex his elicitur reſolutio vniuerſæ difficultatis: patet enim mortem per ſe non eſſe optandam, ſed alterius gratia: nec eſſe optandam pro vitandis naturæ, vel fortunæ malis, ſed ad vitandum malum animi, & aſſequendum potius bonum: nec expeti appetitu naturæ, contradiſtincto ab eo, qui rationem ſequitur. Inſuper non eſſe, non debere iudicari minus malum ipſo eſſe cum miſeria iuncto abſolute, ſed ei, qui perperam eo vtitur. Ex qua reſolutione etiam elicimus præſagium futuræ vitæ, & fundamentum pro animæ immortalitate: cum enim ſine his leues apparuerint rationes omnes, quæ nobis ſuadent nonnunquam mortem eſſe præeligendam, & tamen diuino quodam motu nonnunquam homo, & ſolus homo id faciat, iure optimo colligere valemus homini, eique ſoli, animam competere immortalem, ac potiorem quandam vitam eſſe paratam.

Non fuiſſet melius Iudam non eſſe.

Epilogus dictorum.

Præſagium futuræ vitæ. Fundamentum pro animæ immortalitate.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur nunquam licere recta ratione præeligere mortem. CAP. XX.

QVoniam aduerſæ rationes deſpiciendæ non ſunt, videntur etiam magni roboris eſſe, propterea ſingulatim eas diſſoluere tenemur. Dicebatur primo, per naturam nunquam eligi mortem, quare nec per rectam rationem. Hæc conſequentia neceſſitate caret. Et ratio varietatis eſt, quia recta ratio ſupra naturam eſt collocata, inſpiciens honeſtum, idque bonum corrigens, quod ad corpus pertinet: natura enim cum corpus conſtituat, ſolum expetit bonum corporis, mors autem eſt maximum malorum corporis. Inſuper, iumenta nec appetunt, nec cognoſcunt honeſtum, ideo ad ſeruandum honeſtum non tenentur eligere mortem. Ad confirmationem, quia leges ſumuntur ex natura. Reſpondeo, fundamenta & nonnullas leges ex natura depromi: at ius ciuile & canonicum contrahunt recteq; formant ius naturæ, naturam ſequimur, quatenus ab ea ſuſcipimus, ſemper id eſſe optandum, quod eſt melius. Altera ratio erat, quia eſſe manat ex Deo, & eſt id, quod Deo vt primæ cauſſæ reſpondet. Cum itaque cauſſa

Solutio prima inſtantia.

Solutio ſecunda.

Digitized by Google

cauſſa ſit præſtantiſſima, res effecta ei reſpondens præſtantiſſima cenſeri debet. Reſpondeo; Et eſſe & bene eſſe pendet ex Deo, eſſe pendet ex eo ſine nobis, bene eſſe autem non ſine actionibus noſtris, qui enim creauit nos ſine nobis, non ſaluat nos ſine nobis: eſſe eſt quid communiſſimum apprimeque neceſſarium, quod à superuenientibus perfectionibus præſupponitur, & tenemur ſummopere ipſum optare, dum fuerit ſimplex, at non dum fuerit permixtum cum non eſſe: nam malum & vitium eſt non ens, & receſſus ab ente, vt Magnus Dionyſius in lib. de diuinis nominibus & cum eo Academici & Peripatetici affirmant: adeo vt ſatis accommodate dicere valeamus, *vitium eſſe viuum interitum ipſius eſſe, virtutem vero eſſe vitam eius.* Tertia ratio ſumebatur ex varietate ſubſtantiæ & accidentis. *Mors enim deſtruit ſubſtantiam, vitium accidens, &c.* Soluitur hęc ratio per duo fundamenta. Primum eſt, quia per mortem non deſtruitur ea ſubſtantia, de cuius ſalute tenemur eſſe ſoliciti, & eſt ſubſtantia animæ, inſuper non abſolute aufertur vita, ſed diuturnitas eius, vt in præcedentibus patefeci. Alterum fundamentum ſolutionis eſt, quia, dum præeligimus mortem, id quod optamus, non eſt mors, & non eſſe, ſed eſt hoc compoſitum bene eſſe; optamus enim vel animum viuere futuram vitam felicem (vt theologi recte ſentiunt) vel conſeruationem anteactæ honeſtæ vitæ, quia ex ſententia Ariſt. 9. moral. Nicomachiorum, *vita breuis & honeſta, præferenda eſt diuturna & vitioſa.* Si quis autem vitam duxiſſet per aliquod tempus honeſtam, mox facinus patraret, anteactam vitam fœdaret ac deprauaret, ideo vt ea ſeruetur honeſta, potius mors eſt eligenda, vt Romanorum multi pro populari gloria & diuturna fama id faciendum eſſe exiſtimarunt. Quarta ratio erat, quia ſi ſolum bene viuere eſſet bonum, male viuere malum, tunc viuere nec bonum nec malum eſſet, pari quoque ratione, ipſum eſſe nec bonum nec malum eſſet. Alexander in 4. naturalium quæſtionum, cap. 1. ſoluens hanc rationem ait, conſequentiam eſſe inanem: quoniam facultas debet menſurari per verum finem, per rectum vſum, & per id ad quod præcipue ordinata eſt: viuere eſt ordinatum in bene viuere, vt nauigare in bene nauigare. At hæc ſolutio vniuerſam difficultatem remouere non videtur: quoniam id, quod eſt capax oppoſitorum, ex ſe neutrum eſt, vt patet exemplo primæ materiei: & præſertim, quia eſſe eſt quid principale, non autem inſtrumentum ſolum. Propterea dicamus, eſſe & viuere, abſolute bona eſſe bono tranſcendente, quod cum ente conuertitur: neutra eſſe, dum referuntur ad bonum morale, & diuinum: ad quod cenſeri debent vtilia & neceſſaria, cum in illud ſint ordinata, non autem formaliter eo bono bona. Exemplum ſumtum ex aqua, quia melius ei eſt, vt ſit calida, quam vt non ſit penitus,

Τὸ εἶναι & εὖ εἶναι pendet à Deo.

Vitium eſt interitus entis.

Virtus vero vita.

Solutio tertia.

Solutio quarta.

Alexander.

Regula philoſophica.

Digitized by

dico nobis non obeſſe: quia iam patefeci, de attinentibus ad corpus & naturam ſecus ſe habere. Auctoritates quomodo intelligi debeant, ex dictis patet.

An homo nonnunquam recta ratione debeat ſibimet mortem tradere. Cap. XXI.

Platonici.

Plotinus.

Stoici.

Samonei.

Ariſtot.

Solutio.

IVre optimo quæret aliquis, cum mors nonnunquam vitæ ſit præferenda, ac recta ratione præeligenda, num homini liceat, dum præeligenda eſt, eam ſibi conſciſcere, & manus in ſe tanquam ſalutares inferre. Id enim eſſe faciendum apparet, cum nos ſemper teneamur id præeligere, quod eſt melius: nam ſi permittendum eſt, vt ab alio tanquam minus mala nobis tradatur, cur nos ipſi libere & ſponte eam nobis forti animo tradere non debemus? Platonici viſi ſunt nonnunquam id conceſſiſſe: quod indicauit Plato in Phædone inquiens, non decere quempiam ex cuſtodia ſeipſum ſoluere, nec debere prius ſeipſum interficere, quam Deus neceſſitatem aliquam ei impoſuerit. Et Plotinus in libro de Beatitudine, cap. 7. inquit: *Si vir ſapiens ducatur captiuus, aderit ſoluendi facultas, ſi non detur ibi eſſe felicem, & in eorum arbitrio eſt, qui vincti ſunt, ſe ſoluere, &c.* Indicans poſſe recte interficere ſemetipſum. Stoici longe clarius id affirmarunt: nam dicebat Seneca, *quamcunq; venam noſtri corporis eſſe viam ad libertatem*; & Catonem, Lucretiam alioſque commendat, qui ſibi manus intulerunt, Samonei (ex relatione Porphyrii in lib. de abſtinentia ab eſu carnium) optimum cenſebant ſe interficere, ac animam è corporis compedibus ac carcere ſoluere. Olympiodorus perſuaſus auctoritate Socratis in Phædone, necnon ratione, quia melius eſt viri laboranti incurabili vitio mori, cenſuit nonnunquam licere ſibi mortem tradere. Ex aduerſo Macrobius oppoſitum affirmauit: qui enim id faceret, tum principi, tum naturæ, tum Deo aduerſaretur. Ideo Philolaus Pythagoræus præcipiebat: *Ne diuidas in via lignum*, hoc eſt, in vitæ curſu non ſecernas animam à corpore. Cui ſententiæ ſubſcripſit Plotinus Ennead. 1. in lib. de eductione animæ à corpore, Ariſt. nunquam aſſeruit id eſſe faciendum: ſolum dixit nonnulla agenda non eſſe, ſed potius oppetendam eſſe mortem; & quamuis vituperet eos, qui ob amorem, vel paupertatem ſe interficiunt, non propterea eos commendat, qui aliis de cauſſis id faciunt. Dicamus igitur, non poſſe hominem recta ratione ſeipſum interficere. Ratio eſt, quia nos ſumus ſerui Dei, ſerui non ſunt iuris, ac vt ſeruo non licet ſe interficere ratione humani domini, longe minus homini licebit ratione Domini diuini. Præterea docet Ariſtot. in 3. moral. Nicomachior. cap. 5. actiones ſemper eſſe collo-

catas

Digitized by Google

catas in noſtra facultate,& propterea nos in omni gradu,ſtatu, & conditione,valemus recte agere, & ſcelus non patrare: quare de hoc ſolo eſſe ſoliciti debemus,ne ſcelus patremus;in hoc cõſtantiam & fortitudinem tenemur patefacere,non in inferenda nobis morte:imo ſi collocati ſub tyranno congeremur, vel ſcelus patrare magnum, vel permittere nos interfici; permittendum eſſet vt interficeremur;tamen ſi congruente fuga poſſemus vires tyranni ſubterfugere,id recta ratione faciendum eſſet. At dicebatur: *Si ea mors eſt minus malum,& permittendum eſt vt ab alio nobis tradatur,cur non conſtanter noſtris manibus id efficere debemus?* Reſpondeo: Dum ab alio infertur,tunc patimur, & ea perpeſſio non eſt in noſtra poteſtate; at per nos ipſos id facere, in noſtra poteſtate eſt:nos tenemur non patrare ſcelus,id poſitum eſt in noſtra facultate,ſi id nolentes patrare interficimur, æquo animo tolerare debemus,quia violentia ſuperamur.

An dimicans ſingulari certamine, potius teneatur recta ratione permittere, vt interficiatur ab alio, quam ſe victum tradere, & primo de ſingulari certamine.

Cap. XXII.

APparuit nonnunquam mortem eſſe præeligendam: at quæritur, num ab eo præeligenda ſit, qui dimicans ſingulari certamine, ad id deducitur;vt cogatur, vel permittere interfici ab inimico,vel ei ſe victum tradere. Verſatur frequenter hæc diſputatio inter iuuenes ingenuos, equites generoſos, & viros illuſtres: & varia pro omni parte dicuntur; quæ, cum ob rationes,tum ob auctoritates, difficultatem reddunt apprime dubiam; adeo vt lis adhuc ſit ſub iudice. Ego rem arduam, multaque pro exacta ſui explicatione expoſcentem, quam breuiſſime potero, elucidare conabor: Quod vt faciam;perpendam primo,an ſingulare certamen concedi debeat, mox (eo conceſſo) quid ſit agendum conſiderabo. Auſi ſunt nonnulli *Quod ſingulare certamen debeat concedi.* aſſerere, ex ſententia Ariſtotelis viro ciuili conuenire poſſe ſingulare certamen, nixi præſertim auctoritate eius in primo rhetor.capite duodecimo, concedentis de inimico vindictam eſſe aſſumendam;& niſi id fieret varia ſequi abſurda. Et in quinto Nicomachiorum capite 5. dicentis: *Ciues vel malum acceptum reponere conantur.quod ſi non liceat,ſeruitus eſſe videtur iniuriam referre non poſſe,&c.* Si igitur licet iniuriam referre, licebit etiam pro ea referenda dimicare ſingulari certamine. Ita Homerus (cuius Poema ex ſententia Platonis eſt regula vitæ) varia inſti- *Homerus.* tuit ſingularia certamina;vt inter Paridem & Agamemnonem, inter Hectorem & Aiacem. Similiter Virgilius, Arioſtus, & alii.

Alia opinio. Nonnulli inquiunt: *ſingulare certamen aduerſari quidem iuri ciuili & diuino, at non iuri naturæ; licet enim iure naturæ vim vi repellere, & ob id ſingulari certamine dimicare.* Qua de re quatuor profero aſſertiones; prima eſt, ſingulare certamen, vt communiter vſurpatur, abſolute & per ſe eſt malum; eſt ſcelus, eſt barbarum aliquid & deteſtandum. Altera eſt, ſingulare certamen per ſe aduerſatur legi naturæ, inſtitutioni morali, legi ciuili & diuinæ. Tertia eſt, ſingulare certamen abſolute & per ſe conſideratum, cum principiis & fundamentis Ariſtotelis & Platonis ſummopere pugnat. Poſtrema aſſertio eſt, ſingulare certamen cum abſolute & per ſe ſit malum, cum conditione tamen & ex accidenti poteſt concedi. Prima aſſertio oſtenditur; in ſingulari certamine ille, cui non licet alterum interficere, nititur illum interficere; quare errat: nemini enim priuato alium interficere conſulto licet. Confirmatur, quia dum homo per id, quod non eſt proprium hominis, dimicat de eo, quod eſt proprium hominis, & per id, quod non eſt legitimum teſtimonium alicuius rei, vult, de ea re iudicium tradere; aberrat. At dimicans ſingulari certamine hoc facit; nam de honore, de veritate, de actione proba, dimicat robore corporis, quod eſt commune feris, quod nõ eſt legitimum teſtimonium probitatis & honoris. Quare aberrat: nam ſi in robur corporis inſpicimus, tanti erunt magis honore digni, quam homines: & ruſtici ac baiuli, quam viri nobiles. Secunda aſſertio erat, ſingulare certamen ſingulis legum gradibus aduerſari. Primo aduerſatur legi naturæ: cum enim natura quærat eſſe & generationem, & apud Græcos à generatione ſumſerit nomen, iure interitus ei maxime aduerſatur, nil enim per naturam appetit interitum alterius. Cõfirmatur, quia homo per naturam genitus eſt ad cœtum, ad ſocietatem, ad ſalutem alterius. Et quamuis naturæ lege pro noſtri conſeruatione liceat vim nobis illatam propellere; non ob id licet deinde nobis poſt eam occaſionem dimicare cum eo, qui iniuriam intulit, vt illum interficiamus. Aduerſatur morali inſtitutioni: primo, quia honor non eſt complicatus cum viribus corporis, nec ex eis pendet: ſecundo, quia qui ab altero iniuria afficitur, non priuatur honore, vt agens de honore patefaciam, & propterea non tenetur pro recuperando honore, niti illum lædere, vel interficere. Quod aduerſetur legi ciuili & diuinæ, conſpicuum eſt: per neutram enim viro priuato licet niti alterum interficere: per vtramque viri priuati conſiderantur, vt conſtituti ſub alterius imperio, tanquam non ſui iuris, & propterea non in eorum eſt facultate, ad libitum de ſua, vel alterius vita diſponere. Erat tertia aſſertio, ſingulare certamen pugnare cum principiis & fundamentis Ariſtotelis, & Platonis. Quod pugnet cum fundamẽtis

Opinio propria.

Quatuor aſſertiones.

Secunda aſſertio.

Tertia aſſertio.

Digitized by Google

tis Ariſtotelis patebit ex eo quod de honore declarabo: nam ſingulare certamen præſertim gratia honoris exercebatur, at honor virtutes morales reſpicit, quæ non ſequuntur vires corporis, nec viribus corporis menſurantur. Ideo in tertio moralium Nicomachiorum, capite nono, dicit; *Non viros fortiſſimos eſſe maxime bellicoſos, ſed eos, qui plurimum valent virtutibus, optimeque affecti ſunt corpore, &c.* Similiter aduerſatur Platoni, tum quia de honore idem ſenſit, quod Ariſtoteles, tum inſuper, quia in eo dialogo, qui Crito inſcribitur, dixit: *Quamobrem nullo modo iniuria alteri inferenda eſt, nec ſi iniuriam paſſus fueris, vlciſci debes* (vt vulgus putat) *ſiquidem nullo modo inferenda eſt iniuria, mala autem inferre hominibus, non diſcrepat ab iniuria, cum id legibus aduerſetur, &c.* Præterea 11. de legibus lege ſancit, ciuem verbis iniuria affectum, non debere verbis illum offendere; ſed modeſte ſe excuſare, & ſe à vitio expurgare: nam (vt dixit Alexander) *regium eſt, cum bene feceris, mala audire.* Inſuper Plato ſæpe patefecit: iniuria laceſſitum non priuari honore: & in libro de regno aſſeruit, *regem parum manibus ac reliquis membris pro regni ſalute teneri valere: intelligentiam vero & animi robore plurimum.* At erat inſtantia, quia Ariſtot. concedit vindictam, quare & ſingulare certamen. Hic duo ſunt conſideranda. Primum, qui Ariſtot. cum Platone pugnare videtur; Ariſtot. (vt dixi) vindictam concedit. Plato per verba ex Critone relata eam damnat. Alterum eſt, num ſi vindicta conceditur, debeat concedi ſingulare certamen. De prima difficultate dico, inter Platonem & Ariſtotelem nullam eſſe controuerſiam. Negat Plato vindictam eſſe ſumendam à ſemetipſo, at non negat id debere fieri per iudicem, magiſtratus, & principem: imo in Gorgia oſtendit præſertim nos debere vti rhetorica pro accuſandis illis, qui errarũt, vt pœnas dando purgentur. Ariſtot. conceſſit petendam eſſe vindictam, at modo legitimo, ſeruando ea quæ ad iuſtitiam pertinent: nam quemadmodum ſi quis à ſuo debitore pecuniam exigere debet, non valet legitime ſuis viribus violentia eam ab illo ſurripere, ita longe minus id valet iuſte efficere, dum alio modo læſus fuerit: id enim eſt munus Dei, humani iudicis, & principis, ad quos pertinet cuſtodia alieni & communis boni. Ex hoc conſtat, minime (eo conceſſo) colligi poſſe, concedendum eſſe ſingulare certamen. Poſtrema aſſertio erat, ſingulare certamen, cum per ſe & abſolute ſit malum, ex euentu tamen & cum conditione poſſe concedi, & conſiderari quid agendum. Quæ conceſſio poteſt eſſe duplex, vel rectæ rationi conſentanea, vel falſo nixa fundamento, rectæque rationi aduerſa. Rectæ rationi conſentanea eſſet, dum verſaretur inter duos principes bellũ, quod legitimum eſſet, vel ex parte vnius, vel ex parte vtriuſque (quod

Soluitur inſtantia.

Plato cum Ariſtotele de vindicta ſumenda cõciliatur.

Quarta aſſertio.

Suppoſitio recta rationis conſentanea.

Digitized by Google

an dari poſſit nec ne, nunc non conſidero) præſuppoſito itaque legitimo bello inter duos principes; quia vt totum ad totum, ita pars ſe habet ad partem, ſi inter principes & duos exercitus bellum eſſet legitimum, etiã tale poterit eſſe inter ſingulos vtriuſque exercitus; dum pugnarent ob communem belli cauſam, & cum auctoritate & ordine Principis. Propterea ſi pro vitando maiori malo, vt regionum incenſione, vrbium depopulatione, populorum ſtrage, & ſimilibus, conuenirent aduerſi principes; vt vel ipſimet, vel alii ab illis electi, ſingulari certamine litem vniuerſam dirimerẽt, ac ita publico bello finis imponeretur, vtique id fieri poſſet: quia ſic non obtineret locum certaminis ſingularis, ſed publici; & præſupponitur fieri ob bellũ legitimum, cum auctoritate principum, & cõſpicua maioris mali euitatione; minus enim malum comparatum cum maiori obtinet locum boni. Altera conditio falſo nixa fundamento eſſet, ſi cõcederemus ſummũ bonum eſſe collocatum in honore & gloria; & quod honor & gloria prodirent ex præſtantia in arte militari, & viribus & dexteritate corporis; adeo vt quilibet vir ingenuus & liber, eius honoris teneretur eſſe acerrimus cuſtos. Et ex his duobus præſertim cẽſeo ego duxiſſe ortum ſingulare certamen, ac vtriuſque apud veteres conſpicua extant exempla: & prætereundo Romanos, exemplũ primi exſtat apud Homerum tertio Iliadis, vbi inſtituitur ſingulare certamen inter Paridem & Menelaum, vt finis perniciosiſſimo bello imponeretur, hac lege, vt qui eorum viciſſet, cum Helenæ, tum dotis eis remaneret ſine lite poſſeſſor, idque iureiurando firmarunt: Paris tamen ab Agamemnone victus, fœdus non ſeruauit, & id bellum ſaltem ex parte Troianorum non erat legitimum. Hac eadem conditione Pittacus Imperator exercitus Mitylenæorum, cum Phrynone Atheniẽſium Duce pro agri Achillitidis poſſeſſione ſingulari certamine dimicauit, vt legitur apud Diogenem Laertium de vita Pittaci. Homerum imitatus eſt Arioſtus, dum pro imponendo fine bello inter Agramantem & Carolum, ex vna parte Renaldus, ex altera Rogerius electi fuere, vt hæ partes ſingulari certamine pro toto dimicarent. Exemplum alterius conditionis rationi aduerſæ exſtat apud Homerum libro ſeptimo Iliadis, vbi inſtituit ſingulare certamen pro gloria militaris diſciplinę inter Hectorem & Aiacem ſorte ex nouem Gręcorum ducibus electum. Quem imitatus in parte eſt Arioſtus, dum inter Rodomontem & Rogerium ſingulare certamen inſtituit, quo Rodomontes ſe iactabat ante occaſum ſolis oſtenſurum, Rogerium fuiſſe infidum & indignum honore, quaſi viribus corporis & militari arte id poſſet oſtendi. Conſimilis generis fuere ſingularia illa certamina, quæ vſque ad noſtra tempora præſer-

Suppoſitio nixa falſo fundamento.

Homerus.

Arioſtus.

Digitized by Google

præſertim apud varios Italiæ Principes frequentata fuerunt: dimicabatur enim, vel pro ſeruando ac recuperando proprio honore, vel vt occulta aliqua veritas eluceſceret, dũ vnus aſſeruiſſet alterũ patraſſe ſcelus aliquod, ille negaſſet; vel ꝓ præſtantia in arte militari, & ſimilibus: & ꝓpterea mos ille, inhumanus, falſis nixus fundamentis, ac pernicioſus, iure reiectus ac damnatus fuit, vt lucidius patefaciam, dum loquar de honore: illi enim & de honore, & de eo recuperando perperam ſentiebant.

Conceſſo ſingulari certamine, num dimicans teneatur permittere interfici, vel potius ſe victum tradere.

CAP. XXIII.

CVM apparuerit, quid cenſeam de ſingulari certamine eſſe dicendum: præſuppoſito, quod vel vno vel altero modo duo inter ſe dimicent eo certamine, ſi euenerit, quod alter eorum, dum fecit omne quod valuit, ad id perducatur, vt cogatur vel permittere interfici, vel fateri ſe victum ac ſe victum tradere; quid horum ei præeligendum erit? Docent nos Plato & Ariſtoteles, dum interrogatio non eſt vna & ſimplex, non eſſe dandam vnam reſpõſionem, ſed diuiſione eſſe vtendum: hoc nobis modo accidit, interrogatio enim non eſt ſimplex, ob varietatem ſingularis certaminis, & duplex genus conditionis eius. Nam ſi ea fuerit rectæ rationi conſentanea, qualis erat prima, tenemur abſolute rectam ſequi rationem; & id præeligere, quod ea præeligendum oſtendit. Dum itaque decreto principum duobus imponitur, vt rem vniuerſam decernant: tunc dimicaturi tenentur exacte cõſiderare, qua lege in arenam prodeant, quid ſit honeſtum, & non honeſtum, quid ſuo principi expediat quid non, & vtile principis ac honeſtum propriæ vitæ præferre: at cum id omne fecerint quod valuerunt, ſi in diſcrimen alter eorum inciderit, vt cogatur vel ſe victum tradere, vel permittere vt interficiatur, ſi neutrum eorum fuerit vtile illis, pro quibus dimicat, ſed æque vtrumque obſit; tunc abſolute, recta ductus ratione, potius ſe victum tradere debet: hoc contentus, quod ſibimet non defuit, id præſtitit quod præſtare valuit, & niſi corporis, ſaltem animi fortitudinem, quæ vera eſt, patefecit. Permittere interfici ſine vlla vtilitate, vel honeſti aſſecutione, temerarium eſt, naturæ & humanæ conditioni aduerſum. Non fateri ſe corpore victum, dum re vera victus eſt, obſtinatio falſa & pernicioſa cenſeri debet. Hoc faciendum cenſeo, dum abſolute rectæ rationi ſubiicimur, quaſi tunc dicamus: vicit robur tui corporis, robur corporis mei, & fortuna tua fortunam meam, at non virtus animi tui virtutem mei. Si quis tamen pro *Diſtinctio.*

fidei veritate pugnaret, potius permittere deberet interfici, quã eam inficiari; ex eo n. quod verum inficiaretur, ſcelus magnum patraret. Verum facta altera ſuppoſitione fera, barbara, & inhumana, quod ex robore corporis arteque militari prodeat verus honor & gloria, & ꝙ in ea gloria ſummum bonum ſit poſitum, tunc cenſeo oppoſitum eſſe faciẽdum, & potius permittendum vt interficiatur: quoniam ſine honore, qui ſit ſummum bonum, vita tenuenda eſt, & mors turpi ſaluti eſt præferenda. Ideo dixit Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, cap 9. *Virum fortem dedecus magis quam mortem formidare debere, & mortem turpi ſaluti eſſe praeferendam.* Eo falſo fundamento nixi Stoici, etiam ſibimet nõnunquam debere virum fortem conſciſcere mortem aſſerebant. Spartani, dum prodirent in prælium, in clypeo geſtabant inſcriptum: Aut cum hoc, aut in hoc. Lacedæmonii pręcipiebant, ne milites vnquam ſe victos traderent. Propterea Seneca in libro de beneficiis inquit: *Cum inuictos eſſe Lacedamonii ſuos ciues magni aſtimarent, ab his certaminibus eos remouerunt, in quibus victorem facit, non iudex, non per ſe ipſe exitus, ſed vox cedentis, & tradere iubentis: Hoc, quod illi in ciuibus ſuis cuſtodiunt, virtus ac bona voluntas omnibus praſtat, ne vnquam vincantur, quãdoquidem etiam inter ſuperantia animus inuictus eſt: ideo nemo tercentos Fabios victos dicit, ſed occiſos, & Regulus captus eſt à Pœnis, non victus, &c.* Plato quoque in tertio de republica dixit; *Viros, qui futuri ſint liberi, teneri magis formidare ſeruitutem quam mortem, & in bello honeſtam mortem turpi ſaluti eſſe praeferendam.* Et pulcerrima eſt ea auctoritas, quæ ſumitur ex quinto de republica, quo loci inquit Plato: *Qui viuus ab hoſtibus captus fuerit, etiam gratis reddere volentibus relinquendus eſt, vt præda quomodocunque libet vtantur*: Ac etiam in duodecimo de legibus legem condidit aduerſus eos, *qui dimicantes turpem ſalutem honeſtæ morti prætulerũt.* Ex his colligo, quod, ſi permittitur ſingulare certamen, ſi qui ſuperatur, conceditur ſeruus, & priuatus honore, ſi vir fortis potius mortem, quam vitam infamem eligere debet, proculdubio in eo diſcrimine collocatus, falſis illis fundamentis pro veris aſſumptis, teneretur potius permittere interfici, quam tradere ſe victum. Hæc eſt de huiuſmodi difficultate opinio mea: nec me latet, viros varios præclara ſapientia inſignes, ſecus ſentire; at num recte, alii iudicent. Varia poſſem de ſingulari certamine dicere; ſit tamen mihi ſatis prima capita attigiſſe, ex quibus cetera deduci poſſunt: alia nonnulla patebunt ex declaratione honoris.

Ariſtoteles.

Stoici.

Spartani.

Lacedamonii.

Seneca.

FINIS SEXTI GRADVS.

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS VII.

DE FRVCTV QVODAM VIRTVTIS, eiuſque vſu, nempe de Amicitia.

Quotuplex ſit amicitia. CAP. I.

SErmo de amicitia arctiſſimo neceſſitudinis nodo cum ſermone de virtute iunctus eſt; amicitia enim vel eſt virtus, vel cum virtute eſt copulata, vt ſub initio octaui moralium Nicomachiorum affirmat philoſophus, nam (vt ſuo loco patebit) ea eſt principalis quidam fructus virtutis, eiuſque inter viros cõſimiles ſaluberrimus vſus. Amicitiæ nomen latiſſime patet; plurima ei competunt cõſideratione digna, multi viri celebres exactiſſime de ea ſunt locuti: ego tamen, ne ſermo de virtute ſit conciſus, nonnulla maioris momenti (& præſertim illa, quæ ei competunt, quatenus cum virtute connectitur: ad eamque refertur) explicare conabor. Et quoniam amor & amicitia eſt multiplex, propterea ab eius diſtinctione, partiumque enumeratione ordiar; vt appareat, quænam ea ſit, de qua ſumus verba facturi. Amoris & amicitiæ duplex eſt genus, vnum competit rebus per naturam, & ſine cognitione, alterũ ex cognitione oritur, eamque ſequitur. Amor primi generis ille eſt, de quo dicere cõſueuimus; pluuiam amicam plantis, vlmum viti: talis eſt ea, quæ phyſica ſympathia nuncupatur; nec non illa, quæ ab Empedocle vna cum lite inter principia generationis rerum numerabatur. Hæc amicitia cum virtute morali nullam habet connexionem, ſed ex Dei prouidentia oritur, per naturas rerũ effunditur, in eiſque eſt inſerta, propterea prætereunda eſt. Ex ea ſolũ hoc elicere poſſumus, nos per Dei prouidẽtiam, vt per ducem omnium; ac per rerum naturam vt per familiare exemplum, ad mutuam amicitiam excitari, & dirigi. Alterum amicitiæ genus, quia cognitionem ſequitur, &

Amicitiæ nomen late patet.

Duplex genus amoris.

Amor phyſicus.

Empedocles.

Amor ſequēs cognitionem triplex eſt. cognitionis tres ſunt principes gradus, ſenſuum ſcilicet, humanæ rationis; & diuinarum mentium, iure optimo in tres partes diſtribuitur: primo enim ex diuinarum mentium cognitione inſurgit amicitia eminentiſſima, qua ſe mutuo feliciſſime amplectuntur, & per connexionem cum primo principio beantur. *Amicitia eminens.* Altera ex parte, ex infima cognitione, quę ſenſuum eſt, oritur, amicitia in ſenſuum appetente facultate collocata, qualis eſt ferarum, & iumentorum, in quibus, vt virtutum; ita amicitiæ vmbræ nonnullæ tenues & obſcuræ apparent. *Amicitia humilis.* *Media.* Demum ex medio cognitionis gradu (nempe ex humana ratione) conſurgit genus amicitiæ medium, homini rerum omniū medio congruens, in quo medio, derelictis extremis, nos præſertim verſari debemus. *Amicitia humana duplex.* Amicitia hominis propria, duplex eſt, vel enim verſatur inter æquales, vel inter inæquales: quæ duo genera diſtinctius in quatuor reſoluuntur, omnis enim humana amicitia, vel eſt inferioris erga ſuperiorem, vel ſuperioris erga inferiorem, vel inter æquales, vel demum eſt amicitia & amor ſui ipſius. Quorum quatuor generum tria minus proprie amicitię nomine denotātur: *Proprie non eſt amicitia inter inæquales.* nam ea ſola re vera eſt amicitia, quæ inter æquales verſatur: ceteri ſunt modi quidam & gradus amoris, qui rectius obſeruantię, reuerentiæ, pietatis, obſequ i, concordiæ, ac conſimilibus vocibus, quam amicitiæ merentur deſignari. Amicitia enim pro fine reſpicit vitæ coniunctionem, animorum conſenſionem, actionumq; conformitatem, quæ ſolum ęqualibus ſunt nata conuenire. *Amicitia inter pares multiplex.* Vera itaq; amicitia inter pares verſatur, quæ etiam multiplex eſt, & diſtinctio à fine petenda eſt: de ratione finis eſt, vt bonum ſit: bonum autem eſt triplex, honeſtum, vtile, iucundum: inde conſurgit triplex amicitiæ genus, relatum ad triplicem finem. D. Aug. in lib. de amicitia hanc triplicem amicitiæ formam deſignauit. *Carnalem ex voluptate ortam: mundanam ex vtili, ſpiritalem ex honeſto.* In fine honeſto vere vtile & iucundum includitur. Vtile autem & iucundum ſeorſum ab honeſto re vera conſiſtere nequeunt: dum enim ab honeſto ſeiunguntur, nedum non ſunt vere bona, imo neque abſolute vtilia, neque ſui natura iucunda, ſed nobis tantum ob deprauationem videntur talia. *Ariſtoteles.* Et ratio eſt, quoniā (vt monet Ariſtot. 9. moral. Nicomac. cap. 4.) virtus, & vir probus ſunt menſura rerum: at ea, à quibus abeſt honeſtum, nunquā à viro probo recta eius ratione iucunda ſiue vtilia iudicabuntur. *Plato.* Ideo Plato in Hipparcho lucrum omne eſſe bonum demonſtrauit: quoniam id quod nō eſt honeſtum, non eſt vere bonū, ſi non vere bonum, non eſt vere vtile, ſi non vere vtile, eius adeptio re vera lucrum nuncupari nō meretur. *Quæ ſit vera micitia.* Propterea colligo, triplicis amicitię formę quę inter pares verſatur, eā ſolam iure optimo nuncupādam eſſe amicitiā, qua

ad vere

Digitized by Google

ad vere bonum (quod honeſtum eſt) aſpirat, & iure profecto: nos enim monet Ariſt. in 1. phyſic 74. ſermonem abſolute prolatum, per ſe, & in ſua potiore ſignificatione eſſe intelligendum; & ſub initio quarti Metaph. monuit: dum id de quo loquimur, eſt ab vno, ſermonē præſertim & proprie inſtituendum eſſe de primo: cum igitur ea ſola vere amicitia cenſeri mereatur, quę ad honeſtum, quod vere bonum eſt, tēdit; iure de hac nos præcipue verba faciemus. Pro cuius etiam exactiore notitia conſiderandum eſt, quod formarum amicitiæ, quæ inter homines verſatur, nō nullæ ſunt publicæ & ciuiles, quales ſunt illæ, quæ fulgēt in variis reipublicæ formis; aliæ ſunt priuatę; ad vitam priuatam pertinētes: & hæ vel ſunt naturales, vel ex humana ratione ac prælectione prodeunt; ea, quæ verſatur inter parentes & natos, naturalis eſt, ea vero quæ verſatur inter pares, & ad honeſtum tendit, ex ratione & prælectione oritur. *Amicitia publica & priuata. Amicitia priuata eſt phyſica, vel ex prælectione orta.*

Quid ſint amabile, amor, dilectio, beneuolentia, concordia, amicus, amicitia, & deſiderium.

Cap. II.

VT diſtinctius appareat, quid ſit amicitia, explicādæ primo ſunt voces omnes quæ cū ea, vel eius nomine affinitatem habent. Primo occurrit amabile, quod obiectum & ſcopus eſt, cuius adeptio eſt finis cuius gratia amantis, amans enim ad id aſpirat, vt eo fruatur: amabile obtinet conditionem & formam boni, quod bonum dicitur eſſe ratio per quam aliquid amatur. *Amabile.* Secūdo reperitur φίλησις grȩce, latine dilectio ſiue amatio, cum qua maxime conuenit amor, græce ἔρως, ambo enim affectionem amantis erga rem amatam ſignificant. *Amatio. Amor.* Differunt tamen primo, quia dilectio proprie ſumta conſideratur, quatenus eſt principium amicitiæ, amor vero ille dicitur, cuius principium eſt ea voluptas, quæ ex rei aſpectu gignitur: Nam (vt inquit Ariſt. 9. moralium Nicomach. cap. 5.) *nemo amore capitur, qui non fuerit ante forma ſpecieque delectatus, nec tamen is qui ſpecie delectatur, ſtatim amat, ſed tum, cum & abſentem deſiderat, & præſentem concupiſcit, &c.* Differunt ſecundo, quia amor magis ſignificat formam affectionis, & quaſi actum primum, dilectio vero actionem, & actum ſecundum; ideo amor fingitur Deus, non autem dilectio: amor Dei vere eſt eſſentia & Deus, cum in Deo nil ſit niſi Deus, amor autem noſter affectio & accidens eſt. Inſuper cum dilectione maxime conuenit beneuolentia, græce εὔνοια. Differt tamen primo, quia beneuolentia proprie illis ſolis conuenit quibus competit voluntas, nam dicitur bona quędam voluntas, dilectio vero & amor, communes ſunt iumentis & feris; *Beneuolentia.* Inſuper (vt inquit Ariſtot. 9. moral. Nicom. cap. 5. Beneuolentia

non eſt amatio, quia neque cōtentionem, neque appetitionem iunctam habet, quæ duo amationem ſequuntur. Inſuper amatio cum vitæ conſuetudine iuncta eſt, beneuolentia autem vel ſubito conciliari poteſt, & ideo homines, qui amant, etiam ſunt beneuoli, at non econtrario, non enim beneuoli quicquam laboris aut moleſtiæ ſubire volunt pro illis, erga quos ſunt beneuoli. Amicitia ab amore & amatione dicta eſt, tria tamen amationi ſuperaddit. Primo conſtantiam & firmitatem: ideo inquit Ariſt. 8 moralium Nicom. cap. 5. *Videtur autem amatio perturbationi ſimilis eſſe: amicitia vero habitui: amatio enim etiam in res inanimas confertur, redamare autem cum prælectione cōiunctum eſt, quod ab habitu proficiſcitur.* Secundo addit viciſſitudinem; amicitia enim expoſcit, vt amici mutuo ſe ament. Propterea inquit Ariſt. 8 moralium Nicomach. cap. 2 *Cum animæ expertibus non eſt amicitia, quia non poteſt adeſſe mutuus amor* et Plato in Lyſide inquit: *Niſi vterque amet, neuter eſt amicus.* Tertio ſuperaddit conſpicuitatem & notitiam; non enim amatio debet eſſe occulta, vt adſit amicitia. Ideo Ariſt. 8 moral. Nicomach. c. 2 inquit: *Vt igitur ſint amici, eos oportet ſe mutuo beneuolentia proſequi, vellequè alterum alteri bona euenire, ita vt hoc vtrique perſpectum ſit, & cognitum, &c.* Ex notitia amicitię conſtat, quiſnam cenſeri debeat amicus. Concordia eſt conſenſio, & conſpiratio plurium ad vnum aliquid; & eſt latior quam amicitia, vbi enim amicitia, ibi concordia eſt, at non contra: optima tamen concordia ex amicitia conſurgit, & eſt tanquam affectio & fructus eius. Demum adeſt deſiderium ſiue appetitio, quæ arcto nodo cum amore iūcta eſt, adeo vt nonnulli (è quorum numero eſt Leo Hebræus in 3. dialogo de amore) putarint, in idem venire cum amore, & eſſe naturam & eſſentiam amoris. Hinc definientes amorem dicūt, eſſe deſiderium rei amabilis, quos tamen longe à vero recedere exiſtimo: non enim amor eſt appetitio, ſiue deſiderium; ſed amorem appetitio ſequitur, tanquam eius affectio: quod aſſeruit Ariſtot. 9. moralium Nicomachiorum cap. 5. inquiens; *Beneuolentia non eſt amatio, quia neque contentionem, neque appetitionem habet, quæ duo amationem ſequuntur.* Verum hac de re cumulate in gradu perturbationum verba feci, propterea nunc illam prætereo.

Amicitia. — *Amicus.* — *Concordia.* — *Deſiderium quomodo ſe habet ad amorem.*

Referuntur variæ amicitiæ definitiones, & propria traditur.

CAP. III.

Plato.

PLATO in Lyſide agens de amicitia; cum primo conſideraſſet ſententiam Heſiodi aſſerentis, *amicitiam eſſe conſenſionem ſimilium*; nec non ſententiam aduerſam dicentium, *amicitiam eſſe conſenſionem diſſimilium*; demum ſuam proferens ſententiam

Digitized by Google

tentiam inquit, *amorem ac amicitiam eſſe appetitionem eius, quod proprium & cognatum eſt, ex indigentia conſurgentem.* Quæ definitio nimium lata eſt, & fere de omni amore dicitur; ac nonnulla includit; quæ dubia ſunt; præſertim cum pro genere appetitionem accipiat. Cicero in libro de amicitia dixit primo; *amicitiam eſſe voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumque ſummam conſenſionem.* Addidit ſecundo, *eam eſſe omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia & caritate ſummam conſenſionem.* Explicauit Cicero potius amicitiæ fructus, quam eſſentiam, & principia eam conſtituentia. Præterea minus recte cum amicitia humana permiſcet diuinam, & eam, quæ in toto vniuerſo conſideratur. D. Auguſt. in lib. de amicitia (ſi eius eſt liber ille) dixit: *Ego amicitiam nil aliud eſſe credo, quam inter duos tantam voluntatum ſocietatem, vt nihil velit vnus quod alter nolit: & ea ſit inter vtroſque in bonis maliſque conſenſio, vt non ſpes, non ſenſus non honor, nõ quicquam, quod alterius ſit, alteri denegetur ad vouendum pro voluntate, & ad vtendum, vt vnuſquiſque, ſicut erga ſe, ita afficiatur erga proximum in omni officio & obſequio, quod rependant inuicem, &c.* Hæc eſt potius lata quædam amicitiæ explicatio & deſcriptio, quam eius arte tradita definitio. Nos autem definitionem quærimus magis ſuis numeris abſolutam, diſtinctiuſque cauſas & principia eius explicantem. Propterea alii inquiunt, amicitiam eſſe ſummum quendam tempore & conſuetudine confirmatum amorem mutuum duorum, aut ad ſummum trium, animorum virtutiſque ſimilitudine profectum. Quæ definitio, cum fine careat, imperfecta eſſe videtur, idque præcipue, quia non cuncta patefacit pertinentia ad amicitiam. Prætermiſſis itaque definitionibus ab aliis traditis, hanc ego cenſeo eſſe propriam & perfectam humanæ amicitiæ definitionem: amicitia eſt proborum hominum mutuus, conſpicuus, confirmatuſque amor, ex probitatis cognitione conſurgens, ad vitæ honeſtę coniunctionem perducens. Hæc definitio omnibus numeris abſoluta videtur, & omne genus cauſę includit, vt ex eius explicatione reddetur conſpicuum.

Cicero. *D. Auguſt.* *Aliorum ſententia.* *Definitio ex propria ſententia tradita.*

Explicatio definitionis amicitiæ.

CAP. IV.

VT amicitia, eiuſque definitio magis eluceſcat, per omne genus cauſar..m eius progrediẽdum eſt. Explicatur primo forma, dũ dicitur (mutuus, conſpicuus, confirmatuſque amor) nã amicitia hæc tria amori ſuperaddit; vt dictum eſt. Iure amicitia dicitur amor mutuus: amicus enim ad alterum refertur, nec ad aliud referri poteſt, niſi ad amicum. Cum itaque amicus amico ſit amicus, neceſſe eſt, vt adſit amor mutuus. Cõfirmatur, quia amicitia eſt ſumma cõiunctio, non dicuntur animi mutu-

Forma amicitiæ.

Digitized by Google

me iungi, niſi adſit amor mutuus. Inſuper, cum amicitia ſit vehemens confirmatuſque amor, non ſeruatur, nec creſcit amor, niſi alter quoque in amore reſpondeat. Propterea recte Themiſtius oratione ſexta fabulam hanc refert, inquit enim Themim Deam dixiſſe Veneri; *Amor, ô Venus, verus inquam ille ac ſincerus, ſolus fortaſſe naſci poteſt, at ſolus vt creſcat fieri non poteſt: Quare ſi amorem vis adoleſcere, Anterota, hoc eſt, amorem alterum ei reſpondentem te procreare ac parare oportet. Erit autem hac vtriuſque fratris natura, vt alter alterius incrementi ſit cauſſa, intuentes enim ſeipſos, pariter atque aequaliter creſcent, & quicquid de vno diminutum fuerit; id de altero detrahetur, &c.* Hæc itaque amicitiæ forma eſt, amor mutuus, conſpicuus & confirmatus: qua forma nulla alia profecto apud mortales conſpici poteſt, quæ dulcior, gratior, ac ſplendidior ſit. Et quoniam illuſtri formæ præſtantiſſima quoque reſpondet materies & ſubiectum, propterea materiei loco addimus (proborum hominum) nil enim apud nos diuinius homine probo reperitur: & iure optimo profecto amicitia vitiis extinguitur, probitate ſeruatur, nam probitas purgat, purgata autē maxime ſibi mutuo conſentiunt. Probitas ſemper eſt ſibi conſimilis, ſibi amica, ſuaque natura amabilis, improbitas contra eſt ſibi diſſimilis, ſibimet aduerſa & odioſa aliis. Probitas nectit, improbitas ſoluit & diſſipat. Probitas eſt fidelis, infida improbitas: Illa eſt grata Deo: Hæc ingrata Deo & hominibus. Propterea recte dixit Seneca; *Solus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens eſt amicus.* Et Plato in Lyſide aſſeruit: *Verum mihi videntur bonos dicere ſimiles eſſe inuicem, & amicos, Improbos autem* (vt ſæpe de illis dicitur) *nunquam vel ſibi ipſis, vel inuicem ſimiles eſſe, ſed ſtolidos penitus, & inſtabiles, &c.* Eadem ſententia hac quoque ratione confirmatur: quia vera amicitia veram dilectionem expoſcit: vera dilectio ad vere bonum tendit, rectumque iudicium expoſcit, iudicium rectum, & vere bonum, ſeorſum à virtute & probitate conſiſtere nequeunt, quare vera amicitia non valet ſine virtute & probitate ſeruari. Addebatur tertio id, quod pertinet ad cauſſam efficientem, & dicebatur (ex probitatis cognitione conſurgens) nam amicitia & amor pertinent ad facultatem appetendi, non excitatur appetitio, niſi ex cognitione obiecti, vt boni nobis, obiectum enim eſt bonum ὀρεκτὸν ſeu optabile: hoc bonum nonnunquam eſt vtile, vt in amicitia eorum, qui lucrum quærunt, nonnunquam iucundum, vt in amore cupidineo: At in vera amicitia eſt abſolute & vere bonum, quod ſolum honeſtum eſt: huiuſmodi eſt ſola virtus, actioque eius, per quam viri abſolute probi redduntur & nuncupantur. Oritur amicitia in recte conſtitutis animis hunc in modum: cum fuerimus virtutum mo-

Themiſtius.

Materies.

Cur amicitia probitatem expoſcit.

Seneca.

Plato.

Cauſſa efficiens.

Ortus amicitiæ.

ralium

Digitized by Google

ralium formis decorati, rectoque iudicio præditi, inſpiciẽtes in alterius animo per varias actiones eandem virtutis formam, illam vt bonã noſtroque habitui conſimilem approbamus, commendamus, beneuolentiaque proſequimur, quæ beneuolentia creſcens appetitionem parit obiecti, nec non deſiderium cõferendi beneficia in illud, ex quibus amatio ſiue dilectio cõſtituitur. Et quoniam finem, qui eſt vitæ coniunctio, aſſequi non valemus, niſi alter quoque nos amet, ꝓpterea per cõgruentes virtutũ actiones nitimur efficere, vt idem ab altero de animo noſtro iudicium fiat, vt eadem ratione ipſe quoque incipiat nos amare, qui mutuus amor actionibus variis, temporiſque diuturnitate confirmatus, in amicitiam tranſit: adeo vt a cognitione honeſti ad beneuolẽtiam, à beneuolentia ad amorem, ab amore ad amicitiam, fiat progreſſio, cuius curſus beneuolentia eſt principiũ, amor medium, amicitia finis: ſic amicitia per honeſta principia, honeſtaque media, honeſtiſſimam perfectionem conſequitur. Addebatur demum in definitione, ad vitæ honeſtæ coniunctionem perducens: Nam amicitia amor eſt, amoris affectio & comes eſt deſiderium, expetimus autem obiectum aſſequi, eoque frui: cumulatiſſime autem amici probitate fruimur, in vitæ coniunctione per actiones ex virtute, tanquam radios ex ſole ꝓdeuntes. Verum, vt finis amicitiæ reddatur magis conſpicuus, accurate conſiderandum eſt, quod pulcra eſt quæſtio, quis nam ſit finis amoris, quem præſertim expetat amans. Epicurus eũ tribuit voluptati: Alii inquiunt amantem optare; vt, cum amet, vice verſa ametur. Plato in cõuiuio vna cum Diotima ait, *amantem optare ex pulcro aliquid procreare pro ſui æternitate*: Cum Ariſtophane autem inquit, *amantem expetere vnitionem cum amato*: Peripatetici dicerent, *amantem optare id bonum, quod ex vnitione in nos redundat*. Adeo quod Plato inquiens *vnum eſſe caput boni, & locari ſupra bonum, diceret, finem vltimum eſſe ipſum vnum*: Ariſtoteles vero inquiens *bonum eſſe de ratione finis, aſſereret finem vltimum eſſe bonum, non autem vnum*. Hæ relatæ ſententiæ ita ſe habent, vt, quamuis inter ſe pugnare videantur, omnes tamen (dum recte conſiderantur) aliquid veri includant. Et pro notitia conſiderandum, in amore varia reperiri. Datur primo obiectum excitans: datur ſecundo amans aſpirans ad illud obiectum: conſideratur tertio finis, cuius gratia ad illud aſpirat, qui finis eſt multiplex: vnus proximus; & eſt vt redametur: alter poſterior, & eſt vnitio: tertius vltimus, & eſt id bonum, quod in nos ex vnitione redundat. Ipſum vnum (quod ſupremum ponitur à Platone) eſt terminus vltimus aſcenſionis amantis, bonum vero approbatum, ex ſententia Ariſtotelis eſt ea perfectio, quæ ex vnitione cum

Gradatio.

Finis amicitiæ.

Opiniones variæ de fine.

Conciliantur opiniones.

vno in nos redundat: adeo vt vtraque ſententia, diſtincta conſideratione, vera ſit; & ſit perinde ac ſi diceremus, ex connexione cum eſſentia ſolis luce perfundimur. Ex ea autem vnitione, per quam perficimur, quaſi ex maris & fœminæ συνδυασμῷ ſeu connexione, prodit ꝓles, vel animi, vel corporis, ratione varietatis eorum quæ cōnectuntur; quæ ꝓles non finis, ſed fructus amoris cenſeri debet: gaudium demum eſt affectio ꝓdiens ex perfectione per vnitionem in nos redundante. Terminus itaque vltimus eſt vnum & vnitio cum eo, quod nos per bonum perficit. Et hoc denotatur in definitione per vitæ cōiunctionem: cetera autem ab aliis pro fine ſumta, non veri fines ſunt; ſed vel vię vel fructus, vel affectiones eius. Hanc vitæ coniunctionem explicauit Ariſt. in nono moral. Nicomachiorum, c 4 inquiens, *amicum ſe habere ad amicum, perinde ac erga ſeipſum; amicus enim eſt alter ipſe: & quæ valent effi ere amici noſtri, nos quoq; dicimur poſſe efficere*, vt aſſeritur in tertio moralium Nicomachiorum, capit. tertio. Propterea qui numerum amicorum augent, ſuas augent facultates; & non ſecus, imo nonnunquam magis mortem amici ægre ferimus, quam noſtram; & mors nobis videtur dulcis, dum pro amici ſalute eam obimus. Eandem cum re amata connexionem expreſſit Plato per fabulam Androgyni, primo diuiſi, mox ope amoris connexionem quærentis. In qua coniunctione amor, & vnum, & quatuor eos reddere dicitur, qui duo ſunt: eos reddit vnum, ob animorum & vitæ coniunctionem, ad quam aſpirant; animi enim incorporei virtute purgati, arctiſſime connectuntur: Eoſdem reddit quatuor; quatenus in vtriſque per cogitationes & actiones, viuit vterque: rectius tamen dicitur eſſe vnus, omni ex parte quadratus. Ex definitionis & cauſarum in ea ſumtarum explicatione, lucide conſtat præſtantia, ſplendor, & dignitas amicitiæ. Conſtat inſuper, ad quam animi partem pertineat: nam attinet ad mentem, vt recte iudicātem honeſtum, ad voluntatem, tanquam optantem vltimum finem eius; ad rationem & prælectionem, tanquam per congruentia media dirigentem; ad facultates appetentes ſenſuum, vt ad partem in qua reperiuntur perturbationes, quarum moderationem amicitia expoſcit: & facta comparatione inter duas appetitiones eius, præcipue & proprie ad appetitum iraſcendi pertinet, vt colligitur ex ſeptimo de republic. capit. 15. quia ad illum pertinet odium; ac inſuper, quia ad eum pertinent attinentia ad honorem & deſiderium honeſti, quæ cum amicitia ſunt complicata.

Ariſtot.

Plato.

Ad quam animæ partem pertinet amicitia.

An

Digitized by Google

An amicitia ex indigentia ortum ducat.

CAP. V.

PLato in Lyſide agens de amicitia, prope calcem dialogi manifeſtat, amicitiam ex indigentia oriri; & eſſe appetitionem eius, quod proprium & cognatum eſt, ex priuatione conſurgẽtem. Idipſum latiſſime patefecit in conuiuio in oratione Socratis; vbi Peniam, hoc eſt, indigentiam & paupertatem, aſſerit eſſe matrem amoris. Cicero in libro de amicitia, quamuis multa (quod ei moris eſt) ex Platone deſumat; hanc tamen ſententiam paruipendit, eamque ratione nititur euertere inquiens. Amicitiam ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci; vt ſit, per quam quiſque aſſequatur, quod deſiderat, humilem ſane relinquunt & minime generoſum (vt ita dicam) ortũ amicitiæ, quam ex inopia atque indigẽtia naſci volunt; quod ſi ita eſſet, vt quiſque valetudinis minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus, quod longe ſecus eſt: vt enim quiſque ſibi plurimum cõfidit, & vt quiſque maxime virtute & ſapientia ita munitus eſt, vt nullo egeat, ſuaque omnia in ſe vno poſita iudicet, ita in amicitiis expetẽdis colendiſque maxime excellit. His verbis Cicero ſententiam à Platone approbatam paruipendit, ſuamque referens inquit; à natura gigni ſenſum diligendi, & beneuolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis: confirmanſque hanc ſuam opinionem addit; quia ſi ob indigentiam amaremus amicum, tunc beneficia noſtra fœneraremur, & lucri cauſa in amicum ea conferremus. His verbis & rationibus Ciceronis, viri grauiſſimi, dubia ſatis redditur ſententia Platonis. At iniuria profecto Platonem carpit; & ſatis imperfecte patefacit, quomodo ex probitate amicitia prodeat. Pro cuius notitia conſiderãdum, quod, cum amicitia ſit amor, vt ad amoris, ita ad amicitiæ conſtitutionẽ duo concurrunt, copia & inopia, bonum & priuatio, ſiue optabile & appetitio. Copia & bonum dicitur pater, inopia mater; & iure profecto: Inopia enim, quæ priuatio eſt, ad materiem pertinet, ad eamque redigitur, quæ tanquam mater eſſe dicitur; copia vero eſt obiectum, quod tanquam pater appetitionem materiei explet: priuatio dicitur occaſio, & cauſa, ſine qua amor eſſe non poteſt, abundantia eſt principale principium. Plato exactiſſime in Lyſide & cõuiuio vtrunque eſſe amoris & amicitię principium patefecit, vt etiam Ariſtoteles in primo Phyſicorum, octuageſimoprimo. Cicero negans amicitiam oriri ex priuatione, id inficiatur quod veriſſimum eſt: aſſerens oriri ex probitatis ſenſu, diminute principium eius patefecit, tradens ei patrem ſine matre, & patrem quoque non pro omni parte exacte manifeſtans. Aſſero itaque amicitiæ principia & parẽtes, cum indigentiam, tum copiam, & probitatem eſ-

Plato.

Cicero contra Platonem.

Opinio Ciceronis.

Reiicitur ſententia Ciceronis.

Cur priuatio dicitur mater, copia pater amicitiæ.

Propria explicatio.

ſe: & quia amicitia conflatur (vt patuit) ex beneuolentia & appetitione, copia præſertim ad beneuolentiam pertinet, inopia ad appetitionem. Et cõſiderandum, quod in amicitia duplex conſideratur appetitio & indigentia, duplexque copia & abundantia. Potiſſima indigentia eſt ea, quæ reſpicit finem potiſſimum, nempe vitæ coniunctionem, qua primo caremus; ideo eam optamus, eaque fruentes, expetimus illius conſeruationem. Hoc affirmauit Ariſtoteles in 8. moralium Nicomachiorum, capit. 5. inquiens: *Nihil eſt enim tam amicorum proprium, quam vitæ ſocietas & communio, præſidia & adiumenta inopes deſiderant, ſocietatem vitæ etiam beati, quando quidem eos ſolos eſſe minime conuenit, &c.* Prima itaque eſt priuatio & appetitio finis & obiecti. Quam ſequitur appetitio effundendi in alterum, eique communicandi bona noſtra, per quam optamus in amicum, & pro amico beneficia conferre. Hinc dicimus amorem in nobis ipſis terminum recipere, quia quamuis bonum amemus vt bonum, illud tamen demum pro nobis optamus: amicitiam vero magis terminari in alio, nempe in amico, cui ſimilis eſt ille amor, quo Deus diligit mundum: & id accidit, quia amicus eſt alter ipſe, & mundus eſt vmbra & imago Dei. Propterea indigẽtia amici, & imaginis noſtræ, noſtra dicitur, & ob id nos illam explere optamus. Vt duplex apparuit appetitio & inopia, ita duplex copia in amicitiæ conſtitutione refulget. Vna eſt obiecti, quo frui optamus. Altera eſt eius boni, quo nos, quaſi ſemine fœcundi, in alterum effundere, alterique impartiri quærimus, & iure profecto: nam de ratione boni eſt fœcunditas, & communicatio, hac ratione mares perfectione, bono, & ſemine fœcundi, in altero parere, fœcundumque ſemen in alterum effundere per naturam optant. Vtraq; copia in amicitia refulget, per primam amicus alterum optat, per alteram bona cuncta, & animi, & corporis, & externa, cupit ei impartiri. Et quia hæc fœcunditas in ſolo probo reperitur, ideo ille ſolus valet eſſe amicus. Hanc ſecundam fœcunditatem exactiſſime extrinſecus patefecit Deus: dum, quia bonus, mundum produxit, ac ita creaturas diligit, vt eas ſua fœcunditate perficiat. Et hanc ego cenſeo potiſſimam fuiſſe rationem, ob quam veteres, ſimul & ſapiẽtes & poetæ, quamuis plures finxerint Veneres, quæ a nonnullis quatuor enumerantur, præſertim tamen duas ſtatuerũt, cœleſtem vnam, alteram humanam; cœleſtem dixerunt ex patre cœlo ſine matre ortam, vt indicarent originem illius eminentiſſimi amoris, qui ex ſola fœcunditate ſine interna indigentia amantis prodit, qualis eſt amor diuinorum erga humana, qui ſolũ expoſcit ſpumã maris, hoc eſt, indigentiã ex parte mortaliũ recipiẽtium. Omnis itaque amor & amicitia iunctam habet priuationem aliquam, quæ vel interna

Duplex indigentia.

Indigentia amici noſtra dicitur.

Duplex copia.

Cur veteres finxere plures Veneres.

Epilogus dictorum.

Digitized by Google

terna eſt appetenti, vel eſt externa & in imagine eius, vel eſt in aliquo ad amantem pertinente: cum enim omnis amor iunctum habeat appetitum, & omnis appetitus expoſcat priuationem, neceſſe eſt etiam vt omnis amor priuationem & peniam expoſcat. Amor Dei expoſcit priuationem in mundo, qui eſt eius externa imago; & in mundi partibus, quæ ſunt creaturæ Dei ad creatorem pertinentes: amicitia humana (de qua loquimur) primo expoſcit priuationem finis amicitiæ in amãte, ſecundo priuationem in amico conſideratam, in quem cupimus beneficia conferre. Recte itaque Plato aſſeruit, & minus recte Cicero inficiatus eſt, amicitiam ex indigentia aliqua ortum ducere; cum neceſſario indigentiam aliquam expoſcat.

Num amicitia nobis fato competat, an potius praelectione.

CAP. VI.

EX reſolutione præcedentis difficultatis, altera emergit non minori cõſideratione digna; & eſt, num fato, an potius præelectione amemus, nobiſque comparemus amicos. Rationes ſe nobis offerunt pro vtraque parte. Quod prælectione id efficiamus, oſtenditur: quoniam amicitia vel eſt moralis virtus, vel ex morali virtute oritur, pertinentia autem ad virtutes morales, ex prælectione prodeunt. Ex aduerſo, quod fato amemus patet. Nam inquit Plato, quem ſequitur Diuus Auguſtinus & Cicero, *à natura gigni ſenſum diligendi, & beneuolentiæ caritatem.* Ideo dixit Plato in Lyſide: *poetæ* (qui nobis tanquam patres ſunt ac duces) *dicunt non male, homines conciliatoris Dei ductu amicos fieri*, ita enim aiunt: *Deus ſimilem ſemper ducit ad ſimilem, ſimiles autem ſunt viri probi, nam improbi nec ſibi ipſis, nec aliis ſunt ſimiles.* Inſuper addit. *Amicitiam eſſe appetitionem eius, quod proprium & cognatum eſt, ac id, quod natura proprium eſt, neceſſe eſſe vt amemus.* Hæc indicant nos fato amare: quæcunque enim Deo duce, inſtinctuque naturæ efficimus, fato dicimur facere, cum natura à fato, ex ſententia Ariſtotelis, ſola ratione diſtinguatur. Et præſertim, quia id, quod neceſſario efficimus (vt nos amare ſimiles dixit Plato) non prælectione, ſed fato facere dicimur. Diluens hanc difficultatem dico: eorum, quæ nobis competunt, nonnulla competere fato, hoc eſt, naturæ lege & ordine, alia prælectione, quædam forte fortuna, nonnulla demum mixta eſſe, & ob varia à variis ortum ducere. Huius poſtremi generis amicitiam eſſe cenſeo. Dum enim primo conſideramus, quod natura ducimur & reddimur faciles ad amandum & appetendum id omne, quod nobis proprium, cognatum, bonumque eſt, ac inſuper conſideramus, quod bonum ſui natura eſt amabile, & quod homo eſt animal variis modis per naturam

Amicitiam oriri ex prælectione.

Oriri ex fato.

Solutio.

Amicitiam ex variis pendere.

Digitized by Google

ad ſocietatem natus: ſic fato, & natura amare dicimur. Quatenus autem noſmetipſos quærimus ornare virtutibus, ſine quibus amicitia conſiſtere nequit, & reddere nos ſimiles ceteris viris probis; prælectioni ſubiicitur, præſertim, cum ſequi naturam ducem, in noſtris manibus, noſtraq; facultate ſit poſitum: ita amor ex prælectione, noſtraq; libera voluntate ortum ducit. Demum pro conciliando amore, firmandaq; amicitia cum vno potius, quam cum alio, plurimum confert fortuna; quatenus nobis varias præbet oportunitates varios cognoſcendi, cum

Epilogus dictorum.

variis vitam degendi, variaque virtutis munera obeundi. Sic itaque amor, & amicitia; ſemina prima, communiaque principia, à natura recipiunt, à fortuna occaſiones, & inſtrumenta varia, à

D. Auguſtinus.

prælectione demum, & aſſuetudine formam, conſtantiam, & poſtremam abſolutionem: Propterea recte Diuus Auguſtinus in libro de amicitia dixit: *Primum natura humanis mentibus affectũ amicitiæ impreſſit, quem auxit experientia, & demum legis auctoritas ordinauit.*

An ſit neceſſe, vt qui amat, vice verſa ab amato ametur.

CAP. VII.

Quomodo amans ametur.

Ἀντιφιλεῖν eſt neceſſarium.

REquiritur pro conſtituenda amicitia reciprocus amor: qua de re pulcra oritur dubitatio, an ſit neceſſe, vt qui amat, à re amata ametur. Iure optimo ſuſpicabitur quiſpiam id eſſe neceſſarium: quoniam (vt dictum eſt ex ſententia Platonis, Diui Auguſtini, & Ciceronis) à natura gignitur ſenſus diligendi, & beneuolentiæ caritas, facta ſignificatione probitatis, id autem, quod ex natura prodit, neceſſitatem modo quodam habet adnexam. Et hoc in Lyſide expreſſit Plato inquiens; *Amicitiam eſſe appetitionem eius, quod proprium & cognatum eſt, & quod natura proprium eſt, eſſe neceſſe vt amemus.* Quare, cum amans ob ſimilitudinem amet alium, eſt neceſſe vt ob eandem ſimilitudinem vice verſa ab altero ametur.

Confirmationes argument.

Confirmatur ex Ariſtotele in 8. moralium Nicomachiorum, cap. 8. aſſerente, *amari, & honore affici, ſimilima eſſe*; & cum honore affici nobis ſit gratiſſimum, pariter amari gratiſſimum erit: propterea amantem, vt rem gratam nobis facientem, vt teſtem noſtræ probitatis, vt nobis natura conſimilem, vt eum, in cuius animo ſumus ſpiritaliter impreſſi, non valemus non redamare. Adde, quòd non amare amantem, eſt genus iniuſtitiç, cum probitate ſummopere pugnans. Inſuper eſt genus homicidii animç, aliqua ex parte deterius homicidio corporis: qui enim amat, in ſe mortuus eſt, & cum non ametur ab altero, nõ viuens in eo, ab eo interfici dicitur. Demum, qui vere amat, ſeipſum tradit amato: à quo (dum tanquam res ſua iudicatur) non poteſt non amari, cum vnuſquiſque

Digitized by Google

quiſque per naturam amet ea, quæ ſua ſunt. Ideo Dantes in Inferno, cantu 5. dixit; *Amorem nemini permittere, vt, cum ametur, non amet:* & Franciſcus Petrarcha, *nullum cor* aſſeruit *adeo durum, quod dilectione & ſeruitute non molliatur.*

Rationes aduerſæ.

Ex aduerſo, experientia nos docet multos amare, & non amari, ac inde variæ prodeunt aduerſus amorem amantium querimoniæ. Et poetæ finxerunt, amorem vti ſagittis duplicis generis, aureis ſcilicet & plumbeis, amorem & odium excitantibus.

Primum quod accipitur.

Pro difficultatis reſolutione accipiendum primo eſt, amorem eſſe duplicem, & genus vnum amoris longe diſtingui ab altero. Datur enim amor laſciuus quærens iucundum, amor quærens vtile, & demum amor quærens honeſtum. Prima duo genera diſſimilitudinem magna ex parte expoſcunt. Tertium genus quærens honeſtum (de quo modo ſermo eſt) in ſimilitudine probitatis vtriuſque eſt collocatum. Si loquimur de amore quærente vtile vel iucundum, non eſt neceſſe vt amans redametur: poteſt enim vnus alteri iucunditatem vel vtilitatem præbere, at non vice verſa.

Dantis ſententia.

Ideo ſententia illa à Dante prolata, approbanda non eſt, quoniam tunc ei ſermo erat de amore laſciuo & impudico, in quo non eſt neceſſe vt amans redametur: Accidere enim poteſt, vt ſagittæ vnius partis ſint aureæ, hoc eſt, vt res amata ſit pretioſa, dignaque vt ametur, alterius vero ſint plumbæ, hoc eſt, vt amans ſit vilis, indignus vt ametur, veluti dum vnus præbet alteri vtilitatem vel iucunditatem, & non contra: hoc accidit, dum ſenex puellam amat.

Etenim Falcigero Venus eſt non bene iuncta ſeni.

Alterum quod accipitur.

Inſuper accipiendum eſt, quod amans nonnunquam vere alterum amat, vt dum probitatem animi alterius diligit, nonnunquam non alterum, ſed aliquid eius diligit, vt qui ob diuitias diligit principem, & qui formoſum corpus caſtæ puellæ laſciue amat.

Tertium quod accipitur.

His demum addo, multa repetiri, quæ per ſe ſunt vera, ex euentu tamen redduntur falſa.

Reſolutio per tres aſſertiones.

His præaſſumtis, pro reſolutione tres profero aſſertiones.

Prima.

Prima eſt, amans, & quærens vtile vel iucundum, non neceſſario redamatur, nec qui amatur, tenetur redamare, quia eorum ſæpe non eſt par ratio; vnus enim eſt alteri vtilis, vel iucundus, non contra.

Secunda.

Altera eſt, amans non alium, ſed aliquid eius, non tenetur redamare, vt caſta puella non tenetur redamare laſciuum iuuenem. Nec princeps illum, qui diuitias & non principem amat.

Tertia.

Tertia eſt, dum vir probus honeſte amatur, tenetur redamare, ac vt probus neceſſario & per ſe alterum amat, ex euentu tamen poteſt ſecus contingere. Ratio huius ex dictis colligitur. Nam qui ita amatur, honoratur & magni fit, propterea per iuſtitiam tenetur par pari retribuere, & cum ſit vir probus, probitas expoſcit vt quando offertur occaſio, id agamus, quod honeſtũ eſt.

Concluſio.

Ex euentu tamen poteſt ſecus ſe habere, quamuis enim qui honeſte amat, vt honeſte amat, redamari debeat;

Digitized by Google

euenire tamen poteſt, vt ob alia ei iuncta non ſit dignus amari. Sic itaque omnis vere alterum amans, quatenus vere illum & non aliquid eius honeſte amat, non poteſt per ſe ab amato recte affecto non redamari. Ideo dixit Plato in Lyſide: *Vir probus* (vt probus) *non poteſt alterum ſibi probitate ſimilem, quem talem noſcat, à quo ametur, non vice verſa amare.* Nec propterea ſemper ex eo conſurgit amicitia, quia non ſemper, ob vitæ, ætatis, conſuetudiniſque varietatem, lociue diſtantiam, mutuus ille amor in habitum conſpicuum amicitiæ verti poteſt.

Plato.

Quæritur, an amicitia ſit virtus & eam eſſe virtutem oſtenditur. Cap. VIII.

VT clarius fulgeat, exactiuſque appareat natura & conditio amicitiæ, conſiderare oportet, quomodo ad virtutem moralem ſe habeat: num ſcilicet ſit virtus, an affectio virtutis, vel potius fructus quidam & vſus eius. Ariſtoteles ſub initio octaui moralium Nicomachiorum rem hanc ſub dubio reliquit: dixit enim amicitiam, vel virtutem quandam eſſe, vel cum virtute coniunctam. Aſpaſius etiam eo in loco, ne doctior præceptore videretur, ſe dubium profeſſus eſt: dixit enim amicitiam poſſe dici vnam ex virtutibus, quatenus ea quoque in perturbationibus & actionibus verſatur, ab eaque prodeunt actiones virtuti conſentaneæ: & addit, eam poſſe redigi ad comitatem, quæ mediat inter moroſum, & adulatorem; vel eſſe medium quoddam inter modum ſuperantem, & à modo deficientem amorem. Inſuper poſſe iudicari partem iuſtitiæ. Ac demum iudicari poſſe non virtutem, ſed hominis probi affectionem propriam, & his de cauſſis aſſerit etiam Ariſtotelem cum dubitatione fuiſſe loquutum. Inſuper ſub initio ſecundi rhetoricorum videtur philoſophus amicitiam ad perturbationes redigere, inquit enim: *De beneuolentia vero ac amicitia nunc, cum de perturbationibus animi verba facere aggrediamur, pariter dicamus, &c.* Res itaque dubia eſt. Propterea quidam aiunt, quidam negant eam eſſe virtutem: & eorum, qui vitutem eam eſſe affirmant, nonnulli ad comitatem, alii ad iuſtitiam eam redigi cenſent, quidam vt ſeparatam quandam & principem virtutem eam enumerant. Quod amicitia ſit virtus, ita oſtendi poteſt. Omnis animi noſtri habitus, qui modum ponit inter nimium & parum, ſiue inter duas vitioſas animi perturbationes, debet cenſeri virtus: amicitia eſt habitus, qui recta ratione modum ponit inter nimium & parum diligere, ſiue inter odium & exſuperantem amorem: amicitia itaque virtus eſt. Confirmatur: quia congruenter amicum amare, in eumque conferre beneficia, eſt actio proba, cuius oppoſitum

Ariſtot.

Aſpaſius.

Quod amicitia ſit virtus.

Ratio prima.

Confirmatio.

Digitized by Google

tum eſt actio improba: proba autem & improba actio, ex virtute & vitio prodeunt: quare; cum huiuſmodi actiones ex amicitia, vel inimicitia prodeant, vt amicitia ſit virtus, & inimicitia ei oppoſita ſit vitium, neceſſe eſt. Præterea, ille moralis habitus, qui inter cæteros principatum obtinet, neceſſario debet cenſeri virtus; nil enim in nobis eſt virtute præſtantius. At amicitia inter cæteros habitus principatum obtinet. Debet itaque cenſeri virtus. Eam autem obtinere principatum, aſſeritur ab Ariſtotele in 8. moralium Nicomachiorum, cap. 1. dicente; *Videtur autem amicitia etiam ciuitates continere, maioriq; quam iuſtitia, latoribus legum curæ eſſe, nam & concordiam, quæ amicitiæ ſimilima eſt, ſummopere expetunt, & ſeditionem ei inimicam omni ſtudio eiiciunt, atq; exterminant. Et ſi ciues inter ſe amicitiam colant, nihil ſit quamobrem iuſtitiam deſiderent, at ſi iuſti ſint, tamen amicitiæ acceſſionem requirant, & id, quod ex omnibus iuribus maxime iuſtum eſt* (nempe ciuile) *ad amicitiam videtur pertinere, &c.* Demum id oſtenditur: quoniam ex ſententia Ariſtotelis in primo moralium Nicomachiorum tria ſunt in animo noſtro, facultates, perturbationes, habitus: amicitia non eſt facultas, nec perturbatio, quæ duo nobis per naturam competunt, per quæ nec commendamur nec vituperamur: eſt itaque habitus: at omnis habitus vel virtus, vel vitium dicitur, amicitia non eſt vitium; quare eſt virtus, per quam ſummopere commendamur, & ſummo bono cumulate fruimur.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia

Oſtenditur amicitiam non eſſe virtutem. CAP. IX.

QVod amicitia virtus non ſit, ſatis firmis rationibus oſtendi poteſt: & primo. Si amicitia virtus eſſet, ea proculdubio inter morales numerari deberet. At Ariſtoteles agens in primis libris moralium Nicomachiorum de virtutibus ad mores pertinentibus, eaſque exacte enumerans, amicitiam miſſam fecit, nec de ea vllum fecit verbum, ſed de ea diſſeruit poſt virtutum omnium, cum ad mores, tum ad rationem pertinentium, explicationem. Præterea virtus moralis nos æque diſponit erga omnes, non autem erga vnum quempiam aut alterum; nam per virtutem æque viros omnes probos diligimus, vt diligi debent. At per amicitiam ſolum conformamur cum amico, & eum conſtanter diligimus. His accedit, quod virtutes morales adeo complicatæ ſunt, vt vna ſine cæteris conſtare nequeat: at ſine amicitia valent morales virtutes ſeruari; ſi enim omnes alicuius viri probi perirent amici, vel ſi etiam in ſolitudine vitam duceret, non propterea deſineret eſſe vir probus. Confirmatur, quia amicitia probitatem, & virtutem moralem præſupponit; quare ea non eſt virtus moralis, alioquin

Ratio prima pro negante.

Ratio ſecunda.

Tertia.

Cõfirmatio.

Ratio quarta. præſupponeret ſeipſam. Præterea ſi amicitia eſſet virtus moralis, aut eſſet virtus diſtincta à ceteris, aut redigeretur ad iuſtitiã (vt inquiunt nonnulli) vel (vt alii) ad comitatem. Non primum, iam enim patuit numerus virtutum moralium, quibus omnis animi perturbatio componebatur, nec numerata inter eas fuit amicitia. Neque poteſt redigi ad iuſtitiam, quoniam Ariſtoteles in octauo moralium Nicomachiorum, capite primo inquit, *Amicitiam fuiſſe legum latoribus maiori cura quam iuſtitiam*; quę ſententia manifeſte indicat, amicitiam non eſſe iuſtitiam, & præſertim, quia iuſtitia nos æque afficit erga omnes, amicitia ad vnum nos dirigit: Inſuper Ariſtoteles, in octauo moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo, declarat, *æqualitates ſecus in amicitia ac in rebus iuſtis ſeruari.* Neque etiam redigi poteſt ad comitatem, quoniam Ariſtoteles in quarto moralium Nicomachiorũ, capite ſexto, ſeiungens comitatem ab amicitia, inquit: *Eo autem differt ab amicitia, quod animi motu, amoriſque affectu in eos, quibus cum verſatur, careat, non enim, eo quod vel amet, vel oderit, ita iudicat, &c.*

Buridanus. At reſpondet acutiſſimus Buridanus inquiens, *comitatem includere profecto perturbationem aliquam* (omnis enim virtus moralis in perturbationibus verſatur) *ſed carere perturbatione ſiue affectione vehementi, qua non caret amicitia: & propterea eſſe eminentiam quandam comitatis, perinde ac magnificentiam liberalitatis*; & addit, Ariſtotelem, in quarto moralium Nicomachiorum, egiſſe de comitate vniuerſe ſumta, mox in octauo de hac eminentia & exuperatione.

Euerſio. Hæc euaſio manifeſtiſſime cum Ariſtoteli, tum rationi aduerſatur. Ariſtoteli primo, qui abſolute inquit, *comitem operari ſine propria affectione erga aliquem, amicum vero cum affectione*: Inſuper, Ariſtoteles eminentias virtutum moralium numerauit inter virtutes morales, ac eas coniunctis capitibus explicauit: vt patet de magnificentia, & magnanimitate, quod de amicitia, & comitate non fecit. Aduerſatur etiam rationi: quoniam eſſentia virtutis eſt habitus recte formans perturbationem aliquam, non autem eſt affectio, qua nos congruenter erga aliquem ſimus affecti: alioquin verecundia & miſericordia virtutes eſſent, quod tamen inficiatur Ariſtoteles: At amicitia affectio quædam eſt, nos congruenter erga aliquem

Aliorum opinio. diſponens. Quare non debet cenſeri virtus. Præterea, ſi amicitia ad comitatem pertineret, vel clauderetur intra fines & rationẽ comitatis, vel non. Si primum, male Ariſtoteles eam ſecerneret à comitate. Si ſecundum, diminute Ariſtoteles numeraſſet virtutes morales, nam prætermiſiſſet hanc eminentiam non in-

Euerſio. cluſam intra terminos comitatis. Recentiorum nonnulli viri docti inquiunt, *amicitiam partim ſequi virtutem, partim virtutem eſſe.* Sui natura & conditione ſequi virtutem cum ceteras virtu-

tes

Digitized by Google

tes præſupponat, & ſequi virtutem vt vmbram corpus: quatenus vero inter extrema modum ponit, mediumque ſeruat, eſſe virtutem, & eſſe partem iuſtitiæ. Quæ ſententia approbanda non videtur. Primò, ea duo dicta inuicem pugnant; nam ſi virtutem ſequitur, non poteſt dici virtus. Inſuper, vt medium ſeruat inter nimium amorem & paucum, non poteſt redigi ad iuſtitiā: tum, quia per iuſtitiam non definito modo erga aliquem, ſed conſimiliter erga omnes pro eorum meritis afficimur: tum inſuper, quia Ariſtoteles ait *legumlatores magis fuiſſe ſolicitos de amicitia quam de iuſtitia, quare amicitiam à iuſtitia ſeiunctam cenſet*. Res itaque apprime dubia eſt.

Reſolutio difficultatis, CAP. X.

CVM dubitatio ſatis ſit perplexa, & Ariſtoteles nil reſolute de ea protulerit; propterea mirum non eſt, ſi viri docti ſe valde ancipites oſtenderunt: Ego tamen (vt dicam quod ſentio) accipio primo, nomine amicitiæ me proprie ſumtam amicitiam intelligere, quæ in præcedentibus definita, & explicata fuit. Quo præaſſumto, de ea quatuor profero aſſertiones: prima eſt, amicitia nec virtus moralis eſt, nec pars eius. Altera eſt, amicitia eſt virtuti ſimilis, non ſecus ac miſericordia & verecundia. Tertia eſt, amicitia eſt vſus, ac fructus præſtantiſſimus virtutis. Poſtrema eſt, cum amicitia ceteras virtutes expoſcat, ab eiſque modum recipiat, potiſſimum à iuſtitia dirigitur, modumque recipit. Prima aſſertio (nempe quod amicitia non ſit virtus) oſtenſa eſt in præcedente capite. Et confirmatur, quoniam virtus omnis abſolute dicitur poſita in noſtra facultate, ac prælectione: amicitia non eſt huiuſmodi, pendet enim ex amore alterius ergo nos, & perire poteſt nulla virtute labefactata. Inſuper virtutes nuncupantur, & ſunt bona interna, bonaque animi: amicitia inter externa bona numeratur; inquit enim Ariſtoteles nono moralium Nicomachiorum, capite nonō. *Sed abſurdum eſt omnia bona beato tribuere, amicos non dare, quod omnium bonorum externorum videtur eſſe maximum, &c.* Altera aſſertio quod amicitia ſit virtuti ſimilis, vt aliæ probæ affectiones, ſatis ex ſe conſtat: eſt enim recte formatus confirmatuſque amor, nil niſi honeſtum quærens, ſummo hominis bono non obſcure conducens: Iam ſuo loco patuit, amorem eſſe communem perturbationem, amicitia eſt eius portio recte formata & emendata, vt multæ probæ affectiones. Tertia aſſertio, quod amicitia ſit vſus & fructus virtutis, etiam ſatis conſtat, nam virtutes præſupponit, & nemini competit, cui primo virtutes non inſint: propterea iure Ariſtoteles, poſt omnium virtutum declarationem, de

Opinio propria.

Quatuor aſſertiones.

Explicatio primæ aſſertionis.

Explicatio ſecunda.

Explicatio tertia.

amicitia, tanquam de eas expoſcente ac tanquam de earum vſu & fructu, verba fecit. Hanc veritatem nobis patefecit Stobæus in ſermone de virtute, dum ſententiam Ariſtotelis referens ait; *munus eſſe virtutis, beneficiis dignos afficere, bonos amicitia ſibi conciliare, odiſſe malos, &c.* Recte etiam Cicero in calce libri de amicitia manifeſtauit eam à virtute ſeiungi, inquiens. *Vos autem hortor, vt ita virtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non poteſt, vt, ea excepta, nihil amicitia præſtabilius putetis. &c.* Addebatur poſtremo, *amicitiam præſertim à iuſtitia formari & dirigi: quod cum ratione, tum auctoritate oſtenditur.* Ratione primo; quia iuſtitiæ munus eſt, tribuere vnicuique quod ſuum eſt: propterea cum per vniuerſum genus virtutum moralium dirigamur ad honeſtum, per comitatẽ omnibus noſmetipſos faciles præbeamus, per magnificentiam ſimus procliues ſolum ad bene merẽdum; quæ omnia amicitiæ conducunt, per iuſtitiam tamen tenemur præſertim diligere virum probum, cuius probitatem nouimus, à quo diligimur, cui ſummopere ſumus ſimiles, per quem probæ noſtræ actiones perficiuntur; ſummumq; illud bonum abſoluitur, quo in hac vita frui nobis datum eſt. Præterea vt iuſtitia reſpicit alium, & in mutua retributione, parilitate, iure, & communitate verſatur; ita quoq; amicitia. Propterea omnis reipublicæ forma, quæ cum iuſtitia iuncta eſt, etiam nuncupatur & eſſe dicitur ſpecies amicitiæ. Præterea inquit Ariſtoteles in octauo moralium Nicomachiorum, cap. 9. *Amari honoreq; affici finitima eſſe.* Quemadmodum itaque honorem ei tribuere, cui debemus, eſt officium iuſtitiæ: ita amare virum probum; quem tum ob probitatem, tum ob amorem mutuum, mutuaq; officia, amare tenemur; eſt munus iuſtitiæ: & præſertim, quia amari eſt præſtantius, quam affici honore, vt eodem in loco affirmat philoſophus. Idipſum confirmatur auctoritate Ariſtotelis 8. moralium Nicomachiorum, cap. 9. dicentis; *ius & amicitiam in iiſdem verſari, & in omni ſocietate reperiri.* Et in eodem octauo libro ca. primo, nec non 11. affirmat: *ius præſtantiſſimum amicitia, & caritate contineri.*

Stobæus. *Cicero.* *Explicatio quarta.*

Quomodo amicitia dici poſſit vniuerſa virtus, & diluuntur aduerſa rationes. CAP. XI.

Quomodo amicitia poſſit dici vniuerſa virtus.

Cvm amicitia, de qua ſermo eſt, non ſit virtus (vt latiſſime oſtendi) aliqua conſideratione tamen dicere valemus, amorem & amicitiam eſſe vniuerſam virtutem: & id contingere poteſt dupliciter, primo per relationem ad obiectum, ſecundo per relationem ad facultates animæ. Per relationem ad obiectum, quatenus vnaquæque virtus eſt congruens & moderata dilectio ſui obiecti ſiue materiei in qua verſatur, & eximia quædam dilectio

ctio honeſti;vt oſtendi,dum loquerer de virtute morali. Secundo per relationem ad facultates animæ, quia (vt docet Plato ſub initio ſecundi de legibus) nil aliud eſt vniuerſa virtus,niſi interna quædam in animo noſtro appetitionis ſenſuum cum ratione conſenſio:ſic virtus omnis,interna pax,conſenſio,& amicitia dici poteſt. Proprie tamen ſumta amicitia,non eſt virtus; ſed virtuti ſimilis, & fructus eius:ideo Ariſtoteles ſub initio octaui moralium Nicomachiorum dixit; *amicitiam vel eſſe virtutem, vel cum virtute coniunctam.* Proprie virtus non eſt,ſed ſimilis ei;eſt cum virtute coniuncta,quia eam præſupponit, eiuſque eſt fructus & vſus:nam pro veritate disiunctiuæ, ſat eſt partẽ vnam eſſe veram. His explicatis,reliquum modo eſt, vt rationes diluã, quibus oſtendebatur,amicitiam eſſe virtutem. Dicebatur primo,eam eſſe virtutem;quia eſt habitus medium quærens, modumque ponens inter nimium & parum. Reſpondeo amicitiam non eſſe habitum modum illum imponentem, ſed affectionem animi cõgruenter formatam, munere antecedentiũ virtutum, & præſertim iuſtitiæ. Ea ſeruat medium, ratione circumſtantiarum,at non ratione dilectionis obiecti. Vt igitur miſericordia & verecundia ſunt affectiones animi certo modo conformatæ, & confirmatæ,non autem ſunt virtutes, ita amicitia virtus non eſt,ſed animi affectio : & propterea pro eius genere amor ſumebatur. Confirmabatur amicitiam eſſe virtutem,quia eius actio proba eſt:Dico,actionem illam probam prodire à proba commotione & affectione animi præſupponente virtutes morales. Addebatur,amicitiam inter morales habitus priucipatum obtinere. Reſpondeo(vt mox patefaciam) eam obtinere principatum,non tanquam cauſſam & principium , ſed tãquam vſum ac fructum virtutum,virtus enim eſt gratia actionis, & vſus:& Ariſtoteles non in virtute,ſed in actione & vſu eius,ſummum bonũ collocauit. Poſtrema ratio ex dictis ſoluta eſt:amicitia enim nõ eſt facultas,nec habitus,vt virtus;ſed affectio congruenter munere præcedentium virtutum formata.

Quid vniuerſa virtus Platoni.

Canon logicus ſeu organicus.

Diluuntur aduerſæ rationes.

Quomodo amicitia ſeruat & non ſeruat medium.

An amicitia ſit virtute præſtantior. CAP. XII.

CVm amicitia virtus non ſit, iure optimo quis dubitare poterit,num ſit virtute præſtantior. Ariſtoteles, in 8. moralium Nicomachiorum,cap. primo viſus eſt eam prætuliſſe virtuti,inquit enim; *Videtur autem amicitia etiam ciuitates continere, maiorique quam iuſtitia latoribus legum curæ eſſe.* Et poſt pauca. *Et ſi ciues inter ſe amicitiam colant , nihil ſit,quamobrem iuſtitiam deſiderent; at ſi iuſti ſint , tamen amicitiæ acceſſionem requirant,&c.* Confirmatur, quia amicitia ad caritatem pertinet, caritas virtutum omnium ſpiritus & perfectio eſſe dicitur.

Quod amicitia ſit virtute præſtantior.

Ideo iure optimo Pythagoræi amicitiam ſupra virtutes omnes obſeruabant, colebant, eamque omnium virtutum vinculum appellabant (vt refert Simplicius in Epictetum.) Et apud Scythas tantæ venerationis amicitia ſemper fuit, vt Pyladem & Oreſtem, ob mutuam eorum amicitiam, tanquam Deos ſint venerati, quamuis eorum fuerint inimici. Ex aduerſo, Cicero in calce libri de amicitia virtutem amicitiæ præpoſuit, dixit enim: *Vos autem hortor, vt ita virtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non poteſt, vt, ea excepta, nihil amicitia præſtabilius putetis.* Confirmatur, quia virtus omnium humanorum bonorum eſt regina, & munere eius cætera ſunt bona: at propter quod vnumquodque tale eſt, illud magis tale eſt. Præterea Ariſtoteles amicitiam inter externa bona enumerat, bona autem externa cedunt bonis animi, & internis. Reſpondens dico perinde ſe habere de hac difficultate, ac de ea, per quam quæritur; num fructus plantæ, an planta fructui ſit præferenda. Et dicendum eſt, vnum alteri præferri, vel ratione propriæ facultatis, & eminentiæ, vel ratione actus, & formæ. Inſuper, vel abſolute & ratione propria, vel virtute alterius. Virtus ratione facultatis, eminentiæ, & munere proprio præfertur: non enim pendet ex amicitia, ſed amicitia ex ea: amicitia autem præſtat ratione vltimi actus, formæ & munere alterius. Dum Ariſtoteles dixit, *amicitiam maiori cura fuiſſe legum latoribus,* conſiderauit amicitiam, vt finem includentem omnem perfectionem virtutum, non ſecus ac ſi quis diceret, negligendam eſſe plantam, ſi fructum ſine ea poſſideremus, at ſi plantam haberemus: adhuc quæreremus fructum: Cicero vero amicitiam conſiderauit, vt contradiſtinctam á virtute, & per illa, quæ eius propria ſunt. Ad confirmationem, quia amicitia redigitur ad charitatem: Reſpondeo, amicitiam pertinere ad charitatem: at non ad eam, quę eſt virtus infuſa, & præfertur virtutibus moralibus; ſed ad eam, quæ virtutes morales comitatur & ſequitur; inſuper amicitia, vt non eſt virtus, ſed virtutem præſupponit, ita non eſt charitas, ſed eam præſupponit, in virtute tanquam ſpiritum incluſam.

Quod amicitia cedat virtuti.

Cicero.

Confirmatio.

Solutio difficultatis.

An amicitia ſit bonum externum, & num melius ſit diligi, quam honore affici. CAP. XIII.

Amicitiam eſſe bonum externum.

IVre optimo quiſpiam dubitare poſſet; num amicitia inter externa, an potius inter animi bona numeranda ſit. Ariſtoteles vtrumque viſus eſt indicaſſe. Nonnunquam eam dixit bonum externum, vt 9. moralium Nicomachiorum, capit. 9. inquiens: *Abſurdum eſt omnia bona beato tribuere, amicos non dare, quod omnium bonorum externorum videtur eſſe maximum, &c.* Inſuper in 8. moralium Nicomachiorum, cap. 8. inquit: *diligi non pre-*

Digitized by Google

procul eſſe ab honorari, & amari, ac honore affici finitima eſſe: cum autem honor ſit bonum externum, etiam amicitia videtur eſſe externum bonum. Ex aduerſo, videtur bonum animi: tum quia vel virtus eſt, vel ſimilis virtuti, vel fructus eius; virtus autem eſt bonum animi: tum inſuper, quia ex prælectione pendet: tum demum, quia eſt affectio quædam animi. Reſpondens huic difficultati dico, amicitiam, partim inter externa, partim inter interna bona numerari poſſe; abſolute tamen debere dici bonum externum. Numeranda eſt amicitia inter bona interna; dum conſideratur, vt ex virtute, ex noſtraque prælectione pendet, & eſt affectio nos lætitia, animique tranquillitate perfundens: ex aduerſo eſt bonum externum, ratione amici; in quem tendit, ex quo pendet, & ob quem à nobis demi poteſt: externus eſt amicus, à quo diligimur: interna eſt noſtra prælectio, affectio, & gaudium inde conſurgens. Ideo accurate Ariſtoteles de amico dixit, *quod maximum ſit omnium externorum bonorum, & quod dilectio ſit finitima honori.* Eſt igitur amicitia, ex parte externi quod diligitur & ex quo pendet, bonum externum cum interno complicatum; ex parte noſtri qui amamus, bonum & affectio interna, ad externa tendens. Honor autem magis externum bonum cenſeri debet, eſt enim operatio honorantis magis externa quam dilectio: honor tamen, vt actio honorantis, eſt interna honoranti, pro meritis, eſt interna honorato pro ſigno, eſt bonum externum. At cum amor ſit finitimus honori, iure dubitare quis poterit? Num amicitia præferatur honori, an potius honor amicitiæ. Ariſtoteles in octauo moralium Nicomachiorum, cap. octauo inquit, *melius eſſe diligi quam honore affici;* & rationem afferens inquit: *Nos honorem appetere non propter ſe, at ex euentu, nempe quia ſignum eſt virtutis, vel quia ſperamus ab honorante poſſe nos beneficia recipere: at amari & diligi expetimus propter ſe, & amicitia propter ſe expetenda eſt, &c.* Ex aduerſo inquit Ariſtoteles in quarto moralium Nicomachiorum, cap. 3. *honor externorum bonorum maximum eſt, quare præferendus videtur amicitiæ.* Confirmatur, quoniam qui honorat, etiam amare videtur, at non ſemper amans honorat, vt parens amat filium, non honorat, filius honorans patrem, etiam amat. Præterea amicitia proprie verſatur inter æquales, honor vero præcipue eſt inferioris erga ſuperiorem: quare, qui nos amore amicitiæ diligit, ſe parem facit; qui honorat, modo quodam ſe ſubiicit, ac ita magis patefacit præſtantiam honorati. Hinc Deo eminentiſſime conuenit honor, cui tamen amicitia æqualitatis repugnat. Reſpondens difficultati dico primo, amicitiam & amorem conſiderari dupliciter. Primo, vt finitima ſunt honori, & modo aliquo ad honorem pertinent, in qua ſignificatione Ari-

Eſſe bonum animi.

Solutio.

Honor quoque eſt bonum partim externum, partim internum.

An honor ſit praſtantior amicitia.

Ariſt. videtur ſecum pugnare.

Solutio.

ſtoteles in quarto moralium Nicomachiorum, c. 3. dixit, *honorem externorum bonorum maximum eſſe, nam ſub honore etiam dilectionem incluſit* Secundo conſiderantur, vt contradiſtincta ab honore, & tunc duas profero aſſertiones. Prima eſt; amor abſolute ſumtus præfertur honori. Ratio eſt: quia amor eſt, tanquam anima, ſpiritus, & vita honoris; & honor erga Deum præſertim à dilectione eius flagrantique caritate perfectionem recipit: ſimiliter ſe habet de quouis amore & honore, dum vna connectuntur. Altera eſt, amor æqualitatis, qualis eſt amicitia, habet ſupra ſe honorem aliquem, veluti honorem erga Deum; at non propterea honor præfertur dilectioni eiuſdem. Ex his elicitur conſpicua reſolutio difficultatis & dilutio rationum: & conſtat, quomodo amor magis ratione ſui, honor magis ob aliud optandus ſit.

Prima aſſertio.

Secunda.

Quid ſit præſtantius, num amare vel amari.
CAP. XIV.

QVoniam apparuit, pro amicitiæ conſtitutione mutuum amorem requiri; iure optimo dubitare quis poterit, vtrum præſtantius ſit amare, an potius amari. Eſt profecto conſideratio hæc digna animo nobili & ingenuo; & reſolutio eius non eſt facilis, cum pro vtraque parte exſtent rationes & opiniones. Plato in conuiuio amantem præfert amato: nam in collaudatione Phædri inquit, *Deos vehementius admirari, delectarique, ac maiora beneficia conferre, dum amatus amatorem tuetur & diligit, quam dum amator amatum; diuinior enim eſt amator amato, cum diuino furore ſit raptus: quamobrem Achillem magis, quam Alceſtem honorarunt; illum quippe mortuum ob amantem Patroclum in beatorum inſulas tranſmiſerunt, hanc autem ſolum à mortuis ſuſcitarunt, quæ ob amatum coniugem perierat.* Confirmatur eadem ſententia, quoniam amare eſt modo quodam honore afficere (vt patuit in præcedentibus) honor autem & laus, magis ſunt honorantis & laudantis, quam honorati; cum ſint actiones quædam, quarum præſtantia in agente refulget: at amari nequaquam eſt agere. Præterea, qui vere amat (vt Socrates Phædrum diligebat) eſt dux & regula eorum, quos amat, cum eos ad honeſta dirigat: dux autem ei præfertur, quod ducitur. Ex aduerſo idem Plato per ſua principia frequenter patefacit oppoſitum. Nam in Lyſide oſtendit, quod cum amans ſit appetens, & appetitio ex indigentia boni quod optatur prodeat: amans vt amans egenus eſſe dicitur, & ob id deterioris videtur eſſe conditionis. Inſuper in conuiuio matrem amoris oſtendit eſſe peniam, hoc eſt, indigentiam: patrem vero porum denotantem copiam: indigentia conſideratur in amante; porus & copia, in re quæ amatur: quare quod amatur

Quod amans præferatur.

Quod præferatur res amata.

amans,

Digitized by Google

amanti præfertur. Id ipſum exiſtimat Ariſtoteles, & iure profecto. Nam id, quod amatur obtinet rationem obiecti, finis & perfectionis; ideo bonum definitur, quod ſit id, quod omnia appetunt, vt patet ex prooemio lib. moral. Nicomach. Inſuper in 1. lib. phyſ. cont. 81. optabile nuncupatur bonum & diuinum; appetens vero dicitur bono carens, eoque priuatum. Præterea Deus; qui eſt ſumma perfectio exactaque regula omnium perfectionum, in 12. metaphyſicæ, cont. 36. dicitur, *mouere vt amabile & optabile, non vt amans & optans*: imo, dum Deus conſideratur vt amabile & ſe amans, qui primus eſt omnium amorum; proculdubio, vt amabile, præfertur ſibimet, vt amans eſt. Cum res ſit dubia, varii dicunt varia. Leo Hebræus dialogo 3. de amore abſolute aſſerit amatum dignitate præferri amanti; idque oſtendit nonnullis rationibus, quarum vis includit in eis, quæ à me relatæ fuerunt: auctoritati Platonis reſpondens ait: *amantem fuiſſe prælatum amato; à Phædro putante amorem eſſe Deum & pulcrum, & in corde amantis collocatum, non à Socrate ex opinione Platonis, cum ex oratione Socratis denotetur amatum poro deſignatum, eſſe præſtantiorem amante.* Inſtantiæ ſumtæ ex Achille & Alceſte, reſpondet inquiens; *Achillem maiori præmio à Diis fuiſſe donatum, non quia mortem obierit pro amante nobiliore, ſed quia vt amatus minus tenebatur mori*: & propterea magis ex ſua magnanimitate & liberalitate, quam ex debito mortem obiit: amans autem magis mori tenetur pro amato, à quo perficitur. Inſuper, quia inſtantia eſt de Deo, qui cum ſit præſtantior creaturis, eas tamen diligit: ac etiam ſuperiora diligunt inferiora, vt princeps populum. Reſpondet, de his quoque eſſe verum, rem amatam ſe habere perinde ac Deum amantis; quia ſemper amans amore perficitur: nam ſi comparatur creatura ſuperior cum inferiore, ſuperior amans inferiorem perficitur; quatenus qui munera largitur, actione liberalitatis perficitur: inſuper, quia amans creaturam inferiorem, eamque perficiens, perficit vniuerſum; quæ vniuerſi perfectio eſt aliquid diuinum, & eſt id, quod ab eo amante amatur; adeo vt ſemper res amata diuturnitatis imaginem præ ſe ferat. Loquendo autem de Deo diligente creaturas, inquit, *Deum dupliciter conſiderari: primo intrinſecus, ac ita non perficitur, nec perfici poteſt, cum ſit abſoluta perfectio: ſecundo extrinſecus vt creator, qui lætatur* (vt lætitia ei competere poteſt) *perfectione ſua creaturæ, ac inſuper in eius imagine ac externa vmbra perficitur, ſic cœli enarrant gloriam eius; & hæc externa perfectio imaginis Dei eſt ea, quæ optatur & amatur, & præſtantior eſt amante, vt ad hæc externa relato.* Hæc eſt ſententia viri docti & elegantis, quæ tamen mihi multiplici ratione à vero alieniſſima videtur. Primo minus recte ſententiam Platonis, & rationem Phædri explicare videtur. Inquit Phædrus,

Opinio Leonis Hebræi.

Reiicitur opinio Leonis.

amantem præferri amato, quia diuino furore raptus eſt. Hoc non eſt alienum à ſententia Platonis, ſed ei maxime conſentaneum. Nam in Phædro in perſona Socratis duas ponit furoris ſpecies, vt etiam in conuiuio, diuini ſcilicet & humani: inſuper diuini furoris quatuor numerat ſpecies, vaticinium, myſterium, poeſin & amorem; quem amandi furorem omnium optimum appellat, cum in vnum nos eleuet, quod eſt ſupra eſſentiam. Quare ea ratio, qua amans à Phædro præfertur amato, ex ſententia Platonis prolata eſt. Et confirmatur, quoniam ſententia Platonis recte à Plotino in libro de amore explicata, hoc nititur fundamento: quod per pulcrum & bonum refulgens in re amabili excitetur in anima amantis ratio veri pulcri & boni, qua excitatione eleuetur ad ideas eorum in mente reſidentium, & per ideas ad vnum, quod eſt caput earum. Propterea Academici explicantes aſcenſum animæ per amorem, inquiunt; *amantes primo delectari pulcro refulgente in corpore amati: mox excitatos ac in ſe reuocatos, non amplius eam pulcri vmbram in corpore inſpicere & maximi facere, ſed rationem & ideam admirari, ac ita eminentiori modo bonum & pulcrum poſſidere, quam id faciat formoſum corpus, & amoris ſpiritu longe ſublimius eleuari, quam res amata ſua corporea pulcritudine eleuata ſit.* Hoc itaque Platonico fundamento dixit Phædrus, *amantem amato præſtare.* Præterea aſſerere, ſemper amatum præferri amanti, quia amans aliqua ratione per amorem perficitur, ad rem non facit, nec inſtituto eius inſeruit. Cum enim comparatio fiat inter Deum diligentem & dilectas creaturas, vel inter diligentem principem & dilectos populos: quamuis Deus per amorem aliqua ratione extrinſecus perficiatur, quatenus ſplendidior apparet eius externa imago; ob id tamen Deus amans non dicitur vilior creatura amata, nec princeps diligens ſuo dilecto populo, cum ex eis omnis perfectio in creaturas & populos redundet: veluti, qui munera alteri largitur, quamuis eo liberalitatis officio perficiatur: non propterea eſt imperfectior eo cui munera tribuit, ſed contra. Præterea Plato in conuiuio ex ſententia Diotimæ inquit, *amorem eſſe deſiderium immortalitatis: & non eſſe deſiderium pulcri, ſed generationis partuſq; in pulcro, quo partu amans ſeruatur immortalis.* Hæc amantis fœcunditatem & præſtantiam patefaciunt, cuius id, quod amatur, ſolum præbet occaſionem. Præterea amicus ob id alterum diligit, quia iudicat illum probum, & ex ſibi interna virtute cupit ei beneficia conferre: at virtutem diligere, cupereque beneficia conferre, eſt actio ex iuſtitia & virtute prodiens, & eſt conditio præſtantior, quam ea recipientis. Et præſertim, quia amicitia in eo potius eſt poſita, vt diligamus, quam vt diligamur. His accedit, quod vir ille elegans, dum rationem tradit, cur Achilles

Species furoris.

Fundamentum ſententiæ Platonis.

Altera ratio.

Ratio alia.

Ratio alia.

Digitized by Google

chilles maiori munere fuerit honeſtatus, aperte aduerſatur Platoni, qui ait; id propterea fuiſſe factum, quia amans eſt præſtantior amato. Propterea alii reperiuntur viri docti, qui aiunt, *amicitiam honeſtam eſſe triplicem, vel perficientis erga id quod perficitur, vt Dei erga creaturas, vel rei qua perficitur erga perficientem, vt creatura erga Deum, vel viri probi erga parem virum probum.* Si de prima loquimur, conditio amantis eſt præſtantior. Si de ſecunda, præſtantior eſt amati. Si de tertia, quia mutuo ſe perficiunt, æqualis ſunt perfectionis; per conditionem tamen amantis præſtantior eſt, qui amat, dum amat, non vt inde perficiatur, ſed vt perficiat impartiaturque munera: & præſertim, quia amare virtutem eſt actio proba: At ſi loquimur de amore vtilis & iucundi, contra ſe habere inquiunt; nam quod amatur, vt amatur, præſtantius eſt. Hæc opinio priori præferenda eſt, attamen ea quoque eſt dubia. Primo, quia vera non eſt, dum amatum præbet amanti occaſionem eleuationis ad ſupera; nam tunc amans non perficit amatũ, & tamen eſt eo præſtantius: & præcipue hoc conſiderari debet, quia (vt dixi) ob id præſertim Plato amantem prætulit amato. Præterea falſum eſt dicere (loquendo de amicitia vtilitatis) quod ſemper amans ſit ignobilior, cum ſæpe dominus diligat ſeruũ ob vtilitatem; nec propterea fit vilior ſeruo: ita diligitur nonnunquã famula iucunditatis gratia; quæ eſt vilior, imo mas amans fœminam iucunditatis cauſſa, vilior non eſt ea, ſed præſtantior. Præterea quod amatur, vt amatur, mouet immobiliter, & vt finis, quemadmodum in tertio de anima aſſeritur, finis ſemper principatum obtinet, quare apparet amabile ſemper debere principatum obtinere: hoc autem quomodo ſe habeat, per relatam opinionem non explicatur. Propterea difficultatem ita reſoluendam cenſeo. Amor dupliciter conſideratur: primo abſolute, vt actio amantis, eiuſque affectio; ac ita, ſi probus fuerit, eſt perfectio, ſi improbus, imperfectio amantis. Secundo conſideratur, facta cõparatiõne inter præſtantiam amantis & rei amatæ; & tunc dicendum, quod amor (vt apparuit) ex duplici fonte oritur, ex copia nẽpe & inopia, ex quo hæc vniuerſalis aſſertio elicitur. Id cui copia competit, eſt præſtantius; cui inopia, ignobilius: & iure; nam ea copia, vel eius participatio, obtinet locum optabilis & finis. Ex qua communi aſſertione hę partes eliciũtur. Copia nonnunquam in ſolo amante reperitur, vt Deus, quia bonus, cuncta creat, & quia bonus, amando perficit, ac ita amans præfertur amato. Nonnunquam ea copia rei dilectæ competit, & hoc poteſt contingere dupliciter. Vel quod ei competat, vt vmbræ excitanti, ſiue materiei neceſſariæ ad adeptionẽ finis; & tunc ſimiliter amans eſt præſtantior amato: veluti Socrates amãs formoſos iuuenes, ſpiritu interno amoris eleuabatur ad verum pul-

Leo Hebræus aduerſatur Platoni.

Alia opinio.

Reſolutio difficultatis.

Prima aſſertio.

Secunda aſſertio.

Tertia.

Quarta.

Digitized by Google

crum & bonum modo in præcedentibus relato, ac ob illum ſpiritum & eleuationem præſtabat amato: ſimiliter vir fœcundus amans puellam, vt inde materiem recipiat, in qua (pro formanda prole) ſemen & fœcunditatem effundat, dicitur ei præſtare; quatenus in ea coniunctione, pro adeptione finis, eminentiori modo vir quam fœmina concurrit; vir enim ex interna copia ſuæ fœcunditatis diligit, fœmina vero ob inopiam; ideo dicitur in 1. physic. 81. vt fœmina marem, ita materies formam expetit. Vel ea fœcunditas eſt in re dilecta principaliter & vere, vt dum creatura diligit creatorem, & tunc res dilecta præfertur. Vel demum ea fœcunditas eſt in vtriſque; & tunc ambo ratione fœcunditatis præſtant, ratione indigentiæ cedunt: & hoc euenit, dum amici duo virtute præditi mutuo ſe diligunt; in vtriſque enim conſideratur fœcunditas ex propria virtute prodiens, & indigentia quædam communionis vitæ & aliorum humanam imbecillitatem comitantium. Hæc ſunt vera de omni amore, tum honeſto tum vtili, tum delectabili. Ex quo conſtat reſolutio difficultatis, ratio reſolutionis, & explicatio aduerſarum rationum & auctoritatum: conſtat etiam ratio, cur Plato magis præferat amantem, quam id fecerit Ariſtoteles. Plato enim conſiderauit amantem, vt excitatum ab vmbra pulcri in materie fulgentis, & per furorem amoris eleuatum ad eſſentiam pulcri; cum ex aduerſo Ariſtoteles veras cenſeat in materie reperiri formas, & amoris furorem deſtitutum rationibus & ideis leuiorem iudicet. Demum conſtat, quomodo bonum & copia gradu eminentiore amorem pariat, quam id faciat inopia; bonum enim vt bonum fœcundum eſt, ſuique natura communicabile: ideo expetens propagari, eminentiſſimum parit amorem, qualis ille eſt, quo Deus diligit mundum.

Quinta.

Sixta.

Cur Plato magis quam Ariſt. præferat amantem.

An amicitia in eo præſertim ſit poſita vt amemus, vel potius vt amemur, & inter quot verſetur.

Cap. XV.

Dictum eſt in præcedentibus, & approbatum fuit ab Ariſtotele in octauo moralium Nicom. c. 8. amicitiam in eo potius eſſe poſitam, vt amemus, quam vt amemur; idque iure optimo: amicitia enim dilectio, actio, ac vſus quidam virtutis eſt; & cum ſit actio amantis, iure in eius actione præſertim eſt collocata. Id tamen videtur eſſe dubium: quia in amicitia & amore principatum obtinet amabile; de cuius ratione eſt, vt ametur: quare in eo quod ametur præſertim poſita eſſe videtur. Cui difficultati reſpondens dico, ſententiam Ariſtotelis veram eſſe, nempe in eo præſertim amicitiam eſſe poſitam, vt amemus. Ratio eſt, quia amicitia per amorem conſtituitur, amor autem eſt actio amantis. Inſuper, amicitia eſt vſus & officium virtutis, vſus virtutis cum

Inſtantia.

Amicitiam in eo præſertim eſſe poſitam vt amemus.

Digitized by Google

cum prælectione eſt iunctus, prælectio agentis & amantis eſt: ideo amici cõmendantur, quia congruenter diligunt, non quia diliguntur. Demum in amicitia duo conſiderantur: vnum eſt dilectio, & approbatio probitatis amati: alterum eſt probitas & fœcunditas animi amantis, qua cupit officia & beneficia cuncta in amicum conferre; non ſecus ac Deus in recte affectas creaturas, & princeps in populũ, in quo ſecundo collocatum eſt principale officium, & potior ratio amicitiæ. Hoc ſecundum manat ex amore diligentis, ex eo enim quod amicum diligimus, cupimus in eum beneficia conferre. Nec eſt difficile aduerſæ rationi ſatisfacere. Dicebatur amabile obtinere principatum, de cuius ratione eſt vt ametur. Reſpondeo, & per inſtantiam, & per fiduciariam reprobationem. Per inſtantiam primo, quia (vt dixi) dũ amor ex copia diligentis, eiuſque fœcunditate manat, expoſcit in diligente maiorem perfectionem. Secundo per fiduciariam reprobationem dico. Quamuis obiectum ſit præſtantius, amicitia tamen non eſt officium obiecti, ſed eſt muneris functio erga illud, quæ muneris functio amantis eſt: inſuper, in re amata conſideratur pręſtãtia obiecti; in amore amantis reperitur principatus conſtituentiũ formam amicitiæ, quæ amor quidam eſt. *Soluitur aduerſa ratio dupliciter.*

At quęritur, inter quot verſari poſſit amicitia, & quis debeat eſſe numerus amicorũ. Pro ſolutione accipio amicitiam eſſe duplicem, publicã & priuatam: amicitia publica; qualis eſt ea principis erga populos, & populorum inter ſe; inter multos verſatur, & in plurimis ſeruari poteſt: at amicitia priuata, quæ pares & pbos expoſcit, non inter multos, ſed inter duos, vel tres ad ſummum, verſari poteſt. Ideo dicitur (*qui multis cupit eſſe amicus, nemini eſt amicus*) hæc enim amicitia expoſcit officiorum, actionũ, affectionumq; animi mirã conſenſionem, eximiamque vniuerſæ vitæ (vt nobis licet) communionẽ, quæ in multis ſeruari non poſſunt: & præſertim, quia viri probi, qui alterius potius quam proprium commodum quærunt, adeo ſunt pauci, vt Phœnici coruiſque albis æquari poſſint: His accedit, quod non cito, ſed tarde, poſt accuratam conſiderationem, poſt longum vſum & experientiam amicitia firmatur, hoc autem in multis facere nõ valemus. Propterea iure à Plutarcho in libro de multitudine amicorum ſententia illa Pythagoræ commendatur; Ne multis manum iniicias, hoc eſt, ne multos tibi facias amicos. Ideo ſentẽtia illius ex aduerſo damnanda eſt, qui dicere conſueuit, ſe diẽ perdidiſſe, in quo amicum aliquem ſibi non comparaſſet; Hoc de cõmuni beneuolentia dici poteſt, non autem de vera amicitia. Recte itaque Ariſtotel. 9. moralium Nicomachiorum, capite decim. dixit; *Veram amicitiam inter paucos, & frequenter inter duos tantum verſari, vt hiſtoriis comprobatum eſt, & iure profecto:* *De numero amicorum.* *Cur amicitia vera ſit inter paucos.* *Plutarchus.* *Ariſtot.*

nam amicitia eſt quædam amoris exſuperatio, quę in multis locum habere non poteſt: inſuper, cum expetat amicus indigẽtiæ amicorũ ſuccurrere, nec valeat vnus priuatis opibus multis prodeſſe, iure non valet eſſe multis amicus: demum, cum teneatur amicus cum fortuna amici conformari, ſi multos haberet amicos, cogeretur ob variam eorum fortunam lętari, triſtari, multiſq; aduerſis affectionibus ſimul affici. Multitudo itaq; amicorum, nec vtilis, nec iucunda, nec priuatę vitæ accõmodata, cenſeri debet: ſola itaq; amicitia cõmunis & publica inter multos eſſe poteſt, priuata nequaquam. Verum occurrit dubitatio: cum detur amicitia publica; & ea præſertim locum habeat in rep. publ. optimatum, cui honeſtum & virtus eſt curæ; num in ea ciues omnes inter ſe valeant eſſe amici? Reſpondeo, in rep. optimatum mutua amicitia ſaluberrima eſt, & eſt ligamẽtum ciuium tutiſſimum & feliciſſimum, & ſi cũcti ciues eſſent probi, facilime inter omnes ſeruari poſſet conformis gradui, ætati & conditioni eorum: at frequenter accidit, vt homines potius nomine quam re & opera probi ſint. Verum pulcra occurrit dubitatio: cum detur amicitia priuata & publica; num priuata ſit publicæ præferenda, vel vice verſa? Prætermiſſis variis, quæ pro omni parte dici poſſent, difficultati ita reſpondendum cenſeo, amicitiam publicam præferri priuatæ, dupliciter contingere poteſt, vel extẽſione, vel intenſione: Extenſione conſtat publicam pręferri, cũ inter plures verſetur, dubium eſt, an præferatur intenſione. Reſpondeo, dũ amicitia priuata comparatur cum publica, vel cõparatur cum amicitia ſingulorum ſeorſum, vel cum amicitia eorum erga finem vnum reip. quod eſt ſalus, & bonum publicum: prima conſideratione amicitia priuata præferenda eſt; quia eſt ſingulis iucundior, intimior, firmior, cõiunctior, magiſq; à vitio ſeiuncta, quam quæ eſt ſingulorum ciuiũ inter ſe: at conſideratione ſecunda ſecus ſe habet; nam bonum publicum eſt optabilius, ideo ſalus patriæ præferenda eſt saluti vnius priuati amici; inſuper hæc conſimilior eſt amicitiæ diuinorum, & vinculo vniuerſæ iuſtitiæ feliciſſime eſt colligata: iure itaq;, dum ad publicum finem refertur, amicitiæ priuatæ eſt præferenda.

Amicitia publica.

Dubitatio.

Solutio.

Num amicitia publica præſtet priuata.

An amicitia præferenda ſit affinitati, & coniunctioni ſanguinis. Cap. XVI.

SEntentia fuit Heſiodi, conſiderata à Plutarcho in libro de fraterno amore:

Æqualem fratri caueas feciſſe ſodalem.

Quæ ſententia num vera ſit non facile eſt videre. Vera namq; videtur: quoniam nos naturam recte ducentem tenemur ſequi, quicunq; enim naturam ſequitur, Deum ſequitur, à quo natura dirigi-

Affinitatem præferẽdam amicitia.

Digitized by Google

dirigitur: nos autem per naturam cum fratre & conſanguineis iuncti ſumus, & inſtinctu naturæ coniunctos ſanguine maxime diligimus, legeque naturæ tenemur eos præferre ceteris, eis præſertim conſulere ac opem ferre. Et confirmatur: quia officia & beneficia, quæ in conſanguineos conferimus, in noſmetipſos redundant; cum conferantur in familiam, cuius nos partes ſumus. Ex aduerſo præferenda videtur amicitia: quoniam fratres natura ligat: amicos vero ligat virtus, prælectio, liberaque voluntas, quæ præferuntur naturæ, & arctius ligant quam natura: fratres ligati ſunt ſanguine: amici virtute, animiq; affectu, quo in mortalibus potentius ligamentum non reperitur: corpora ſemper ſunt loco ſeiuncta; animi vero, etiam diſtantes, ſummopere iuncti eſſe poſſunt: iucundiorem cum vero amico ducimus vitam, quam cum fratre: officia erga fratres ortum ducunt ex debito naturæ, officia autem erga amicum ducũt ortum ex virtute, & propriis meritis eius. De hac difficultate duo dicenda cẽſeo. Primum eſt præſuppoſita meritorum paritate, proculdubio ꝓferendi ſunt illi, qui ſanguine iuncti ſunt. Ratio eſt conſpicua; nam ea includunt, quæ competunt amicis, & aliquid vltra. At ſi cetera nõ ſint paria, & tantum comparentur attinentia ad coniunctionẽ ſanguinis ſeorſum à virtute, cũ attinentibus ad amicitiã, hoc eſt, ad cõiunctionem animorũ per virtutẽ, ſeorſum à cõiunctione ſanguinis; dico, abſolute præferendam eſſe amicitiam, vt abſolute virtus affinitati præfertur. Addo ſecundo, munera & officia eſſe duorum generum. Nõnulla pertinent ad naturam, & reſpiciunt corporis vitæque cõſeruationem, & hæc potius fratri, & conſanguineis, quàm amicis præbere tenemur: ſic magis tenemur alere egenum fratrem, quam amicum, & magis tenemur eſſe ſoliciti de vita fratris, quam amici: hæc enim ad corpus, ſanguinem, & naturam pertinent, quibus magis cum conſanguineis iuncti ſumus. Alia ſunt officia & beneficia, quæ ad honorem, vitæque moralis conformationem pertinent; & in his tenemur virtuti, & amicis virtute præditis principem locum tribuere: ſua enim ſingulis tribuenda ſunt. His demum addere debemus, connexionem ſanguinis eſſe amicitiam quandam naturalem; quæ profecto eſt magis neceſſaria, quam moralis: at moralis dignitate naturali præfertur. Ex his conſpicuam eſſe cenſeo reſolutionem difficultatis, nec non diſſolutionem rationum vtriuſque partis. At dignum eſt conſideratione, num frater fratri vel alteri ſanguine iuncto valeat hac morali amicitia, de qua loquimur, eſſe coniunctus. Proculdubio dicendum cenſeo id, & contigiſſe, & contingere poſſe: nam frater fratri amicus eſt per naturam, & domeſticam aſſuetudinem; natura & aſſuetudo, non deſtruunt pertinentia ad mores & virtutem, ſed

Pro parte amicitiæ.

Solutio.

Prima aſſertio.

Secunda.

An inter fratres poſſit verſari amicitia moralis.

Digitized by Google

perficiunt: propterea contingere poteſt, vt duo, cum ſint fratres, etiam ambo ſint virtute prædìti, conſimili vitæ genere iuncti, & nedum ſe mutuo diligentes tãquam fratres, verum inſuper munere virtutis & morum; ac ita amici erunt per naturam, per leges domeſticas, ac demum per propriam virtutem & præelectionem. Quod confirmatur, quia fratrum odia deterrima ac perniciosiſſima ſunt, vt in 7. de rep. docuit Ariſt. propterea fraternus amor & amicitia optima & ſaluberrima iudicari debent: nec vllam cenſeo reperiri in vniuerſo poſſe dulciorem, honeſtiorem, magiſq; ſalutarem amicitiam ea, quæ inter duos virtute & vitæ genere iunctos fratres reperitur, ad quam ligandam natura, fortuna, & virtus feliciſſime conſpirant. Hoc conſiderauit ac exoptauit Plato: dum in ſua rep. dixit: *ita in ea debere ciues eſſe conſtitutos; vt qui conſimilis ſunt ætatis, iudicent ſe eſſe fratres, ſeniores vero iudicentur communes parentes iuniorum*: quæ communio, quid boni, quidue mali includat, ſuo loco patebit.

Plato.

An ſibi vnuſquiſq; maxime debeat eſſe amicus. CAP. XVII.

APparuit fratres amicitia, & ea quidem optima, iungi poſſe. Verum dubitabit aliquis; num valeat homo ſibimet eſſe amicus, & num ſemetipſum primo & maxime diligere teneatur. De hac difficultate varia pro vtraque parte dicuntur, quæ inter ſe pugnant. Quod enim vnuſquiſque ſe maxime teneatur amare, oſtenditur primo. Quoniam homo pro facultate tenetur imitari Deum; in Deo autem idem eſt amans & amatum, & maxime Deus ſeipſum amat; quare homo quoq; ſeipſum primo & maxime amare tenetur. Confirmatur, quoniam illum maxime tenemur amare, cui recta ratione ſummum bonum competere optamus: at ſummum bonum, quod eſt felicitas, ob quam nati ſumus, nobiſmet primo & maxime competere optamus: quare noſmetipſos maxime tenemur amare; veluti etiam, non alios, ſed noſmetipſos primo & maxime tenemur ornare virtutibus, quarum munere ſummum bonum conſequimur. Inſuper ſi amor conformitatem & ſimilitudinem ſequitur, vnuſquiſque eſt ſibi apprime ſimilis, cum in eodem ſimilitudo eminenter includatur, vt elicitur ex primo de ortu & interitu, cap. de actione. Præterea nos cetera magna ex parte diligimus noſtri gratia: quare amor noſtri eſt finis & cauſſa, vt cetera diligamus: regula autem eſt, quod propter quod vnumquodq;, illud magis eſt. Inſuper cum lege naturæ & Dei teneamur amare proximum, quia vnuſquiſque eſt ſibi maxime proximus, maxime ea lege tenetur amare ſeipſum: & cum eadem lege teneatur amare proximum, tanquam ſeipſum, ſi tanquam ſeipſum, primo igitur ſe diligere tenetur. Inſuper quia amicitiæ finis eſt conſenſio & vitæ vnitio, quibus

Teneri ſe quemq; maxime diligere.
Ratio prima.
Confirmatio
Alia ratio.
Ratio tertia.
Ratio quarta.
Ratio quinta.

Digitized by Google

quibus vnuſquiſq; ſecum valet & debet cumulatiſſime frui, iure ſibi tenetur maxime eſſe amicus. Confirmatur, quia deprauatos homines frequenter damnamus & increpamus, quia ſuis viribus præpoſtere vtuntur, ſuorummet ſunt proditores, ſibi ipſis ſunt aduerſi: quod minime facerent, niſi tenerentur ſibi maxime eſſe amici. Inde euenit vt, dum maximam dilectionem indicare cupimus, aſſeramus; non ſecus nos amare alium, ac noſmetipſos, & gratias perinde nobis eſſe gratas, dum conferuntur in alium, ac ſi in noſmetipſos collatæ fuiſſent. Ex aduerſo, minime apparet debere hominem primo & maxime ſemetipſum diligere; quoniam inſpicimus ex nimia ſui dilectione ortum ducere omnia vitia. Ob id Plato in quinto de legibus affirmauit, nimium ſui ipſius amorem omnium peccatorum omnibus ſemper eſſe cauſſam; occœcatur quippe erga amatum qui amat. Ideo ex eo quod noſmetipſos diligimus nobis indulgemus, labores vitamus, voluptatem omnium malorum eſcam ſequimur, nobis omnia parcimus, cum tamen contra aliis multa parcere teneamur, nobis vero nihil. Hinc φιλαυτία, hoc eſt, ſui dilectio, vt vitium damnatur. Et in Euangelio monemur, quod, *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum afferet; & qui diligit animam ſuam in hoc mundo, in vita æterna perdet eam.* Præterea qui primo & maxime ſeipſos diligunt, cetera minus amant & optant; ac propterea vt ſuperbi cetera negligunt, ſed præferunt aliis, & ſe ſolos laudant & commendant. Inſuper omne, quod amatur & optatur, eatenus amari debet, quatenus bonum eſt; quare vnumquodque, vt melius eſt, ita cenſeri debet optabilius & dignius amore. At Deus & intelligentiæ ſunt meliores nobis, & bonum commune præferendum eſt bono proprio. Quare Deum, intelligentias, & bonum reipublicę flagrantius, quam noſmetipſos diligere & optare debemus. Ideo iure optimo commendantur illi, qui pro patria, pro ſua republica, pro Deo, diuitias ac proprium ſanguinẽ effuderunt. Res itaque ſatis perplexa & dubia eſt, de qua à variis varia dicuntur. Sententia fuit Pythagoræ, vnumquemq; teneri poſt Deum maxime reuereri ſeipſum. Ariſtoteles in 2. de rep. cap. 3 commendauit amorem ſuimet, at nimiam ſui dilectionem vituperauit; dixit enim: *Nec quidem ſine cauſſa erga ſe quiſq; habet amicitiam, quin potius hoc eſt naturale: nam licet amantem eſſe ſui, iure vituperetur, id tamen non eſt ſeipſum amare, ſed pluſquam oportet amare, &c.* Inſuper de hac difficultate multa dicit 9. moral. Nicomach. cap. 8. & demum colligit, *virum probum debere amantem ſui eſſe; ita enim honeſta aget, & per honeſtas actiones ſe amatum perficiet: Improbum vero non oportere ſui amantem eſſe, nam ſibi & proximo cuique nocebit, vitioſis animi ſui perturbatio-*

Confirmatio

Alia confirmatio.

Rationes pro parte aduerſa.

Ratio prima.

Confirmatio

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Pythagoras.

Ariſtot.

Digitized by Google

nibus obtemperans Ex qua Ariſtotelis reſolutione non conſpicue cõſtat, an dilectio ſui reddat hominem probum vel improbum, neque an vir probus primo & maxime ſe diligere debeat. Ideo hoc exactius eſt explicandum.

Reſolutio difficultatis, an homo debeat ſe primo & maxime diligere. Cap. XVIII.

Primũ quod accipitur.

VT propoſitæ difficultatis clarior refulgeat reſolutio, accipio primo, amicitiæ nomen dupliciter vſurpari: ſumitur namque pro amicitia vera in præcedentibus definita, quæ in vno ſeruari non poteſt: ſumitur inſuper latius pro quauis dilectione & conſenſione, in qua ſignificatione poteſt homo ſibi dici amicus, rectius tamẽ ſeipſum amans diceretur. De qua late ſumta amicitia loquens dico, in homine duplicem eſſe cognoſcentem, appetentemq; facultatem, ſenſum ſcilicet, & rationem: in quibus triplex poteſt conſiderari conſenſio & amor. Vnus ſenſus, & appetitionis eius, ſuimet. Alter rationis, eiuſq; appetitionis, ſuimet. Tertius ſenſus, & rationis: & hic tertius magis proprie amor & amicitia dici poteſt, cum verſetur inter duo diſtincta. His tertio addo, ex facultatibus enumeratis duplicem conſurgere hominem, vnum externum ex corpore & ſenſu conſtitutum; alterum internum, ratione & mente formatum: ille eſt vmbra & imago quædam, hic verus eſt homo: ille eſt tanquam materies conflati ex vtriſque, hic tanquam forma: ille inſtrumentum & famulus, hic faber & dominus. Ille obnoxius eſt morti. Hic ex parte mentis diuinus & immortalis. Hæc diſtinctio cum à philoſophis tum à theologis; modo tamen vario approbatur: nam theologi ſolum vitæ hominis, philoſophi etiam eſſentiæ animæ concedunt diſtinctionem. His præaſſumtis dico, ſenſuũ cum ratione duplicem eſſe amicitiam, duplicemq; inimicitiam. Vna amicitia eſt, dum appetitiones ſenſuum cum recta ratione conſentiunt, vt in viro probo: & hæc in nobis, ex ſententia Pythagoræ, eſt felix harmonia, ex ſententia Stoicorum, eſt pax omni pace ſalubrior, ex ſententia Platonis in ſecundo dialogo de legibus, eſt vniuerſa hominis virtus, ex ſententia Ariſtotelis eſt fructus optimæ diſciplinæ, ex ſententia theologorum, eſt interitus grani frumenti pro futura ſegete. Altera amicitia eſt, dum ſenſus ſibi rationem mancipat, & ratio ſenſum ſequitur, idque ſolum iudicat bonum, quod ſenſui ſatisfacit, quod competit viro vitioſo: & hæc eſt deterrima conſenſio, pernicioſa conſpiratio, adulatio interna, ac aſſentatio quauis inimicitia deterior. Prima conſpiratio eſt ſalubre regnum. Hæc vero eſt tyrannis infeſtiſſima. Vt duæ ſunt internæ conſenſiones, ita duæ ſunt diſſenſiones pugnæ, & inimicitiæ, incontinentia ſcilicet, & contine-

Alterum quod accipitur.

Triplex interna cõſenſio & lis.

Tertium quod accipitur.

Senſus & rationis duplex amicitia.

Duæ internæ diſſenſiones.

Reſolutio difficultatis.

Digitized by Google

pentia. Illa pernicioſa, hæc ſalutaris. His explicatis, facile modo eſt difficultati ſatisfacere. Quæritur, an ſui dilectio ſit proba; & ſi eſt proba, num teneatur homo ſemetipſum maxime diligere: Reſpondens dico; Dilectio ſui eſt duplex: vna, qua indulgemus externo homini: & hæc vulgo φιλαυτία ſiue ſui dilectio nuncupatur, qua incontinentes ſe amant; quæ pernicioſa, & damnanda eſt. Altera, qua externus homo interno obtemperat, inferior ſubiicitur ſuperiori: & eſt conſtitutio partium animæ conſentanea naturæ: prima eſt dilectio cœca, hæc oculatiſſima: prima tyrannica, hæc regia. Et quia hæc ſola eſt re vera ſui dilectio, cũ ſui bonum quærat; iure hanc aſſertionem elicio, dilectionem ſui bonam eſſe. Cum autem homo debeat ſe vere diligere; quærebatur ſecundo, an debeat ſe primo & maxime diligere. Pro ſolutione accipio, ſe diligere dupliciter contingere poſſe, vel vt obiectum dilectionis; vel vt ſubiectum ſiue finem, cui obiectum & bonum quod optatur iungi debet. Homo vt obiectum primo & maxime debet diligere Deum, & eminentiora ſe à quibus pendet & perficitur, non autem ſeipſum, nam obiectum vnumquoq; tanti facere debemus, quantum ſui natura precioſum eſt. Sic itaq; vt obiectum tenemur Deum toto corde diligere. At ſi quæritur, an debeat homo ſe maxime diligere, vt ſubiectum, adhuc vtendum diſtinctione, & dicendum. Id, quod optatur, vel eſt bonum, vtile vel iucundum, vel honeſtum. Si vtile vel iucundum, non debet homo ſemper ſe maxime diligere: non enim ſemper ſibi maxime debet quærere iucundum & vtile; nam homo recte affectus præfert frequenter vtile vel iucundum amici vtilitati propriæ. Hoc aſſeruit Ariſtoteles 9. moral. Nicomach. cap. 8. inquiens: *Magnam igitur ſibi honeſtatem ſumunt atq; eligunt viri probi, pecuniasq; libenter proiecerint ac profuderint, vt amici ampliores conſequantur; amico enim pecunia, ipſi honeſtum quæritur, &c.* Si autem loquimur de bono honeſto, & complicatis cum eo, vel loquimur de laude, gloria, & honore pro ſigno ſumtis; & hæc maxime Deo tribuenda ſunt, & nonnunquam potius amico ſunt relinquenda, & viris ſublimioribus, quam pro ſe eligenda. At ſi loquimur de bono honeſto pro meritis, quales ſunt virtutes & actiones probæ, ita vnuſquiſque pro ſe primo & maxime hæc expetere debet; & hoc amore, vt ad ſubiectum perficiendum relato, tenetur vnuſquiſque ſe maxime diligere, non Deũ: quia Deus non eſt diligendus vt natus perfici, ſed vt obiectum cuncta perficiens: & quicunque Deum maxime venerantur & colunt, ex eo quod Deum colunt, maxime ſibi ipſis hac amicitia ſunt amici: cum ſe maxime perficiant, & in colentem ſumma bona redundent. Ita ſeruatur vera ſententia D. Auguſtini in libro de amicitia dicentis: *Fundamẽtum veræ amicitiæ eſſe amorem.*

Concluſio.

An debeat homo ſe maxime diligere.

Se diligere dupliciter.

Pro vtili & iucundo non ſemper homo debet ſe maxime diligere.

Neq; etiam pro attinẽtibus ad honeſtum.

De quo ſit verũ, quod homo teneatur ſe maxime diligere.

D. Auguſt.

Digitized by

Dei. Similiter ſeruatur vera ſententia Ariſtotelis in 9. moralium Nicomachiorum, aſſerentis: *Nos teneri pro amico pecuniam, pro nobiſmet honeſtum quærere.* Ex his luciſſime elicitur reſolutio vniuerſæ difficultatis.

Duæ proponuntur ac diluuntur difficultates, ad ſui dilectionem pertinentes. CAP. XIX.

Pulcra dubitatio.

VAria poſſunt homini ſe diligenti occurrere, vel ſaltem ratione excogitari; quæ illum adeo reddant ancipitem, vt, quam partem præeligere debeat, penitus ignoret. Veluti ſi nobis offeratur optio eligendi ſummum bonum, vel ꝑ nobis, vel pro vniuerſa patria; dubium eſt, pro quo id præeligere teneamur. Inſuper ſi homo primo & maxime vt ſubiectũ natum perfici debet ſe diligere; dubium eſt, an ob id debeat ꝑ ſui perfectione expetere quemuis perfectionis gradum, veluti perfectionem competẽtem intelligentiis cœli, vel etiam ipſimet Deo? De prima difficultate loquenti res pro omni parte videtur dubia. Quod debeamus præeligere ſummum bonũ patriæ, oſtenditur; quoniam bonum commune eſt maius, & præferẽdum eſt proprio; ita pro ſalute patriæ vitã effundimus. Quod teneamur præeligere ſummum bonum proprium, colligitur ex dictis in præcedente capite; vnuſquiſque enim ſe primo & maxime, vt natum perfici ſummo bono, tenetur diligere. Reſpõdens itaque dico: vnumquemque teneri primo & maxime optare ac præeligere ſummum bonum proprium: de hoc liberalis eſſe nemo poteſt, hoc pro facultate quærere & præeligere tenetur; & hoc, nedum ſummo bono vrbis, ſed totius quoque orbis præferri debet, vnuſquiſque enim tenetur maxime de ſua vltima & abſoluta perfectione eſſe ſolicitus: quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, anima vero eius detrimẽtum patiatur? Et dum inſtatur, quia bonum cõmune præferendum eſt bono proprio: Reſpondeo, præferendum eſſe abſolute, at non ſemper ab eo, cui ꝓprium competere debet; vnuſquiſque enim natus eſt, vt de ſuo ſummo bono maxime ſit ſolicitus; nec vt aliis cõcedamus vitam æternam, pro nobis præeligenda eſt damnatio: ſed tantum vera eſt ea ſententia, dum præeligentes bonum commune, actionem agimus præclaram & bonam; per quam noſmetipſos perficimus, & ſummo bono reddimur digni: & propterea minime ex noſtra ſententia inferendum eſt, non debere hominem pro patria diuitias effundere, morteque obire; imo maxime id facere tenetur: quoniam, cum id agat, pro ſe eligit id, quod eſt optimum, nempe ꝓbitatem actionis, ex qua eius ſummum bonum conſurgit; vitam vero & diuitias, minora bona, pro patria effundit. Hinc intelligimus,

Altera dubitatio.

Solutio primæ difficultatis.

Digitized by Google

gimus, hæc duo inter ſe pugnare; vt aliquis ſalutem præeligat aliorum, & damnationem ſui: nam præeligere ſalutem aliorum, eſt actio proba, ex qua non prodit noſtra damnatio. Si autem id accidat ex euentu, vt dum exemplo viri improbi corriguntur alii; tunc locum habet ea ſententia: *non eſt efficiendum malum, vt inde prodeant bona.* Sed hæc relinquenda ſunt Theologis, quorum decretis me toto corde ſubiicio. Altera dubitatio erat, num homo recta ratione quamlibet perfectionem pro ſe optare debeat; vt eam quæ eſt ſeparatarum mētium, & Dei. Res eſt dubia; nam ſi homo maxime ſe diligere debet modo iam explicato, videtur etiam debere optare quemlibet perfectionis gradum; adeo vt, ſi ei daretur facultas, vt euadere poſſet Deus, videatur quod debeat id bonum ſibi præeligere. Reſpondeo, recta ratio ſolum quærit id, quod ſuæ conditioni eſt accommodatum: quærere id quod ſuæ conditioni non competit, non eſt diligere ſe; nam ſe diligere eſt quęrere ſui conſeruationem & perfectionem, nō autem in alienam ſuæ naturæ permutationem, & ſi homo id optaret, officio ſuo erga creatorem Deum nō fungeretur: huiuſmodi autem cogitationes quæ naturæ rerum aduerſantur, ſecum pugnant, pietatemque erga Deum euertunt, reiiciendæ, negligendæ, & deſpiciendæ ſunt penitus: ac ſimul gratiæ referendæ ſunt Deo, qui nos ex nihilo in gradum hominis eleuauit.

Solutio ſecunda difficultatis.

Quibus conueniat amicitia. CAP. XX.

FOrma omnis, quæ in ſubiecto aliquo recipitur, quo fuerit præſtátior, eo plures ac eminentiores conditiones expoſcit: cū igitur amicitia in mortalibus apprime fulgeat, & præclariſſima forma ſit, iure optimo varias ac pręclaras expoſcit conditiones. Nam primo, cum ſequatur virtutem, in illis ſolis locum habet, in quibus virtus reperitur & fulget. Præter quam virtutem aliæ quoque multæ requiruntur cōditiones ad naturam, fortunam, ſtudiaque pertinentes; ſine quibus amicitia, vel omnino cōſiſtere nequit, vel obſcura eſt penitus & tenebricoſa. Expoſcit præclara amicitia virum nobilem, niſi ſanguine & ſplēdore maiorum ſaltē animo proprio: Verſatur inter eos, qui vrbes colunt, ciuilem, & ingenuam vitam ducunt, conſimiles ſunt ætate, ſtudio, & moribus, nō valde ſunt egeni, nec nimium opulenti, non ambitioſi, nō moroſi, non inuidi, non leues, non ſuſpicioſi, non ſenio conſumti, nec nimium iuuenes; nō ſummopere ſuæ vtilitati, ſuæque commoditati addicti, ſunt ad bene merēdum procliues, potius quam ad repoſcendum: adeo vt eam ſententiam probent:

In amico primo requiritur virtus.

Nobilitas.

Ciuilitas.

Parilitas ætatis, ſtudiorum, & fortuna.

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis.

Ac alteram.

Hoc habeo quodcunque dedi.

Beneficentia enim maxime omnium ingenuos animos deuincit. Eis quoque cōgruenter competit, qui non nimium proſpera euehuntur fortuna, nec nimium aduerſa premuntur; extrema enim amicitias ſæpe diſſoluunt, vt media ſeruant & confirmant: qui ſunt memores beneficiorū receptorum, ſunt tranquillo animo præditi, non ad iram nimium propenſi: in eorum temperamēto principatum obtineat dulcis ſanguis, qui tamen conſtantiam & moderationem recipiat à congruente portione bilis atræ, & contemperetur à dulci pituita. Quod ſi eueniat, vt amicorum vnus ſit per naturam impatiens & pronus ad iram, alter ſaltem debet eſſe mitis & lenis, vt eius lenitate alterius furor & celeritas contemperetur. Hoc docuit Homerus, qui Patroclum arrogātem Achilli leni, & Diomedem Sthenelo amicitia iūxit; quorum alter iniurias obliuiſci, alter vlciſci didicerat, vt accurate oratione tertia cōſiderauit Themiſtius, adeo vt minime ſit neceſſe, omnes in omnib. ſemper eſſe ſimiles. Inſuper, qui vere & diu futuri ſunt amici, non ſoliciti nimium & faciles eſſe debent ad ſibi parādos amicos, nec multos quærant, qui enim cito ſibi conciliat amicos, cito amicitiam diſſoluit, & qui multos quærunt, neminem vere habent amicum. Ideo recte dixit Plutarchus in libro de multitudine amicorum; *copiam amicorum parere inopiam eorundem*: ac idipſum affirmauit Ariſtoteles in 9. moralium, cap. 10. *difficile enim eſt multos conciliare, ac in vnum redigere, cum vix idem homo ſemper ſibimet conſentiat.* Inter principes amicitia rata eſt; nedum, quia inter paucos difficile eſt ſibi conſimilem moribus, ſtudio, & propenſione inuenire, verum inſuper, quia interna quadam de ſuo regno ſuſpitione turbantur, ſummo flagrant deſiderio regnandi, vehementique primarum dignitatum appetitione efferuntur: quibus de cauſſis, nedum amicitiæ, verum etiam conſpirationes & fœdera principum, frequenter ſunt inconſtantia & ſolubilia. Inſuper eis quoque minime datum eſt domeſtice & libere vna verſari, communemque vitā ducere, vt aliis. Propterea principes nonnunquam cum ſint ꝓcliues ad amicitiam, nec valeant propenſionem ſuam cum alio principe explere; priuatum aliquem ob ſui virtutem diligunt & depoſita per congruens tempus maieſtate regia, libenter eo priuate familiariterque fruuntur, quaſi amico pari, ſi nō dignitate fortunæ, ſaltē affectionibus & ornamentis animi. Inſuper mares inter ſe veriore amicitia ligātur, quam fœminæ, cum viri magis in actionibus verſentur, liberiores ſint, & ornamentis animi accuratiorem dent operam: fieri tamen poteſt, vt ſaltem ſecundo loco amicitia inter fœminas verſetur, ac etiam

Homerus.

Nullus amicus ei eſt, qui multos quærit amicos.

Plutarchus.

Inter principes amicitia rara & breuis magna ex parte eſt.

Inter mares potius quam inter fœminas amicitia.

Digitized by Google

tertio (obſcurior tamen) inter marem & fœminam: Vbi enim virtus ſeruari poteſt, ibi amicitia hæc, de qua loquitur, locum habere valet. Demum ſi ad communes rerump. formas cõuertimur, & communes earum amicitias conſideramus, cernemus in republica optimatum præſertim amicitiam fulgere; in ea enim virtus regnat. Ideo recte Maximus Tyrius ſermone quarto aſſeruit, *remp. optimatum plenam eſſe amicitia, remp. autem popularem eſſe adulationẽ meram.* At plenior, vt cenſeo, eſſet ſentẽtia, ſi diceremus; popularem eſſe diuerſorium ambitionis, tyrannidem adulationis; regnum vero eſſe ſtatum reuerentiæ, obſeruantiæ, & pietatis, remp. optimatum ſedem eſſe amicitiæ.

Amicitia etiam inter fœminas.

Per quæ amicitia diſſoluatur. Cap. XXI.

EA, quæ intereunt ac diſſoluuntur, vel per ſuum contrarium, vel per ſuarum cõditionum euerſionem pereunt: quare idipſum de amicitia euenire putandum eſt. Amicitiæ cum inimicitia, tum adulatio aduerſatur: inimicitia aperte, latenter adulatio: inimicitia intus & extra; at adulatio cum extra æmuletur amicitiam, intus ei inſidias parat, doloque eam eneruat & necat: ex inimicitia plurimæ prodire poſſunt vtilitates, vt Plutarchus cumulatiſſime patefecit, ex adulatione nulla, detrimenta vero plurima. Quomodo adulator ad amicum ſe habeat, quam magna inter adulationem & amicitiam ſit differentia, tam late & elegãter à Tyrio Maximo in quarto ſuo ſermone explicatum fuit: vt ſuperuacaneum cenſeam de eo loqui, & cumulate dicta repetere; idque maxime quia apud Plutarchũ id ipſum latiſſime legi poteſt. His itaque contrariis amicitia eneruatur & diſſipatur; ſimiliter quoque per euerſionem conditionum, quæ pro ea requiruntur, euertitur & euaneſcit: & præſertim, dum in altero amicorũ vitium aliquod manifeſtatur, quod prius latuerat, ac mutuæ virtutũ & reciproci amoris actiones defloreſcunt. Maxime etiam amicitias diſſoluunt variæ ac neceſſariæ occaſiones, quibus mutuus congreſſus, vitæque vnitio diſſoluitur, veluti locorum diſtantia, ſtudiorum vitæque generis permutatio, & ſimilia; hæc enim ſenſim amicitiæ ligamenta relaxant, & demum diluunt penitus. Ideo dixit Ariſtot. 8. moralium Nicomach. cap. 5. *Loca non diſſoluere amicitiam abſolute, ſed muneris functionem, at ſi diuturna fuerit abſentia, amicitiæ quoq; oblimionem efficere.* Propterea dictum eſt, taciturnitatem amicitias quam plurimas diſſoluere. Nos tamen, vt in parandis, ita in dimittendis amicis, nec faciles nec celeres eſſe debemus: & niſi cogat neceſſitas, probatam amicitiam tanquam rem ſacram minime violare debemus. Abſentem, cuius probitatem nouimus, quem literis ſalutare va-

Inimicitia & adulatio.

Tyrius Maximus.

Plutarchus.

lemus, ac virtutis quibuſdam actionibus ei reſpondere, amare profecto poſſumus: at minime vna cum eo frui exacte valemus principali fructu amicitiæ, in communis vitæ & conſuetudinis coniunctione collocato; & propterea vel cum eo amicitia non diu ſeruatur, vel non eſt ſingulis ſuis numeris abſoluta. Cum amicitia ſit maxima quædã vnitio, per quam dulciſſime fruimur bonis animi alterius amici, ac eis fruamur ratione præſertim, viſu, & auditu: hinc eſt, quod dementes, cœci, & ſurdi, nõ ſunt nati exactiſſime frui fructibus amicitiæ. Cœci, cum ſint in perpetuis tenebris collocati, maxime ſocium quærunt & expetunt: vt euenit nobis videntibus; dũ in tenebris ſumus collocati: at non propterea veræ amicitiæ ſuauiſſimo fructu frui valẽt, ex mutuo aſpectu cõſurgente. Id ipſum accidit ſurdis, qui per vocem animum patefacientem non valent bona animi alterius amici degustare. De viro demẽte res eſt cõſpicua. Propterea amici, vt ratione, ita ſenſibus bene valere debent. Fertur de amore, quod amantium iræ amoris ſint redintegratio. Quæ ſententia eſt vera de ira ex leui cauſa orta. Inſuper eſt vera præcipue de amore laſciuo ſolam quærente voluptatem, in quo amore querelarũ & iræ variæ locum habent occaſiones; à quibus indignationibus cum nos ea voluptate priuemur, quam ſummopere optamus, euenit vt mox ob indigẽtiam vehementius in eam feramur; dulciuſque illa fruamur, nõ ſecus ac, dum aliquamdiu tenemur ne aerem inſpiremus, mox vehementius illum ducimus ac anhelamus. At in amore ad amicitiam pertinente, non tot querelæ locum habent: ſolum hoc experimur; quod, dum amici conſuetudine per dies aliquot priuamur, mox dulcius ea fruimur; priuatio enim id eſt, per quod poſſeſſio rerum nobis redditur dulcior & iucundior. Inſuper vera quoque eſt ſententia illa relata & approbata ab Ariſtotele in 7. de repub. cap. 7. *Fratrum & amicorum diſſenſiones eſſe grauiſſimas, nec iniuria profecto:* nam à quibus iuuari ſe beneficio oportere exiſtimant, quoſque iudicant teneri id efficere, ab eis tum lædi tum beneficio priuari ſummopere ægre ferunt: & maxime quidem indignantur, dum ipſi vehementer amant, & vice verſa ſe amari non percipiunt. Inde quoque ortum ducere putandum eſt, quod, qui valde amant, mox valde odio proſequuntur; nam vehementer indignantur, & oppoſita in eodem nata ſunt fieri.

Amẽtes, cœci, & ſurdi non perfecte frui poſſunt munere amicitia.

An iræ amãtium ſint amoris redintegratio.

Amicorum diſſenſiones difficiles.

An felix egeat amicis. Cap. XXII.

HVmana conditio adeo impotens & imbecilla eſt, vt in omni gradu, ſtatu, & conditione multis egeat, & præcipue amicis, qui nobis ipſo quoque igne & aqua magis ſunt neceſſarii, vt Plutarchus in libro de diſcrimine amici, & adulatoris elegantiſſime

Verum felicem non egere amicis.

gantiſſime docuit. Eſt tamen dubitatio de viro felici omni ex parte perfecto, an amicis egeat necne. Sententia eſt Stoicorum, ei, in quo virtus inſit, nihil deeſſe. Inquit Plato, & cum eo Ariſtoteles; *ſummum bonum ex ſe eſſe ſatis, & nullo egere, virumque felicem ſeipſo eſſe contentum.* Addit Plato in Lyſide diſputans & dubitans; *Bonus vt bonus, eſt ſibi ſatis, qui ſibi eſt ſatis, aliud non expetit, alioque non eget, quare non eget amicis:* Inquit Boetius Ariſtotelem ſequens in tertio de conſolatione philoſophica; *Summum bonum eſſe ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum.* Ex his colligimus, virum felicem externis bonis non egere: & cum amici inter externa bona numerentur, non videtur felix egere amicis. Ex aduerſo, virum felicem egere amicis, cum ratio, tum experientia docet. Felicitas enim in vſu virtutis eſt poſita, & cum amicitia ſit fructus ac vſus quidam virtutis ſatis inſignis, ſummopere viro felici videtur eſſe neceſſaria, alioquin careret perfecto virtutis vſu. Propterea inter maximas tyranni calamitates hæc numeratur vt amicis careat, calamitas autem à viro felici longe abeſſe debet. Et Alexandrum Macedonem interroganti cuidam, vbi theſauros haberet, amicos oſtendiſſe ferunt. Præterea vir felix omni bono cumulatiſſime fruitur. Qui autem caret amicis, duplici ratione priuatus eſt bonis, primo, quia caret amicis, qui ſunt maximum externorũ bonorum, ſecundo, quia caret perfecto vſu ceterorũ bonorum: principalis enim eorum vſus eſt amicis opem ferre ac benefacere. Præterea, quia eſſe eſt bonum, ideo vnuſquiſque per naturã expetit eſſe, tum improbus, tum probus, & magis probus, quam improbus, vt docet Ariſtoteles nono moralium Nicomachiorum, capit. 9. Cum igitur eſſe ſit bonum, à viro probo præſertim optabile, magis eſſe erit magis optabile: at amicus eſt alter ipſe: quare vna cum amico magis eſt, cũ ſit geminatio ipſius eſſe; & propterea magis optabitur. Vt igitur homo ſit omni ex parte perfectus, amicis eget; alioquin eſſet non integer Androgynus, ſed ſciſſus & impotens homo: non animo, non manibus, non viribus maxime valeret; quia careret geminatione horum, quæ viro prædito amicis feliciſſime competit. Præterea homo eſt animal ciuile, natum viuere in cœtu & congreſſibus hominum, & præſertim amicorum: propterea, dum caret amicis, deſtitutus eſt poſtrema perfectione; ad quam per naturam recte ſe habentem, non deprauatam, facilis eſt & procliuis. Colligamus itaque, virum deſtitutum amicis, non cumulate, nec omni ex parte eſſe felicem. At pro clariore veritatis explicatione duo ſunt accipienda; ex quibus tres elicientur aſſertiones. Accipiendum primo, felicitatem humanam eſſe duplicem; ciuilem vnam, alteram in contemplatione collocatam, ex qui-

Stoici. Plato. Ariſt. *Boetius.* *Virum felicem egere amicis.* *Alexandri Magni reſponſio.* *Accipienda pro ſolutione*

bus tertia integra ac omni ex parte perfecta cõſurgit. Accipiendum ſecundo, amicitiam dupliciter vſurpari; cum pro amicitia, quæ ſolum vtile vel delectabile quærit; tum pro ea, quæ exacta eſt, & nil quærit niſi honeſtum. His aſſumtis, prima aſſertio hæc ſit: vir felix non eget amicis primi generis; non enim iucundum & vtile ab honeſto ſeiunctum quærit, ſed ſolum honeſtum magnifacit. Hæc aſſertio approbatur etiam ab Ariſt. in 9. mor. Nic. c. 9. Altera aſſertio ſit: Si loquimur de felicitate ciuili, ea eget amicis; nõ tanquam externo aliquo ab ea ſeiuncto, ſed tanquam parte ſui; nõ quidem principali, ſed cum ea iuncta & colligata: Nam quamuis amicus ſit bonum externum, & felicitas ſit bonum internum, ſitque actio immanens, vt dicitur 9. Metaphyſicæ, cont 16. tamen dilectio amici, & actio honeſta reſpiciens amicum, eſt quid internum & portio quædam felicitatis: Nõ tamen dicitur pars principalis, quia non externus amicus, ſed virtus, probaque actio in conſtitutione ſummi boni principatũ obtinent. Tertia aſſertio ſit, loquendo de felicitate in contemplatione poſita, ea eget amicis, non tanquam ſui parte (non enim in morali actione eſt poſita) ſed tanquã connexo & cõſequente, non ſecus ac virtutes morales contẽplationem ſequi dicuntur. Ex his facile colligũtur ſolutiones aduerſarum rationum. Stoicis n. aſſentientib. virum ſapientem & ꝓbum nullo egere, reſpondendum eſt, virum ꝓbum non egere amicis ad formãdam ſuam probitatem, ſed ad vſum eius. Præterea ſecus ſe habet de viro ꝓbo, & felici ex ſententia Ariſt. qui non in virtute, ſed in eius vſu ſummum bonum collocauit; ac ſe habeat ex ſententia Stoicorum, qui in ſola virtute id poſitum exiſtimarunt. Sic itaque ex Peripateticorum ſententia felix non abſolute dicitur egere fructu amicitiæ, quoniam includitur in eius felicitate, vt dixi. Seneca vna cum Stoicis diſcrimen poſuit inter egere, & ei opus eſſe; dixit enim, *virum probum, & ſapientem alio non egere, multa tamen ei opus eſſe:* At ipſe Stoicorum more, vt noui aliquid videatur dicere, verba mutat, nõ ſentẽtiam. Addebatur, ſummum bonum ex ſe eſſe ſatis, & felicem ſeipſo eſſe contentum. Reſpondeo, felicitatem ciuilem ſeipſa eſſe contentam, quia vſum amicitiæ vt ſui partem includit: alteram eſſe ſatis intus, at non extra, eſſe ſatis pro attinentibus ad eſſentiam, at non pro connexis & ſequentibus.

Prima aſſertio. *Secunda.* *Tertia.* *Diluuntur aduerſæ rationes.* *Seneca.*

Quod in aduerſa fortuna magis egeamus amicis.

An in aduerſa, vel in ſecunda fortuna, magis egeamus amicis. CAP. XXIII.

EX reſolutione præcedentis difficultatis altera non leuior emergit, & eſt: cum & felices, & non felices, egeant amicis, num eis in ſecunda, an potius in aduerſa fortuna magis egeant.

Quod

Digitized by Google

Quod in aduerſa eis magis egeant, oſtenditur: nam indigentia malum eſt ac priuatio, mala autẽ ex aduerſitatibus, non ex proſperitatibus prodeunt. Ex aduerſo quod magis eis egeamus in ſecunda fortuna, oſtenditur: nam in proſperitate minuitur prudentia, quæ in aduerſitate perficitur; & propterea in proſperitate, vt duce & conſultore egemus amico. Præterea tunc magis amico egemus, dum per amicum magis perficitur amicitiæ munus: at cum amicitia in eo magis ſit poſita vt colamus quam vt colamur, in fortuna proſpera magis perficitur amicitiæ munus; quia abſoluitur munus colentis; in aduerſa vero eius qui colitur: iure igitur in proſpera magis amicis egemus, tunc enim valemus maiora conferre in amicum beneficia, eique magis prodeſſe, quod maxime optamus. Et confirmatur, quia (vt inquit Ariſt. 9. moral. Nicomach. c. 9.) amici potius eſt beneficia dare quam accipere, quod cum facere valeamus in proſpera fortuna, in ea eminentiori modo egemus amicis. Ariſtoteles nono moralium Nicomachiorum, capite vndecimo mouit hanc difficultatem, eamque diluens dixit, *amicos in aduerſa fortuna magis eſſe neceſſarios, in proſpera vero maius afferre ornamentum, illuſtriuſque conferre ad obeundum virtutis & amicitiæ munus*: Et iure profecto. Nam aduerſa fortuna nos priuat neceſſariis ad ſeruandam vitam, nec non inſtrumentis ad aſſequendum finem; ideo tunc amici magis dicuntur neceſſarii: In ſecunda autem fortuna conducit ad potiora; nam in pluribus ſeruare licet, potiora, minus abſolute eſſe neceſſaria: tactus magis eſt neceſſarius, at viſus eſt præſtantior, vt patet ex calce tertii de anima. Artes magis ſunt neceſſariæ ſcientiis, cum tamen ſcientiæ dignitate præſtent. Sic itaque in proſpera fortuna modo illuſtriore conducit amicus, conducit enim ad prudentiam; quia (vt inquit Seneca) fortuna, quem fouet, ſtultum reddit; ideo tunc maxime egemus fideli & prudenti conſultore: inſuper conducit ad vſum ſecundæ fortunæ, ad obeundum virtutis munus, ac ad abſoluendum principale officium amici; cuius maxime proprium eſt diligere, & opem ferre; Et demum conducit, vt felicitate cumulate fruamur; nam inquit Ariſtoteles 9. moralium Nicomachiorum, cap. 9. *Nemo vellet in ſumma ſolitudine omnibus opibus abundare, & copiis.* Colligamus itaque ex tradita diſtinctione, in aduerſa fortuna nobis magis neceſſarios eſſe amicos, ac eis non abſolute magis egere; at in proſpera magis egere cum additione, hoc eſt, ad præſtãtiora obeunda munera. Hinc oritur, quod in proſpera fortuna prompte hilarique animo debemus vocare amicos, in aduerſa vero tarde & lente; contra tamen tenemur nos prompte & cito ad amicum infortunatum properare, lente ad fortunatum: vt nono moralium Nicomachiorum, cap. 11. nos

Quæ [illegible] *cunda.*

Digitized by Google

Altera diſtinctio. monuit Ariſt. Traditæ diſtinctioni alteram nos ſuperaddere volemus: dũ enim quæritur, in aduerſa, an in ſecunda fortuna magis egeamus amicis; reſpondendum cenſeo, egentem poſſe cõſiderari dupliciter: vel vt hominem, vel vt amicum: ſi conſideretur vt homo, magis amico eget in aduerſa fortuna, homo enim ob ſui imbecillitatem, & fortunæ aduerſitatem multis eget; at dum conſideratur vt amicus, qui in eo præſertim eſt poſitus, vt amet, opemque ferat: ita in ſecunda fortuna magis dicetur egere. *Soluitur aduerſa ratio.* At inſtabatur, quia egere eſt malum, mala ex proſperitate nõ prodeunt. Reſpondeo egere amicis in fortunæ proſperitate, eſt indigentia pro diſtributione bonorum, quæ ex copia prodit; bona enim fortunæ inſeruiunt viro felici, tanquam inſtrumenta congruenter eroganda.

Difficultates aliæ ad rem eandem pertinentes proponuntur ac diluuntur. CAP. XXIV.

IN rebus varietati & incõſtantiæ obnoxiis difficultates variæ *Prima dubitatio.* in omni parte probabiles facile emergunt, vt de re propoſita ſe habet. Nam quærere quiſpiam poſſet: cum felix egeat amicis; num magis illis egeat, dum eſt felix, an vero ante ſummi boni adeptionem? Inſuper, num homo ſecundam fortunam, dignitatiſve gradum magis pro ſe, an potius pro amico optare debeat? *Secunda.* Demum, num amicus certam mortem ſibi præeligere debeat, vt *Tertia.* ab ea liberet alterum ſibi amicum: veluti legitur de Pylade & Oreſte, quorũ vnus ꝓ ſalute alterius mortẽ obire nõ dubitabat. *Solutio primæ difficultatis.* Solutio primæ difficultatis colligi debet ex dictis in præcedẽte capite, nam homo nõ felix eget amicis ad cõſtitutionem felicitatis, felix vero ad vſum & conſeruationem; vir n. felix, vt ſit humana hac felicitate felix, iam amicos habet. Primo amici ſunt magis neceſſarii abſolute. Secundo ad obeunda illuſtriora munera. *Solutio ſecundæ.* De ſecunda difficultate, num magis pro amico an pro nobis optare teneamur fortunam proſperam, & gradus dignitatis. Dico pro eius ſolutione: ſemper, dum inter duo fit comparatio, cetera præſupponenda ſunt paria. Nam ſi nos eſſemus diuites, & amicus egenus, proculdubio magis pro amico, quam pro nobis optare teneremur proſperam fortunam: econtrario, ſi nos paupertate premeremur. Statutis itaque ceteris paribus, quid eſt dicendum? Reſpondeo, id bonum quod optamus ſi fuerit honeſtum, id pro nobis primo & maxime eſt optandum & præeligẽdum, ceterorum liberales eſſe poſſumus, at honeſti nequaquam, vt monuit Ariſt. in rhet. Si fuerit vtile, ſiue iucundum, vel ex eo quod amico id relinquimus, prodit ex nobis actio præclara, vel non. Si ea prodit, vtique vtile delinquendum amico, & præeligendum eſt honeſtum ex eo prodiẽs, vt ſi princeps nobis optio-

nem

nem tribueret, vel præeligendi munus aliquod pro nobis, vel relinquendi illud amico; id amico relinquere debemus. Si autem ea actio non prodit, ſed ſolum abſolute conſideramus adeptionem boni fortunæ, vtique proprietatem pro nobis optare debemus. Ita enim præclara liberalitate vſum illius fortunæ amico valebimus concedere. Ideo Ariſt. in 8. moralium Nicomachiorum, cap, 7. dixit: *Amico vt homini maxima bona velet euenire, at fortaſſe non omnia; ſibi enim maxime vult quiſque bona euenire, &c.* Tertia dubitatio obſcurior eſt, non enim conſtat; num vitam amici noſtræ præferre, & certam mortem pro eius ſalute præeligere debeamus. Dicendum tamen cenſeo, ex varietate cōſtitutionis vltimi finis, vario modo ſentiendum eſſe. Nam ſi pro fine nobis leuiter ſtatuimus ſolam quādam mundi inanem gloriam, & vulgarem famam, vt Romanorum plurimi; vel cum Ariſtotele in hac ſola vita ſummum bonum conſideramus ex virtute prodiens ad illud bonum relata, vtique præclarum iudicabitur ſua morte amicum ſeruare: ita apud Scythas Pylades, & Oreſtes venerabantur, & tanquam Dii colebantur. At ſi nobis verum finem conſtituimus, qui eſt æterna ſalus, quo fine cuncta metiri ac dirigere debemus; dicendum cenſeo, mortem eſſe duplicem; vnam corporis, alteram animi, quæ eſt æterna damnatio. Si ita res ferat, vt propria corporis morte ſeruemus amicum à morte animi, vtique id maxime faciendum eſſet. Hoc nos docuit Dominus noſter, qui pro ſalute non corporum, ſed noſtrarum animarum mori voluit. At loquendo de morte corporis, id minime faciendum cenſeo: ſed ſi tyrannus decernat, vt duorum amicorum vnus moriatur, non debet vnus eorum ſibimet ſponte mortem præeligere, nec etiam ſolicitus eſſe debet, pro ſua ſalute, vt interficiatur alter, ſed ſine ſua præelectione debet permittere, vt a tyranno vel à miniſtris decernatur, quis mori debeat: ita tenetur amicus pro viribus & facultate honeſte ſeruare vitam alterius amici. At certam & cōſpicuam ſibi pēligere mortem, cenſeo non eſſe fas: id enim aduerſatur naturæ, & rationi, nemo enim ſine vrgente neceſſitate debet animam à corporis compedibus ſoluere. Si tamen eueniat, vt a tyranno decernatur, vt duorum carcere detentorum amicorum, alter eorum pro ſuæ vitæ ſalute necet alterum, tunc minime præeligere debemus, vt pro ſalute noſtri alterum interficiamus: quia tunc pro ſalute corporis ſcelus patraremus, quod aduerſaretur ſaluti animæ, de qua ſola maxime tenemur eſſe ſoliciti.

An amicis aliquid donare valeamus. CAP. XXV.

PVLCRA occurrit dubitatio, num amicis aliquid donare valeamus: nam opinari quis poſſet, id minime poſſe contin-

Digitized by Google

Plató. gere. Ratio eſt; quia inquit Plato in Lyſide, *amicos æque eſſe diuites, quia amicorum omnia fortunæ bona communia ſunt*: at ea, quæ ſunt communia, donare non valemus, ſed tantum propria. Cõfirmatur, quia Stoicorum & Epicureorum ſententia fuit, ſapientem ſeipſo eſſe contentum ac eius omnia eſſe, vt inquit Seneca Epiſt. 9. & Plato in Lyſide dixit, *ſapientem nullo egere, nil optare, ſibiq; ſatis eſſe*: at ei, cuius omnia ſunt, qui ſibi eſt ſatis, qui nihilo eget, nilque optat; dono aliquid dare minime valemus. Veri amici ſunt virtute prædìti & ſapientes. quare eorum omnia ſunt, nulloque egent. Nil itaque amicus amico donare poteſt, tanquam amico: nec alii ei aliquid donare valent, tanquam virtute prædito & ſapienti. Confirmatur, quia ſapiens deſpicit fortunæ bona, deſpicienti autem non ſunt munera tribuenda. Inſuper multi ſapientes renuerunt oblata munera, vt Heraclitus, Diogenes, Plato, & alij; & iure profecto. Nam qui munera accipit, alteri ſe ſubiicit, & vinculo ea rependendi ligatur: at ſapiens libertatem quærit, & vere dicitur liber. Ex aduerſo, cum amicum amico, tum ceteros viris amicis & ſapientibus, multa dare videmus; ac eos variis varia recepiſſe munera compertum eſt. Vt appareat reſolutio difficultatis, ſententiæ nonnullæ breuibus primo ſunt explicandæ. Dicitur ſapientem ſibi eſſe ſatis, & nullo egere; hoc referri debet, non ad viuendum, ſed ad beate viuendum; nam ad viuendum multis eget; ſed ad beate viuendum, (ſi loquimur cum Stoicis) contentus eſt animo ſuo, & virtus ac ſapientia eſt ei ſatis. (Si vero loquimur cum Peripateticis) dicendum eſt; quod nullo egeat, vt parte principali, ſed multis egeat, vt inſtrumentis. Ideo dixit Ariſt in 1. moral. Nicomach. *abſq; bonis, quorum domina eſt fortuna, non poſſe hominem eſſe felicem*. Inſuper altera ſententia; dum dicitur, *amicorum omnia eſſe communia*; intelligi debet de bonis fortunæ. Et ideo dixit Ariſt. in 1. moral. Nicom. *quod ea, quæ facere poſſunt amici, nos quoq; poſſe facere dicimur*. Inſuper hæc ſententia eſt vera de vſu, at non de proprietate, amicorũ omnia fortunæ bona ſunt communia, quod pertinet ad vſum: at per proprietatem ſunt diſtincta. Tertia ſententia eſt, ſapientis omnia eſſe: quæ vera eſt primo munere vſus, nam (vt recte dixit Plato, & approbauit Cicero in lib. de finibus) ſolus ſapiens ſcit rebus omnibus vti: ſecundo eſt vera ex parte appetitionis: ipſe enim contentus ſuis bonis nil appetit: tertia eſt vera ratione rectæ conſtitutionis animi, nam eius ſunt omnia, quia ſapientiæ auro eminenter fortunæ bona continente, vere diues eſt, cum enim ſapientiæ auro ſit diues, ſupra fortunam elatus omnia ſuperat, omnia vincit, omnia ſibi ſubiicit, nec timet priuari auro in ærario mentis collocato. Ille vere dominus eſt bonorum fortunæ, quia eis imperat, non ſe illis ſubiicit. Ideo

Stoici. *Epicurei.* *Seneca.*

Poſſe dona amicis & ſapientibus dari. Solutio.

Quomodo amicorum omnia communia.

Quomodo ſapientis omnia ſint.

Digitized by Google

Ideo recte de auaro dicitur, *quod ſit ſeruus diuitiarum, non autem eius ſint diuitiæ.* His demum addere debemus, non temere quælibet munera, nec à quocunq; eſſe recipienda; nam nec ſuperuacanea, nec à tyrannis, nec à viris prauis ea recipere debemus. Iure itaq; nonnunquam ſapientes ea renuerunt; at non ſemper, non neceſſaria, non a viris probis. Et ex his conſtat reſolutio difficultatis, & dilutio aduerſarum rationum.

An amicus debeat amico optare, ac pro eo quærere ea bona, quæ ſi conſequatur, æqualitas eorum euertitur.

CAP. XXVI.

VEra amicitia æqualitatem, ac amicorum vnitionem, eiuſdemque vitæ generis communionem expoſcit: propterea dubitabat Ariſtoteles octauo moralium Nicomachiorum, c.7. velint ne amicos amici bonis quam maximis affici; verbi gratia, Deos eſſe. Rationes pro omni parte afferri poſſunt. Quod enim ea bona pro amicis optare debeamus, vt eos euadere principes & reges oſtenditur: quia amicus amicum diligit tanquam ſeipſum, at hoc pro ſe valet optare, quare ẽt pro amico. Cõfirmatur, quia amicus vere amãs, nulla detinetur inuidia, & cũ vere amet, vere ei bona optare debet. Ex aduerſo, non videtur id recta ratione optandũ eſſe, quoniam nil expetit interitum ſui: at expetens ſupernam amico dignitatem, expeteret inæqualitatem & interitum ſui, vt amicus eſt. Præterea nil expetit iacturam ſui boni, amicus eſt bonum alterius amici, quare amicus nunquã experet amittere amicum: at ſi inæqualitatem expeteret, etiam expeteret amicitiæ interitum. Quid itaq; dicendum eſt? Pro difficultatis exacta reſolutione tria videnda ſunt. Primo, an amicus alteri amico maiora bona expetere teneatur. Secundo, ſi amicus ea conſequitur, an ſeruetur amicitia. Tertio, an rex ciui, & Deus homini poſſit dici amicus. Hæc enim tria in propoſita difficultate includuntur. De primo. Experientia nos docet, amicum optare alterum ſibi amicum eminentiſſimos dignitatis gradus conſequi, ac ob eorum adeptionem ſummopere lætari: & ratio pro hac parte relata idipſum confirmat. Quod etiam oſtenditur: quia dignitatis gradus pro illis iure optantur optãdique ſunt quos amamus, & dignos eis iudicamus; alioquin nos ſimul inuidos, & iniuſtos iudicaremus: at tales maxime ſunt amici. Verum, cum pro amicis ea bona optemus, & (dum ſe offert occaſio) opem feramus, vt ea conſequantur; quæritur ſecũdo, an poſt adeptionem ſeruetur amicitia. Proculdubio ſi per ea bona non multum varietur genus vitæ, amicitia ſeruatur: at ſi ſummopere variatur, vt dũ ex viro priuato euadit princeps, res eſt dubia, & Ariſtoteles videtur de re hac eſſe anceps, & modo

Pro amicis maxima bona eſſe optãda.

Pro parte aduerſa.

Pro ſolutione tria explicanda.

An mutata fortuna pereat amicitia.

Ariſtot.

Digitized by Google

vnum, modo alterum aſſerere. Inquit enim in octauo moraliũ Nicomachiorum, c.7. *Si magna ſit virtus, aut vitij, aut copia, aut alias alicuius rei diſtantia, non iam ſunt amici: idq; in Diis maxime apparet, omnibus enim bonis longe antecellunt: perſpicuum idem eſt etiam in regibus: nam ad eorum amicitiam ne aſpirare quidem conãtur ij, qui multo ſunt inferiores, &c.* Cum igitur non ſeruetur æqualitas, non videtur ſeruari poſſe amicitia. Ex aduerſo videtur debere ſeruari, quia vnum bonum non deſtruit aliud, ſed perficit: vt bonum fortunæ non deſtruit bona recte compoſiti animi, qualis eſt vſus virtutis, & dilectio amici probi. Inſuper inquit Ariſtoteles in eodem nuper relato capite: *Quod ſi pulcre hoc dictum eſt, ſuo quemq; amico bona optare illius cauſſa, profecto maneat oportet, qualiſcunq; tandem ille ſit, &c.* His verbis aſſerit Ariſt. manere, ac ſeruari amicitiam. Reſpondens itaq; dico, ſeruari amicitiam duplici modo poſſe contingere, vel in eadem forma & conſtitutione, vel in gradu eminentiore: veluti dicimus in ſuperioribus ſeruari inferiora, vt triangulum in quadrato, nutriendi facultatem in ea ſentiendi, ac mortalia in cœlo, & ita de multis. Aſſero igitur ſeruari amicitiã, quia adhuc alter amicus amabit illum vt virtute præditum, ac ſeruari nõ in eadem forma, & conſtitutione: quia ſi variatur genus vitę, nõ ſimiliter ſeruatur communio conſuetudinis, & actionũ parilitas. Eleuatur itaque tunc amicitia ad gradum ſublimiorem, ac perficitur, non autẽ deſtruitur: vertitur in caritatem, obſeruantiam, reuerentiam, & in amicitiam illam, quæ in excellentia cõſiſtit, qualis eſt ea ciuis erga principem. Hinc conſtat, quod nos principem legitimum & probum tenemur amico æquali præferre, cum in eminentia amicitiam includat. Sic Ariſtot. cum modo aſſerat ſeruari amicitiam, modo inficietur, minime ſibimet aduerſatur, nam ſeruatur, at non ſine aliqua permutatione. Quod autem ſeruetur, ex eo colligere valemus, quoniam permutatio fortunæ experimẽtum eſt veræ amicitiæ, dum enim ſeruatur, iudicamus illum vere dilexiſſe, dũ non ſeruatur, coniicimus eam potius fuiſſe adulationem, quam amorem. Propterea recte dicitur ab Ouidio:

Solutio.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Et rurſus:

Horrea formica nonnunquam ad inania tendunt:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Manet itaque vera amicitia, quæ honeſto nititur: mutantur amicitiæ, quæ vtile vel iucundum quærunt, & quæ adulationes potius ſunt ſequentes fortunam, quam amicitiæ. Tertio conſiderandum proponebatur, an rex ciui, & Deus creaturę poſſit dici amicus. Ariſtoteles id negat octauo moralium, cap. 7. verbis ſupra

An rex ciui amicus.

Digitized by Google

ſupra relatis: at 10. moralium, c. 9. affirmat, *ſapientem à Deo diligi, maxime curari, & munera recipere.* Solutio huius difficultatis colligitur ex dictis; nam inter eos eſt amicitia excellentiæ, non æqualitatis, quæ (vt dixi) amicitiæ æqualitatis præferenda eſt. Et longe rectius nos Dei lumine illuſtrati, hanc amicitiam inter hominem & Deum cognoſcere valemus, quam philoſophi; cum optime cognoſcamus hominem maxime teneri Deo, & ratione creationis, & ratione redemtionis, & ratione adoptionis in filios ſuos: ratione quorum, vt Deus nos eminentiſſime diligit, ita nos flagrantiſſime tenemur colere illum. Reſolutis his difficultatibus, conſpicua eluceſcit reſolutio vniuerſæ dubitationis. Et quia oſtendebatur, non poſſe amicum illuſtria bona pro amico optare; quia expeteret ſui, vt amicus eſt, interitum. Soluitur hęc ratio. Primo, quia apparuit re vera amicitiam non deſtrui, ſed perfici. Secundo, quia ab inferiori, cum aliqua ſui deſtructione, poteſt per vniuerſi naturam experi id, quod eſt præſtantius, vt ab elementis per naturam vniuerſi expetitur productio mixti, quæ eſt cum aliquo interitu propriæ naturæ elementi: ita quoque a particulari aliquo amico; non per conditionē propriam eius, vt amicus eſt, ſed vt homo probus abſolutā perfectionē quærens, poteſt experi eminentior dignitas amici. Hoc ſignificare voluit Ariſtot. in 8. moralium, ca. 7. inquiens; *Verum ei certe vt homini maxima bona cupiet euenire, &c.* Indicans poſſe conſiderari, & vt amicum talem, & vt hominem probum meritis inſignitum.

Explicatur locus in 8. moralium.

De vtilitate amicitiæ. CAP. XXVII.

QVam vberes, quam nobis dulces, quam mundo ſalutares ſint amicitię fructus, tūc manifeſtiſſime iudicabimus; dū perpendemus, eminentiſſimū amorem nil aliud eſſe, niſi quandam boni fœcunditatem; ac ex ſolo Dei omnipotentis amore manaſſe vniuerſum, ſua fuiſſe perfectione donatum, cunctaque latenti quodam & admirabili amoris nodo fuiſſe ligata: adeo vt non iniuria Empedocles amicitiam primum rerum principium ſtatuerit, & Heſiodus in Chao primo ſpiraſſe amorem affirmauerit. Et quoniam ea, quæ oriuntur, ſui parentis imaginē & conditionem ſeruant; cum omnia ex amore prodeant: iure optimo omnia, naturæ quodam inſtinctu, ad amorem, ad amicitiam, ad mutuam connexionem, ſunt procliuia: qua connexione mundum conſtituunt; cum mundus nil aliud ſit niſi rerum ordinata, amoreq; colligata compages. Inſuper, quia primum principium, ex cuius directione cuncta prodeunt, eſt primo ſimplex, eſt eminenter virtus omnis, eſt ipſum vnum: ideo cuncta per mutuum amorem connexionem quærunt, virtute incenduntur, vnum expetunt: & cum vnum expetant, Deum

Digitized by Google

vt parentem dicuntur expetere, in quo ſolo eſt pax & vnitio ſeorſim ab omni lite & multitudine. Præterea quoniam naturæ rerum, quo ſunt præſtantiores, eo magis eleuantur, proximius accedunt ad ſuum principium, intimiuſque cum eo connectuntur; cum vir probus in hoc mortalium orbe cæteris præſtet, iure optimo ille ſolus veræ connexionis, legitimæque amicitiæ eſt particeps. Demum quia connexio illa, quæ recta conſultatione præeligitur, per virtutem optatur, ac per inſtinctum naturæ quæritur; maxime libera eſt, minimeque ſolubilis: ideo amicitia cum his conditionibus ſit prædita, vt nos maxime ligat, maximeque inſolubilis eſt, ita maxime liberos nos relinquit: nil enim in ea violentum eſt, cum à virtute prodeat, quæ noſtræ libertatis rectus eſt vſus. Sic igitur amicorum animi, ligamento diuini boni in virtute refulgentis, & in Deum nos conuertentis, iunctiſſime & libere colligantur. Hoc felici amoris nodo ligantur recte inſtitutæ familiæ, conciliantur vrbes, complicantur cœli, iunguntur diuinæ mentes, componitur mundus, & cuncta in Deum, vt in ipſum vnum diriguntur. Ex qua connexione vt cætera perficiuntur, ita viri probi tam ſalubri gaudio perfunduntur, vt labores eorum reddantur grati, curæ ſuaues, dolores dulces, cæteraque omnia (quamuis multitudini hominum aduerſa & ingrata) reddantur gratiſſima & ſaluberrima. Propterea recte D. Auguſtinus dixit, *Vtiliora eſſe vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici:* & D. Chryſoſtomus affirmauit, *eligibiliorem eſſe vitam hominis infortunati, cui tamen conueniant amici, quam fortunati & deſtituti amicis.* Nam munere amicitiæ aduerſa fortuna lenitur, proſpera perficitur, virtus floret, imbecillitas minuitur, naturæ detrimenta corriguntur, hominiſque facultates in congruentem vſum diriguntur. Nec iniuria Cicero affirmauit, quod *qui amicitiam de mundo tollit, ſolem auferre videtur:* vt enim ſol ſuis radiis calefacit, purgat & eleuat; ita amicitia virtutes animorum illuſtrans, diuino quodam calore animos incendit, incenſos purgat, purgatos eleuat ac perficit. Plato inter cæteras amicitiæ affectiones hanc enumerat; vt amicum erga ea, quæ amici ſunt, cœcum reddat: inquit enim (*τυφλοῦται περὶ τὸ φιλούμενον τὸ φιλοῦν.*) Ita amor pingitur cœcus. At conſiderandum, quod amor diſtincta ratione & cœcus, & oculatiſſimus dici poteſt: eſt cœcus erga propria commoda, oculatiſſimus erga commoda amici: amor laſciuus eſt cœcus, cum ſit cœca cupiditas ad perniciem ducens; amor amicitiam pariens, virtutem quærens, oculatiſſimus eſt: Inſuper amor honeſtus eſt cœcus erga bona naturæ & externa, quæ vir ſapiens negligit; oculatiſſimus erga bona animi: demum eſt cœcus oculis corporis, vt indicetur negligendam eſſe corporis pulcritudinem; oculatiſſimus mente, qua vere pulcrum intuetur.

D. Auguſtinus.

D. Chryſoſtomus.

Cicero.

Plato.

Amor quomodo cœcus & oculatiſſimus.

tur. Et longe differt amor hic amicitiam ligans, à laſciuo, leui & voluptario amore: hic purgat, ille inficit animum: hic perficit, ille peruertit: hic eleuat, ille deprimit: hic tranquillitatem, ille curas parit: hic ingenii aciem acuit, ille obtundit: hic vitam noſtram recte format, ille deformat: hic nos recte dirigit, ille in perniciem ducit: hic conſtans eſt, ille leuis & volubilis. Propterea recte Themiſtius oratione tertia dixit: *amor, qui amicitia eſt miniſter, puerulus eſt; qui maiorem, quam ætati ſuæ conueniat, grauitatem præ ſe fert; aurea vincula manibus geſtans; non alis, neque ſagittis inſtructus, neque enim volare deſiderat; & quorum ipſe eſt auctor operum, eorum nullum eſt cruentum, &c.* Puerulus dicitur hic amor, at rectius forte vir diceretur grauis: puer eſt ratione puritatis, grauis ratione prudentiæ: puer, quia dulcis & gratus; vir, quia robore eſt præditus: puer, quia maxime feruet, & ſpe ſemper eſt refertus; vir, quia poſſidet, & perfectione eſt præditus: caret quidem alis leuitatis, at maxime præditus eſt alis eleuationis. De quo amore vera cenſeri debet ſententia Boetii in ſecundo de conſolatione, metro 8.

Amoris honeſti & laſciui differentia ex effectis contrariis.

Themiſt.

O felix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cœlum regitur, regat.

Iure igitur carum & gratum nobis eſſe debet amicitiæ nomen, ab hoc amore deductum: ac iure precioſo nomiſmate (vt dixit Plutarchus) comparatur; beneuolentia ſcilicet, & gratia cum virtute coniuncta. In qua amicitia, non ſecus ac in ſummo bono, honeſtum, vtile & iucundum arcto nodo ſunt colligata: nam in fine refulget honeſtum, in vſu vtile, in conſuetudine iucundum; nec felicior apud nos connexio excogitari poteſt.

FINIS SEPTIMI GRADVS.

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS VIII.

DE INSTRVMENTIS VIRTVTVM, ET ſummi boni, quæ naturæ & fortunæ munera dicuntur.

De bono vniuerſe ſumto. CAP. I.

HOmo ob ſuæ naturæ conditionem; ob præſtantiam actionum ſuarum, earumque varietatem; ob præſtantiam ſummi boni, difficultatemq; ie aſſequendi, & conſeruandi illud: nedum principalibus facultatibus formatus, congruentibuſque habitibus honeſtatus eſſe debet; verum inſuper cogitur inſtrumentis nonnullis eſſe munitus, quæ vitam ſeruant, actiones perficiunt, conditionemque eius reddunt illuſtriorem. Hæc ea ſunt, quæ omnium ore munera naturæ & fortunę nuncupantur. De quibus ego verba facturus, vt ordine aliquo progrediar, agam primo de boni definitione; loquar ſecundo de eius diuiſione; mox deſcendam ad earum partiũ declarationem, quę noſtro inſtituto inſeruire videntur. In bonorum vniuerſo genere Academici hunc ordinem conſiderarunt. Primo ſtatuerunt bonum vniuerſe ſumtum: mox bonum primum ſiue caput boni. Tertio ideam boni, cui ſuccedit ratio & ſemen boni in anima & natura. Quarto genus vmbræ boni in materie refulgentia. Demum partes eius, quæ bona propria diſtinctarum ſpecierum eſſe dicunt. Peripatetici reiicientes ideas, gradum tertium á ſecundo non ſeiunxerunt; & illud eſſe voluerunt bonum primum & eminentiſſimum, cui bonum per formam propriam & participatum ſuccederet. De bono vniuerſe ſumto, varii vario modo illud definiendum cenſent. Ariſtoteles frequenter commendat eam à veteribus traditam definitionem, quod ſit id quod omnia appetunt. Propterea ſub initio primi moral. Nicomach. inquit; *Idcirco pulcre bonum id eſſe dixerunt, quod omnia appetunt.* Quæ definitio

Academici de ordine bonorum.

Peripatetici.

Bonum vniuerſe ſumtum.

Ariſtoteles.

finitio non debet iudicari definitio primi & ſupremi boni (vt Euſtratius, & nonnulli exiſtimarunt) ſed boni vniuerſe ſumti: nam Ariſtoteles profert eam definitionem, vt oſtendat quod omnis ars, omnis habitus, omnis actio, & præelectio ſunt gratia boni: at non omnia hæc ſunt gratia primi & ſupremi boni, ſed proprii. Et confirmatur aperte per Ariſtotelem in primo moralium Eudemiorum dicentem; *Omnia vnum quoddam bonum appetere, non eſt verum, ſed vnaquæq; res ſuum, propriumq; bonum appetit.* Confirmatur, quia vnaquæque res per naturam expetit id bonum, quod valet aſſequi; hoc autem eſt bonum proprium. Ideo in primo moral. Nicom. Ariſtoteles diſputans contra Platonem ait: *ſi daretur idea boni, inanis eſſet; quoniam quæritur id bonum, quod per actionem acquiritur.* Ea itaque cenſeri debet definitio boni vniuerſe ſumti: quæ ita debet intelligi. Bonum eſt, quod omnia appetunt, hoc eſt, bonum eſt ea rerum ratio & conditio, per quam omne quod expetitur, expeti dicitur. Hæc definitio approbanda videtur, quoniam bonum obtinet rationem finis: inquit enim philoſophus 3. metaphyſic. context 3. *Omne, quod eſt bonum, ſui natura finis eſt*: & Auerr. 2. metaphyſicæ, context. 8. *Qui deſtruit finem, deſtruit omne bonum.* At finis eſt id, quod expetitur; quare bonum eſt id, quod expetitur. Seneca epiſtol. 119. definitionem hanc ab Ariſt. approbatam damnat, quia etiam mala nonnunquam expetuntur. Plotinus quoque Ennead. 6. lib. 7. cap. 19. eandem paruipendit, & longe ſecus bonum eſſe definiendum nititur oſtendere. Et cum multa dicant, nil aliud patefaciunt, niſi hanc non eſſe definitionem abſolute exactam & perfectam. & iure profecto: cum enim bonum vniuerſe ſumtum non ſit natura proprie vna, ſed multis varietatibus obnoxia, & ab vno; propterea exacte definiri non poteſt: per id tamen, quod ſit ratio per quam res expetantur, vt per aliquid commune notius nobis, ſatis recte circumſcribitur: & quamuis nonnunquam etiam mala expetantur; id euenit, quia iudicantur à nobis bona. At perpendamus, num rectius definiri poſſit. Diogenes Stoicus dixit, *bonum eſſe id, quod eſt natura abſolutum*: quam definitionem approbauit Cicero 3. de finibus, necnon Seneca epiſtol. 119. Simplicius quoque in Epictetum cap. 51. eiuſdem fuit ſententiæ; dixit enim: Bonum eſt, quod ſecundum naturam cuiuslibet eſt, quatenus ſuam habet perfectionem. At hæc definitio approbanda non videtur, quia non eſt communis omni bono; non enim competit bono vtili, & bono delectabili: & Stoici id conſulto fecerunt, quia non putarunt hæc debere dici bona; quæ tamen à Peripateticis bona dicuntur, vt infra patebit. Plotinus En. 6. lib. 7. cap. 19. ait, *bonum eſſe participationem primi boni, quod ex ſe bonum eſt.* Verum per hoc non patet, quæ ſit propria ratio boni,

Contra Euſtratium.

Prima definitio communis boni.

Seneca.

Plotinus.

Diogenis definitio.

Plotini definitio.

Digitized by Google

omnia enim ſub Deo collocata ſunt participatio quædam eius, quæ diſtincta conſideratione diſtincto nomine deſignantur: propterea explicanda eſt propria ratio, per quam dicũtur bona. Inſuper ea definitio primo bono non competit, vt conſpicuum eſt. Plato in Lyſide dixit, *bonum eſſe id, quod ſibi ipſi eſt ſatis*: Quæ definitio non eſt vera de vniuerſo genere bonorum, nam vtilia ſibi ſatis minime ſunt. Alii dicunt, bonum eſſe id, quod non niſi bona producit & conſeruat; inſuper id, quod bona ſequuntur, & res interimit bono contrarias. Quæ deſcriptiones, non quid ſit, ſed quid faciat bonum, patefaciunt. Dicendum cenſeo, bonum vniuerſe ſumtum; quia latiſſimum eſt, prioribus principiis caret, & re vera vnum non eſt; exacta definitione carere, & propterea ſolum poſſe leuiter deſcribi: ex variis autẽ deſcriptionibus hanc præeligendam cenſeo. Bonum eſt perfectio nata expeti, vel ſui tantum, vel alterius, vel vtriuſq; gratia. Hæc deſcriptio communiſſima eſt; competit enim omni generi, & gradui bonorum; & patefacit, quid ſit de ratione boni, tum ex parte ſui, tum ex parte eorum quę referũtur ad illud. Nec eſt abſurdũ, vt in ea appareat quædam enumeratio; id enim fieri debet, dum definiuntur ea quę ſunt ab vno, cum re vera vna natura nõ ſint à contentis diſtincta. At dubitatio eſt de prima materie: quę, cũ per ſe ſit ens, per ſe eſt bona: & cũ ſua natura & eſſentia ſit poteſtas, non poteſt dici perfectio. Reſpondeo, materies rectius dicitur neceſſaria, quã bona; quod ſi quatenus ens dicitur bona, etiam quatenus entis gradus dicitur eſſe gradus perfectionis: & quamuis proprie non ſit perfectio, conducit tamen perfectioni; quatenus recipit formam, & eſt pars compoſiti, ac ita ob aliud optatur: Plotinus tamen materiem ex ſe malam exiſtimabat, ſed minus recte.

Definitio à Plat. tradita. *Propria ſententia.* *Regula definitionis.* *Materia nõ eſt per ſe mala.*

De primo bono, necnon de bono proprio rerum pendentium à primo. CAP. II.

CVm patuerit, quid ſit bonum vniuerſe ſumtum: quia bonum non vniuocum genus eſt, ſed commune ab vno; & primo de eo dicitur, quod vniuerſi parens & principium eſt; ideo, quid ſit hoc primum, & abſolute bonum, conſiderandum eſt. Plotinus Enn. 6 lib. 7. cap. 19. inquit; *Primum bonum eſſe illud, cuius participatione cetera bona ſunt, & de quo non eſt quærendum propter quid bonum ſit, cum in eo quid & propter quid in idem veniant.* Inſuper Ennea. 1. lib. de primo bono, cap. 1. illud deſcribẽs ait; *Primum bonum eſſe id, quod non per aliud ſuper additum, ſed ſeipſo bonum eſt; ac inſuper eſſe id, ad quod omnia referuntur, ipſum vero ad aliud non refertur; & propterea eſſe id, quod omnia appetunt.* Ex Philebo Platonis hæc alia colligitur circumſcriptio.

Plotinus. *Plato.*

Sum-

Digitized by Google

Summum in vniuerſa natura, & abſolutum bonum eſt id, quod eſt menſura cunctorum, cum enim ex eo cuncta pendeant, & ſit caput omnium, iure optimo etiam cunctorum menſura dici debet. Aliæ quoque ex Academicis colligi poſſunt deſcriptiones analogicæ, ſumta analogia, vel à centro circuli, principio & fine cunctarum linearum ab eo ductarum, quod etiam eſt menſura circuli, vel à ſole, qui dicitur viſibilis filius inuiſibilis boni. Quæ omnes deſcriptiones profecto veræ ſunt, & primo bono congruunt, ſed non exacte eius naturam, & conditionem patefaciunt. Propterea dicendum puto, tres præſertim eſſe conditiones primi boni. Vt cuncta virtute & eminentia contineat. Vt cunctorum ſit principium. Vt cuncta perficiat. Ex his formandam cenſeo hunc in modum deſcriptionem. Primum bonum eſt ſuprema eſſentia, cuncta eminenter includens, ea mirabiliter producens, ac cumulatiſſime pro vniuſcuiuſque conditione perficiens. Hæc eſt adumbratio quædam eminentiſſimæ trinitatis, theologis noſtris tantum exacte notæ, ac inſuper ea tria perinde ſe habent, ac principium, medium & finis vniuerſæ perfectionis. At ſubtilis occurrit dubitatio: quia ſi demto fine demitur omne bonum (vt dixi in cap. præcedente) res itaque ſolum vt finis bona erit: quare, nec vt eminenter includens cætera, nec vt producens; ſed tantum, vt optabile & perficiens, poterit aliquid dici bonum. Reſpondeo, ea omnia vt optabilia includere conditionem finis. Inſuper, aliud eſt requiri pro bono, & eſſe poſtremam rationem qua aliquid ſit bonum; principium & medium requirũtur ad bonum. Vera autem forma bonis finis eſt; ideo mathematicus cum finem non conſideret, non dicitur rationem boni includere. His de primo bono declaratis (prætermiſſa conſideratione ideæ boni, de qua alibi loquar) de bono proprio diſtinctarum ſpecierum vniuerſi verba faciam. Plotinus Enn. 1. lib. 7. c. 1. & eſt liber de primo bono, circumſcribens bonum proprium inquit, *eſſe actionem propriam, naturæq; conſentaneam, nulla ex parte deficientem, ſiue eſſe conuerſionem per appetitum & actionem ad vniuerſi bonum.* Verum hæc deſcriptio ſolum conuenit bono ſumto pro actu ſecundo, hoc eſt, pro actione; non autẽ pro actu primo, qui forma eſt: at actio eſt bona, quia ex bona forma, bonoque principio pendet: & propterea forma & principium actionis, potius quã actio, ſumendũ eſt pro genere proprii boni: idque præcipue, quia virtutum habitus etiam re vera boni ſunt. Ob eandem cauſſam approbandam non puto ſententiam Linconienſis in primo poſter. dicentis: *Bonum vniuſcuiuſq; eſſe complementum ſecundæ perfectionis eius, nempe operationis, ad quam vnaquaq; res per ſe apta nata eſt, & propter quam nata eſt, &c.* Quæ circumſcriptio, vt patet, minime competit vnicuiq; bono. Propterea dicamus, bonum vniuſcuiuſq; eſſe triplex:

Propria ſententia.

Tres primi boni conditiones.

Dubitatio.

Solutio.

De bono proprio.

Plotinus.

Linconienſis.

Opinio propria.

Digitized by Google

vel enim pertinet ad eſſe; ac ita vnumquodque, in quo gradu eſt ens, in eo eſt bonum: vel pertinet ad bene eſſe, & hoc vel eſt habitus, vt virtus, vel eſt actio ex virtute prodiens. Plotinus & Linconienſis, hoc ſolum tertium bonum circumſcripſerunt cæteris neglectis, quod non eſt faciendum: quorum trium bonorum difficile eſt dare definitionem vnam, cum non ſint vere vnum, & natura vna, niſi vnitate ab vno: poſſumus tamen dicere; proprium bonum eſt perfectio naturæ rei congruens, per quam primo bono participat, eleuatur ad illud, eique redditur pro ſua conditione ſimilis.

Definitio proprii boni.

Communia ab vno vix atque ne vix quidem definiri poſſunt.

Diuiſio boni. CAP. III.

Bonorum (vt ſententia eſt Platonis in Philebo) quædam ſunt diuina, alia humana: quæ duo bonorum genera exactius deinde in quatuor gradus diſtribuuntur, datur enim bonum morale, phyſicum, metaphyſicum, diuinum. Bonum morale in virtute morali, honeſtaque actione eſt collocatum: bonum phyſicum eſt perfectio rerum natura conſtantium, quæ tunc maxime eluceſcit, dum ſimile valent generare: bonum metaphyſicum eſt id, quod conuertitur cum eo quod eſt; & quo gradu res eſt, eo dicitur bona bonum diuinum eſt id, quo diuinæ fruuntur mentes, & Dei munere in animas noſtras infunditur. Sed (prætermiſſis cæteris bonis) loquens de eo ſolo bono, quod ad hominem pertinet, hoc duplex eſt; vel enim re vera eſt bonum, vel ſolum apparet, cum re vera non ſit. Quod vere bonum diuidi poteſt, primo inſpiciendo finem; vel enim eſt bonum vtile, vel delectabile, vel honeſtum: quorum trium bonorum id ſolum abſolute bonum cenſeri debet, quod eſt honeſtum; cætera ab honeſto ſeiuncta, nec quidem re vera bona nuncupari merentur. Inſuper diuiduntur humana bona, ſumta diuiſione ab eo, cui competunt: nam quædam dicuntur bona animi, quædam corporis, alia externa. Diuiduntur tertio, ſumta diſtinctione ab eo, ex quo pendent: nonnulla enim dicuntur bona fortunæ alia naturæ, quædam animi; quæ abſolute noſtra dicuntur, cum ex noſtra prælectione, noſtrove ſtudio prodeant. Demum diui li poſſunt, diuiſione ſumta ex conditione bonorum, & ex modo vario quo homini competunt: Ita bonorum nonnulla extrinſecus adueniunt, alia in nobis ſunt, & inhærere dicuntur. Si extrinſecus adueniunt: vel pertinent ad corpus, & tria ſunt; nobilitas, bona proles, diuitiæ, ad quas redigitur bona fortuna: vel ad animum, & pariter ſunt tria, amici, bona exiſtimatio & honor. Eorum vero, quæ in nobis ſunt, & inhærere dicuntur: quædam inhærent corpori, vt bona valetudo, pulcritudo; ad quam redigitur magnitudo, vires, decertandi robur, & bona ſenectus: alia inhærent animo, vt

Duplex bonorum genus.

Bonum hominis duplex: vere & apparens.

Vere bonum triplex ratione finis.

Secunda diuiſio ſumta ex eo cui competunt.

Tertia diuiſio ſumta ab eo à quo pendent.

Quarta diuiſio ſumta ex conditione bonorum.

Bona extrinſecus aduenientia.

Digitized by Google

mo, vt virtutes. Hanc diſtinctionem in primo rhetoricorum his verbis expreſſit Ariſtoteles inquiens: *Hac enim ratione nullius rei ad bene beateq; viuendum indigebit is, cui bona omnia, & quæ in eo ſunt, & quæ extrinſecus adueniunt, affatim adſuerint; nam præter hæc nulla bona ſunt: in ipſo vero ſunt ea, quæ vel in animo ſunt, vel in corpore, extrinſecus adueniunt, vt nobilitas amici, pecunia, honor: opes etiam atq; fortunam adeſſe oportere cenſemus, ſic enim fiet vita ſecuriſſima, &c.* Verum cum variæ dentur bonorum diuiſiones, præcipue instituto noſtro ea inſeruit, quæ ſumta eſt ab illis, ex quibus pendent; per quam bonorum nonnulla dicuntur naturæ, alia fortunæ, quædam noſtra & animi noſtri: cui ſimilis eſt diſtinctio tradita ab Ariſt. in primo moralium Nicomachior. cap 8. in bona animi, corporis & externa. Pro cuius diſtinctionis notitia duo ſunt conſideranda. Primum eſt, quod bonum ita diuiſum minime includit diuinum bonum, ſine medio, Dei munere nobis infuſum: hoc enim philoſophis, præſertim Peripateticis minime notum eſt, nec inſtituto noſtro inſeruit, cum de humanis bonis verba faciamus. Conſiderandum ſecundo, quod munera naturæ etiam modo aliquo dicuntur eſſe munera fortunæ: nam fortunæ bona tripliciter vſurpantur: primo valde late pro cunctis bonis, quæ in noſtris manibus non ſunt poſita, & varietati ſunt obnoxia, in qua ſignificatione dixit Ariſt. in 2. rhetor. *Et præterea bonam quamq; liberorum copiam, & quæ corporis bona ſunt, fortunæ proſperitas affert.* Secundo vſurpantur bona fortunæ valde anguſte, pro diuitiis & pertinentibus ad eas. Tertio vſurpantur medio quodam modo, pro bonis externis varietati obnoxiis, contradiſtinctis ab illis, quæ vel animo, vel corpori inhærent, in qua ſignificatione modo de illis verba facimus.

Bona inhærentia.
Ariſtot.
Diuiſio ad rem faciens.
Primo conſiderandum.
Secundo conſiderandum.
Fortunæ bona tripliciter vſurpantur.

Enumerantur munera animi, naturæ & fortunæ.

CAP. IV.

MVnera animi, quæ fere omnium conſenſione bona ſunt, cenſeri debent congruentes animi habitus, quibus animus tanquam formis ornatur; necnon munerum functiones, quæ ex huiuſmodi habitibus prodeunt. Qui habitus duorum ſunt generum, vel enim ſunt morales pertinentes ad appetitum ſenſuum, vel rationales pertinentes ad mentem; de quibus ſuo loco cumulate diſſerui. Munera naturæ, quæ etiam bona corporis nuncupantur, ea ſunt, quæ per principia generationis nobis competunt, & in quatuor præcipua rediguntur: in ſanitatem, ad quam bona ſenectus redigi poteſt; in robur, ad quod rediguntur vires decertandi; in ſenſuum incolumitatem, viriumque animi congruentem diſpoſitionem. Et demum in pulcritudinem, ad quam & gratia, & congruens magnitudo redigitur. Quæ quatuor na-

Munera ſiue bona animi.
Munera naturæ quatuor.

Digitized by Google

Quatuor bona naturæ, quatuor virtutibus reſpondent. turæ bona nobis inhærentia recta quadam ratione quatuor principalibus virtutibus ad mores pertinentibus reſpondere videntur; ſenſuum enim incolumitas prudentiæ, ſanitas iuſtitiæ, robur fortitudini, pulcritudo temperantiæ reſpondet. *Munera fortunæ.* Munera fortunæ ea dicuntur, quæ ab externis prodeunt cauſſis, & multis varietatibus ſunt obnoxia: quæ duplicis ſunt generis, vel enim pertinent ad corpus, vel ad animum. Si pertinent ad corpus, tria ſunt; nobilitas generis, bona proles, & diuitiæ. Si pertinent ad animum, pariter ſunt tria; bona exiſtimatio, honor ſiue gloria & amici. *Diuitiæ naturales.* Munera tamen, quæ magis proprie tribuuntur fortunæ, ſunt diuitiæ, quæ vel ſunt naturales, vel artificioſæ. Naturales á natura nobis pro vſu tribuuntur: quales ſunt plantæ, fructus terræ, iumenta, prædia, & cætera huius generis, quæ natura fecit, communia cunctis, vſus autem diuiſit. *Diuitiæ artificioſæ.* Diuitiæ artificioſæ ſunt duplices: vel enim efficiuntur arte, & vſui conducunt, quæ munere effectionis ſunt ipſius artificis: vel lege conſtant, vt ſerui & numus. At hæ profecto re vera diuitiæ non ſunt, cum ſui natura non ſint tales, ſed demta lege & conuentione, á qua vires ſumſerunt, inanes remaneant, vt in primo de rep. cap. 6. docuit *Numus.* Ariſt. *Lege autem inuentus eſt numus*, vt dicitur ab Ariſtotele in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. primo, *pro facili adæquatione & commutatione rerum, eſt enim numus tanquam bonorum fortunæ communis menſura.* An autem dentur ſerui per naturam, *Diuitiæ. Opes.* ſuo loco patebit. Hæc fortunæ munera nuncupantur & diuitiæ, & opes. Diuitiæ, vt ad noſtrum vſum; opes, vt ad auxilium opemque aliis ferendam referuntur, magnificentiæque inſeruiunt, vt Cicero monuit in libro de amicitia. Inter bona fortunæ numerantur etiam regna, principatus, ſimileſque ditiones: Ideo Ariſtotel in primo rhet. dixit; *diuitiarum partes ſunt pecunia, prædiorum multitudo, regionum poſſeſſiones, & præterea ſupellectilium copia, & pecudum, & ſeruorum: quæ res multitudine, & magnitudine, & pulcritudine excellant, & omnia ſecura, liberalia & vtilia ſint, &c.*

Dubitatio de nobilitate & prole. De honore & gloria. Dubitatio eſt de nobilitate, & bona prole, quæ numerata ſunt inter munera fortunæ, cum potius munera naturæ eſſe videantur: pariter eſt dubitatio de honore & gloria; quæ videntur ad virtutes, & ad animum pertinere. His breuibus reſpondens dico, bonorum nonnulla penitus eſſe, vel fortunæ, vel naturæ, vel animi; alia vero modo quodam communia, partim vnius, partim alterius. Et ordiens á nobilitate dico, nobilitatem eſſe duplicem: vnam, quæ ab Ariſtot. definitur, quod ſit virtus generis, quæ quatenus pendet ex aliquo externo, extrinſecus in nos redundat, ac generis eſſe dicitur; eatenus ab Ariſtotele inter externa bona, ad corpus tamen pertinentia numeratur, vt patuit ex primo rhetoricorum: eſt quidem maxime cum muneribus na-

turæ

Digitized by Google

turæ complicata; præſertim dum conſideratur, vt eſt vis quædam nobis per generationem inſerta, per quam ſumus procliues ad virtutes, & apti ſumus generare alios qui tales ſint. Altera eſt nobilitas, cuius nos propria virtute, virtutiſque illuſtribus actionibus ſumus auctores; quæ pendet ex noſtra prælectione, & ad bona animi redigitur, ac à probitate ſola ratione diſtinguitur. Proles bona pariter inter externa bona numeratur, cum non ſit noſtri corporis bonum, nec per generationem nobis inhæreat, & multis externis egeat; eſt tamen cum natura coniuncta, quia nos per naturam ſumus apti vel inepti ad generandum. Sunt igitur nobilitas generis, & bona proles, bona externa cum bonis naturæ maxime complicata; & propterea modo quodam communia. Gloria, fama & honores, cum ab externo pendeant, & in manibus alterius ſint collocata; adeo vt honor magis dicatur honorantis, quam honorati; iure inter fortunæ munera numerantur, relata tamen ad bona animi. Ideo Ariſtot. honorem nuncupauit maximum externorum bonorum; & Achilles ab Alexandro Macedonum rege dictus fuit fortunatus, ob gloriam ei ab Homero tributam.

De bona prole.

De gloria.

An munera naturæ, & fortunæ cenſeri debeant bona, opinio Stoicorum. CAP. V.

HVmanorum bonorum tria relata ſunt genera, bonum animi, naturæ & fortunæ; quorum generum ſolum primum re vera noſtrum cenſeri meretur, cum id ſolum ex noſtro labore pendeat, in noſtriſque manibus ſit poſitum. Et maxime virtutes morales huius generis ſunt, quia per eas abſolute nominamur boni, & cum prælectione ſunt complicatæ; de virtutibus autem rationis ſecus ſe habet: propterea Ariſtoteles in primo rhetor. numerans bona animi, virtutem moralem, & eius partes numerauit. Hæ fere omnium conſenſione bonæ dicuntur. Dico fere, quia Plotinus Ennead. prima, lib. 8. capite 13. *has quoque non bonas, ſed vtiles eſſe*, dixit; bonum enim cenſuit ſolam connexionem cum Deo, cui morales virtutes inſeruiunt. At abſurdum profecto & a recta ratione alienum eſſe videtur, non iudicare bonum illud; quo formati abſolute dicimur boni, cuius ope omnia diriguntur in bonum, & in cuius vſu ſummum hominis bonum eſt collocatum. Et quamuis non ſint ipſum bonum, cuius participatione & imitatione cætera redduntur bona, tamen ſunt imitatio eius, vt homini licet, & ſunt bonum ad aliud bonum ordinatum; ſolum enim id, quod eſt bonum, gradum conſtituit eleuationis in bonum, vt ſolum verum eſt per ſe gradus eleuationis in verum. Sunt itaque bona animi re vera bona, ſua natura bona, bona noſtra, noſtraque perfectio. Nec tamen me latet, ſententię Plotini talem poſſe tradi interpretationem; vt

Sententia Plotini.

Reiicitur ſententia Plotini.

Digitized by Google

ſolum de voce ſit lis: inſpexit enim tunc Plotinus bonum vltimum; & ordinata in illud, vt ad id perducunt, nuncupauit vtilia. De muneribus tamen naturæ, & fortunæ res magis eſt dubia. Nam Stoici, & cum eis Seneca, ac plurimi viri ſapientes; ea, non bona, ſed neceſſaria, indifferentia, communia, vtilia & commoda, nuncuparunt: quod ſatis firmis oſtenderunt rationibus; & primo id, quod viris bonis eſt bonum, malis eſt malum, ex ſe nec bonum nec malum eſt; quod enim eſt ex ſe tale, vnicuique iunctum tale eſt. Munera naturæ & fortunæ viro improbo mala ſunt, & inſtrumenta vitiorum, viro probo ſunt bona. Ex ſe itaque neutra ſunt, & indifferentia; ſimiliter eorum oppoſita, non mala, ſed indifferentia cenſeri debent. Propterea Plato viro probo nil mali, improbo nil boni contingere poſſe affirmauit; quæcunque enim conueniunt improbo, in malum & perniciem diriguntur. Præterea inquit Boetius in ſecundo de conſolatione philoſophica, proſa 5. & 6. *De ratione boni eſt, vt eum cui competit bonum reddat, apud bonos cumulatius reperiatur & poſſidenti non noceat. At homo per diuitias non redditur bonus, & apud homines improbos & iniuſtos diuitiæ cumulatiores reperiuntur, quæ etiam frequenter obſunt poſſidentibus. Non itaque bona cenſeri debent.* Ideo Seneca in libro de paupertate dixit: *Nemo dignus Deo eſt, niſi qui opes contemnit: hoc efficiunt diuitiæ, inflant animos, ſuperbiam & arrogantiam pariunt, inuidiam contrahunt; eo vſque mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet.* Et epiſtol. 88. aduerſus Peripateticos loquens, *diuitias nedum non eſſe bonas, verum potius eſſe malas oſtendit.* Propterea epiſtol. 20. inquit: *Magnus eſt ille, qui in diuitiis pauper eſt; ſed ſecurior, qui caret diuitiis: nam diuitiæ nedum non faciunt hominem bonum, verum neque diuitem, quia auaritiam non exſtinguunt.* Veræ autem diuitiæ ſunt compoſita paupertas in lege naturæ, quæ ſola auaritiam exſtinguit; non enim qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt; tantum enim vnicuique deeſt, quantum cupit: propterea breuiſſima ad diuitias per contemtum diuitiarum via eſt. Et Epicurus dicere conſueuit: *Si ad naturam viues, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquam eris diues; exiguum enim natura deſiderat, opinio immenſum.* Inſuper diuitias non eſſe bonas, oſtendebat Boetius ſecundo de conſolatione ex eo; quia tunc ſolum nitent, dum eas effundimus, non autem dum accumulamus. Præterea, quicunque diuitias coaceruant ac magnifaciunt, multiplici ratione contra naturam operantur. Primo, quia natura ea, quæ terrena ſunt, & ex terra prodeunt, noſtris pedibus ſubiecit; nos autem ea tanquam idola veneramur, & ſupra caput collocamus. Inſuper, quia veræ diuitiæ per naturam factæ ſunt communes, nos autem eas nitimur reddere

Dubitatio de muneribus fortunæ.

Opinio Stoicorum.

Boetius.

Seneca.

Epicurus.

Boetius.

Qui diuitias accumulant, præter naturam operantur.

Digitized by Google

reddere nobis proprias, & commune omnibus egentibus præter naturam ab eis auferimus. Præterea, quicunque in diuitiis accumulandis verſantur, frequenter deſiderio ducti poſſeſſoribus earum vim inferunt. Demum violentia vtuntur: quia tunc dicimur vim alicui inferre, dum illud detinemus, ne ſuum finem attingat; veluti tunc grauibus vim inferimus, dum eis impedimento ſumus, ne tendant ad centrum: finis diuitiarum & pecuniæ eſt vſus & effuſio; propterea, dum eas coaceruamus, detinemus ne ſuum aſſequantur finem, & propterea vim eis inferimus. Hac præſertim de cauſſa cenſeo ego Ariſtotelem in primo moralium Nicomachiorum, cap 5. dixiſſe, *ſummum bonum non eſſe collocatum in diuitiis*; quia vita pecuniis incumbens, βίαιός τίς ἐστι, id eſt, modo quodam vim infert, ſiue violenta eſt: dicitur autem violenta varia ratione, vt patefeci, & præſertim poſtrema. Ex quo conſtat errare interpretes, dum verbum, quod varias habet ſignificationes, in vnam, quam probant, contrahunt, quæ frequenter minus vera eſt; & viam claudunt legentibus inquirendi veritatem: quod in interpretandis illis verbis fecere nonnulli, qui dixere; *vita, quæ in pecunia quærenda ſtudio verſatur, laborioſa eſt, minimeq́ (vt ita dicam) vitalis, &c.* Hi profecto non interpretis, ſed expoſitoris vtuntur munere; & (vt cenſeo) non veri expoſitoris, quia vox ea Ariſtotelis aliud potius ſignificat. Non igitur vita auari eſt conſentanea naturæ, ſed ei aduerſa. Ideo beatus Bernardus dixit: *Solus error hominum facit, vt aurum & argentum iudicentur prætioſa; cum re vera nil ſint, præter terram rubeam vel albam.* Sic eleganter Plutus diuitiarum Deus cœcus fingitur, cum ad tenebras & ad inferos ſibi deuotos perducat; in quod regnum clauſis labimur oculis, cum corporis, tum vero maxime animi. Propterea recteq́ Ouidius primo Metamorphoſeos:

Explicatur locus in primo moralium Nicomachiorum.

Beatus Bernardus.

Pluto cur cœcus.

Itum eſt in viſcera terræ;
Quasq́ recondiderat, ſtygiiſq́ admouerat vmbris.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum:
Iamq́ nocens ferrum ferroq́ nocentius aurum
Prodierat; prodit bellum, quod pugnat vtroq́:

Hæc confirmantur per regulam topicam ab Ariſtotele traditam. Vt ſimpliciter ad ſimpliciter, magis ad magis, maxime ad maxime. Quare ſi diuitiæ bonæ eſſent, cumulatiores eſſent meliores, copioſiſſimæ optimæ: quod eſſe falſum, nedum experientia docet, verum Ariſtoteles quoque 10. moralium Nicomachiorum affirmat, aſſerens, *nimiam externorum munerum copiam felicitati obeſſe, & hominem à contemplatione auertere.* Propterea apud Deum & ſeparatas mentes, in quibus cuncta bona eminentiſſime fulgent, munera naturæ & fortunæ locum non habent: nam fortuna, vt cœca & fallax, è cœlo cum ſuis muneribus extruſa

Canon Topicus.

eſt; & per materiem, tanquam per ianuam, in mortalem hunc orbem expulſa fuit. Hinc euenit quod, dum vitam hominum feliciorem ætatemque auream circumſcribimus, qualis eſt ea puerorum & puriorum hominum, eam immunem ac liberam aſſerimus ab omni deſiderio diuitiarum. Quam veritatem Plato quoque patefecit, & præſertim epiſt. 3. inquiens: *conſpexeram iam pridem, & nunc etiam perſpicio; opes tam priuatorum quam principum, quo maiores ſunt, eo magis inſidiatores, & turpium noxiarumque voluptatum machinatores nutrire.* Et in Euthydemo eandem, quam Stoici, videtur approbaſſe ſententiam: dixit enim: *Quoniã cetera munera bono vſu proſunt, præpoſtero obſunt, & vſus rectius pendet ex ſapientia & prudentia; iure nil ceterorum bonum vel malum eſſe videtur, ſed ea duo tantum, eorum vero oppoſita, praua, &c.* Quod in Menone etiam affirmauit inquiens: *Omnia, quæ ſunt circa animum, ipſa quidem ex ſe nec commoda nec incõmoda ſunt; iuncta autẽ prudentia aut imprudentia, ſtatim aut vtilia, aut noxia fiunt.* Non itaque iniuria Philoſophi magis morigerati, diuitias, vel proiecerunt, vel neglexerunt. Ex muneribus etiam naturæ quot mala, quot vitiorum cateruæ prodeant, facile inſpicere licet. Propterea ſacræ virgines formam corporis ſpreuerunt, oculos ſibi effoderunt. Et quid dico de virginibus diuino lumine circumfuſis? nonne Zenocrates iuſſit ſibi virilia? Plato, vt virium naturæ frænaret impetum, in Academia docuit aeri parum ſalubri expoſita? Sic noſtri theologi, quorum ſententia ſtatui debet regula ceterarum omnium opinionum, frequenter pauperes prædicant beatos, diuitias negligi præcipiunt, munera naturæ caſtigari & domari iubent. Iure itaq; Stoici rem inconſtantẽ, turbantem hominum deſideria, rem ex falſa opinione ortam, fomentum vitiorum, cuius poſſeſſio plenior ſit apud viros prauos, nec probum reddat poſſidentem, è bonorum ſerie excluſerunt.

Plato.

Detrimenta prodeuntia ex muneribus naturæ.

Epilogus dictorum.

Fundamenta aſſerentium, munera naturæ & fortunæ bona eſſe. Cap. VI.

Error putãtium in naturæ & fortunæ muneribus ſummum bonũ eſſe collocatum.

HOmo, dum in his rerum vmbris verſatur, quia ex contrariis conſtat, nulla re repletur, deſideria nunquam explet, neſcit ſæpe quid quærat, ac modo vnum, modo aliud optat: quod propterea ei competere putandum eſt: quia in rebus ſeriis, non in his vmbris, ſummum eius bonum eſt collocatum. Propterea nonnulli ad ſublimia conuerſi. Naturæ ac fortunæ munera negligenda penitus cenſent. Alii in corpore immerſi, in eis ſummum bonum collocarunt. Quidam demum inter hos medii, ea quidem cenſent bona, non autem ſummum bonum. Quæcunque cenſent vel in diuitiis, vel in naturæ muneribus, ſummum bonum

Digitized by Google

bonum eſſe collocatum; non recte hominis cōditionem naturamque iudicāt, non percipiunt puritatem ac eminentiam ſuæ mentis, cœci ſunt erga ſeipſos, ac vt cœci ſua orbitate ſe tradunt præcipites. Quomodo enim rei diuinæ & immortalis ſummum bonum cenſeri debet id, quod terrenum, inconſtans, & mortale eſt? At horum ſententiam, vt à viris ſapientibus cumulate exploſam, negligere potius, quam rationibus reiicere debemus. Perpendenda eſt opinio Ariſtotelis, qui naturæ & fortunæ munera negat eſſe ſummum bonum, aſſerit tamē ea inter bona eſſe numeranda; ſunt enim bona vtilia, conducentia ad adeptionem ac poſſeſſionem vltimi finis. Ea autem debere cenſeri ac nuncupari bona, his præſertim rationibus oſtenditur: & primo bonum non eſt vniuocum, nec natura vere vna; ſed eſt ab vno, & ad vnū, non ſecus ac ſanum. Ea autem, quæ ſunt ab vno, huius ſunt conditionis; vt cum primum eorum abſolute & ſui conditione ſit tale, cetera quoque ſint talia per relationem ad illud & connexionem cum eo. Veluti cum ſanitas (gratia exempli) ſit Geometrica humorum æquatio, tum pulſus, tum cibus, tum vrina, tum medicamenta dicuntur ſana: quia vel ſunt ſigna, vel cauſſæ, vel inſtrumenta eius æqualitatis. Quare pari ratione connexa cum ſummo bono, inſtrumenta eius, eique conducentia, aliqua ratione bona cenſeri debent. Præterea quicunque ea, quæ pendēt ex ſummo bono, adeptionique ac vſui ſummi boni conducunt, non iudicant eſſe bona; tum bonorum opifici, tum mundi plenitudini, tum ordinis abſolutioni, tum demum benignitati naturæ manifeſtiſſime aduerſantur: non enim tunc omnia cum bonō cōnexa, ex eoque pendentia, eſſent boniformia; nimiumque anguſta eſſet conditio boni, ſi vni ſoli naturæ competeret; cum tamen ſciamus, primum bonum eſſe fœcundiſſimum, latiſſimeque per munera in vniuerſum effundi. Cū itaque naturæ & fortunæ munera, tanquam ex primo fonte, manent ex ſummo bono; eſt neceſſe, vt ea quoque ſeruent conditionem boni, & inter bona numerentur. Præterea ſi ſola virtus in humanis, & ea tātum, quæ à recta hominis ratione & prælectione prodeunt, cenſenda eſſent bona, ſolus homo eſſet opifex boni, nō natura, non Deus: quod maxime videtur abſurdum. Præterea Stoici cum negent hæc eſſe bona, ſibi non conſtant, ſed ſimul fatentur eadem bona eſſe; inquiunt enim eſſe neceſſaria, cōmoda, vtilia, præeligenda; verba mutant, non ſententiam. Si ſunt præeligenda, omnis prælectio rei bonæ eſt. Si ſunt vtilia, nil vtile eſt niſi bonū; eatenus enim vnumquodque nobis vtile eſt, quatenus eſt boni particeps. Propterea Plato in Hipparcho omne lucrum demonſtrauit eſſe bonum: lucrum enim eſt rei vtilis, vtile id ſolum eſt, quod eſt bonum. At pro Stoicorum parte reſpondet Se-

Sententia Ariſtotelis.

Conditio communium ab vno.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Stoici.

Ratio quarta.

Seneca.

Digitized by Google

neca Epiſt.88.inquiens: *Alia eſt commodorum conditio, alia bonorum. Commodum eſt, quod plus vſus habet, quam moleſtiæ: bonum vero ſincerum eſſe debet, & ab omni parte innoxium. Non eſt id bonum, quod plus prodeſt, ſed quod ſolum prodeſt. Propterea commodum, & ad animalia pertinet, & ad imperfectos homines, ac etiam ad ſtultos; bonum vero ad vnum ſapientem, inuiolatum eſſe oportet, &c.* Hæc cum dicat Seneca, ipſe ſibimet (Stoicorum more) fingit ſignificationes vocum, non eas accipit ex communi vſu, nec ſententias profert naturæ rerum conſentaneas. Non quærimus modo bonum purum, bonumq; ſummum, ſed late ſumtum: & præſertim; quia apud nos nil ſincerum reperitur, omnia ſunt permixta, & denominatio recipitur ab eo quod dominatur, ac à fine ad quem dirigitur. Propterea Plato minime recuſauit ea nonnunquam bona appellare: nam in Georgia inquit: *Optimum eſt bene valere: ſecundo formoſum eſſe: tertio diuitias poſſidere nulla fraude quæſitas.* Et Marſilius in dialogum primum de legibus inquit: *Bonorum alia humana alia diuina ſunt, & ex diuinis humana pendent, humanorũ autem primum eſt ſanitas, ſecundum forma, tertium vires, quartum diuitiæ; horum dux eſt prudentia, &c.* Colligamus itaque, cum munera naturæ & fortunæ ſint primo munera Dei, ſint vtilia, commoda, præeligenda, ordinata ſui conditione in bonum, ſint inſtrumenta animi & virtutum eius; iure optimo debere nuncupari, nedum vtilia & commoda, verum inſuper bona: & præſertim; quia bonum & malum ſunt tanquam genera communia & prima, ſub quibus cuncta modo aliquo continentur.

Plato.

Epilogus.

Quomodo munera naturæ, & fortunæ ſint bona ſimpliciter.

Cap. VII.

APparuit recta ratione à Peripateticis munera naturæ & fortunæ ſub bonorum genere fuiſſe poſita: at, quomodo ſint bona, adhuc conſpicue non conſtat. Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum, capite primo, loquens de muneribus fortunæ, ait; *ea eſſe ſimpliciter & ſemper bona, huic vero vel illi non ſemper.* Similiter in ſecundo Elenchorum eadem appellat ſimpliciter bona. Adeo vt indicet, bonorum quædam ſimpliciter, abſolute, ſuique natura eſſe bona; alia vero non abſolute, ſed huic vel illi: vt etiam in ſecundo phyſicorum, cont. 74. aſſeruit, inquiens: *Et quia melius eſt ſic, non ſimpliciter, ſed natura huius vel illius.* Quod igitur ad inſtitutum noſtrum pertinet; munera naturæ & fortunæ, ſunt ſimpliciter, abſolute, ſui natura, & per ſe bona, viris tamen vitio inquinatis bona non ſunt, ob eorum deprauationem, veluti etiam ægris nequaquam ea ſunt ſana, quæ ſui natura ſana ſunt. Ex his elicitur explicatio ſenten-

Munera fortunæ ſimpliciter bona.

Bonorum diſtinctio à forma.

tiæ

Digitized by Google

tiæ Ariſtotelis in 7. metaphyſicorum, cont.10. dicentis: *Vt in actionibus efficere debemus, vt per ſingulis bona ea reddantur illis bona, quæ ſimpliciter ſunt bona; ita in cognitionibus, per nota nobis, ea, quæ ſunt ſimpliciter nota reddenda ſunt nota nobis.* Hunc locum obſcurauit Auerroes, non illuſtrauit; ei tamen ob ſui contextus deprauationem aliquid condonandum eſt. Sed mirum eſt de Franciſco Vicomercato viro docto, qui in explicatione ſecundi contextus primi phyſicorum, inquit, *Ariſtotelem per bonum proprium denotaſſe pœnas, quas damus ob delicta, purgationes, & ſimilia*; cum tamen Ariſtoteles alibi longe ſecus ſemetipſum declaret, vt patebit. His accedit, quod pœnæ & purgationes nõ reddunt ſimpliciter bona, nobis bona, niſi ex euentu (vt conſpicuum eſt) quatenus nos purgant, quam purgationem ſequitur congruens animi vel corporis conſtitutio, quæ bonum noſtrum eſt. Sententia itaque illa per iam dicta explicanda eſt; nam ſimpliciter bona, ſunt munera naturæ & fortunæ, quæ tamen viro vitioſo perperam illis vtenti bona non ſunt: ideo enitendum, vt per ea, quæ ſunt bona nobis; nempe per rectam conſultationem, per prudentiam, moraleſque virtutes, quæ bona noſtra ſunt; ea quæ ſunt ſimpliciter bona, reddantur nobis bona: quod fit munere congruentis vſus. Ita Ariſtoteles ſemetipſum expoſuit in 7. de republ. capite decimotertio, inquiens: *Nam & illud eſt in libris de moribus declaratum, virum probum eum eſſe, cui per virtutem bona ſunt, quæ ſimpliciter ſunt bona.* At iure dubitare aliquis poſſet, quomodo munera naturæ & fortunæ mereantur dici ſimpliciter bona: id enim, quod ſimpliciter, abſolute, ſui conditione, & per ſe eſt tale, vnicuique iunctum ſemper eſt tale; non itaque huiuſmodi munera iudicari poſſunt per ſe bona, multis vero mala. Et præſertim; quia, dum aliquid per ſe vni competit, oppoſitum eius nec per ſe, nec ex accidenti ei poteſt competere: ſi itaque muneribus illis per ſe competeret bonum, nullo pacto poſſent reddi mala; at ea male vtentibus mala ſunt. Reſpondens dico, ſimpliciter bonum dupliciter vſurpari. Vel pro primo, ſummo, & maxime bono; ſic Deus eſt ſimpliciter bonus: in qua ſignificatione bonum ſimpliciter contra diſtinguitur à bono in parte, & non eſt præſentis conſiderationis. Vſurpatur ſecundo pro eo, quod eſt bonum ex ſui natura, contra diſtinctum ab eo, quod vni vel alteri bonum eſt: in qua ſignificatione ab Ariſtotele munera naturæ, & fortunæ dicuntur bona ſimpliciter. De quibus loquens dico: hæc, cum ſint bona ſimpliciter, ſemper hoc includere, vt ſui natura bona ſint, nec vnquam eis oppoſitum competere; oppoſita enim ſunt bonum ſimpliciter, & malum ſimpliciter: ea, cum ſint bona ſimpliciter, nunquam redduntur ſimpliciter mala: bonum autem ſim-

Explicatur locus ſeptimi metaphyſicæ.

Error Vicomercati.

Quæ ſint bona ſimpliciter & nobis.

Pulcra dubitatio.

Canon philoſophicus.

Solutio.

Bonum ſimpliciter duplex.

Digitized by Google

pliciter, & malum alicui, non opponuntur; ideo poſſunt eidem competere, vnum ex propria conditione, alterum ratione alterius, nempe vtentis. Vt autem difficultatis reſolutio, & dilutio aduerſarum rationum clarior refulgeat, duo prænoſcenda occurrunt. Vnum eſt, virtutem & congruentem constitutionem eſſe menſuram rerum, & cum natura rerum conformari: ideo dicebat Ariſtoteles in ſexto topicorum, cap. 3 ea, quæ ſunt ſimpliciter nota, etiam viro ſapienti eſſe primo nota: ſimiliter hæc, quæ ſunt ſimpliciter bona, viro quoq; probo bona ſunt: non ſecus ac ſimpliciter ſalubria viro ſano ſalubria ſunt. Cum itaque virtus congruenſque hominis conſtitutio ſit rerum menſura, qualia viro probo ea munera ſunt, talia abſolute iudicari merētur. Accipiendum ſecundo, inſtrumenta cum ſint ordinata ad opus vt ad finem ſuo fine definiri, vt monet Ariſtot. in ſecundo de anima, 38. Qualis autē ſit finis & opus, ex recto vſu eluceſcit: talia itaque iudicari debent inſtrumenta, qualia ſunt recte vtentibus; ſic bonam & malā dicimus lyram, quatenus recte vel perperam viro muſico in ea arte verſato inſeruit. His demum addēdum eſt, munera naturæ & fortunæ nobis inſtrumenti loco inſeruire: ideo talia abſolute cēſeri debere, qualia ſunt viro probo. Sententia fuit Platonis in appendice legum, diuitias ſeorſim ab vſu nullas eſſe, etiam ſi cuncta in aurum conuertantur: Idipſum affirmauit Ariſtoteles in primo rheto. inquiens; *Omnino diues magis in vſu, quam in poſſeſſione poſitus eſt.* Ex his eliciuntur ſolutiones aduerſarum rationum. Dicebatur primo, quod bonis bonum, malis malum, ex ſe neutrum eſſe. Solutio ex dictis patet: nam vnumquodque eſt tale, quale reſpondet ſuæ rectæ menſuræ, & quale eſt recte vtentibus: nam munera naturæ & fortunæ nil ſunt eorum, quæ vtentes eis ſupperaddunt; ſunt tamen natura quædam iudicanda per vſum rectum, rectamque menſuram. At pulcra occurrit dubitatio, quia ſi rectum vſum inſpicimus, cuncta erunt bona; nil enim eſt adeo malum, quod per cōgruentem vſum non dirigatur in bonum: Ideo cum Boetius, tum Plato enuntiabant, viro probo nil mali, viro improbo nil boni contingere poſſe. Cui difficultati reſpondens, dico primo, Boetium & Platonem minus recte fuiſſe loquutos, nam & probis & improbis bona & mala ſimpliciter accidere poſſunt: ideo rectius legitur in ſacris literis, *à viro iuſto cuncta ſiue bona ſiue mala dirigi in bonum*; *aliud enim eſt aliquid dirigi in bonum, & eſſe bonum.* Addo ſecundo, etiam ſententiam Boetii & Platonis ſeruari poſſe: Nam viro probo cuncta eſſe bona, dupliciter contingere ac intelligi poteſt. Vel per ſe & abſolute, ac ita id falſum eſt, non enim infortunia & deprauationes munerum naturæ, ei per ſe bona ſunt, abſolute enim ea ſunt mala, & impediunt varias munerum

Pro clariori explicatione duo prænoſcenda.

Primum.

Virtus menſura rerum.

Secundū inſtrumenta opera diiudicanda.

Munera naturæ & fortunæ inſtrumenta ſunt.

Plato.

Diluuntur aduerſa rationes.

Pulcra dubitatio.

Solutio.

munerum functiones eius. Vel id intelligitur ex euentu, munere vtentis, & quatenus ex eis ſumitur occaſio operãdi per eminentiorem virtutem, veluti ſe habet de recte inſtituto homine, cui cum natura & fortuna ſit aduerſa, occaſionem accipit operandi per virtutẽ heroicam eminentiorem, qua ſupra humana erectus ſolis diuinis delectatur. Sic igitur cum viro ꝓbo tum improbo ea accidere poſſunt, quæ ſimpliciter & ſui natura vel bona vel mala ſunt; at ex euentu munere vtentis & mala in ſalutẽ, & bona in perniciem dirigi poſſunt. Addebatur inſuper, improbos frequẽter abundare huiuſmodi muneribus, ac ea munera minime hominem reddere probum. Reſpõdeus dico, ea eſſe inſtrumenta, & ad vſum pertinere, & ꝓpterea reddere virum probum extrinſecus pro actu ſecundo, non intrinſecus pro habitu. Quod ſi improbi eis abundãt, id accidit, quia per fas & nefas huiuſmodi muneribus abundare nituntur, & eorum adeptioni nauant operam: de probis ſecus ſe habet; probi enim nolunt vtile ſine honeſto, & nõnunquam pro maiori bono negligunt minus bonũ, ac ea magnifice erogant. Demum, dum oſtenditur munera naturæ & fortunæ parere multa mala, compoſitam paupertatem eſſe ſaluberrimam: Reſpondeo, non ea munera, ſed deprauatum vſum mala parere; & ea ſummopere eſſe vtilia vitæ ciuili, negligenda tamen nõnunquam eſſe: non quia non ſint abſolute bona, ſed vt vitam eminentiorem viuamus, heroicam cõditionem ſortiamur, & ſupra humana erecti intimius cum Deo cõnectamur. Homo itaque ciuilis diuitias recte paratas negligere non debet: quicunque enim eas negligit, filios, conſanguineos, amicos, & egenos negligere dicitur; ac demum inſtrumenta magnificentiæ, & liberalitatis paruipendit: quod vir ciuilis minime facere debet.

Homo ciuilis recte paratas opes negligere non debet.

Duo dubia diluuntur, & conſideratur, an Peripatetici cum Stoicis conciliari poſſint. CAP. VIII.

EX his, quæ de naturæ & fortunæ muneribus dicta ſunt, tria emergunt dubia. Primum eſt: quia hęc munera cum ſint inſtrumenta & vtilia, ſolum in alterius gratia optanda ſunt, & propterea non ſunt fines, ſed ordinata in finem: bonum autem in fine collocatum eſt, & dempto fine demitur omne bonum: cum igitur non obtineant rationem finis, non videntur poſſe obtinere conditionem boni. Alterum eſt, vnde euenit, quod ſolus homo, & non iumenta & feræ, dicitur diues, & pauper. Demum conſiderandum eſt, vtrum lis inter Peripateticos & Stoicos in ſola voce ſit poſita, an etiam de ſententia diſſentiant. Quod attinet ad primum, quomodo inquam ea poſſint dici bona, cum non ſint finis; ſententia enim eſt Ariſtotelis in 3 metaph. cont. 3. ma-

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Solutio pri-

omne quod ex ſe & ſui natura eſt bonum, finem eſſe. Reſpondeo, omne, quod optatur, obtinet modo quodã rationem finis & boni: id autem, ꝙ optatur, triplex eſt; vel enim optatur ſolum gratia ſui, vt finis vltimus; vel gratia ſui & alterius, vt finis non vltimus, vel ſolum gratia alterius, vt id, quod vtile dicitur. Ex quo conſtat, & finem, & bonum triplex eſſe poſſe. Inſuper addo: omne, quod eſt bonũ, vel eſt finis vltimus, vel aliquid ordinatum in illum; cum enim bonum ſit ab vno (vt dicitur in primo moralium Nicomachiorum, c.6.) primo dicitur de fine vltimo, mox de ceteris ordinatis in illum; & propterea hac quoque ratione demto fine demitur omne bonum, quatenus quæ vere ſunt bona, munere vltimi finis bona ſunt. Et hæc de prima difficultate.

Solutio ſecunda difficultatis.

Cur ſolus homo pauper & diues.

Quærebatur ſecundo, cur ſolus homo ſit pauper & diues. Reſpondeo, id primo oriri ex vſu: diuitiæ n. in vſu ſunt poſitæ, vſus ſoli homini competit; vſus n. ex ratione & prælectione pendet, quæ ſoli homini conueniunt, veluti etiam actio ſolius eſt hominis. Secundo id oritur ex indigentia & appetitione: homo enim multa noſcens, multa appetit, ac maxime eſt per naturam egenus; ideo diuitiis eget ꝓ vſu & explendis appetitionibus. Tertio id euenit ratione vltimi finis: ſolus n. homo eſt natus in hac vita modo aliquo ſummum bonum aſſequi; pro quo aſſequendo, ac ꝓ virtutum actionib. inſeruiunt diuitiæ tanquam inſtrumenta. Solus igitur homo iure diues & fortunatus, pauper ac infortunatus, nuncupatur.

Pauperes in medio diuitiarum.

Ex his conſtat; quod, cum diuitiæ in vſu ſint poſitæ, quicunque eis abundat, minimeque vtitur, in medio diuitiarum egenus & pauper dici meretur: bonũ eſt diuitiis bene vti, malum eis non vti, deterius eis perperam vti.

Solutio tertia.

Demum conſideratione dignũ eſt, num lis, quæ inter Stoicos & Peripateticos verſatur, cõponi poſſit; adeo vt in ſolis verbis ſit poſita, vel etiam de ſententia diſſentiant. Pro cuius difficultatis cõſpicua reſolutione tres profero aſſertiones.

Prima aſſertio. *Secunda.* *Tertia.*

Prima ſit, inter Peripateticos & Stoicos lis in ſolis verbis eſt poſita. Altera ſit, dum perpendimus inſtitutum & ſcopum, vna ex parte Peripateticorum, ex altera Stoicorum; ea munera magis ex inſtituto Peripateticorum cenſeri debent bona, quam ex inſtituto & ſcopo Stoicorum. Tertia ſit, rectius, cõmunique vſui loquendi congruentius loquuntur Peripatetici, quã Stoici.

Explicatio primæ aſſertionis.

Quod pertinet ad primam: cum nomen boni (vt dixi) ſit ab vno, & nomen ab vno dupliciter vſurpetur, nõnunquam pro primo quod ſignificatur, nonnunquam vero ꝓ vniuerſa eius latitudine (vt colligitur ex quarto metaphyſicæ, nec non ex octauo)

Bonum dupliciter accipitur.

Peripatetici nomen boni ſumpſerunt ꝓ vniuerſa eius latitudine, Stoici vero pro ſolo primo & vere bono; & propterea illi affirmarunt, hi negarunt, fortunæ & naturæ munera eſſe bona. Ita Plato, & ſecum, & cum Stoicis conciliatur:

Plato

Plato enim (vt patet ex relatis in præcedentibus) nonnunquã ea munera nuncupauit bona, nonnunquã vero ſolam ſapientiam & prudẽtiam bonam dixit; vtrumque profecto verum eſt ob variã boni ſignificationem. Aſſerebam ſecundo, ob diſtinctionem inſtituti & ſcopi Peripateticorum & Stoicorum, magis à Peripateticis quam à Stoicis ea munera debere nuncupari bona. Ariſtoteles enim inſtituit homines ꝓ vita ciuili, pro vſu moralium virtutum in rep. in cœtuque hominum: in quo vitæ genere magis fulgent, magiſque neceſſaria ſunt huiuſmodi munera, quam in vita monaſtica, ſeorſim a cœtu hominum, ac in eo vitæ genere, ꝙ maxime commendarunt Stoici. Ideo etiam Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, *Viro addicto contemplationi ea munera minus neceſſaria aſſeruit*. Similiter noſtri Theologi hominem ſupra mortalia erigẽtes, & ad diuina dirigentes, ea munera minus bona iudicarunt, ac nonnunquam eſſe negligenda monuerunt; ex fine enim ſumenda eſt conditio, menſura, & forma ordinatorum in eum. Aſſerebatur poſtremo, Peripateticos rectius loqui; nam vocibus debemus vti vt plures, & præſertim, dum conditioni rerum congruenter reſpondent: nec, vt noui aliquid, admirationeque digni dicere videamur, nouæ formãdæ ſunt voces, ſiue cõmunibus in diſtincta ſignificatione vtendum. Cum itaque bonum ſit ab vno, recta ratione omnibus ad ſummum bonum, poſtremumque finem ex ſui natura & conditione conſpirantibus, tribui debet.

Plato & ſecum & cum Stoicis conciliatur.

Explicatio ſecundæ aſſertionis.

Theologi.

Explicatio tertiæ aſſertionis.

An bona natura & fortuna ſint neceſſaria ad felicitatem.

CAP. IX.

QVoniam homo non eſt mens ſola ſecreta à corpore, ſed mens cum corpore iuncta, nec modo nobis ſermo eſt de ſummo bono ſeparatarum mentium, ſed de eo, quod homini mortalem hanc vitam viuenti natum eſt competere; & quia ratione corporis egemus multis, ſubiicimur variis neceſſitatibus, collocatique ſumus ſub regno naturæ & fortunæ. Propterea exiſtimarunt nõnulli, in bonis naturę & fortunæ, quaſi in muneribus ſui principis, ſummum bonum eſſe collocatum; ac eundem eſſe virum felicem, virumque fortunatum, indeque oriri affirmarunt, vt omnes homines inſtinctu quodam naturæ ea munera magis faciant & optent. Nec iniuria profecto; nam diuitiæ ſunt ſubſtantiæ, & ad ſalutem noſtræ ſubſtantiæ ordinatæ ſunt, cum virtutes & actiones earum accidentia ſint; ſubſtantiæ autem, omnium confeſſione, præſtant & dominantur accidentibus. Verum hi merſi in materiei ſordibus, vitaque animæ & mentis deſtituti, in re conſpicua manifeſte hallucinantur:

Statuentes ſummum bonum in diuitiis.

Euertitur eorum ſententia.

Digitized by Google

non enim in inſtrumento, in re fluxili & inconſtanti, in eo quod ſolum ob imbecillitatẽ corporis eſt neceſſarium, ſummum bonũ, firmum, cōſtans, ad mentemque pertinens, locũ habere poteſt. *Diluitur ratio.* Nec alicuius momenti iudicanda eſt ratio, qua nituntur. Nos n. per corpus collocati ſumus ſub regno naturę, & fortunę, at munere animi his dominari, eiſque vt inſtrumentis vti nati ſumus. Quod ſi diuitiæ ſunt ſubſtãtiæ, virtutes vero earumque actiones accidẽtia, parum refert: ſolũ ex hoc colligimus, quod, vt entia, & cōſideratione metaphyſica, diuitiæ, vt ſubſtãtiæ præferuntur virtutib. vt accidentia ſunt: at conſideratione morali, per quam quærimus, nō eſſe nouum, ſed perfectionem cōpoſiti iam exiſtentis, ſecus ſe habet. Nos n. cum per mẽtem conſtituamur, ea præferre & magnifacere tenemur, quæ animã & mẽtem perficiunt: diuitiæ non mentem perficiunt, ſed tantum ſunt externa inſtrumenta eius, virtus vero & actio proba mentem perficit, ideo hac conſideratione virtus eſt præferenda, & homo ꝓbus homini diuiti & improbo longe eſt anteponendus. Diuitias optare debent homines recte inſtituti, tanquã neceſſarias, & tãquam inſtrumenta virtutum. Propterea nonnulli ad ſola ſuperna conuerſi, diuitias, & naturæ munera ꝓ ſummo bono minime eſſe neceſſaria putarunt. *Sententia Peripateticorum.* Verum Peripatetici medios ſe inter eos conſtituerunt, & ea munera iudicant quidem bona, at nō ſummum bonum, eaque cẽſent neceſſario pro ſummo bono hominis vitam hanc viuentis, nec iniuria profecto: *Vtilitas munerum fortunæ.* cōferunt enim ea munera, primo ad aſſequendam, ſecundo ad illuſtrandam, demum ad conſeruandam humanam felicitatem. Quis enim ſibi conſentiens, felicem inter mortales iudicabit illum, qui neceſſariis egeat? Naturam in ortu non matrem, ſed nouercam habuerit? Fortunam ſemper inſpexerit aduerſam? adeo vt nulla ei dies ſerena refulſerit, nulla ex eo illuſtris actio prodire valuerit, nunquam ſecum & cum aliis ad votum vixerit? Cum n. homo in theatro naturæ & fortunæ ſit collocatus, in cōcurſuque vtriuſque ſit poſitus, & vitã viuat animo, & corpori cōmunem, ac ratione corporis actionũque animi multis egeat: vt optime ſe habeat, ſummoq; huius vitę bono cumulate fruatur; eſt neceſſe, vt felici cōſpiratione in eo omnia connectantur, quæ ſplendori & perfectioni ſuæ vitæ conducere valent. *Alexander.* Propterea recte Alexander in ſecundo ſuo libro de anima, cap. 43. dixit, *Virtutem eſſe perinde ac opificem felicitatis: & quia omnis artifex neceſſario eget inſtrumentis ſuis, nec ſibi ſoli eſt ſatis, ideo ea quoque ſuis inſtrumentis egebit, huiuſmodi ſunt naturæ & fortunæ munera, quæ pro ſummo ciuili bono magis, pro contemplatione minus ſunt neceſſaria:* adeo vt quemadmodum oculus lumine deſtitutus marceſcit otio, torpet faber ſine inſtrumentis, ita virtus à fortuna & natura derelicta,

Digitized by Google

licta, redditur impotẽs. Propterea elegãter Euryphamus Pythagoræus (referente Stobæo) aſſeruit, hominis vitam lyræ perfectæ, numeriſque omnibus abſolutæ, eſſe ſimilem: lyra his tribus eget, cõſtructione, concinnitate, cõtrectatione, quibus reſpondent in viro felici facultas, habitus & actio; quorum abſolutio ſine internis, externiſque inſtrumentis ſeruari nõ poteſt. Quam optimam cõſtitutionem circumſcribens Boetius dixit, *eam eſſe cumulum omnium bonorum*; & iure profecto; non n. ſummũ mortalium bonũ dici poteſt, niſi bonum omne natum mortalibus competere includat. Propterea eleganter cecinit Pindarus: *Euryphamus.* *Vita hominis lyræ ſimilis.*

Beatus, qui ſimul opes & mentem poſſidet.

Et Horatius:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam ſapere, & fari vt poſſit, quæ ſentiat? & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?

Et quoniam horum bonorum conſpiratio vt eſt præclara, ita rara & ardua; iure pauciſſimi in terris reperti ſunt, qui valuerint dici felices.

Sententia Peripateticorum in dubium vertitur.
Cap. X.

COnſentanea apprime ſunt ea, quæ dixi communi & populari hominum ſententiæ, fundamentiſque Peripateticorũ; at cum ratione, & veriore ſententia ſatis aperte pugnare videntur. Propterea Stoici felicitatem Peripateticã mollem & eneruatam nuncuparunt, ac nodum illum, neceſſariamque connexionem munerum naturæ & fortunæ cum ſummo hominis bono penitus renuerunt; nec iniuria profecto. Nam ea, quæ firma, conſtantia, ſtabiliaque ſunt, cum rebus mutationi obnoxiis neceſſitudinis nodo ligata eſſe non poſſunt; alioquin ea quoque inconſtantia redderentur: firma & conſtans eſt felicitas, leuia & inconſtantia ſunt munera naturæ, & fortunæ. Prętereà cum homo prælectionis & virtutis munere ſit faber ſuæ ſortis, ſuique poſtremi boni, & per naturam ſit animal natum beari; etiã putandum eſt, ea ſola eſſe neceſſaria pro ſummo eius bono, quæ in eius manibus, eiuſque facultate ſunt poſita: huiuſmodi minime ſunt naturæ, & fortunæ munera. Et confirmatur: quia ſi felicitas (vt cenſet Ariſtoteles) eſt actio proba, actioque præclara; quænam quæſo à virtute hominis actio ſplendidior prodire poteſt, quam mentis ſupra corpus eleuatio, negligentia fortunæ, conculcatio munerum eius & naturæ, ac vacuitas appetitionis eorum? Animo reuoluamus obſecro (ſi verum exactius inſpicere *Stoici.* *Ratio prima aduerſus ſententiam Ariſtotelis.* *Ratio ſecunda.* *Ratio tertia.*

Digitized by Google

Sententia Ariſtotelis de fortuna Priami in dubium vertitur.

cupimus) ea quæ gratia exempli ab Ariſtotele in primo moralium Nicomachiorum, de Priamo referuntur, dum inquit: *Si quis labatur in Priami calamitates, non erit felix.* At quomodo non erit felix? Nam ſi rationi credimus, tunc maxime felix, vrbiſque triumphator & orbis exſtitiſſet: ſi in ſola virtute tanquam firma anchora confiſus, euentorum inconſtantiam conſiderans; in infortuniis exſultaſſet filiorum interitum patientiſſime tuliſſet, diuitiarum iacturam paruipendiſſet, terreni regni euerſionem irriſiſſet, & cum Biante exclamaſſet. (*Omnia bona mea mecum porto*) ac inſuper addidiſſet: *Etiam ſi animum à corpore diſſoluetis, nil mei amittam.* Cum Stoicis exclamaſſet: *Nil perdidi, ſed reddidi, depoſita reſtitui, bona meæ ſeruaui.* Nonne inquam ſi talem ſe præſtitiſſet, heroicum viri felicis exemplum mundo reliquiſſet? nonne præclariſſimæ virtutis ſplendidiſſima tunc actio refulſiſſet? Imo Ariſtoteles veritate coactus, ſibique parum conſtans, idipſum nonnunquam affirmaſſe viſus eſt. Nam in ſecundo libro de cura familiari inquit: *Mulier precari debet, ne quid aduerſi accidat viro, & ſi quid mali accidat, putare debet hinc præclaram ſibi laudem* (ſi recte ſe geſſerit) *prouenturam, ſecum ipſa repetens, quia nec Alceſte tantam ſibi gloriam comparaſſet, nec Penelopes tot tantaſque laudes meruiſſet, ſi cum viris vixiſſent fortunatis: Verum Admeti, Vlyſſiſque aduerſitates, eis memoriam æternam parauerunt.* Inſuper in primo moralium Nicomachiorum, cap. 10. inquit: *Tunc fulget felix, apparetque magis, cum ſedate ac moderate quis multas & magnas perfert calamitates, non indolentia quadam, ſed quod generoſo, forti, magnoque ſit animo præditus.* Propterea Boetius in ſecundo de conſolatione proſa. 8. inquit: *Plus reor, hominibus aduerſam, quam proſperam prodeſſe fortunam.* Et Seneca in libro de vita beata præclare enunciauit; *Summum bonum eſt animus fortuita deſpiciens, virtute lætus.* Imo Horatius ſecum pugnaſſe viſus eſt, dum dixit: *Et mundus victus non deficiente crumena.* Nam quomodo dicitur viciſſe mundum, qui ex pecunia, vili quadam mundi portione, pēdet? quomodo ſibi vniuerſum ſubiecit, qui crumenæ alligatus timet, ne deſeratur ab ea? Niſi fortaſſe quis dicat, poetam per victum mundum vna cum Epicuro, de cuius grege in calce eiuſdem epiſtolæ ſe porcum affirmat, denotaſſe cibum lautum & delicatum: at tunc in deteriora labetur abſurda. Superioribus illud præterea accedit, quod; cum felicitas ſit vſus & ſplendor virtutis, virtuſque in rebus arduis ſupraque vires vulgi collocatis refulgeat, arduumq; ſit mundum, naturam, fortunamq; ſuperare; in ea profecto victoria ſplendidiſſime virtutis refulgebit, & longe illuſtrius, quam in facili vſu munerum fortunæ. Propterea tragici poetæ, vt ſpecimen huius ſolidio-

Ariſtot. non videtur ſibi conſtare.

Boetius.

Seneca.

Horatius ſecum pugnare videtur.

Hercules.

igitized by Google

ſolidioris felicitatis nobis pateſacerent, Herculem induxerunt: qui vehementiſſimis cruciatibus preſſus, maximis infortuniis vexatus, cunctiſque naturæ & externis bonis nudatus; mundi tamen victor, fortunæque triumphator, ita exſultans terram deſereret, ſcanderetque cœlum.

Ite nunc fortes, Vbi celſa magni
Ducit exempli via: cur inertes
Terga nudatis? ſuperata tellus
Sidera donat.

Hoc ſi ſeruaſſet Priamus, nedum præcedentem felicitatem non obumbraſſet, verum potius eam reddidiſſet ſplēdidiorem. Propterea Alexander ille Magnus, mundi debellator, à ſolo Diogene eoque fere nudo, ſe tunc ſuperatum affirmauit; dum ille vnus Alexandrum non formidauit, eiuſque diuitias ſublimi animo neglexit: & quamuis Alexandri fortuna fortunæ Diogenis præſtaret, animus tamen Diogenis animo Alexandri, quamuis magni, lōge antecelluit. Hæc omnia cōfirmantur, quia ſi viro probo nil mali poteſt accidere (vt in libris de legibus à Platone oſtenditur) ac in ea cuncta vertuntur in bonum; quomodo vir probus & felix, per fortunam aduerſam ſua felicitate priuabitur? quomodo ei mala eſſe poterit iactura diuitiarum, præſertim cum felicitas ſit bonum ex ſe ſatis, alioque non egens? Vere itaque muliebris ac effœminata eſt hæc Peripateticorum felicitas, cum fortunæ ſuccumbat, naturæque ſubiiciatur; virilis autem magis eſt ea Stoicorum. Propterea Socrates Athenienſium iudicio morti deſtinatus, ludens venenum ſumpſit, eoque ſumto meditabatur fabulas, & amicos id ægre ferentes amice irridebat. Plotinus quoque Enneade 1. lib. 4. cap. 7. aduerſus Peripateticam felicitatem hæc profert. Inquiunt aduerſitates non quaslibet, ſed magnas mutare felicitatem: at quidnam erit humanorum adeo magnum, quin ab eo deſpici queat; qui ad altiora his omnibus ſeſe extulit, neque ab inferioribus vllis vltra dependet? Plato quoque in Menexeno inquit: *Enimuero Vetus illud prouerbium*, (Nihil nimis) *ſcite dictum videtur: nam qui ita ſe comparauit, Vt ex eo pendeant omnia, quæ ad felicitatem eius conferant, aut quam proxime ad hoc accedat; nec ex aliis pendeat hominibus, qui ſi vel bene vel male agant, hic ſua quoque mutar~ gatur, is optime vitam inſtituit, temperans, fortis, pruden~per paſiuepecunias nanciſcatur ac filios, ſiue amittat, prou~ dolore eiicietebit: nunquam enim nimis aut lætitia exſulta'* Tuſculana ita latur, &c. Quæ poſtrema verba à Ciceror *veteri, neque enim lata*tinitate donata ſunt: *Obediet præs, quod ſemper in ſeipſo omnem bitur vnquam, neque mœre*ltaque, virum felicem non penderg *ſpem reponet ſui, &c.* C~

Alexander Magnus.

Socrates.

Plotinus.

Plato.

vllo pacto ex fortuna; & caput ſuum, nedum ſupra regnum fortunæ, verum quoque ſupra cœlum extuliſſe: adeo vt à nubibus, & oppoſitis ventis amplius turbari non poſſit; ſed tranquilla & ſecura pace fruatur, in ſua virtute cõfidat, intrepidus viuat, & ſi quæ ei occurrãt nata humanos vultus deterrere, tunc magis exultet, Deumque collaudet ac deprædicet; non ſecus ac martyres Chriſti fecerunt, qui ad eis oblata martyria ſponte properabant, properanteſque exultabant. Adeo vt iure optimo Lucianus, vir facetus & elegans, Ariſtotelem irriſiſſe viſus ſit, dum Alexãdrum Magnum apud inferos induxit aſſerentem, *Ariſtotelem verſutum & callidum nixum fuiſſe ei perſuadere, munera fortunæ neceſſaria eſſe ad ſummũ hominis bonum, vt auderet ea ab ipſo petere, ac bona fronte recipere.* Ideo rectior videtur ſententia Metrodori, qui quamuis Epicureus fuerit & voluptarius, tamẽ veritate coactus dixit: *Occupaui te fortuna, accepi, omneſque aditus tuos intercluſi, vt ad me aſpirare non poſſes.* Neque forte hæc ſententia cum Epicuri placitis pugnat, vt ſuſpicatus eſt Cicero quinto Tuſculanarum: cũ Epicurus in ea voluptate ſummum bonum collocauerit, quæ ex proba actione conſurgit. His accedit, quod Peripatetici virtutẽ & ſummum bonum verbis magnifacientes, reuera tamen cõditionem vtriuſque apertiſſime euertunt: Eſt virtus hominis potens & inuicta; hi vinci, eneruati, ac ſuperari aduerſis fortunę incurſionibus affirmant. Eſt ſummum hominis bonum conſtans, & firma tranquillitas; at qui in ſola ſua virtute non confidit, ſed ſemper ſperat vel timet ob fortunæ vel naturæ inconſtantiam, ea tranquillitate frui non valet. Propterea ſatis dubia videtur ſententia illa Horatii dicentis:

Lucianus.

Metrodorus.

Sententia Ciceronis non approbatur.

Sententia Horatii in dubium reuocatur.

> *Sperat infeſtis, metuit ſecundis*
> *Alteram ſortem, bene temperatum*
> *Pectus, &c.*

Rectius forte fuiſſet loquutus, ſi aſſeruiſſet: pectus ſapientis, virique probi recte temperati, nec timere, nec ſperare: ſed continenter frui trãquillo animo muneribus ſuarum virtutum, quæ mutationibus non ſubiiciuntur: quicunque enim ſperat & metuit, moleſtiſſimis perturbationibus agitatur; teſtes ſunt illi, qui aulas principum frequentant. Imo Ariſtot. ſibi conſtare non viſetur, cum ex vna parte dicat, virum felicem & probum, cubi infra naturam proſterni; ex altera aſſerat, ei eſſe neceſſaria munenuntur. Co[illegible] fortunæ, quæ leuia & inconſtantia facile proſterad recte, honeſte, [illegible] itaque cum Stoicis eſſe videtur; Id, quod eſſe ſatis ad felicitatẽ: vi[illegible]liter, & bene viuendum eſt ſatis, etiam licitatem eſſe ſatis. Cui ſenten[illegible]iuſmodi eſt. Ea itaque ſola ad fenem ſubſcripſiſſe, quinto Tuſculana[illegible]riſtotelem quoque & Plato[illegible]xiſtimauit Cicero.

[illegible] conſtarẽ [illegible] videtur.

ANNO-

ANNOTATIO.

Horatius aſſecla Epicuri, ſummum bonum circumſcribens, in epiſt. ad Albium inquit:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam ſapere, & fari vt poſſit, quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?

Huius poſtremi verſus duæ ſunt expoſitiones, vna communis, quod per mundum victum ſignificet cibum mundum, & non ſordidum, quam ego retuli; at dixi eam multa ſequi abſurda: abſurdum enim eſt in epulis ſummum bonum cōſtituere, quarum ſatietate facile afficimur. Attuli ego alteram, ſatis probabilem expoſitionem, quod denotauerit, ſummum bonum in eo eſſe poſitum, vt mundum vincamus; dicimur vincere mundum, ſi ea paruipendimus, & non miramur, quæ ab hominum multitudine maximi fiunt. Hanc colligo cum ex Horatio, tum ex ſententia Epicureorum: ex Horatio primo, quia ad Numicium ſcribens inquit:

Nil admirari, prope res eſt vna Numici,
Solaq; quæ poſſit facere & ſeruare beatum
Hunc ſolem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent, quid cenſes munera terræ?
Quid maris, extremos Arabas ditantis, & Indos?

Alia multa in ea epiſtol. profert Horatius, quibus affirmat; ſummum bonum in eo eſſe poſitum, vt nō miremur ea, quæ viri populares maximi faciunt, &, hoc eſt vincere mundum, negligere varia munera eius, dummodo nobis neceſſaria nō deſint: ne itaque in ſtatuendo ſummo bono Horatius ſibi non conſtet, ita cenſeo probabiliter verba ea poſſe exponi.

Id ipſum colligo ex ſententia Epicuri, quem Horatius ſequitur, Epicurus enim in gaudio, & animi tranquillitate, ſummum bonum poſuit, qua nō fruimur, dum fortunam magnifacimus; ideo tenemur ex eius ſententia, ſuperuacanea negligere; ita tamen, vt primo nobis neceſſaria paremus. Hoc expreſſit Athenæus (referente Diog. Laertio) in laudem Epicuri, ita canens:

Quis furor ô ciues, vt vos ob vile lucellum,
Rixas, & bellum ſollicitetis atrox?
Nam natura opibus, facile eſt contenta puſillis;
Contenta nullis ambitio eſt opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe camenæ,
Aut ſuada tripodes edocuere ſacri.

Vtraque itaque expoſitio eſt probabilis, vtramque ego vt probabilem retuli: vtra ſit verior, aliorum ſit iudicium.

Reſolutio difficultatis, CAP. XI.

Stoici reiiciuntur.

PRæclaræ profectò ſunt Stoicorum ſententiæ, ſplendidiſſimiſque verborum apparatibus illuſtratæ; à rei tamen natura abhorrent, ſenſibus aduerſantur, cumque eorum principiis manifeſtiſſime pugnant: Stoici enim nil ſupra corpus excogitarunt, hanc ſolam mortalem vitam nouerunt, in eaque ſola vltimum hominis finem conſiderarunt, cui fini minime ſunt cõſentanea illa, quæ ei tribuunt. Approbandæ eſſent illæ ſententiæ in ore ſanctorum Martyrum, ad ſupernam vitam properantium; deridendæ in eorum ore, qui ſublimiorem vitam non ſperant. Damnant Stoicorum aſſeclæ Epicurum, quia aſſertiones eius cum ſuis principiis non conſentiunt: at longe magis damnandi ſunt ipſi, cum quærant conditionem ſummi boni firmam & ſtabilem in mortalibus, vbi nil ſtabile inueniri poteſt; & cum ſe corporeos omni ex parte iudicent, perfectionem quærunt tantum rei ſupra corpus exiſtenti congruentem, nec opera quidem ab ipſiſmet mox approbatam. Propterea pro reſolutione tres profero aſſertiones: quæ ex eo fonte manant, quod ordinata in finem, à ſuo fine menſuram & conditionem recipiant. Erga finem autem tribus modis valemus eſſe affecti; vel enim ſolum inſpicimus finem & ſummum bonum præſentis vitę, vel ſolum futuræ, vel vtriuſque. Si tantum inſpicimus finem præſentis vitæ (quod faciunt Peripatetici, & Stoici vario tamen modo) inde ꝓdit aſſertio prima, quæ eſt. Rectè loquuntur, & ſtatuto fini conſentanea ꝓferunt Peripatetici, aſſerentes ad ſummum hominis bonum neceſſaria eſſe munera naturæ ac fortunæ; Stoici autem id negãtes, aberrant. Si ſolum inſpicimus bonum futuræ vitæ, piè, ſanctè, & rectè loquuntur viri ſancti; quia ad illud ſolum properantes, fortunam negligunt & paruipendũt, & vna cum ea etiam naturæ bona: Stoici verbis cum ei cõſentientes, ſuo fini, ſuiſque principiis aduerſantur. Si demum inſpicimus vtrumque finem, & bonum vtrique vitæ natum competere (quod faciunt Platonici, & theologi noſtri) poſtrema prodit aſſertio, quę eſt: viri ciu les Chriſtianam vitam viuentes, munera naturæ & fortunæ bona cenſere debent, ſuoque generi vitæ neceſſaria; eatenus tamen, quatenus cum bono futuræ vitæ conſentiunt, & recto vſu iuſtaque poſſeſſione ad illud nobis viam parant. Ita dantur, *& quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Ex his ſatis aperte conſtare cenſeo reſolutionem difficultatis, aſſertionum veritatem: & demum, quod Peripatetici ſuo fini conſentanea enunciant, nec ſecum pugnant, vt Stoici. Nam, dum quærimus ſummum huius vitæ bonum, id inſpicere tenemur, quod ꝑfectiſſimum ac ſibi omni ex parte eſt ſatis; in quo nil appareat, quod nõ ſit ad votum, non ſit abſolute liberum, natum ex ſe pro hac

Tres pro reſolutione aſſertiones.

Prima aſſertio.

Secunda aſſertio.

Tertia aſſertio.

Digitized by Google

hac vita optari ac præeligi. At in tormentis, in infortuniis, in vehementiſſimis cruciatibus, ac demum in rota (vt aiunt Stoici) hæc non inueniuntur: ea namque tormenta non eſſe ad votum, ex eo conſtat, quia ſi Stoici poſſent (à ſuis inſtitutis non recedentes) ea vitarent; & ſi libera eis concederetur eligendi optio, potius munere virtutis fungi eligerent cum ſecunda, quam cum aduerſa fortuna. Quare ſi aduerſam fortunam moderate ferunt, id non abſolute, ſed pro eo tempore, eaque occaſione ſponte efficiunt; non ſecus ac imminente naufragio, ſponte dicuntur nautæ exonerare nauem; & in lethali vulnere, ſponte conceditur chirurgo, vt pedem ſecet: non igitur ea eſt conditio, quam abſolute optamus, & tanquam ſummum huius vitæ bonum quærimus; nam cum ſummo bono nil iungi debet, quod omni ex parte non ſatisfaciat, abſoluteque liberum non ſit. Et quamuis in aduerſa fortuna vir probus ea agat, quæ virtuti ſunt conſentanea, in eiuſque actione robur virtutis ſplendidiſſime fulgeat; non propterea tunc perfecta felicitate fruitur; nec eam viuit vitam, quam abſolute, & dempta omni conditione, viuere exoptaret. Sancti Martyres, dum in Martyrio iubilabant, non id faciebant, quia in eo Martyrio, eaque actione, iudicarent ſummum bonum eſſe collocatum, ſed quia erat eis via ad ſummum bonum, non ſecus ac medicamenta: amara deducunt in ſanitatem. Pari ratione ludebat Socrates moriturus: At Stoici alterius vitæ ignari, recta ratione id facere non valent. Propterea approbanda videtur ſententia Ariſtotelis ſeptimo de republica, capite decimotertio dicentis: *Ceterum, licet vir probus paupertatem, morbumque, & ceteras calamitates recte magnoque animo ferat, felicitas tamen in rebus oppoſitis ſita eſt: nam & illud eſt in libris de moribus declaratum, virum probum eſſe, cui per virtutem bona ſunt, quæ ſimpliciter ſunt bona, &c.* At dicet fortaſſe aliquis: Eſto, quod homo in aduerſa fortuna non ſit ſumme felix, fortaſſe (ſi ſummum bonum latitudine eſt præditum) in parte ſaltem erit felix. Cui reſpondendum primo eſt, ſermonem illum aduerſari Stoicis, qui in omni fortuna hominem aſſerunt æque eſſe felicem, dummodo æque ſit virtute præditus, vt etiam poſt Stoicos dixit Plotinus. Præterea, dum loquimur de ſummo bono, id inſpicimus, & explicare nitimur, quod omni ex parte ſummum eſt, vt etiam fecit Ariſtoteles. His accedit, quod, ſi infortunia felicitatem minuunt, inter mala erunt numeranda, non enim valet minuere bonum, niſi id quod malum eſt: at inquiunt Stoici ſolam virtutem bonam, ſola vitia mala. Demum, ſi infortunia minuunt ſummum bonum, maxima infortunia adeo minueat, vt id omnino in nihilum redigant. Non itaque recte

Ariſtoteles.

Dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

aiunt Stoici, effœminatam & mollem eſſe Peripateticorum felicitatem, non enim molles ſunt viri magnanimi, magnifici, & fortes: rectius loquerentur, ſi dicerent; hanc cum ſenſu, cum ratione, cum natura conſentire, ſuam vero cõditioni mortali minime eſſe accommodatam.

Diluuntur aduerſæ rationes, & oſtenditur, quid veri includat ſententia Stoicorum. CAP. XII.

QVamuis ſatis aperte ex dictis colligi poſſit reſolutio difficultatis, aduerſarumque rationum dilutio; tamen, cumulatioris explicationis gratia, ac ſimul vt pateat, num veri aliquid protulerint Stoici, qui ſumma cura diſciplinæ morali nauarunt operam; nonnulla quoque ſuperaddenda cenſui. Lis vniuerſa in hoc ſolo eſt poſita: num quatenus ad hominem pertinet, ſola virtus ſit ſatis pro conſtitutione ſummi boni eius; vel præter virtutem aliud quoque ſit neceſſarium, nempe munera naturæ & fortunæ: Qua de re his vtendum cenſeo diſtinctionibus. Virtutem pro conſtituendo ſummo hominis bono eſſe ſatis, dupliciter intelligi poteſt; primo ex parte eius, quod firmum & conſtans eſt, ſecundo ex conditione ceterorum, quæ mutationi ſunt obnoxia. Virtus eſt ſatis pro attinentibus ad primam conditionem non ad alteram. Inſuper, virtus poteſt cenſeri ſatis, vel pro illis quæ ad nos pertinent, ac in noſtra ſunt facultate, vel inſpiciendo omnia conſpirantia quouis modo ad cumulatã conſtitutionem ſummi boni. Virtus eſt ſatis pro attinẽtibus ad prima, at nõ ad reliqua. Tertio, aliquid poteſt iudicari ſatis, vel pro fundamento ſummi boni, vel pro adnexis ac inſtrumentis eius, virtus eſt ſatis prima, at non ſecunda conſideratione. Demum, virtus referri poteſt, vel ad ſummum bonum animi, vt æternus & immortalis eſt, vel ad ſummum bonum viri ciuilis, vt ciuile eſt animal, vitamque ducit ciuilem in cœtu & congreſſibus hominum. Virtus eſt ſatis prima, at non ſecunda conſideratione. Et quia Ariſtoteles ſummum hominis bonum in hac vita, & hoc ſecundo modo conſiderauit: propterea, quamuis abſolute ſoli noſtri Theologi recte ſenſerint de ſummo hominis bono, tamen ipſe quoque ea conſideratione & ſuppoſitione, tum ſibi, tum naturæ rei conſentaneas ſententias enunciauit. Inſtantiæ ſumtæ à Socrate, ab Hercule, & ab aliis ad futuram vitam aſpirantibus (vt conſpicuum eſt) ad rem non faciunt: ideo Socrates moriturus, de immortalitate animæ, & vita futura diſſerebat. At vrgent adhuc, qui partem Stoicorum tuentur, & inquiunt: *Bene viuere, & felicem eſſe, idem ſunt*: Virtus eſt ſatis, vt bene viuamus; quare etiam, vt felices ſimus. Reſpondeo, Bene viuere dupliciter vſurpatur. Vel ex voto, & cũ proſperitate,

Quomodo virtus pro conſtituendo ſummo bono ſit & non ſit ſatis.

Prima diſtinctio.

Secunda diſtinctio.

Tertia diſtinctio.

Quarta.

Inſtantia.

Bene viuere an idem cũ ſummo bono.

Reſponſio per diſtinctionem.

igitized by Google

ritate, & hoc eſt illud bene viuere abſolute, quod idem eſt cum ſummo ciuili bono; pro quo ſola virtus non eſt ſatis. Vel vſurpatur late, pro eo quod eſt agere illa, quæ ſunt conſentanea virtuti vel ſponte penitus, vel pro oblata opportunitate; at hoc minime idem cum ſummo bono, omni ex parte perfecto. Stoici itaque hominem ſenſu priuant; &, cum in eo nil ſupra corpus conſiderent, illa ei pro ſummo bono tribuunt, quæ à corporis conditione prorſus ſunt aliena. Similiter Cicero minus recte in quinto Tuſculanarum aſſeruit, *Ariſtotelem & Platonem cum Stoicis conſentire, quod ſola virtus pro felicitate ſit ſatis.* Nam de Ariſtotele lucidiſſime conſtat, quod ab eis diſſentit: cum in primo moralium Nicomachiorum ex inſtituto aſſeruerit, ſine bonis, quorum domina eſt natura & fortuna, non poſſe hominem eſſe felicem. Et ea ſententia, quod in rotam felicitas non aſcendat: cui ſimilem aſſerit Cicero protuliſſe Theophraſtum, & propterea erraſſe; fuit etiam prolata ab Ariſtotele: nam in 7. moralium Nicomachiorum, capite 13. inquit: *Nulla actio eſt perfecta, ſi impediatur, at felicitas actio eſt perfecta, quapropter felix eget bonis & corporis, & externis, ipſaq; fortuna, ne impediatur: Qui autem aiunt eum, qui rota torquetur, & magnis in calamitatibus eſt conſtitutus, felicem eſſe, dummodo ſit bonus: nihil profecto dicunt, ſiue ſua ſponte, ſiue inuiti dicant, &c.* At Cicero, dum ea verba protulit, vel hæc non legerat, vel non conſiderauerat, veluti etiam falſo tribuit Platoni, quod idem ſentiat cum Stoicis: pugnant enim hæc inter ſe, dari plura bonorum genera; & ſolam virtutem pro ſummo bono eſſe ſatis, quod etiam Cicero confitetur. At ex Platonis ſententia plura ſunt bonorum genera, vt in Gorgia, in Philebo, & ſæpe alibi legitur: negat in Philebo ſolam ſapientiam eſſe ſatis, & alia bona enumerat. Aſſerit in Gorgia, *Optimum eſſe bene valere, ſecundo loco formoſum eſſe, tertio diuitias poſſidere nulla fraude comparatas.* Hoc tamen verum eſt, quod frequenter Plato de futura vita ſolicitus, mortalia penitus viſus eſt neglexiſſe. Et quia de Priamo dicebatur, quod, ſi patienter infortunia tuliſſet, præclarum ſuæ virtutis ſpecimen edidiſſet, idque confirmabatur exemplo Penelopis, & Alceſtis. Reſpondeo, poſſe hominem in aduerſa fortuna pateſacere vires ſuæ virtutis; idque vt eſt apprime arduum, ita præclarum eſt æternaque fama dignum: at non ob id dicimus, tunc viros & mulieres illas fuiſſe felices, imo infortunatas, variiſque malis cruciatas. Vicerunt quidem fortunam, at non ob id vitam duxerunt ad votum: neque eorum actio procul ab impedimentis omni ex parte & abſolute libera fuit, ſed tantum pro occaſione, & tempore.

Aduerſus Ciceronem.

Digitized by Google

Ordo bonorum naturæ, & fortunæ. CAP. XIII.

APparuit hactenus, munera naturæ & fortunæ recta ratione ab Academicis & Peripateticis, nedum neceſſaria, verum etiam bona nuncupari. Verum quia ea ſunt multa, diſſimilia, nec ęque boni cognomine digna, propterea, quis inter ea ſtatui debeat ordo, cõſiderandum occurrit.

Plato de ordine bonorum.

Dixit Plato in Gorgia, *optimum eſſe bene valere, ſecundo formoſum eſſe, tertio diuitias poſſidere nulla fraude comparatas.* Verum per hæc non apparet ordo inter omnia naturæ & fortunæ munera, quæ in præcedentibus numerata fuerũt. Inſuper non conſiderauit tunc Plato honorem, gloriam, & amicitiam, quæ cum ſint bona externa, modo aliquo inter fortunæ munera numerantur, cum virtute tamen iuncta & complicata. Ideo ex primo de legibus hæc latior colligitur diſtributio.

Bonorum duo gradus.

Bona vel humana, vel diuina ſunt. Humanorum primum eſt ſanitas, ſecundum forma, tertium vires, quartum diuitiæ. Harum dux pariter & diuinorum eſt prudentia, quæ animi eſt oculus; ſequitur temperantia, iuſtitia, & fortitudo. Sed adhuc cunctorum naturæ & fortunæ munerum non conſtat ordo, nec ordinis ratio. Propterea dicendum puto, ea munera cum in duos, tum in ſex gradus diſtribui poſſe. Primo rediguntur in duos, in bona corporis, & externa, ſiue in munera naturæ, & fortunæ.

Bona naturæ præferuntur bonis fortunæ.

Et facta inter eos duos gradus comparatione, bona naturæ, cum ſint interna, magis neceſſaria, ex potiore cauſſa pendentia, proximioraq; nobis, præferenda cenſeo bonis fortunæ, vt etiam natura fortunæ præfertur: & præſertim quia potiora fortunæ bona modo aliquo ex his pendent, & horum gratia expetuntur, vt patebit.

Duorum graduum in ſex diſtributio.

Prima ſanitas.

Secunda nobilitas.

Tertius honor.

Quarta bona proles.

Quinta forma.

Sexta diuitiæ.

At quia hæc munera multa ſunt, propterea exactius deinde in ſex gradus diſtribui poſſunt. In quorum primo collocandam cenſeo ſanitatem, ad quam redigitur robur corporis, ſenſuum vigor, & congruens facultatum animæ per naturam conſtitutio: hæc enim omnia à natura recipimus. & cum ſanitate hoc eſt, optima corporis conſtitutione, connexionem habent. Sanitatem præferendam eſſe diuitiis, hac pulcra ratione in ſecundo Priorum demonſtrauit Ariſtoteles: cum enim ſanitas paupertati iuncta, optabilior ſit diuitiis iunctis cum ægritudine, abſolute ſanitas diuitiis optabilior cenſeri debet. Secundum locum tribuendum puto nobilitati. Tertium externo honori, gloriæ, famæ & amicis. Quartum bonę proli. Quintum formę, gratię, & pulcritudini. Poſtremũ diuitiis.

Ordinis huius ratio.

Cuius ordinis rationem tradẽs dico: ſanitatem obtinere principatum, quia corpus eſt proximum & intimum inſtrumentum animæ, & eſt pars animalis operantis: propterea oportet ita cõgruenter eſſe affectum, vt recte valeat inſeruire animę. Pręterea maxime

Digitized by Google

xime ſanitas principatum obtinet: quia ad eam redegi ſenſuum incolumitatem, & congruentem facultatum animæ per naturā conſtitutionem, ex qua conſurgit facilitas ad recipiendos virtutum habitus, & edendas actiones probas, quę nobis pariunt honores, amicos, gloriam, & famam. Ideo Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, ca. 5. approbabat eam ſententiam: oportere hominem honeſta facturum, ita à natura eſſe formatū, vt quaſi aciem habeat, qua & recte iudicare, & id quod vere bonum eſt, ſumere atq; optare poſſit: & hanc rectam conſtitutionem, naturæ beneficium appellabat, non ſecus ac etiam Plato. Iure itaq; ſanitas ſibi p incipalem inter ea munera vendicat locum, cui ſuccedere dixit nobilitatem, & iure profecto: nobilitas enim cum optima corporis conſtitutione ſummopere eſt coniuncta, & nuncupatur virtus generis, includens virtutum ſemina, per eam enim ad virtutes præclaraſq; actiones ſumus procliues, & per eandem apti natura ſumus prolē generare ad conſimilia facilem: adeo vt nobilitatē recte cultam, & non degenerantē, ſequantur interuentu virtutum honor, fama, gloria, & ſimilia; nobilitas n. potius cenſeri debet principium horum, quam vice verſa. Sequebantur tertio honor, gloria, fama, & amici, facta enim cōparatione inter bona externa, hoc maximum cenſeri debet: ideo inquit Ariſt. in quarto moralium Nicomachiorū, ca 3, *Iam dignitatis nomen ad externa bona refertur. Hoc autem maximum locare debemus, quod & Diis immortalibus tribuimus, & ij omnes, qui dignitatem in rep. conſecuti ſunt, expetunt, quod eſt deniq; rerum pulcerrime geſtarum præmium. At honos tale quiddam eſt. Hoc enim eſt externorum bonorum maximum, &c.* Quartum locum tribuebam bonæ proli, hæc enim inter externa bona numeratur: at non maximum eſt eorum, cedit enim honori, gloriæ, & ſimilibus: vt enim melius eſt nomen bonum, quam diuitię multæ, ita melius eſt nomen bonum ſequens virtutes animi, quam bona proles ſequens conditionem corporis. Quintum locum tribuebam pulcritudini, & gratiæ. Hoc quamuis ſit bonum magis internum, tamen non adeo neceſſarium, nec adeo præclarum eſt, vt cetera enumerata, & ſi quid includit magis neceſſarium, ad ſanitatem redigitur: ad ſanitatem enim pertinet definitus numerus, congruens magnitudo, & conformatio partium. Debent tamen pulcritudo & gratia præferri diuitiis, cum ſint intimiores, proximiuſque cum actionibus probis, complicatæ, adeo vt diuitiæ, quas tam perdite multi ſequuntur, obſcure nomen boni ſortiantur, & inter bona vltimum dignitatis locum obtineant. At oritur dubitatio de facundia nobis per naturam competente, & eloquentia, quam inter bona numerauit Horatius, & ſtatim poſt ſapientiam illam poſuit, inquiens:

Diuitiæ vltimæ inter bona.

Απορία de Facundia.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno
Quam ſapere, & fari vt poſſit, quæ ſentiat? &c.

Diſcuſſio ſeu ſolutio ἀπορίας. Reſpondens dico, facundiam nobis per naturam competentem redigi ad ſanitatem late ſumtam, & congruentem corporis & facultatum eius conſtitutionem, non ſecus ac ingenii perſpicacitatem, & ſimilia. *Enumeratorum bonorum quædam menſuram expoſcunt.* Enumeratorum bonorum nonnulla reperiuntur, quæ quo fuerint maiora, eo magis ſunt optanda, & ſummum bonum magis illuſtrant, veluti nobilitas, honor, gloria, fama, amicitia, gratia: nonnulla menſuram recipiunt á fine, & à proprio noſtro vitæ gradu, ſtatu, & conditione, vt diuitiæ, robur, & valetudo; non enim putandum eſt, diuitiarum nullum ex natura rei eſſe terminum, vt perperam nonnulli exiſtimarunt: propria indigentia naturæ, & conditioni noſtræ reſpondens, cenſeri debet congruens menſura diuitiarum, in homine præter naturam auaritia oppreſſo, nullus earum terminus reperitur. Robur etiam viri probi & felicis, non tale eſſe debet, quale eſt Athletarum, ſed quale vſui virtutum eſt congruens: Nimium enim corporis robur, exſuperanteſque vires, frequenter aduerſantur rationi, cum eaque pugnant, propterea nonnunquam corrigi, in ſeruitutemque redigi debent, ne rationem ſuo impetu euertant, quod nedum viri ſancti, verum etiam philoſophi præceperunt; Academici enim, vt corporis laſciuiem corrigerent, impetumque frænarent, Academiam in loco minus ſalubri erexerunt. At cum varia ſint naturæ & fortunæ munera, de quibus hactenus vniuerſe ſumus locuti, & nunc ſingulatim de illis teneamur verba facere: ego, variis prætermiſſis, quæ minus inſtituto noſtro inſeruiunt, & quorum explicatio minus ad moralem pertinet, de nobilitate, gloria, fama, honore, pulcritudine, gratia, & demum de ipſa fortuna, verba faciam.

De nobilitate, an ſit. CAP. XIV.

Sermo de nobilitate vtilis. SErmo de nobilitate vtilis eſt adoleſcentibus, vel ad eam amplificandam propagandamque reddantur alacriores, gratus eſt ſenibus, qui nobilitatis ſemina ac formam in ſemetipſis fulgere inſpicientes, eiuſdem fructus lęto animo intuentur in natis, accommodatus eſt viris omnibus ingenuis, cum nobilitas & cōditio viri liberi & ingenui, felici nodo iuncta ſint, ac demum maxime eſt neceſſarius pro notitia attinentium ad hunc gradum octauum. De nobilitate itaque loquuturus, qua potero breuitate, hæc explicare conabor. *Euertentes nobilitatem.* Conſiderabo primo, an ſit, ſecundo quid ſit, tertio, quotuplex ſit, quarto, á quibus principiis ortum ducat, & demum, quos in hominum genere pariat fructus. A primo ordiendo, non defuere viles nonnulli, Sophiſtæ potius quam Philoſophi: qui Stoicorum, & præſertim Chryſippi auctoritate

Digitized by Google

tate fulti, nobilitatem ſpreuerunt, eamque ramenta, rem fictã, commentumque præpotentum ciuium aſſeruerunt. *Natura enim* (inquiunt) *æqua parens eſt omnibus, nulli eſt nouerca, nemini viam ad virtutem claudit, omnes ad felicitatem gignit idoneos, non Scythia, aliaue vlla regio animum lædit, non genus vnum altero antiquitus cenſeri debet.* Si enim mundus eſt æternus, omnes in eodem æternitatis curſu æque locati ſumus, ſi habuit principium (vt vere habuit) omnes ex ſemine vnius primi parentis ortum ducimus: inaniter itaque ambitionis aura inflati nonnulli, de nobilitate gloriantur, ſeque tanquam nobiliores præferunt aliis. Recte Seneca in libro de beneficiis dixit: *Nemo altero nobilior eſt, niſi cuius ingenium eſt præſtantius, & bonis artibus aptius.* Et qui imagines in atrio exponunt, ac nomina familiæ ſuæ, longo ordine, multiſque ſtemmatum alligata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis, quam nobiles ſunt, vnus omnium parens mundus eſt. Et Euripides cecinit: *Bonus vir mihi nobilis videtur, qui vero iuſtus non eſt licet à patre meliore, quam Iupiter ſit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.* Et alibi, *Nulla nobilitas inter malos eſt, ſed inter bonos tantum viros.* Ideo Socrates (referente Stobæo) interrogatus, quid eſſet nobilitas, *Animæ & corporis bona temperies*, reſpondit. Nullam itaque hi nobilitatis formam hominum generi conuenire cenſent, præter eam, quam vnuſquiſque propriis vigiliis ac meritis ſibi parat, adeo vt vnuſquiſque ſuæ nobilitatis, ſuæque ignobilitatis ſit faber. At mirum profecto non eſt, ſi viles Sophiſtæ nobilitatem ſpernunt, ſi Stoici ſuo more Paradoxa proferunt, ſi in porticu educati nobilitatem non inſpiciunt, ſi Socrates genere vilis, & ad vitia per naturam propenſus, eam ſolam commendauit nobilitatem, quam ſuo ſtudio & aſſuetudine ſibi parauit. Verum ſi figent in eam parumper oculos, credentque rationi & experientiæ, lucidiſſime inſpicient: vt in metallorum genere (quibus ſimilimos eſſe hominum animos, vna cum antiquitate dicebat Plato) puriora nonnulla, alia impuriora inueniuntur, vt in plantis magna ſurculorum, & ſeminum differentia reperitur, vt in iumentorum grege magna lucet geniture vis: ita in genere hominum, quod in attinentibus ad ſobolem ceteris animantibus eſt ſimile, latiſſimum eſſe diſcrimen facultatis parentum & ſeminis in procreanda potiore vel deteriore prole, & eo maiorem in eo differentiam intuebuntur, quo à Duce naturæ eminentiori modo curatur, & propenſiones eius ad maiora aſpirant. Præterea ſi rationi credimus, quis non inſpicit, hæc omnia rationi ſummopere eſſe conſentanea? cum propenſiones, affectioneſque animi magna ex parte temperamenta ſequantur, temperamenta, corporumque conformationes, ex virtute qualitateve ſeminum prodeant, ſemina demum

Seneca. *Euripides.* *Socrates.* *Pro nobilitate.*

ex variis parentibus, vario affectionum animi genere prædictis, varia diſtinctaque proficiſcantur? Inde oritur, vt iure optimo nonnulli genere nobiles, alii ignobiles nuncupentur, nonnulli ingenui ſint, alii ſordidi, nonnulli mente valeant, alii mancipes ſint penitus, quibus melius eſt ſeruire quam regnare. Approbanda itaque eſt ſententia Ariſtotelis tertio de repub. cap. octauo dicentis; *nobilitatem apud omnes in honore haberi*; quia conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe meliores. Ideo recte cecinit Horatius:

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Neque hoc (vt illi cenſent) naturæ legibus aduerſatur, natura enim, quæ neceſſaria ſunt, fecit communia: at ex varietate recipientis, propriorum principiorum, materieique proximæ, variæ prodeunt ſingulorum conditiones, & multiplicia hominum ingenia proficiſcuntur. Nam ſi in natis parentum, auorum, atauorumque, corporis ſigna ſæpe ſeruantur, cur non eſt putandum, in animis quoque cum corpore complicatis, ſimiles illis ſuorum maiorum propenſiones, facilitates, & quaſi igniculos eſſe reconditos? Quod ſi nonnunquam ſecus accidit, ſi vir probus improbos vel ad improbitatem propenſos parit filios, ſi in Scythia Anacharſis philoſophus floruit, id nihil refert, quoniam nos id, quod frequenter euenit, conſiderare debemus, non quod raro, natura enim vt plurimum ſuas leges ſeruare conſueuit. Et præſertim, quia nos non inficiamur educationem, diſciplinam, aſſuetudinem, plurimum ad mores recte inſtituendos, conformandoſque habitus valere, nec cenſemus mores neceſſario ſequi corporis temperaturam: aſſerimus tamen virtutum vitiorumque ſemina, nonnullis magis quam aliis per naturam inſerta (dum cætera fuerint paria) magnum afferre momentum ad habituum animi, quaſi frugum, procreationem. Et hæc profecto vera cenſeri debent, ſiue æternus ſit mundus, ſiue ab omnipotente Deo (vt conſtanter aſſero) fuit creatus. In hoc enim viuentium mortalium curſu, ob regionum, aſſuetudinum, generum vitæ, alimentorum, affectionum animi, & ſimilium varietatem, variæ redditæ ſunt cauſſæ proximæ, & propterea varia ex eis prodeunt effecta. Sileant itaque Sophiſtæ, cedat Chryſippus, qui veritate coactus in ſententia perſiſtere non valuit, ſed nonnunquam nobilitatem (referente Plutarcho) inter humana bona, vel ſaltem munera numerauit.

Plerunq; eſt legum ſeruans Natura ſuarum.

Chryſippus ſibi non conſtat.

Quid

Quid, & quotuplex ſit nobilitas. CAP. XV.

VT variæ de nobilitate veterum Philoſophorum exſtitere ſententiæ, ita variæ ab eis traditæ fuerunt definitiones. Nam interrogatus Simonides, quid ſit nobilitas, quive ſint viri nobiles: reſpondit eſſe eos, qui ex maioribus longo tempore locupletibus nati fuerint. Epicharmus aſſeruit: *Quiſquis natura proclinus ad bona fuerit, nobilis eſt, quamuis matre genitus Æthiope.* Cecinit Euripides, *nullam nobilitatem inter malos eſſe, ſed inter bonos tantum viros*, adeo, vt non ſecus ac Socrates, nobilitatem à probitate non ſeiunxerit. Exactius Ariſt. in libris in rep. in rhetoricis, necnon in lib. de nobilitate (cuius variæ ſententię à Stobæo referuntur, cum liber ille perierit) nobilitatis naturam & conditiones pateſecit. Dixit enim eam *eſſe virtutem generis, eſſe alicuius familiæ congruentem quandam facultatem procreandi viros ingenuos, ad virtutem faciles, multorum, & ad minus trium, ſucceſſione confirmatam.* Ea enim quæ eſt virorum proborum ſeries, quo fuerit numeroſior, eo conſtantiorem ac illuſtriorem reddit nobilitatem, in minimis tamen tribus inſpici debet, tanquam in principio, medio & fine, & tanquam in numero perfectionem quandam præ ſe ferente. Conſtat itaque, varias à variis fuiſſe traditas nobilitatis definitiones. Pro quarum cumulatiore notitia conſiderandum eſt, ſex poſſe ſtatui nobilitatis gradus: datur enim nobilitas diuina, competens homini beneficio virtutum diuinarum deſuper infuſarum. Inſuper nobilitas metaphyſica, quæ reciprocatur cum gradibus eorum quæ ſunt. Tertio nobilitas inſpectrix prodiens ex ſcientiis inſpectricibus. Quarto ciuilis, ortum ducens ex virtutibus in more poſitis. Quinto datur nobilitas phyſica, prodiens ex recta temperamenti corporis conſtitutione & demum nobilitas fortunæ. Ego tamen prætermiſſa hac cumulatiore diſtinctione, quatuor tantum conſiderabo nobilitatis formas, nempe diuinam, moralem, naturæ & fortunæ. Nobilitas diuina eſt eleuatio gradus & naturæ rei ad Deum, & acceſſio ad illum, vt creaturis licet, cuius nobilitatis caput & princeps Deus eſt. De hac nobilitate vera eſt ſententia Auer. 2. cœli 63. dicentis; *In corporibus cæleſtibus id eſt nobilius, quod paucioribus actionibus conſequitur ſuam perfectionem.* Ac de eadem nobilitate loquens, dixit cont. 64. *Nobile perfecte eſt tantum vnum, nempe Deus, cætera non appetunt ſua actione, niſi reddi ſimilia ei, quod perfecte nobile eſt.* Et iure hæc vera nobilitas cenſeri debet, cum ſit optimum genus eorum quæ ſunt. Nobilitas moralis ea cenſeri debet, quæ eſt congruens morum compoſitio, virtutum habitibus confirmata, quæ etiam nobilitas animi dici poteſt. Hæc ex noſtro ſtudio & aſſuetudine pendet, eſt nobis propria, cuius nos ſumus auctores,

Definitio nobilitatis ex Simonide.

Ex Epicharmo.

Ex Euripide.

Ex Ariſtotele.

Quatuor gradus nobilitatis.

Nobilitas diuina.

Moralis.

& ſeorſim à nobilitate naturæ reperiri poteſt. De hac veræ ſunt ſententiæ Senecæ, Euripidis, & Socratis in præcedentibus relatæ, conſiderarunt hi poſtremam nobilitatis formam, fructumq; eius, non ſemina & principia prima. Nobilitas naturæ ea eſt, quam conſiderauit Ariſtoteles, quæ non in vno indiuiduo, ſed in continuata ſerie plurium conſideratur. Et quemadmodum nobilitas moralis ſeruari poteſt ſine hac, vt in Socrate, Ariſtippo, & ſimilibus, ita vice verſa hæc ſeruari poteſt ſine morali. Nonnulli enim ſunt natura nobiles, ad honeſtaq; faciles & procliues, qui vel ob prauam educationem, vel ob aliud labūtur in vitia, nobilitatiſq; morum expertes inſpiciūtur: quibus, tanquam ſterilibus plantis, tantum abeſt, vt nobilitas naturæ ſit ornamēto; quod potius ſit dedecori & infamiæ, vel rectius illi ſunt dedecori nobilitati ſuæ familiæ: nec propterea perit nobilitas ſui generis, quia adhuc ſeruat facultatem generandi alios, qui ſint ad honeſta procliues. Si autē eueniret, vt ex nobili genere filius oriretur ad vitia procliuis, in eo profecto nō ſeruaretur nobilitas generis, ſed deſineret, deſineret dico in eo, non tamen in vniuerſa familia: vt enim vnus non parit nobilitatem naturalem ſui generis, ita nec vnus ſolus iam partā euertit & extinguit. in his enim, quæ ad naturā pertinent, id ſeruare debemus, quod vt plurimum accidit. Hæc naturæ nobilitas duplex eſt: vna quæ competit vni familię comparatæ cum altera, & dicitur nobilitas priuata, altera eſt regionum & vrbium, quæ publica nuncupatur: Hinc Plato, & cum eo Ariſt. Atticæ regionis nobilitatem miris laudibus extulerunt, & frequenter contigit, vt regiones & vrbes inter ſe de nobilitate litigarint. Et quemadmodū in nobili familia, quicunq; ingenuis ſuis maioribus ſe reddunt ſimiles, Generoſi nūcupantur, qui gloriam ſuorum maiorum propria virtute amplificant, nobilitatem familiæ augere & illuſtrare dicūtur: ita de nobilitate regionū, & vrbium ſe habere putādum eſt. Virtus in viro per naturam nobili pluris fieri debet, quam in eo, qui per naturam eſt ignobilis, firmior enim in eo & conſtātior eſt, cum firmioribus radicibus hæreat, & cum virtutibus ſuorum maiorum ſit complicata. In viro tamen obſcuro & humili eſt admirabilior, magis propria eius, maiorique cum difficultate formata. Nobilitas demum fortunę eſt externa quædem nobilitatis imago, in bonis fortunæ refulgens. De hac vera eſt ſententia Simonidis, qui dixit: *nobiles eſſe illos, qui ex maioribus longo tempore locupletibus orti ſunt.* Hæc eſt nobilitatis vmbra in nube diuitiarum apparens, quæ oculos vulgarium hominum obumbrat & illudit, diuitiæ enim cum vitiis non pugnant, vera nobilitas maxime pugnat: Propterea recte dicitur, Midę diuitias nō fuiſſe nobiliores, paupertate Socratis, vel Ariſtidis. Ariſtoteles tamen

Nobilitas naturæ.

Naturæ nobilitas duplex.

Virtus viri nobilis præſtantior, ignobilis admirabilior.

Nobilitas fortunæ.

Digitized by Google

tamen in rhetoricis diuitias dixit partem nobilitatis: quod eſt verum, quatenus conſtituunt nobilitatem popularem: ac inſuper, quatenus ſunt inſtrumenta, per quæ virtutes parantur, & partæ, per actiones refulgent.

Exactior declaratio quatuor graduum nobilitatis. Cap. XVI.

QVicunque de nobilitate verba faciunt, & varios eius gradus diſtincte non conſiderant, attinentia ad nobilitatem potius confundunt, quam explicent: propterea, cum ab aliis explicati non fuerint, vt clariores reddantur, quid vnuſquiſque eorum ſit, à quibus principiis prodeat, & quomodo ex cunctis abſolutiſſima hominis nobilitas conſurgat, accurate & diſtincte conſiderare tenemur. Nobilitas diuina proculdubio non accidens, ſed ſubſtantia eſt. in ſeparatis enim mentibus ex ſententia Ariſtotelis nullum accidens reperitur. Huius generis nobilium homo poſtremus eſt, qui munere mentis cum diuinis affinitatis nodo eſt coniunctus, nobilitatiſque eorum eſt particeps, quam tunc maxime patefacit, dum (neglectis mortalibus) ad diuina aſpirat, eaque ſola magnifacit. Propterea niti tenemur, maiores noſtros, hoc eſt, ſeparatas mentes, pro viribus æmulari, earum viuere vitam, ac ab eis non degenerare. Huius nobilitatis primus parens eſt Deus, quæ eatenus extenditur, quatenus eſſentia à materie non pendens propagatur. Nobilitas moralis eſt habitus more & aſſuetudine comparatus. Cuius nobilitatis principia ſunt ſtudium, cura, diligentia, recta conſultatio, congruens prælectio, aſſuetudoque proba, forma eſt ipſemet virtutis habitus, proximaque facultas recte agendi, ſplendores ſunt eius actiones, teſtimonium autem eſt honor externus. Ad hoc nobilitatis genus redigitur omnis habitus, omniſque perfectio, qua vir ingenuus, vel recte paratur, vel congruenter formatur, vel ingenuam aliquam artem exercet. Et hac ratione habituum animi noſtri quidam appellantur nobiles, quia virum nobilem parant, formant, vel formatum decent, alii viles, ſordidi & ignobiles. Nobilitas naturæ in temperamento, rectaque corporis conſtitutione, tanquam in fundamento, poſita eſt: dico (vt in fundamento) quia nobilitas potius eſt vis ac facultas ex temperamento prodiens, tanquam affectio quædam alicuius generis hominum, per quam ad honeſta ac ad ſimilium procreationem ſunt faciles, quam re vera temperamentum: ideo rectius definitur, quod ſit vis quædam & facultas, quam temperamentum, nobilitas enim facultatem quandam ad ingenuas actiones relatam præ ſe fert: propterea ab Ariſtot. definiebatur, quod eſſet virtus generis. Hoc tamen verum eſt, quod affectio propria, (vt opi-

Nobilitas diuina.

Homo vltimus inter nobiles quomodo diuinam nobilitatem oſtendit.

Nobilitas moralis.

Nobilitas naturæ.

Canon philoſophicus. nor) ſola ratione ab eo diſtinguitur, à quo manat, cuiuſque eſt affectio. Temperamentum itaque huius nobilitatis eſt fundamentum. Quod temperamentum, quamuis ſequatur congruentem rationem, ac proportionem ſubſtantiæ elementorum, ex ſe tamen qualitas eſt, pertinens ad tertiam ſpeciem qualitatis, per principia generationis nobis competens (quicquid hac de re ſentiat Galenus.) Hanc naturæ nobilitatem ita definiendam iudico: nobilitas eſt virtus generis, ex temperamento multorum ſucceſſione confirmato prodiens, per quam ad ingenua ſumus faciles; aptique ſumus alios ad ſimilia accommodatos procreare. Hæc nobilitas, munere ſeminum virtutis etiam in infante ſeruatur; vt indicat Ariſtot. in 6. moralium Nicomachiorum, cap. 13 & à Græcis aptiſſime εὐγένεια, hoc eſt, bonum genus, bona ſtirps, bonaque generationis propago nuncupatur. Nam (vt docet Porphyrius) genus dicitur de continuata hominum generationis ſerie ab vno principio prodeuntium, quæ & proba & improba, nobilis & ignobilis eſſe poteſt, per quam vires ſuas natura cumulatiſſime patefacit. Demum nobilitas fortunæ in fortunæ manibus eſt collocata: & cum pateat, quæ ſint eius munera, etiam, quid ſit hæc nobilitas, conſpicuum eſt. Ex hac quatuor graduum nobilitatis explicatione elici poteſt ſolutio cuiuſdam pulcræ difficultatis, quæ eſt; num principes debeant dici nobiles: dixere enim nonnulli viri grauiſſimi eos eſſe illuſtres, non nobiles. Cui difficultati reſpondens dico, principes dupliciter poſſe conſiderari, primo, vt principes regno, & imperio aliquo præditos, ſecundo, vt tales principes, his vel illis conditionibus affectos. Dum primo princeps conſideratur vt princeps, ita nobilis eſt nobilitati quarti generis, nobilitate nempe fortunæ; oppida enim, vrbes, & regna inter bona fortunæ numerantur, & inter nobiles hoc genere principatum obtinet, maximeque fulget: ideo ea nobilitas illuſtris ſplendor, ſublimitas, ſerenitas, & externa maieſtas dicitur. Si ſecundo princeps conſideratur vt talis princeps, percurrendi ſunt ſinguli quatuor gradus, & conſiderandum, quomodo ſint, vel non ſint nobiles. Si loquimur de nobilitate naturæ: princeps poteſt vel ex ignobili obſcuroque genere eligi, & ille non erit hac nobilitate nobilis: vel poteſt eligi ex familia nobili inter cæteros fulgens, & hic erit natura nobilis: vel talis eſt ſucceſſione, ex regia ſtirpe ortus, cuius maiores fuerint principes. & tunc vtendum eſt diſtinctione. Nobilitas enim dupliciter vſurpatur, vel late, pro quauis bona propagine contradiſtincta á vili, vel pro gradu quodam medio inter vilem, & ſplendidum: in prima ſignificatione principes ſunt bene nati, bonæ ſtirpis, & nobiles: in ſecunda ſignificatione non ſunt nobiles, & medii, ſed fulgent, eminent, & ad ſola ſublimia per naturam

Definitio nobilitatis naturæ.

Porphyrius.

Nobilitas fortunæ.

Dubitatio an principes ſint nobiles.

Solutio.

Princeps vt princeps eſt nobilis fortunæ.

Princeps natura nobilis & non nobilis.

Nobilitas accipitur dupliciter.

ſunt

Digitized by Google

ſunt faciles & procliues, ita dicimus eos, non nobiles, ſed natura illuſtres & ſublimes eſſe. Si tertio conſideramus nobilitatem *Principes more heroes.* morum, dum principes re vera intus principis forma ſunt honeſtati, re vera etiam hac nobilitate ſunt nobiles. Et quoniam eorum virtutes maxime fulgent, heroicæque ſunt; ideo hac conſideratione principes potius heroes, quam nobiles dicendi ſunt: veluti contra, ſi vitioſi fuerint, non nobiles, ſed viles feræ, & pernicioſa monſtra cenſeri deberent. Demum, ſi de quarto no- *Principes & optime & deterrime fortunati.* bilitatis genere loquimur, quod ad fortunam pertinet: quamuis principes, vt principes regnoque præditi, ſint fortunati, & hac nobilitate nobiles (vt dixi) tamen deinde vt tales principes, & in vſu attinentium ad imperium & regnum, fortunati valde, & valde infortunati eſſe poſſunt, ob imperii magnitudinem (vt conſpicuum eſt.) Et in his præſertim locum habet ea, quæ à Græcis εὐτυχία ἢ δυστυχία dicitur, quæ magnitudinem expoſcit (vt aſſeritur in ſecundo Phyſicorum.) Ex his conſtat, quomodo principes, & nobiles, & non nobiles eſſe poſſint: lis enim omnis ortum ducit ex confuſo vſu & varia ſignificatione vocum. At cum multi ſint nobilitatis gradus, ille, qui magis proprie bonum genus dicitur, & ab Ariſtotele virtus generis nuncupatur, eſt nobilitas naturæ. Putandum eſt tamen, ex conſpiratione ſingulorum *Ex conſpiratione quatuor graduum exacta conſurgit nobilitas.* exactiſſimam in homine nobilitatis formam conſurgere, cuius ſemen & ſpiritus ſit nobilitas diuina, materies nobilitas naturæ, forma proxima nobilitas morum, inſtrumenta & externus fulgor nobilitas fortunæ. Hæc vt eſt firmoſiſſima, omnique ex parte perfecta, ita rara in mundo inſpicitur, & in ſolis nonnullis Chriſtianorum principibus refulget: quorum genera adeo ſunt illuſtria, totque multorum heroum præclariſſimis actionibus honeſtata, vt, quaſi proximi & ſalutares ſoles, Chriſtianam rempublicam ſeruent, perficiant, ac illuſtrent. Cum enim nobilita- *Nobilitas recipit magis & minus.* tis principia, conſpirantiaque ad eam, recipiant magis & minus, nobilitatem quoque magis, & minus recipere putandum eſt. Ac (vt cæteras ampliſſimas ſereniſſimaſque propagines ſilentio præteream) quis non videt in hac quadrata nobilium ſerie MEDI- *Nobilitas Medicea familia.* CEAM FAMILIAM ſublimem ac ſplendidiſſimum ſibi optare locum? Ea namque cum vetuſtiſſima, eaq; fœcundiſſima, à Deo, à natura, à more, à fortunaque ſuæ nobilitatis receperit ſemina, ex quibus innumeræ ac generoſiſſimæ plantæ prodierunt, quæ temporum curſu floruere, ac præclariſſimas actiones, quaſi ſaluberrimos fructus, edidere; demum in MAGNIS DVCIBVS, COSMO, FRANCISCO, ET FERDINANDO ad perfectam frugem, ſummamque perfectionem redacta eſt, quæ adeo firmis radicibus hæret, vt ſperare debeant viri probi, Dei beneficio diu ſeruandam incolumem. In hac Medicea nobilitatis forma cun-

Digitized by Google

ᵭa fulgent magna, ſupraque humanam conditionem micantia: ſiue enim beneficia inſpicias, quæ ea in Chriſtianam remp. contulit, ſiue connexionem eius cum Apoſtolica ſede, ſiue curam & illuſtres ſumtus pro literarum, ingenuarum artium, ſtudioſorumque hominum propagatione, ſiue ſplendorem militaris diſciplinæ, ſiue ornamenta heroicæ prudentiæ, magnificentiæ, ac magnanimitatis, ſiue demum vſum perfectæ iuſtitiæ: nil inuenies mediocre, nil inſpicies, quod humanam conditionem non ſuperet, nil quod diuinitatem (vt homini licet) non redoleat. Hoc itaque exactiſſimum nobilitatis exemplar, ſublimibus ingeniis inſpiciendum, animis illuſtribus meditandum, viris probis magnifaciendum, patriæ meæ fideliſſimæ colendum, mihique demum ſummopere admirandum ac venerandum propono.

Quæ deceant virum nobilem, & num viuentibus infra hominem collocatis nobilitas competat.

CAP. XVII.

Variæ comparationes pro inſpicienda nobilitate.

NObilitatem generi hominum competere, quidque ea ſit, ſatis ex dictis conſtare cenſeo: at iure dubitare quis poſſet, num iumentis, feris, & plantis nobilitatis nomen conuenire poſſit. Cui difficultati reſpondens dico, varias fieri poſſe comparationes. Primo enim fieri poteſt comparatio inter varias hominum familias, variaſque nationes, de qua in præcedentibus ſum loquutus. Secundo inter genus hominum, & genus ferarum ſiue iumentorum: de qua comparatione dicendum eſt, genus hominum eſſe nobile, genus vero ferarum vile & ignobile, cum mentis ſit expers. Tertio comparari poteſt ſpecies vna viuentis cum altera, vt iumenta cum feris, plantæ cum iumentis, plantæ cum plantis, iumenta cum iumentis, & feræ cum feris: de quibus ſi proprie loqui volumus, abſolute dicendum eſt, cuncta expertia rationis expertia quoque eſſe nobilitatis, & ratio eſt, quoniam nobilitas eſt quid illuſtre & præclarum, quod ſeorſim à fundamento diuinitatis participe ſeruari nequit, nam eſt perfectio quædam, præclara autem perfectio eximio cuidam perfectibili debet reſpondere. Et confirmatur, quia nobilitas virtuti eſt familiaris, vitæ liberæ congruit, & ad ingenuas, ac honeſtas actiones dirigit: virtus, libertas, & honeſtum, homini, non iumentis & feris competunt, ſolus itaque homo inter mortalia viuentia eſt nobilitatis particeps. At ſi late & minus proprie vti volumus nomine nobilitatis, etiam ad alia extendi poteſt: & analogia, ſiue rationis quadam ſimilitudine, id viuens, quod eſt præſtantius, quod magis imitatur ingenuas quaſdam actiones hominis, quod homini eſt familiarius, quod homini magis inſeruit, pro actionibus magis ingenuis, nobilius dici poteſt: & ea

Solus homo nobilis.

nobi-

Digitized by Google

nobilitas, quæ expertibus rationis tribuitur, præſertim redigitur ad gradum nobilitatis naturæ. Verum; cum nobilitas ſoli homini propriè competat, eaque ſit virtus & facultas congruenter hominem afficiens; quæret iure aliquis, quæ nam ea ſint, quæ virum nobilem decent? Cui breuibus reſpondens dico, nobilitatem eſſe facultatem quandam aſſequendi propriam perfectionem: hominis perfectio eſt ſummum bonum, quod ab actione honeſta, moralique virtute ſeiungi non poteſt: propterea ea decent virum nobilem, quæ ad ſummum hominis bonum perducunt, ab eoque minime auertunt: huiuſmodi ſunt habitus illi omnes, ſiue functiones munerum eorum habituum, qui vel vt inſtrumenta viro ingenuo inſeruiunt, vel illum formant, vel formatum decent: de quibus cumulate diſſerui, dum de virtutibus rationis verba facerem. At ex dictis non leuis oritur dubitatio, ea eſt: ſi viro nobili non licet viles artes exercere, nec ſine dedecore valet vilia & ſordida efficere; quid faciendum erit illi, qui cum ſit genere nobilis, paupertate tamen adeo premitur, vt etiam pro parandis ſibi neceſſariis laborare cogatur? Reſpondeo, non deeſſe varia, quibus vir pauper & nobilis ſine ſui dedecore valeat operam nauare, & ea præſertim tria ſunt: vnum eſt, ſe deuouere Deo, & mundi fortunam negligere, cum ab ea ipſe quoque neglectus ſit. Alterum eſt, ſe illuſtrium principum ingenuæ ſeruituti dicare. Poſtremum militiam, nobilem & ingenuam artem profiteri. In quibus vitæ generibus poterit vir ingenuus & nobilis, nedum ſe nobilem ſeruare, verum inſuper nobilitatem ſuam amplificare & illuſtrare. Et re vera tenerentur principes & reipublicæ iuuenes ingenuos & nobiles, per fortunam paupertate preſſos, publico ære nutrire, & ad præclara dirigere: quod cum raro fiat, inde oriri inſpicimus, nobilitatem cum paupertate iunctam non diu ſeruari, & facile inquinari.

Quæ virum nobilem decent.

Dubitatio.

Solutio.

Fructus nobilitatis. CAP. XVIII.

VTilitas ex nobilitate prodiens, vberrima, latiſſima, ac ſplendidiſſima ex eo fulget, quia ſecum defert, nobiſque præbet earum virtutum ſemina, in quarum vſu ſummum hominis bonum eſt collocatum, adeo vt, nedum præclara, honeſta, & iucunda ſit hominum generi, verum inſuper apprimè vtilis. Vir enim re & opera non ſolo nomine nobilis, dum ad frugem ſemina ſuæ nobilitatis deduxerit: primo eſt vtilis ſibi ad vitam felicem, tranquillam, illuſtremque degendam: mox eſt vtilis; nedum ſuæ familiæ, verum inſuper patriæ, hi enim ſunt, qui pietate, prudentia, iuſtitia, animique integritate, munera obeunt ſummorum magiſtratuum. Eſt demum vtilis mundo: quoniam qui abſolute nobilis eſt, non in ſola ſua vrbe, ſed in vniuerſo quoque

Digitized by Google

orbe, tanquam proximum ſidus, ſua nobilitate refulget, exemplo prodeſt, cunctiſque populis prudentia, conſilio, verbis, & opera opitulatur. Ideo videmus, viro illuſtri, viro nobili & generoſo, cæteros inſtinctu quodam naturæ libenter parere: adeo vt inter paſtores educatus Romulus, quia Martiam nobilitatem præ ſe ferebat, cæteros paſtores obſequentes habuerit. Idipſum de Cyro, aliiſque legitur. Vt enim Deo per naturam omnia obtemperant, vt cœlo inſeruiunt elementa, vt homini iumenta obediunt, vt ſuum regem ſequuntur apes, ita viro nobili, viroque ingenuo, minus nobiles ſubiici tenentur. Hi enim ſunt, qui (ex ſententia Ariſtotelis in primo de rep.) tanquam natura principes, in vrbe ac in mundo cæteris antecellunt. Seruatur conſpicua & illæſa nobilitas in ordine vniuerſi, á Deo per ſeparatas mentes vſque ad cœlum: at inter homines obſcurior, rarior, & inconſtantior apparet. Fulget profecto nobilitas per functiones munerum ſingularum virtutum: præſertim tamen per eas, quæ publice ſunt, quæ ad ſalutem ſuæ patriæ, ad conſeruationem reipublicæ, ad communem populorum vtilitatem conferunt. Hæc præclara nobilitas arcto neceſſitudinis nodo cum libertate eſt iuncta: nam ſi ad vniuerſum conuertimur, inſpiciemus Deum, vt eminentiſſime liberum, ita eminentiſſime nobilem. Ei ſuccedunt Angeli, qui participatione quadam, vt nobiles, ita liberi refulgent. Homo ſimiliter, niſi liberi arbitrii eſſet particeps, non eſſet compos nobilitatis, & inter homines illi, qui in vrbibus quaſi paruis orbibus, ſunt legitimi principes, præclarique ciues, etiam vna cum imperio maxime libertatem tuentur & ſeruant: & iure profecto. Cum enim virtus ſit proles, & parens nobilitatis, virtus autem libera, & domina ſit, viri quoque nobiles & ingenui, liberiores debent cenſeri cæteris, ingenuæque libertatis magis amatores, adeo vt nobilitas vna cum libertate oriatur, creſcat, & perficiatur, virique nobiles etiam ſub tyranno, etiam in carceribus dicenti, liberi ſunt. Et cum adeo ſalutaris humano generi ſit nobilitas iure Ariſt. in 3. de rep. c 8. dixit, *nobilitatem apud omnes in honore haberi:* eruditeque Plato affirmauit, *gloriam parentum magnum theſaurum poſteris eſſe*: nam (vt in Alcibiade legitur) *conſentaneum rationi eſt, in genere nobili, quam in ignobili ingenia eſſe meliora:* Recte etiam Homerus, cæterique illuſtres poetæ, inter ea, quæ hominibus laudi tribuerunt, hoc tanquam eximium & inſigne numerarunt, quod è nobili ſtirpe, præclariſque parentibus orti eſſent. Ac vt paucis cuncta perſtringam, quæ nobilitatis merita patefaciunt: nonne vnigenitus Dei filius, dux noſtrorum bonorum, & regula vitæ noſtræ, qui ad illuſtrandam veritatem, aperiendamque nobis viam ad ſuperos, in terram venit, quamuis pauper, quamuis humilis eſſe voluerit, ignobilis tamen gene-

Vbi ſeruetur illæſa nobilitas.

Nobilitas cum libertate iuncta.

Digitized by Google

genere eſſe noluit? ſed ex genere illuſtri Abrahæ ortum ſibi parauit: vt indicaret, nobilitatem à recte inſtitutis hominibus amplectendam magnifaciendamque eſſe, & à cunctis pro facultate augendam ac illuſtrandam, quaſi in terris diuinitatis imaginem & ſplendorem præ ſe ferentem.

Dubia nonnulla ad nobilitatem pertinentia.

CAP. XIX.

ANimo ingenuo nobilitatem conſideranti & perquirenti, varia occurrere poſſunt, quæ conditiones & naturam nobilitatis dubiam reddere valent: Quæret primo aliquis; cum viri nobiles ſint ad honeſta & præclara ex ſe faciles, cur dicitur eos accuratiore egere educatione ceteris? & in rebuſpublicis præſertim cura adhibetur pro eorum recta inſtitutione? cum ceteri minus ad honeſta procliues, magis ea egere videantur? Reſpõdeo, id ex variis cauſſis ortum ducere. Quarum vna eſt: quia viri nobiles illi ſunt, de quibus præſertim ſperare debemus; vt, quaſi fœcundiſſimæ plantę, vberrimos & pręclariſſimos pariāt fructus; propterea de illis maxime ſoliciti eſſe tenemur: de quib. id recte ſeruatur (*Tu nihil inuita facies dices've Minerua*) laborandum n. eſt pro cultu fertilis, non autem ſterilis agri. Altera ratio eſt: quoniā in vrbe de illis præſertim ſoliciti eſſe debemus, qui ſunt partes potiores reipublicæ & ciuilitatis: huiuſmodi ſunt viri nobiles, qui & leges ſeruare, & magiſtratibus præeſſe, & ſui exēplo alios dirigere tenentur. His tertio additur; quod (vt monuit Plato, & confirmauit Ariſtoteles in primo de rep.) iuuenes, quo magis ingenio valent, eo, ſi perperam educantur, deteriores euadunt ceteris. Et quemadmodum ſeparatæ mentes, ſi degenerāt, euadunt Luciferi, principes tenebrarum, inimici peruerſoreſque ſalutis humani generis: ita iuuenes nobilitate illuſtres, in vrbibus (dum perperam educantur, & dum degenerant) nedum nobilitatem peruertunt; verum inſuper machinantur perniciem ſuę reipub. euadunt inimici ingenuę libertatis, fiunt tyranni populorum: quibus nil pernicioſius excogitari poteſt; qui ab vrbibus, quaſi Luciferi à cœlo, arcendi ſunt. Iure itaque Plato in Alcibiade dixit, *eos eſſe nobiles, qui bene nati, beneq; educati fuerint*. Et Perſarum Lacedæmoniorumq; reges, filios ſuos accuratiſſime à viris ſapientia, iuſtitia, fortitudine, temperantiaque præſtantibus educari curabant. At altera oritur dubitatio; vnde eueniat, vt familiæ nobiles dicantur antiquæ, & nobilitas cum antiquitate dicatur coniuncta: cum tamen etiam ignobiles, & viles æque ſint antiquæ; nec maior de vna quam de altera appareat ratio? Reſpondeo, familias nobiliores & dici antiquiores; non munere generationis abſolute, ſed ratione originis &

Prima dubitatio.

Solutio.

Cur nobiles accuratiore egeant educatione.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Reges Perſarum.

Altera dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

conſeruationis nobilitatis; quæ antiquitas iure nobilitatem illuſtrat, quoniam patefacit ſolidiorem firmioremq; conſtantiã probitatis: & tribuitur antiquitas nobilitati, potius quã ignobilitati, quatuor præſertim ob cauſſas. Prima eſt, quia nobilitas cum virtute iuncta eſt, ignobilitas potius cum vitio: virtus antiquiſſima dicitur firma, & conſtans, quæ ſeruat ſe & alia; vt, vice verſa, vitia ſe & alia conſumunt & euertunt: iure igitur primo, ob varietatem conditionis virtutis & vitii, antiquitas nobilitati tribuitur. Secundo id oritur ex conſtitutione vitę. Viri enim nobiles; quia viuunt vitam virtutis, quæ proprie & vere vita nuncupatur; diu viuere, & antiquitate frui dicuntur; cum ex aduerſo, vitiis coinquinati, & nunquam illuſtria agentes, nec quidem viuere dicantur; non enim viuere homini eſt nutriri, ſed honeſta agere, quæ vita in viro ignobili & vili nõ eluceſcit, ſed exſtincta languet, & per vitia in viuam mortem eſſe commutata. Tertia ratio ex eo ſumitur, quia viri nobiles Deo(vt homini licet) ſunt ſimiles, nec ſine peculiari Deorum munere ſunt tales, propterea finxit antiquitas, eos ab aliquo ex fictis Diis duxiſſe genus: Cum igitur Dii ſint antiquiſſimi, & nobiles affinitatis quadam neceſſitudine ſint cum eis iuncti, iure antiquitatem ſibi vẽdicant. Poſtrema ratio ex eo ſumitur: quia familiæ nobiles, ratione ſuæ nobilitatis, in vnum primum principium rediguntur, id autem ſumitur pro facultate præclarum, venerandum, & ab inuidia remotum; & quoniam ſemper honoranda vetuſtas, & antiquiora iudicantur diuiniora, illuſtriora, minuſque inuidiæ expoſita, iure ſeruatur principium familiæ pro facultate antiquum, munere cuius familia nobilis etiam antiqua nuncupatur: huiuſmodi autem principia in obſcuris & ignobilibus minime ſeruantur, non enim inſpici poſſunt, cum non ſplendeant.

Cur nobilitati tribuatur antiquitas. *Ratio prima.* *Ratio ſecunda.* *Ratio tertia.* *Ratio quarta.*

Dubia alia ad nobilitatem pertinentia. CAP. XX.

PVlcra eſt dubitatio, dignaque conſideratione, num filii, vt à patre, ita à matre nobilitatem recipiant? ac, ſi concedatur ex vtroque principio, tanquam ex gemino fonte manare, dubium adhuc eſt, à quo abundantius fluat? Sententia eſt Ariſtotelis in 5. metaphyſicæ, cont. 33. *genus tum de patre, tum de matre dici, & filios ab vtriſque recipere & ducere genus.* Et dicendum videtur, præcipue eos à patre nobilitatem recipere, quoniam ipſe præſtantiori modo ad eorum generationem concurrit, ab eo ſumitur nomen familiæ, & munere patrum filii deinde iudicantur ac denominantur nobiles vel ignobiles: ideo frequenter in rebuſpublicis, ſi parens fuerit nobilis, mater ignobilis, nati inter nobiles numerantur, & nobilium muneribus honeſtantur, nõ autem vice verſa, ſi ex matre nobili & patre ignobili nati fue-

An à matre ducatur nobilitas. *Ariſtoteles.* *Ratio pro parte patris.* *Ratio pro parte matris.*

Digitized by Google

ti fuerint. Ex aduerſo cum nedum mas, verum etiam fœmina, poſſit dici nobilis & ignobilis, ea quoque, ſi nobilis fuerit, impartiri videtur nobilitatem natis, & longe magis quam pater. Ratio eſt, quia nobilitas eſt virtus generis ex congruente temperamento prodiens, & propterea ad corpus præſertim pertinet: corpus autem hominis, eiuſque temperamentum, ex matre ducitur, cum ſola mater ex opinione Ariſtotelis materiem præbeat proli, & nedum materiem, verum inſuper alimentum. Præterea in eius vtero concoquuntur & contemperantur omnia, quæ fœtum conſtituunt, adeo vt etiam imaginationem matris ſequantur ſæpe veſtigia & ſigna conſpicua eorum, quæ mater exoptauit in corpore nati. Reſpondeo, nobilitatem ex vtriſque duci, potiſſimum tamen ex patre. Ratio eſt, quoniam parens ſua genitura, tanquam inſtrumento, prolem format; fœmina vero ei pro materie tribuit ſanguinem menſtruum: cum autem genitura ſit ea, quæ congregat, alterat, terminat, & format, dum materiei dominatur, ſibi ſimilem & generoſam conſtituit prolem, eique per coctionem congruens tribuit temperamentum, dum vero ei non dominatur, ſed ob materiei aduerſam conditionem nonnunquam vincitur, ſequitur quaſi monſtrum non primo optatum, degeneratio quædam: ac prima degenerationum eſt, dum non valens marem formare, fœminam format (vt docet Ariſtoteles in 4. de generatione animalium, cap. 3.) adeo vt mater tunc per pugnantem & aduerſam materiem cauſa & occaſio ſit degenerationis. Recte igitur dictum eſt nobilitatem præſertim à patre duci: Fœminæ autem nobiles ſecundo loco nobilitati conducunt, & ſunt cauſa ſine qua non, ſunt cauſa in genere materiei, quatenus materiem aptam vel ineptam præbent. Ex his conſpicuum eſt, magnam eſſe adhibendam curam (vt monuit Plato) in eligenda vxore, quærendamque eſſe nobilitatem, morumque integritatem, non pecuniam, ne prodeant degenerationes, quæ ſunt monſtra, præter deſiderium agẽtis, omni paupertate deteriora. At dubitatur inſuper, quomodo nobilitas, quæ proculdubio diuitiis ſibi congruentibus eget, cum diuitiis iuncta ſeruari poſſit: cum viri nobiles actionibus probis incumbant, artes ſordidas non exerceant, ſint liberales & magnifici, quorum officium eſt effundere, non congregare opes. Reſpondeo: viri nobiles debent eſſe liberales, non prodigi, ſumptus eorum non debet cenſum ſuperare, ac ita ſeruantur diuites, & liberales. Sæpe tamen accidit, vt viri minus nobiles ditiores ſint, & inde frequenter oritur degeneratio regni optimatum, cũ ditiores etiam nobiliores iudicentur. Inſuper dantur genera quędam lucrorum, quæ non ſunt ſordida, & decent viros nobiles. His accedit, quod viri re vera nobiles ſunt tanquam principes

Solutio. *Altera dubitatio.* *Solutio.*

per naturam cęterorum hominum; & frequenter præſunt regnis, vrbibus, oppidis, magiſtratibus: ac ob eorum probas actiones à principibus, rebuſque publicis muneribus donantur; vt congruenter fungi valeant munere ſuo.

An ad vitam rectè inſtituendam magis conferat nobilitas, vel potius congruens educatio; inſuper an in vrbe tyrannide preſſa locum habeant viri nobiles.

Cap. XXI.

Prima dubitatio.

DVbitare iure optimo poſſet aliquis; num ad vitam rectè inſtituendam, congruenterque formandum animum, magis nobilitas conducat, vel potius congruens educatio & conſuetudo, vtrumque enim horum conducere, ex ſe cõſpicuum eſt. Refert Plutarchus in libro Apophthegmatũ, Lycurgum celebrem legumlatorem, vt ciues ex vſitata victus ratione ad magis ſobriam traduceret, duos ꝓduxiſſe catulos; alterum è domi deſidentibus ortum, alterum de venaticis ſuſtuliſſe; ac domeſticum ab eo fuiſſe venationi, Venaticum catulum voracitati aſſuefactum: cumque; vtroque ad id ſe proripiente, quod ei erat factum vſu familiare; ciuibus oſtendiſſet, quantum ad meliora aut deteriora ſtudia conferret educatio, dixiſſe: Proinde vos quoque Spartani videtis, nihil nobis illam vulgo celebratam nobilitatem, ductumque ab Hercule genus prodeſſe; niſi ea agamus, quibus ille omni alia humana gloria & celebritate maiorem ſibi parauit, honeſta per omnem vitam diſcentes, exercenteſque. Hæc Plutarchus, quo exemplo indicauit magis neceſſariam eſſe bonam conſuetudinem nobilitate. Veluti etiam Socrates exemplo ſuimet amicis ſuis ſuadere nitebatur. Quod confirmatur, quia virtutes ob id dicuntur morales, quia more & aſſuetudine comparantur. Ex aduerſo nobilitas potentior eſſe videtur, cum ſecum deferat principia & ſemina futurorum morum; ꝓpenſio autem naturæ vehementiſſima apparet: propterea legitur (*Naturam expellas furca, tamen vltro recurret.*) Reſpondens huic difficultati dico, congruentem conſuetudinem proportione reſpondere cultui, nobilitatem ſeminibus. Semina ſunt principia priora, ex ſe potentiora, & præſtantiora; cultus eſt poſterior, humilior, & tanquam inſtrumentum, neceſſarium tamen. Ideo nobilitas priori, potiori, eminentiorique modo concurrit, aſſuetudo tamen eſt magis neceſſaria, magis in noſtra facultate poſita, ac ꝓximius animum vitamque noſtram format. Exemplum ex Lycurgo ſumptum nil aliud patefacit, niſi maiorem ac proximiorem neceſſitatem, a qua etiam ſumta eſt virtutum denominatio: nitendum tamen pro facultate eſt vtrumque connectere, quod ſeruabant Lacedæmones: qui accurate

Plutarchus.

Socrates.

Solutio.

Quid ſeruabant Lacedæmones.

conſi-

cõſiderabant, ad quod vitæ genus pueri eſſent faciliores, ac per naturam magis procliues, & dabant operam, vt ei facultati incumberent, ad quam magis erant accommodati: his enim duobus conſpirantibus, abſolutiſſimi in quauis facultate prodeunt fructus. At dubitatur inſuper, num in vrbe tyrannide preſſa viri nobiles locum habere valeant; id enim non videtur poſſe contingere, tum quia dictum eſt nobilitatem cum libertate eſſe iunctam, cum ſeruitute pugnare: tum inſuper, quia conditio tyranni eſt nobilitatem, ac viros eminenti animo præditos, deprimere, vel eos longe à ſe repellere. Reſpondeo, dum quærimus locum viri nobilis, vel quærimus ſedem propriam, magiſque ei accommodatam, vel quamcunque, in qua modo aliquo ſeruari poſſit. Si ſedem quærimus primam, eique accõmodatiſſimam, vtique dicendum eſt, rempubl optimatum eam eſſe, in qua viri nobiles tanquam in propria ſede requieſcant, ratio eſt conſpicua: quia in ea virtus, viaque ad eã ac propenſio, præſertim quæritur, & maximi fit; ideo cuncta diriguntur ad colendam, amplificandam, perficiendamque nobilitatem. Secundo tamen loco vir nobilis vbique eſt nobilis, & vbique nobilitatem ſuam ſeruare ac patefacere valet, nam ſæpe accidit, vt magis ſit princeps qui ſeruit, quam qui imperat, poteſt enim qui ſeruit, eſſe princeps natura, qui vero imperat, eſſe natura ſeruus, fortuna princeps. Euenit tamen, vt, cum in vrbe tyrannide preſſa ſeruiliter educentur omnes, per id ſeruile vitæ genus familiæ nobiles in viles & ſordidas facile permutentur. Exemplo nobis ſunt Athenæ, & aliæ Perſarum Lacedæmoniorumque vrbes, quę olim nobilitate florebant, illuſtribus fulgebant ingeniis, nunc autem infeſtiſſimis tyrannis preſſæ, omni nobilitatis ſplendore deſtitutæ, tenebricoſæ languent. Propterea expedit nonnunquam viro nobili patriam ſuam, in qua nobilitatis formam non valeat (vt decet) conſeruare, derelinquere, & locum ſibi ſuiſque poſteris feliciorem parare, quod multis fortunate contigiſſe compertum eſt, ac ita ea ſententia ſeruabitur, mundani ciues ſumus, *& Vbi bonum, ibi patria eſt.* Lætari tamen debet vniuerſa Italia, immenſaſque Deo referre gratias, cum ab eo, præter tot ac tam præclara munera, hoc quoque demum feliciſſime obtinuerit, vt ab immanibus his tyrannorum feris libera, à principibus regatur legitimis, iuſtiſſimis, honeſtique amatoribus; adeo vt viri nobiles in quauis Italiæ vrbe ſedem ſibi accommodatam inuenire ac ſeruare fortunatiſſime valeant.

Altera dubitatio.

Solutio.

Propria ſedes nobilium.

Laus principum.

Digitized by Google

Quæ illuſtriorem familiis præbeant nobilitatem; literæ, vel arma; actio, vel contemplatio.

Cap. XXII.

FRequenter inter viros ingenuos & nobiles agitātur illæ duæ difficultates, num arma vel literæ, num actio vel contemplatio illuſtriorem familiis præbeāt nobilitatem, & pro omni parte rationes, auctoritates, exemplaque varia afferuntur: quæ ego hoc in loco miſſa facere decreui; præſertim, cum attinentia ad comparationem actionis & contemplationis alibi à me ſint cumulatiſſime explicata.

Nec arma nec literæ nobilitatem pariunt.

Breuibus igitur difficultati reſpondens, dico primo; nec arma, nec literas, nec actionem, neque cōtemplationē nobilitatem parere: nobilitas enim eſt virtus generis, per naturam ac ortum nobis competens, non autem per actiones & munera virtutum: propterea minus recte frequenter proponuntur, & confuſæ diſcutiuntur huiuſmodi quæſtiones; ea enim nō pariunt nobilitatem, ſed eam patefaciunt, illuſtrant, vltimamque perfectionem ei adhibēt. Hoc igitur quærēdum eſt, vtrum eorū magis patefaciat, illuſtremque reddat nobilitatem.

Pro ſolutione difficultatum.

Inſuper fieri debet cōparatio, non inter arma, & literas. Sed vna inter arma, & togā, hoc eſt, inter duo actionū genera, quorum vnum militiæ, alterum adminiſtrationi reipub. dicatum eſt. Altera mox comparatio inter actionem vniuerſe ſumtam, & contemplationem verſatur. Vtriſque tamen ſimul ſatisfaciēs ſtatuo primo hunc ordinem. Contemplatio abſolute præeſt actioni, adminiſtratio reipublicæ præeſt ducibus militiæ, adeo vt vera ſit hæc ſententia: *Cedant arma togæ, cedat toga contemplationi.* Ratio ordinis eſt conſpicua: nam munus contemplationis eſt inſpicere verum, cognitio veri dirigit & componit actiones: ars militaris, cum pro fine habeat pacem & incolumitatem reipublicę, ab illis dirigitur, illiſque inſeruit, qui reipublicæ præſunt; ac ſi idem fungatur vtroque munere, tamen vt princeps reipub. imperat ſibi, ſeque dirigit in attinētibus ad militiam. Ideo Plato, & cum eo Ariſtoteles, artem militarem ciuili ſubiecerunt, vt etiam rhetoricam. Verum cum hic ſit ordo, vt tamē clarior eluceſcat, & variis inſtantiis ſatisfacere valeamus, his diſtinctionibus vtendum eſt.

Prima diſtinctio.

Et primo dum fit comparatio inter conſpirantia ad conſtitutionem alicuius, aliud eſt eorum vnum eſſe præclarius, aliud eſſe magis neceſſarium: actio magis eſt neceſſaria, cōtemplatio eſt præſtantior & præclarior. Inſuper, aliud eſt aliquid eſſe abſolute præſtantius, & eſſe magis proprium alicuius.

Secunda.

Contēplatio abſolute præſtantior eſt, actio vero magis eſt propria nobilitatis; quia viri nobilis eſt, præeſſe magiſtratibus, & fungi muneribus ſuę reipub. ac ſuæ patriæ communibus publi-

ciſque

Digitized by Google

eiſque actionibus prodeſſe. Inſuper viri populariter magis dicuntur nobiles, quia ad virtutes morum faciles ſint; quam quia ingenio valeant, & apti ſint contemplationi. Tertio aliud eſt conducere alicui primo abſolute, aliud proximius prius abſolute id facit contemplatio quam actio, & toga quam arma, non autem proximius Præterea aliud eſt id facere manifeſtius, & magis populariter, & id facere prius, firmius, & eminentiori modo: arma id poſſunt efficere manifeſtius & magis populariter quam toga, & hæc quam contemplatio; at non firmius & eminentius. Demum aliud eſt aliquid efficere vt principem, ducem, propriaque facultate, & id efficere vt inſtrumentum, cauſſam ſecundã, & virtute alterius: primum competit contemplationi comparatæ cum adminiſtratione reipub. & huic comparatæ cum armis. Alterum competit armis, & curæ reipubl. Ex his eliciuntur ſolutiones omnium inſtantiarum, quæ datæ reſolutioni aduerſari videntur. Aſſero tamen, nobilitatis formam per conſpirationẽ actionis & contemplationis, ſplendidiſſimam, omniq; ex parte ſibi reſpondentem, & firmam patefieri.

Tertia. *Quarta.* *Quinta.*

De honore diſſerendum proponitur. CAP. XXIII.

HOnor & laus præclara & ſublimi voce ad ſui conſiderationem ac explicationem nos inuitant, & iure profecto; ſunt enim cum hominis vita adeo complicata, vt nulla ſit eius conditio, cui honoris cognitio non ſit apprime vtilis: præſertim tamen viro nobili & ciuili eſt neceſſaria, vt congruenter erga illum afficiatur; ne inſcitiæ caligine obumbratus, pro hono[re] dedecus, proque fama infamiam amplectatur. Sententia fuit Platonis in primo de legibus; *quod honor & dedecus ſunt potio, qua ciues reddit contra hoſtes audaces, contra vitia timidos.* Vt conſter, quam vtilis ſit huiuſmodi conſideratio, & quam vim in omni hominum conditione habeat deſiderium honoris, animo accurate reuoluendum eſt, ſeptem humanæ animæ, humanæque vitæ præſertim, conſiderari conditiones. Primo enim conſideratur hominis anima, quatenus cum hoc craſſo corpore connectitur. Secundo, vt pugnantibus facultatibus eſt prædita. Tertio, vt hominem, animal abſolutiſſimum, conſtituit. Quarto, vt periodum mortalis vitæ homo decurrit. Quinto vt per ciuiles virtutes purgatur, & eleuatur. Sexto, vt inter contraria collocatus congruenter ſuis muneribus fungi tenetur. Septimo, vt contemplatione mentis euolat ad Deum. Ex his conditionibus viri docti, & præſertim Academici, occaſionem ſumſerunt ſeptem præſertim metaphoris vitam hominis circumſcribendi & patefaciendi. Vt pertinet ad connexionem animę cum corpore, metaphora formatur à carcere ſumta: eſt enim anima in hoc

Vtilitas conſiderationis honoris. *Sententia Platonis.* *Septem conditiones humanæ vitæ.* *Septem metaphoræ.* *Prima metaphora.*

Digitized by Google

corpore,quaſi in tetro carcere, compedibus & variis nodis deuincta,in eoque quaſi ebria dormit;propterea eget ſtimulis, vt expergiſcatur,ſe ſoluat,vertaturque ad lucem,ſtimuli ſuntdeſideria veri honoris,& glorię.Vt vero pertinet ad pugnantes animæ facultates,quę quaſi membra varia hominem conſtituunt, ſumta eſt metaphora à monſtris: fingitur enim homo à Platone,quaſi monſtrum ex partibus diſtinctorum animalium conſtitutum,in qua metaphora deſiderium honoris vires ſuas conſpicuas patefacit: niti enim debemus, ne in homine pars fera voret humanã,ſed vt humana manſuetam reddat feram,ex quo verus prodit hominis honor. Tertio dum conſideramus, quomodo ex attinentibus ad hominem homo conſurgit vniuerſi conditionem ſeruans,metaphora formatur à mundo ſumta, & homo dicitur mundus paruus,epiloguſq; mundi, in qua etiam honor refulget, in eo enim verus hominis honor & laus eſt poſita,vt pro facultate cum magno mundo conformetur. Quarto dum conſideramus huic conflato ex anima & corpore præfinitam eſſe vitæ periodum,& teneri eam quaſi ſtadium ſibi à natura pręſcriptum,congruenter decurrere,formatur metaphora à naui ſumta, in medio maris collocata, portumque optante. Nam huius nauis gubernator eſt humana ratio,venti, ſcopuli, & vndæ,ſunt varia fortunæ euenta,remi ſunt appetitiones affectioneſque animi, quibus pro curſu felici & fortunato deſiderium honoris & gloriæ magnam adhibeat vim, inſpectio autẽ ſummi boni perinde ſe habet,ac inſpectio ſtellæ polum patefacientis. Quinto dum conſideratur anima,vt per morales virtutes purgari eleuariq; debet, tunc congruenter ea metaphora illi reſpondet,qua Plato in Phædro vſus eſt,ſumta à curru,auriga,& equis. Cuius eſt vniuerſa conſtitutio facultatum animæ noſtræ cum corpore iunctæ,auriga eſt ratio, equi ſunt appetitiones & affectiones animi partim ad concupiſcendi,partim ad iraſcendi facultatem pertinentes, quibus cum voluntate ac prælectione iunctis,cibi & reſtaurationis loco, nectar & ambroſia in cœlo parata ſunt,ſtimuli autem & calcaria vrgentiſſima equorum, ſunt deſiderium veri honoris & timor infamiæ. Sexto dum homo conſideratur, vt in mundo litis inter contraria collocatus & ſuo munere recte fungi tenetur: dicimus hominem in hac mundi arena quaſi Athletam fuiſſe collocatum, & teneri ſtrenue dimicare. Inſuper vtimur metaphora ex theatro depromta,in quo Comici partes ſuas (vt eos decet) explere tenentur. Vtitur etiam Socrates metaphora a lyra ſumta, quæ vt exactam edat harmoniam,chordis congruente proportione iunctis prædita eſſe debet. Ad quæ omnia recte obeunda, deſiderium honoris ſummopere eſt neceſſarium. Demum ſi conſidera-

Secunda metaphora.

Tertia metaphora.

Quarta metaphora.

Quinta metaphora.

Sexta metaphora.

Digitized by Google

deratur anima, vt per mentis contemplationem eleuari debet in Deum. Septima conſurgit metaphora ſumta ab alis, pennis, alarumq; alimento: mens enim ſua contemplatione euolatura ad Deum, non amplius conſideratur in curru cum perturbationibus iuncta, ſed ab eo libera, alis dicitur altiſſima petere. Alæ ſunt voluntas, & contemplandi facultas. Pennæ ſunt vires earũ, & præſertim ideæ mentis, rationeſq; animæ ex ſententia Platonis: Quæ pennæ in deſcenſu animæ dicuntur cadere & frangi, quatenus anima ſuimet ſuarumq; rationum oblita, impotens recumbit in terris. Quæ deinde per viuas aquas, hoc eſt, per ſcientias ex viuo fonte, hoc eſt, mente, manantes, dicuntur refici, ac in integrũ reſtitui, quarũ ope anima euolat ad Deum, in eoque requieſcit. In quo reditu deſiderium ſublimis honoris, & amor diuinæ gloriæ ſunt, tanquam interni ſpiritus alas & pennas concitantes & dirigentes. In omni itaq; humanæ vitæ ſtatu & conditione honor & gloria vires ſuas patefaciunt: iure igitur tenemur de cognitione eius eſſe ſoliciti, & præſertim, quia ob varietatem conſiderationis humanæ vitæ, & metaphorarum, varia conſurgit honoris forma; naturalis nempe, humana, mundana, popularis, ciuilis, militaris & diuina. Vſurpatur autem honor præcipuè in duplici ſignificatione. Primo pro meritis, per quæ homo abſolute vir honoratus dicitur. Secundo pro externo ſigno, & teſtimonio eorum. Honor in prima ſignificatione eluceſcit ex declaratione virtutum, probarumq; actionum, ideo præſertim de honore in ſecunda ſignificatione verba faci am. De quo loquuturus, ordiar ab eius definitione, vt mox de attinẽtibus ad partes & cauſſas eius in definitione ſumtas, necnon de eius affectionibus valeam diſtinctius verba facere.

Septima metaphora.

Septem honoris forma ſeptem metaphoris reſpondentes.

Honor dupliciter ſumitur.

Definitio externi honoris, & dubia nonnulla ex ea prodeuntia. CAP. XXIV.

HONOREM Academici, & Peripatetici vario modo definierunt. Speuſippus enim in libro Platonicarum definitionum dixit: *Honor eſt bonorum largitio propter virtutis officium, æſtimatio ac dignitas virtute acquiſita, figura venerationis, conſeruatio dignitatis.* Ex his variæ (vt conſpicuum eſt) elici poſſunt honoris circumſcriptiones, in quibus immorari ſuperuacaneum eſſet. Ariſtoteles duas præſertim honoris viſus eſt dediſſe definitiones, nam in libris de moribus dixit, *eſſe præmium virtutis*, in libro enim quarto moralium Nicomach. cap. 3. inquit: *Honor dari pro præmio ſolet ob res pulcerrimas, ipſe namque eſt bonorum maximum, ſed externorum.* Et in lib. 8. eorundem moralium aſſeruit: *Virtutis & beneficentiæ præmium, honos eſt, indigentiæ*

Definitio honoris ex Speuſippo.

Ariſtoteles.

Vero, auxilium & lucrum. Hoc ita ſe habere in rebuſpub. conſtat. non enim is honoratur, qui nihil boni in rempubl. contulit, id enim, quod eſt publicum, ei tribuitur, qui beneficia in rempub. contulit; at honor publicum eſt, &c. Cicero etiam in Bruto Ariſtotelem ſequutus dixit: *Honor eſt præmium virtutis, iudicio ſtudioque ciuium delatum ad aliquem.* In primo autem rhetoricorum definitur honor ab Ariſtotele, *quod ſit ſignum opinionis* εὐεργετικῆς, *hoc eſt, benefaciendi, ſiue conferendi in alios beneficia.* ideo addit Philoſopus: *Iuſte vero, maximeque honore afficiuntur ij, qui benefi ia contulerunt. Verumtamen etiam ille ſolet honorari, qui alius benefaciendi facultatem habet, id autem beneficium honore dignum putatur, vel quod ad ſalutem vitamque tuendam pertinet, vel ad opes, vel ad huiuſmodi bonum aliquod, cuius non ſit facilis adeptio, &c.* Ita ab Ariſtotele definitus eſt honor. At perpendamus, quæ honoris cauſſæ per huiuſmodi definitiones explicatæ fuerint. Proculdubio per eas patet primo forma, quæ eſt, quod ſit ſignum, & præmium. Et cum dicatur (ſignum) includitur, ſimulque denotatur materies, quæ eſt res ea, quæ in ſignum virtutis alteri tribuitur, quæ non eſt aliquid definitum; nam multiplex eſſe poteſt, vt conſpicuum eſt, ideo non poteſt in definitione honoris exactius explicari. Et quia ſignum eſt forma quædam communis, multis coueniens, ad aliud relata, propterea, vt magis propria reddatur, contrahitur per illud ad quod refertur, nempe per virtutem: virtus enim & homo virtute præditus; eſt finis cui honoris: honor namque paratus eſt virtutis gratia, & tribuitur homini virtute prædito munere virtutis, finis autem honoris, qui dicitur finis cuius gratia, eſt honeſtum, & vtile, quod inde conſurgit: Honeſtum eſt tribuere vnicuique, quod ſuum eſt, & honeſtum eſt virtutem ſignificare, illuſtrare, præmioque afficere. Ex quo etiam inſignes prodeunt vtilitates, quatenus qui honore afficitur, flagrantius virtutem diligit; ac ceteri eius exemplo ad virtutes inuitantur, & excitantur. Cauſſa efficiens ille eſſe dicitur, qui tale ſignum præbet. Non tamen vnuſquiſque huiuſmodi ſignum congruenter præbere valet, ſed ille ſolus, qui eſt rectus iudex actionum virtutis, & in cuius manu ſunt poſitæ res illæ, quæ ſignum congruens eſſe valent probitatis & virtutis: Huiuſmodi ſunt viri probi, quorum virtus eſt menſura rerum, & præſertim principes, ac illi illuſtriores ciues, qui magiſtratibus præſunt. Cum enim munus horum ſit præeſſe legibus, ſeruareque eas, maxime ſunt apti iudicare, qui eas ſeruant, & qui in patriam beneficia conferunt: ac propterea ad eos præſertim pertinet, viros bene meritos honore afficere, & in eorum manibus res illæ ſunt collocatæ, quæ illuſtrius virtutem ſignificare valēt. Hinc honor ab Ari-

Cicero.

Forma honoris.

Materies.

Finis.

Efficiens.

Digitized by Google

ab Ariſtotele in octauo moralium Nicomachiorum dicitur bonum publicum; ille enim pręſertim honor eſt, qui eſt publicum virtutis ſignum. Ex his colligi poteſt exacta honoris definitio, ex omni genere cauſſæ conflata, quæ talis erit: *Honor eſt premiũ virtutis, tributum à congruente eius iudice, viro probo; vt eius virtus refulgeat, ceteriq; eius exemplo ad virtutem inuitentur.* Ariſtoteles ea miſſa fecit, quæ vel communia ſunt, vel conſpicua; & id protulit, quod magis eſt proprium, & honoris formam patefacit. Ex his colligere valemus, virum improbum nec honorari, neo honorare poſſe; non honorari, quia caret virtute, non honorare, quia deprauatum habet iudicium: adeo vt honor pro ſigno, expoſcat honorem pro re ſignificata, tum in honorante, tum in honorato, vario tamen modo. *Exacta honoris definitio.* *Conſectariũ.*

Variæ proponuntur difficultates, ex definitione honoris emergentes. CAP. XXV.

VT natura honoris reddatur illuſtrior, & data definitio magis eluceſcat; nonnullę difficultates, nec quidem leues, diluendæ ſunt, quæ ex tradita honoris definitione emergunt. Primo enim dubitare quis poterit, quoniam Ariſtoteles non videtur ſibi conſtare: tum quia, vt patuit, non ſemper eandem dedit honoris definitionem: tum inſuper, quia nonnunquam dicit honorem eſſe præmium virtutis, nonnunquam vero (vt in primo moralium Nicomachiorum, capit. 12.) ſecernens laudem ab honore inquit; *virtuti quidem laudem proprie tribuimus, ab hac enim ad res honeſtas agendas idonei efficimur, &c.* At ſi laus differt ab honore, & laus eſt virtutis, honor, non virtutis, ſed alterius eſſe debet: alioquin à laude non ſecerneretur. Confirmatur, quia virtus ad aliud, nempe ad actiones dirigitur; laus eſt eorum, quæ diriguntur ad aliud; honor vero ipſius finis, & eorum quę ſui gratia optanda ſunt: Ideo honor conuenit proprie Deo, non autem laus, niſi ſimilitudine tantum. Dubitatur ſecundo, cum honor dicatur pręmium vel ſignum virtutis, cuiuſnam virtutis eſt ſignum? num moralis vel rationis? & cuius formæ virtutis magis proprie, & præcipue ſignum eſt? Ariſtoteles in rhetoricis expreſſit voluntatem benefaciendi, at etiam ob alias virtutes homo redditur dignus honore. Demum dubitatur, quia Ariſtoteles in 8. libro moralium Nicomachiorum dixit, *honorẽ eſſe bonum publicum, & ei eſſe tribuendum, qui beneficium in remp. contulit, non autem ei, qui in rempublic. nullum contulit beneficium.* At ſi hoc eſſet verum, viri probi ducentes vitam priuatam, nullo honore eſſent digni, quod falſum eſſe videtur. Inſuper ſequeretur, quod ſoli viri publicam perſonã gerentes, poſſent alios honore afficere, non autẽ viri priuati; cuius oppoſitum experiẽtia *Prima dubitatio.* *Secunda dubitatio.* *Tertia dubitatio.*

Solutio tertia difficultatis. nobis patefacit:imo populi recte affecti & inſtituti; principem ſuum ſummo honore afficiunt,& ſe mutuo congruenter honorant. Soluens primo hanc poſtremā difficultatem,vt ceteris leuiorē,dico, Ariſtotelem ſub initio quarti metaphyſicæ nos monere;quod dum loquimur de cōmuni ab vno, præſertim & proprie de primo tenemur verba facere, quod eſt tāquam menſura ceterorum:ideo de honore agens;quod eſt commune,non vniuocum,ſed ab vno;inſpicit id,quod in honorū ſerie primum,& maxime ꝓprium eſt. *Honor commune ab vno.* Datur honor tum publicus, tum priuatus; ille tamē qui publicus eſt,præſertim & primo cenſendus eſt honor:quia princeps & magiſtratus conſiderantur,vt recti iudices proba rum actionum. Inſuper, in eorum manibus præſertim ea ſunt poſita,quę ſunt accommodatiſſima ſigna virtutum. Tertio ſigna illa,cū ſint publica,manifeſtiorem & illuſtriorem reddūt virtutem. Demum Ariſtoteles conſiderauit illum illuſtriorem honorē,qui eſt ſignum beneficii collati in rempub.at honorem tribuere ob huiuſmodi beneficia, munus eſt viri publicā perſonam gerentis.Dubitatio autem cum hac cōplicata; quæ erat, ꝙ vir priuatus beneficium non conferens in remp.non eſſet dignus honore,ſoluitur per duo fundamēta. Primum eſt id, quod iam eſt explicatū,nempe quod Ariſt inſpicit id, quod principale eſt:actio enim proba,publicum afferens beneficium,vt communior,& magis publica eſt;ita magis iudicatur bona, & digna honore.Alterum fundamētum eſt;quia viri omnes probi dicūtur reip. ꝓdeſſe,improbi obeſſe:primo,quia exemplo ſui & pręceptis dirigunt & hortātur ceteros ad ꝓbitatem: ſecundo,quia quamuis nō ſemper ſua opera & officio proſint; ſemper tamen, quia probi ſunt, vt tales, neceſſario pro facultate ſunt parati in quauis opportunitate(vt eos decet)ſuæ patriæ prodeſſe. *Omnes viri probi reipub. conferunt.*

Vt cetera diluantur difficultates, diſcrimen ponitur inter honorem,laudem, gloriam, famam,encomium,reuerentiam,& ſimilia.

Cap. XXVI.

Honor dupliciter vſurpatur. VT exactius valeamus ceteris difficultatib. ſatisfacere; præaccipiēdum eſt, honoris nomen dupliciter vſurpari. Nonnunquam enim late,ac ita ſub ſe multa,vt partes cōtinet; veluti laudem, gloriam, famam, encomia, dilectionem,reuerentiam, ac ſimilia: hæc enim omnia ſunt bona externa, in aliorūm facultate collocata,cum virtute coniuncta;quatenus eam,vel fructus eius,nata ſunt indicare.In hac ſignificatione Plato in quinto de legibus inquit: *Primus honor conuenit Deo, ſecundus animo, tertius corpori; at corpori ſola laus, non autem proprie ſumptus honor* *Plato.*

compe-

competere poteſt. Ita etiam in 3. de legibus dixit, *primo honoranda eſſe animi bona, ſecundo corporis, tertio externa*. In eadem ſignificatione decantantur laudes in honorem Dei. Vſurpatur ſecundo honoris nomen proprie, vt contra diſtinguitur à laude, & conſimilibus. Nos autē, dum de diſtinctione loquimur, proprias vocum ſignificationes conſiderare tenemur. Vt igitur cōſpicua reddatur multarum vocum diſtinctio, quæ denotant externa ſigna bonorum animi, & coniunctorum cum illis; diſtincta bonorum genera, quorum ſunt ſigna, conſiderare tenemur. Bonorum igitur, quæ cum virtute ſunt iuncta, ad eamque pertinent; quædam ſolum optantur ſui gratia, alia ſolum alterius gratia, nōnulla & ſui & alterius. Solum gratia ſui optatur honeſtum actionis probæ, & ſummum bonum; qui poſtremus eſt finis, ad quem refertur honor. Quod ſummum bonum duplex eſt, vel diuinum, ac diuinarum mentium, vel humanum. Si fuerit diuinum, ad illud pertinet genus honoris, qui dicitur cultus diuinus, veneratio *ἐκμακαρισμός*; quatenus diuinas mentes beatas prædicamus, vt in primo moralium Nicomachiorum, c. 12. docet philoſophus. Si fuerit bonum humanum, ad illud refertur honor ille, qui homini probo cōgruens eſt, per quem homines felices honoris loco *εὐδαιμονίζομεν*, hoc eſt, felices dicimus, & celebramus: quos, ſi fuerint maiores, pietate reuerentiaque obſeruamus & colimus; ſi æquales, amicitia, variiſque amicitiæ ſignis nobis deuincire conamur, ſi minores, flagrāti dilectione, & congruentibus ꝓbarum actionum ſignis nitimur eleuare. Hæ namque omnes ſunt ſpecies quædam honoris. Propterea inquit Ariſtoteles lib. 8. moralium Nicomachiorum, c. 8. *amari autem, & honore affici* (cuius rei plerique ſunt cupidiſſimi) *finitima eſſe videntur, &c*. Dulce enim valde eſt amoris nomen, & ſummopere optabile. Altera ex parte ſi bona ſolum referuntur ad aliud: vel ſolam conſideramus eorum poſſeſſionem, & laus eis conuenit; veluti per corporis dexteritatem, vtileſq; animi hàbitus laudamur: vel conſideramus actiones, & vſum; cui encomium conuenit, quod cum laude ſummopere eſt iunctum. Si demum bonum partim ſui, partim alterius gratia fuerit optabile, vt moraliū virtutum habitus, qui nos intrinſecus honeſte formāt, & honeſtas pariunt actiones: ei diſtincta ratione cū honor, tum laus conuenit. Hinc per habitus artium ſolum laudamur; per habitus vero moraliū virtutum partim laudamur, partim honoramur. Gloria præſertim ad laudem redigitur; differt tamen, quia magnitudinem expoſcit, ac in opinione cōmunique hominum voce poſita eſt: de qua Ariſtoteles in 1. rhetoricorum inquit: *Gloria, hoc eſt, bona exiſtimatio* (græce *εὐδοξία*) *eſt virtute præditum ab omnibus exiſtimari: vel tale aliquid in ſe habere; quod omnes appetant, aut*

Honor diuinus.

Honor humanus.

Laus.

Encomium.

Gloria.

multi, aut boni viri, aut prudentes, &c. Ita gloria dicitur conſentiens approbatio, communiſque opinio inſignis probitatis, & meritorum alicuius: quæ ſeruari poteſt etiā ſine externo ſigno; ſine quo nec laus, nec honor, re vera ſeruatur. Ideo Plato in Protagora dixit: *Probamus iudicio ſine deceptione, laudamus verbis, plerunque falſo præter ſententiam.* De eadem gloria inquit Cicero in libro de officiis: *Vix inuenitur, qui, laboribus ſuſceptis, periculiſq; aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.* Fama cum gloria ſummopere iuncta eſt, & frequēter pro eodem vſurpatur: differt tamen; quia fama magis eſt eorum, qui vita functi ſunt: quamuis nōnunquam ad viuentes, abſentes tamen, extendatur; vt dum celebres ſcientiarum profeſſores, ſtrenuique militiæ duces, dicūtur fama ſuper æthera noti: gloria autem etiam viuentibus, & præſentibus conuenit. Inſuper gloria ſolum vſurpatur in partem bonam, cum fama nonnunquam etiām extendatur in malam: re vera tamen ea, quæ mala eſt, vt publica vox ſcelerum, infamia potius quam fama dici meretur. Hæ omnes voces in duo capita rediguntur, in honorem & laudem; quatenus vel ſunt finis, vel ordinatorū in finem: & hæc duo capita redigūtur in vnum. Laus enim eſt ſpecies quædam late ſumti honoris. Ideo Ariſt. in 1. rhet. inter ſpecies honoris numerauit monumenta, vel carmine, vel ſoluta oratione conſcripta. Populariter autem commendationes omnes ore factæ, dicuntur laudes; cetera vero virtutis teſtimonia, honores. Verū oritur dubitatio, quia encomium & gloria, quæ ad genus laudis redacta ſunt, ad honorē potius pertinere videntur; vt enim honor eſt ipſius finis, qui actio eſt; ita encomium, & gloria actionum eſſe videntur. Reſpondeo, gloriam eſſe cum actionum, tum habituum, encomium autem actionum tantum: & quamuis ambo in nonnullis cum honore conueniant, differunt tamen triplici differentia. Prima eſt, quia encomium & gloria extēduntur etiam ad opera artium, & roboris corporis: cum honor ſit tantum actionum à virtute animi prodeūtium. Altera eſt, quia encomium & gloria reſpiciūt actiones, vt actiones & vſus præclari ſunt; honor vero, vt ſunt finis. Demum, ſi encomium & gloria nonnunquam ad honores aliquos extenduntur, nō tamen ſunt vniuerſum genus honoris, ſed modus quidam, ac pars eius in voce poſita, quæ populariter dicitur laus.

Plato. *Cicero.* *Fama.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Triplex differentia gloriæ & honoris.*

Diluitur difficultas, quæ primo afferebatur contra definitionem honoris. CAP. XXVII.

Honoris variæ definitiones.

EXplicatis vocibus, facile modo eſt dubia diluere, quæ ex definitione honoris oriebantur. Dicebatur primo, Ariſtotelem in danda honoris definitione, nec ſibi cōſtare, & falſa proferre:

ferre:non ſibi conſtare, quia varias tradit honoris definitiones. De hoc dico, eiuſdem varias eſſe poſſe circumſcriptiones, cum tamē abſolutiſſima definitio vnica ſit. Addo inſuper, relatas definitiones ſummopere iunctas eſſe, parumque differre: dū enim dicimus honorem eſſe præmium virtutis, aſſignamus cōmune obiectum honoris; omnis enim animi virtus digna eſt honore: dum vero dicimus honorem eſſe præmium opinionis benefaciendi, explicamus obiectum principale, ſiue principalem rationem, per quam homo redditur honore dignus. Rem autem ita ſe habere, conſtat ex 8. lib. moralium Nicomachiorum, capit. 13. quo loci Ariſtoteles inquit: *Virtutis & beneficentiæ præmium honos eſt; indigentiæ vero auxilium & lucrum, &c.* Cum Ariſtot. dicat, honorem eſſe præmium virtutis & beneficentiæ, indicat præcipue beneficentiæ eſſe, & iure profecto: honor enim potiſſimum inſpicit beneficia collata in rempublicam, vt in præcedentibus patuit: inſuper poſt recepta beneficia qui ea receperunt, etiam ex debito tenentur, ſigno aliquo honoris voluntatem probam tribuentis recognoſcere. His accedit, quod populi præſertim ad honorandum aliquem excitantur ab opinione beneficentiæ, quam maximi faciunt. Iure igitur Ariſtoteles in libris de moribus retulit honorem ad genus virtutis, tanquam ad obiectū adæquatum: in primo autem rhetoricorum, ad opinionem benefaciendi, tanquam ad principale & maxime congruens libris illis popularibus. At addebatur, Ariſtotelem falſa enuntiare, quia honor non eſt præmium virtutis: virtus n. eſt habitus ordinatus ad actionem, vt ad finem; ipſius autem habitus laus eſt, non honor, vt docet Ariſt. 1. mor. Nic. c. 12. Reſpondens dico, dum definitur honor quod ſit præmium virtutis; nomine honoris denotatur honor late ſumtus, cuius etiā laus eſt pars, nomine autem virtutis denotantur & virtus, & eius actiones: Fit autem mentio de virtute triplici de cauſa; prima eſt, vt explicetur honor late ſumtus: ſecunda, quia virtus facultate continet etiam actiones: tertia, quia actio proba adeo eſt cum virtute morali complicata, vt vir ea præditus non valeat (dum ei offertur occaſio) nō recte agere: de ratione enim moralis virtutis eſt, vt per eā agamus, quando, quomodo & quantum decet. Sic itaque honor inſolubili nodo cum virtute coniungitur: & propterea Romani templa Honoris & Virtutis ita iunxerunt, vt nemo ingredi poſſet in templum Honoris, niſi tranſiret per templum Virtutis.

Regula Topica.

Cur honor præcipue ſit præmium beneficentiæ.

Diluitur altera dubitatio.

Diluitur altera dubitatio, quæ erat, an honor ſit præmium virtutis rationalis. CAP. XXVIII.

DVplex eſt genus virtutū animæ, morale vnum, alterum rationis: honorem eſſe præmium virtutis moralis, ex ſe con-

ſtat. Dubium eſt, an etiã ſit præmium virtutis rationalis, & præſertim ſcientiæ, ſapientiæ & intelligentiæ. Ariſt. aliquando vniuerſe dicit, eſſe præmium virtutis; aliquando autem id contrahit ad morales, & præſertim ad beneficentiam. Quod autem moralium tantum, & non rationalium ſit præmium, ex eo conſtat. Quia eius eſt præmium, quo poſito homini competit honor, & quo remoto non competit. At huiuſmodi eſt virtus moralis; omnis enim homo per virtutẽ moralem eſt abſolute probus, & ob probitatem dignus eſt honore: dempta virtute morali; quamuis adſit ſcientia, ſapientia & intelligentia; non amplius homo eſt dignus honore: tantum enim abeſt, quod ſapiens vitioſus dignus ſit honore, vt potius maxime omnium dignus ſit dedecore & vituperio. Inſuper Ariſtot. in 1. magnorum moral. capit. 6. hoc apertiſſime affirmauit inquiens; *Nos laudari, dignoſque laude reddi per virtutes morales, at non per eas, quæ ad rationem pertinent.* Et confirmatur, quia honor eſt animi gratitudo, & præmium recepti beneficii: at benefacere eſt munus virtutum moralium, non autem rationalium. Soluens difficultatem dico, honorem magis ꝓprie, & proximius competere virtuti morali, & actionibus eius, potiori vero modo, & tanquam priori principio, eminentiorique bono, competere contemplationi. Hoc oſtendo cum auctoritate, tum ratione. Primo auctoritate Ariſtotelis in procemio primi de anima, cont. 1. dicentis, *ſcientiam eſſe rem præclaram, & honore dignam, & vnam alteri præferri, cum ob præſtantiam rei conſideratæ, tum ob exactum ac certum modum conſiderandi.* Ex qua ſententia duo colligimus: primo virtutem inſpectricem eſſe honore dignam; ſecundo, eam eminentiori modo eſſe dignam honore, quam ſit virtus moralis, cum ob præſtantiam rei, in qua verſatur, tum ob acriuiam, hoc eſt, exactum & certum conſiderandi genus. Confirmatur id ipſum clarius ex procemio metaphyſicæ, cap. 2. vbi hęc verba leguntur: *Nec aliam, quam huiuſcemodi, decet honorabiliorem putare, quæ enim diuiniſſima eſt, eadem etiam eſt honorabiliſſima, &c.* Loquitur ibi philoſophus de humana ſapientia, quæ metaphyſica dicitur, ac eam maxime omnium honore dignam affirmat. Confirmatur etiam ratione ex eodem loco deprompta: Ea virtus maxime eſt honore digna, quam maxime Deus habet & quæ maxime in diuinorum conſideratione verſatur: Huiuſmodi eſt ſapientia, vt conſpicuum eſt. Inſuper honor finem ex ſe optandum reſpicit, & propterea, quo finis fuerit eminentior, eo præſtãtior ei competet honor: cõtemplatio autem eſt finis eminentior actione, vt alibi patefeci. Ita Plato in 5. de legibus, & Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, cap. 12. Deo aiunt primo cõpetere honorem. Sic itaque potiori modo, & tanquam priori ac emi-

Quod honor ſit præmium ſolum virtutum moralium.

Solutio difficultatis.

Digitized by Google

ac eminentiori bono, honor cōpetit ſapientię & ſciētiæ, magis tamē proprie & proximius cōpetit virtuti morali: cuius rei duplex eſt ratio. Prima quia virtus moralis, quamuis non ſit id primum, quod eſt honore dignū, eſt tamen id, ſine quo vir ſapiens nō eſt honore dignus: cauſſa enim principalis, & cauſſa ſine qua non, inter ſe diſtinguūtur, vt patet ex calce 2. phyſ. Altera ratio eſt, quia honor eſt ciuile præmiū, & propterea proxime, & proprietate quadam, ad ciuiles virtutes refertur, quæ etiam proximius, & populariter magis, beneficia in rempub. cōferunt: dico magis populariter, & proximius: quia contemplatio, tanquam dux, iudicando & dirigendo, vniuerſæ reip. conducit: veritas enim (vt monet Plato in 5 de legib.) tum Diis, tum hominibus dux eſt omnium bonorum, & eminentia quadam in ſe continet virtutes morales. Conſtat itaq;, diſtincta ratione hęc omnia vera eſſe, honorem competere, & non competere, inſuper primo, & non primo competere virtutibus rationis: competit primo, quia eminenter, non primo, quia non ita proprie.

Cur honor magis proprie referatur ad virtutem morum.

Quatuor pulcra difficultates, quæ ex dictis prodeunt, proponuntur, & diluuntur. CAP. XXIX.

EX his, quæ de virtutum honore in præcedente capite dicta ſunt, quatuor præſertim emergunt difficultates accurata conſideratione dignæ. Prima eſt, quia Ariſt. in primo moral. Nicom. negat habitui conuenire honorem, cum enim habitus dirigatur ad ſui muneris functionem, dicitur dignus laude, non honore: in procemio autem de anima ſcientiam, & in procemio metaphyſ. ſapiētiam, qui habitus ſunt, dicit eſſe honore dignos. Altera dubitatio eſt, quia Ariſt. in 3. rhet. inquit, *Iſocratem increpaſſe Græcos, quia ſapientibus nullum victoriæ præmium propoſuerunt.* Et in libro Problematum particula 30. prob. 10. inquit, *id fuiſſe factum: primo, quia dimicantes ſapientia præſtant, quorum cæteri nequeunt eſſe iudices: ſecundo, quia ex iudicio lites, & indignationes orirentur: tertio, quia non inuenitur præmium, quod dignitati ſapientiæ reſpondeat.* Si itaque non datur ſapientiæ præmium; quomodo dictum eſt, honorem eſſe præmium eius? Tertio, diluendæ ſuperſunt rationes, quibus oſtendebatur honorem tantum virtutis moralis eſſe præmium. Demum dubitatio eſt de artibus, num debeant cenſeri honore dignæ. De prima difficultate, nonnulli explicantes procemium de anima inquiunt, *differre ſcientiam à virtute morali: nam ſcientia non dirigitur ad opus, & propterea in ſe finem habet, & ex ſe eſt honore digna: virtus autem in more poſita ordinatur ad actionem, ideo ea eſt digna laude, actio vero eius honore.* Hęc ſententia & ſolutio, vera nō eſt: quia, quamuis habitus ſcientiæ & ſapientiæ, ſolum pro fine habeant iudicium veri, tamen de eis quoq; hoc verum eſt, quod habitus

Quatuor difficultates proponūtur.
Prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
An ſapiens ſit dignus honore.
Opinio quorundam.
Euerſio.

Digitized by Google

dirigitur ad actionem, & actus primus ad ſecundum: nam ſcientia habitus eſt; cõtemplatio vero & vſus eius, eſt actus ſecundus diſtinctus à primo, & finis primi, vt cõſtat ex 2. de anima. Et hoc lucidiſſime cõfirmatur per Ariſt. in 1 & in 10. moral. Nic. quibus in locis loquens de ſummo bono manifeſtat, non in habitu, ſed in actione eſſe poſitum; illudque definiens inquit, *eſſe actionem ex virtute prodeuntem*; quam definitionem vtrique gradui felicitatis ait competere, vt patet præſertim ex quarto capite decimi de moribus: quare par eſt ratio de virtute morali & rationali, quod habitus ad actionem dirigatur: hæc ſola eſt differentia, quod actio virtutis rationalis eſt ſola veri cõtemplatio, virtutis vero moralis eſt quid aliud ex prælectione prodiens. Propterea ſoluẽtes dicamus id ipſum, quod de virtute morali in præcedẽtibus dictum eſt; nempe quod Ariſtoteles denotauit virtutem cum ſua poſtrema perfectione, quæ eſt actio & vſus eius, qui ſecunda perfectio nuncupatur. Inſuper honor habitui competit, vt principio & origini; vſui vero, vt formæ, cui proprie reſpondet: demum habitui ſeiuncto ab actione competit honor late ſumptus; iuncto vero cum actione competit proprie ſumptus honor, quia poſtrema perfectione eſt præditus. Erat ſecunda dubitatio, quia Græci ſapientibus nullum victoriæ præmium propoſuerunt; non itaque honor eſt prǽmium eius. Reſpondeo, non dari præmium, quod æquetur ſapientiæ; dari tamen teſtimonium eius, quod vir prudens & ſapiens magnifacit. Addo inſuper, honorem non eſſe præmium pugnæ & victoriæ, quæ ex diſputatione prodit; non enim ei pugnæ præmium proponitur, ſed eſſe præmium ſapientis, & ſapientiæ abſolute; omnes enim ſapientes munere ſapientiæ, ſunt honore digni. Tertio loco diluendæ erant rationes, quibus oſtendebatur honorem non congruere ſapientiæ. Pro quarum ſolutione accipiendum primo eſt, ſapiẽtiam in viro improbo deſtitutam eſſe ſua poſtrema perfectione; probi enim mores ſunt fructus ſapientiæ: qui, dum ex ſapientia non prodeunt, indicant conſtitutionem hominis illius cũ natura pugnare, ſapiẽtiæque eſſe aduerſam; & propterea in eo abſolutam ſapientiam non reperiri. Addendum ſecundo definitiones, regulas & ſentẽtias, debere accipi in potiore ſignificatione: potior ſignificatio eſt ea, quę per ſe dicitur, vt monet Ariſt. in 1. phyſ. 74. Sic itaque contemplatio, ſui natura & ex ſe, digna ſemper eſt honore: ſi nonnunquam cum improbitate iungitur, id eſt, ex euẽtu, neque tunc ſapiẽtia eſt ſua perfectione prædita: & ſi quid in eo viro ſapientiæ ineſt, ea ſapientia ex ſe digna eſt honore; vir tamen ille perperam ea vtens, infamis iudicari debet. Propterea recte Plato in ſexto de republ. Alexander, Simplicius, Auerroes in procemio libri phyſicorum, manifeſtãt ſapien-

Propria ſolutio.

An honor poſſit dici præmium ſapientiæ.

Diluuntur tertio aduerſa rationes.

Plato. Alexander. Simplicius.

Digitized by Google

ſapientiam ex euentu tantum cum vitiis necti. Sic itaque moralis virtus eſt id, ſine quo homo non eſt dignus honore, cum ſit apprime neceſſaria ob rectum vſum cæterorum. Inſuper addo, ſapientiæ non eum reſpondere ciuilem & popularem honorem, qui ciuibus ob præclaras actiones congruit; illum enim ſapientes negligunt: ſed congruere reuerentiam quandam, quæ eſt gradus honoris eminentior. Per hæc ſatisfacere valemus auctoritati Ariſt. ſumtæ ex primo magnorum moral. c. 6. Inficiatus eſt eo loci Ariſtoteles virtuti rationali honorem congruere; tum, quia conſiderabat minus proprie ei congruere, vt pateſeci, tum inſuper, quia loquebatur de honore magis vulgari & populari. *Explicatur locus ex primo magnorum moralium.* Erat poſtrema dubitatio de artibus & artificibus, an ſint honore digni. Quod non, oſtenditur; quoniam artes vtile quærunt, ad aliudque diriguntur, nempe ad efficiendum opus. Ex aduerſo dicitur; *Honora medicum propter neceſſitatem.* Ita lis vertitur inter medicos & iuriſperitos, vtri ſint magis honore digni. Reſpondeo, artes eſſe duplicis generis, nonnullas ſordidas, alias ingenuas. Artes ingenuæ vt artes & ratione propria, non ſunt dignæ honore: vt tamen iunctæ cum probitate morum; quatenus proxime opem ferunt prudentiæ & ſapientiæ, earum vſum perficiunt, virumque ingenuum decent; aliqua ex parte dicuntur honore dignæ, vt rhetorica, logica, & poetica: non tamen primo & proprie, ſed tantum ex ſe cenſeri debent dignæ laude: De cæteris artibus loquens aſſero, eis nequaquam competere honorem, ſed tantum laudem. *An arti competat honor.* Propterea artifices vt artifices non valent de honore contendere, ſed tantum de laude. Et hæc eſt ea laus, quæ maxime ab honore ſecernitur, quæ congruit artibus, artificibus, viribus corporis, copiæ bonorum fortunæ, & ſimilibus; honor minime competit. *Artifices non valent de honore contendere.* Et dum dicitur, medicum eſſe honorandum: Reſpondeo, eſſe honorandum honore late ſumto, includente etiam laudem. Inſuper ars medendi aliqua ex parte ingenua eſt. Præterea, cum addatur, eſſe honorandum ob neceſſitatem, aperte indicatur, non proprie ex ſe eſſe honorandum, ſed ob eius neceſſitatem. At dices ſi artes & artifices, non honore, ſed laude digni ſunt; num artifices boni, qui tamen vitiis ſint inquinati, debeant cenſeri digni laude? Reſpondeo, eos eſſe dignos laude, cum reduplicatione artis, at non vt tales homines: nam periti medici, præclari pictores, & ſtatuarii; vt tales ſunt, laude profecto extolli merentur; vt autem vitioſi, digni ſunt infamia & dedecore: & hæc infamia ex vitio prodiens, obſcurat omnem laudem ex præſtantia artis prodeuntem.

De gradibus honoris. CAP. XXX.

HOnor in indiuiduo non eſt poſitus, ſed latitudine præditus eſt, quæ in gradus diſtribuitur. Aſſignari poſſunt gradus, *Honoris gradus ſunt.*

Digitized by Google

primo ex parte meritorum, ſecundo, ex parte conditionis eorum, quibus tribuitur, tertio, ex parte eorum, quæ tribuuntur, & materies honoris dicta ſunt. Quæ tria congruente quadam ratione ſibi mutuo reſpondere debent. Si inſpicimus merita; tunc varii virtutum actionumque gradus, tanquam fines & ſcopi, nobis varios patefacient gradus honoris. Ita ſapientiæ inter humana bona Ariſtoteles in proœmio metaphyſicæ primum aſſignabat honoris gradum. Abſolute tamen gradus primus reſpondet virtuti diuinæ, ſecundus heroicæ, vt cum diuina iunctæ, tertius humanæ ſapientiæ, quartus virtuti morali. Si autem heroica conſideratur ſeiuncta à virtute diuinitus infuſa, vt eam conſiderauit Ariſtoteles, ita ſub humana ſapientia collocatur. Si inſpicimus conditionem eorum, quibus tribuuntur; ita Deo reſpondet primus gradus honoris, ſecundus ſeparatis mentibus, tertius homini. Et facta comparatione inter homines, primus competit ſapienti, & heroi; mox viro ciuili. Inſuper, eminentior gradus competit viro publico, quam priuato. Et facta comparatione inter viros publicos, datur ordo inter principes mundi, qui ſæpe inter ſe de gradu dignitatis contendunt. Similiter datur ordo inter magiſtratus, necnon inter viros priuatos vel magis vel minus nobiles. Qui ordo nititur quodam modo fundamento naturæ, & virtutis. Vt enim in vniuerſa natura, ita inter homines, qui omnes naturæ gradus valent imitari, ſeruatur ordo. Quidam enim in vrbe proportione reſpondent Deo in orbe. Alii ſeparatis mentibus, ac ita de cæteris. Nititur etiam fundamento virtutis: quia, vt in vniuerſa natura gradus ſuperiores eminentiori quadam virtute refulgent ornati, quam inferiores; ita putamus ſupremos principes ſuprema inter homines eſſe virtute præditos, humiliores humiliore: ita tamen in gradibus vniuerſi conſtanter ſeruatur, in hominum autem genere ſecus ſe habet. Ideo recte dicitur, quod nonnunquam magis princeps eſt vir priuatus ornatus virtute principis, quam princeps habitu virtutis deſtitutus. Sumebatur tertio gradus ordinis ex materie honoris: quatenus ſignum virtutis & præmium collocatum erat, vel in verbis, vel in gradu aliquo dignitatis, vt qui equites conſtituuntur, vel inſignibus doctoris, ſiue alterius dignitatis honeſtantur, vel demum collocatur in rebus, quæ in ſignum honoris à principe, vel quouis alio tribuuntur. Hos gradus indicauit Ariſtoteles in primo rhetoric. inquiens: *Honoris ſpecies ſunt immolationes, monumenta vel carmina vel ſoluta oratione conſcripta, præmia certa, luci, ſuperiores in ſedendo loci, ſepulcra, imagines, & publica cibaria. Et quibus barbari vtuntur, gradus adorantium, & conſpectus quitationes; munera, quæ apud ſingulas gentes in pretio ſunt, &c.* Hi ſunt gradus in materie honoris conſiderati. Honor in verbis

Gradus ex meritis depromti.

Ex conditionibus eius, cui tribuuntur.

Gradus in materia honoris.

Ariſtoteles.

poſi-

poſitus, eſt magis viuus, in gradibus dignitatis & memoriæ, eſt conſtantior, in rebus dono tributis, vtilior. Plato in quinto de legibus indicat, gradus honoris præſertim debere elici ex gradibus meritorum: ideo inquit: *Honorandus certe eſt, qui nemini iniuriam facit. Qui vero nec alios id facere permittit, duplici honore, immo etiam magis eſt honorandus: ille enim vni, hic multis hominibus comparatur, cum principibus cæterorum iniuriam nuntiet. Qui autem vna etiam cum magiſtratibus iniuriam vt poteſt vlciſcitur, is magnus perfectuſque in ciuitate vir præconio prædicetur: nam virtute cunctis excellet. Eadem quoque temperantiæ, & prudentiæ laus eſt. Et qui aliis bonis abundat, quæ in alios quoque effundi poſſunt, ſi cæteros participes efficit, tanquam vir ſummus eſt honorandus, qui autem id facere vellet quidem, ſed non poteſt, ſecundo loco habendus eſt, &c.* Sic igitur gradus honoris conſiderari poſſunt in meritis, in gradibus eorum quibus tribuuntur, & demum in materie honorum: quæ etiam reddi poſſunt maiora & illuſtriora ex dignitate tribuentis, ex conditione loci, temporis, modi, conſuetudinis, & ſimilium: nam præclarum eſt laudari & honorari à viro laudato & honorato: præclarum eſt honorari publice, ſponte, cum applauſu multorum & conſenſione. *Plato.*

Diluuntur Problemata varia ad honorem pertinentia.

CAP. XXXI.

QVæritur; num pueris conueniat honor? Dico, eis conuenire, non primo & proprie, ſed ſecundo loco; non ob actiones iam editas, ſed ob ſpem: inquit enim Ariſtoteles in primo rhetor. *Iuſte maximeque honore afficiuntur ii, qui iam beneficia contulerunt, & etiam ille ſolet honorari, qui aliis benefaciendi facultatem habet.* Inſuper in primo moralium Nicomachiorum, inquit, *puerum poſſe dici beatum ſpe, demum poteſt ei honor competere, ſi ex maioribus pendet, qui honore fuerint digni, tanquam viuæ imagini eorum.* Puero itaque illuſtri, bona indole prædito, ob ſpem conuenit honor; qui eſt potius honor quidam popularis, quam verus. At quæritur ſecundo, num honor conueniat defunctis. Apparet enim eis conuenire non poſſe: nam inquit Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, cap. 6. *Mortem eſſe extremum omnium rerum, nihilque reliquum eſſe mortuo videri, neque bonum, neque malum, &c.* Si igitur mortuo nil boni conuenit, non poterit conuenire honor, qui inter bona numeratur. Præterea, in obitu ex ſententia Ariſtotelis 3. de anima, context. 20. habitus animi euaneſcunt: euaneſcente autem virtute, videntur etiam euaneſcere merita honoris, qui eius eſt ſignum. Ex aduerſo Ariſtoteles in eodem 3. moralium Nicomachiorum,

An pueris conueniat honor.

An honor defunctis competat.

Digitized by Google

cap. 6. inquit. *Teſtantur, & comprobant hæc, quæ dicimus, honores ii, qui & in liberis ciuitatibus, & apud reges eis, qui in bello ceciderunt, decernuntur, &c.* Inſuper in primo rhetor. inter ſpecies honoris enumerat ſepulcra, & alia, quæ mortuis tribuuntur. Inquiunt nonnulli, defunctis conuenire famam & gloriam, non honorem, ſuperſtites enim ſunt in memoria, & ore hominum. At cenſeo hos minus recte ſentire. Fama enim in voce & ore hominum ſolum eſt poſita. Defunctis autem; præter famam, quæ eſt modus quidam late ſumti honoris, etiam alia honoris loco tribuuntur, vt ſepulcra, ſtatuæ, & eorum poſteri magiſtratibus honeſtantur, publicoque nutriuntur ære. Inſuper ſi honor illis conuenit, qui beneficia contulerunt; cum defuncti id fecerint, iure merentur honore affici, & illi præſertim, qui pro ſalute patriæ diem vltimum obierunt: cum enim viuentes ob egregia opera, & illuſtrem mortem non valuerint honore affici, æquum eſt, vt poſt obitum eo afficiantur: & præſertim, quia tunc quoque aliqua ratione ſunt ſuperſtites, vel in memoria hominum; vel in poſteris & amicis (vt cenſet Ariſtoteles) vel (vt veritas eſt) viuunt potiorem vitam; ideo iure optimo beatis & ſanctis honores varii tribuuntur. Et dum inſtatur, quia mortuis nil boni vel mali conuenire poteſt: Dicendum eſt ex ſententia Ariſtotelis, nil conuenire quod ipſi ſentiant, conuenit tamen vt in memoria, in poſteris, & amicis ſunt ſuperſtites. Hinc Ariſtotel. in primo moralium Nicomachiorum, capit. 11. ait, *poſterorum euenta aliqua ratione pertinere ad defunctos.* Conuenit igitur eis honor, non ob præſentes, ſed ob præteritas eorum virtutes, munerumque functiones, & longe magis eis conuenit, dum vna cum theologis recte ſentientibus iudicamus, eos præſtantiorem & feliciorem viuere vitam. Hoc tamen verum eſt, quod fama magis eſt propria defunctorum, honor viuentium: at non ob id inficiari debemus, & honorem defunctis, & famam viuentibus conuenire. Quæritur tertio, cum honor ſit bonum quoddam cum virtute complicatum, num ſit bonum dignum laude, vel potius dignum honore? Prætermiſſis rationibus, quæ hinc inde poſſunt afferri, dico breuibus, honorem quatuor modis poſſe conſiderari, primo, pro meritis honorati, ſecundo, pro actione honorantis, tertio, pro materie externa, quæ tribuitur, quarto, pro ſigno virtutis vt ſignum eſt. Si vſurpetur pro meritis honorati, hæ ſunt virtutes, & earum actiones, quæ ſunt bonum dignum externo honore, quod ſignum eſt. Si vſurpetur in ſecunda ſignificatione, nempe pro actione honorantis ex recta eius conſultatione & præelectione prodiens; ita quoque eſt proba honorantis actio ex eius virtute prodiens; per quam redditur honore dignus. Si tertio vſurpetur pro materie, quæ multiplex eſſe poteſt, vel quarto con-

Opiniones quorundam.

Diluuntur aduerſa rationes.

An honor ſit dignus laude.

Honor quadrupliciter conſideratur.

Digitized by Google

to conſideretur, vt ſignum eſt: ſic ab honorato non eſt ex ſe optabilis, ſed gratia alterius, quatenus inquam eſt teſtimonium ſuæ virtutis, qua conſideratione ab Ariſtotele quarto moralium Nicomachiorum, cap. 3. inter externa bona numeratur, quæ referuntur ad aliud, & in primo moralium Nicomachiorum, inquit: *Præterea honorem ob id perſequi videntur, vt credant ſe ipſos bonos eſſe*. Quærunt itaque à prudentibus, & ab illis à quibus cognoſcuntur, & ob virtutem, honore affici. Ita etiam in octauo moralium Nicomachiorum amorem prætulit honori, quia honor ob aliud, amor etiam gratia ſui optatur. Cum itaque hac conſideratione dirigatur ad aliud, dicitur bonum laudabile. Quæritur quarto, num viri praui valeant probos honore afficere. Dixit Plato in Theæteto: *Neſcienti, quid laudet aut vituperet, non eſt adhibenda fides, huiuſmodi eſt vir improbus*. Soluens difficultatem dico, homines in quinque gradus eſſe diſtributos, vel enim ſunt probi, vel continentes, vel incontinentes vel improbi, vel neutri, quales ſunt pueri, qui proculdubio non vere valent honorare. Viri probi primo & proprie honorare valent. Probitas enim eſt iudex rectus ſui, & aliorum. Ideo Plato in Lachete dixit, *Optima hac laus eſt, quæ tibi nunc à viris fide dignis tribuitur, qui in iiſdem laudandi & ipſi ſunt, &c.* Viri continentes ſecundo loco. Tertio incontinentes; hi enim honorare valent, quatenus iudicium, & recta ratio in eis ſeruatur. Viri autem improbi nullo pacto honorare valent: primo, quia honorare eſt actio proba, improbus vt improbus non edit actionem probam: ſecundo, quia in improbo iudicium honeſti & veri boni deprauatum eſt. Quærere etiam iure optimo quis poſſet; cur, detecto capite, honoremus maiores noſtros? Plutarchus Chæroneus problemate 11. dixit id ſeruari, *quia honor & gloria ſunt ſplendidum quiddam, illuſtre, apertum, ac late patens, propterea detegimus caput*. Addere valemus, id fieri, quia honor eſt iudicium & ſignum virtutis, iudicamus proxime capite vt inſtrumento, & ideo caput detegimus. Itē ſuper nuditas eſt ſignum humilitatis; ideo ſuperam noſtram partem detegentes, maxime nos humiles declaramus, ac ob id etiam caput inclinamus. Non id facimus corde, quia non eſt membrum externum, quod pateat oculis: caput autem conſpicuum eſt, & vel eſt membrum abſolute primum & præſtantius, (vt cenſent Plato, & Galenus) vel maxime ſaltem pertinentia ad cor patefacit, cum cordeque eſt connexum, eminenti quodam modo ei inſeruiens (vt cenſuit Ariſtoteles & Chryſippus.) Demum quæritur, an teneamur honorem maxime expetere, de eo valde eſſe ſolliciti, & nonnunquam etiam, ne honore priuemur, mortem præeligere? Et iure de hoc ambigere tenemur. Nam vna ex parte ad honorem omnes hortamur, inuitamur,

An viri praui valeant honorare.

Quicunque conditiones hominum.

An teneamur honorem expetere.

animamur, deſiderium honoris, & timor infamiæ, dicuntur calcaria ad ſublimia nos excitantia. Ex aduerſo, à viris ſanctis & prudentibus monemur honores negligere, eos vt fumos & caligines mentem obumbrantes repellere, & tanquam Syrenas mentem ſeducentes vitare. Res itaque eſt perplexa & dubia. Cui reſpondens dico, ſi loquimur de honore pro meritis, nos teneri ſummopere, & magis quam vlla alia de re de eo eſſe ſolicitos, honor enim pro meritis, ſunt probæ munerum virtutis functiones, ſi loquimur de honore pro ſignis, dico genus humanæ vitæ eſſe multiplex, & propterea vario modo erga illum nos debere eſſe affectos. Hinc dantur virtutes duæ morales, per quas in appetendo vel magno vel mediocri honore nos recte componimur. Nam ſi homo vitam viuit ciuilem, debet moderate eſſe ſolicitus in eo appetendo & quærendo, vt eluceſcat ſua probitas, per quam exemplo ſit aliis, maiori auctoritate valeat leges ſuæ reipub. ſeruare, magiſtratibus præeſſe, cæteraque munera probi viri obire. Dico tamen, quod moderate, & non maxime tenetur illum expetere; quoniam qui maxime honorem appetunt, dicuntur negligere honorem. Et ratio eſt, quoniam ſi honorem maxime appetunt primo loco & gratia ſui, non vt ſignum & gratia alterius, illum appetunt, quod cum faciant, aberrant, conditionem eius peruertunt, & reddunt ſe indignos honore. Iure igitur dictum eſt, quod, qui nimium honorem appetunt, honorem negligunt: veluti, vice verſa, viri magnanimi cum populares negligant honores, ſe eminentioribus dignos reddunt. Quicunque autem ſolum futuram inſpiciunt vitam, diuinoque cultui ſe dicant: mundanam gloriam, mortaleſque honores, monentur vt fumos negligere, ne ſint occaſio, vt à feliciore in Deum curſu auertantur. Verum hi, cum honorem videantur negligere, heroice tamen de honore ſunt ſoliciti, quia eminentiori honoris gradu, æternaque gloria ſe dignos reddunt.

Solutio.

Qui nimium honorem appetunt, negligunt honorem.

Honorem negligentes maxime honorem quærunt.

An honor ſit magis honorantis, quam honorati.

CAP. XXXII.

Quod honor magis ſit honorati.

Eſt pulcra dubitatio, à viroque ingenuo accurate conſideranda, an honor ſit magis honorantis quam honorati, & iure profecto. Nam Ariſtoteles in 1. moral. Nicom. cap. 5. oſtendit, ſummum bonum non eſſe collocatum in honore, quia honor magis eſt honorantis, quam honorati. Quæ ſententia ideo dubia eſt, quia præmium eius eſt, cui competit res, cuius eſt præmium: honor eſt præmium virtutis, quæ non honoranti, ſed honorato competit. Inſuper eius eſt vnumquodq;, cui tribuitur: honor honorato tribuitur. Confirmatur, quia eius eſt honor, qui honore affectus denominatur: honoratus dicitur, non qui honorat, ſed ille, in quem honor confertur. Præterea honor eſt operatio tran-

Digitized by Google

tranſiens; eſt enim operatio honorantis tranſiens in honoratũ: operatio autẽ tranſiens in recipiente, non in producente ſuſcipitur, vt in tertio phyſicorum loquens de motu oſtendit philoſophus. Idipſum patet ex oppoſito. Nam vituperium, dedecus, infamia, non largientis ſed recipientis ſunt, cuius etiam ſunt vitia: oppoſitorum autem eadem eſt ratio. Ita honoris ſolicitos cernimus eſſe viros honoratos, non honorantes. Propterea Seneca Epiſt. 103. inquit: *Si laudem laudantis bonum eſſe dicitis, tam ridiculam rem profertis, quam ſi affirmaretis meum eſſe, quod alius bene valeat.* Ex aduerſo tamen, nedum Ariſt. eam ſententiam protulit, verum etiam Seneca: inquit enim in ea 103. Epiſt. *Si laudare dignos honeſta actio eſt, ita laudantis bonum eſt, cuius eſt actio, non noſtrum, qui laudamur: vt iuſtitia etiam, per quam redditur vnicuique quod ſuum eſt, præſertim viri iuſti eſſe dicitur, & laus laudantium eſt bonum, virtute enim geritur, &c.* Hinc honor & laus in facultate ſunt laudantis & honorantis. De hac difficultate inquiunt nonnulli, honorẽ re vera magis eſſe honorati, quoniam qui honoratur, præſtantiori modo cõcurrit ad conſtitutionem honoris, quam qui honorat; nam concurrit ſua virtute, tanquam finis mouens honorantem ad honorandum illum: Ariſtoteles autem dixit, *honorem eſſe magis honorantis, quia eius eſt, vt ſubiecti, non vt principalis cauſſa.* Hæc ſententia approbanda non videtur: quoniam qui honoratur, concurrit ad conſtitutionem honoris tanquam finis, ac ita mouet honorantem vt finis: actio autem non dicitur eſſe ipſius finis, ſed ſolum ipſius finis gratia, vt exercitiũ eſt ſe exercẽtis, ſanitatis gratia. Præterea honor, vt ſubiecti in quod confertur non honorantis, ſed honorati eſt: honorantis autem eſt, vt actio præeligentis, quæ actio abſolute, & præſtantiori modo eſt agentis. Ideo inquiunt alii, *formam & eſſentiam honoris, partim honorantis, partim honorati eſſe.* Rationem afferũt, quia voluptas ex honore prodiens, in vtriſq; reperitur: qui enim honoratur, lætatur, quia honor eſt ſignum ſuæ virtutis: honorans vero lætatur, quia agit quod debet, eiuſque actio honeſta eſt: magis autem dicitur eſſe honorãtis, quia nobilius eſt agere quã pati. Hęc opinio viri profecto docti eſt, mihi tamen non ſatisfacit. Primo enim verum non cenſeo, naturam & eſſentiam honoris in voluptate eſſe poſitã, ſi enim id eſſet, honor non eſſet bonum externum. Inſuper non recte ab Ariſtotele fuiſſet definitus, quia eius naturam & eſſentiam non explicaſſet. Præterea ea voluptas, non honor, ſed affectio eſt, ex honore prodiens. Et confirmatur, quia nonnulli honorantur, qui tamen ob id non lętantur. Inſuper, ſi voluptatem inſpicimus, ea frequenter maior eſt in honorato, cum ſit ſignum virtutis eius, & iucundius eſt cognoſcere ſe dignum honore, quam

Seneca.

Quod honor ſit honorantis.

Opinio quorundam.

Euerſio.

Altera opinio.

Euerſio eius.

Propria opinio. alterum iudicare talem. His accedit, quod inani ratione oſtendunt honorem magis eſſe honorãtis, quia melius eſt agere quã patiẽnã ſi ob id diceretur magis honorantis, etiam motus magis eſſet motoris, quam mobilis: cum tamen Ariſtot. aſſerat in tertio phyſic. motum eſſe actum mobilis, & in mobili. Vt igitur ſecus difficultatem diluamus, vti debemus diſtinctione in præcedentibus tradita. Dicebatur enim honorem pro quatuor poſſe vſurpari, pro meritis, pro materie, pro ſigno vt ſignũ eſt, & pro actione proba. Honor ſumtus pro meritis, eſt viri honorati, qui ab eo demi non poteſt: de quo dicimus, magis eſſe honoratum virum dignum honore ſedentem in loco poſtremo, quam indignum occupantem locum primum: ac de eodem recte dicitur, vnumquemque teneri ſui honoris eſſe acerrimum defenſorem, nec licere alicui ſuum honorem concedere alteri, nec eius eſſe liberalem: inſuper de eodem honore verum eſt, teneri vnumquemq; honorare ſeipſum & nullam actionem probam eſſe ſine huiuſmodi prẹmio, quem honorem nemo à nobis auferre valet, niſi nos ipſi, & nemo valet illum nobis reſtituere, niſi nos ipſi qui abſtulimus, & de hoc falſa eſt communis ſententia aſſerentium, neminem eſſe honoratum ſine externo ſigno. Honor ſumtus pro actione proba honorantis, eſt eius qui honorat, ob quam actionem ipſe quoq; redditur dignus honore. Honor vero ſumtus pro materie & ſigno, mediat inter honorantem & honoratum, pendet ex honorante, tranſit in honoratum, vnius eſt, vt tribuentis, alterius, vt recipientis, veluti de muneribus ſe habet: proptie tamen dicitur eſſe honorati, qualia ſunt omnia, quẹ tranſeunt à tribuente in recipiens. Cum quadrupliciter conſideretur honor, dum Ariſtot. dixit honorẽ eſſe honorantis, conſiderauit illum vt honorantis actionem, & iure profecto: nam eſſentia honoris, non in externa materie eſt poſita, ſed præſertim in iudicio, affectu, ac prælectione honorantis: externa autem materies ex euentu neceſſaria eſt, pro ſigno & oſtenſione internæ affectionis, iudicii, ac prælectionis.

Cur Deum ſine externa materie honorare magis valemus quam homines. Hinc oritur, quod Deum, qui corda reſpicit, ſolo corde, etiam ſine externa materie, honorare valemus. Eſt igitur honor, qui definitus fuit, re vera & proprie honorantis, cum ſit eius actio, ex eius conſilio ac prælectione prodiens, ſit eius perfectio, ſit iudicium eius, ac in eius poteſtate collocatus: dicitur autem bonum externum, non ex parte honorantis, ſed honorati. Quẹ dicta ſunt de honore, etiam vera ſunt de laude, ac de oppoſito vituperio, & dedecore: in omnibus enim ea quatuor conſiderantur. Ex his eliciuntur ſolutiones omnes aduerſarum rationum vt conſpicuum eſt: nam honor eſt præmium, non dum conſideratur vt actio proba honorantis, ita enim eſt officium virtutis honorantis,

Digitized by Google

honorantis: ſed præmium eſt, dum conſideratur vt teſtimonium relatum ad virtutem honorati: quod teſtimonium, ratione rei cuius eſt teſtimonium, honorati eſt; ac ita vt honorato tribuitur, in eumque tranſit per materiem honoris, honorati eſſe dicitur, & quamuis honor, vt proba actio honorantis, dicatur eſſe honorantis; non tamen ille, ſed alius in quem confertur, dicitur honoratus: quia homo non denominatur honoratus, iuſtificatus, iudicatus, laudatus, præmio donatus, ab actione & eſſentia iuſtitiæ, iudicii, laudis, honoris, & liberalitatis: ſed quia eſt obiectum, ſcopus, & finis, in quem ea tendunt; cui tribuuntur; vel cuius iudicia ſunt. Vt igitur vir iuſtus non dicitur iuſtificatus, quamuis in eo ſit eſſentia iuſtitiæ: ita honorans non dicitur honoratus, quamuis in eo præcipue inſit eſſentia honoris.

Diluuntur aduerſa rationes.

Ex his, quæ de honore hactenus dicta ſunt, nonnulla colliguntur, ac varii populares exploduntur errores.

CAP. XXXIII.

EX his, quæ cumulate ſatis de honore hactenus declarauimus, dubia varia diluuntur, multæque deprauatæ conſuetudines exploduntur. Conſtat enim primo, nos magis debere eſſe ſolicitos de tribuendo, quam de recipiendo honore; honor enim magis eſt honorantis, quam honorati: ſi ab aliis non honoramur, non propterea meritis honoris priuamur: at dum eos, quos honorare tenemur, non honoramus; erramus, & reddimus noſmet ipſos, vt minus iuſtos, ita indignos honore. Inſuper etiam conſtat, quod magis tenemur eſſe ſoliciti de non inferenda aliis iniuria, quam de non recipienda, deterius enim eſt iniuriam inferre quam ea affici; per primum reddimur praui, iniuſti, indigni honore; per alterum ſolum lædimur, non autem praui reddimur, & indigni honore. Sententia fuit Platonis in Gorgia, *maximum omnium malorum eſſe inferre iniuriam, conditionique hominis maxime aduerſum: homo enim iuuans reddit ſe ſimilem Deo, iniuriam faciens ſe à Deo longe ſeiungit.* Tertio ex declaratis colligimus: virum probum honore dignum, non poſſe ab aliis eo honore priuari; qui eius eſt internus & proprius, cuius tenetur eſſe ſolicitus, cuius non valet eſſe liberalis, per quem abſolute vir honoratus iudicatur: priuari profecto ab aliis poteſt externo ſigno, meritis autem nequaquam, ea namque in eius facultate ſunt collocata. Ex quo quarto colligimus: quod ſi eueniat, vt vir probus iniuria aliqua afficiatur, cædatur, vulneretur, verbis vilipendatur; non propterea minus eſt honore dignus, quam prius fuerit; imo, ſi cuncta patienter, ac vt decet, ferat, maiori honore eſt dignus: ſolum priuari poteſt externis ſignis, non internis meritis, per quæ abſolute vir honoratus iudicari debet:

Magis tenemur eſſe ſoliciti de tribuendo quam de recipiendo honore.

Magis tenemur eſſe ſoliciti de non inferenda, quam de non recipienda iniuria.

Platonis ſententia.

Nemo poteſt alterum proprie priuare honore.

Qui ab altero iniuria afficitur, non priuatur honore, ſed qui afficit.

cum enim honor ad ſolam actionem probam, vituperium ad improbam & iniuſtam referatur, ſolum lædi poteſt proprius honor per vitioſas actiones, non per iniuriæ receptionem. Ex quo conſtat, fatuam eſſe vulgarem ſententiam; per quam illi, qui cæduntur, dicuntur amiſiſſe honorem; & illum recuperaſſe, dum parem vel maiorem læſionem in alterum intulerint, imo oppoſitum dicere debemus, quod ſemetipſos honore priuarit, quia iniuriam inferunt: ſi enim inferunt iniuriam, in iniuſtitiam & ſcelus labuntur, per quod homines vitioſi, & ferè infames redduntur. Solum contingere poſſet, quod qui læditur, forte ab aliis iudicaretur iure lædi, & vera eſſe maledicta in eum prolata: ideo ei ſolum laborandum eſt pro patefacienda veritate, eique ſatis eſſe debet aliis notum reddere, ſe iniuria fuiſſe læſum & laceſſitum. Inſuper, ex recto iudicio, rectaque honoris cognitione conſtat, per vitioſos conſanguineos, perque impudicas vxores, viri probi honorem non minui, niſi ipſe erroris, & vitii præbuerit occaſionem: vir enim probus non tenetur rationem reddere, niſi eorum, quæ in illius facultate ſunt poſita: dominus eſt vnuſquiſque ſuarum actionum, ad quas cum ſolum pertineat honor, iure optimo non per alterius, ſed ſolum per proprias actiones homo honore & vituperio dignus iudicari debet. Hoc tamen verum eſt, quod per vitia & infortunia coniunctorum minui in parte & obumbrari poteſt ſummum bonum hominis hanc vitam viuentis, priuari autem ob id meritis honoris nequaquam poteſt: vnuſquiſque enim eſt faber ſuorum meritorum honoris, vel infamiæ. Ex quo etiam aperte elicimus, non poſſe principes, nec alios cuiuſuis ordinis & conditionis homines, honorem de quo loquimur pro meritis ſumtum auferre, tradere, vel reſtituere aliis, nec in componenda pace honor poteſt relinqui in pectore principis: non enim ex principe pendent merita honoris ſubditorum, per quæ honorati vel infames iure dici debent. Solum valent principes mutare opiniones populorum, male ſentientium de honore alicuius, & iudicium tradere meritorum honoris: ac non re vera hominem honore proprio afficere, vel priuare.

Exploditur popularis opinio.

An per impudicitiam coniugis honor mariti minuatur?

Ex vitio alterius non minuitur honor alterius.

Principes non valent reſtituere vel auferre honorem.

Quæ præcipue in componendis litibus ad honorem pertinentibus inſpicienda & conſideranda ſint.

CAP. XXXIV.

PAx & concordia, ſunt munera diuina & ſaluberrima, propterea vnuſquiſque recte affectus ſummopere tenetur de illis eſſe ſolicitus: & quoniam magna ex parte lites prodeunt ex diſcrimine honoris, & vituperii, propterea pro illis componendis, præter ea quæ de honore dicta ſunt, alia quoque accurate ſunt conſiderāda. Primo ſciendum eſt, quod aliud eſt læſio, aliud hono-

honoris amiſſio: læſio eſt latior, & poteſt nobis inferri, cum á nobis, tum ab aliis; honoris vero meritum ſoli nos á nobis valemus auferre: omnis amiſſio honoris eſt læſio, non contra. Læſio quæ nobis ab alio infertur, per iuſtitiam corrigi debet. Ea læſio vel pertinet ad bonum vtile, vel delectabile, vel honeſtum. Si ad bonum vtile, vel delectabile, valemus illam ſine virtutis læſione ac dedecore negligere, quam ſi negligere nolumus, debet ea per regulas iuſtitiæ corrigi; qua de re dubitatio non eſt. At ſi pertinet ad bonum honeſtum, id à viro probo accurate eſt conſiderandum, ne vlla ex parte in eo dedecoris vlla nota inuratur. Quod vt recte fiat, animaduertendum eſt, quod homo ſex modis conſiderari poteſt: primo, vt opus naturæ: ſecundo, vt animi ſui formator, ſuorumque morum inſtitutor: tertio, vt ciuis reipub. ſub principe collocatus: quarto, vt princeps, vel in magiſtratu conſtitutus: quinto, vt Dei proles ſub Deo principe collocatus, ad eumque ſolum aſpirans: ſexto, vt miles, artique militari incumbens, vt variæ ſunt hominis conſiderationes, ita varia ſunt eius officia. Si primo conſideratur, vt opus natura elaboratum: quia per naturam recipit eſſe, & facultates ſe conſeruandi; ideo per naturam tenetur ſe pro viribus tueri, vim vi repellere, læſioneſque propulſare, & qui id non faciunt, aduerſantur legi naturæ, ac vt naturæ proles aberrant: hæc lex communis eſt homini & feris, hanc ſequitur hominum multitudo, ex hac regulas ſuæ vitæ recipiunt viri vulgares, per hanc populari quadam conſuetudine lites componuntur, & dantur regulæ pacis, quæ longe diſtant à propria hominis conditione. At ſi ſecundo conſideratur homo, vt liber, ſuorumque morum inſtitutor; ita tenetur ſe ornare virtute morali, actioneſque edere conſentaneas virtuti, ad quas pertinet honor, præmium virtutum moralium; ac vt talis contrahit, exactiuſque format leges naturæ, vtque talis, nequaquam honore priuatur, ſi vim vi aliquando non repellit. Dum tertio conſideratur, vt ciuis reipublicæ, tenetur leges eius ſeruare; ac vt talis, tunc honore priuatur, dum leges illas non ſeruat. Quarto dum conſideratur, vt princeps, tunc honore priuatur, dum leges recte non condit, vel eis vt decet non præeſt. Quinto ſi conſideratur, vt ſub Dei regno conſtitutus, ad illumque ſolum aſpirans, tunc neglectis aliis, ſolum tenetur Deo pie ſubeſſe, eique ſoli obtemperare. Demum ſi conſideratur, vt artifex, & præſertim vt miles, tenetur ſuæ artis inſtituta exacte ſeruare. Hinc prodeunt ſex honoris ordines: primus naturæ, ſecundus morum, tertius ciuilis, quartus regius, quintus diuinus, ſextus militaris. Homines varii de vario honore ſunt ſoliciti, ob varietatem vitæ quam viuunt, & læſiones ad varium honoris gradum pertinere poſſunt: hoc tamen cōmune eſt quinq; primis, vt ſolus

Aliud læſio & honoris amiſſio.

Læſio triplex.

Sex hominum conditiones.

Vt ſex conditiones, ita ſex officia.

Fas eſt pellere vim vi, Armaq; in armatos ſumere iuſta viros.

Sex honoris ordines.

Digitized by Google

Quatuor gradus præſertim conſiderandi.

vnuſquiſque valeat ſeipſum honore priuare. In componendis litibus quatuor gradus tenemur conſiderare, ad quos rediguntur alii, Dei nempe, morum ciuilium, artis militaris & naturæ. Si in ſolum Deum neglectis aliis aſpiramus, vt faciunt ſinceri Chriſticolæ, & recte inſtituti ſacerdotes; tunc omnis læſio mortalis ſublimi animo eſt deſpicienda, nil tenemur odio proſequi niſi vitiū, omnes homines, etiā nobis aduerſos, tenemur diligere, ſola conſcientia recti, infallibilique iudicio Dei, tenemur eſſe contenti: ac ita ſemper cum Deo nobiſcum, & cum hominibus pace fruemur: quia nil externorum valet diuinum hunc honorem nobis interturbare. At ſi homo conſideretur, vt eſt compoſitum, natura conſtans, quod eſt commune omnibus hominibus: ita tenetur ſe ac ſuos pro facultate ſeruare, & quicunque id non facit, dicitur non ſeruaſſe ea quæ illum decent, & aduerſari honori naturæ: & inde oritur cura, quam habemus de læſionibus ad corpus pertinentibus, necnon de earum compoſitione. Et dum aliquis ita læditur, & vult ſe ab ea dedecoris nota deliberare, non valet id proprie efficere per alterius ſolam ſummiſſionem & humilitatem; vel quia alter ob ea petat, vt illi parcat, vel quia ſe libere in eius poteſtatem tradat: nam læſio ſui honoris in hoc erat poſita, quia læſus ſe vilem impotentem, nec viribus ei æqualem patefecerat; à qua ſuſpicionis nota, per alterius ſummiſſionem & humilitatem, non liberatur: ſuſpicio erat de honore pertinēte ad gradum naturæ; humilitas autem non ad naturæ, ſed ad gradū moralem pertinet. Solū proprie id facere poteſt: vel ita vt appareat, ſe cum maiori inæqualitate ſiue armorum, ſiue ſociorum, ſiue ætatis, ac ſimilium fuiſſe læſum; æqualis enim æquali, & vnus vni tenetur reſpondere; quoniam (vt inquit Plato) ne Hercules quidē contra duos. Vel ita vt conſtet, id fuiſſe factum in loco, vbi ei non licebat ſuis viribus vti, vel ob pręſentiam principis; vel quia locus erat ſacer, vel ob alia huius generis: & niſi adſit aliquid horum, tunc non valet ſe ita natura potentem vt alterum oſtendere, niſi ad aliquod naturæ certamen confugiat; nam de honore naturæ eſt lis. Certamina naturæ ſunt ſine armis, per ſola naturę inſtrumenta; qualis eſt lucta, palæſtra, pugilis pugna, & ſimilia, his patefacimus vires & præſtantiam naturæ: At dum id facimus, infra ciuilem conditionem deprimimur, & in eo verſamur, quod eſt commune iumentis & feris. Tertio, ſi homo conſideratur vt vir probus & ciuilis, ſupra iumenta collocatus, tunc conſiderandus eſt honor in præcedentibus declaratus, quo tantum per improbas noſtras actiones priuari valemus, & ex eo deſumendę ſunt regulæ pertinentium ad illum. Nam ſi lædimur, hoc ſolum viro probo debet eſſe ſatis, vt conſtet ſe iniuria læſum fuiſſe; ex eo enim ſtatim ab infamia liberi iudicari debemus, & ſolus ille, qui læſit, re vera

Homo vt ad ſolum Deum aſpirans.

Homo vt natura conſtans.

Certamen naturæ.

Homini probo læſo quid agendum.

vera remanet ignominia dignus; cum à iuſtitia receſſerit Vir probus, dum læſionem negligit, operatur per magnanimitatẽ, nam (vt inquit Ariſt.) viri magnanimi eſt, iniurias magno animo ferre: Si vero non iudicat eam eſſe negligendam, confugere debet ad iudicem pro emendatione delinquentis & ſalute legum: grata ei debet eſſe humilitas & ſummiſſio eius, qui læſit, quia ſic lędens ſe à vitio purgat, & iniuria id ſe feciſſe confitetur. Si demum homo conſideratur, vt miles, & refertur ad recte inſtitutam militiam: profecto bonus miles, & bonus vir, inter ſe opponi non dicuntur: At dum ſolum conſideratur vt miles, vel potius quaſi Athleta, tunc priuatur honore militis, dum in arte ſua alteri ſuccumbit, officiumque militis non pręſtat: & hic eſt ille vulgaris honor, qui ſingulari certamine decerni poteſt. Ita conſtat, quid agẽdum ſit, dum conſideramus diſtincte gradus honoris. At quia homo non eſt quid ſimplex, ſed mixtum, in quo omnes enumerati gradus inueniuntur: propterea niti debet, vt per attinentia ad gradum ſuperiorem contrahat & formet inferiorem, per attinentia ad gradum moralem & ciuilem formare debet attinentia ad gradum naturæ, & per attinentia ad gradum diuini honoris, diuinæque legis, debet formare attinentia ad mores, & naturam: & præſertim, quia inferiores ſine ſuperioribus ſunt honores æquiuoce non re vera honores, cum non reſpiciant proprie ſumtam virtutem, cuius honor dicitur præmium. Verum, quia homines magna ex parte ſequuntur naturam, & viuunt vitam ſenſuum communem feris, potius quam vitam propriam; inde confuſio, abuſus, & peruerſio prodit attinentium ad honorem. Hæc quæ dixi, tenentur facere viri ciuiles de vero honore ſoliciti, dum læſione aliqua afficiuntur. At quia non læduntur homines ſinguli ſine læſione legum, principis, & Dei: propterea principes de vniuerſo bono ſoliciti, ita læſi, vt ſuo fungantur munere, tenentur ſingulorum læſiones per iuſtitiam æquare: & niſi id fiat à principe vrbis, ſaltem fiet a iuſtiſſimo principe orbis, cuius infallibile iudicium nil ſubterfugere valet. Ex his, quæ partim hoc in loco, partim in conſideratione ſingularis certaminis dixi, varia colligere valemus, ſatis humano generi vtilia. Colligo primo, ſingulare certamen, quod elapſo tempore frequens erat pro recuperãdo vel ſeruando morali & ciuili honore, eſſe ab hominis conditione ſummopere alienum, maximeque pugnans cum principiis & fundamentis honoris. Colligo ſecundo, quod, cum quatuor in vrbe præſertim reperiantur hominum conditiones; ſacerdotes nempe, ciues, cuſtodes, & ſerui, eis recta ratione reſpondent ea quatuor, quæ dixi de quatuor principalibus honoris conſiderationibus, per quas omnia componi, recteque dirigi poſſunt. Tertio elicere valemus, vnde ortum duxerit deprauata

Vnde oriatur confuſio attinentium ad honorem.

Nulla læſio ſine adæquatione.

Primum quod colligitur.

Secundum.

Digitized by Google

ſingularis certaminis conſuetudo: putandum enim eſt ex eo emanaſſe, quia hominum multitudo magna ex parte deſtituta eſt virtute animi, ad quam pertinet verus honor: ideo vitam ſenſuum viuentes, ſolamque corporis virtutem cognoſcentes, per eam falſo putarunt menſurari abſolutam virtutem hominis, ac ita per inferiores gradus deformarunt ſuperiores, cum contra tenerentur per ſuperiores formare & corrigere inferiores. Hi non ſecreuerunt virtutem militis, vt miles eſt, ab ea viri moralis & ciuilis, & ex eo, quod quis melior eſſet miles, inferebant eſſe meliorem virum: & id ipſum eis contingit, quod contingeret duobus pictoribus, qui inter ſe de præſtantia in arte pingendi armis contenderent; adeo vt qui alterum ſuperaret, melior pictor iudicandus eſſet, quod maxime à ratione eſt alienum. At dicet quis: num abſolute ſingulare certamen cenſeri debeat aliquid vtile, aliquid commendatione dignum, vel inutile penitus? Soluens, paradoxum profero apprime verum, quod eſt. Verum ſingulare certamen eſt aliquid vtile approbandum, & ſummopere ſalutare. At quid eſt hoc verum ſingulare certamen? Proculdubio certamen attinet ad ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis & gradus, & debet fieri per actionem propriam, & arma propria ad eum gradum pertinentia: ac ita, quo gradus fuerit eminentior, eo ſingulare certamen præclarius erit & vtilius. Sic corpora, quæ natura conſtant, inter ſe per naturam vtiliter pugnant, calido, frigido, & viribus corporis: artifices inter ſe pugnant de attinentibus ad propriam artem, dum vterque eorum, recte efficiendo opus ſuum, nititur alterum ſuperare. Pugnat miles recte vtens arte ſua præclara & ingenua, dum non repugnans legibus dimicat pro ſalute patriæ & principis ſui, ita vt nemini ſe oſtendat ſecundum: pugnant diſcipuli, ſcholares dicti, dum cura, ſtudio, attentione, & requiete cæteris præſtare nituntur, ac ita vere ſe dignos reddunt honore, quo ſe priuant tumultuoſi & negligentes. Pugnat vir probus & ciuilis armis ſuis, dum ſua virtute ciuili nititur eminere aliis: dimicant principes vt principes, ac armis & virtute principis, inter ſe, dum ſeruando ius & æquum nituntur præſtare cæteris. Demum dimicant viri religioſi proprio certamine, propriiſque armis, dum obedientia, pietate & caritate ſe nemini ſecundos reddere nituntur. Hoc eſt verum ſingulare certamen, naturæ conſentaneum, cœtui hominum vtile, & Deo gratum, quo, nedum vnus cum vno, ſed vnus cum multis dimicare valet, & in victoria ſummum bonum illius gradus, & conditionis hominum eſt collocatum.

Paradoxum. Verum ſingulare certamen optimum eſt.

De

De pulcro opinio Platonis. CAP. XXXV.

INter munera naturæ & bona corporis conſpirantia ad cõſtitutionem ſummi boni hominis hanc vitam viuentis, etiam pulcritudo enumeratur, quam comitatur gratia, ideo viri ciuilis officium eſt. Pertinentia quoq; ad pulcritudinem & gratiam aliqua ſaltem in parte non ignorare: quę conſideratio ſaltẽ munere rei, de qua eſt, non niſi pulcra & gratioſa eſſe poteſt. Et quoniam pulcritudo antecedit, ideo ab ea ordiar, mox de gratia eius comite verba faciam. Plato vnum, bonum & pulcrum ita iuncta eſſe cenſuit, vt vnum ſine altero reperiri non poſſe exiſtimauerit. Deum dixit eſſe ipſum vnum, ipſum bonum, ipſum pulcrum, hæc enim in Deo ſunt ipſemet Deus: vnum eſt tanquam caput, bonum eſſentia, & finis, pulcrum eſt ſplendor inde fulgens: Deus, vt vnus, omnia dulciſſime nectit: vt bonus, cũcta procreat ac perficit: vt pulcer, excitat, inuitat, & allicit. Pulcritudo, cum ſit ſplendor, admirationem excitat; ideo Deus, vt pulcer, admirationem, amorem, & deſiderium parit. Vt bonus, deſideria explet, amoremque perficit. Vt vnus, cuncta eminentiſſime, quamuis apud nos pugnantia, feliciſſime ligat. Deus eſt eminentiſſima illa trinitas vnius, boni, & pulcri, tanquã origo & principium; mens vero, & ſingulæ eius ideæ, ſunt tales per propriam formam anima per rationes: natura per ſemina. Demum vmbrę in materie, per imitationem & participationem. Primũ pulcrum abſolute eſt ipſe Deus. Primum nobis eſt conflatum ex materie & vmbris, ideo nos per vmbras excitemur ad vere pulcrum, ad quod per gradus intermedios eleuamur. Euenit tamẽ frequenter, vt vmbræ nos decipiant: quod præſertim illis accidit, qui viuentes vitam ſenſuum, in vmbris tanquam in veris formis perſiſtunt, eaſq; iudicant ſummum bonum, ac illas quaſi finem vltimum amplectuntur & colunt. Iure eminenti ratione factum eſt, vt ea tria inſolubili nodo ſint iuncta: cum enim pulcrum illud ſit, quod allicit & inuitat, vnumquodq; inuitari debet ad ſuum bonum: id autem, quod eſt bonum, eſt ſimpliciſſimum, ab omni oppoſitione liberum, & ſũmme vnum: quæ cum ſoli competant Deo, iure & vnum, & bonum, & pulcrum, ſunt eſſentia & natura eius. Inſuper quoniã eminentiſſima illa trinitas eſt principiũ omnium, & cetera ſunt proles eius, proles ſeruare debet charecterem ſui parentis, & præ ſe ferre ſpecimẽ aliquod eius Propterea vnum quodque, quo pulcrius eſt, eo debet cẽſeri melius, eoq; exiſtimari debet generoſior proles primi parentis, & quicunque pulcrum appetit, latenter nil appetit, niſi Deum, qui fons eſt pulcrorum omnium: vt ex aduerſo materies deformitatis eſt origo, & quodam modo ipſamet deformitas.

Opinio Platonis.

Deus ipſum, vnum, bonũ & pulcrum.

Deceptio ex vmbris prodiens.

Cur bonum pulcrum & vnum iuncta ſint.

Res pulcra ſunt filij generoſiores Dei.

Præterea cum ipſum bonum & pulcr[um] ſit ſpecies & forma ſuprema, ſiue formæ & ſpeci[ei] origo, in[de] oritur, quod vnūquodque. vt magis eſt pulcrum, ita for[m]oſius & ſpecioſius dicitur, quaſi pulcritudo & ſpecies idem ſin[t]: ac propterea; dum forma abſolute dominatu[r], compoſitum conſurgit formoſum, deforme vero, dum dominatur materi[es], deformitas enim eſt tetra quædam imago mali, & receſſus á forma. Percipitur pulcritudo corporis externis ſenſibus, ve[r]a autem pulcritudo ſola acie mentis iudicatur: propterea op[o]rtet, vt in nos reuocemur, ac auocemur ab externis, ſi vere pu[l]crum inſpicere optamus. Pulcritudinem ex ſententia Platon[is] ita definiendam cenſeo: Pulcritudo eſt vitalis fulgor ex ip[ſ]o bono manans, per ideas, rationes, ſemina, & vmbras effuſus, animos exci[t]ans vt per bonum in vnum redigantur. Per hanc definitionem omne genus cauſſę elucefcit. Summopere igitur Plato pulcrum cum bono iunctum cenſuit: vt conſtat ex Menonę, vbi omne bonum eſſe pulcrum affirmauit: ex Alcib. primo, vbi aſſeruit, quo aliquid bonum eſt, eo eſt pulcrum: ex Protagora, quo loci dixit; *Quod eſt ſapientius, id eſt pulcrius.* Propterea Lacedæmones hoc ſolum à Deo deprecabantur, vt pulcra cum bonis eis tribueret. Sed pulcra oritur dubitatio: cum pulcrum ita cum bono ſit iunctum, num pulcri & boni ex ſententia Platonis vna ſit idea, vel potius duæ diſtinctæ. De qua difficultate multa dicuntur ab Academicis, & variæ ſunt eorum ſententiæ. Plato in Hippia fere ſimilem mouit difficultatem; dubitauit enim, an pulcrum & bonum ſint idem: & præſertim huic parti hærere videtur, vt idem ſint. Cui difficultati breuibus reſpondens, dico primo: boni, pulcri, & vnius non ita dari ideas, vt cæterorum, quæ ſunt propriæ naturæ rerum. Vnum enim, bonum, & pulcrum, ſunt conditiones communes principij & capitis idearum, & ſunt tanquam ſpiritus & nerui, qui per omnes ideas effunduntur: quælibet enim idea eſt vniformis, boniformis, & pulcriformis, vt dum agam, de idea boni, manifeſtabo. Addo ſecundo, ſi late vſurpetur idea pro quauis diſtincta ratione rei, vt frequenter apud Platonē vſurpatur, ſic eorum quoque trium dantur ideę, quę & vna, & tres eſſe dicūtur: vna quidem, quia eadem illorum eſt eſſentia, nec vna ſeorſum ab alia vnquam reperitur: tres vero, quia earum diſtincta eſt ratio; ac ita conſurgit trinus, & vnus Deus. Quod ratio ſit diſtincta, patet: quia eorum diſtincta traditur definitio, & multa non appetunt pulcrum, cum tamen omnia dicantur appetere bonum. Inanima corpora bonum appetunt, non pulcrum. Ex his conſtat reſolutio difficultatis. Conſtat inſuper, quomodo bonum & pulcrum cunctarum rerum in eo poſitum ſit, vt Deo ſint ſimiles. Ex quo etiam conſpicua ratio refulget, cur pulcrum tam

[For]ma ... [pulcri]tudo ... [co]nſurgit.

Definitio pulcritudinis.

Plato pulcrum cum bono iunxit.

Lacedæmones.

An pulcri & boni vna ſit idea.

Solutio.

Cur pulcrū vehementē excitet appetitum boni.

Digitized by Google

tam vehementem amorem, affectionem, ac deſiderium boni pariat. Cum enim ſit fulgor ſummi boni, quod potentiſſimum eſt omnium, iure optimo id efficere valet: propterea quo creatura eſt ſublimior, exactiusq; cognoſcit, eo vehementius amat & appetit; & vehemens hic amor ſignum eſt animi recte affecti. Nuncupatur pulcrum à Græcis καλόν. Ait Proclus in libro de anima & Dæmone, ita fuiſſe dictum; vel ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quia prouocet & inuitet; vel ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, hoc eſt, quia permulcet intuentes: qua voce ſignificatur officium pulcri, quod eſt inuitare & excitare: animus enim per vmbras excitatus, aſcendit per ſemina, rationes & ideas vſq; ad fontem pulcri, in quo ſolo deſiderium explet, & feliciſſime requieſcit.

Pulcrum vnde dictum.

De pulcro opinio Ariſtotelis. Cap. XXXVI.

ARiſtoteles de pulcro loquens, longe ſecus ac Plato viſus eſt ſenſiſſe; ſtatuit enim bonum & vnum, latius & communius, quam pulcrum: propterea multa dicuntur bona, quæ tamen pulcra non iudicantur. Cenſuit de ratione pulcri præſertim tria eſſe; ordinem ſcilicet, commenſurationem & ὡρισμένον, hoc eſt, definitam molem; nam in 13. metaphyſicæ, cap. 3. has ait eſſe præſertim ſpecies pulcri: verum ita ſunt ſpecies, vt ſimul iunctæ vere pulcrum conſtituant. Pulcrum ad hęc ſe habet, tanquam affectio quædam, & ſplendor ex eis conſurgens; ex ordine enim, commenſuratione, ſiue recta ratione, & congruentibus terminis, pulcritudo conſurgit. Propterea inquit Ariſtot. in 10. Nicomachiorum, cap. 4. pulcritudinem voluptati proportione reſpondere: vt enim ex actione conſurgit voluptas, tanquam perfectio eius; ita ex ordine terminis, & commenſuratione, pulcritudo. Inſuper in ſeptimo phyſicorum, contc. 17. pulcritudo dicitur in relatione poſita, non ſecus ac ſanitas, robur, & quæuis alia virtus. & iure profecto: ea enim ex partium recta ratione conſurgit; congruenteque ratione ei reſpondet, cui ſatisfacit, & à quo iudicatur. Cum de ratione pulcri hæc tria ſint, quæ retuli: ac ea vel corporibus, vel rebus ad corpus attinētibus congruant; iure his ſolis proprie & primo competit pulcritudo: quæ ſi transfertur ad alia, eis tantum competit per metaphoram, & ſimilitudine quadam. Percipitur corporea pulcritudo primo ſenſibus præſertim viſu ac auditu. Quā ptinet ad viſum, cōgruens illa ratio: ex qua pulcritudo conſurgit, verſari poteſt, vel inter varios colores; vel inter magnitudines partium varias, & figuras; vel demum inter omnia hæc, vt ſibi mutuo recta ratione reſpondent. Quatenus vero pertinet ad auditum, conſideratur congruens ratio inter acutum & graue. Quæ congruentes rationes; primo confuſe per externos ſenſus percipiuntur,

Quæ pulcrū conſtituunt.

Cur pulcritudo dicatur poſita in relatione.

Pulcritudo in corporibus inſpicitur.

mox exactius per phantaſiam, exactiſſime demum per rationem & mentem. Reperitur ea congruens ratio & pulcritudo; primo cõſpicue (vt dixi in corporibus & vocibus,) mox latenter in animo ſcientiis & virtute ornato: præſertim tamen virtus ſanitati, ſcientia pulcritudini corporis proportione reſpondet.

Quomodo pulcritudo ad commenſurationem ſe habeat.

Pulcritudo a congruente commenſuratione, ordine & terminis, ſola ratione diſtinguitur; nõ ſecus ac propria affectio, ab eo cuius eſt affectio: propterea pulcritudo aliquando dicitur congruens ratio partium, aliquando vero aliquid ex ea cõſurgens, vtrumque enim recte dici poteſt.

Conſideratur locus 13. metaphyſica.

Inquit Ariſtot. 13. metaph. cap. 3. *bonum & pulcrum differre; bonum enim ſemper in operatione, pulcrum autem etiam in immobilibus locum habet.* Quæ ſententia vera eſt, non de bono, quod cum ente conuertitur: ſed de bono pro actu ſecundo, vel ad actum ſecundum relato; quod vel eſt finis actionis & motus, vel fini conducit, quale eſt bonum morale & phyſicum.

Colligitur primo.

Secundo.

Ex his varia ex ſentẽtia Ariſtotelis elicere valemus. Colligo primo, nullum ſimplex, vt ſimplex eſt, eſſe pulcrum; ſed tantũ poſſe eſſe principium pulcri: non enim in ſimplici ordo, & commenſuratio reperitur. Colligo ſecundo, pulcrum partim eſſe cõmunius, partim minus commune bono: Communius dicitur 13. metaphyſicę, cap 3 nam eſt communius bono ad actionem pertinente, & pro fine motus ſumpto: Eſt tamen minus commune bono late ſumto; nam ſimplicia bona ſunt, nõ pulcra, & bonum cum ente conuertitur, non pulcrum. Ideo Ariſtoteles in primo Nicomachiorum diſputans contra ideam boni ait, *bonum in omni prædicamento reperiri; cum tamen pulcrum non in omni reperiatur:*

Definitio pulcritudinis.

Inſuper bonum principale eſt ſubſtantia; pulcritudo autem partim qualitas, partim relatio dici poteſt. Definitur pulcritudo à Peripateticis vario modo. Auerroes in ſeptimo phyſ. cont. 17. inquit; *Pulcritudo eſt proportio inter membra media & extrema.* Alii inquiunt, quod ſit commenſuratio partium inter ſe, & ad totum. At ſi eſt partium inter ſe, etiam eſt ad totum: inſuper hæc etiam in corpore paruo locum habet, in quo ex ſententia Ariſtotelis non reperitur pulcritudo. Cenſerem ego ex ſententia Ariſt. 13. metaphyſicæ ita eſſe definiendam; *pulcritudo eſt perfectio compoſiti, ex congruente ordine, menſura, & ratione partium conſurgens.* Cuius definitionis explicatio ex dictis ſatis eſt conſpicua.

Plotini inſtantia.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Hanc cenſeo fuiſſe ſententiam Ariſtotelis de pulcritudine. Plotinus pro Platone pugnans, Peripateticorum de pulcro ſententiam paruipendens, tribus præſertim rationibus eam euertere nititur. Primo, quia tunc nil ſimplex, ſed tantum compoſita eſſent pulcra. Secundo, quia partes non eſſent formoſæ, ſed ſolum totum, ac ita ex non formoſo formoſum fieret. Tertio, quia frequenter, eadem ſeruata partium ratione, facies modo pulcra, modo

Digitized by Google

modo non pulcra apparet. At hæc leuiſſima ſunt. De primo dico, id non eſſe abſurdum: nam fatentur Peripatetici, ſimplicia non dici pulcra; niſi per metaphoram & eminentiam, quatenus pura & præclara ſunt. Similiter partes vt partes non ſunt pulcræ, niſi obtineant rationem totius; vt oculus eſt pulcer, quia ex variis conſtat: vt enim ex materie & forma non grauibus conſurgit compoſitum graue, ita ex ſimplicibus carentibus commenſuratione & pulcritudine totum pulcrum & commenſuratum conſurgit. Eadem facies nunquam ex non pulcra apparebit pulcra, niſi facta aliqua permutatione in partibus eius. Ariſtotel. itaque ſequens popularem & communem loquendi modum, pulcritudinem in compoſitis & corporibus conſiderauit: de qua pulcritudine variæ ſententiæ veræ ſunt; veluti quod ſit breuis tyrannis, blanda deceptio, eburneum detrimentum, regnum ſolicitum, flos facile cadens, amica inimicitia, concors diſcordia, ſplendor fugax, dulcis ſenſuum laqueus, & ſimiles. Inſuper cum pulcritudo in commenſuratione & quodam Geometrico medio ſit poſita, ea commenſuratio ob varietatem officii & conditionis rei varia eſt: propterea varia eſt pulcritudo pueri, viri & ſenis; maris & fœminæ, oculi & oris. Dum dicimus pulcritudinem cum ceteris bonis conſpirare ad cōſtitutionem vitæ felicis, non denotatur pulcritudo mollis & effœminata; ſed ea, quæ viro cōgruit, quæ indicium eſt animi præclari; per quam homo aliis redditur gratus, & ad actiones virtutis accommodatus: de qua dicimus, primam & præclaram formam dignam eſſe imperio, & in corpore obliquo animam rectam non reperiri. Et hæc de opinione Ariſtotelis: An autem cum Platone conciliari poſſit, tunc patebit, cum de gratia verba fecero.

Solutio prima.

Solutio ſecunda.

Solutio tertia.

Communes quædam ſententiæ de qua pulcritudine vera.

De gratia, quotuplex ſit. CAP. XXXVII.

TAM ſublime & gratum eſt gratiæ nomen; vt non iniuria, quicqd in vniuerſo dulce & precioſum reperitur, id gratiæ nomine honeſtari ſummopere cupiat. Vſurpatur autem nomen gratiæ potiſſimum tripliciter. Primo pro dilectione; at nō quauis, ſed ea qua ſuperior inferiorem diligit. Ita dicimus viros probos eſſe in gratia Dei, populum in gratia principis, ſimiliter de ceteris, non autem Dominum dilectum à ſeruo, diceremus eſſe in gratia ſerui. Ratio eſt, quia ſuperioris officium eſt gratias impartiri, non autem inferioris; & gratia ſemper principatum ſeruat & indicat. Vſurpatur ſecundo gratiæ nomen, pro officiorum vel beneficiorum retributione vel collatione: de qua Auſonius:

Gratia triplicitet vſurpatur.

Prima acceptio.

Secunda.

> *Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt;*
> *Quæ fieri properat, gratia grata magis.*

ed by Google

Poſſumus autem conferre beneficia ac officia, vel in eos quibus debemus, à quibus primo beneficia recepimus, cui opponitur ingratitudo; & hæc nō proprie gratia eſt, ſed potius recompenſatio, & debiti ſolutio. Vel ſecundo ea conferre poſſumus in eos, quibus minime debemus; quod facere valemus ob duplicē finem, nempe: vel quia maius beneficium nos inde recepturos ſperamus, vt frequenter accidit; at hæc mercatura potius, quam gratia iudicari debet: vel id facimus ex animi ꝓbitate & fœcunditate, quia honeſtū eſt alteri opem ferre, & ſe gratum aliis dum opus fuerit, declarare; quod liberalitatis & magnificentiæ eſt officium; & hæc proprie & præcipue digna eſt nomine gratiæ.

D. Paulus.

Ideo Paulus ad Romanos quarto, inquit: *Ei qui operatur, merces imputatur ſecundum debitum, non ſecundum gratiam.* Huiuſmodi

Cui gratia primo competit.

gratiarum effuſio, Primo & vere ſoli competit Deo; quia ille ſolus alio non eget, ex alio non pendet, pro ſe ab alio nil ſperat: ꝓpterea vere gratiarum eſt viuus fons; à quo primo manat gratia gratis data, mox gratia gratum faciens; ſiue gratia operās & cooperās; præueniens & ſequens, nam, dum homo comparatur cum Deo, homini abſolute debitum conuenit, Deo autem gratia. Cōpetit ſecūdo gratiarum diſtributio cœlo & naturæ. Tertio iuſtis, & magnanimis principibus. Demum aliis, ſemper ſeruans eminentiam ac præſtātiam quandam largientis erga eum

Ariſt. videtur ſibi aduerſari.

cui largitur. Sed conſpicua ſatis in Ariſt. apparet controuerſia: nam in ſecundo rhetoricorum inquit, *retributionem beneficiorum re vera non eſſe gratiam*: mox in quinto moralium Nicomachiorum, cap. 5. inquit, *conſueuiſſe veteres gratiarum templum in propatulo vrbis conſtituere, vt fiat remuneratio, hoc enim gratiæ proprium eſt, &c.* Inquit itaque proprium gratiarum eſſe retributionem, quam tamen in rhetoricis inficiatus eſt eſſe gratiam. Propterea rectius forte dixiſſet, ſi aſſeruiſſet, id fuiſſe factum, vt homines per veram gratiam redderentur faciles ac promti ad bene merendum.

Defenditur Ariſtot.

Valemus tamen pro Ariſtotele dicere, ab eo id fuiſſe pro cauſa aſſignatum, quod magis eſt neceſſarium ad iuſtitiam & ſalutem reipublicæ; niſi enim fiat compenſatio, conſurgit ingratitudo & iniuſtitia pernicioſiſſima vrbi, & vſum fuiſſe gratiæ nomine late.

Tertia gratiæ acceptio.

Tertio vſurpatur gratiæ nomen pro ea venuſtate & lepore, qui cum pulcritudine arcto neceſſitudinis nodo eſt colligatus: in qua ſignificatione gratiæ celebrantur ancillæ Veneris.

An gratia ſit nomen æquiuocum.

At cum gratiæ nomē tria præſertim ſignificet, pulcra eſt dubitatio; an ſit vox pure æquiuoca, vel potius ab vno, & ad vnum? Inſuper, ſi eſt vox ab vno, de quo prius, de quo poſterius dicatur? Breuibus difficultati ſatisfaciens dicendum cenſeo, gratiæ nomen (vt tria iſta ſignificat) minime eſſe pure ęquiuocum, ſed primo vni competere, mox inde transferri ad alia Nam primo quidem

Digitized by Google

dem gratia de munerũ diſtributione dicitur, cui ſuccedit gratia de lepore & venuſtate dicta, tertio loco transfertur ad eã ſumtã pro dilectione. Quod ex eo facile conſtat, quia ſi in Deum gratiarum fontem conuertimur; primo conſideramus ab eo munera manare, per quæ tenemur ei gratias referre: ſecundo in rebus ab eo productis conſideramus venuſtatem prodeuntem, vel ex gratia gratis data, vel gratum faciente, quæ eſt, tanquam ſpiritus & vita, per quam res Deo & animis recte affectis gratæ ſunt: Inde poſtremo conſurgit gratia ſumpta pro dilectione, quæ gratia dicitur, quatenus conditiones rei dilectæ ſunt gratæ diligenti. Primo itaque gratia dicitur de ea, quæ officiorum & munerum eſt parens. Secundo, per munera rebus pulcris competentia, res pulcræ gratioſæ dicuntur, ex qua ſecunda gratia oritur tertia: ex eo enim quod res gratioſæ ſunt, dicuntur eſſe in gratia diligentium. Ex his colligo, gratiarum choros tres eſſe, quemlibet eſſe trinum, ac ex eis tribus vnum abſolutiſſimum & gratioſiſſimum conſurgere: Ego tamen de ea gratia teneor verba facere, quæ pulcritudinem comitatur, hæc enim inſtituto noſtro inſeruit.

De quo gratia primo dicatur.

Varii gratiarum chori.

Quæ gratia conſideranda.

Quid ſit gratia. CAP. XXXVIII.

GRATIA & pulcritudo adeo mirabiliter connectuntur, tam ſuauiter animos demulcent, ac ita vehementer alliciunt, vt iudicium confundant, nec exacte iudicare permittant, an ſint idem, vel potius inter ſe diſtinguantur. Academicorum plurimi gratiam à pulcritudine non ſecreuere. Propterea tamen, quæ in præcedentibus ex eorum ſententia de pulcritudine dicta fuere, de gratia quoque intelligi debent. Competit itaque gratia, Deo per cauſam, menti per formam, animæ per rationem, naturæ per ſemina, materiei per vmbras & participationem; adeo vt pulcritudo & gratia ſint, tanquam radii & ſplendores diuini ſolis, in rebus variis vario modo fulgentes: propterea dicebat Plato: Quicunque gratioſum & pulcrum aliquid admiratur & diligit, non id, ſed Deum in eo fulgẽtem colit. Et cum ſint idem, eadem quoque definitione definiri debent, quæ in præcedentibus relata eſt. Hæc ſententia, vt pulcra, ita probabilis eſt, mihi tamen variis de cauſis non ſatisfacit, ſed magis mihi arridet opinio Ariſt. qui gratiam à pulcritudine ſecreuit: dixit enim in 4. moralium Nicomachiorum, capit. 3. *homines breuis ſtaturæ venuſtos ac lepidos quidem eſſe, aptaque membrorum commenſuratione præditos, ſed minime pulcros* At inſtabit iure aliquis, ſi in paruo ſeruatur congruens ratio, & ratio congruens eſt pulcritudo, quomodo itaque in paruo non ſeruatur pulcritudo? Reſpondeo, in paruo ſeruatur quidem ratio, & ordo partium inter ſe, at deeſt tertium

An gratia & pulcritudine ſecernatur.

Academici.

Contra Academicos.

Ariſt. videtur ſibi aduerſari.

Solutio.

Digitized by Google

ab Ariſtotele poſitum,& erat definitum ſiue terminatum, quod præter figuram, etiam congruentem magnitudinem ſignificat.

Confirmatio diſtinctionis gratiæ à pulcritudine.

Inſuper eadem diſtinctio confirmatur, quia communi voce iuuenes ac puellas quaſdam minime formoſas, dicimus cuncta agere cum lepore & gratia:nonnullas contra, quamuis formoſas pulcras, cuncta dicimus inepte, & ſine gratia agere, ſolum pulcras eſſe aſpectu, deſtitutas tamen gratia, dum aliquid agunt.

Alia ratio.

Præterea gratiæ nomen rebus inanimis, vel non competit, vel ſolum per metaphoram:quibus tamen frequenter tribuitur nomen pulcri:nam domum, veſtes, ſupellectilia, dicimus quidem pulcra,at non gratioſa.

Alia ratio.

Præterea omnis forma prędita eſt aliqua affectione.Pulcritudo eſt ſpecioſiſſima forma. Quare ei quoque affectio aliqua competere debet. Huiuſmodi præſertim eſſe videtur gratia,quæ tanquam affectio & comes ſequitur, non quidem omnem, ſed exactam & perfectam pulcritudinem, adeo vt pulcritudo antecedat,eam(dum perfecta fuerit)ſequatur gratia.

Confirmatio per veteres poetas.

Hanc veritatem lucide patefecerũt veteres illi, qui ſimul & poetæ,& philoſophi fuerunt,dum Gratias dixere,non Venerem, ſed ancillas & pediſſequas Veneris, affectiones enim congruenter nuncupantur ancillæ.

Quid ſit gratia.

Cum itaq; diſtinguantur, perpendamus intimius,quidnam gratia ſit, & quomodo ad pulcritudinem ſe habeat.

Opinio prima.

Inquiunt nonnulli,gratiam eſſe neſcio quid diuini,quod occulta cœli virtute in vno magis fulget, quam in alio.

Euerſio.

At dum inquiunt,quod eſt neſcio quid, & ab occulto pendens,ſtatim fatentur ſe ſe ignorare, quid proferant, & iure;nam per ea verba, quid gratia ſit, non manifeſtant. Inſuper cœlo non tribuitur à Peripatetico virtus occulta, præter lumen & motum. Propterea alii viri docti dixere,quod cum pulcritudo ex opinione Ariſtotelis ſit poſita in congruente partium corporis proportione, conuenienteq; diſpoſitione qualitatum: gratia eſt qualitas conſurgens ex ea figura & diſpoſitione.

Secunda opinio.

Euerſio.

Quæ opinio etiam non eſt approbanda.Primo,quia ſic gratia etiam rebus inanimis conueniret. Præterea,tunc gratia à pulcritudine non ſecerneretur: ego autem iam patefeci, pulcritudinem ex ea commenſuratione cõſurgere: inquit enim Ariſtoteles in decimo Nicomachiorum, cap. 4. *Sed actionem abſoluit voluptas,non vt ingenitus quidam habitus,ſed tanquam finis accedens, velute hominibus corroboratis iam, confirmatisq; ætatibus, pulcritudo ſolet accedere, &c.*

Tertia opinio.

Propterea inquiunt alii,gratiam eſſe id,quod conſurgit ex pulcritudine,cum animi,tum corporis, ſimul iunctis.

Euerſio.

Propria opinio.

At hæc quoq; ſententia dubia eſt:primo,quia,quid ſit res illa effecta,conſurgens ex pulcritudine animi & corporis,non patefacit: ſecundo, quia nec anima ſeorſum, nec corpus ſeorſum pulcra ſunt, ſed compoſitum.

Compoſitum eſt pulchrum

Dicendum itaq; cenſeo,gratiam ſolis viuentibus competere;nec

illis

Digitized by Google

illis quidem omnibus, niſi adumbrate, ſed homini tantum: propterea gratia cum anima rationis compote affinitatem habet. Ex quo colligo, gratiam eſſe externum quendam rationis fulgorem, congruentemque dexteritatem in obeundis munerum functionibus, ex recta animi & corporis conſtitutione conſurgentem, perfectamq; pulcritudinem inſequentem. Ex qua definitione conſtat primo ratio: cur gratia præcipue in geſtibus, moribus & actionibus refulgeat, & ſæpe ſpecimen præ ſe ferat alicuius moralis virtutis: propterea dicimus, ancillas cum gratia mouere oculos, virgines cum gratia ambulare, loqui, ridere, & ſimilia agere: ſunt enim gratię tanquam ſales actionum. Colligo ſecundo (dum pulcritudo & gratia inter ſe comparantur) pulcritudinem magis obtinere conditionem materiei magiſq; ad corpus pertinere: gratiam vero eſſe vitale aliquid magis ſpiritale, magiſq; formam & principium actionis redolens. Colligo tertio rationem, ob quam gratia intimius vehementiuſq; animos allicit & rapit, quam pulcritudo; id enim, quod pertinet ad formam, latentius, intimius & potentius operatur. Colligo quarto rationem, ob quam gratia ſoli homini vere & proprie competat: ea enim eſt, quia ſolus homo actionis & rationis eſt particeps, cum qua gratia connectitur, & hinc oritur quod ſuppellectilia, & alia multa dicimus pulcra, quæ cum ratione careant, proprie gratioſa non nuncupamus: econtrario vero anulas (vetulas) quaſdam actionibus accommodatas, quamuis deformes, dicimus gratia præditas. Colligo quinto, gratiam partim eſſe, partim non eſſe affectionem propriam pulcritudinis: gratia enim non eſt communis affectio vniuerſæ pulcritudinis, ſed ſolum perfecta gratia affectio quædam dicitur perfectæ pulcritudinis, & inter ſe connectuntur, pulcritudo non omni ex parte perfecta ſeruari poteſt ſine gratia, ſimiliter gratia non omni ex parte perfecta ſine pulcritudine: at cum poſtrema perfectione vnum non reperitur ſeorſum ab alio. Ego definiens inſpexi gratiam abſolutiſſimam; ideo dixi, quod ſequatur pulcritudinem: Definientes enim potiſſimum id, quod perfectiſſimum eſt, inſpicere tenemur, quia id eſt menſura ceterorum.

Quid gratia. *Colligitur primo.* *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.* *Quinto.* *Canon logicus.*

An Ariſtoteles cum Platone conciliari poſſit, & dubia nonnulla ad gratiam pertinentia diluuntur.

CAP. XXXIX.

MAgna inter Ariſtotelem & Platonem de pulcritudine & gratia apparuit cōtrouerſia: Ariſtoteles gratiam a pulcritudine ſeiungit, Plato coniungit: Ariſtoteles in ſimplici negat ſeruari pulcritudinem, Plato in re incorporea & ſimplici primo & maxime eam reperiri affirmat. At num modo aliquo poſſunt reddi concordes? Proculdubio, qui aſſ unt eos

Plato & Ariſtoteles pugnant.

Concilium.

de omnibus conſentire, à veritate diſſentiũt; ordo enim ille idearum, rationum & ſeminum, non ita ſtatuitur ab Ariſtotele, vt ab Academicis explicatur: & ideo, ratione huiuſmodi principiorum & modi productionis, re vera diſcrepant: abſolute tamẽ de pulcritudine & gratia loquentes, potius vocibus & diſtincto conſiderationis genere, quam de rei natura diſſentiunt. Et pro

Mos philoſophandi Platonis.

notitia duo ſunt conſideranda. Primum eſt, quod Plato ſuo philoſophandi genere ſemper nixus eſt cũcta redigere in principia prima, & quia in principiis res effectæ eminẽter inſunt, ideo eis nomina re vera competere exiſtimauit: ſic in mente diuina verum hominem, verum leonẽ, ac ita de ceteris, reperiri affirmauit: Ariſtot. præcipue cauſſas proprias & proximas indagauit, & nomina, non cauſſæ, ſed formæ exiſtẽti in materie conuenire cenſuit, vt eis populariter tribuũtur. Ex hoc colligo, iure à Platone ſimplicia dici pulcra, nõ ab Ariſtotele, cum tamen etiam Ariſtoteles pulcritudinem à ſimplici prodire exiſtimauerit. Ac-

Pulcritudo dupliciter vſurpatur.

cipiendum ſecundo, pulcritudinis vocem dupliciter vſurpari, vel pro ea iuncta cum ſua affectione, vel pro ea a ſua affectione ſeiuncta: in prima ſignificatione pulcritudo gratiam includit, in altera ab ea ſecernitur: vt enim quæuis ꝓpria affectio eſt modo aliquo eadem cum ſuo fundamẽto, modo aliquo diſtincta, ita & gratia cum pulcritudine ſe habet. Platonici, qui res in ſua idea conſiderarunt, in quibus minor eſt diſtinctio, & affectio redigitur ad ideam rei cuius eſt affectio, vt riſibilitas ad ideã hominis, iure optimo gratiã à pulcritudine non ſecreuerunt. Ariſt. vero, quia vtramq; conſiderat, vt formã in materie, in qua clarior eſt diſtinctio, recte vnum ſecreuit ab altero. Sic itaque cõ-

Quomodo pulcritudo vna, gratia tres.

ſentiunt, cum maxime diſſentire videantur. At iure dubitabit aliquis, cum gratia adeo ſit iuncta cum pulcritudine, vt vix ſecerni videatur, cur pulcritudo & Venus dicitur vna, gratiæ vero plures? Pro ſolutione & ſolutionis notitia conſiderandum primo eſt, Venerem non vnam, ſed modo duas, modo tres à Platonicis dici: quælibet tamen Venus plures habet Gratias aſſeclas

Venus non vna eſt, gratia & dua, & tres & quatuor dicuntur.

& ancillas. Conſiderandum ſecundo, Gratias à nonnullis ſtatui duas, & Lacedęmonii duas coluere, ſic gratia gratiam parit, vna tradit, altera recipit: Communiter tamen gratiæ dicuntur tres, ac tres formantur inter ſe iunctæ, ita tamen, vt vna ſemper aſpicienti ſit auerſa. Nonnullli horas cũ gratiis confundentes, quatuor eſſe dicunt. Approbatior tamen ſententia eſt, quod ſint tres: de quarum nominibus cum multa dicantur ab aliis, nil a me dicendum cenſui. De earum conditionibus hæc à Seneca in libr.

Seneca.

de beneficiis enuntiantur: *Quid ille conſertis manibus in ſe redeuntium chorus? ob hoc, quia ordo beneficii per manum tranſeuntis nihilominus ad dantem reuertitur, & totius ſpeciem perdit, ſi vſ-*

quam

Digitized by Google

quam interciſus eſt; pulcerrimus, ſi cohæſit, & vices ſeruauit: Hilares & ridentes ſunt, quia promerentium vultus hilares ſunt, quales ſolent eſſe, & qui dant, & qui accipiunt beneficium: Iuuenes, quia non debet beneficiorum memoria ſeneſcere: Virgines, quia incorrupta ſunt & ſincera beneficia. Solutu tunicis dicuntur, quia nil alligati eſſe decet, nec aſtricti; Perlucidis autem, quia beneficia conſpici volunt. Hæc Seneca, quem ſecuti ſunt multi, varia addentes. At in eo præſertim errare videntur: quia cum gratia vſurpetur tribus modis (vt patuit) conditiones etiam, quæ gratiis tribuuntur, nõ vno, ſed tribus modis explicari debent: varia enim ſignificant gratiæ tres; dum conſiderantur vt ancillæ Veneris, & comites pulcritudinis, & dum conſiderantur pro munerum diſtributione & retributione. A ceteris conditiones gratiarum ad beneficiorum retributionem referuntur: cum tamen, dum referuntur ad gratias ancillas Veneris, ſecus explicari debeant. Et iure dicimus vnam ſemper nobis eſſe auerſam, quia apud nos nemo eſt omni ex parte beatus. At ſit ſatis notaſſe, quid ſit faciendum, nec diutius morabor in earum conditionum diſtincta explicatione. Inſuper conſiderandũ eſt, de gratiarum parentibus litem eſſe. Chryſippus dicit eas filias Iouis, & Eurynomes late patentis patrimonii; Alii inquiunt eſſe filias Liberi & Veneris; Nonnulli alios eis aſſignarunt parentes: Et putandum eſt id contigiſſe ex varia gratiarum ſignificatione. Dum enim conſiderantur, vt referuntur ad munera & beneficia; recte dicuntur filiæ Iouis, & diuitis Eurynomes: dum vſurpantur pro iunctis cum pulcritudine; accommodate ſtatuuntur filiæ Liberi & Veneris, vt conſideranti redditur notum: & forte ob id quoq; apud varios variis denorãtur nominibus. Similiter cum gratiæ a nonnullis dicantur nudæ, ab aliis indutæ candidis ſolutiſq; veſtibus, id cenſeo oriri ex varia gratiarum aſſumtione. Gratiæ ſumtę pro beneficiis, ſolutę & indutæ albis veſtibus eſſe debent, vt explicauit Seneca: nam ex interno animo prodeunt: at ſumtæ pro ancillis Veneris, ſiue natis, nudæ rectius dicuntur; Gratia enim pulcritudinis comes, nuda, conſpicua & aperta eſt; inſpicitur enim in externis corporis partibus. Propterea Horatius de hac loquens, forte minus recte dixit:

Communis error.

Cur gratiarũ vna ſemper nobis auerſa.

Parentes gratiarum.

Gratia qua nuda, qua induta.

Feruidus tecum puer & ſolutis gratia Zonis.

Vt ſoluam modo propoſitam difficultatem, quærebatur, cum Venus ſit vna, cur Gratiæ dicuntur tres? Reſpondeo, gratias denotare affectiones quaſdam: At res poteſt eſſe vna, & affectiones plures. Quę res dum gratia conſideratur, vt diſtincta à pulcritudine; quid cenſeri debet præſtantius, num pulcritudo, an potius gratia? Reſpondeo, gratiam eſſe pręferendam pulcritudini: primo, quia illam includit: ſecundo, magis præ ſe fert formam &

Colligitur ſolutio.

Vtra præſtãtior: nũ gratia an pulcritudo.

Digitized by Google

Dubitatio. rationem (vt dixi) eſt enim tanquam ſpiritus & vita, apprime iuncta cum ratione. At eſt inſtantia, quia affectio & ancilla nõ præfertur ſuo ſubiecto, ſuęque dominę. Reſpondeo gratiam non omnino eſſe actionẽ pulcritudinis; quia non ſolam ſequitur pulcritudinem, ſed conditione propria magis eſt iuncta cum ratione: ideo ſolum dicitur ancilla, quia perfecta gratia perfectam pulcritudinem ſequitur; re vera tamen ancilla non eſt, ſed vita potius & ſpiritus prę ſtantioris pulcritudinis. At inſuper quęres: cum gratię ſint tres inſertę & iunctæ, num vna conſiſtere valeat ſine ceteris? Reſpondeo, conſiſtere quidem poſſe, at non perfecte: ſe habet enim perinde ac de virtutib. quæ ſi fuerint imperfectę, ſeiungi poſſunt; at vltima perfectione præditę, nequeunt ſecerni: & quia apud nos ſua poſtrema perfectione præditæ non inueniuntur, ideo (vt dixi) ſemper vna earum auerſa pingitur. At cum gratia prę feratur pulcritudini, & magis inſpicientium animos alliciat; cur veteres cupidinem finxere filium Veneris, & nõ gratiarum? Dico duplici de cauſa factum fuiſſe: primo, quia Venerem vna cum gratiis conſiderarunt: ſecundo, quia gratiæ rectius dicũtur laquei, ſagittę & faces, quib. ligantur, vulnerãtur, incenduntúrq; corda & animi, quam parentes amoris; intimius enim operantur: Ideo ab Homero inter vincula numerantur, quibus pulcritudo pro ligandis animis vtitur. O dulciſſimi laquei, qui tam ſuauiter deuinciunt, vt etiam à victis diligantur & expetãtur: propterea iure inſolubiliter ligant; cum ligata, nedum ſolui nõ quærant, verum ſummopere cupiant arctius ligari, in vnumq; redigi. Iure gratiæ dicuntur ridere; in quouis enim reperiantur, ſemper hilares ſe oſtendunt; adeo vt in gratioſa puella concinne cuncta faciente, cuncta ridere dicãtur, etiam fletus ipſe: & hoc eſt mirabile: quod, dum cum gratia in ea ridet fletus, ille fletus ita ridens nos flere vehementius cogit; cum econtrario fletus incõcinnus in nobis frequenter riſum excitet & in iuuene rudi inepto & incõcinno, nedum cetera, ſed riſus quoq; flere dicitur, cum ad omnia perinde ſe habeat, ac aſinus ad lyram: de quo dicitur, quod tenetur gratiis ſacrificare. At dignum cõſideratione eſt. In qua humani corporis parte magis refulgeat gratia. Communis vox eſt, quod magis refulgeat in oculis, & oculi nuncupantur feneſtræ animi, noſque ad amandum vehementiſſime alliciunt. Quam ſententiam dubiam cenſeo. Et breuibus dico, gratiã prę ſertim, vt in ſubiecto adęquato, in toto cõſiderari; facta autem comparatione inter partes, ex lingua & ore gratia magis viua, magis hominis propria, & potentior prodit: nam ſermo & cantus ſunt proxima inſtrumenta rationis, quæ internum animum lucidius patefaciunt: ideo cantus & ſermo gratioſus admirationem in nobis parit, ad libitũ nos deuincit, quo

Solutio.

An gratia vna valeat ſine altera conſiſtere.

Cur veteres amorem dixere filium pulcritudinis, & non gratiæ.

Homerus.

Laquei inſolubiles qui ſint.

Gratiæ cur rident.

Fletus ridet & riſus flet.

In qua parte gratia maxime fulgeat.

Digitized by Google

quo vult ducit, perturbationes componit. Propterea non iniuria veteres Mercurium, eloquentiæ Deum, gratiarum ducem aſſeruerunt: & Socrates apud Apuleium formoſo adoleſcenti & ſilenti, dixit; *Si vis, vt te videam, loquere. Gratia ex ore prodiens, eſt potentior, virilior & diuinior; prodiens ex oculis, laſciuior & effœminatior, prodiens ex ore, eſt ſpiritalior: ex oculis, materiata magis.* Percipitur gratia auditu & viſu, qui ſunt principes miniſtri rationis; per alios ſenſus ſolum adumbrate, & ex euentu; intrinſecus autem per rationē exactiſſime dignoſcitur. In fœmina refulget magis gratia materiata, laſciua & externa, in viro virilis, ſpiritalior & interna: & hæc, non illa requiritur pro cōſtitutione ſummi boni hominis hanc vitam viuentis. At de gratia & pulcritudine ſatis.

Mercurius gratiarum Dux.

Quo ſenſu percipitur gratia.

Num gratia in mare vel in fœmina magis fulgeat.

De fortuna, caſu & ſorte diſputandum proponitur.

CAP. XL.

FORTVNAM cum humanis actionibus arcto neceſſitudinis nodo eſſe colligatam, ratio, experientia & auctoritas latiſſime patefaciunt. Propterea putarunt nōnulli, perperam tamen, ſummum hominis bonum à bona fortuna nō diſtingui. Ariſtotel. in ſecundo phyſ. agens de fortuna, cont. 58. dixit, *fortunam in his verſari, quæ ad actionem pertinēt: ſignum autem eſt, quoniam proſpera fortuna aut eſt felicitas, aut prope.* Quæ ſentētia vera eſt; quatenus fortunæ bona, vt patuit, ſunt inſtrumenta humanæ felicitatis. Plato in quarto de legibus eam ſententiam approbauit: Deum quidem omnia, & fortunam, oportunitatemque vna cum Deo cuncta humana gubernare; artem vero vt tertium ſequi: Deus enim eſt commune & primum principium, fortuna & oportunitas, ſunt medium; proximum principium eſt ars, qua varia euenta pro facultate congruenter componuntur: proxima tamen & media principia, non conſpirante primo, nil perficere valent: Non igitur iniuria tenetur ciuilis philoſophus de fortuna notitiam habere. Et quamuis ſubtiliter de ea diſſerere, ſit munus phyſici & metaphyſici; ego tamen medio quodā modo de ea loquar: ſi enim nonnunquam terminos ciuilis diſciplinæ pertranſeo, id non quidē inſcius, ſed plenioris explicationis gratia facio: ꝙ præſertim mihi condonandum eſt: quia non principalis auctoris, ſed explicatoris potius ſententiarū Ariſtotelis vices gero. De fortuna igitur, caſu, & ſorte cū ſim locuturus; quoniam nō conſtat, quid nomine eorum ſignificetur & apud varios ea nomina in varia ſignificatione vſurpantur; propterea perpendā primo, quod ſint; inde colligam, an ſint, tertio, quomodo diſtinguantur; quarto, ad quod genus cauſæ redigantur; quinto,

Fortuna cum rebus ciuilibus iuncta.

Ariſt.

Plato.

Tenetur ciuilis de fortuna notitiam habere.

De fortuna, caſu & ſorte quæ declaranda.

Digitized by Google

qualia, & propter quid talia ſint; ſexto, problemata & dubia varia diluam; demum, de remediis aduerſam fortunam lenientibus verba faciam.

Quid ſint caſus & fortuna, ex aliorum opinione.
CAP. XLI.

Veteres philoſophi. EMpedocles, Democritus, Leucippus & Epicurus, nil ſupra corpus excogitantes, ignari diuinæ prouidentiæ exiſtimantes materiem, & corpus eſſe vniuerſam naturam & eſſentiā rerum: fortunam & caſum nil aliud eſſe putarūt, niſi cœcam fortuitamque eorum corporum concurſionem, quæ rerum materiem eſſe exiſtimarunt, vt Democritus concurſionem atomorum, Empedocles quatuor elementorum; adeo vt fieri natura, fieri fato, & fieri caſu & fortuna, in prima rerum generatione apud eos nō diſtinguerentur: naturam enim non propter finem, ſed temere & forte fortuna operari cenſebant; ita fortuito atomorum concurſu dicebat Democritus fieri mundos; ſolū ſecernebāt fieri natura à fortuna & caſu in ſingulorum generatione, quæ mox à ſimili fierent, vt homo ab homine: hæc enim non caſu & fortuna, ſed per principia propria & modos definitos gigni dicebāt. *Reiicitur veterum opinio.* Quorum ſententia reiicienda eſt: nedum; quia primum principium, eiuſque prouidentiam euertunt, perperamque exiſtimant materiem & corpus eſſe vniuerſam naturam & eſſentiam rerum: verum præſertim, quia pugnantia proferunt; nam dicere naturam nil agere propter finem, & aſſerere cuncta ab ea *Veteres ſecum pugnant.* cœco caſu fieri, ſe mutuo deſtruunt. Si enim natura non operatur propter finem, non poteſt à fine recedere & errare; ille enim dicitur a ſcopo recedere, qui ſibi præfigit ſcopum. Quare ſi na- *Prima controuerſia.* tura non ſibi præfigit ſcopum, non poteſt errare; & propterea non poteſt forte fortuna aliquid efficere, cum fortuna ſit receſ- *Secunda.* ſus à ſcopo. Ita quoque dicere naturam nil per ſe efficere, & eam operari forte fortuna & ex euentu, inter ſe pugnant; cum facere aliquid ex euētu, ſit recedere ab eo quod eſt per ſe. Inſuper, dice- *Tertia.* re mundum forte fortuna eſſe factum, eſt dicere mundum non eſſe mundum: quia forma mundi eſt ordo; quæ autem ſubiiciun- *Quarta.* tur fortunæ, deſtituta ſunt ordine. Præterea aſſerere opera naturæ fieri forte fortuna, eſt dicere opera naturæ non eſſe opera naturæ: quia opera naturæ, vel ſemper vel frequenter, eodē modo fiunt: opera fortunæ cōtra, nec ſemper nec frequenter fiunt conſimiliter. Demum dicere, cœlum à caſu, & à fortuna fieri, *Quinta.* collocata ſub cœlo habere cauſas definitas & proprias; eſt idem ac dicere, ſubiecta cœlo non ſubiici cœlo: in his enim, quæ ſubordinata ſui natura ſunt: ſi primum eſt caſu, vt cetera quoque fiant caſu, neceſſe eſt. Ea itaque opinio non eget, vt ab alio euerſatur,

Digitized by Google

ratur, cum ſemetipſam deſtruat: Nō igitur caſus & fortuna ſunt cœcus euentus, ſequens materiæ neceſſitatem: nam ſi id eſſet, ſenium, diminutio, ægritudines, mortes, & ſimilia, quæ ex neceſſitate materiæ prodeunt, dicerentur fortuna fieri: quod nemo ſanæ mentis exiſtimat; neceſſitas enim & fortuna apertiſſime inter ſe pugnant. Propterea eſt altera opinio quorundam, qui cenſent; fortunam eſſe Deam quandam, d'uinamque poteſtatē, ordinantem, regentem ac diſtribuentem ea munera, quæ vulgo fortunæ bona dicuntur. Hinc Fortunæ, vt Deæ, apud Romanos erecta fuere altaria & templa: de quibus varia apud Plinium legi poſſunt, & apud Plutarchum, quæ miſſa facio. Hāc opinionem ſequutus Boetius in ſecundo de conſolatione proſa ſecūda dixit. Si conceditur īntelligētiis, vt ſuos vertant orbes; cur etiam fortunæ concedendum non eſt, vt ſuam rotam circumuoluat? Si non conquerimur de intelligentiis, cur conquerimur de fortuna; ſi ſuo fungens munere rotam ſibi deſtinatam cōuertit; noſque in ea collocatos modo deprimit, modo eleuat? Verum cum fortuna iudicetur diuina quædam potentia latens & occulta; quænā ſit hæc poteſtas, non conſtat, & varii varia dicunt. Quidam inquiunt eſſe Dæmones humano generi præſidentes; qui latenter faciunt, vt ea nobis eueniant, quæ forte fortuna euenire dicuntur: cuius opinionis ſunt Academici. Propterea dixit Plato in quarto de legibus; *Deum quidem omnia, & vna cum Deo fortunam & occaſionem cuncta gubernare: per fortunam ſignificans Dæmones medios, inter Deum & prudentiam hominis.* Et Proclus, eximius inter Academicos, in ſuis commentariis in Timæum fortunam definiens dixit; eſſe Dæmonicam poteſtatem cōgregantem inuicem cauſas inter ſe diſtinctas. Quod etiam denotare voluit Speuſippus in libro de definitionibus Platonis inquiens, *fortunam eſſe motum ab occulto in occultum, caſu quodam felicis actionis cauſam.* Platonici enim Deum ſtatuunt ſupra mētem, ſupraque intelligibile: menti tribuunt intelligibilia, quæ ſunt ideæ, & rerum ſpecies; & propterea ei competere aiunt cognitionem & prouidentiam ſpecierum: Dæmoni tribuunt cognitionem & curam ſingularium, in quibus locum habet caſus & fortuna. Alii inquiunt eſſe intelligentiam quandam, non ſecus mortali orbi præſidentem, ac motores cœli præſint orbibus cœli: & ideo non Dæmonem, ſed Deam eſſe exiſtimant, quam nōnulli propitiam, alii experiuntur aduerſam. Quidam demum altius eleuari, fortunam inquiunt eſſe Deum verum, Deum Optimum Maximum, qui auctor eſt omnium bonorum, & cuius prouidentiæ ſubiiciuntur omnia. Hunc aiunt, ob varietatem munerum, variis denotari nominibus: nam (vt dixit Seneca libro de beneficiis) *tot Dei ſunt nomina, quot eius munera.* Vt etiam

Secunda opinio.

Quæ ſit latēs diuina poteſtas, quæ fortuna dicitur.

Plato.

Proclus.

Digitized by Google

fruges largitur hominibus, dicitur Ceres; vt vinum, Bacchus, vt eloquentiam, Mercurius, vt ſapientiam, Minerua; ſimiliter de ceteris: Pari ratione, vt modo nobis occulto per media latentia diſtribuit fortunæ munera, & cauſſa eſt, vt præter inſtitutum proximi agentis multa eueniant, & fortunæ & caſus nomine deſignatur. Hanc ſententiam indicauit Ariſtot. in ſecundo phyſicorum context. 47. inquiens: *Sunt autem quidam, quibus videtur fortuna quidem eſſe cauſſa, immanifeſta autem humanæ menti, tanquam diuinum quiddam, & δαιμονιώτερον, hoc eſt, ſupra Dæmonicam facultatem collocatum, &c.* Hæc opinio, cum tres habeat partes, ſingulæ ſunt conſiderandæ. Quod pertinet ad primam partem, quod ſit dæmonica facultas, proculdubio nec vera, nec Peripatetica eſt. Non Peripatetica, quoniam Ariſtot. Dæmones non nouit; Et fortunam declarans, nunquam de Dæmonibus mentionem fecit Non vera; quia, cum dentur Dæmones, non ita dantur, vt aliquid faciant non diſtincte præcognitum à Deo, nec cuncta fortuita inſtrumento Dæmonum fiunt: & propterea, cum ipſi non ſint prima cauſſa fortuitorum euentorum, ſed inſtrumenta tantum, & cauſſa non omnium, ſed quorundam; non ipſi fortunæ nomine ſunt deſignandi, ſed prima cauſſa, cuius ordine cuncta perducuntur in finem. Et cum D. Auguſtinus in quinto de Ciuitate Dei inquit: (*Nos enim cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde & fortuna nomen ſumpſit, non dicimus eſſe nullas, ſed latentes: eaſque tribuimus, vel veri Dei, vel quorumlibet ſpirituum voluntati:*) Proculdubio ſpiritus denotauit vt inſtrumenta, Deum vt principem cauſam: de vtriſque tamen fecit mentionem, quatenus fortuna ſunt varia, & euenire poſſunt, cum interuentu ſpirituum, tum ſine eo. Quod pertinet ad alteram partem, nempe quod fortuna vt vna intelligentiarum aſſiſtẽs mortali orbi, proculdubio ea longius à vero diſtat; nil enim incõſtans & inordinatum proxime pendet ex mente aliqua abiuncta, quæ ſemper conſimiliter ſe habet. Si enim daretur huiuſmodi mens, proculdubio ea eſſet mens amens, Dea diuinitatis expers: & cũ natura, quæ infra eã collocatur, ordinem exactiſſime ſeruet, abſurdum eſt putare illã operari ſine ordine, contingenter, euertendo ac permutãdo principales ac conſtitutos primarum cauſarũ ordines. Præterea cũ euenta fortuita ſint varia, inter ſe pugnãtia; etiam putandum eſt, à cauſis variis & pugnantibus ortum ducere, non autem ab eadem intelligentia, cui tale munus demandatũ ſit. Quatenus vero pertinet ad tertiam partem: quæ erat, fortunã eſſe ipſummet Deum; vt modis obſcuris, & per latentia media, cauſa eſt eorũ euẽtorum, quæ à nobis fortuita nuncupantur; ei n. vere cornu illud copiæ competit, quod fortunæ tribuitur, copiæ inquã variorũ munerum. Hæc opinio catenus

Ariſtoteles.

An fortuna ſit Dæmonica facultas.

D. Auguſt.

An fortuna ſit vna intelligentiarum.

Digitized by Google

catenus eſt vera, quatenus à theologis noſtris recte profertur & explicatur. Nam euenta illa, quæ dicuntur fortuita, ad duo referri poſſunt, ad Deum, & ad cauſas proximas; relata ad Deum, non ſunt fortuita; cuncta enim definita & certa ſunt Deo: relata autem ad cauſas proximas, quia eueniunt præter intẽtionem earum, fortuita ſunt. Deus itaque eatenus poteſt dici fortuna; quatenus ab eo omnia euenta, quæ relata ad nos ſunt fortuita, tanquam à cauſa prima proficiſcuntur: non proprie tamen dicitur fortuna, primo, quia fortunæ nomen aliquid inconſtans ſignificat; ſecundo, quia per relationem ad eum illa euenta ſunt prædefinita, non autem fortuita. Si eadem opinio conſideretur per principia Platonica, concedi non poteſt; quia Plato Deum conſtituit ſupra mentem, hoc eſt, ſupra intelligibile & intellectum: menti, quæ vel eſſentia, vel ratione ab eo diſtinguitur, tribuit ideas: quæ cum ex ſententia Platonis tantum ſint ſpecierum, non autem etiam ſingulorum (vt recte cenſent Theologi) ſolum poterit mens ſoluta a corpore per eas ideas ſpecies intelligere, eaſque curare; cognitio autẽ & cura ſingularium, in quibus fortuna locum habet, ad Dæmones pertinet, & ꝓpterea aperte in quinto de legibus Deum à fortuna ſeiunxit, dum dixit; *Deum, & poſt Deum fortunam & occaſionem, omnia gubernare*. Quod ſi Plato in decimo de legibus oſtendit, *Deos ſcire, videre, audire, curareque omnia, quæ vel ſenſu, vel mente apprehendi poſſunt*: Dicendum eſt, Deorum nomine vniuerſum ordinem Dei, mentis & animæ denotaſſe; in quo ternario diuinitatem in ſuis epiſtolis includi aſſeruit. Demum ſi ea ſententia conſideretur conſideratione Peripatetica, in parte vera, in parte falſa iudicari deberet. Primo vera; quatenus ex ſententia Ariſtotelis Deus ſe ſolum cognoſcit, cetera autem tantum eminenter, non per proprias ſpecies; cum Deo nec indiuiduorum (vt Theologi) nec ſpecierum (vt diuinæ mentis Platonici) cenſeat ideas conuenire; propterea quæcunque ſunt indefinita, & fortuita ex parte noſtri, etiam cenſet eſſe talia ex parte Dei, vt etiam Auer. 12. metaphyſic. 37. opinatus eſt: adeo vt Deus hac ratione fortuna dici poſſit, quatenus præter inſtitutum eſt cauſſa prima fortuitorum euentorum. Altera ex parte ea ſententia à Peripatetico concedenda non eſt: quia, quamuis fortuita euenta ex Deo pendeant; non tamen ille eſt cauſſa contingentiæ, incõſtantiæ & varietatis eorum; hoc enim potius ortum ducit a cauſis ſub lunæ orbe poſitis, quæ ob impotentiam non ſeruãt menſuras primarum cauſarum, vt dicitur in calce quarti de generatione animalium; adeo vt caſus & fortuna potius à receſſu à Deo, quam proprie à Deo ortum ducere dicantur: & propterea non inſulſe ſors & fortuna dicuntur ſorores ſpuriæ

An fortuna ſit verus Deus.

An res poſſit dici fortuna.

Deus non proprie dicitur fortuna.

Nec ex ſententia Platonis.

Nec ex ſententia Ariſt.

Sors & fortuna, ſpuria & ſorores Parcarum.

Digitized by Google

Stoici. Parcarum, è cœlo detruſæ in hunc inconſtantiæ orbem. Stoici tamen illi fuerunt, qui (referente Simplicio in ſecundo phyſic. context. 39.) fortunam dixere Deum, & ante Stoicos Græcorum nonnulli. Ex his, quæ dixi, varia colligere valemus, & præcipue quidē q̄ noſtri Theologi (quorū ſententiæ cenſeri debent regulæ ceterarum) ac inſuper Platonici & Peripatetici, hac de re non idem ſentiunt, ſed variis nixi fundamentis, varia dicunt. Ex quo *Error Ciceronis.* cōſtat, minus recte ſenſiſſe Ciceronem; dum primo Tuſculanarum aſſeruit, Ariſtotelem à Platone ſolis verbis, non ſententia diſſentire, & ex opinione vtriuſque dixit dari animam mundi præditam vi ſentiendi & perfecta ratione, quam mentem, ſapientiam perfectam, Deumque appellent; procurantem cœleſtia maxime, deinde in terris ea, quæ ad hominem pertinent: quam interdum nuncupent neceſſitatem & fatum, quaſi immutabilem continuationem ordinis ſempiterni; nonnunquam eādem nuncupent fortunam, quod efficiat multa improuiſa, nec opinata nobis, propter obſcuritatem ignorationemq; cauſſarū. In his profecto plura ſunt errata quam verba. Primo falſum eſt (vt patuit) Ariſtotelem hac de re idem ſentire cum Platone. Secundo minus recte inquit, apud Platonem idem eſſe animam mundi, mētem & Deum; hæc enim tria ex ſententia eius diſtincta ſunt. Tertio errat inquiens fortunam apud Platonem eſſe ipſummet Deum: conſtat enim Platonem in quinto de legibus fortunam à Deo ſecreuiſſe, dum dixit; *Deum, & poſt Deum fortunam & occaſionem, omnia gubernare.* Quarto perperam tribuit Ariſtoteli, quod putauerit Deum eſſe animam mundi ſenſu & ratione præditam, ac eundē eſſe fortunam & fatum: hæc tam longe abſunt à principiis Ariſtotelis, vt nil magis abeſſe valeat. Sed (prætermiſſo Cicerone, qui frequenter in referenda ſenten-*Ioā Pic. Mirandulanus.* tia Platonis & Ariſtotelis errat) de Ioanne Pico Mirandulano, viro genere, & ingenio illuſtri, magis in horum ſcholis verſato, mirari debemus: qui in quarto libro aduerſus Aſtronomos, cap. 3. ſententias Theologorum, Platonis & Ariſtotelis de fortuna *Alia opinio.* in vnam redigit; cum maxime inter ſe diſtinguantur. Propterea eſt alia opinio quorundam, qui dicunt caſum & fortunam non eſſe cauſas, ſed eſſe ſubitum quendā inopinatumque euentum; adeo vt euentus ille, non autē aliqua cauſa cenſeri debeat caſus, *Lactantius* ſiue fortuna. Propterea dixit Lactantius; *Fortuna eſt ſubitus ac inopinatus euentus.* Hæc opinio id veri includit, quod frequenter caſus & fortuna pro fortuito euentu vſurpantur; veluti inuentio theſauri dicitur bona fortuna fodientis. At quia res effecta ad ſuam cauſam refertur, ab eaque denominationē recipit; quę ſi diuina fuerit, à Deo manat; ſi phyſica, à natura; ſi artificioſa, ab arte: ſimiliter eſt neceſſe, vt res fortuita a fortuna pdeat, adeo

Digitized by Google

adeo vt cauſſa eius fortuna nuncupetur. Præterea cum fortuita ex euentu fiant; & quod eſt ex euentu, neceſſario redigatur ad aliquid per ſe; eſt neceſſe, vt cuncta quoque fortuita ad aliquam per ſe cauſſam redigantur, à qua contingenter prodeant: ita communi omnium conſenſione dicimus, multa fieri à caſu, & à fortuna. Propterea opinantur Aſtronomorum plurimi, fortunam eſſe cœleſtium corporum conſtitutionem, ſtellarum aſpectum, ac ſtellæ in ortu hominis principatum, à quibus latenter homini ea tribuantur, quæ forte fortuna ei euenire dicantur. Hinc aſpectuum quidam felices & fortunati, alii aduerſi & infortunati ab eis dicuntur. Quorum ſententia cum à Theologis, tum a Philoſophis iure optimo exploſa & reiecta eſt; adeo vt ſuperuacaneum cenſeam in ea diutius immorari, ne rem à multis exactiſſime actam ego iterum obiter agere videar: num tamen aliquid veri ea includat, dum loquar de bona hominis fortuna, patefaciam. *Aſtronomi.*

Quid ſit fortuna & caſus, opinio Ariſtotelis. CAP. XLII.

VT conſpicua reddatur opinio Ariſtotelis, accipiendum primo eſt fortunæ nomen multipliciter vſurpari. Sumitur frequenter fortuna pro quauis adeptione bonorum fortunæ: in qua ſignificatione omnes, qui ditantur, fortunati dicuntur. Inſuper vſurpatur pro omni hominis ſtatu & conditione, quæ permutationi & inconſtantiæ eſt obnoxia: ita dicimus, quoſdam eſſe humilis, alios mediocris, nonnullos ſublimis fortunæ. Vſurpatur tertio pro ipſiſmet fortunæ bonis: veluti dum dicimus, fortunas Socratis fuiſſe anguſtas, fortunas Darii fuiſſe ampliſſimas & latiſſimas. Vſurpatur quarto pro his, quæ nobis impedimento ſunt ad aſſequendum finem: veluti dicimus, nauigantes à fortuna turbatos fuiſſe, & multa nobis fortunam facere. Quinto vſurpatur pro re effecta, ac etiam, non pro cauſſa aliqua, ſed pro variarum cauſſarum concurſu; qui contingenter fiat, nec expetatur à proxima cauſſa: veluti dum ſimul occurrit, vt in eodẽ loco homo vnus theſaurum abſcõderit, alter vero voluerit terram fodere pro plantanda arbore; ille concurſus, ex quo prodit inuẽtio theſauri, fortuna nuncupatur. Sexto, (quoniam re vera nil fit ſine prouidentia primæ cauſſæ) vſurpatur fortuna pro cauſſa prima, præordinante concurſum proximarũ cauſſarum modo obſcuro, & præter intentionẽ earum: in qua ſignificatione multi cauſſam occultam, & Deum dixere fortunam. Septimo ex ſententia Academicorum & Simplicii in 2. phyſ. cont. 52. dicitur fortunæ nomen de quauis adeptione propriæ cõditionis rerum, ex ſua cauſſa pendentium: ita dicimus ſolis fortunã hanc eſſe, vt maximam lucẽ ſortitus ſit; lunæ, vt ſit opaca nata illuſtrari, ac ita de cæteris. *Fortunæ nomen multipliciter vſurpatur, & octo eius ſignificationes referuntur.*

Demum vſurpatur fortuna pro cauſſa, vel proxima, vel remota, præcipue tamen proxima; a qua præter inſtitutum, ac extra ſemper & frequenter, aliquid producatur: in qua ſignificatione de ea loquitur Ariſtoteles in 2. lib. Phyſicorum, & nos verba facturi ſumus: pro cuius exacta notitia, quoniam, quid res ſit, præcipue ex diſtinctione colligitur, quatuor diſtinctiones præaccipiendæ ſunt. Prima eſt eorum, quæ fiunt, quædam ſemper & neceſſario fiunt, vt quotidie ſol oritur nobis, & occidit. Alia frequenter, vt opera inferioris naturæ; frequenter enim gignitur homo præditus congruente membrorum proportione & numero, nonnunquam tamen ſecus accidit. Nonnulla demum eueniunt nec ſemper, nec frequenter, vt foſſionem terræ nec ſemper nec frequenter ſequitur inuentio theſauri: omnium conſenſione fortuna & caſus, non in primo, nec in ſecundo diſtinctionis membro, ſed in ſolo tertio locum habent. Altera diſtinctio eſt eorum, quæ fiunt; nonnulla temere & nullius finis gratia fiunt; vt frequenter paleas piloſque oſcitanter nulliuſque finis gratia euellimus ſcindimuſque. Alia fiunt finis gratia; vt opera, quæ per ſe fiunt á natura & ab arte. In primo membro locum non habent caſus & fortuna, ſed in ſecundo tantum. Et ratio eſt, quia caſus & fortuna ſunt aliquid ex euentu; id, quod eſt ex euentu, opponitur ei, quod eſt per ſe; oppoſita autem in eodem nata ſunt fieri. Et confirmatur, quia quod eſt ex euentu, eſt receſſus ab eo, quod eſt per ſe: receſſus ab aliquo eſt poſterius eo, nec ſeruari poteſt ſine illo: quare caſus & fortuna verſantur in rebus natis fieri propter finem, & rediguntur ad cauſſam operantem propter finem. Tertia diſtinctio eſt eorum, quæ fiunt propter finem; nonnulla ſine prælectione fiunt, vt quæ fiunt per naturam; alia fiunt cum prælectione, vt quæ fiunt ab homine, præcurrente conſultatione. Hæc diſtinctio nobis inſeruiet pro aſſignanda differentia inter caſum & fortunam. Demum eorum, quæ eueniunt; quædam, quamuis ſint nata ab agente experi, tamen ex euentu ſequuntur actionem agentis propter finem operantis; alia ſequuntur per ſe, & exoptata ab eo: caſus, & fortuna ad primum membrum pertinent. Hæ ſunt quatuor diſtinctiones eorum quæ fiunt. Et quoniam effecta referuntur ad cauſſas, & per effecta nobis notiora inuenimus cauſſas, ideo putandum eſt eaſdem quatuor diſtinctiones cauſſæ efficienti competere. Ex quibus colligimus communia caſui & fortunæ: nam dicuntur eſſe cauſſæ, quæ cum operentur propter finem, ex euentu, & per concurſum externæ & latentis cauſſæ aliquid efficiunt; quod nec ſemper, nec frequenter natum eſt ab eis fieri: veluti, ſi Alcibiades ambulandi gratia ingrediatur viridarium aliquod, ac eſuriens; cum viderit pomum, in quo eo inſcio ſerpens venenum dereliquerit; comedat illud: ſi venenum reci-

Explicatio ſententiæ Ariſtot.

Quatuor diſtinction.

Prima diſtinctio.

Secunda diſtinctio.

Tertia diſtinctio.

Quarta diſtinctio.

Quæ ſunt communia caſui & fortunæ.

Digitized by Google

recipit, & moritur, caſu quodam & forte fortuna venenum recepiſſe, ac obiiſſe dicetur.

An caſus & fortuna ſint, afferuntur rationes pro vtraque parte. CAP. XLIII.

CVm apparuerit, quod caſus & fortunæ nomine ſignificetur, facile modo eſt conſiderare & declarare, num dentur, & in vniuerſo locum habeant, nec ne. Vt tamen exactius id fiat, à dubitatione exordiar: dubitatio enim occaſionem præbet accuratioris conſiderationis. Apparet caſum & fortunam inania nomina eſſe, & in vniuerſo locum non habere. Ratio prima ex Deo, eius cognitione, ac prouidentia ſumitur. Nam Deo omnia ſunt explorata & certa, ab eo cuncta in ordinem ſunt redacta, nil ſubterfugit prouidentiam Dei: at præcognitio, præordinatio, & prouidentia, pugnant cum fortuna, & cum ea minime ſeruantur: ſi igitur omnia ſunt prædefinita, præcognita, & præordinata, nil erit in vniuerſo a caſu, vel à fortuna. Secunda ratio ſumitur ex natura. Legitur in primo libro de cœlo, contextu trigeſimo primo, *naturam nil facere fruſtra*, & in ſecundo de cœlo, trigeſimo quarto, ac alibi, *naturam de his, quæ fieri poſſunt, efficere id, quod optimum eſt*, & nil efficere vt contingit ſecundo cœli, quadrageſimo quinto, quare nil facit caſu: nam caſus ſignificat id, quod eſt fruſtra, & ex euentu, vt dicitur in ſecundo libro Phyſicorum. Tertio id oſtenditur ratione ſumta ex hominum præſagio. Nam Aſtronomi prædicunt, & Aruſpices per artes diuinatrices præcognoſcunt ea effecta, quæ vulgo caſu & forte fortuna facta dicuntur: non autem ea prædicere poſſent, niſi eſſent prædefinita, ac à definitis cauſſis proficiſcerentur: prædefinita autem, & à certis cauſſis prodeuntia, nec caſu, nec forte fortuna facta dicuntur. Ex aduerſo experientia, ratio, & communis vſus loquendi omnium, patefaciunt caſum & fortunam aliquid eſſe & in vniuerſo locum habere: omnes enim, cum ignari, tum ſapientes, frequenter de caſu & fortuna mentionem faciunt, de ea conqueruntur, multaque dicunt à caſu vel à fortuna fieri, & iure optimo profecto. Cum enim multa fiant præter inſtitutum agentis, per latentem concurſum externæ alicuius cauſſæ, & fiant extra ſemper & frequenter, eis competit definitio caſus & fortunæ, & propterea ex caſu & fortuna fieri dicuntur. Confirmatur ratione, nam vniuerſum, eo quia vniuerſum eſt, includere debet omnes rerum & euentorum gradus: cum igitur dentur neceſſaria, & ea, quæ fiunt vt plurimum: debent etiam dari ea, quæ fiunt præter hæc. Inſuper cum dentur definita & certa, etiam inueniri

Quod caſus & fortuna non dentur.

Ratio I.

Ratio II.

Ratio III.

Dari caſum & fortunam.

Ratio prima.

Digitized by Google

debent indefinita & incerta, cum adſint, quæ fiunt per inſtitutum; debent adeſſe etiam ea, quæ fiunt præter inſtitutum agentis: ac demum, cum detur materies, quæ eſt origo inconſtantiæ, inordinationis, & contingentiæ; inueniri etiam debent indefinita, inconſtantia, & contingentia nonnulla, quæ caſu fiant & forte fortuna. Quod confirmatur exemplo artis, quæ cum ſit æmula naturæ, nonnulla facit contingenter, & per fortunam.

Ratio tertia.

An caſus & fortuna ſint, opiniones variæ.
CAP. XLIV.

QVoniam de modo, quo res ex primis cauſſis pendent, variæ fuere veterum philoſophorum ſententiæ: ideo etiam de caſu & fortuna opiniones ſunt variæ, quarum duæ ſunt extremæ, cæteræ mediant. Conſentiunt primo omnes, multa fieri præter inſtitutum proximæ cauſſæ, differunt tamen. Quia Stoici cenſent cuncta fieri fato per neceſſariam quandam ſeriem, inſolubilemque catenam cauſſarum: adeo vt illud quod per relationem ad proximam cauſſam, quatenus modo occulto & præter opinionem eius euenit, dicitur fieri caſu vel fortuna, idipſum ob inſolubilem cauſſarum præcurrentium catenam, dicatur fieri neceſſario. Quorum ſententia tum ab Alexandro, tum à Plotino, tum à noſtris theologis recta ratione reiicitur. Ex aduerſo Democritus, Leucippus, Epicurus, Empedocles fere omnia fieri cœco quodam caſu arbitrati fuerunt, fortuitoque concurſu eorum principiorum, quæ materiem, naturam, & eſſentiam rerum eſſe putarunt: hi enim mundo nullum præeſſe ducem putantes, cuncta fieri cœco caſu dixere: quorum opinionem his carminibus Claudianus tetigit, inquiens:

Stoici.

Democritus.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

Quorum opinio tam in præcedentibus reiecta eſt. Inter hos mediant Theologi, Academici, & Peripatetici, qui cum conſentiant, per relationem ad proximas cauſſas multa fieri caſu & fortuna, & aſſerant ea fieri per variarum cauſſarum concurſionem, differunt tamen: quia nonnulli aiunt concurſionem illam habere cauſſam aliquam definitam eas connectentem, ad quam ſi res fortuita referatur, minime dicitur eſſe fortuita, ſed præcognita & prædefinita: quam cauſſam Theologi recte de omnibus ſentientes, dicunt eſſe Deum, Academici eſſe Dæmones: nonnulli vero inquiunt, concurſum illum cauſſarum omnino eſſe contingentem, á nullaque antecedente cauſſa prædefinitum, prænotum, ac præordinatum, adeo vt res inde prodiens, abſolute, & per quamlibet relationem dicatur caſu & fortuna facta. Huius opinionis

Opin. Ariſt. media inter eam Theologorum & Democriti.

Digitized by Google

nionis ego cenſeo fuiſſe Ariſtotelem, quod aperte conſtat. Primo quia Dæmones mortalia curantes (vt faciunt Platonici) non ponit. Secundo, quia Deo negat competere ideas, vel indiuiduorum, vel ſpecierum, ſine quibus (vt recte nouit Diuus Auguſtinus) nec ſingulorum prænotio, nec diſtincta cura Dei, ſeruari valet. Ideo in ſecundo phyſic. explicans pertinentia ad caſum & fortunam, patefacienſque, quomodo vera ſint multa, quæ à variis tribuuntur fortunæ: nunquam de prima cauſſa connectente & ordinante varias illas coincidentes cauſſas mentionem fecit: quod tamen facere debuiſſet, cum multa ob eam præordinantem cauſſam de fortuna dicantur, vt, quod ſit Dea, ſuperet humanum captum, & ſimilia. Præterea Ariſtoteles in ſecundo magnorum moralium. cap. 9. ait, *diſtributionem bonorum fortunæ non eſſe tribuendam Deo, quia frequenter iniuſte fit, ac ita indicaremus DEVM eſſe malum iudicem.* Inſuper addit, fas non eſſe, vt Deus curam habeat malorum. His aperte manifeſtat, Deum non eſſe cauſſam præordinantem concurſum earum cauſſarum, quem ſequitur euentus fortuitus. Ideo Auerroes etiam in duodecimo metaphyſ. 57. & alibi negat Deo competere diſtinctam cognitionem & curam ſingularium. Conſtat igitur ex ſententia Ariſtotelis res fortuitas & caſu factas, abſolute & quauis conſideratione & relatione eſſe tales. Propterea colligo Diuum Thomam, Simplicium, & Philoponum, qui in ſecundo phyſic. inquiunt, *per relationem ad Deum nihil fieri caſu, ſed ſolum per relationem ad cauſſas proximas, proferre quidem ſententiam veram, at non Peripateticam*, vt etiam fecit Boetius in libro de conſolatione philoſophica, necnon Auicenna in primo ſuæ ſufficientiæ, cap. 3. Colligamus itaque, ex ſententia Ariſtotelis caſum & fortunam abſolute dari. Ex ſententia autem Platonis & Theologorum dari in parte, non abſolute, hoc eſt, per relationem ad cauſſas proximas, non ad primas. Si autem Ariſtoteles hoc putaſſet, abſolute negaſſet dari caſum, quia ſæpe nos monet inſpiciendam eſſe cauſſam primam, & aſſerit in octauo phyſ. eam magis operari cæteris, & propterea ab ea ſumendam eſſe denominationem. Ex his conſtat, quomodo ea debeant intelligi, quæ caſum & fortunam deſtruere videbantur. Ratio ſumta ex præſcientia, prouidentia, & cura Dei, opinioni Ariſtotelis non aduerſatur, cum non cenſeat fortuita curari à Deo, nec aduerſatur Theologis, cum fateantur per relationem ad Deum, vel ad Dæmones miniſtros (vt aiunt Platonici) nil eſſe à caſu, vel à fortuna. Ratio ſumta ex natura, facile diluitur: Natura nil facit fruſtra (inquiunt Theologi) quia cuncta in aliquem finem ſunt ordinata: Natura nil facit fruſtra (inquiunt Peripatetici) loquendo de attinentibus ad ſpecies, nam in attinentibus ad indiuidua poteſt fruſtra aliquid efficere. Inſu-

Opin. Ariſt. perperam à nonnullis explicata.

Epilogus dictorum.

Diluuntur rationes euertentes caſum & fortunam.

Diluitur ratio prima.

Diluitur ſecunda.

Quatenus natura nihil faciat fruſtra.

Digitized by Google

per nil facit fruſtra per ſe, at ex euentu poteſt aliquid facere fruſtra. Tertia ratio ſumta ex artibus diuinatricibus diluitur, quia diuinatrices artes magna ex parte ſunt inanes, & ſi quid veri prædicunt, vel id faciunt per notitiam principiorum naturæ, à quibus opera non fortuita, ſed definita, ſi non ſemper, ſaltem vt plurimum manant, vel id faciunt contingenter, ex euentu, & valde raro, vt dum fortuita prædicunt. Hinc magna ex parte diuinatores & aruſpices loquaces, leues, & fallaces inueniuntur, & qui multa dicunt, neceſſe eſt vt forte fortuna aliquid veri enuntient, vt inquit Ariſtot. in lib. de diuinat. per ſomn.

Diluitur tertia.

Proponuntur & diluuntur duæ difficultates, quæ ex dictis ortum ducunt. CAP. XLV.

DIctum eſt ex ſententia Ariſtotelis ea; quæ ſunt caſu & fortuna, abſolute eſſe talia, & ad quamuis cauſſam referantur, ſemper fieri caſu. Hoc dubium videtur primo, quia Ariſtoteles in ſecundo Phyſicor. diſputans contra Democritum putantem cœlos factos caſu, inquit in cont. 67. Quare, ſi quam maxime cœli cauſſa eſt caſus, neceſſe eſt prius intellectum & naturam eſſe, & aliorum multorum, & huius vniuerſi cauſſam, quia id, quod eſt ex euentu, eſt poſterius eo, quod eſt per ſe, & accidit ei. At ego pari ratione dicam, omnes euentus fortuitos expoſcere cauſſam per ſe, à qua & illi, & alii fluant. Confirmatur per contex. 44. & 45. eiuſdem libri, ex quibus colligit Auer. omne pendens ex re facta à caſu fieri caſu: ita dicam ego, omne pendens ex eo, quod eſt, per ſe, per relationem ad illud eſſe per ſe: at omnia ex primis cauſſis pendent, quæ eſſentialiter ſunt ordinatæ, & per ſe operantur: cuncta igitur per relationem ad primas cauſſas erunt per ſe. Altera dubitatio eſt, quia ſi fortuita euenta, ad quamcunque cauſſam referantur, ſemper cenſenda ſunt talia, tunc & in cœlo, & in Deo locum habebit caſus & fortuna, quod Ariſtoteles in ſecundo Phyſic. 45. maxime inficiatur. Conſequentia deducitur, quia caſus & fortuna ſunt cauſſæ, quæ ex euentu rem producunt, at per dicta ex ſententia Ariſtotelis fortuita etiam à cœlo, & à Deo ex euentu prodeunt: quare & in cœlo, & in Deo locum habebunt, imo in eis præcipue habebunt ſedem, cum ſint cauſſæ primæ. De prima difficultate dico, ex ea ratione formata contra Democritum ſolum colligi, omne effectum fortuitum eſſe natum fieri per ſe, & omnem cauſſam, quæ fortunæ nomine denotatur, eſſe cauſſam per ſe operantem, & expetentem aliquem finem. Propterea Democritus negans cœlos poſſe fieri per ſe, & non præeſſe cauſſam per ſe operantem, non potuit dicere cœlos factos caſu: & Ariſtoteles ei obiiciens recte argumentatur, inquiens: *Si mundi ſunt facti caſu, igitur ſunt nati fieri per ſe, & cæterum*

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Diluitur prima dubitatio.

Digitized by Google

eorum cauſſa eſt nata operari per ſe, vt enim patuit in præcedentibus; id quod eſt ex euentu, accidit ei, quod eſt per ſe, nec ſeruatur ſine eo Et propterea Ariſtoteles in contex. 51. & 61. ſecundi phyſic. dixit, *fortunam eſſe præeligibilium, hoc eſt, rerum, quæ natæ ſint præeligi, & addebat, in habentibus intellectum ac prælectionem, ſignificans eam attinere ad cauſſam propter finem aliquem operantem.* Propterea minus recte ſenſiſſe cenſeo clariſſimum Ludouicum Boccaferreum, qui dixit, non ſemper fortuitum euentum debere eſſe natum præeligi, veluti dum prauus eſt. At errauit, quia ille quoque ab aliquo agente eſt natus expeti, vt patefecit Philoſophus de percuſſione caſu facta à cadente lapide, quæ malum aliquod eſt: ideo context. 63. dixit: *Decidit lapis non percutiendi gratia, caſu igitur decidit, quoniam cecidiſſe potuit proiectus ab aliquo percutiendi gratia.* Ex his colligimus primo, quod qui inquiunt cuncta fieri cœco caſu, nil fieri caſu affirmant, & qui ad omnia fortunam extendunt, in omnibus fortunam euertunt; ac demum, qui fortunam cunctis præ ſe ferunt, fortunam è ſuo regno repellunt, & in nihilum redigunt. Conſtat inſuper ſolutio inſtantiæ primæ ſumtæ ex cont. 67. At addebatur pro confirmatione ſententia Auerrois in cont. 44. dicentis: *Quod pendet ex aliquo facto à caſu, eſt à caſu, pariter dicam, quod pendet ex aliqua per ſe & definita cauſſa, eſt per ſe.* Reſpondeo primo, negando conſequentiam, quia à præſtantiore poteſt manare ignobilius, ſed non vice verſa, facile enim eſt in deterius labi: ſic itaque poteſt dari lapſus ab eo, quod eſt per ſe, ad id, quod eſt ex euentu, at non vice verſa. Addo ſecundo, id ſolum eſſe verum in cauſſis adæquatis, hunc in modum, quod pendet, tanquam ex cauſſa adæquata, à re facta caſu non concurrente alia cauſſa potiore & per ſe; eſt à caſu. Ita quod pendet, tanquam á cauſſa adæquata, non concurrente extrinſecus aliqua cauſſa ex euentu, ab ea prima dicitur fieri per ſe, ex cauſſa itaque per ſe, cum reduplicatione, nempe vt eſt cauſſa per ſe, id quod pendet, per ſe, & non ex euentu pendet. Altera erat dubitatio, quia ſic caſus & fortuna locum habebunt in cœlo, & in Deo. Reſpondeo, fortunam locum habere in primis cauſſis, intelligi poſſe dupliciter: primo vt in re effecta: ſecundo, vt in cauſſa. Vt in re effecta, nequaquã in eis locum habet: nil enim in cœlo reperitur, quod ſit factum caſu vel fortuna, & eclipſes, quę maxime videntur fieri caſu vel fortuna, minime ſunt caſu, quia habẽt cauſſas proximas definitas & certas, ex quibus definito & certo tempore neceſſario pendent; ideo de illis eſt ſcientia, & definite ab Aſtronomo pręnoſcuntur. Caſus tamen & fortuna locũ habent in cœlo & in Deo, vt in cauſſa, quatenus ſunt cauſſæ remotæ rerũ fortuitarum: ſecus tamen ex ſententia theologorum, & ex ſententia Peripateticorũ, vt patuit. Nã

Ludouicus Boccaferreus.

Solutio alterius difficultatis.

Digitized by Google

Quomodo in cœlo & in primis cauſſis locum habeant caſus & fortuna.

ex ſententia Peripateticorum etiã ex primis cauſſis fortuitæ res ex euentu prodeunt, & ideo ex ſententia eorum magis proprie dicemus, fortunam & caſum in primis cauſſis locum habere, & hoc cenſeo denotaſſe Ariſtotelem in ſecundo phyſ. dum in cõt. 55. dixit, *Sunt enim alia aliis proximiores earum, quæ ex euentu ſunt, cauſſarum.* Caſus itaq; & fortuna, vt in re effecta, ac etiam vt in cauſſa proxima, cum qua fit concurſio externæ cauſſæ, ſolum habent locum in mundo mortali, vt tamen in cauſſis remotis modo iã explicato, etiam in cœlo locum habere dicuntur. Conſidera tamen, quod fortuita & contingentia vniuerſe ſumta, nõ ſunt præter intentionem primarum cauſſarum, ac ita fortuita & contingentia, nec fortuita nec contingentia ſunt, ſumta tamen in parte, ſunt fortuita.

Quomodo fortuita non ſint fortuita.

An de caſu & fortuna ſit ſcientia, & ad quam partem philoſophiæ pertineant. CAP. XLVI.

CVm apparuerit, quid nomine caſus & fortunę ſignificetur, & quomodo ſint; iudicabit aliquis nos inaniter laborare ꝓ illis explicandis: quia ſcientia eſt eorum, quæ ſunt per ſe, & eorum, quæ ſecus ſe habere nequeunt; cum quibus ea, quæ ſunt ex euentu, apertiſſime pugnãt. Propterea dico caſum & fortunam dupliciter conſiderari poſſe. Primo pro diſtinctis fortuitis effectis, diſtinctiſq; cauſſis, à quibus ea proficiſcuntur: & quia hæc ſunt incerta ac indefinita, de eis ſcientia eſſe non poteſt, veluti non datur ſcientia de modo, quo ex euentu valeamus inuenire theſaurum, vel aliud aliquid forte fortuna facere. Secundo conſiderari poſſunt per cõmunia quædam, quæ omnibus cauſſis ex euentu aliquid producentibus competunt, eiſq; per ſe & ſemper cõueniunt, veluti quod ſint cauſſæ ex euentu, per latentẽ & fortuitum concurſum externæ cauſſæ aliquid extra ſemper & frequẽter producentes, & hac cõſideratione de illis poteſt eſſe ſcientia: nam ei quoq;, quod eſt ex euẽtu, nonnulla per ſe cõpetere poſſunt. Ideo ex hoc, & ex dictis in pręcedẽte capite colligere valemus, veriſſima eſſe hæc Paradoxa, fortuna nõ eſt à fortuna, nec caſus à caſu: nam vniuerſe ſumta, cauſſas habẽt certas & definitas. At dubium aliud occurrit. Si de caſu & fortuna poteſt eſſe ſcientia, ea conſideratio ad quam philoſophię partem pertinebit? Reſpondeo, eam varia ratione ad diuinum, ad phyſicum, & ad ciuilem Philoſophum pertinere. Attinet ad diuinum per relationem ad primas cauſſas, vt pateat, quomodo cũ diuina præſcientia, prouidẽtia, & præordinatione ſeruari poſſit. Et quoniã diuina exacte cognoſcunt Theologi, Ariſtoteles autem ſub nube tantum, ideo conſideratione diuina exacte a Theologo, obſcure à Metaphyſico explicantur. Inſuper attinet ad diuinum ratione

Quomodo de caſu & fortuna ſit ſcientia.

Conſideratio fortunæ ad quem pertineat.

Quomodo pertinet ad diuinum.

ratione entis in quo verſatur, quod in per ſe & ex euentu diuidi poteſt, ſimiliter ratione cauſſæ vniuerſe ſumtæ, quæ ſimiliter in per ſe, & ex accidenti diſtribuitur. Pertinet ſecundo ad phyſicum per relationem ad cauſſas proximiores, nam eiuſdem eſt conſiderare oppoſita: cum autem per ſe, & ex accidenti ſint oppoſita, & pertineant partim ad naturam, partim ad mentem hominis, vt eſt principium humanarum actionum, & illæ cauſſæ conſiderentur à phyſico; iure caſus & fortuna ad phyſicum pertinebunt: propterea recte Ariſt. in 2. phyſ. de illis cumulatiſſime diſſeruit. Præſertim autem pertinent ad librum phyſicorum: primo, quia de his ſolum conſiderantur communia quædam (vt dixi) in communibus autem verſatur Ariſt. in lib. phyſ. ſecundo, vt pateat per caſum & fortunam non augeri numerum quatuor generum cauſſarum, de quo ibi loquitur, ſed redigi ad vnum eorum: tertio, quia diſtinctio cauſſæ in cauſſam per ſe, & ex accidenti, eſt prima & communis, libro communi congruens: quarto, quia nonnulli putarunt eſſe cauſſas primas cum natura iunctas, à quibus cuncta manarent: quinto, quia non ſunt cauſſæ alicuius definitæ ſpeciei corporis naturalis, ob quam in libro aliquo ſub communi contento debeant conſiderari, ideo in communi explicari debent. Demum pertinet modo aliquo ad moralem: primo, vt fortuna connectitur cum humanis actionibus: ſecundo, vt proſpera fortuna connexionem aliquam habet cum felicitate, vt dicitur in primo moral. Nicom. nec non in 2. phyſ. ideo etiam Ariſtoteles in ſecundo magnorum moralium de proſpera fortuna verba fecit: demum, vt emendanda, dirigenda, & corrigenda per prudentiam & morales virtutes.

Quomodo ad phyſicum

Quomodo ad ciuilem.

Quomodo caſus, & fortuna, & ſors, inter ſe diſtinguantur. CAP. XLVII.

CAſus, fortuna, & ſors, quia ſummopere iuncta ſunt, ſibique mutuo apprime familiaria; propterea frequenter confunduntur, & vnum pro altero vſurpatur: proprie tamen ſumta inter ſe diſtinguuntur. Quorum diſtinctio vt appareat, conſiderandum primo eſt, caſum dupliciter vſurpari, & late, & proprie. ſi late vſurpatur, eſt tanquam genus fortunæ, & proprie ſumti caſus. At ſi accipitur proprie, nempe vt contradiſtinguitur à fortuna, tunc dicimus, fortunam attinere ad ſolum hominem agentem cum prælectione, dum præter inſtitutum & ex euentu aliud aliquid attingit; caſum vero attinere ad cauſſam agentem per naturam, intelligendo per naturam, etiam animam omnem infra humanam mentem collocatã: adeo vt caſus locum habeat in agente per naturam, ſiue experte cognitionis, veluti

Caſus dupliciter vſurpatur.

Caſus in quibus locum habeat.

in elementis, mixtis inanimis, ac plantis, ſiue eius compote, vt in iumentis, feris, pueris ante vſum rationis & amentibus. Diſtinctio hæc præſertim ex communi vſu loquendi deſumitur, poteſt tamen eius etiam aliqua ratio aſſignari, & eſt: quia ei competit genus, cui competunt ſpecies: eſſe bene & male fortunatum, ſoli competit homini, quia bona & mala fortuna cum felicitate & miſeria connexionem habent, felicitas & miſeria ei oppoſita ſoli competunt homini ratione vtenti: quare aduerſa & proſpera fortuna, & genus earum, ſoli homini ratione vtenti proprie tribuuntur. Confirmatur: quia munera fortunæ inſtrumenta ſunt humanæ prælectionis, & inſeruiunt homini per habitus animi operanti, non autem inſeruiunt inanimis & feris. Confunduntur tamen frequenter (vt dixi) hæ voces, & quæ eueniunt caſu, dicuntur fieri fortuna, ac vice verſa. Hoc fecit Ariſtoteles in primo Rhetoricorum inquiens: *Eſt autem fortuna nonnullorum cauſſa, quæ etiam ab artibus efficiuntur, ſed plerumque eorum cauſſa eſt, quæ nulla arte fieri poſſunt, & eorum, quæ natura quidem fiunt, ſed etiam contra naturam fieri poſſunt, nam bonæ valetudinis ars cauſſa eſt, pulcritudinis autem & magnitudinis natura.* Et poſt pauca: *Fortuna cauſſa eſt, vt ſi cæteri fratres deformes ſint, hic autem ſit formoſus, &c.* Aperte Ariſtoteles fortunam cum caſu confundit: proprie igitur fortuna ad ſolum hominem pertinet agentem per rationem, & in agendis locum habet. In rebus inanimis & feris locum habere poteſt fortuna dupliciter. Vel per metaphoram, vt lapides, ex quibus altaria conficiuntur, fortunati dicuntur, & equi principum dicuntur fortunati; aſelli autem pauperum & miſerorum hominum infortunati. Secundo in eis poteſt habere locum, non vt in cauſſis efficientibus, ſed vt in re, circa quam homo aliquid forte fortuna faciat: ita fortuna locum habet in auro, dum homo forte fortuna inuenit theſaurum. Et vtriſque his modis locum habere poteſt in puero & demente. Datur tamen etiam tertius modus, quo fortuna ad pueros & dementes pertinet, quatenus hi ex euentu valent aſſequi munus aliquod fortunæ præter eorum intentionem, vel ab infortunio liberari. Cum caſu & fortuna affinitatem habet id quod fruſtra dicitur, caſus enim græce αὐτόματον, hoc eſt, ipſum fruſtra nuncupatur. Ratio eſt, quia fruſtra id eſſe dicitur, quod cum in finem aliquem ſit ordinatum, finem illum non conſequitur, ſed eo fruſtratur, vt fruſtra dicimus medicamentum nos recepiſſe, ſi nullum attulit iuuamentum. Huiuſmodi quoque ſunt illæ cauſſæ, quæ ex euentu aliquid attingunt, attingentes enim aliquid ex euentu, ratione eius dicuntur recedere a principali ſcopo, ac modo aliquo dicuntur ſuo fine fruſtrari, vel ab eo recedere. Conſiderandum tamen quod, quamuis fruſtra &

Ratio diſtinctionis.

In inanimis quomodo fortuna locum habeat.

Fruſtra eſſe quid?

Fruſtra & caſus diſtinguuntur.

late

Digitized by Google

late ſumtus caſus, aliqua ex parte conueniant, differunt tamen multiplici differentia. Primo: quia fruſtra eſt aliquid commu nius, poteſt enim cauſſa fruſtrari ſuo principali fine, & nil ex euentu attingere: dum vero aliquid ex euentu attingit, ſi non abſolute, ſaltem per relationem ad illud dicitur recedere á fine, & eo fruſtrari. Secundo differunt, quia diſtincta ratione & fruſtra, & caſus nuncupantur: dicitur fruſtra, vt recedit á principali fine, dicitur caſus, vt aliquid præter intentionem attingit, & extrinſecus aliquid occurrit. Tertio differunt, quia caſus dicitur cauſſa ipſa, quæ ex euentu aliquid producit, vel ſaltem concurſus ille principalis cauſſæ cum externa, veluti dicebat Ariſt. in 2. phyſ. text. 61, cuius cauſſa eſt extra: fruſtra vero non eſt ea cauſſa, ſed modus ſe habendi eius ad ſuum finem, vt ſcilicet ſuo fine fruſtratur. Nam cauſſa ad finem ſe habere poteſt quatuor modis: vel nec illum, nec aliud attingit, ac ita eſt fruſtra ſine caſu: vel illum, & non aliud attingit, & tunc nec fruſtra, nec caſus adeſt: vel finem non attingit, ſed tantum aliquid aliud, & tunc adeſt caſus, & fruſtra, diſtincta ratione: vel demum attingit vtrumque, & tunc per relationem ad proprium finem, nec eſt fruſtra, nec caſus; per relationem vero ad illud aliud, quod vltra proprium finem attingit, eſt vtrumque. Demum cum caſu & fortuna, & præſertim cum fortuna, ſummopere nectitur ſors: vt docte & eleganter in ſexto libr. de rerum cauſſis declarauit nobiliſſimus iuuenis Franciſcus Maurocenus, Clariſſimi Petri filius, ingenii præſtantia ſcientiarum ſplendore, morumque integritate illuſtris, auditor olim meus accuratiſſimus, & vigilantiſſimus. Nectitur itaque valde ſors cum fortuna, adeo vt frequenter pro eodem vſurpentur, & ambo ſimul in bonam & malam diuidantur: Dum tamen proprie accipiuntur, ſors eſt latior quam fortuna; omnis enim fortuna dicitur ſors, ac non vice verſa. Nam dum aliquis operatur propter finem, quem difficile eſt aſſequi, ſi illum aſſequatur, ea dicetur, non fortuna, quia non eſt præter inſtitutum agentis: ſed ſors, vt in his qui vulgo dicuntur Lottio Venture, qui præmia conſequitur, dicitur ſortem habuiſſe. Ideo recte Cicero in Verrem dixit: *Ei venit in mentem è lege Rupilia, ſortiri dicas oportere, educit ex vrna tres, &c.* Pariter ſortem habent qui ludunt, dum lucrantur; qui venantur, dum multas capiunt feras, qui quærunt pretioſos lapillos, dum multos inueniunt: hæc non bona fortuna, nec oppoſita proprie dicitur mala fortuna, ſed potius bona & mala ſors, per quam bona, quæ expetit, faciliter, vel cum difficultate homo ſortitur.

Differentia prima.

Secunda.

Tertia.

Cauſſa ad finem quatuor modis ſe habere poteſt.

Ad quod genus cauſſæ fortuna & caſus redigantur. CAP. XLVIII.

CVm patuerit fortunam & caſum eſſe cauſſas eorum, quæ ex euentu fiunt, & cum ſint cauſſæ ex euentu, accidere cauſſis per ſe, ad eaſque redigi: iure optimo quærendum eſt, ad quod genus cauſſę redigantur. Pro cuius explicatione primo conſiderandum eſt, quod revera, nec fortuna, nec caſus, ſunt cauſſa vna aliqua determinata, de qua dicere valeamus, hæc eſt illa cauſſa, à qua euentus fortuiti eueniunt, nam ſi daretur huiuſmodi cauſſa, fortuna non amplius eſſet fortuna, ſed definitum aliquid: at proprie caſus & fortuna, ſunt illæ fortuitus principalis & externæ cauſſæ concurſus. Sed quoniam in eo concurſu conſideramus vnum principale, alterum ei occurrens, ad illud principale dicitur redigi caſus & fortuna, id enim, quod eſt ex euentu, alicui per ſe & primo accidere debet. Illud primum non eſt forma, quia munus formæ eſt formare, & dare eſſe: in qua muneris functione minime conſideratur caſus. Neque etiam eſt finis, quia caſus & fortuna, cum ſint fruſtratio, & receſſus á fine; non poſſunt accidere fini, & ex eo pendere. Neque etiam eſt materies, vt Democritus, Leucippus, Epicurus, & Empedocles exiſtimarunt, qui fieri impetu & neceſſitate materiei, fieri fato, fieri natura, & fieri forte fortuna, perperam confundebant, & in idem redigebant: materiei enim munus eſt ſubiici, ſubſterni, recipere, non autem aliquid producere. Reliquum itaque eſt, vt ad cauſſam efficientem redigantur. Quæ cauſſa efficiens principalis duplex eſt. Vel enim operatur cum ratione, & hæc eſt hominis mens: ad quam redigitur fortuna, quatenus ei accidit, dum agit propter finem, per latentem alicuius externi concurſionem vt ſit cauſſa alicuius præter inſtitutum. Vel huiuſmodi cauſſa efficiens eſt rationis expers, & tunc ad eam conſimili ratione redigitur caſus. Fortuna & caſus ita rediguntur ad mentem & naturam, vt ſint idem cum eis, & diſtinguantur ratione: accidit enim menti, vt per externæ cauſſæ concurſum euadat fortuna, ita accidit naturæ, vt per externum aliquod caſus fiat. Et quia id quod eſt per ſe, etiam eſt prius, propterea mens vt mens, & natura vt eſt natura, ſunt priores & digniores ſeipſis, quatenus caſus & fortuna euadunt. At ſuſpicabitur aliquis fortunã & caſum potius debere redigi ad materiem: Ratio eſt quia materies eſt origo contingentiæ, inconſtantiæ, & conditionis indefinitæ, è quorum genere ſunt caſus & fortuna. Cui obiectioni reſpondens dico, materiem eſſe tanquam ianuam, per quam fortuna & caſus in hunc orbem ingrediuntur, & eſſe cauſſam, ſine qua euentus fortuiti non producerentur: at minime eſſe cauſſam eos parientem & producentem, cum munus

Fortuna redigitur ad cauſſam efficientem.

Quomodo fortuna & caſus ad mentem & rationem ſe habeant.

Obiectio.

An redigantur ad materiem.

Solutio.

Digitized by Google

nus eius ſolum ſit recipere & pati. At pulcra occurrit dubitatio, quoniam re vera apparet potiſſimum debere redigi ad materiem, quia ea demta demitur, poſita ponitur, tum caſus tum fortuna: in cœlo enim locum non habent, quia in eis materies mortalium non reperitur. Confirmatur: quia inquit Ariſtoteles in quarto de generatione animalium, *monſtra ortum ducere à materie; hinc fœmina, quia materiem proli præbent, ſunt monſtri cauſſa, non mares: at monſtra à natura caſu, & præter intentionem fieri dicuntur: iure igitur fortuna & caſus rediguntur ad materiem, cui etiam ſimiles ſunt: vt enim fortuna, ita materies, cœca, inconſtans, indefinita, ignotaq; eſſe dicitur.* Huius difficultatis per iam dicta patet ſolutio: ex ea enim hoc ſolum neceſſario colligitur, quod materies ſit origo, ianua, & cauſſa, ſine qua non ſeruatur caſus, nec fortuna, non autem quod ea ſit illa princeps cauſſa, cui accidit, vt aliquid ex euentu producat. Et de monſtris loquens: cum dubitatio ſit, an dicantur fieri caſu vel ne, & opiniones ſint pro omni parte: vtiq; aſſerendum cenſeo, ea ſimilima eſſe factis caſu, non autē abſolute caſu fieri, cum non includant omnes eius conditiones. Similima ſunt his, quæ fiunt caſu. Primo; quia nec ſemper, nec frequenter fiunt. Secundo; quia (vt mōſtra) mala ſunt & præter intentionem ac legem naturæ: quamuis enim, vt ſubſtantię & compoſita phyſica, quibus potiora per naturam ex ea materie fieri non poterant, ſint bona; cum hac tamen reduplicatione (vt monſtra) profecto mala ſunt, & pręter leges ac intentionem naturæ. Tertio; quia talia ſunt per cōcurſum impedimenti, ob quod natura fruſtratur ſuo fine. Quarto; quia multa vere poſſunt caſu & forte fortuna concurrere ad conſtitutionem proximi principii monſtri: Iure igitur dicuntur ſimilima factis caſu. Non autem abſolute caſu fiunt, quia dantur definitę & certæ cauſſæ monſtri, per quas de illis valemus aſſequi ſcientiam, & huiuſmodi cauſſas in quarto de generatione animaliū patefecit Ariſtoteles: & hæ cauſſæ, non vere extrinſecus occurrunt, ſed internę ſunt; nā in materie ea impedimenta reperiuntur. Hanc cenſeo fuiſſe ſententiam Ariſtot. in 2. phyſ. 64. dicentis, *monſtra non fieri fortuna, ſed magis caſu*: non ait abſolute fieri caſu, ſed addit (magis) indicans ſimilima eſſe factis caſu, & ideo addit. (Eſt autem & hoc alterum) hoc eſt monſtra diſtinguūtur ab illis, quæ re vera caſu fiunt: & differētiam addens inquit: Huius enim (nempe rei caſu factæ) cauſſa eſt extra, hoc eſt, indefinita, & extrinſecus occurrens: illius vero (nempe monſtri) cauſſa eſt intra, nempe materies, quæ eſt eius interna, & definita cauſſa. Ita cenſeo locum illum explicandum: ex quo conſtat, quomodo monſtra expetantur, & non expetantur, ſint, & non ſint caſu. At vt ſunt ſimilima caſui, occaſionem profecto

Dubitatio.

Confirmatio.

Solutio.

An monſtra caſu fiant.

Monſtra ſunt ſimilima his quæ fiunt caſu nō tamen caſu fiunt.

Explicatur locus in ſecundo phyſicorum.

Digitized by Google

ſumunt à materie, ſine qua non fierent; producuntur tamen ab efficiente, & genitrice facultate, coacta per materiem id facere: ea enim, perinde ac optimus ſutor, ex datis pellibus calciamentum conficit (vt ei licet) optimum. At de hoc ſatis, nolo enim cũcta exacte ad viuum reſecare.

Qualis ſit fortuna, & cur ſit talis.
Cap. XLIX.

Fortuna bona & mala.

CVm fortuna, ob modum operandi, & cõditionem ſuorum euentorum, diſſimilis varia, & multiformis appareat, iure optimo communi hominum voce varia ei tribuuntur. Diuiditur præſertim fortuna in bonam & malam, ob varietatem eorum quæ eueniunt; ea enim vel ſunt bona, vel mala. Inſuper, euenta bona vel mala, poſſunt eſſe talia dupliciter, vel enim parum, vel valde bona, ſiue mala ſunt: ſi parum, tunc abſolute eorum adeptio dicitur bona, vel mala fortuna: ſi valde, & cum magnitudine ſint talia, tunc ab Ariſto. in ſecundo Phyſicorum, cõ. 56. nuncupatur εὐτυχία, & δυστυχία, hoc eſt, proſpera, & aduerſa fortuna, in primo tamen moralium Nicomachiorum capite 11. εὐτυχίαν latius vſurpans, etiam parua fortunæ bona εὐτυχήματα appellat: verum id facit per relationem ad felicitatem, per parua fortunæ bona ſignificans ea, quæ in felicitate conſpicuam varietatem efficere non valent. Eſt igitur ex ſententia Peripateticorum fortuna, vel bona, vel mala: quæ ex ſententia Stoicorum neutra eſt, ſed talis euadit, qualis eſt vſus eius: ex ſententia autem Theologorum fortuna omnis, quamuis per relationem ad nos poſſit dici & bona, & mala, abſolute bona eſt, quia omnia præordinata ſunt á Deo, & in bonum finem directa: demum fortuna omnis, vt inconſtans, & ſolam imaginem boni præ ſe ferens, cum veris, & conſtantibus bonis comparata, mala dici poteſt: adeo vt (varia ratione) omnis fortuna bona, omnis mala, omnis neutra, & quædam bona, quædam mala dici poſſit. Diuiſio in bonam ac malam, proſperam, & aduerſam, magis congruit fortunæ, quam caſui: ideo Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum, de fortuna, non de caſu, ea eſt vſus. Ratio eſt, quia fortuna pertinet ad agens cum ratione, cui ſolum eſt natum competere ſummum bonum, & ſummum malum, miſeria nempe & felicitas, non autem ceteris, in quibus verſatur caſus. Inſuper, fortuna nullius dicitur eſſe cauſſa, cum ex aduerſo ſit cauſſa multorum: nullius eſt cauſſa ex ſententia Ariſto. quia nil per ſe efficit, cum tamen multorum ſit cauſſa ex euentu. Per fundamenta autem Theologorum & Platonis dicere poſſumus, nil fieri abſolute caſu & forte fortuna, ſed ſolum per relationem ad proximas cauſſas. Demum, nil ſit à fortuna, ſi conſideremus vulgarem

Stoici. Theologi. Omnis fortuna bona, omnis mala, omnis neutra, & quædam bona, quædã mala.

Fortuna nullius & multorum cauſſa.

imagi-

Digitized by Google

imaginationem; quod fortuna ſit Dea quædam, quæ fortuitis euentis præſit: ea enim eſt quid inane, & commentum quoddã.

Tertio fortuna dicitur cœca, imprudens, temeraria; cum ex aduerſo etiam oculatiſſima, prudentiſſima, & ſapientiſſima dici poſſit. Eſt cœca primo, quia ſuis muneribus nos cœcos reddit, nã appetitu auri excœcati, etiam vitanda proſequimur. Ideo recte Cicero in lib. de amicitia dixit: *fortuna, vt medicus ignarus, multos excœcauit; non quod ipſa cœca ſit, ſed eos cœcos plerunq; efficit, quos complectitur.* Et Seneca dixit; *fortuna, quem fouet, ſtultum reddit.* Secundo talis dicitur ratione diſtributionis bonorum fortunæ: Cum enim populari imaginatione fortuna dicatur Dea diſtribuens inter homines munera ſua; & ea diſtributio non videatur iuſta, cum ſit inæqualis, vt plurimum improbi ſint opulentiores, iure dicitur cœca, iniuſta, & temeraria. Tertio, eſt talis ex opinione Ariſtotelis ob modum operandi, ea enim ſolum ex euentu operatur, & ideo cœca & rationis expers denominatur: At ſi ad primam cauſſam omnia dirigentem referatur, vtiq; eſt oculatiſſima, prudentiſſima, & ſapientiſſima. Quarto fortuna dicitur vaga, inconſtans, inſtabilis, volubilis, incerta, lubrica, varia, & anceps, cum ex aduerſo certa, conſtans, & immutabilis dici poſſit: & hæc varia conſideratione ſunt vera. Primo ea eſt mutabilis & inconſtans, ratione conditionis ſuorum munerũ, in quibus nil firmi & permanentis reperitur, vt conſpicuum eſt: Secundo, ratione modi diſtributionis eorum, & modi operandi fortunæ; ad quem modum præſertim cuncta retulit Ariſtoteles in ſecundo Phyſic. cum enim ex euentu res producat, vario modo, & inconſtanter eas efficit. Ex aduerſo autem, eſt firma & cõſtans triplici conſideratione. Primo, ratione infortunii, calamitatis, & malorum eius: nam facta comparatione inter bona & mala eius, quia mala longe ſunt plura, pluribuſq; communia; ideo mala fortuna conſtantior, bona inconſtantior iudicatur. Propterea recte ab Alciato dictum fuit: *Rebus in aduerſis mala ſors non fallitur; aſt in fauſtis, nec precibus, nec locus eſt manui.* Secundo eſt firma & conſtans, ratione conſeruationis ſuæ conditionis, ſuæque mutabilitatis: eſt enim immutabiliter mutabilis; ideo recte cecinit Ouidius:

Fortuna cœca & oculatiſſima.

Cicero.

Seneca.

Fortuna inconſtans & conſtans diuerſa rationis.

Ouidius.

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat;
Et manet in nullo certa tenaxq; loco;
Sed modo læta venit, vultus modo ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.

Hoc etiam latius expreſſit Boetius in ſecundo de conſolatione, proſa prima inquiens: *ſi putas erga te eſſe mutatam fortunam, erras; hi ſemper mores eius ſunt, ea naturam ſeruauit erga te propriam, potius in ſui mobilitate conſtantiam manifeſtauit.* Interro-

Boetius.

Digitized by Google

Apelles. gatus Apelles, cur ſedentem pinxerit fortunam: quoniam (inquit) ſtare non poteſt: at rectius cum Boetio reſpondere potuiſſet; quia in ſua volubilitate ſedet, & requieſcit: nam ei, quod eſt non poſſe ſtare, nō reſpondet ſedere; ſed potius conſtanter fluere. Tertio, dicitur certa & conſtans per relationem ad primam cauſſam ex ſententia Theologorum, vt cōſpicuum eſt. Quinto, fortuna dicitur occulta, latens, immanifeſta humanæ menti: ex aduerſo dicitur vulgaris, popularis, & manifeſtiſſima. Occulta eſt, ratione modi operandi; quia latenter operatur, per media occulta & ex euentu, de quibus non eſt ſcientia: ac ita eſt latēs ob ſui imperfectionem. Secundo eſt latens, ob ſui præſtantiam; dum refertur ad principium primum, à quo cuncta manant; quod primum principium ſuperat humanum captum. Ex aduerſo eſt vulgaris, & notiſſima: quia in rebus verſatur nobis familiaribus, & popularibus, & eius conditio, & inconſtantia eſt, manifeſtiſſima, & ore hominum cōtinenter expreſſa: hinc fortuna Dea quædam vulgi, & populorum dicitur. Ex his quoque conſtat: quomodo fortuna poſſit dici inuida, inſidiatrix, locuples, fallax, fragilis, velox, omnipotens, inſolens, impudens, iocax, audax, ſæuiens, arrogans, & ſic de ceteris.

Fortuna latens & manifeſta.

De Idolo, & figura fortunæ. CAP. L.

Pindarus. FOrtuna ex Pindari ſententia eſt vna Parcarum, ac ea quidem ſororum maxime potens, & iure quidem; nam humanas ſortes mira quadam potentia diſtribuere videtur: ab Homero tamen (ex relatione Pauſaniæ) inter Oceani filias numeratur, forte hac de cauſſa; quia Oceanus materiem ſignificat, ex qua ortum ducit contingentia. Nec deſunt, qui hanc Nemeſin dicant, quaſi Deam iuſtitiæ filiam & nuntiam; cuius mentionem fecit Plato in quarto de legibus: idque propterea factum cenſeo; quoniam ea, quæ forte fortuna euenire dicuntur, ſunt abditæ exſequutiones diuini iudicii. Hęc fortuna; cū variam ſeſe nobis offerat, variiſq; vultibus nos inſpiciat; á variis per varia epitheta deſignatur, & modo vario effingitur ac formatur. Nonnulli ex terra idolum eius conficiunt, cuius triplicem valemus aſſignare rationum. Prima eſt, vt pateat vilem eſſe conditionē eius, nam terra omnium corporum infima eſt. Altera ratio, vt pateat eam facile quaſi in puluerem redigi. Tertia, quia munera fortunæ præcipue ex terra prodeunt; vt metalla, & pretioſi lapilli. Seneca vitream dixit, vt eam facile frangi & perdi poſſe oſtēderet; vel vt ſignificaret, quod, quemadmodum vitrum non ex ſe fulget ſed munere radiorum ſolis meātium per illud; ita fortunæ bona, non ex ſe, ſed munere virtutis, dum eis recte vtimur, ſplendent. Et addebat; quod fortuna dum ſplendet, frangitur: & iure

Homerus.

Nemeſis.

Fortuna cur terrea.

Cur vitrea.

Digitized by Google

& iure; fortuna enim, dum per vſum refulget, conſumitur. Eam multi pingunt bifrontem, ac (vt dixit Magnus Albertus) partim nigram, partim albam, vel potius præditam facie poſteriore nigra, anteriore alba: vt denotent diuiſionem eius in bonam & malam. Apud Scythas ſimulacrum eius ſine pedibus formabatur: quod propterea factũ cenſeo, quia munera fortunæ, cum ex ſe iaceant, alienis egent quaſi pedibus, vt recta meent, & ſuo fungantur munere. Fingitur fœmina, eique adduntur alæ pro denotanda inconſtantia & leuitate eius: propterea recte dicitur. *Cur bifrons.* *Cur caret pedibus.* *Cur fœmina.*

Quid leuius vento? fulmen: Quid fulmine? fama:
Quid fama? mulier: Quid muliere? Nihil

Mulier leuiſſima res eſt.

Ac ob eandem rationem fortunæ imaginem, vel in rota, vel in rotundo lapide, ſiue ſtantem, ſiue ſedentem, pingunt. Alii autem inter vndas maris ſupra anguillam eam collocarunt, vela variis ventis dantem, vel in ſcopuli vertice montiſve cacumine. Nec deſpere, qui eam ſerpenti impoſuere, vt indicarent fortunam frequenter ſibi hominum prudẽtiam ſubiicere. Nonnulli quoque in dorſo currentis equi eam formarunt; quam fatum ſequeretur, eique immineret; fato enim demum fortuna ſuccumbit. Cupido dicitur fortunæ comes, quod fictum puto. Primo, quia amoris deſideria præſertim inſtrumento auri explentur; ac ob id nonnulli aiunt, ſagittas amoris aureas amorem parere. Secũdo, quia fortunam vehemens ſequitur hominum cupido: propterea dicitur: *Cupido comes.*

Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames?

Apud Smyrnæos idolum fortunæ pingebatur, ita vt polum capite fulciret, manuum altera ſuſtineret Amaltheum cornu: ideo Lactantius pictam apud Veteres teſtatur cum gubernaculo ſiue Temone & cornu copiæ; nam eam conſiderabant, vt diſtributricem eorum munerum, quæ fortunæ dicuntur. Nonnulli eam pingunt recte ornatam, alii incompoſitam, confuſamque, ob varietatem conditionum eius. Nec deſunt, qui ei tribuant clypeum; vt patefaciant vires eius in bello. Alii fortunam eandem cum occaſione finxere: ideo eam formarunt fronte crinitam, occipitio caluam, pedibus alatam, manu nouaculam gerentem, pilæque inſiſtentem; ac ob id dicitur:

Audaces fortuna iuuat, timidoſque repellit.

Nonnulli eam finxere velatam, alii cæcam & ſurdam, ac triumphare dixere, ductam à cæcis equis: ideo Ouidius:

Fortuna arbitriis cœlum diſpenſat vbique,
Illa rapit iuuenes: ſuſtulit illa ſenes,
Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcus cæca triumphat equis.

Zz 5

Non defuere, qui fortunæ aſſignarunt rotam manu reuoluendam, per quam in orbem conuerterentur homines hac conditione vt in infima totæ parte eſſent homines, eleuati ad culmen eſſent aſini, in locis mediis medio modo ſe haberent: indicantes hanc eſſe conditionem munerum fortunæ, vt homines rationis vſu priuent; niſi propria virtute ſe incolumes præſeruent. Cenſerem ego non imperite effingi poſſe idolum eius, ita vt in nube vmbra appareret variis vultibus prædita, extrinſecus leuiter fulgens, in medio duarum vrnarum collocata, ex quibus dextra & ſiniſtra manu ſortes educeret: quorum omnium ratio ex dictis elici poteſt. Nullum reperitur fictorum Deorum idolum tam vario modo formatum, vt illud fortunæ, & iure ꝓfecto; nullum enim eſt munus Deorum ita conſtans & varium, vt illud fortunæ Plinius lib. 36. naturalis hiſtoriæ, cap. 22. inquit: *Nerone principe, in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulua inciderant vena, ex argumento Phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem fortuna, quam Seiam appellant, à Seruio Rege ſacratam, aurea domo complexus. Quare, etiam foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpecularium modo, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa, &c.* At de his ſatis; nimium enim eſſem prolixus, ſi cuncta, quæ fortunæ tribuuntur, vellem referre.

Propria pictura.

Plinius.

An fortuna & caſus locum habeant in his, quæ æque fieri, & non fieri poſſunt. CAP. LI.

CVM apparuerit, quid, & qualis ſit fortuna, in hac parte variæ & pulcræ, difficultates occurrunt diluendæ, quæ ſatis dubiæ & obſcuræ eſſe videntur: quarum vna hæc eſt. Aſſeruimus vna cum Ariſtotele, caſum & fortunam habere locum in his, quę nata ſunt fieri extra ſemper & frequenter: verum quia hæc ſunt duplicia, vel enim raro eueniunt, vel ita ſe habent, vt æque euenire & non euenire poſſint: de his, quæ raro eueniunt, nulla eſt dubitatio; omnes fatentur, in eis caſum & fortunam locum habere: dubitatio eſt de his, quæ æque euenire & non euenire poſſunt, num in eis fortuna & caſus locum habeant. Quę dubitatio ortum ducit ex verbis Ariſtotelis: qui, ad quod membrum redigantur, non expreſſit, ſed indefinite dixit, in his verſari, quæ fiunt extra ſemper & frequenter. De hac difficultate duæ ſunt opiniones. Vna eſt Auerrois in ſecundo Phyſic. cont. 48. dicentis, *caſum & fortunam ſolum verſari in his, quæ raro fiunt.* Fundamentum eius eſt; quia caſus & fortuna rediguntur ad cauſam efficientem; cauſa efficiens, quæ æque ſe habeat ad oppoſita, non datur; quare caſus & fortuna ad eam redigi non poteſt. Quod non

Prima dubitatio.

Opinio aſſerentium fortunam in his ſolum verſari quæ eueniunt raro.

detur,

Digitized by Google

detur, oſtenditur, quoniam ſi daretur, eſſet inanis, ab agente enim æque oppoſita reſpiciente nulla prouenit actio, quia nulla eſt ratio, ob quam vnum potius quam aliud producatur. Et cõfirmatur, quia potentia indifferens eſt potentia patiens, quæ ſolum habet ortum à materie, potẽtia autem ſequens formam, qualis eſt potentia agens, definita & determinata eſt ad vnum: Solum igitur in his, quæ raro eueniunt, locum habent caſus & fortuna. Et addit Auerroes, hanc quoque fuiſſe ſentẽtiam Themiſtii. Inſuper contra Auicennam ait, *non eſſe dicendum, vt aliquid relatum ad vnum dicatur poſſe fieri vt plurimum, relatum ad aliud principium dicatur euenire raro, vel relatum ad vnum ſit neceſſarium, relatum ad aliud ſit à caſu, quia ſi hoc eſſet, non daretur neceſſarium, & contingens raro, vel frequenter, ex natura rei, ſed ſolum per relationem ad varia.* Hanc ſententiam Auerr. minime cenſeo veram. Primo enim aperte aduerſatur modo loquendi Ariſtotelis, qui in 2. Phyſ. ſemper ait, *caſum & fortunam verſari in his, quæ eueniunt extra ſemper & frequenter, non autem hoc contrahit ad ea, quæ fiunt raro*, & in calce primi de interpretatione, nec non in primo Priorum, ponit id quod eſt ad vtrumlibet, hoc eſt, æque ſe habens ad oppoſita: quare, cum ſolum excludat à caſu & fortuna facta ſemper & frequenter, conſtat quod concedit in his, quæ æque ad oppoſita ſe habent, reperiri poſſe. Quod ſi etiam facit mentionem Ariſtoteles de his, quæ raro fiunt; dicendum de eis feciſſe mentionem, tanquam de illis, in quibus manifeſtius reperiuntur, vel (vt ait Simplicius) quoniam ea, quæ æque fieri & non fieri poſſunt, comparata cum factis ſemper vel frequenter, dicuntur fieri raro. Confirmatur hæc ſententia conſpicuis exemplis: veluti ſi eueniat, vt aliquis Romam petens incidat in biuium conſimile penitus, nec maior ei ſe offerat ratio, cur viam vnam eligat potius quam alteram, ſi bonam eligat, dicitur, nõ ratione, ſed forte fortuna elegiſſe bonam: ac (vt exemplum ſit magis accommodatum) imaginemur, quod eo inſcio in vna earum viarum reperiantur fures, non in altera, ſi eam eligit, in qua fures non reperiuntur, dicetur forte fortuna vitaſſe ſicarios & latrones. Ita quoque, ſi aliquis ſitiens videat duos cõſimiles fontes, quorũ vnus eo inſcio vim habeat reddẽdi hominẽ poetam, altera vero inebriãdi, ſi de priore bibat, dicetur forte fortuna euaſiſſe poeta. Ita etiam cõmuni hominum voce, in his, quæ æqualia ſunt, dicimus vim habere fortunã, vt dũ ſingulari certamine duo æque fortes dimicãt, vel duo æque potẽtes exercitus inuicẽ pugnãt, & dubiis pennis inter vtrumq; victoria volat, dicimus hunc vel illũ fortuna euaſiſſe ſuperiorẽ, & Ariſtoteles communi loquendi modo plurimum tribuit. Innumera poſſem conſimilia exempla referre. Inſuper falſa eſt ea ſententia

Canon. Ratio. Confirmatio.

Reiicitur ſententia Auerrois.

Confirmatur per exempla.

An ab agente æquali prodeat actio.

Auerrois, quod ab agente æque reſpiciente varia non valeat prodire actio: nam cõtingere poteſt, vt ſimul duo obiecta æque in homine excitent appetitionem ſui, qui deinde ſi vnum eligat dimiſſo altero, ex euentu id eligere dicitur, vt ſe habet de æque ſitiente & eſuriente, cui æque ſit data facultas vtrũlibet primo recipere: ſimiliter ſi famelico offerantur duo conſimiles panes, eique tribuatur optio alterius eorum, ſi vnum vel alterum accipiat, contingenter, & non certa ratione, id ſumſiſſe dicetur: aſſerere autem quod neutrum acciperet, ſed potius fame periret (vt audent dicere nonnulli) deterius eſt quam inſanire, id enim nemo quamuis inſanus efficeret. Ea igitur ſententia (ab agente æque reſpiciente oppoſita non producitur actio) vera quidem eſt per ſe, at ex euentu alterum oppoſitorum ab eo prodire poteſt, vt recte aſſeruit Simplicius in ſecundo Phyſic. Et confirmatur, quia ſi ab agente id producitur, quod raro fit, longe magis id produci poterit, quod æque fieri & non fieri poteſt. Prętérea quamuis cauſæ efficientes, ad quas redigitur caſus, & fortuna, dum referuntur ad finem proprium, quem expetunt, ſint definitæ & certæ: dum tamen referuntur ad ea, quæ præter inſtitutum agentis eueniunt, ob varia, quæ vel æque, vel raro, vel frequenter ei occurrere valent, poſſunt multipliciter ſe habere. Præterea fortuna pertinet ad cauſam operantem cum prælectione, quæ cauſa (vt fatetur Auer. in 8. Phyſic. cont. 8.) valet oppoſita per ſe agere, quare inficiari non debemus, ab huiuſmodi agente alterum oppoſitorum poſſe fieri. At reſpondet Auerr. in 2 Phyſic. 48. inquiens, *Vim appetentem eſſe vim motam & patientem.* Verum hæc euaſio non ſatisfacit, quia, quamuis ea facultas primo à fine & ab obiecto moueatur, ea tamen deinde dicitur proximum principium efficiens, vt patet ex tertio de anima, 49. & in 8 Phyſ. cont. 8. inter cauſas efficientes ab Ariſtotele numeratur, cui contingere poteſt vt æque à variis appetibilibus inuitetur. Inſuper, minus recte Auerroes tribuit Themiſtio, quod cenſuerit fortunam in his ſolis verſari, quæ raro fiunt, non enim hoc dicit Themiſtius, imo Græci omnes affirmant in vtriſque locum habere, vt etiam Auicenna primo ſuæ ſufficientiæ, cap. 13. Præterea, dubia etiam eſt eius ſententia, dum inquit, idem non poſſe cenſeri contingens ac indefinitum vna conſideratione, definitum vero altera: nam ipſemet in 12. Metaphyſ. cont. 41. *motum cœli* ait *eſſe ex ſe contingentem, neceſſarium vero ab alio.* Similiter idem poteſt eſſe neceſſarium ex conditione, abſolute vero contingens: nam neceſſarium, & contingens, quamuis abſolute ſumpta diſtincta ſint, dum tamen cõſiderantur cum relatione, ob relationem ad varia, in idem venire poſſunt, Fundamenta Auerrois per ea, quæ dixi, euerſa & reiecta ſunt. Colligens itaque dico, caſum & fortunam

Solutio Auerrois.

Euerſio.

Alius error Auerrois.

Digitized by Google

tunam locum habere, nedum in his, quæ raro fiunt; verum inſuper in his etiam, quæ æque fieri & nõ fieri poſſunt. Addo ſecundo, caſum & fortunam præſertim fulgere, dum id fit, quod valde raro natum eſt fieri. Euenta enim fortuita recipiunt magis & minus, quatenus etiam magis vel minus poſſunt contingenter euenire. Dico tertio, fortunam magis, quam caſum, verſari in his, quæ æque fieri & non fieri poſſunt. Ratio eſt, quia fortuna ad mentem redigitur, quæ libera eſt, & magis ad oppoſita eſt parata, quam natura, ad quam caſus pertinet. *Colligitur primo.* *Secundo.* *Tertio.*

An caſus & fortuna recipiant magis & minus.

Cap. LII.

IVre optimo dubitare poterit aliquis, num verum ſit id, quod dixi, caſum ſcilicet & fortunam recipere magis & minus, cum enim caſus & fortuna ſint cauſæ indefinitæ ac ex euentu, in infinito & eo, quod eſt ex euentu, nec ordo, nec magis & minus, ſeruari poſſe videntur. Cui difficultati reſpondens dico, in caſu & fortuna poſſe inueniri magis & minus quinque modis. Primo, ratione ordinis cauſarũ per ſe, ex quibus ex euentu aliquid pendet, quatenus earum cauſarum quædam ſunt proximæ, aliæ remotæ. Veluti ſi Alcibiades deſiderio belli ductus ad militiam ſe cõfert: electus autem centurio, & miſſus ad expugnandum oppidum aliquod, cupiens caſtra ponere, terrã fodit, eam fodiens, clypeum Achillis ibi abſconditum forte fortuna inuenit, quæ inuentio pendet primo ex deſiderio militiæ, mox ex deſiderio expugnãdi oppidum, proxime demum ex deſiderio caſtrorum: & hæ omnes cauſæ fortunæ nomine deſignari poſſunt, quia in his, quæ ſunt ex euentu, inuenitur prius & poſterius, vt affirmauit Philoſophus in 2. Phyſic. context. 55. Sed dubium eſt, quænam earum cauſarum magis proprie nomine fortunæ deſignetur. Simplicius eo in loco inquit, quod proxima: nonnulli, quod remota, quoniam cauſa prior magis eſt cauſa. Reſpondendum cenſeo, cauſam priorem, abſolute magis eſſe cauſam, & modo eminentiore: proprie vero & rectius eam cauſam dici caſum, cui aliquid extrinſecus occurrit, quæ, dum refertur ad euentum ꝓprie fortuitum, proxima eſt, & propterea, qui aiunt cauſam proximam magis eſſe fortunam vel caſum, rectius ſentiũt, nam externi concurſio caſum conſtituit. Secundo competit caſui & fortunæ magis & minus, ob varietatem modi operandi propter finem. Illud enim agens, quod lucidius propter finem operatur, dum aliquid ex euentu attingit, lucidius etiam caſu vel fortuna id attingere dicitur. Ratio eſt, quia fortuitus euentus eſt receſſio à ſcopo & à fine, propterea ibi magis fulget, vbi magis conſtat *Solutio.* *Quinque modis fortuna recipit magis & minus.* *Primus modus.* *Modus ſecundus.*

Digitized by Google

agens agere propter finem, lex enim peccatum decernit & patefacit, quatenus peccatum eſt receſſio à lege, fortuita autem euenta ſunt peccata quædam, hoc eſt, receſſiones à fine. Hinc caſus magis fulget in homine, & in eo diſtincto nomine, nempe fortunæ deſignatur: ſecundo loco fulget in iumẽtis & feris: tertio in plantis, demum in inanimis. Tertio, caſus & fortuna recipiunt magis & minus ex eo, quod rarius & difficilius aliquid euenit: quo enim inopinatus euentus rarius eſt natus occurrere; eo magis, dum euenit, fortuna & caſu euenire dicitur. Quarto ex magnitudine rei, quæ euenit, verum hac conſideratione non recte magis fortuna, ſed maior vel melior fortuna dicitur, vt maior fortuna eſt, ſi fodiens inueniat magnam auri copiam; quam ſi exiguam. Demum poſſunt recipere magis & minus ex conditione agentium, & inde oritur dubitatio; an fortuna magis in viro quam in fœmina, magis in imprudente, quam in prudente, magis in principe, quam in viro priuato, locum habeat, & varia argute & elegãter pro omni parte dici poſſent. Ego autẽ pauciſſimis me expediens de principe & priuato, dico in principe eminẽtiori modo fortunam refulgere, & in eo clarius ſuas vires patefacere: vires enim menſurantur per maximum quod poſſunt, vt in primo de cœlo oſtendit Philoſophus. Ita vires fortunæ manifeſtantur, dum dicitur:

Tertius. *Quartus.* *Quintus.* *An fortuna magis in viro principe, vel priuato locum habeat.*

Si fortuna volet, fies de rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule rhetor.

Ita maxima dicitur fuiſſe fortuna Alexandri, Tamerlani, Darii, & ſimilium; hoc tamen redigi poteſt ad id, quod dixi de magnitudine fortuiti euentus Si fiat comparatio inter virum prudentem & imprudentem, dixit Ariſt in ſecundo lib. magnorum moralium, cap. 9. *Vbi mens plurima ac ratio, ibi fortuna minima, vbi plurima fortuna, ibi mens perexigua*, quibus verbis patefacit, in imprudente magis vigere fortunam, & iure profecto: viri enim prudẽtis eſt præuidere & præcauere omnia, quæ ei euenire poſſunt, nec viri prudentis eſt dicere, hoc non putaueram. Conſiderandum tamen, quod fortuna in vtriſque locum habet, non enim valet prudens cuncta exacte præuidere. At in viro imprudente fortuna eſt frequentior, eique familiarior, in prudẽte tamen magis ſuas vires patefacit, quia difficilius eſt, vt aliquid ei ex euentu accidat, & dum aliquid ei euenit caſu vel fortuna, lucidior patet receſſus à fine, cum magis conſtet finis, ob quem operatur: adeo vt in vtriſque, diſtincta ratione, magis & minus reperiri dicantur. Idipſum dicẽdum eſt, dum fit comparatio inter marem & fœminã, poſitis enim ceteris paribus, vir eſt prudentior quam fœmina, & propterea fortuna cum actionib. fœminæ magis permiſcetur, adeoque eſt ei familiaris, vt fortuna

An fortuna in prudente vel in imprudente magis verſetur.

An fortuna magis in mare, quam in fœmina locum habeat.

fœmina,

fœmina, & fœmina fortuna dici mereatur, fœmina enim, non ſecus ac fortuna, eſt volubilis, inconſtans, temeraria, virtutique aduerſa. In viro tamen fortuna magis ſuas vires oſtendit, tum, quia magis agit, tum quia verſatur in illuſtrioribus, demum, quia diſtinctius operatur propter finem, & lucidius apparet receſſus ab eo.

Cur fortuna dicitur aduerſa virtuti, inimica ſapienti, dementi vero amica. CAP. LIII.

COMMVNIS fere omnium vox eſt, fortunam cum virtute pugnare, aduerſam eſſe ſapientię, viros probos deprimere, improbos extollere, inſipientes fouere, curam habere de demētibus, cuius ſententię ratio conſpicua non eſt, & propterea varia à variis de ea dicuntur. Inquiunt nonnulli iure id euenire, quia ſimile per naturam ſimili eſt amicum, fortuna eſt demens, inſana, improba, iure igitur viros ſibi conſimiles amplectitur & fouet. At hoc minime ſatisfacit: non enim, quia fortuna ſit inſana & improba, dementes & improbos fouet, ſed potius vice verſa, quia inſpicimus ab ea euehi improbos, deprimi probos, nuncupamus illam inſanam & improbam, & maxime, quia non datur vlla definita cauſſa, quæ fortunæ nomine deſignetur, cui re vera improbitas conuenire valeat, cum fortuna ſit concurſio quędā variarum cauſarum. Aſtronomi qui ſydereis fatis omnia tribuunt, ſuo more confugiunt ad vires proprias Planetarum, aſpectuum eorum & coniunctionum, & præſertim Saturni & Iouis. Sed inania dicunt, ſtellæ enim cauſſæ communes ſunt, quæ communiter cuncta fouent: quod autem hic ſit probus, ille improbus, hic pauper, ille diues, hic ſapiens ille inſipiens, non ſtellis, quæ per naturā conſimiliter in omnia operantur, corporaq; nō animos ſuo lumine & motu formant, tribuendū eſt, ſed cauſſis magis propriis, ac propinquioribus. Propterea pro reſolutione tria vidēda ſunt, primo, an ea ſententia ſit vera, ſecundo, ſi in parte eſt vera, quæ ſit ratio eius, tertio, cur fortuna dicatur curare & cuſtodire dementes. De primo dico, fortunam non eſſe aduerſam virtuti, ſed ei maxime amicam. Ratio eſt, quia cunctis id abſolute tribuere debemus, quod eis per ſe conuenit, nō autem id, quod eis conuenit ex euentu: fortunæ munera parata ſunt, vt ſint inſtrumenta virtutis, vt virtuti inſeruiant: finis autem, & ordinata in finem, apprime ſibi ſunt familiaria, ſummopereq; inter ſe deuincta ac complicata. Inſuper, ſolus ſapiēs & probus, re vera eſt diues & fortunatus, quia munera fortunę, ſoli probo ſunt bona, improbo mala ſunt: ita vera eſt ea ſententia a Stoicis & Academicis prolata, *ſolus ſapiens eſt diues, ſolus probus eſt fortunatus, vt etiam ſolus probus* a Platone dicitur *potens.* Ea igitur

Opinio prima

Euerſio.

Opinio Aſtronomorum.

Euerſio.

Conſideranda pro reſolutione.

Fortuna non aduerſa ſed amica virtuti.

Solus probus reuera fortunatus.

Quinq; aſſignantur rationes, ob quas fortuna dicitur aduerſa virtuti.

ſententia, dum per ſe conſideratur, falſa eſt. Dico ſecundo, eam ſententiam eſſe veram ex euentu, & in parte, quatenus magna ex parte accidit, vt viri probi ſint pauperes & humiles, improbi vero abundent fortunę bonis, & ad gradus in vrbe ſublimiores eleuentur: cuius rei ratio multiplex eſt. Prima & pręcipua ſumitur ex genere vitæ. Cum enim viri probi & ſapientes, ſola animi bona magnifaciant, negligant autem bona corporis & fortunæ,

Ratio prima.

iure optimo ex eorum negligentia oritur, vt illis careant; at ſi vir ſapiens & prudens vellet diuitiis nauare operam, facile & cito ditari poſſet, vt exemplo Thaletis in primo de repub. patefecit Ariſtot. Thales enim per aſtronomiam pręuidens futuram ſterilitatē olei, patefecit ſe munere ſapientiæ facile poſſe ditari: viri igitur ſapientes ob negligentiam id habent, inſipientes vero pertinentia ad corpus magnifacientes, ob curam & diligentiam euadunt opulentiſſimi.

Secunda.

Altera ratio eſt, quia ipſamet fortunæ munera frequenter reddunt homines laborum inimicos, voluptatum amicos: & propterea, non improbitas auget fortunæ munera, ſed contra, hæc improbitatem & inſcitiam.

Tertia.

Tertia ratio eſt, quia improbi per fas & nefas nitūtur accumulare fortunę munera, quod vitāt probi.

Quarta.

Quarta quia viri probi cognoſcētes diuitias in vſu debere eſſe poſitas, & tunc fulgere dū erogantur, eas iuſte, ac vt decet diſtribuūt: ideo liberales non ſunt diuites, non alia ratione, niſi quia liberales ſunt, ecōtrario auari & improbi potius accumulationi pecuniarū nauāt operā, quia in copia, non in probo munerum fortunæ vſu bonum eorum cenſent eſſe collocatum.

Quinta.

Quinta ratio ſumitur ex conditione quorundam principum, ac eorum, qui numero & viribus dominantur: magna enim ex parte viri ignari, qui plurimi ſunt, principatum obtinent, & propterea deprimunt & conculcant probos & ſapientes, quos ſi eleuarent, ſemetipſos deprimerēt, dum enim magnifacerent cōditionem ſapientis, conditionem propriam eis aduerſam deprimerēt, & vili penderent. Inſuper, id faciunt, quia ſimile ſuo ſimili delectatur & ſeruatur, ac etiam per naturam ſibi ſimile formare nititur.

Laus principum Europæ.

Ex quo conſtat, quantum teneantur & debeant literarum ſtudioſi variis Europę principibus, ſapientibus ſimul & probis, qui pertinentia ad ſtudia fouerunt & auxerunt. Et præſertim AMPLISSIMAE VENETORVM REIPVB. nec non SPLENDIDISSIMAE MEDICEÆ FAMILIAE: à quibus (vt cetera ſilentio præteream) capta Conſtantinopoli miſereque depopulata, viri ſapientes, rarioreſque libri, qui incolumes ruinam publicam euaſerunt, in Italiam delati, eximia pietate, tanquam in ſinu recepti, accurate ſeruati, magnificeque aucti fuerunt. Hoc aperte teſtantur Cardinalis Beſſario, Argyropolus, Trapezuntius, Theodorus Gaza, & alii,

nec-

Digitized by Google

nec non libri multi ita ſeruari: qui mox tãquam fœcunda ſcientiarum ſemina per Italiam effuſa, puriores literas parere valuerunt: in quo obeundo munere ſplendidiſſime refulſit Leo Decimus, nec nõ Laurentius Medices, qui in ditanda, amplificandaque Bibliotheca accuratius quam in accumulãdis opibus inſudauit. Ex his cõſtat, quomodo vera ſit ea ſentẽtia (audaces mundo, fortunæque bonis fruuntur) nam fortuna occaſioni eſt conſimilis & familiaris, crinita eſt in fronte, calua in occipitio: dum ea ſe nobis offert, audacter eſt arripiẽda, quod faciunt audaces: modeſti autẽ frequenter ſua modeſtia occaſionum munere non vtuntur cui ſimilis etiam eſt ſentẽtia illa: (Qui timide petit, negare docet.) Demũ vt de tertio loquar, dicuntur dementes à fortuna curari ac ſeruari: id tamen non videtur contingere poſſe; quia dictum eſt fortunam verſari in agente cum ratione & prælectione, quod amentibus non conuenit. Propterea dicendum eſt, per amentes; vel denotari eos qui penitus ſunt mẽtis inopes; vel viros diminutæ ſiue deprauatæ mentis. Si intelligimus primos, proculdubio in eis non habet locum fortuna, vt in cauſa efficiente; ſed tãtum, vt in patiente, & per metaphoram; quatenus eis accidit, vt à periculis liberentur, & fortunæ bona aſſequãtur, & dum hoc eis cõpetit, putandum eſt ortum ducere, partim ex eorum temeritate, per quam redduntur audaces, cum non iudicet pericula; partim, quia cauent homines, ne viros amentes quaſi innocentes lædant: partim demum, quia, dum ex periculis euadunt incolumes, & bona aliqua conſequuntur, cum id non poſſit eorum prudentiæ tribui, cuius ſunt expertes, communi voce fortunæ tribuitur, & mirũ iudicatur, ſi accidit, vt bonũ aliquod aſſequãtur: propterea id populari voce celebratur, at magna ex parte ſecus ſe habet, frequẽter enim amentes etiam ſunt miſeri, infelices, & calamitoſi. Si v. per amentes eos intelligimus, quorum mens ſiue vſus mẽtis ſit diminutus vel deprauatus; ex dictis in præcedentibus conſtat, quid ſit dicendum.

Cur audaces fortunati.

An fortunæ curæ ſint dementes.

Vtrum ſit difficilius in proſpera an in aduerſa fortuna modum ſeruare? CAP. LIV.

De fortuna iure optimo oppoſita vere dicuntur, nempe quod ſit ebria & ſobria, ſuperba & humilis, prudens & imprudens: idque oritur ex oppoſitis eius conditionibus: nonnunquã enim ad nimium, nonnunquam ad parum labitur: ſi ad nimium; ſuperba, ebria, & imprudens videtur: ſi ad parum, humilis, ſobria, & prudẽs: quatenus tales frequenter reddit homines, quos amplectitur. Inde ortum ducunt duæ quęſtiones ſatis iunctæ & cõplicatæ: vna eſt, an proſpera fortuna magis obſit, quam

Proſperam fortunam potius obeſſe.

Boetius.

proſit; altera vero, num difficilius ſit in proſpera, an in aduerſa fortuna modum ſeruare: de quibus varia dicuntur. Ac vt diſtincte de vtriſque verba faciam, primo, quod proſpera fortuna magis obſit quam proſit, aduerſa vero econtrario; eleganter ſatis dicitur a Boetio in ſecundo de conſolatione, proſa octaua his verbis: *Etenim plus reor hominibus aduerſam, quam proſperam prodeſſe fortunam: illa enim ſemper ſpecie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur, hac ſemper vera, cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat: illa fallit, hac inſtruit: illa mendacio ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram, hanc ſobriam, ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem. Poſtremo felix à vero bono deuios blanditiis trahit, aduerſa plerumque ad vera bona reducens, velut vnco retrahit, &c.* Cum igitur proſpera fortuna inflet animos, ad voluptates alliciat, à ſupernis reuocet, cum mundo hoc mortali nos liget, prudentiam obtundat, & magis vitia & inſcitiam, quam virtutes & ſapientiam nutriat; iure optimo magis obeſſe, quam prodeſſe videtur: aduerſa autem fortuna cum oppoſita pariat, videtur præferenda; ac magis videtur

Seneca.

prodeſſe, quam obeſſe. Hinc Seneca in Prouerbiis dixit: *Fortuna quem fouet, ſtultum reddit*: & in lib. de conſolatione filiæ Heliæ aſſeruit; *Vnum habet bonum aſſidua infelicitas, quod illos indurat,*

Pythagoras.

quos vexat. Dicebat Pythagoras, *tum maxime in mentibus hominum religionem verſari, cum in miſeriis ſunt conſtituti.* Cum igitur aduerſa fortuna ſit expurgatio animi à vitiis, & ad diuina conuerſio, longe magis prodeſt quam obſit, proſperæque fortunæ

Archytas.

præferenda videtur. Quam ſententiam comprobauit etiam Archytas Pythagoræus in libro de viro bono & beato (referente Stobæo ſermone primo de virtute) inquiens: *Vt corpus quidem læ-*

Magis obeſſe fortunam aduerſam.

dit tam defectus quam exceſſus, maiores tamen morbos afferre ſolent exceſſus & ſuperfluitates quæ vocantur, ſic & animam lædit tam proſperitatis, quam calamitatis ſpecies, ſi intempeſtiue ingruat: atque languores grauiores afferre ſolet, quæ dicitur apud omnes bona fortuna, quæ inſtar vini inebriat bonorum virorum mentem, &c. Verum ex aduerſo putabit aliquis hæc potius dici in cõſolationem miſerorum; & pro lenienda aduerſa fortuna, quam quia re vera ita ſe habeat: Iam enim apparuit, munera fortunæ abſolute eſſe bona, & propterea abſolute, & per ſe prodeſſe quidem, non autem obeſſe putandum eſt. Soluens autem breuibus difficultatem di-

Solutio.

co, fortunam proſperam per ſe eſſe bonam, ex euentu malam; aduerſam vero contra, per ſe malam, ex euentu bonam: verum contingit; vt id, quod ex euentu eſt, frequentius & in pluribus reperiatur, quam id, quod eſt per ſe. Hæc reſolutio ex eo eſt conſpicua, quia (vt ſuo loco patuit) munera fortunæ ſimpliciter ſunt bona,

Digitized by Google

bona,& eorũm oppoſita mala, & propterea per ſe proſunt, oppoſita obſunt: verum quia non proſunt ſine recto vſu;qui paucis competit, ideo fortuna proſpera magis obeſt quam proſit: fortuna autem aduerſa non ita obeſt;tum quia nõ offert inſtrumenta vitiorum, ſed aufert, tum inſuper, quia facilius eſt eam modeſte ferre,quã proſperam. At de hoc modo loquendum eſt, an ſit difficilius in proſpera, quam in aduerſa fortuna, modum virtuti conſentaneum ſeruare. Dixit Archytas Pythagoræus, (referente Stobæo loco nuper relato) *non aduerſam fortunam commode ferre, ardua res eſt, ſed proſperam fortunam: omnes enim, quamdiu in miſeria permanent, vt plurimum moderati modeſtique moribus eſſe videntur, potens enim eſt calamitas ad contrahendam & componendam animam, &c.* Et iure hoc dicitur: nam infortunia ſpiritus contrahunt, cogitationes componunt, in noſmetipſos nos reuocant,ac neceſſitate quadam, quaſi flagello, nos ad virtutem compellũt. Ideo dixit Arceſilaus, *paupertatem aſperam eſſe, ſed bonos parere filios*:& Diogenes eam appellabat *ſapientiam, qua ex ſe addiſceretur.* Cum igitur nimium proſpera fortuna oppoſita pariat, & nos incautos reddat, iure dicitur, difficilius eſſe in nimium proſpera;quam in nimium aduerſa fortuna modum ſeruare. Ita quatuor numerantur matres, quæ cum bonæ ſint, prauos pariunt filios; proſperitas,quæ parit ſuperbiam, veritas odium, ſecuritas periculum, familiaritas contemtum. Hoc tamen cũm verum ſit de fortunæ bonis, non propterea eſt verum de fiducia, & periculis vitæ. Inquit enim Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, cap.9. *Cum in fiducia metuque verſetur fortitudo, non tamen peræque in vtroque, ſed in rebus formidoloſis magis cernitur, nam qui in his omni animi motu ac perturbatione vacat, quique in eis ita affectus eſt animo, vt debet, is fortior eo eſt, qui in iis rebus, quæ fiduciam afferunt, conſtantiam retinet, &c.* Eſt igitur ea ſententia vera de attinentibus ad fortunæ bona, & ad varias hominum calamitates: de periculis vitæ vera nõ eſt, quoniam ea ſe nobis offerunt ſub forma maximi mali; valdeque aduerſi naturæ, quod maxime natum eſt viuentium animos perterrefacere: & ideo extrema inter quæ fit comparatio, paria non ſunt. Ex quo conſtat, pertinentia ad ciuilem ſcientiam nõ ſemper id exactum, conſtans, & inuariabile includere, quod mathematicis congruit, vt monuit frequenter Ariſtoteles.

In qua fortuna ſit difficilius modum ſeruare.

Arceſilaus.

Diogenes.

Quatuor bona quæ malũ pariunt.

Cur de periculis vitæ ſecus ſe habeat.

Vnde oriatur, quod virorum nonnulli dicantur fortunati, alii infortunati, ac idem, vno tempore fortunatus, altero infortunatus.

CAP. LV.

COmmuni populorum voce, & fere omnium conſenſione, homines nõnulli dicuntur bene fortunati, alii infortunati, inſuper nonnulli per tempus aliquod fortunati, per aliud infortunati dicũtur, ac in vno actionis genere fortunati, in altero infortunati: res hæc experientia cognoſcitur: latet autem eius cauſa, propterea, quid ſit, in quibus verſetur, ex quibus principiis pendeat, quibuſque hominum conditionibus hæc fortunæ proſperitas competat, accurate eſt indagandum: Qua de re verba fecit Ariſtoteles cum in ſecundo magnorum moralium, cap. 9. tum in libro de bona fortuna; Pariter Diuus Thomas 3. contra Gentiles, c. 92. & alii viri docti. Explicans igitur primo, quid ea ſit, dico, neminem reperiri, cui, dum agit, forte fortuna aliquid non accidat, ac multis etiam bona eueniunt, qui ob ea non denominantur abſolute bene fortunati. Sed vt homo bene fortunatus denominetur, requiritur primo, vt adſit internus quidam ad opus illud impulſus, ac inſuper cõfirmatio & cõtinuatio per multa bona euenta: Requiritur inſuper, vt huiuſmodi bona euenta ſequantur actiones ſuas ſine vlla conſpicua cauſa; nam ſi ex conſpicua cauſa prodirent, non tribuerentur fortunæ. Verſatur huiuſmodi bona fortuna, cum in vitando malo, tum in aſſequendo bono, præcipue tamen in bono aſſequendo: quia euitatio mali liberat nos à calamitate, & ex euentu felicitati conducit. adeptio autem boni ex ſe reddit nos felices & fortunatos. Inſuper, verſatur bona fortuna in aſſequendis bonis illis, quæ fortunæ dicũtur; iis præſertim, quæ cum ſummo bono vel ſunt, vel videntur eſſe complicata, vt in diuitiis, honore, gloria, victoria, & ſimilibus: extenditur tamen nõnunquam fortunatum ad omnem finis adeptionem, veluti, dum venatores, piſcatores, nautæ, & ſimiles, bene fortunati dicuntur. Inſuper, proprie dicuntur bene fortunati; dum euentus boni non optantur, nec quærun tur ab eis; ſed præter inſtitutum eueniunt: extenditur tamen bonæ fortunæ nomen ad felicem bonorum fortunæ adeptionem, etiam dum ab agente quæruntur & expetuntur, vt militum duces fortunati dicuntur, dum frequenter victoriam optatam conſequuntur, mercatores, dum ditantur, ludentes talorum vel cartarum ludo, dum lucrantur, & ſimiles: Hi tamen fortunati tunc dicuntur, dum finem modo quodam occulto, in eorum prudẽtia & arte non collocato adipiſcuntur, & hæc potius eſt ſors quædam bona, quam bona fortuna: ſors tamen frequenter cum fortuna cõfunditur, vt iam dixi. Cum patuerit,

Quæ de proſpera fortuna ſint declaranda.

Quid ſit bona fortuna.

tuerit, quid bonæ fortunæ nomine denotetur; conſiderandum eſt, à quibus principiis ortum ducat: in hoc enim præſertim dubitatio poſita eſt. Aſtronomi ſuo more id tribuunt aſpectibus, aſcenſionibus, diſpoſitionibuſque ſtellarum: illæ tamen non propriæ, ſed communes ſunt cauſſæ, nec cognoſcunt diſtincte ſingulos homines, adeo vt hos & non alios fortunatos reddant; & per latentia media, quæ in eorum facultate non ſunt, ad finē perducant. Academici id tribuunt Dæmonibus, qui hominum curæ ſunt deſtinati: & qui inuito Dæmone aliquid agere tentant, infortunati apparent; fortunati autem, qui Dæmonem ſequuntur Ducem, quique vitam viuunt ſuo Dæmoni conſentaneam; infortunati, qui cum eo pugnātem: vt fortunati ſunt milites, quibus præſunt Martiales Dæmones. Quæ ſententia etiam non eſt approbanda, vt iam in præcedentibus, dum de fortuna vniuerſe loquerer, patefeci. Theologi inquiunt, *bonam fortunam eſſe peculiarem quandam Dei beneuolentiam, & gratiam gratis huic potius quam alteri traditam*: nam (vt inquit Diuus Thomas 3. contra Gentiles capite nonageſimo ſecundo) *Deus ſolus directe in hominis prælectionem operari valet, Angeli id facere valent per modum ſuadentis, cœlum per modum diſponentis: & per relationem ad omnes ſecundas cauſſas poteſt aliquid forte fortuna euenire: non autem per relationem ad Deum, cui omnia ſunt conſpicua, & à quo cuncta ſunt præordinata.* Sententiam hanc, vt ſacram, omnique ex parte veram amplecti debemus: at nunc quærimus, quænam hac de re fuerit ſententia Ariſtotelis. Ioannes Picus in tertio contra Aſtronomos capit. tertio, ſimilem fere opinionem tribuit Ariſtoteli, vt etiam latius fecit Iauellus in Epitome de bona fortuna: inquit enim; *bonam fortunam non eſſe à Deo in nobis exiſtente, vt nauta in naui, ac nos ita ducente, ſed eſſe à Deo obeunte vices cauſſæ ſecundæ, ac animam noſtram intrinſecus commouente & excitante ad hoc vel ad illud agendum, non ſecus ac formica intrinſecus per naturam commouetur ad colligenda grana: quæ motio dicitur naturalis, quia non rationem vel aliam cognitionem ſequitur, ſed animam vt pendentem & commotam à Deo.* Et quoniam bonum non mouet niſi ad bonum, ideo inde conſurgit bona fortuna: & quoniam hanc commotionem ſequuntur illi, qui maxime viuunt ſecundum naturam; vt rudes, inſipientes, imprudentes; ideo hi bene ſunt fortunati, non autem ſapientes & prudentes, hi namque ſua ſapientia & prudentia, quæ errare valet, ſemetipſos gubernant. Eam igitur definiens inquit: *bona fortuna eſt naturalis impetus factus in anima, ſine ratione, ad finem aliquem conſequendum.* In hac explicatione multa inueniuntur, quæ cum opinione Ariſtotelis conſpicue pugnant: Primo ſtatuit Deum particularia cognoſcere: Inſuper operari actionibus propriis in

A quibus principiis pendeat.

Aſtronomi.

Academici.

Theologi.

Io. Picus.

Definitio bonæ fortunæ.

hunc potius quam in alium, & operari in animam noſtram ſine ſecundis cauſſis: Quæ omnia longe abeſſe cenſeo ab opinione Ariſtotelis. Præterea Ariſt. in 1. moralium Nicom. negat felicitatem nobis ſine nobis competere, munere Dei: & in ſecundo magnorum moralium, c. 9. agens de bona fortuna abſolute negat eam eſſe à Deo, quia indicaret ſe iudicem iniuſtum: non reiicit ſolum, quod ſit à Deo tanquam à nauta exſiſtente in naui, ſed abſolute vt à dirigente, ac ita mouente, quia eſſet iudex iniuſtus: Inſuper ſi ea ſententia vera eſſet, tunc ex opinione Ariſtotelis ſapientia & prudentia homini obeſſent, eumq; priuarent bona fortuna. Præterea, ſequi internam commotionem eſt ſequi temperamētum corporis: id autem magna ex parte ad malum & vitia inuitat, ideo, vt datur bona fortuna, ita datur mala, quæ eſt interna commotio: at ipſe inquit, *à bono ſolum manare commotionem ad bonum*. Demum ſi id eſſet, tunc imprudentes omnes & dementes, quia ſequuntur internos impetus, eſſent bene fortunati, nos autem oppoſitum experientia cognoſcimus, vt etiam in præcedentibus aſſerui.

Euerſio prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

De bona fortuna, opinio Ariſtotelis. CAP. LVI.

Ex ſententia Ariſt. bona fortuna non proxime manat à Deo: non à cælo.

BOna fortuna ex ſententia Ariſtotelis non poteſt ſine medio, & proxime manare à Deo vel à cœlo, quia hæ ſolū ſunt cauſſæ communes, nec diſtinctè hæc indiuidua cognoſcunt. Et quamuis in primo Meteororum dicatur (Neceſſario hunc mortalem orbem ſupernis lationibus eſſe continuum, vt omnis virtus inde gubernetur) id tamen debet intelligi de his, quæ per naturam fiunt: ac inſuper de gubernatione communi per inſtrumenta communia, pendente ex primis & communibus cauſſis, quæ præſtantiori modo quam ſecundæ operari dicuntur, vt aſſeritur in octauo libro Phyſic. Bona etiam fortuna non manat à Dæmone, quia Dæmones non nouit Ariſtoteles: neceſſe itaque eſt vt proxime prodeat, vel ex fortuito concurſu alicuius externæ cauſſæ, vel ex aliquo interno principio. Ex fortuito concurſu externæ cauſſæ non pendet, vt homo abſolute proprie ſit fortunatus, ſed tantum accidit vt aliquando bonum aliquod contingenter aſſequatur, vel in malum aliquod dilabatur: quia tamen multitudo per exitum præcedentia iudicat, frequenter illos fortunatos vel infortunatos appellat, qui re vera tales non ſunt, niſi ex euentu. Bona itaq; fortuna proprie ſumpta ſequi debet internum aliquod: ea autem, quæ nobis ſunt interna, vel pertinent ad animam, vel ad corpus. Si ad animam, ea ſunt potentiæ, perturbationes, & habitus; quorum nullum poſſe eſſe bonam fortunam conſpicuum eſt. Si ad corpus, in eo conſideratur materies & temperamentum; bona fortuna non

Non a Dæmone.

ſequi-

Digitized by Google

ſequitur materiem, quia munus eius eſt pati. Remanet itaque, vt proxime ſequatur temperamentum intrinſecus excitans, & mouens animam ad vnum potius agendum quam aliud: quæ interna excitatio poteſt eſſe, & ad bonum, & ad malum, ratione varietatis temperamenti. Dum igitur intrinſecùs ſine ratione, & per naturam, anima excitatur ad id, ex quo prodeunt bona fortunæ: ea dicetur fortuna bona: ſi autem ad id, ex quo prodeunt oppoſita, erit fortuna mala. Erit itaque bona fortuna interna excitatio à proprio alicuius temperamento ad id agendum, ex quo prodeunt bona fortunæ: & eſt pars eius, quæ Antipathia & Sympathia Phyſica dicitur; ſumens latenter originem ex communibus quibuſdam qualitatibus, vel conſimilibus, vel contrariis, & propterea admirationem excitantibus: quæ affectio dicitur nobis competere per naturam, quia pendet non ex noſtra ratione, ſed ex principiis generationis: à cœlo autem & à Deo manat, vt à cauſſis cõmunibus: & dicitur natura quędam, nõ quidem cõmunis totius ſpeciei, ſed propria alicuius indiuidui: natura, inquam, hoc eſt, conditio, affectio, & conſtitutio quædam per naturam propriam, huic vel illi conueniens, per quam dicimus nos id velle, ad id trahi, ad id duci, ignari cauſſę: Et quoniam ea, quę naturam ſequuntur, dicuntur ſequi Deum, ex quo natura pẽdet, ideo hac ratione fortuna bona humanam ſapientiam & prudentiam ſuperat, & bene fortunatis non expedit conſilium, & ratio dicitur impedimento bonæ fortunæ, vtilis tamen fortunæ aduerſæ, ac ita etiam conſilia mulierum non præmeditata, præferuntur nonnunquam conſiliis diuturna ratione præmeditatis. Melius tamen eſt abſolute rationem ſequi, & prudenter viuere, quã ſequi internam commotionem temperamenti; quia ea frequenter ad malum dirigit: Hinc magna ex parte imprudentes ſunt miſeri, & infelices. Hac itaque conſideratione cum Ariſtotele aliqua in parte ſeruare valemus bonam fortunam. Cuius ſententia vt clarior reddatur, conſiderandum eſt, animam noſtram variis modis operari, & ad aliquid tendere poſſe: vel enim operatur per rationem, & appetitum ſequentem proprium iudicium, & tunc conſilio & ratione agere dicimur: vel operatur per propriam ſuæ naturæ commotionem, & internam excitationem, non ſine cognitione factam, ita tamen, vt commotio per ſuam naturam dicatur ducens, cognitio autem inſtrumentum. Et hoc poteſt ei competere, vel per naturam cõmunem vniuerſæ ſpeciei, ſi omnis homo natura ſcire deſiderat, vel per conditionem ſibi propriam & peculiarem. Et hoc habet vel tanquam natura, & materiata forma, ex proprio temperamento propriaque materie pendens, ita bruta, vel magis, vel minus, ad ſomnia, variaſque animi perturbationes prona ſunt:

Quid Antipathia & Sympathia naturalis & unde?

Varii modi operandi animæ.

Per rationem.

Per naturã propriam vniuerſæ ſpeciei.

Per naturã propriam ex proprio temperamento pendentem.

Per diuinam conditionem.

Digitized by Google

vel hoc habet tanquam eſſentia quædam affinitatis cõnexione iuncta cum ſubſtãtiis abiunctis, pendens tamen in ſui muneris functione ex facultate corporis vt ex obiecto. Huiuſmodi eſt mens: quę cum ex ſe ſit diuina & immortalis, iuncta cum phantaſia, & præſertim cum ea quæ eſt viri atrabilioſi: quę per conditionem atræ bilis per varia temperamenta, per varia vitæ genera, variaſq; animi affectiones, multiplicia & multiformia ei offert phãtaſmata: valet, partim ex ſui natura, q̃ diuina eſt, partim conditione excitantium phantaſmatum, varia admirabiliaque vel proferre vel agere. Inde, ſi ad agendum excitatur, conſurgit bona vel mala fortuna. ſi ad prædicendum aliquid, diuinatio, & prophetia, ſi ad ſententiã aliquam proferendam, prodit vera enuntiatio ſine vlla euidenti ratione prolata. Ex his cõſtat, quomodo ſententiæ variæ Ariſtotelis explicari debeant. Nam in capite de diuinatione per ſomnium inquit: ſomnia non mittuntur à Deo, quia etiam iumenta & feræ ſomniant; Dæmonica tamen ſunt, quia natura Dæmonica eſt: hoc eſt, Dei miniſtra, latenter & admirabiliter operans, non diuina. Et in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 3 ait, *vexatos atrabile proferre carmina Empedoclis, & alia quæ non intelligunt.* Quod etiam affirmauit in trigeſima particula Problemate primo: & Auer. 12. Metaphyſicæ, cont. 18. dixit, *hominis multa prædicere, quæ non intelligunt*: & in capite de bona fortuna Ariſtot. inquit, *de bona fortuna perinde ſe habere, ac de Lymphaticis*: & in primo Phyſicor. 48. dixit, *veteres philoſophos multa enuntiaſſe, non ratione, ſed rei veritate coactos*: & in primo de cœlo, cont. 100. inquit, *ætheris nomen diuine enuntiatum fuiſſe*: & in ſecundo de cœlo, cont. 7 aſſerit, *nobis cõpetere de Diis diuinationem quandam*; quam Iamblichus diuinum contractum nuncupabat, ratione eminentiorem: & in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 13. affirmauit, omnes homines ſequi modo aliquo eandem voluptatem, quia in omnibus diuinum aliquid ineſt natura. Sic itaq; mens, cum ſit diuinitatis particeps & à phãtaſmatum formis variis excitetur, partim ob varietatem excitantium, partim ex ſui conditione, quę diuina eſt, ad varia & mirabilia vel proferenda vel agenda intrinſecus nos excitat, quę varia ratione & ad naturam corporis, & ad naturam mentis, & diuinam referri poſſunt, adeo vt ea opera, & phyſica, & Dæmonica, & diuina, dici poſſint: à quorum diſtinctiore explicatione ſuperſedendum cenſeo. Ex his fundamenta bonæ fortunæ elicere valemus, quæ nobis per naturam ex ſententia Ariſtotelis competunt, quæ, cum leuia & inconſtantia ſint, valde obſcure hominem bene fortunatum reddere valẽt. Quare aſſeramus, bonam fortunam relatam ad Deum, eſſe peculiare Dei beneficium: vt autem ad nos pertinet, non in primis animi

motibus,

motibus, ſed in accurata meditatione, non in negligentia, ſed in diligentia, non in imprudentia, ſed in ſapientia & prudentia eſſe collocatam. Hæc ſunt firma bonæ fortunæ fundamenta. *Potiora bonæ fortunæ fundamenta.*

Num prudentia fortuna præſtet, & homo dici debeat ſuæ fortunæ faber. CAP. LVII.

DVm fortuna conſideratur, vt aliquid præordinatum à Deo, prudentia vero, vt ordo humanæ rationis, proculdubio fortuna dominatur prudentiæ, eique præſtat. Verum ex aduerſo, dum fortuna refertur ad proximas cauſſas, & conſideratur vt aliquid ex euentu, inconſtans, natum ſi non vitari, ſaltem corrigi, & in congruentem finem humana prudentia dirigi; fortuna prudentiæ cedit, eique principatum relinquit. Fortuna dominatur ex euentu, quatenus per prudentiam non valemus vitare omnes fortunæ aduerſos euentus, nec omnes præuidere, nemo enim eſt adeo prudens, qui aliquando ab aduerſa fortuna non lædatur: Ex aduerſo prudentia præſtat per ſe, valemus enim per eam cunctos fortunæ euentus componere, dirigere, & corrigere. Sic recte dicitur, virtutem eſſe ſua natura dominam, eique parere cuncta, & virtute duce, comite fortuna, cuncta perfici, in congruentemque finem perduci: Firmat itaque vir prudens virtute ſua rotam fortunæ, quatenus per eius reuolutionem non commouetur. Sed pulcra ſe offert conſideratio, num dicere valeamus, hominem eſſe fabrum ſuæ fortunæ, & auctorem ſuæ ſortis: Cuius reſolutio ex dictis in præcedentibus ſatis conſpicua elicitur, aliqua enim ratione dicimus hominem non eſſe fabrum ſuæ fortunæ, alia vero eſſe fabrum & auctorem. Nam ſi nomine fortunæ ea intelligimus, quæ nobis eueniunt, & extrinſecus nobis agentibus occurrunt, hæc non ſunt collocata in noſtra facultate, nec huius fortunæ homo eſt faber. Inſuper, ſi nomine fortunæ intelligimus internam commotionem ſequentem temperamentum, in capite de bona fortuna explicatam, eius quoque nos minime ſumus auctores, ſed natura. At ſi nomine fortunæ intelligimus conditionem & conſtitutionem animi noſtri, noſtræque vitæ in omni euentu compoſitionem, ſic homo eſt ſuæ fortunæ faber: eſt enim in noſtris manibus, noſtraque facultate collocatum, affectiones animi noſtri componere, & fortunæ euentis recte vel perperam vti. Et propterea tripliciter conſideratur homo: vel enim ſupra fortunam erigitur, vt ſapiens ac prudens, qui fortunam eneruat, proſternit, conculcat, cunctiſque bonis priuat, vel in fortunæ rota, vt viri ambitioſi; viri, qui non euenta fortunæ ſua prudentia componunt, ſed eam ſequuntur, ac ob fortunæ varietatē modo euehuntur, modo deprimuntur. Vel demum ſunt infra fortunam collocati, vt homi-

Quomodo fortuna. *Quomodo prudentia principatum obtineat.*

An homo ſit ſua fortuna faber.

Homo tripliciter conſideratur.

Digitized by Google

Inſipiens eſt ludus fortunæ.

nes mentis inopes. Hinc dicere valemus virum prudentem optimam ſemper ſibi fabricare fortunam, & cubi inſtar, impelli quidem à fortuna poſſe, nunquam tamen proſterni: inſipientem vero eſſe ludum fortunæ, & propterea modo erigi, modo deprimi: omnes tamen aliqua ratione dicuntur ſemper ſuæ fortunæ, hoc eſt, ſuæ internæ conſtitutionis fabri; quatenus ex eorum prælectione præcedentibuſque actionibus pendet, vt tales ſint, ac talia ſibi fortunæ munera reddant. Et quamuis ſit neceſſarium ad formandam felicem fortunam, quæ ſit omni ex parte quadrata vt multa conſpirent, cum primis tamen à prudentia perficitur. Veluti in Alexandro Macedonum rege vna conſpirarunt: celebre nomen parentis, inſtitutio eius ab Ariſtotele philoſophorum principe, optima ſui conſtitutio per naturam ad bella, ſuorum militum peritia, imbellis natura eorum populorum cum quibus dimicauit: cum primis tamen ſuam fortunam perfecit tolerantia laborum, iuſta diſtributio pœnarum & præmii. Virtus demum & prudentia propria, per quam omnia congruenter in finem dirigebat, ſine qua euaneſcit cæterorum omnium quamuis optima conditio. Et hac ratione recte dicitur:

Prudentia perficit bonam fortunam.

> *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia; ſed te*
> *Nos facimus fortuna Deam, cœloq; locamus.*

Num omnis felix ſit fortunatus: & num minus ſit malum, nunquam hominem expertum fuiſſe fortunam proſperam; an expertum fuiſſe per aliquod tempus, mox ea priuatum. CAP. LVIII.

INter cætera, quæ à iuuene ciuili philoſophiæ incumbente de fortuna quæri poſſunt, hoc quoq; negligendum non eſt, num felix omnis debeat cenſeri fortunatus. Et cum varia pro omni parte dici poſſint, ego difficultatem tribus aſſertionibus explicandam cenſeo. Quarum prima ſit; ſi nomine bonæ fortunæ intelligimus bonam conſtitutionem cunctorum bonorum, quæ nobis conueniunt, per prudentiam formatam, vtiq; neceſſe eſt omnem felicem eſſe bene fortunatum. Secunda ſit, ſi nomine fortunę intelligimus poſſeſſionem aliquam bonorum fortunę, neceſſe eſt virum ciuili felicitate præditum etiam eſſe fortunatum, ſine bonis enim, quorum domina eſt fortuna, fieri nequit, vt homo ſit felix, quemadmodum alibi pateſeci. Poſtrema ſit, ſi nomine fortunæ intelligimus fortuitos euentus, vel commotionem illam internam nobis per naturã competentem, de qua agẽs de bona fortuna verba feci; in hac ſignificatione vtilis quidem eſt bona fortuna, non tamen eſt neceſſe virum felicem eſſe bene fortunatum, non enim huiuſmodi bona fortuna neceſſa-

Prima aſſertio.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

tiam aliquam connexionem habet cum felicitate. His tamen addo, ſolum virum probum reuera eſſe bene fortunatum, quia munera fortunæ ei ſoli bona ſunt, non autem improbo. Altera dubitatio eſt, de qua frequenter fit ſermo: num minus malum ſit, nunquam hominem expertum fuiſſe bonam fortunam, an per aliquod tempus fortunæ bonis abundaſſe, mox eis fuiſſe priuatum. Communi conſenſione aſſeritur, primum eſſe minus malum: ideo inquit Seneca in libro de animi tranquillitate; *Lætiores reliquit, quos fortuna nunquam reſpexit, quam quos deſeruit:* & Boetius de conſolatione libro ſecundo, inquit: *In omni aduerſitate fortunæ infeliciſſimum genus infortunii eſt, fuiſſe felicem.* Cuius ſententiæ afferri poteſt ratio: quoniam poſſeſſio bonorum parit habitum, quo priuari maxime ægre ferimus. Inſuper poſſeſſio parit exactiorem cognitionem boni, cognitio autem exactior exactiorem parit appetitum. Ex aduerſo, aſſuetudo ſenſum & appetitum, vel remouet, vel lenit; aſſueti enim viuere vitam humilem & ſimplicem, minus appetunt vitam opulentiorem: veluti agricolæ, etſi ſunt pauperes, tamen læti viuunt ſua ſorte contenti: non enim eſt miſeriæ, carere, & non expetere, ſed in appetitione miſeria eſt collocata. Hæc tamen ſententia dubia eſt: cum enim munera naturæ bona ſint, ſi priuari bono eſt malum priuari eo diutius, eſt deterius: quare priuari per totam vitam cenſeri debet deterrimum. Præterea ſi ea ſententia eſſet vera, pariter melius eſſet nunquam fuiſſe, quam eſſe cum hac conditione & lege, vt debeamus mori: quod non eſt dicendum. Præterea, ſi comparētur inter ſe duo orbi, quorum vnus ſit captus oculis á natiuitate, alter in progreſſu temporis: & quærimus à ſecundo, an gratum ei ſit vidiſſe, proculdubio nulla ratione vellet non vidiſſe, quia ſaltem ſcit quid ſit videre, valet per phantaſmata ſeruata habere ſcientiam de coloribus, & per aliquod tempus functus eſt eo grauiſſimo munere: ſi autem quærimus ab altero, an cupiat ſaltem per horam videre, proculdubio maxime omnium id ſe optare affirmaret, vt ſciret quid ſit videre, & pertinentia ad viſum cognoſceret, quorum mentionem faciunt omnes: adeo vt ea communis ſententia, ſi non falſa ſaltem apprime dubia iudicari debeat. Soluens igitur difficultatem, dum quæritur: an minuſne malum ſit, nunquam hominem fuiſſe expertum fortunam proſperam, an potius fuiſſe expertum per aliquod tempus, mox ea fuiſſe priuatum: vtendum cenſeo diſtinctione. Nam eſſe minus malum contingit dupliciter, vel abſolute, vel pro eo tempore, quo homo priuatus eſt fortunæ bonis. Abſolute minus malam cenſeo priuationem in parte, quam in toto tempore, quia priuatio mala eſt, poſſeſſio boni eſt bona: quare (abſolute loquendo) priuatio, quo

Solus probus vere fortunatus.

An melius ſit nunquam hominem fuiſſe expertum bonam fortunam.

Seneca.

Boetius.

Ratio.

Solutio.

Prima diſtinctio, primaque aſſertio.

Digitized by Google

Altera diſtinctio & aſſertio.

eſt diuturnior & maior, eo eſt deterior. At ſi id conſideretur non abſolute, ſed pro eo tempore quo homo priuatus eſt. & conſideramus, quæ priuatio tunc temporis fit moleſtior: dicendum puto, per ſe eam eſſe moleſtiorem, quæ magis percipitur, nam maior cognitio & aſſuetudo maiorem parit appetitionem, & talis eſt priuatio in parte temporis: & cùm primis hoc accidit, dum prior poſſeſſio reddit hominem minus aptum ad tolerandam priuationem, vt ſe habet de priuatione diuitiarum. Addebam hanc priuationem in parte temporis eſſe moleſtiorem per ſe, quia ex euentu ſecus contingere poteſt: nam poteſt contingere, vt prior poſſeſſio longe maiores in eo, qui poſſedit, relinquat vtilitates, quam ei afferat detrimenta, vt cenſeo ſe habere de priuatione alicuius ſenſus. Demum addo: ſi homo recte vſus eſt habitu, & ſecunda fortuna, melius ei eſt illam aliquandiu poſſediſſe, at ſi perperam ea eſt vſus, deterius cenſeri debet ac perniciosius. Ex his eliciuntur ſolutiones rationum vtriuſque partis.

Tertia diſtinctio & aſſertio.

Remedia pro negligenda, componenda & lenienda aduerſa fortuna. CAP. LIX.

OMnis homo, & præcipue ille, qui ciuilem ducit vitam, quoniam in hoc mortalium orbe quaſi in theatro fortunæ eſt collocatus, tenetur ſummopere illis armis eſſe munitus, quibus tela & ictus aduerſæ fortunæ pro facultate repelluntur: Hæc arma à nullo alio habitu, præterquam à prudentia, elaborata recipere valemus. Hæc ſunt ea duo, quæ inter ſe pro facultate pugnant, fortuna ſcilicet & prudentia, quorum vnum nititur obtundere, eneruare, ac proſternere aliud: hæc lis eſt perennis, quia ſolum in parte apparet victoria modo vnius, modo alterius, abſolute autem nequaquam: ambo hæc in ſolo homine locum habent, in eoque ſolo inter ſe pugnant. Prudentia, quæ dux eſt ſalutaris noſtræ pugnæ, vt hoſtem proſternat, arma ſua ex quatuor præſertim quaſi officinis depromit: primo, ex conditione bonorum fortunæ: ſecundo, ex conditione humanæ naturæ: tertio, ex conditione præſentis vitæ: demum, ex conditione exoptatæ victoriæ, ac eius oppoſiti. Dum ad primum armorum ſiue militiæ caput conuertimur, ad conditionem ſcil. bonorum fortunæ, ex eo elicimus, ab animo præclaro vilipendendam eſſe fortunam. Primo, quia pretioſiora eius munera, vel terra ſunt, vel ex terræ venis prodeunt. vt pretioſi lapilli, & metalla: in vniuerſo autem nil terra vilius eſt: & propterea præferre nobis metalla & terrena, quæ natura pedibus noſtris ſubiecit, conculcandaque dedit, eſt aduerſari Deo, nobis, & naturæ. Inſuper ſunt inconſtantia & fluxilia, in quibus nil firmi inuenire vale-

Fortuna & prudentia inter ſe pugnant.

Prudentia arma præſertim ex quatuor deſumuntur.

Primum caput armorum prudentiæ.

Digitized by Google

valemus, nec ea ex ſe ſunt bona, ſed ſola eorum conſumtio ſiue vſus, qui vſus exiguo tempore nobis competit: dum enim ſumus pueri, paucis egemus, ac etiam dum ſenio premimur, maxime autem inſeruiunt ætati mediæ, dum magis perturbationibus animi ducimur, quo tempore magis obſunt, quam proſint, potius ſunt inſtrumenta perturbationum ſenſus, quam virtutum, frequentius nos abducunt á virtute, quam ad eam nos dirigant, potius nos reddunt erga diuina negligentes, quam diligentes, & inimicos Deo, quam amicos. Perpendendum vna cum Epicteto Stoico, in omni fortunæ euentu, ſiue proſpero ſiue aduerſo, duas nobis offerri anſas, vnam boni, alteram mali, ſi euentum apprehendimus per anſam boni, omne érit nobis bonum, ſi per anſam mali, omne erit malum. Ideo monebat Plutarchus, etiam ex inimicis, qui maxime omnium quærunt nobis obeſſe, varias vtilitates elici poſſe, adeo vt non in rebus re vera malum præcipue ſit poſitum, ſed in nobis, ſi amittimus diuitias, minime id malum cenſeri debeat, dummodo ſimul exuamus auaritiam, ſi amittimus dilectam puellam, cognoſcemus non eſſe malum, dummodo ſimul repellamus intemperantiam: nihil enim in attinentibus ad fortunæ bona intereſt, ſiue non habeamus, ſiue non optemus, nitendum potius eſt, vt ea perdamus, quam vt nos ea perdant. Ea munera iure optimo nuncupantur bona fortunæ, vt iudicetur non eſſe noſtra, & propterea nos eorum non eſſe dominos, ſed depoſitarios, nec valemus ea amittere, ſed reſtituere. Niti debemus pro facultate aurum illud nobis parare, quod non ex terra effoditur, ſed ex cœlo deducitur, quo ditati expetebat Socrates, aurum nempe ignitum ſapientiæ, & caritatis. Si dolor nos angit, non res dura cenſeri debet dolor, ſed nos molles. Si timor mortis nos turbat, perpende, quod ea lege in mundum venimus, vt moriamur, & ſi non ægre ferimus nos ante centum annos non fuiſſe, cur ægre ferre debemus, ſi poſt centum non erimus? Mors ſi cenſeri debet malum, id eſt, commune & neceſſarium & ex eo malo fortitudinis ſplendorem elicere valemus, paucorum annorum numerus adæquat omnes. Non valet fortuna obeſſe, vel prodeſſe homini, niſi homo ſibimet obſit, vel proſit. Non itaque magnifacienda, ſed vilipendenda potius ſunt fortunæ euenta. Propterea recte cecinit Horatius: *Plutarchus.*

Nil admirari prope res eſt vna Numici,
Solaq; quæ poſſit facere & ſeruare beatum.

Cum igitur vilia ſint fortunæ munera, iure optimo non á viris ſapientibus quæruntur, ſed à vulgaribus & imperitis, nec Deus ſeparatæque mentes ſibi ea ſeruarunt, ſed excluſerunt à cœlo. Puri itaque animi ad cœlum properantes, ea negligere tenentur.

Digitized by Google

Remedia nonnulla, ex propria hominis conditione depromta. CAP. LX.

Firma ſatis apparuerunt arma ex conditione munerum fortunæ deprompta: at ſolidiora forte ea erunt, quæ ex conditione hominis elicientur. Id, quod propriè hominem conſtituit, non corpus, ſed animus eſt, nec facultas eius mortalis, ſed æterna, per quam à iumentis & feris ſecernitur: & affinitatis nodo cum ſeparatis mentibus nectitur: ad quam conuerſi cernemus, conditionem mentis eam eſſe, vt præſit & dominetur mortalib. nulli ſubiiciatur niſi ſoli Deo: eiuſq; ſedem nõ eſſe hanc mortalem, ſed ętheream, & propterea non de his, ſed de illis teneri eſſe ſolicitã, nec ea eſſe magnificanda, quę cum terrenis nos ligãt, ſed quæ ſoluunt nos ab eis, in cœlumq; euehunt. Putandum eſt ducem optimũ vitæ noſtræ eſſe ſapientiam, prudentiam, & probitatem, quibus ſi muniti fuerimus, nil mali poterit nobis contingere: omnia enim mala ex oppoſitis prodeunt. Inſuper, omnia tunc pendebunt ex nobis, quicunque enim cupit omnia ſibi ſubiicere, ſubiiciat ſe rationi, ita patebit, quod ſibi quiſque ſit proximus Deus. Mens cum ſit diuina & immortalis, ſua natura ſuprà fortunam collocata, non debet fortunam ſuſpicere, ſed deſpicere, non debet per fortunæ reuolutionem commutari, ſed immota eam irridere, non debet perturbatos eius vultus expaueſcere, ſed intrepida vilipendere, non debet per nubes, quas adducit, obſcurari, ſed eis ſupereminens nitidiſſima refulgere: non enim mortales hæ affectiones turbant diuina, niſi diuina ſuam conditionem exuant. Dum igitur homo ad interna, hoc eſt, ad ſemetipſum confugiet, dum in arcem ſapientiæ & prudentiæ ſe receperit, fortunæ incurſiones paruipendere valebit, cum in fortunæ manibus ſola externa ſint collocata, non interna. Si finem hominis inſpicimus, ille non humilis eſt, ſed ſublimis, quem attingere non valent fortunæ incurſiones niſi è longinquo valde: non enim nati ſumus, vt quaſi pecudes his terræ fructibus veſcamur, ſed vt ingenio & arte à poculis Circes, Syrenumque cantu incolumes præſeruemur, & per diuinam facultatem mortali parti legem imponamus. Recordari & accurate meditari tenemur, nos eſſe chaos ab Anaxagora excogitatum, cui mens præeſt, à qua cuncta in ordinem redigi debent, quod niſi fiat, pernicioſa confuſione marceſcimus. Meditari tenemur, nos eſſe mundum litis ab Empedocle decantatum, cui niſi mens, amicitiæ caput, internam pacem largiatur, perennis controuerſia competit. Inſuper alta mente reuoluendum, nos dici, & eſſe paruos mundos, quod ob hanc præſertim cauſſam à Deo ordinatum eſſe cenſeo, vt moneamur ne

Homo eſt chaos Anaxagoræ.

Eſt mundus litis Empedoclis.

Cur facti ſumus parui mundi.

perſe-

perfectionem noſtram in eo eſſe poſitam, vt cum magno mundo conformemu :in magno mundo præeſt ſapientia Dei, ita in nobis dominari debet ſapientia noſtræ mentis: in mundo terrena ſubiiciuntur cœlo, & ab eo diriguntur, ita in nobis terreni ſenſus a recta ratione duci, ac perfici debent, in mundo nil torpet otio, & cuncta, cum pendeant ex bono, ad bonum aſpirant: ita in nobis nitendum eſt, vt cuncta ſuo fungantur munere, & in vnum finem, in quem ſunt ordinata, conſpirent: in qua conſtitutione, vt mundus ſemper, ita nos aliquandiu felicitate fruemur, noſtrique opificis gloriam enarrabimus. Quod ſi etiam corpoream ac materiatam hominis partem conſideramus, eiq; tribuere volumus, quod ſuum eſt, inueniemus nudos in regnũ fortunæ nos deſcendiſſe, & propterea nunquam minus eo nos poſſidere, quod nobiſcum attulimus, ſi fortuna nos ſuis muneribus fouet: gratias ei referre tenemur: ſin autem, minime valemus iure eam damnare, nec tanquam erga nos iniuſtam, ream ducere. His accedit, quod ſi munerum fortunæ per ſingulos homines in æquas partes diuiſionẽ conſiderabimus, inueniemus nobis forte maiorem competere portionem, ac ratio arithmetica expoſcat, & plures videbimus nobis minus fortunatos, quam fortunatiores. Inſuper, ſi naturam ſequimur, ſi deſideria noſtra cum indigentia naturæ conformamus, paucis egemus, ſi videmur egere multis, id oritur ex noſtrarum cupiditatum exſuperantia, nimiaq; accretione: nemo moritur, cui bonum aliquod fortunæ, vt redundans, non ſuperſit. Caueamus itaque, ne ob deprauatam opinionem doleamus: in attinentibus enim ad fortunam tam miſer eſt quiſque, quam credit, nec ea cenſeri debet miſeria, in qua viri ſapientes exſultant, vera miſeria vitium eſt, quod in omni fortunæ euentu vitare valemus. Muniamus noſmetipſos ſapientia ac prudentia, & conſpicue tunc iudicabimus, fortunam ludo eſſe viro ſapienti, è contrario vero inſipientem eſſe ludum fortunæ.

Remedia ex conditione præſentis vitæ, nec non ex conditione victoriæ. CAP. LXI.

DVBITAVIT Pindarus, an hæc vita re vera ſit vita, vel potius mors; Academici vero conſtãter aſſeruerunt, eam eſſe mortem, non vitã, & Plotinus dixit hoc quo claudimur corpus, dici σῶμα quaſi σῆμα & ſepulcrum animæ. Si igitur ea eſt mors, non de morte, ſed de vita tenemu eſſe ſoliciti. Quod ſi etiã modo aliquo eſt vita, eſt proculdubio cõparata cum futura, eſt vmbra, imago, & non ſincera vita, nos autem non vmbram, ſed ſolidam & verã vitam magnifacere tenemur: fortunæ munera, vt re vera nõ ſunt bona, ſed boni vmbram præ ſe ferunt, ita non vere,

Pindarus. *Plotinus.*

Digitized by Google

Plato. ſed imagini & vmbræ vitæ cōducunt. Iure itaq; Plato in Axioco,
Seneca. Ariſt. in dialogo ad Eudæmū, Seneca, & alii multi viri ſapientes (vt interim Theologos omnes ſilentio prętercam) incommoda huius apparentis vitæ latiſſime retulerunt, attinentiaq; ad eam eſſe vilipendenda patefecerunt, deſcendimus nos in hanc vitæ vmbram, tāquam Athletæ in arenā dimicaturi cum fortuna, vt ex victoria coronam gloriæ in vita trāquillitatis conſequamur. deſcendimus in tenebras, vt luce in mundo lucis felicius fruamur, deſcendimus tanquā fortunę ſcopi, & ille eſt ceteris pręferendus, qui prudentius valet. nedū tela vitare, ſed ea contundere, ac ſibi ſalutaria reddere. Non itaq; nos turbēt pertinentia ad imaginem hanc vitæ, ad vitam litis & tenebrarum, nec de breui hoc curſu ſimus ſoliciti, ſed vitam veram, ſinceram, lucem, tranquillitatem mentis, & ſeculum ęternum magnifaciamus. Quæramus portum, non dubiam nauigationem, quæramus patriā, non peregrinationem, & receſſum ab ea, quęramus ſanitatem & ſobrietatem, non inebriantia pocula Circes, quæramus medicum, non occaſiones ægritudinis, reuertamur celeres ad principium noſtrum, nō longe vagemur ab eo, & fortunam ad oppoſita deducentem negligamus. Quod eſſe faciendum cumulate iudicabimus, ſi ad quartum præſidiorum caput conuertemur:

Quartum genus præſidiorum.

dum enim conſiderabimus, quam ſalutaris ſit de fortuna victoria, quam pernicioſum ſit ei ſuccumbere, alacriores proculdubio, ac paratiores accingemur ad pugnam. Bella & pugnæ, quo ſunt maiores, eo pręclariorem pariunt victoriam, magna eſt pugna inter fortunam, & prudentiam, iure optimo præclariſſima cenſeri debet victoria, pugna eſt nō de eo, quod parui refert, ſed de ſumma rerum; agitur enim de ſummo hominis bono. Ex victoria prudentiæ ſummum conſurgit prudentis hominis bonum; ex victoria fortunæ prodit calamitas, & ſummum malum: In victoria prudentiæ conſideratur honeſtum, vtile, & vere delectabile, in oppoſito oppoſita inueniuntur. Superare fortunam re vera honeſtum eſt, quoniam id fieri non poteſt, niſi virtutum ope, quarum actiones omnes ſunt honeſtę idque maxime, quia dum ſuperatur fortuna, dominatur mens, dum fortuna ſuccumbit, corpus ſubiicitur, animus & recta ratio dominatur & præeſt, in qua diſpoſitione id totum, quod honeſtum dicitur, eſt collocatū. Inſuper ex ea victoria eximia vtilitas cōſurgit, victor enim corona gloriæ honeſtatur, tranquillitatem conſequitur, ſummoque bono fruitur, ex oppoſito prodeunt innumera damna. Nam qui fortunæ ſuccumbit, ſi per ſecundos euentus nimiū lætatur, per lætitiam imprudentior redditur, & minus cautus, ſi per aduerſos nimium triſtatur, querimoniæ non proſunt, lacrymæ turbant conſilia, & nos prædam reddunt doloris. Recorda

cordari debemus; quod fortunæ ſuccumbere, non viri, ſed effœminati animi eſt, non ingenui & nobilis, ſed vilis, non ſapientis, ſed inſipientis, non adulti, ſed pueri. Dum enim animi magnitudine, tolerantia & fortitudine, fortunam vicerimus, ſplendidiſſime fulgebimus: veluti ſplendidiſſime refulſit Socrates, ſibi paratam mortem hilari animo ferens: refulſit Epictetus, qui deſtitutus fortunę muneribus tranquillam ducebat vitam: refulſit Anaxarchus, qui in mortario contuſus exclamabat: Contunde quantum velis, Anaxarchum nunquam contundes. Tria ſunt, quæ maxime optari ſolent, à nauta portus, a peregrino patria, à ſeruo libertas: homo per mortem, quæ maximum eſt malorum corporis, ex mari & fluctibus mundi in portum tendit, ex dubia peregrinatione in patriam, ex carcere in libertatem prodit, demum nil reperitur, quod nos magis honore, gloria & fama dignos reddat hac ſalutari victoria. Quæ quam ſit iucunda, animoque ingenuo dulcis & grata, tantum abeſt vt poſſit exprimi verbis, vt vix poſſit cōcipi mente: nil enim animo recte formato iucundius contingere poteſt, quam ſua prudentia viciſſe fortunam: cæteræ videntur tantum, non autem re vera ſunt voluptates; hæc vere & proprie voluptas eſt: cæteræ ſunt iucundæ ob deprauationem hominis, hæc ex ſua natura: cæteræ ſunt permixtæ cum moleſtiis & doloribus, hęc pura & ſincera eſt. Et quid iucūdius ingenuo animo gloria, honore & fama eſſe poteſt? Quid glorioſius, quam in regno fortunæ viciſſe fortunā? in ſylua inſidiarum fortunæ cepiſſe fortunam? in theatro fortunæ fortunā duxiſſe captiuam? in tyrannide fortunæ inſanum tyrannum iugulaſſe? Si enim iucundum nobis eſt, noſmet à tyrannide ſenſuum patriam a tyrannide iniuſti viri, liberaſſe: longe gratius eſſe debet, mundum, communem patriam, à tyrannide fortunæ (vt ad eum pertinet) reddidiſſe incolumē. O quam præclara & glorioſa eſt eius hominis lætitia: in quo, cum proſtrata ſint omnia ad naturam & fortunam pertinentia, animus tamen ſupereſt erectus, refulget inuictus; & inuitis cæteris, propria virtute ſibi coronam & gloriam comparat. Colligamus itaq; cum Platone, non eſſe optandum, vt cuncta nobis ſuccedant ad votum, ſed vt deſideria noſtra recte ſubiiciantur rationi. Colligamus cum Ariſtotele, non eſſe præcipue optanda munera fortunæ, ſed ſummopere laborandū; vt per ea, quæ ſunt nobis bona, ea, quæ ſunt ſimpliciter bona, reddantur bona nobis. Addamus nos quoque, ſummopere enitendum eſſe, vt euadamus fures bonorum fortunæ: fures tunc dicimur, dum bona alicuius ex eius manibus ſurripimus: enitendum eſt exſpoliare fortunā, & eius bona ex eius manibus auferre; quod feliciſſime conſequemur, dum ea in congruentem virtutum vſum conuertemus: recte enim dicitur:

Tria, quæ maxime optantur.

Euadere debemus legitimi fures.

Extrà fortunam eſt, quicquid donatur amicis.

Pariter non amplius eſt in fortunæ manibus poſitum, quod in virtutum vſus effunditur: & frequenter memoria repetendum eſt in omni cum fortuna certamine; quod fortuna fortes metuit, ignauos perterre facit, opes auferre poteſt: at non animum homo à fortuna non vincitur, niſi ipſe ſemetipſum ignauiter victum tradat. In hoc ſingulari prudentiæ cum fortuna certamine, nunquam debet prudens ſe victum fortunæ tradere: ſed potius acriter pugnando, heroico animo vitam hanc mortalem, in qua ius aliquod fortuna habet, ei relinquere, & immortalem cum ſui gloria tranquillo animo amplecti, ſupraque fortunam exſultando eleuari.

Singulare certamen fortuna & prudentia.

FINIS OCTAVI GRADVS.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS IX.

De ſummo bono.

De fine virtutum, nempe de ſummo bono.

Cap. I.

Septimum bonum. Eudamonia.

Felicitatem interna quadam naturæ commotione expetere profecto noui omnes, felicem vero in hoc mortalium orbe hactenus neminem noui: nam qui vulgo felices fortunatiue dicuntur, tam longe à vera felicitate abſunt, vt à ſapientibus infeliciſſimi omnium iudicentur. Propterea non iniuria mirari, & ad felicitatis indagationem excitari ſummopere debemus: vt cognoſcentes, an vniuerſum hoc hominis bonum ſit, natumque ſit à nobis acquiri, iudicemus, an ea animi noſtri ad id propenſio ſit inanis: cognoſcentes quid ſit, ordinata ad illud congruenter inueniamus & diſponamus: ac demum percipientes quale ſit, magis indies ac magis

Digitized by Google

magis ad eius indagationem dirigamur & animemur. Huius e-nim cognitio adeo homini eſt accommodata, & tam magnum ad vitam recte inſtituendam affert momentum: vt ea deſtituti, nedum ignoremus, quo tendamus, verum inſuper nec rite homines, nec mentis compotes iudicari mereamur. Verum quia, cum præſtantia, tum vtilitas eius, adeo ſunt conſpicuæ, adeoque in hominum animis ac appetitionibus inſertæ, vt nil clarius pro illis illuſtrandis dici poſſit; propterea (prætermiſſa earum explicatione) ope immenſi boni, ſine quo nil boni de eo dicere valemus, ad diſputandum de ſummo bono accedam. Vos autem felices mentes, quæ ſeorſum à corporis vmbra eſſentiam boni aſſidue inſpicitis, dignemini animi oculum, ſummi boni filium, & propterea vobis affinitatis neceſſitudine coniunctum, ad ſibi parati boni indagationem excitare, excitatum eleuare, eleuatumque ad communem parentem conuertere.

De nominibus ſummi boni. CAP. II.

SVmmum bonum, ob varias eius cõditiones diſtinctaſq; relationes, variis (præſertim à Græcis) deſignatum fuit nominib. quæ quamuis frequenter confundantur, habent tamen ſignificationes diſtinctas & proprias. Cõmune eius nomen eſt τὸ ἀγαθὸν, ideo & bonum, & ipſum bonum, & ſummũ bonum nuncupatur: cuius nominis ratio ex ſe conſpicua eſt. Inſuper nomine magis proprio εὐδαιμονία dicitur, propterea inquit Ariſt. in 1. moral. Nic. c. 4. *De nomine quidem igitur inter plurimos fere conuenit; εὐδαιμονίαν enim & multitudo & eruditi homines appellãt, &c.* Ratio huius nominis ex opinione Ariſt. eſt, nedum, quia prudentia ducens ad ſummum bonum eſt vnicuiq; bonus Dæmon: verum inſuper, quoniã ex eius ſententia optimi Dæmones ſunt ſeparatæ mentes vel conditio quædam eminens humanæ mentis, per quã ad diuina eleuatur, cuius perfectio εὐδαιμονία dicitur. Hoc dixit Ariſt. in 2. top. loco 19. inquiens ex ſententia Zenocratis; *animã ſtudioſam vnicuiq; eſſe Dæmonem.* Propterea Porphyrius ex relatione Iamblichi in lib. de Myſteriis, ſect. 9. c. 8. exiſtimauit Larẽ ſiue Dæmonem eſſe ſupremã animi partem, nempe mentem; eumq; beatum eſſe dixit, qui eam obtineret, ſapientẽ: ex opinione vero Platonis dici poteſt εὐδαιμονία, quatenus viros felices optimo regi & duci Dæmone exiſtimauit; ſæpe.n. apud Platonẽ de Dæmonibus hominum ducib. fit mentio. Tertiũ nomen ſummi boni eſt μακαρισμὸς, ſiue beatitudo, ita nũcupatum à lætitia eius comite: Priſci enim τὸν μακάριον, i.e. beatũ, ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν, hoc eſt, à maxime gaudendo deduxerunt, vt 7. mor. Nic. c. 11. aſſeruit Ariſt. Hæc duo nomina nuper relata, primo Deo, ſecundo loco hominibus Deum æmulantib. conueniunt: *Macariſmus.*

Digitized by Google

Diſcrimen inter εὐδαιμονίαν & μακαρισμόν.

ideo inquit Ariſt. in 1. moral. Nicom. c.12. *Deos μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, & homines maxime diuinos μακαρίζομεν: Magis proprie tamen Deo tribui videtur μακαρισμὸς, hominibus εὐδαιμονία, dum ſupra communem naturam hominis eleuantur; Deos autem ſupra Dæmones collocatus eſt.* Archytas Pythagoræus in libro de viro bono & beato (referente Stobæo ſermone primo) hunc ſtatuebat ordinem: primo dicebat virum probum conſtitui per virtutem, cui competit laus; μακαρισμὸν dixit conſurgere ex copia bonorum fortunæ, quam εὐτυχίαν, dixit, ex macariſmo & probitate dixit conſtitui εὐδαιμονίαν: & propterea, demtis fortunæ & naturæ bonis, dixit ſeruari probitatem, at non macariſmum, neque εὐδαιμονίαν. Sed eum mittamus. Quartum nomen eſt εὐτυχία, hoc eſt, ſecunda & valde proſpera fortuna, cui aduerſatur Δυστυχία, hoc eſt, fortuna aduerſa: ideo Ariſt. in 2. phyſ. cont. 58. inquit, εὐτυχίαν vel eandem eſſe cum felicitate, vel ei proximam. Ratio huius nominis eſt: vel quia nonnulli in copia bonorum fortunæ ſummum bonum collocarunt: vel ſaltem ex ſententia Ariſt. quia ea ſunt inſtrumenta ſine quibus homo non valet eſſe felix: vel demum (quia vt notauit Simplic. in 2. phyſ. cont. 67.) vbi locum habet diſtinctio, participatio & adeptio, ibi conſideratur etiam fortuna; quare adeptio ſummæ perfectionis, ea ratione εὐτυχία dici poterit. Quinto felicitas dicitur εὐπραξία, hoc eſt, proba actio; vt in 2. phyſ. 58 teſtatur Ariſt. Ratio eſt, quia in actionis probitate collocatum eſt ſummum bonum, vt in 1. moral. Nicom. ſentit Ariſt. Sexto nuncupatur in 1. moral. Nicom. c. 8 εὐζωΐα, quaſi vitæ rectitudo, & vita bene acta; Actio enim proba eſt vita hominis optima: Propterea Plotinus Enn. 1. lib. 4. c. 3. ex eo, quia ſoli homini inter mortalia integra completaque vita conuenit; colligit ei ſoli competere felicitatem. Hæc ſunt nomina felicitatis potiora. Marſilius Ficinus, vir apprime doctus, in Euthydæmi argumento dixit; εὐδαιμονίαν ſignificare cognitionem boni, εὐτυχίαν adeptionem, εὐπραξίαν vero vſum: at ipſe nomina quædam principalia prætermittit; nec conſtat ratio, cur εὐδαιμονία cognitionem potius quam poſſeſſionem ſignificet.

Proſpera fortuna. — *Proba actio.* — *Optima vita.* — *Ficinus.*

Diuiſio felicitatis. CAP. III.

FElicitas, quia mortalem omnem conditionem deſpicit, perangustè & obſcure admodum in mortalibus inſpicitur, in ſua tamen ſede ſplendidiſſima fulget: propterea nobis eam perquirentibus multiformem ſe offert. Primo enim naturæ ordine nobis occurrit felicitas Dei; qui ſolus ſui eſſentia eſt talis, & potius eſt ipſa beatitudo, quam beatus: Vt enim inquit D. Auguſtinus 3. de Trinit. c. 10. *Deus ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus eſt, non alio bono bonus, ſed omnis boni bonus.* Hanc ſequitur fe-

Felicitas Dei. — *Deus eſt ipſe beatitas.*

tur felicitas ſeparatarum mentium. At hæ non ſunt præſentis conſiderationis, nam ſermo futurus eſt de ſummo hominis bono: Quod adhuc dupliciter conſiderari poteſt, vel poſt mortem in alia veriore vita, vel in hac, via potius, quam vita. Inſuper, ſi in alia vita conſideratur, id conſiderari poteſt vel ex ſententia Academicorum; qui de ſummo bono, & miſeria defunctorum, varia leuiter finxerunt potius, quam firmiter explicarint, vt ex Phædro, Phædone, Gorgia, 10. de rep. aliiſque dialogis conſpicuum eſt; in quibus ſi quid firmi reperitur, ex ſacris literis depromtum eſt: vel conſtanter & certe id facere cupimus; & hoc cumulate ſoli noſtri Theologi, munere diuinarum relationum, ſunt aſſecuti; quare ab eis id petendum eſt: vel demum quæritur ſummum hominis bonum, natum ei competere, vt moralem vitam ducit, huiuſque inferioris orbis eſt incola: quod eminentiorem gratiam non expoſcit, ſed viribus per naturam nobis competentibus natum eſt acquiri; vt de eo locuti ſunt Peripatetici: de quo ſolo inſtitutum meum eſt verba facere. Quod ſummum bonum adhuc duplex eſt, vnum ciuile in 1. moral. Nicom. præſertim declaratum; alterum in contemplatione poſitum, de quo in 10. moral. agitur: ego de vtroque ex Peripateticorum ſententia verba faciam.

Separatarum mentium.

Hominis felicitas duplex.

Felicitas huius vita.

An homo in hac vita valeat eſſe felix. CAP. IV.

MAgna & ſatis ardua eſt altercatio, an homo mortalem hanc viuens vitam, valeat eſſe felix: qua de re quatuor potiſſimum mihi occurrunt opiniones. Nonnulli in hac ſola vita nobis competere ſummum bonum exiſtimarunt; vt Epicurei, Stoici & Peripatetici. Alii in alia tantum, vt Theologi; in hac enim vita, quaſi via, ſolam diſpoſitionem & ſpem ſummi boni poſſe viro probo competere affirmarunt; vt D. Paulus ad Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus.* Quæ congruens diſpoſitio nonnunquam felicitatis nomine denotatur, ſumta denominatione à fine; & propterea dicitur felicitas, non abſolute, ſed viatoris, quaſi via ad eam, quæ præmium erit. Quidam in vtraque vita putarunt reperiri felicitatem, vt Plato in Epinomide, hoc eſt, appendice legum, viſus eſt exiſtimaſſe: qui tamen parum à noſtris Theologis diſſentit, ſolam enim felicitatis vmbram huic vitæ competere poſſe exiſtimauit: diſſentit tamen, quia etiam in hac vita cenſet poſſe homini competere per rationum ac idearum eſſentiam connexionem cum ipſo Deo. Alii demum nulli humanæ vitæ poſſe ſummum bonum competere affirmarunt, non futuræ, qui eam non nouerunt: non præſenti, quoniam turbatur variis miſeriis & calamitatibus. Nonnulli itaque tenuerunt, alii affirmarunt in hac vita poſſe homini ſummum bonum competere. Pro parte tenuentium hæc ſ; offerunt potiora fun-

Quatuor opiniones.

Plato cum Theologis in parte conſentit.

Digitized by Google

Homini vitam hanc viuenti non competere ſummum bonum.

Ratio prima.

damenta. Et primo, vnumquodq; eo in loco verſari inuenirique debet, qui eius naturę & cōditioni eſt accommodatus, mortalis hic orbis non eſt locus ſummo bono accommodatus; Non itaq; in eo inueniri poteſt: Aſſumtum ex multis patere poteſt: Felicitas enim eſt diuinorum æternorumq; affectio, hæc ſunt terrena & mortalia: ea eſt eximia tranquillitas, lux ſincera, lætitia pura, vita ex ſe ſatis, affectio ſolida & conſtans; hæc ſunt materies litis, vmbræ tenebricoſæ, voluptates cum dolore permixtæ, imago mortis, orbis demũ ex fluxu ac inconſtantia quatuor elemētorum cōflatus, in quo (vt monuit Plato) quaſi in antro ſolæ volitant vmbræ rerum, quas nos non aſſueti res ſerias inſpicere, veras formas eſſe exiſtimamus: ſummum bonum exemtum eſt ac liberum á reuolutione fortunæ; hic mortalis orbis in fortunæ manibus adeo eſt collocatus, vt inconſtantiſſime ab ea turbetur & agitetur, non enim fortuna & felicitas, in eadem ſede morantur.

Ratio ſecunda.

His accedit: quod, dum humanam vitam conſideramus, tot miſeriis obnoxiam, tot calamitatibus implicitam, tot perturbationibus agitatam inuenimus; vt facilius iudicemus, in tenebricoſa nocte ſolem, quam in ea ſummum bonum cerni poſſe:

Ratio tertia.

Pręterea flentes hanc vitam auſpicamur, mox fallaci quadam vitæ vmbra deluſi, certa morte nos deliraſſe monemur. Quod ſi accuratius iudicare exoptamus, memoria repetamus eorũ vitas, qui infeliciũ ſerie feliciores celebrantur, ita enim animaduertemus, nil in eis præter inanem aurã, præter vmbrã & ſummum extitiſſe: firmas iudicabimus eorum miſerias; inconſtantia vero & lubrica, quæ vmbrã felicitatis præ ſe tulerunt.

Ratio quarta.

Similiter inueniemus; quo opulentiores ſunt homines, quo in eminentiores dignitatum gradus ſunt eleuati, eo grauioribus curis premi, magis timere, vitæ eſſe cupidiores, magis mortem ægre ferre: adeo vt longiſſime á tranquillitate, ſummi boni propria, vitam traducant.

Ratio quinta.

Inſuper ſi animantium conditiones perpendimus, nullis vitam infeliciorem inueniemus vita hominis: iumenta & feræ ſolum à præſentibus corporis incommodis infeſtantur: Homo nedum corporis, ſed animi; nedum ſenſuum, ſed mentis, nedum præſentibus, verum inſuper & præteritis & futuris calamitatibus perturbatur. Adeo vt non inſipienter quidam conquereretur, quod à mentis alienatione curatus fuiſſet, tunc enim ſolum ab humana miſeria ſe fuiſſe ſolutũ aſſeuerabat, dum mentis non erat cōpos. Quod lucidiſſime conſtat, dum primam noſtræ vitæ ætatē mentis impotem cum aliis comparamus; ita enim felicem illam nobis cum iumentis communem, alias hominis proprias miſerias nuncupare conſueuimus.

Sententia Ariſtotelis.

Propterea refert Stobæus ſermon. 96. dixiſſe Ariſtotelem. Quid enim eſt homo? Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludicrum,

Digitized by Google

erũm, iacturæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina; reliquum vero pituita & bilis. Et Boetius in ſecũdo de cõſolatione inquit; *Boetius.* *Quis eſt ille tam felix, qui cum dederit impotentiæ manus, ſtatum ſuũ mutare non optet? ineſt enim in ſingulis, quod inexpertus ignores; expertus exhorreas.* Ideo inquit beatus Bernardus; *Nunquam in honore ſine laborē, nunquam in prælatione ſine tribulatione, nunquam in ſublimitate ſine vanitate, quis eſſe poteſt.* *B. Bernardus.* Nam (vt recte conſiderauit Plato in Phædone) in hoc mortalium orbe contraria ita ſunt iuncta, vt nequeat homo recipere vnum ſine altero. *Plato.* Præterea, id ipſum hac alia via, & ratione oſtendi poteſt: *Ratio ſexta.* felicitas dicitur ſoli menti competere & homini, vt particeps eſt eius; humana mens vel ęterna eſt, vel mortalis: ſi mortalis, profecto non eſt capax ſummi boni, quod ęternorum & diuinorum eſt affectio: ſi æterna; quis adeo delirabit, vt ſummum bonum rei æternę, in breui vitæ curſu, in actione mortali, in complicatione cum corpore egeno & flurili, reperiri poſſe exiſtimet? Hanc ſententiam ea latiſſime confirmant, quæ de humana miſeria exactiſſime à variis fuere relata: & præſertim á Platone in Axioco; necnon à Plutarcho in eo libro, in quo vitam hóminis brutorum vitis miſeriorem oſtendit. Præterea perpendamus eius conditionem, in *Ratio ſeptima.* quo pręſertim Peripatetici cenſent ſummum bonum eſſe collocatum: inquiunt, id eſſe contemplationem. At quis eſt, quem lateat, quam tenuis ſit humana ſcientia? quam exiguum id, quod ſcimus; dum confertur cum his, quæ ignoramus? quam leuibus opinionibus irretiamur, quam parum in noſtris vel alienis inuentis conquieſcamus? quam ſemper noua quæramus, & nunquam addiſcendi deſiderium expleamus? quam ſæpe cupiamus potius videri ſapientes (ſophiſtarum more) quam eſſe? *Vmbra quod in ſole eſt, hoc tota ſcientia noſtra eſt.* Ad eo vt potius pręclara quædam ac illuſtris miſeria, quam ſeria felicitas, potius inanis, ambitioſaque occupatio, quam vera tranquillitas, ea nuncupari mereatur. *Ratio octaua.* Firmius inſuper hæc omnia confirmanrur; dum conſideramus, quam leui ratione Ariſtoteles in primo moralium Nicomach. homini competere felicitatem conatus ſit patefacere; *Ratio nona.* id enim ex eo colligebat; quia in humanis actionibus debet vltimum dari, quod ſui gratia optetur; cetera vero in eius gratiã; ne in infinitum in finibus detur progreſſio, ac ita inanis ſit appetitio noſtra. Hęc eſt oſtẽſio Ariſtotelis, cuius leuitas ex eo patet; quia ſimiliter poſſemus oſtẽdere, iumentis, feris & lapidibus, felicitatem cõuenire: nã eorum quoque appetitio non debet eſſe inanis; & finis vltimus eis debet eſſe deſtinatus, in quo acquieſcant: quod ſeruari conſpicimus; cũcta enim per naturam in finem ſibi deſtinatum tendunt, vt grauia ad centrum, leuia ad locum ſupernum: quem finem frequẽtius conſequuntur, firmiuſq; in eo hærent, quam faciant in ſuo

Digitized by Google

homines, minus enim à variis incurſionibus appetitionibuſque turbantur ac dimouentur: Et ratio eſt, quia ſolus homo internam habet rationis & ſenſuũ litem; per quam, dum ab externo nõ turbatur, ipſe intrinſecus ſemetipſum infeſtat & turbat. Prçterea, felicitatem manifeſtiſſime euertunt variæ de ſummo bono philoſophorũ ſententiæ, quæ ex dinume atione Marci Varronis in ducentas octuaginta & octo multiplicatæ ſunt. Cum enim nil firmi in hoc mundo inueniant, in quo ſummum bonum collocent, & tamen interna quadã mentis diuinatione ad illud aſpirent, varii varia ſatis inania accipiunt: & frequenter iidem, ſui erroris conſcii, vario modo affecti, ſententiam mutant; nec ſibi conſtant: ſed (vt fatetur Ariſtoteles) egeſtate preſſi in diuitiis, morbo grauati in ſanitate collocatum exiſtimant; adeo vt ſua opinionũ inconſtantia inconſtantiam ſummi boni in hoc mortalium orbe conſtantiſſime manifeſtet. Demum, nulla circumfertur alicuius ſectç philoſophorum de ſummo bono ſentẽtia, quæ in aliarum ſectarum ſcholis non damnetur ac reiiciatur. Quare ſi nemo opinionis ſuç eſt congruens iudex; ac id eſt probabile, quod a plurib. ſapientibus approbatur; cum ſingulç philoſophorum de ſummo bono ſententiæ a ceteris ſectis quç ſunt iudices & plures & congruentiores, damnentur: iure colligere valemus, opiniones omnes philoſophorum de ſummo bono eſſe inanes & falſas; nec alia de cauſſa, niſi quia apud nos id quærunt, quod á nobis longiſſime diſtat.

Ratio decima.

Ratio undecima.

Oſtenditur homini, & ei ſoli inter mortalia, eſſe natum competere ſummum bonum.

CAP. V.

SAtis firmç, experientiçque conſentaneç, apparuerunt rationes illç, quç a mortali hac vita ſummum bonum auferebãt: firmiſſimis tamen rationibus hominem eſſe ſummi boni capacem, oſtendere valemus. Quarum prima ex quodam diuinitatis interno contactu, ex quadã mentis diuinatione, ex quadam cõmuni per naturã hominũ appetitione colligitur: Omnes enim homines recte per naturam affecti, diuinant, vaticinantur, communique conſenſione affirmant; hominem eſſe animal natum beari, finem hominis eſſe ſummum bonum: propterea in omni actione, omniq; vitæ noſtræ gradu & conditione id optamus, id quærimus, nullo alio replemur, in nullo conquieſcimus; Quæ diuinatio, appetitio, inſtinctuſq; naturæ nobiſcum ortus & educatus, inanis & redundans iudicari non debet; *Deus enim & natura nil faciunt fruſtra*, primo cœli, & textu 32. Secundo id ipſum colligere valemus ex natura & conditione humanæ mentis, ex qua hæc conſtituitur ratio: homo, & ſolus homo, eſt mentis

Hominẽ eſſe capacẽ ſummi boni.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Digitized by Google

mentis particeps: homo igitur, & homo ſolus, eſt natus beari. Conſpicuum eſt aſſumtum. Conſequentia deducitur accipiendo id, quod ab Ariſtotele 10. moralium Nicomachiorum, cap. 8. aſſeritur, nempe vniuerſam Deorum vitam eſſe beatam, & ſummum bonum eſſe affectionem diuinarum mentium; ceteris autem eatenus cōpetere, quatenus in eis refulget imago quædam actionis ſeparatarum mentium: cum autem homo mente conueniat cum ſeparatis mētibus, & munere eiuſdem valeat ratione aliqua Deo reddi ſimilis, æmulari actiones eius, & cū eo cognitione & voluntate iungi, iure etiam munere mentis valet aſſequi ſummum bonum. Quod etiam confirmatur: quia ſummum bonum eſt vita optima; & propterea ei natum eſt competere, cui conuenit principium optimæ vitæ: at homo eſt mentis particeps, quæ principium eſt vitæ optimæ, quare neceſſe eſt, vt etiam ſit particeps ſummi boni: vita enim optima, ex optimo & ſupremo animæ gradu pendet, huiuſmodi aūt eſt ratio & mens. Propterea recte Plotinus in libro de felicitate affirmauit, perfectam veramque vitam in mente vigere, ceteras vero imperfectas eſſe, vitæque imagines, & non vitas potius quam vitas. Inſuper eadem ſententia confirmari poteſt rationibus ſumtis ex conditione ſummi boni: ſummum enim bonum, quod rebus per participationem competit, nil eſt aliud; niſi eleuatio ſupra mortalē conditionem, & aſcenſus ad ſummum vniuerſi bonum, quod ſui eſſentia bonum eſt: at homo munere mentis hoc aſſequi valet; natus enim eſt inordinatas affectiones cōponere, mortalia negligere, æterna magnifacere, & ad primū principium eleuari, ex quo ſine medio pendet. Inſuper ſummū bonum eſt iucūdiſſimum: iucundiſſima pariter eſt honeſta actio, quæ à ratione & mente proficiſcitur; nec varii fortunæ euentus, recte compoſiti animi valent turbare iucunditatem. Inſuper vti valemus rationibus deſumtis ex conditionibus hominis: homo per mentem eſt proximus Dei filius, quare debet eſſe heres bonorum eius; huiuſmodi eſt ſummum bonum homo per rationem & mētem liber eſt, & ſolus naturæ lege in hoc mortalium orbe eſt natus imperare, cum ſit particeps cognitionis honeſti & rerum diuinarum, vt in decimo moralium Nicomachiorum, cap. 7. teſtatur philoſophus; *libertas autem, imperium, & ſummum bonum, ſe conſequuntur, & in eodem nata ſunt fieri.* Hinc patet ratio; cur ſolus homo, non iumenta, non feræ, mundi ciuis nuncupari mereatur: ſolus enim homo eſt rationis & mentis particeps, quam ſequitur libertas & libertatem ſequitur imperandi facultas. Præterea cùm homo ſit paruus mundus; eſt neceſſe, vt in eo cuncta reperiantur, quæ in magno inueniuntur, quorum principale eſt ſummum bonum: præſertim, quia paruus mundus eſt, nedum

Confirmatio.

Plotinus.

Ratio tertia.

Ratio quarta ab adiuncto.

Solus homo eſt mundi ciuis.

Ratio quinta.

ed by Google

ob communem rationem, quia partem habet omnium, quæ continentur in mundo; verum præſertim, quia vitam omnē cum iumentorum, tum diuinam viuere valet: eſt autem neceſſe, vt in mundis omnibus cuncta inueniantur, modo tamen ſingulis accommodato, omnia enim ſunt in Deo, ſed modo diuino, cuncta in cœlo, at modo cœleſti; cuncta pariter in homine, ſed modo quodam humano: debet itaque in homine, paruo mundo, munere mentis Deo pro portione reſpondentis, natum eſſe ſummū bonum inueniri. Prætorea communis & approbata eſt regula, in his mortalibus oppoſita eſſe nata fieri in eodem: at homo ſolus (omnium conſenſione) in hoc mortalium orbe extremæ miſeriæ eſt particeps, nam vitioſus omnium miſerrimus iudicatur: quare ſimiliter homo, & ſolus homo, eſt ſummi boni compos; non enim ad ſolam miſeriam & calamitatem natus & educatus cenſeri debet. Iure igitur cum Ariotele in 1 moralium Nicomachiorum, & cum Platone in appendice legum, colligere valemus, hominem hanc vitam viuentem, raro tamen, & ſumma cum difficultate, poſſe eſſe felicem.

Ratio ſexta.

Reſolutio difficultatis. CAP. VI.

Duo, quæ ex dictis colliguntur.

EX hactenus dictis duo ſatis conſpicua colligere valemus: vnum eſt, quod homo eſt natus aſſequi ſummum bonum: alterum eſt, in hoc mortalium orbe ſummum bonum exactum, ſincerum, omnique ex parte perfectum (vt conuenit ſeparatis mentibus) inueniri non poſſe. Propterea nunc componens pugnantes partes, vniuerſæque difficultati ſatisfaciens, duo accipio: vnum eſt, vitam hanc mortalem dupliciter conſiderari poſſe; primo, vel viam ad futuram vitam: ſecundo in ſe, vt definitum quendam vitæ gradum: Inſuper accipiendum eſt, ſummum bonum eſſe duplex: vt abſolute ſumptum omnique ex parte perfectum, vt conſideratum cum contractione, quatenus menti cum re mortali complicatæ competere poteſt. Ex his quatuor elicio aſſertiones: prima eſt; in hac vita conſiderata vt via ad futuram, ſolum ſpe, non abſolute eſt natum inueniri ſummum bonum. Ratio eſt quia ſummum bonum; non in peregrinatione, ſed in patria; non in curſu, ſed in termino curſus, non in pugna, ſed in victoria reperitur; eſt enim corona, & præmium. Altera eſt; in hac mortali vita in ſe conſiderata, ſummum bonum abſolute perfectum (vt ſeparatis mentibus competit) non eſt natum inueniri: hoc oſtendebant rationes in præcedentib. formatæ. Tertia aſſertio eſt; homo hanc vitam viuens, eſt natus aſſequi ſummum bonum; non omni ex parte perfectum, ſed quatenus menti cum re mortali cōplicatæ competere poteſt: quod non eſt ſummum bonum, dum comparatur cum ſummo bono futuræ

Primum quod accipitur. *Alterum.* *Prima aſſertio.* *Ratio eius.* *Secunda aſſertio.* *Tertia aſſertio.*

Digitized by Google

futuræ vitæ, ſed eſt ſummum bonum, quia eſt imitatio eius, & quatenus comparatur vita mentis & rectæ rationis cum ea cæterarum partium animæ. Poſtrema aſſertio eſt, iumenta & feræ non ſunt natæ aſſequi ſummum bonum, nec in prima, nec in ſecunda ſignificatione ſumptum: Ratio eſt, quia mente, ratione, perfectaque vita carent, cuius ſummum bonum eſt affectio. De hoc igitur ſummo bono in hac vita conſiderato, quid & quale ſit, verba facere debemus. Et rationes, quibus id euerti videbatur, ſolum oſtendunt, id vix, cum difficultate, obſcurum, nec omni ex parte perfectum inueniri poſſe: hic enim mortalis orbis non eſt ſedes accommodata pro ſincera & pura felicitate. Calamitates, incommoda, miſeriæque omnes, quibus humana natura eſt obnoxia, patefaciunt hominem eſſe participem ſummi boni, cum oppoſita in eodem nata ſint fieri, non enim cenſendum eſt hominem, qui natura cunctis animantibus præſtat, ſolum ſui diuinitate & præſtantia miſerias, non ſummum bonum eſſe natum aſſequi: Si leuem iudicamus eorum celebrem vitam, qui inter felices numerantur, id accidit, vel quia illi potius ex vulgi quam ſapiētum opinione fuere felices: nam (ex relatione Ariſtotelis) interrogatus Anaxagoras, quinam hominum fuere felices, eos minime omnium fuiſſe felices reſpondit, qui dignitatibus clari, ab hominum multitudine felices iudicati fuere, vel fuit leuis, ſi cum ſummo alterius vitæ bono comparatur. Inſuper ſi humana vita cum vita iumentorum comparata, videtur miſerior, id oritur ex hominum deprauatione, ex præpoſtero vſu ſuarum facultatum, ac demum ex eo, quia ſolus homo eſt natus eſſe felix, & finem poſtremum aſſequi, ob id enim nunquam eſt ſua ſorte contentus, nunquam explet ſua deſideria, nunquam requieſcit, quouſque illum non fuerit aſſequutus; quem tamen in hac vita pauciſſimi, obſcure, & cum difficultate attingunt. Propterea vna cum Platone in ſexto de legibus Ariſtoteles in primo de repub. cap. 2. nec non in ſeptimo moralium Nicomac. cap. 6. affirmat, *hominem perperam educatum deteriorem eſſe omni fera*. Oſtenſioni ſumptæ ex mentis æternitate reſpōdeo, humanam mentem proculdubio immortalem eſſe: ſi enim morti eſſet obnoxia (vt Alexander, Epicurus, Galenus, & multi Stoicorum putarunt) non ſecus homo, ac iumenta, eſſet capax ſummi boni: cū vero immortalis diuinaque ſit, vbicunque reperiatur, fulgere, & conditionem ſuam diuinam, vel clarius, vel obſcurius, valet patefacere. Immo hæc humanæ mentis ad ſummum bonum facilitas, inſertumque ſummi boni in ea deſiderium, conſpicuum eſt argumentum diuinitatis immortalitatiſque eius. Neque etiā paruipendenda eſt oſtenſio, qua Ariſtoteles in proœmio moralium Nicom. nititur

Quarta aſſertio.

Quomodo ſint diluenda aduerſa rationes.

Anaxagoræ ſententia.

Quæ ſit vis rationis Ariſtot.

oſtēdere, homini natum eſſe competere ſummum bonum, qui eſt finis vltimus ſolum ſui gratia optandus, ne in infinitum detur ꝑgreſſio, & inanis reddatur appetitio eius. Et dum inſtabatur, quia pari ratione licebit oſtendere, iumenta & feras ſummi boni eſſe capaces. Reſpondeo, longe variā eſſe rationem de feris & de homine. Feræ ſolū inſtinctu naturæ in finem quendam ꝓximū ad corpus pertinentem diriguntur ac trahuntur, quem finem nec ipſæ ſibi præſcribunt, nec frequenter cognoſcunt, ſed ſolum media quædam percipiunt, quæ ſenſibus eorum ſe offerunt: hinc iumenta & feræ dicuntur operari per naturam, & ad vnum ſolum tendere. At homo propria voluntate in finem poſtremum tendit, propria ratione illum quærit, ac cuncta exacte cognoſcit, in quæ dirigitur: ꝓpterea nunquam requieſcit, quouſque poſtremum finem nō inuenerit, in quē inſpiciēs media cuncta in eum congruenter dirigere valet. Iumenta & feræ corpore & appetitu ſenſuum in ꝓximo quodam fine requieſcunt, cum n. non ſint natæ vltimum finem aſſequi; ideo neque illum cognoſcunt, nec expetunt: hic iumenta in hominem, homo in ſolum Deum, vt in finem abſolute vltimum dirigitur. Incōſtantia autem & varietas opinionum de ſummo bono, nō ex eo pendet, quia non detur, ſed quia vix, & obſcure, in hoc orbe refulgeat: ac inſuper id pendet ex vario vitæ genere, variiſq; hominum affectionibus, vt in primo moralium Nicomachiorum, monuit Ariſtoteles: at nos, non quid multi, ſed quid ſapientiores dicāt, conſiderare debemus: ſapientes autem de hoc conuenere, quod in bonis animi ſit collocatum, & cuncti ſummum bonum conſiderarunt in quadam relatione ad primum, quod eſt ipſum bonum. Colligamus itaque nil in mortalium orbe homine felicius, nilque eo infelicius inueniri: propterea Aſclepius Athenienſis humanam naturam verſipellem imagine Protei in Myſteriis congruenter ſignificari affirmauit.

Aſclepius.

Quomodo intelligi debeat Platonis ſententia, quod homo ſit ludus Deorum. CAP. VII.

EX eo quod dictum eſt, hominem eſſe natum viuere vitam omnem, eſſe feliciſſimum omnium mortalium, infeliciſſimum, ac medium, & in hoc mortalium orbe ſolam in eo vmbram & imaginem ſummi boni reperiri, ſe mihi offert occaſio conſiderandi ſententiam illam à Platone prolatam in primo & ſeptimo dialogis de legibus, hominem ſcilicet eſſe ludum Deorum. Pro cuius explicatione accipiendum primo eſt, apud Platonem triplicem conſiderari hominem: primum in idea poſitum, ſecundum per mentem & rationem conſtitutum, tertium per ſenſus, & vmbram animæ: primus dicitur idealis, ſecundus ratio-

Triplex homo.

Digitized by Google

rationalis, poſtremus ſenſitiuus. In ea ſententia nomine hominis non idea ſignificatur; idea enim non homo, ſed ipſe homo, ab eo dicitur, ſed intelligi debet homo, qui in hoc mortaliũ orbe reperitur, ex anima præſertim & mente conſtitutus, qui definitus ab eo fuit in Alcibiade primo, quod ſit anima rationalis, mentis particeps, corpore vtens. Inſuper nomine Deorum in ea ſententia, non intelligi debet ſolus is, qui vere & abſolute Deus eſt. Ille enim ex ſententia, nedum Theologorum, verum inſuper Ariſtotelis & Platonis, vnus eſt, imo eſt ipſum vnum, adeo vt ei maxime omnium aduerſetur multitudo, ſed nomine Deorum denotantur mentes omnes, quæ vitã viuunt ſupra corpus collocatam. At videamus, quid ſit ludus. Ariſtoteles in libro rhet. pollicitus eſt in poeticis ſe de ridiculis loquuturum; at in poetica tam pauca dicit, vt fere nil dicere videatur. Sed multis prætermiſſis, dico breuiſſime, nomine ludi Platonẽ ſignificaſſe iocum & rem ridiculam. Iocus eſt quædam deformitas, cum nouitate & obſcœnitate, ſine dolore & interitu eius in quo eſt, quæ in aſpiciente vel audiente admirationem quandam cum iucunditate parit, & frequenter in imitatione eſt poſitus: propterea ꝓprie iocus ad homines pertinet, vt etiam imitatio, admiratio & riſus; extenditur tamen cum quadam ſimilitudine etiam ad iumenta & feras. Paratus eſt iocus, vt ad ſeria reddamur promtiores. Lycurgus (referente Plutarcho in eius vita) ioco tanquam Deo ſtatuam erexit. Hæc, quæ dixi, cõfirmantur per ſententiam Platonis in decimo de republ. dicentis: *Imitatio eſt potius iocus quidam, quam res ſeria.* His præaſſumptis quæritur, cur homo à Platone dicatur ludus Deorum? Dixit Marſilius in primum dialogum de Legibus, *hominem fuiſſe à Diis vel ludo, vel ſtudio quodam effectum*; ſic intellige, ludo quidem factum eſſe, ſi anima ſemper à cœleſtibus ad terrena, atque viciſſim quaſi ludendo tranſmigrans, nunquam immutabili apud Deum ſede quieſcat: factum v. ſtudio, ſi modo penes effectores Deos, effectoremque Deum animus quandoque ſit immobiliter permanſurus, vtram vero diſiũctionis huius partem eligere debeamus, affirmare hic Plato nõ audet; ꝓbabile tamen iudicat (vt hic, alibique ſignificat) hominem ſtudio potius, quam ludo fuiſſe diuinitus conſtitutum. Proculdubio hæc explicatio approbanda non eſt, quoniam Plato in ſeptimo de Legibus hãc partem approbat, vt homo ſit ludo conſtitutus, non alteram. Inſuper addit, hominem vero Dei ludo, vt ſupra diximus, eſſe fictum, eſt optimum ipſius hominis. Sic itaque Plato approbat, hominem eſſe ludum, inſuper ait, id non imperfectioni, ſed perfectioni & præſtantiæ hominis eſſe tribuendum. Dixerunt alii, hominem dici ludum Deorum, quia continenter, quaſi pila, variis agitatur impulſio-

Deus.

Ludus & Iocus quid.

Marſilius.

Euerſio.

Homo Deorum que ludus.

Aliorum ſententia.

Digitized by Google

Euerſio. nibus; modo ad ſublimia, modo ad infima depulſus. At ob hoc non deberet dici ludus Deorum, ſed fortunæ potius; neque perfectioni eius eſſet tribuendum. *Opinio propria.* Propterea dicamus, hominem dici ludum Deorum, quia æmulatur Deos, & imitatur actiones eorum, cum quadam degeneratione & deformitate, & eius bonum in hoc eſt poſitum, vt Deos æmuletur. *Quomodo homo æmuletur Deum.* Æmulatur primo munere participationis mentis: ſecundo participatione ſummi boni, quod ei in hac vita (vt dixi) obſcure competit. Tertio per curam & prouidentiam in regendis populis, & adminiſtranda republica. Quarto per ea, quæ arte ab homine efficiuntur, ars enim imitatur opera naturæ, quæ naturæ opera primo & præſertim ſunt opera Dei. Quinto, quatenus homo per ſcientiam & intelligentiam fit omnia per imitationem, vt Deus eſt omnia per eminentiam; & hæc omnia cum magna quadam degeneratione, declinatione, ac deformitate competũt homini. Ex quo tria elicimus: *Tria ex dictis eliciuntur, tanquam conſectaria.* primo, quomodo homo ſit ludus & iocus Deorum: ſecundo, quomodo hoc cenſeri debeat optimum ipſius hominis; homo enim eatenus eſt bonus, quatenus Deum imitatur. Conſtat demum, cur iumenta & feræ non mereantur dici ludi Deorum. Et ea Platonis ſententia eſt ſimilis illi, quæ legitur in Geneſi: *Fecit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Simili quadam ratione poſſemus nos dicere Pygmæos eſſe ludum hominis. Dici etiam poteſt homo ludus, quatenus vitam omnem viuere valet, omniſque perſonæ imaginem valet ſuſcipere, vt dixit Euantes Perſarum ſapientiſſimus. Inſuper, quatenus eſt monſtrum quoddam hominis forma circumtectum, vt dixit Plato 9. de repub. Verum quod Plato ſignificare voluit, illud cenſeri debet, quod à me prius dictum fuit. Quod cõfirmatur per ea, quæ in Hippia ab eo proferuntur, quo loci ſententiam illam commendat, quæ Heracliti fuit, quod homo ſapientiſſimus, in attinentibus ad ſapientiam, ad formam, & ſimilia, comparatus cum Deo, ſimia appareat.

Ad quam ſcientiam pertineat conſideratio ſummi boni.
CAP. VIII.

CVM homo ratione aliqua ſit natus eſſe felix, declarandum occurrit, ad quam philoſophiæ partem felicitatis conſideratio pertineat. Cui difficultati ſatisfaciẽs dico, vniuerſam philoſophiam nil aliud eſſe, quam methodum aſſequẽdi ſummum bonum, quod ſummum bonum varia & diſtincta ratione in variis eius partibus conſideratur. *Summi boni conſideratio pertinet ad ciuilem.* Dum enim conſideratur primo, vt finis hominis in noſtris actionibus collocatus, ad quem vniuerſa humanæ vitæ inſtitutio dirigenda eſt; hac ratione ad ciuilem philoſophũ pertinet, qui eſt architectus humanę vitę: cuius officium

officium eſt omnes hominum gradus & conditiones perpendere, pertinentia ad humanas actiones componere, cunctaque in ſummum hominis bonum pro facultate dirigere. Sic Ariſtoteles in procemio moralium Nicom. declarauit, *hoc ſummum bonum ad ciuilem ſcientiam pertinere, & vſus eſt hac ratione, id, quod eſt optimum, & finis poſtremus, ad eam ſcientiam pertinet, quæ eſt princeps & domina: ſummum bonum eſt optimum, & ciuilis ſcientia eſt domina cæterarum, quare ad ciuilem pertinet. Ciuilem eſſe dominam per id oſtendit, quia artibus vtitur, legibusque latis, quid agendum, & à quibus abſtinendum ſit, præſcribit, & quas in reipub. quisq; diſcere debeat, & quatenus, ea ſtatuit, &c.* Pertinet itaque ſummum bonum hac conſideratione ad ciuilem ſcientiam. & accommodatiſſime id fit in prima parte, quæ de moribus inſcribitur, quia primo tenemur nobis finem proponere, ac circumſcribere. Sic igitur ſummum bonum, vt eſt finis humanæ vitæ, vt eſt proba hominis actio, vt humana induſtria, ſtudio, & aſſuetudine eſt acquirendum, vt ad illud cuncta ceteris legibus ſunt dirigenda, ad ciuilem Philoſophum pertinet. Quatenus vero eſt affectio hominis, qui eſt ſpecies corporis phyſici à naturali Philoſopho conſideranda, ad phyſicum pertinet, & præſertim à Phyſico id fieri debet, quoniam ad illum pertinet conſiderare interna principia motus, tranſmutationis, & actionis: corpus enim phyſicum per internum principium motus perficitur, & circumſcribitur, & anima hominis, vt iuncta corpori, & principium operationum hominis, eſt phyſicæ conſiderationis. Ideo Ariſtoteles in tertio de anima declarat, quomodo & intelligendi, & mouendi, & operandi ſit principium. Ita vera eſt ſententia Auerrois in primo de anima, cont. ſecundo dicentis; *Moralem recipere à ſcientia de anima vltimum finem hominis, quatenus eſt homo.* Et nomine finis non ſignificauit Auerroes cogitandi facultatem (vt nonnulli perperam exponunt) ſed hoc ſummum bonum, de quo loquimur, cuius proxima principia in tertio de anima explicantur. Demum pertinet conſideratio ſummi boni ad primam philoſophiam, quæ metaphyſica dicitur, duplici ratione. Primo, quia quamuis vniuerſa philoſophia ſit methodus aſſequendi ſummum bonum, tamen ex humanis ſcientiis ſola metaphyſica nos eleuat ad Deum, connectit cum eo, & nos compotes reddit eius ſummi boni, quod per naturam aſſequi valemus. Secundo ad metaphyſicum pertinet ſummũ hominis bonum in contemplatione poſitũ, quatenus comparatur cũ ſummo bono diuinarum mentium, & oſtenditur nobis exiguo tempore competere, intelligentiis vero ſemper, vt conſiderauit Ariſtoteles in 12. metaphyſicæ, contex. 39. Summi itaq; boni conſideratio, nedum pertinet ad ciuilem, verum etiam ad phyſicum

Ratio Ariſtotelis.

Pertinet ad phyſicum.

Quomodo pertinet ad metaphyſicum.

& diuinum. Propterea Ariſtoteles decimo moralium Nicomac. cap. 8. inquit: *Mentis autem ſummum bonum ſeiunctum eſt, de eo enim hactenus dictum ſit: nam exactius & preſſius de eo differere maioris negotij eſt, quam id, quod nobis propoſitum eſt, expoſtulet.* Inſuper in primo moralium Nicom. cap. 13 quærens, num ſummum bonum diſciplina, vel aſſuetudine, vel quouis alio modo acquiratur, inquit; *Sed hoc forſan alterius conſiderationis magis proprium eſt.*

Difficultates nonnullæ, quæ ex dictis emergunt proponuntur, ac diluuntur. CAP. IX.

EX dictis in præcedente capite quatuor emergunt difficultates. Prima quia dictum eſt, ciuilem ſcientiam eſſe principalem & dominam, ac ceteris omnibus leges tradere, terminoſq; præſcribere, & propterea ad eam pertinere ſummi boni cõſiderationem: at hoc verum non videtur, quia domina omnium eſt prima philoſophia, quæ dicitur metaphyſica, quare ob eam rationem ad metaphyſicã pertinebit. Altera dubitatio eſt, ſi ſummum bonum ad ciuilem pertinet; num ad eam pertineat vniuerſum ſummum bonum, cum in actione, tum in contemplatione collocatum, vel tãtum illud, quod in actione eſt poſitum? Tertio videtur dubium, quod ſummum bonum modo aliquo pertineat ad phyſicũ; in nulla enim parte naturalis philoſophię de illo agitur: imo in tertio de anima, con tex. 36. ſub dubio Ariſtoteles derelinquit; an mens corpori iuncta ſeparatas mentes apprehendere valeat, in quarum apprehẽſione ſummũ bonum collocatur. Demum inquit Ariſtoteles in primo de partibus animalium, *humanam mentem non attinere ad phyſicum, quare ſummum bonum, quod eius eſt affectio, minime erit, affectio corporis phyſici, nec ad phyſicum pertinebit.* His difficultatibus reſpondens, de prima dico, diſciplinam eſſe principalem & dominam, dupliciter contingere poſſe, vel abſolute, & ita, non ciuilis, ſed metaphyſica domina eſt, vel in attinentibus ad rectum vſum, ad facultatem imperandi, componendi, & dirigendi pertinentia ad humanas actiones, & hac conſideratione ciuilis eſt domina. Inſuper imperare contingit dupliciter (vt docet Ariſtoteles in calce ſexti moralium Nicomachiorum) vel alicui, vel pro aliquo: alicui, vt dominus imperat ſeruo, & princeps populis: pro aliquo, vt ſeruus imperat pro domino, medicus imperat, nõ ſanitati, ſed pro ſanitate: ita inquit Ariſtoteles in calce ſexti moralium; *Ciuilis prudentia non imperat ſapientiæ, ſed pro ſapientia, cuncta enim in ſapientiam, vt in finem dirigit, & conſiderat, quæ ad eam ſint neceſſaria à quo ſit prææligenda, & quis dignitatis gradus ei conueniat*, & quemadmodum in attinentibus ad actionem

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Solutio primæ difficultatis.

Diſciplina poteſt eſſe princeps dupliciter.

Imperare contingit dupliciter.

Digitized by Google

nem imperat & regnat ciuilis prudentia, ita in attinentibus ad cognitionem tanquam dux imperat & dirigit contemplatio, ac ſibi ciuilem ſubſternit, vel eam vt prolem parit. De ſecunda difficultate dico, ad ciuilem pertinere, cum ſolam moralem, tum vtramque felicitatem; ſola moralis ad eũm pertinet ratione adeptionis: vtraque vero ratione cognitionis, ordinis, proprietatum, & directionis: quod diſtinctius declaro. Nam dum conſideramus ſcientiam ciuilem, vt ſuo fine contradiſtinctam à philoſophia inſpectrice, & quatenus per eam finis proprius eius acquiri debet, ita proculdubio in ſola felicitate ciuili verſatur, & dicitur methodus acquirendi ſummum bonum ciuile, vt philoſophia theorica dicitur methodus acquirendi ſummum bonum in contemplatione poſitum. At ſi ſecundo cõſideratur ciuilis ſcientia, vt tenetur communem hominis finem cognoſcere, ex cuius prænotione elicitur ordo humanarum actionum, elicitur recta ratio condendi leges, & cõgruens diſpoſitio omnium ad rempublic. pertinentium: proculdubio tenetur vniuerſe cognoſcere ſummũ hominis bonum, & diſtincte iudicare partes eius, ordinẽ partium, conditiones, & dignitatem. Inſuper etiam id facere tenetur: quoniam ſummum bonum ꝙ in actione, & illud ꝙ in cõtemplatione poſitũ eſt, adeo iuncta ſunt; vt gradus vnus ſine altero, neque exacte ſeruari, neq; perfecte cognoſci poſſit. Hinc videmus Ariſtotelẽ in ciuili ſcientia de vtroque ſummo bono verba feciſſe: nam in primo libro communem vtrique dedit definitionem; mox declaratis attinentibus ad primum gradum, nempe ad ſummum bonum morale, in ſexto libro de habitibus mentis verba fecit, & in decimo libro ex communi definitione ſummi boni in primo libro tradita elicit definitionem boni in contemplatione poſiti, cui etiam præſertim definitio illa communis competit, vt ſuo loco patebit: vtraque enim eſt actio perfectæ virtutis, pręcipue tamen ea, quę in contemplatione cõſiſtit. Et quoniam ciuilis (vt dixi) vtrumque gradum ſummi boni tenetur cognoſcere: ideo Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, c. 5. enumerans varias de ſummo bono ſententias, eam quoque retulit illorum, qui in cõtemplatione ſummum bonum collocarunt, & eam ſententiam dixit poſterius eſſe conſiderandam; idque ſeruauit in decimo libro, & in ſeptimo libro cap. 11. ciuilem nuncupat architectum finis humanæ vitæ: non autem talis eſſet, niſi vniuerſe finem vltimum hominis teneretur cognoſcere; hoc tamen verum eſt quod exactius ſummum bonum morale cõſiderat, alterum vero craſſius & leuius. Hinc etiam in libris de republ. Ariſtoteles inſtituit iuuenes, nedum ad mores, verum etiam ad ſcientias, manifeſtans quibus ſcientiis, quo ordine, & vſque ad quem terminum tene-

Solutio ſecundæ difficultatis.

Digitized by Google

antur incumbere. Ex his conſtat non ex euentu penitus (vt eſt quorundam ſententia) Ariſtotelem de habitibus mentis, & de ſummo bono in contemplatione poſito, verba feciſſe: & hæc de ſecunda difficultate. De tertia, quæ erat, quod naturalis philoſophus nullibi de ſummo bono videtur verba feciſſe: Reſpondeo, conſueuiſſe Ariſtotelem in naturali philoſophia quæ ad ſpecies pertinent frequenter miſſa facere; & in principiis, ac cõmunib. præſertim verſari, ex quorum explicatione pendet notitia contentorum ſub eis, quibus principiis mox vtuntur diſciplinæ, quæ magis ad ſingula deſcendunt. Inſuper in tertio de anima declaratur, quomodo mens hominis valeat cuncta apprehendere, & quomodo ſit principium agendi: ex his pendet notitia ſummi boni vt ad phyſicum pertinet. Quod in cont. 36. ſub dubio reliquit, an mens hominis iuncta corpori valeat abiunctas mentes intelligere, id parum refert: non enim tunc dubitauit, an homo ſit natus beari, ſed de modo, quem, niſi aperte, latenter ſaltem patefecit, vt ſuo loco declarabo. Ad id, quod poſtremo addebatur; quod mens non pertineat ad phyſicum, quare nec ſummum bonum, quod eſt eius affectio? Reſpondeo mẽs vt iuncta corpori, & principium actionum hominis, ad phyſicũ pertinet; ſummum autem bonum, quod in hac vita reperitur, ad hominem pertinet, eſt affectio hominis, & in actionibus propriis hominis eſt collocatum.

Solutio tertiæ difficultatis.

Manuductentia ad cognoſcendum, quid ſit ſummum bonum.

CAP. X.

Quæſtionem An ſit ſequitur queſtio. Quid eſt.

ABSOLVTIS attinentibus ad quæſtionem, an ſummum bonum ſit, natumque ſit ab homine in hac vita acquiri, ad explicandam quæſtionem, quid ſit, progredi tenemur: ad quam vt paratiores accedamus, altius parumper exordiendum eſt. Cũ inter vetuſtiores, qui ſapientię fuerũt ſtudioſi, varii floruerint: Pythagoras tamen & Socrates, omnium ore ſummopere fuerũt celebrati: propterea, defuncto Socrate, cœperunt erigi illæ philoſophorum Academiæ, quæ ſectæ vulgo dicuntur; quarũ plurimæ magna ex parte Socratem imitari conatæ ſunt. Quæ quidem ſectæ quamuis numero ſint multæ, tamen, ſi comprehẽſionem vt genus inſpicimus, recte à Sexto Empirico in tres ordines rediguntur; vel enim cenſent res à nobis poſſe comprehẽdi, vel negant, vel dubitant. Galenus in libro de hiſtoria philoſophica, in quatuor gradus diſtribuendas cenſebat: in Dogmaticos aſſerentes, & affirmantes; in Scepticos dubitantes, in Litigioſos contendentes, ac demum in mixtos, qui de nonnullis affirmabant, de aliis negabant poſſe nos aſſequi veritatem. Quæ ſectæ cum genere philoſophandi diſtinctæ ſint, præcipue tamen fecer-

Sectæ in tria capita.

Galenus.

Digitized by Google

ſecernuntur fine, quatenus ſummum hominis bonum in re varia collocarunt: qua de re, nedum ſapiētes à ſapientibus, verum inſuper ſapiētes à vulgaribus, vulgareſque inter ſe, fuere diſcordes, ac inſuper iidem vario modo affecti, varias ꝓtulere ſententias. Hic nonnulli in honore & gloria, vt viri ciuiles; alii in diuitiis & fortunæ bonis, vt viri vulgares & auari, nonnulli in ſanitate, vt laborantes, vel in forma & naturæ bonis, vt fœminæ, & viri effœminati, alii in voluptate, vt Epicurus & viri voluptarii, nonnulli in animi tranquillitate, vt viri ſolitarii; quidam in vita naturæ legib. cōſentanea, vt Diogenes Cynicus; nonnulli in habitu virtutis, vt Stoici; quidā in actione ex virtute ꝓdeunte, vel in conſpiratione omnium, vel multorum ex numeratis boni, ſummum bonum collocarūt. Sed quoniam ſupernacaneum eſt leues quaſdam opiniones perpendere, præſertim cum plurimæ ex dinumeratis iam ſapientum conſenſione exploſæ ſint, propterea ego (ceteris neglectis) quatuor potiores firmioribuſq; nixas fundamentis conſiderabo: Quarū vna fuit Stoicorū, & plurimorum Academicorum, qui in virtutibus animi ſummum bonum collocarunt: altera Peripateticorū, quod nō in virtute, ſed in actione ex virtute ꝓdeunte: tertia Epicuri, Eudoxi; & ex quorundam ſentētia etiam Ariſtotelis, quod in voluptate animi ex proba actione prodeunte. Quarta adſcribitur Platoni, quod in idea boni poſitū ſit. Et iure hæ quatuor opiniones perpēdendæ ſunt, cum ceterarum ſint capita. Summum n. bonum vel in externis, vel in internis bonis neceſſario collocatur: ſi in externis, ſoli ideæ boni id competere poſſe videtur, cetera n. continenter variantur: ſi in internis ea, quæ ad internam animi noſtri compoſitionem conſpirāt, tria ſunt; habitus virtutum, actiones inde prodeūntes, & gaudium quod ex actione conſurgit; ideo in vno horum eſt neceſſe, vt hominis hāc vitam viuentis ſummum bonum ſit collocatum. Nam ſi requiritur cōſpiratio vel omnium trium, vel duorum, ſaltem cōſiderandum eſt, quid ſit illud principale, in quo eſſentia ſummi boni poſita ſit. Hæ ſunt de ſummo bono illuſtriores ſentētię, dignæ vt accuratiſſime cōſiderentur. Et quoniam omnis noſtra cognitio à quibuſdam confuſis, nobiſque notioribus ortum ducit, ordiar ego à cōmunibus cōditionibus & adumbrationibus, quæ omnium fere conſenſione ſummo bono conueniunt: vt ex illis, quaſi ſignis & præcurrente cognitione, in notitiam ſummi boni perducamur. Nuncupatur ſummum bonū finis poſtremus, ſui ſolum gratia optabilis, bonum ſeipſo contentum, ex ſe ſatis, vt in primo moralium Nico. cap. 7 aſſeruit Ariſtoteles. Inſuper dicitur eſſe optimum, pulcerrimum, iucundiſſimum, vitaque optima, vt idem philoſophus octauo cap: eiuſdem libri affirmauit, dicitur inſuper vitæ com-

Varia de ſummo bono ſententia.

Quatuor opiniones perpendenda.

Quatuor capita opinionum de ſummo bono.

Communes circumſcriptiones ſummi boni.

Digitized by Google

moditas, quæ ex ſe ſit ſatis, ſtatus bonorum omnium, quæ nata ſint nobis competere, conſpiratione perfectus, ſalutaris animi tranquillitas, felix conſenſio partium animi, expurgatio, depuratio, ac exacta perfectio hominis. Affectio firma, conſtans, eximio honore digna, quæ ſummo labore acquiratur, nata tamen ſit ab homine ſecundum naturam affecto acquiri & poſſideri: dicitur optima animi valetudo, ſimilitudoque hominis cũ Deo, & ſeparatis mẽtibus. Ac demum (vt in primo rhetoricorum docuit Ariſtoteles) ſummum bonum eſt vitæ proſperitas cum virtute iuncta, eſt poſſeſſio rerum, quibus vita contenta ſit, eſt vita ſecura, & iucũdiſſima. Sic itaque vir felix probitate animi, ſanitate corporis cõmoditateque ceterorum bonorum cũctis præſtat, ſibi eſt iucundus, ceteris vtilis; mundo mortali decus, ſplendor, & ornamentum: adeo vt ſtatua quædam Dei per metaphoram congruenter dici queat; nil enim ſibi ſimilius ad hæc mortalia conuerſus Deus, viro felici inſpicere valet.

Rationes pro parte Stoicorum, quod ſummum bonum in habitu moralis virtutis ſit collocatum.

CAP. XI.

Summum bonum in virtute eſſe poſitum.

Ratio prima. DVM ex vna parte mente reuoluimus cõditiones, diplomata & priuilegia ſummi boni, ex altera ea virtutum, facile cum Stoicis in hanc ſententiam venimus, quod ſummum bonum in virtute ſit collocatum. Nec equidem iniuria: ſummum enim bonum, conſenſione ſapientum, ad animum debet pertinere: in animo nil ſalutarius, nilque præclarius virtute inueniri poteſt.

Ratio ſecunda. Summum bonum id iudicari debet, ex quo pendet vniuerſa noſtra perfectio: virtus eſt huiuſmodi; virtus enim perficit id cuius eſt virtus, & opus eius.

Ratio tertia. Summum bonum id ſtatui debet, quod cum ex ſe ſit bonum, cetera omnia bona reddit: huiuſmodi eſt virtus; nam eius beneficio munera fortunæ & naturæ redduntur bona nobis, quæ ſeorſum à virtute potius nobis obſunt quam proſint.

Ratio quarta. Summum bonum id iudicari debet, quod (ſeiunctis ceteris omnibus) bonum reddit id cui conuenit; & eo ſeiuncto ab aliis, relinquit illud boni expers: huiuſmodi eſt virtus; ex eo enim quod hómo eſt virtute præditus, etiam ſi ei cetera omnia deſint, ſtatim dicitur vir probus, ſi autem ea abſit, adſint cetera omnia, nequaquam bonus & probus nuncupabitur.

Ratio quinta. Summum bonum eſt maxime potens, omnia vincens, omnia ſuperans; omnia cum eo pugnantia repellens: huiuſmodi eſt virtus; ea enim ſola muniti, fortunam vincimus, naturæ incõmoda reiicimus; munere continentiæ incontinentiam coercemus, heroica virtute feritatem proſternimus, virtute morali necamus vitium, habitu ſcientiæ ignorantiam profligamus: iure itaque dicitur, quod

quod virtus dominatur & imperat, quod virtus nos reddit potentes: & Plato in Gorgia manifeſtauit, viros iniuſtos & vitioſos impotentiſſimos eſſe omnium: nilque eorum agere, quæ volunt: nam volunt bonum, tanquam communem finem appetitionis; at malum iudicantes eſſe bonum, malumque agentes, ſuo fine fruſtrantur. Inſuper ſummũ bonum debet eſſe firmum, & conſtans, apud nos autem nil virtute firmius, & conſtantius reperitur: dum enim extrinſecus fortunæ venti nos agitãt, dum intus dimicant naturæ contrarietates ex quibus conſtamus, dum amici nos deſerũt, dum principes huius mundi nobis ſunt aduerſi, ſola virtus intus reuocata animum reddit tranquillum; ſola nos intrepida comitatur: de qua id, quod de Muſis cecinit Boetius, congruenter enunciare valemus: *Ratio ſexta.* *Boetius.*

Has ſaltem nullus potuit peruincere terror,
Ne noſtrum comites proſequerentur iter.

Et Seneca epiſtola 93. dicebat: Hoc aduerſus virtutes valent calamitates, damna, & iniuriæ, quod aduerſus Solem valent nebulæ; imo minus, quia virtus in calamitate refulget, & aduerſitate perficitur. Præterea ſummum bonum huius eſt naturæ & conditionis; vt, quatenus ſummum bonum eſt, non poſſit non prodeſſe: at hoc virtuti competit; præclarum enim virtutis priuilegium eſt (vt in primo rhetoricorum monuit philoſophus) quod ea ſola male vti non valeamus: ac inſuper, quod admirabilius eſt, ea ſola (dum nobis ſe offert occaſio) non valeamus non vti; de ratione enim virtutis moralis eſt, nedũ vt agamus id quod oportet, verum inſuper quando oportet. Præterea ſummum bonum id iudicari debet, quod menſura, & regula eſt ceterorũ bonorum, ac Deo pro facultate nos reddit ſimiles: huiuſmodi eſt ſola virtus, ea (vt dixit philoſophus in decimo moralium Nicomachiorum, capite quinto) eſt menſura omnium, rectum enim index eſt ſui & obliqui; ea ſola nos maxime purgat, & purgatos euehit ad ſupera: Hinc Deus, tanquam amicum ac ſibi ſimilem, dicitur viſitare virum probum, & ſapientem. Inſuper ſummum bonum debet eſſe natum acquiri (cum difficultate tamẽ) ab homine, vt homo eſt; nec debet neceſſario pendere ex aliquo externo: virtus eſt huiuſmodi: cum enim humanæ actiones multis egeant, & à pluribus inopia inſtrumentorum perfici nequeant; ſola virtus, quæ tanquam finis propoſita eſt homini, nullo eget, & ab omni poteſt acquiri & poſſideri, & niſi homo ſibimet deſit, ac in mundi bello ſuccumbat inermis, valet virtute ornari. Demum hominis bonum dicitur eſſe iucundiſſimum, honeſtiſſimum, vtiliſſimum, ſemper conſimile, naturæ hominis conſentaneum, ordinem ſtatuens inter partes animæ, ac hominem *Seneca.* *Lucet in ærumnis virtus, vt in igne machara.* *Ratio ſeptima.* *Ratio octaua.* *Ratio nona.* *Ratio decima.*

reddens conſimilem magno mundo: huiuſmodi eſt ſola virtus. Non itaque iniuria Stoici in ſola virtute ſummum bonum collocarunt. Et Plotinus Ennead prima, lib. 4. cap. 15. quærens, ſi duo fuerint ſapientes, quorum vnus abundet fortuna & naturæ commoditatibus, alter eis careat, num pariter ſint beati: Reſpondit; pariter fore beatos, dummodo æque fuerint ſapientes.

Sententia Peripateticorum, & rationes pro eius confirmatione. Cap. XII.

Summum bonum eſſe poſitum in actione.

ARiſtoteles, qui iudicio acri, ingenioque perſpicaciſſimo præditus, in omni rerum conſideratione, vel noua meditatur, vel aliena inuenta ſaltem dirigit, & perficit: agens in primo libro moralium Nicomachiorum, de ſummo hominis bono, non cenſuit in ſola virtute eſſe collocatum; ſed potius in actione, quæ ex virtute prodit: pro qua firmanda opinione variæ poſſunt afferri rationes, vel ex eo depromptæ, vel à nobis excogitatæ. Et primo in eo collocatur ſummum bonum, quo præſente homo dicitur felix, quo abſente deſinit eſſe felix: At virtus non eſt huiuſmodi. Quod oſtenditur primo: quia fieri poteſt, vt homo virtute præditus dormiat, vel nihil agat, in qua diſpoſitione minime erit felix, recte enim dicitur, probum ab improbo, felicem à non felici in ſomnis non internoſci, neque etiam dum nihil agunt: Et dum dicitur ab Ariſtotele non internoſci, id intelligi debet, non internoſci actu ſecundo; internoſci tamen habitu, hoc eſt, actu primo. Præterea eadem minor propoſitio oſtēditur: quia homo virtute præditus poteſt omni calamitatum genere premi, maximiſque fortunæ, & naturæ aduerſitatibus cruciari, qui ita conſtitutus, proculdubio non ſe habet, vt abſolute optaret ſe habere, & propterea à nemine recta ratione poteſt iudicari felix.

Pro opinione Ariſtotelis. Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Secundo id ipſum oſtenditur, quia ſummum bonum eſt finis poſtremus, ſolum ſua gratia optabilis, non laude, ſed honore dignus: At virtus non eſt huiuſmodi, virtus enim optatur in probarum actionum gratia, nam id, cuius eſt actio, eſt actionis gratia, vt dicitur in ſecundo de cœlo, cont. 17. inſuper cum ſit habitus, numeratur inter digna laude, non honore, vt patuit in ſermone de honore, & laude.

Tertia.

Tertio ſummum bonum ex ſui conditione dicitur eſſe perfectum, & ex ſe ſatis; perfectum eſt id, cui non poteſt aliquid addi, vt aſſeritur primo cœli cont. 12 & 5. metaphyſ. 21. At virtus non eſt huiuſmodi; ei enim, cum ſit actus primus, poteſt addi ſecundus, hoc eſt, cum ſit habitus, perficitur per actionem, & cum includat poteſtatem, includit aliquid imperfecti, quod per actum, hoc eſt, per actionem remouetur. Ideo æterna, cum ſint perfecta, nunquam ſunt pote-

Digitized by Google

poteſtate, ſed ſemper operantur, poteſtas enim cum priuationem iunctam habeat, vltima perfectione caret. Quarto ſummũ bonum (omnium conſenſione) vel in iucunditate eſt poſitum, vel iucunditatem quaſi affectionem ſibi iunctam habet, vt cum Plato in Philebo, tum Ariſtot. 10. moral. Nic. affirmarunt: ac iucunditas non ex habitu, ſed ex actione conſurgit, definitur enim iucunditas in 10. moral. Nic. quod ſit perfectio operationis: cum itaque iucũditas ſit eſſentia, vel affectio ſummi boni, & ea ex actione ꝓdeat, actioniſque ſit perfectio, cõſpicuum eſt ſummum bonum in actione collocari. Quinto inquirentes ſummum bonum, quo valet homo in hac vita frui, ꝓfecto id optimum abſolutiſſimumque inquirimus, ꝙ homo valet aſſequi, quodque omni ex parte ſit perfectum: at nõ virtus, ſed ſola actio ex ea prodiens eſt huiuſmodi; actio namque ꝓba virtutem vt principium expoſcit. Naturæ & fortunæ inſtrumenta vt media includit, ac demum actionis formã tãquam vſum & poſtremam bonorum perfectionem ſuperaddit, adeo vt in ea ſola nil vlterius expeti poſſit, & qui ea perfecte fruitur, cum nullo alio ſuã cõditionem permutaret: ea itaque ſummum bonum cenſeri debet. Quis enim regẽ non iudicabit ſua perfectione poſtremaque dignitate deſtitutum, ſi regnãdi artem optime percalleat. Naturæ tamen vel fortunæ iniuria, regno priuetur, vel regis munere fungi non valeat? Nos inquirimus ſummum hominis bonum, non extra naturæ fines collocati, ſed in manibus naturæ & fortunę poſiti, non in ſolitudine, ſed in vrbe hominumque cœtu viuentis, non ſolius animæ eius, ſed totius compoſiti: ad quam vitam ſine impedimento feliciſſime degendam profecto ſola virtus nõ eſt ſatis. Ideo recte dixit Theages, ſummum bonum debere vniuerſo homini, non ſolis partibus conuenire: homo conſtat ex anima, & corpore: quare ſummum bonum conſurgere debet ex conſpiratione cunctorum conducentium perfectioni compoſiti. Sexto id ipſum oſtenditur, ratione ſumta ex ſcopo humani boni. In eo enim ſummum bonum collocatur, per quod intimius cum Deo, noſtri boni ſcopo & origine, nectimur: at hoc nobis compe[r]it per actionem, non per habitum; quod ex contemplatione patet; ſapientiæ enim habitus nos cum Deo interuentu cõtẽplationis iungit. Hinc dicimus ſummum bonum intelligentiarum non in habitu & virtute aliqua, ſed in cõtemplatione poſitum eſſe. Quod etiam auctoritate Platonis confirmatur, qui in Euthydemo ſiue litigioſo affirmat, poſſeſſionẽ ſiue vſum in[illegible]nem eſſe: [illegible]terea colligit oportere eum, qui beatus futurus eſt non [illegible]a poſſidere, ſed vti; nihil enim ſola poſſeſſio [illegible] operum conſtructionibus, ſi cuncta recto [illegible] ſint parata, eis tamen artifex non vtatur,

Ratio quarta.

Quid iucunditas.

Quinta.

Theages.

Ratio ſexta.

Plato.

Septimm

inania ea fore affirmat. Demum ſi ſummum bonum in virtute eſt poſitum; vel id ita ſe habet, quia virtus producit vitã felicem, vel quia ipſamet virtus ſit felicitatis eſſentia. Si primum igitur virtus à felicitate, vt cauſſa à re effecta ſeiungitur; nil enim ſeipſum efficere valet. Si alterum eligis, vtar ego ratione Alexandri in 2. de anima, cap. 43 Si ipſamet virtus eſſet ſummum bonum, non liceret homini virtute prædito, recta ratione præeligere mortem, & vitam deſerere, quia per hanc præclaram actionem deſtrueretur habitus virtutis: quare ſi habitus eſt præſtantior actione, pro pręclara actione nõ eſſet negligendus & deſtruendus habitus: & tamen (inquiunt Stoici) debere hominem nonnunquam mortem præeligere, & eam ſibi conſciſcere, quare, vt ſibi conſtet, cogũtur fateri ſummum bonum in actione potius quã in habitu eſſe collocatum. Et cum hoc ſentiat Ariſtot. aliqua ex parte cum noſtris Theologis conformatur; qui inquiunt, in hoc vitæ curſu homini competere ſummũ bonum pro meritis, non pro pręmio: merita autem (quod ad nos pertinet) ex noſtris probis actionibus prodeunt; ſola enim fides non eſt ſatis, niſi ſit formata & viua; eſt autem talis, dum eam comitantur opera, non enim ſat eſt credere Deo, ſed in Deum credere tenemur ſeruando mãdata eius. Similiter ſummum bonum alterius vitæ, non in habitu virtutis, ſed in contemplatione ſummi boni, quæ actio eſt, collocatur. *Epilogus.* Colligamus itaque cum Ariſtotele, quod, quemadmodum in ludis Olympicis non formoſiſſimi coronantur, ſed qui ſtrenue dimicant; illi enim ſunt, qui vincunt: ita in terræ arena non ſolo habitu præditi ſummi boni corona honeſtantur, ſed qui præclara virtutum munera obeunt.

Dubia aduerſus ſententiam Ariſtotelis. CAP. XIII.

NOn leuiora aduerſus ſententiam Ariſtotelis emergunt dubia, quam illa fuerint, quæ ſententiæ Stoicorum aduerſari videbantur; imo forte validiora, ac maioris momenti. *Prima inſtantia.* Primo enim adhuc exſtant rationes illæ, quę pro parte Stoicorum fuerunt relatæ. *Secunda.* Præterea inſtare quis poſſet: quoniam communi vſu nomine ſummi boni id intelligimus, quod cum fuerimus adepti, ſemper nos comitetur; ſit permanens, & auferri non poſſit: actio non eſt huiuſmodi, ſed habitus: actio enim maxime ex alio pendet; & ſi deſunt inſtrumenta naturę & fortunę, euertitur actio, nec id agimus, quod abſolute optamus. *Tertia.* Præterea ſi in actione ſummum bonum eſſet collocatum, facultas aſſequendi ſummum bonum, quę hominis eſt propria affectio, non ſequeretur naturam hominis, & flueret ex principiis internis eius, vt fluere debent affectiones propriæ: actio enim non adęquate pẽdet ex internis principiis, ſed varia externa expoſcit: ex

Digitized by Google

principiis autem humanæ ſpeciei pendet facultas aſſequendi habitum virtutis. Præterea ſi in actione collocaretur; iure viri egeni, viriique per naturam inſalubres, ſi non aſſequerentur ſummum bonum, poſſent ſuæ miſeriæ culpam in naturam vel in parentes reiicere; quatenus eorum culpa carent inſtrumentis actionum, in quibus ſummum bonum collocant Peripatetici: quod eſt falſum; quia vnuſquiſque eſt ſuæ miſeriæ, ſuæque felicitatis faber; & natura ſolam virtutem omnino in noſtris manibus collocaſſe videtur. Præterea ſi in actione ſummum bonum collocaretur, vere tunc felix, Chamæleontis inſtar, variis mutationibus ſubiiceretur: homo enim frequenter ex otio in negotium, ex ſomno in vigiliam, & vice verſa permutatur; propterea modo erit, modo non erit felix. Imo ludo & commento erit ſimilis, modo fulgebit, modo latebit; & dum fulgebit; modo illuſtrior, modo obſcurior apparebit: actionum enim aliæ magis, aliæ minus ſunt illuſtres; ſoli virtutum habitus ſemper ſimiles conſeruantur. Præterea ſi ſummum bonum eſt virtutis actio; vel eſt ſimul actio virtutum omnium, vel modo vnius, modo alterius; non omnium ſimul, quia non valet homo ſimul fungi munere omnium virtutum: ſi modo vnius, modo alterius, nũquam fruetur ſimul vniuerſo & conſimili bono, ſed modo vna, modo altera eius parte; nec huiuſmodi bonum in eo ſeruabitur, ſed continenter tranſibit & euaneſcet. Prętere a ſi ſummum bonum in actione eſt collocatum, cur dubitat Ariſtoteles in primo moralium Nicomachiorum, an poſterorum ſecundi vel aduerſi euentus mutent ſummum bonum defuncti? non enim tunc ſuperſunt eius actiones. Præterea virtus eſt cauſſa efficiens, facultate includens actiones: id autem eſſe, quod res habet in ſua cauſſa; dicitur eminentius & præſtantius illo, quod habet in re effecta, & minus pendens: quare perfectio actionis, in virtute modo quodam eminentiore continetur: imo actio eſt quid neceſſario ſequens virtutem moralem; præditus enim morali virtute, dum ei offertur occaſio, non poteſt (niſi ſecum pugnet) non agere: quare pro ſummi boni conſtitutione virtus eſt ſatis. Et præcipue, quia virtus eſt, tanquam pax; actio vero vt bellum: & quemadmodum cæterorum bonorum aliquis eſt vſus, ita ſummi boni vſus optimus eſſe debet; quare actio rectius ſummi boni vſus, quam ſummum bonum dici meretur. Hæc dubiam reddunt ſententiam Ariſtotelis, & maximi ſunt momenti.

Quarta. *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.*

Reſolutio difficultatis. Cap. XIV.

FRequenter viri celebres; vel ob varium philoſophandi genus, vel ob diſtinctam eiuſdem rei conſiderationem, modumve loquendi; ſententias proferunt, quæ extrinſecus inter ſe

pugnare videntur: intimius tamen inſpectæ ſi non penitus, magna ſaltem ex parte conſimiles inueniuntur. Hoc de propoſita difficultate euenire exiſtimo; de multis enim auctores earũ opinionum conuenire videntur: nam conſentiunt primo, fundamentum ſummi boni eſſe virtutem. Conſentiunt ſecundo, virtutem moralem, modo alibi declarato (dum ſe offert occaſio) neceſſario ſequi actionem. Cum de his conueniant: quia ſummum bonum conſiderari poteſt dupliciter; vel pro habitu, vel pro actu, vel pro fundamento, vel pro conſurgente ex fundamento; vel pro eo quod eſt conſimile penitus, & nos ſine varietate comitatur, vel pro eo quod alicui varietati eſt obnoxium; ac demum, vel pro re, vel pro vſu rei: Stoici, & cum eis Academicorum plurimi, habitum, fundamentum & rem ſemper conſimilem inſpexere: Peripatetici vero actum, fructum & vſum, tanquam poſtremam perfectionem, conſiderarunt. Inſuper Stoici ſummum bonum conſiderarunt in vita priuata, potius ſolitaria quam ciuili; Ariſtoteles vero in vita ciuili, in congreſſu, cœtuque hominum: Peripatetici ſibi propoſuerunt exactiſſimam ſummi boni perfectionem, conſurgentem ex conſpiratione bonorum animi, munerumque naturæ & fortunæ; adeo vt nil in eo deſiderari poſſit, quod in hac vita ei valeat conuenire; Stoici tantum id, quod principale eſt, conſiderarunt: Ac demum Peripatetici ſummum bonum conſiderarunt; quatenus caret omni impedimento, præditumque eſt propria affectione, quæ eſt lætitia & gaudium; hæc autem actionem ex habitu prodeuntem, non ſolum habitum ſequitur. Sic itaque varia conſideratione, & in ſola virtute, & in actione, ſummum bonum conſiderari poteſt. Colligamus itaque, ſummum bonum, vt in fundamento, collocatum eſſe in virtute; vt in forma ac poſtrema perfectione, in actione proba & perfecta; vt in affectione, in iucunditate ex actione perfecta prodeunte; vt inſtrumentis, vel commodis (vt aiunt Stoici) vel neceſſariis (vt aiunt Peripatetici) in muneribus naturæ & fortunæ; vt in ſigno, in honore & gloria; vt in fructu, in animi tranquillitate, vitaque naturæ conſentanea; vt in obiecto & fine vltimo nos beante in Deo optimo maximo. Ac demum, vt in cumulo omnium ad ſummum huius vitæ bonum confluentium, in conſpiratione cunctorum bonorum. Ex his conſtat reſolutio difficultatis: conſtat, quod veri includant rationes pro omni parte relatæ: conſtat demum, ſententiam Peripateticorum magis eſſe conſimilem communi vſui loquendi; ſenſibuſque ac experientiæ magis reſpondere. Sed pulcra occurrit dubitatio. Cum ex ſententia Ariſtotelis felicitas dicatur actio, ad quod prædicamentum pertinebit? Inquit Scotus 4. ſentent. diſtinct. 49. quæſt. 2. felicitatem non conſiſtere in actione do

Stoici cum Peripateticis in parte conciliantur.

Quomodo felicitas modo vario in variis ſit collocata.

ne de genere actionis, quoniam ea non eſt ſimpliciter perfectio agentis, ſed eſſe in actione æquiuoce ſumta, quoniam ex 1. ſent. diſtinct. 4. quæſt. 3. intellectio non eſt proprie actio de genere actionis, ſed forma abſoluta, pendens tamen: non ſecus ac lumen, quod eſt qualitas, pendet ex ſole. At errat profecto, & aperte aduerſatur Ariſtoteli qui in 10 moral. Nicom. c. 3. inquit, *neq; actiones, neq; felicitatem eſſe qualitatem*, eſt itaque actio de prædicamento actionis; eſt tamen actio perfecta, non imperfecta: eſt actio, cuius perfectio eſt tota ſimul; quoniam eius præcipua perfectio in præelectione eſt poſita, vt dicitur in 10. moral. non in externo opere, & eſt operatio immanens de perfectione agentis, vt dicitur in 9. Metaphyſicæ, cont. 17. non tranſiens, & falſo dicitur, quod actio, vt eſt de genere actionis, non ſit perfectio agentis, cum ſit actus ſecundus eius. At de his ſatis. *Beatitudo eſt actio indiuidua.*

Nonnulla ad voluptatis notitiam pertinentia.

CAP. XV.

QVoniam interna quadam naturę commotione nil bonum optamus, nil amplectimur, nil magnificamus, quod nos lætitia, gaudio, & quadam iucunditate non afficiat: propterea ex naturæ fontibus hæc dubitatio manat: Num eſſentia & natura ſummi boni in proba actione conſiſtat, an in gaudio, quod ex actione conſurgit, an in conflato ex vtriſque. Quæ conſideratio cum ſit de voluptate, eſt iucunda, cum attineat ad ſummum bonum, eſt præclara, & cum viri celebres inter ſe diſſentiant, eſt obſcura, dignaque conſideratione. Qua de re verba facturus accipio, gaudii, voluptatis, lætitiæ, ac iucunditatis, proprias quaſdam nonnullas eſſe ſignificationes, vt in Protagora & Philebo denotauit Plato, & latius Platonici explicarunt: nonnunquam vero cõfundi, ac in eadem ſignificatione vſurpari, ſed quia de rebus, non de vocibus nobis proponitur ſermo, vtar ego ſine diſtinctione vocibus illis; pręſertim cum conſtet, de qua voluptate verba faciamus: dubitatio enim eſt de illa, quæ ex proba actione conſurgit. Accipio ſecundo, multiforme eſſe voluptatum genus, vt cum Plato in Philebo, tum Ariſtot. in 7. & 10. moral. Nicom. cumulate manifeſtarunt, & poteſt ita in partes diſtribui. Quemadmodum iucundum, ita iucunditas ac voluptas, vel eſt talis ex ſui natura, vel ex euentu, vt in 7. moralium, c. 5. & poſtremo aſſerit Ariſtoteles. Voluptas ſui natura talis, ea eſt, quæ recte conſtitutis animis & corporibus competit, congruens enim conſtitutio eſt iudex & menſura rerum omnium pertinentium ad illam. Et hæc, quæ ſui natura voluptas dicitur, vel conuenit naturæ ſimplici, vel mixtæ: ſimplici, vt Deo, ſeparatiſque mentibus, quæ cum ſint ſimplices, gradu tamen diſtincto,

Gaudium. Voluptas. Lætitia. Iucunditas.

Genus voluptatum multiforme.

Diuiſio voluptatum.

Digitized by Google

ſemper conſimiliter eademque ſimplici voluptate fruuntur. Vel competit naturæ mixtæ, vt iumentis, feris & homini, quæ ex variis ſunt conflata, & rebus variis delectantur. Et hæc, quæ ſui natura eſt voluptas, etiam dici poteſt voluptas pura, quia non ex deprauatione oritur, nec mixtum habet dolorem, cuius ſit medela, & quamuis habeat iunctam priuationem obiecti afferentis delectationem: ea tamen priuatio ſenſum non turbat, nec dolore nos afficit. In huiuſmodi puris, & ſua natura voluptatibus, competentibus homini, ordo conſideratur. Primum enim gradum ſibi optat voluptas ex contemplatione conſurgens: ideo Ariſtoteles in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 12. de hac ſola mentionem facit inquiens: *Sunt aliquæ doloris & cupiditatis expertes voluptates, quales ſunt functiones muneris in contemplando occupata.* Secundum ſibi optant locum pertinentes ad actiones ſenſuum, & memoriam, & præſertim ſenſus viſus & auditus. Ideo Ariſtoteles 10. moralium Nicomachiorum, cap. 3. inquit: *Sunt enim voluptates doloris expertes, tum Mathematica, tum earum, qua in ſenſibus poſita ſunt, ea, qua ex odoratu percipiuntur, & qua audiuntur, & ſpectacula, multa etiam res memoria repetita, multa denique ſperata, voluptatem afferunt, &c.* Similiter Plato in Philebo voluptates puras eas eſſe dicit, quæ & diſciplinarum & ſenſuum ſunt, dum in iudicio verſantur, & præcipue, dum ſimplicia apprehendunt, & ea, quæ ex ſe præclara & pulcra ſunt. His tertio ſuccedunt voluptates ex actione moralium virtutum prodeuntes, quæ ab Alexandro in 4. naturalium quæſtionum, cap. 23. inter puras numerantur, necnon à Platone in Philebo. At dubium eſt, quomodo hæ dicantur puræ, cum virtutes morales verſentur in perturbationibus, quæ ex dolore & voluptate ſunt permixtæ. Inquit Alexander dici puras, quia cum pœnitentia non ſunt permixtæ. At hæc ratio leuis eſt, quia ſimiliter actiones viri per habitum vitii operantis, pœnitentiam non habent iunctam, cum cenſeat ſe bonum ſequi. Proptetea dicamus, eas dici voluptates ſua natura, quia homini competunt recte per naturam conformato, dici puras, quia non ſunt medelæ alicuius doloris, nec prodeunt ex remotione contrarii moleſtiam afferentis. Similiter voluptates ex recta corporis conſtitutione prodeuntes, inter veras & puras numerari poſſunt, quia ex deprauatione non prodeunt, nec cum dolore ſunt permixtæ. Ideo Plato in Philebo dixit, *Alias vero voluptates veras ac puras, quas ipſe narraſti, ferme nobis domeſticas arbitrare, ac* (præter iſtas) *illas inſuper, qua cum ſanitate & temperantia, cæteriſque virtutibus capiuntur, &c.* Hæ, quæ ſunt puræ, & ſua natura voluptates, hoc habent, vt nec nimium, nec immoderatum includant, vt monet Ariſtoteles in 7. moralium Nicom. cap. vlt. Inſuper cum

hæ ſint

Voluptas pura & ſui natura.

Gradus varii voluptatum ſui natura talium.

Plato.

Dubitatio.

Alexander.

Euerſio.

Solutio propria.

Plato.

Digitized by Google

hæ ſint puræ, & ſui natura voluptates, iure optimo ſolæ cenſeri debent voluptates: illæ enim quæ ex deprauatione prodeunt, cum non ſint ſui natura voluptates, nec abſolute voluptates dici poſſunt. Ex quo quaſi paradoxum aliquod, verum tamen, enuntiare valemus, quod eſt, Voluptatem omnem eſſe bonam, voluptatem omnem eſſe amplectendam, maioremque voluptatem maiori ſtudio eſſe quærendam. Ex aduerſo, voluptas non pura, non vera, nec ex ſui natura, ſed ex euentu, ea eſt, quæ ex deprauatione aliqua nobis competit, quæ deprauatio cum habeat iunctum dolorem, iure dicitur medela doloris. Ac ſi etiam ea deprauatio dolorem non afferat, voluptas tamen impura dicitur, nec ſui natura talis, cum ex impuritate & deprauatione prodeat. Huiuſmodi voluptas in variis eſt varia, ob varietates deprauationum. Deprauatio & indigentia, ex qua huiuſmodi voluptates prodeunt, vel eſt animi, vel corporis: animi, vt in viro vitioſo. Deprauatio corporis, vel eſt per naturam, vel non. Si per naturam, vel competit vniuerſę ſpeciei: ſic iumentis multa ſunt iucūda, quæ homini per naturam recte cōſtituto ingrata ſunt, vt geniſta capræ eſt dulcis, homini amara. Vel non competit vniuerſæ ſpeciei, ſed nonnullis indiuiduis ob deprauationem proprii temperamenti eorum, vt accidit nonnullis hominibus per naturā atra bile vexatis, vel alia deprauatione per naturam affectis, qui ob id efferati dicuntur, & rebus delectantur, à quibus abhorrent recte per naturam conſtituti homines. Vel ea deprauatio & indigentia non ex ortu pendet, ſed in progreſſu temporis vel ætatis producitur. Et hæc vel oritur ex principiis internis per naturam operantibus; quales ſunt voluptates ad cibum, potum & Venerem pertinentes, quæ ſunt medelæ quædam, nec ſemper homini competunt, ſed ſolum dum eget, dum autem nō eget, non amplius cibo & Venere delectatur: propterea ab Ariſt. in ſeptimo moral. Nicomach ca. 12. inter eas voluptates numerantur, quę ex euentu, & non vere ſunt voluptates. Vel deprauatio pendet ex morbo, ſiue aſſuetudine: ita multa placent febricitanti, hominiq; perperam aſſueto, quæ ſano, rectaq; aſſuetudine educato ſunt ingrata. (Harum voluptatum, ratione varietatis modi, perſonarum & finis, quædam bonæ, aliæ malæ, nonnullæ neutræ dicuntur, inſuper earum quædam ſunt neceſſarię, vt pertinentes ad nutrimentum, aliæ non neceſſariæ, vt ſatis conſpicuum eſt.

Paradoxum.

Voluptas non pura & eius diſtinctio.

De quatuor voluptatis gradibus, & de quo ſit dubitatio. Cap. XVI.

CVm variæ ſe nobis obtulerint voluptatū formæ, modo vario animis noſtris blandientes, vt appareat, de qua ſit dubi-

Digitized by Google

Quatuor gradus voluptatum. tatio, ſingulas in quatuor capita redigendas cenſeo. Cum enim voluptas ſequatur cognitionē, & ad facultatem appetendi proprie pertineat, quatuor excogitari poſſunt voluptatum gradus. *Voluptas eſt ſenſuum vel intellectus.* Quorum vnus pertineat ad appetitum cupiēdi. Alter ad appetitum iraſcendi. Tertius ad intellectum, qui per voluntatem ac prælectionem agit. Quartus ad mentē, dum ſpeculatur, contemplationiq; incumbit. *Plato.* Qui gradus ex ſententia Ariſtotelis ſatis conſpicui ſunt. Plato tn̄. in nono de republ. tres ſolos numerat; quorū duo pertineant ad appetitum cupiendi & iraſcendi; tertius ad rationē, per quam diſcimus, & hanc nuncupat voluptatem philoſophicam, veriſſimam, ſuauiſſimam omnium, hominiſq; maxime propriam. Rectius tamen, & diſtinctius (vt dixi) in quatuor gradus diſtribuuntur. Dignum tamen cōſideratione eſt, quod Plato cum ab Ariſtotele, tum a ſeipſo diſſentire videtur. *Lis Platonis & cum Ariſt. & ſecum* Ab Ariſtotele tripliciter. Primo, quia ex Ariſtotelis ſentētia gradus, non tres, ſed quatuor ſtatui debent. Secundo, quia Ariſtoteles ſeptimo moralium Nicomachiorum, ca. poſtremo ait, *Deo voluptatem competere, ac vna & ſimplici, hoc eſt ſincera ſemper voluptate potiri*, Plato in Philebo id negat. Tertio, Ariſtoteles menti voluptatem tribuit, Plato id inficiatur; inquit enim in Philebo Socrates; *Dictum eſt in cuiuſq; vita comparatione virum contemplationi deditum nihil vlla ex parte vel gaudere vel angi.* Et paucis interiectis, *abſurdum omnino eſt dicere, Deum gaudere, vel contra triſtari* Inſuper Plato ſecum hac de re pugnare videtur. Nam in Philebo primo negat in mente & contemplatione locum habere gaudium; mox in eodem dialogo ait, dari voluptates diſciplinarum, quas præfert ceteris, & in nono de repub. pro gradu voluptatum tertio & præſtantiſſimo numerat voluptatem philoſophicam pertinentem ad partem, per quam diſcimus. *Solutio.* Et quia ex ſolutione huius poſtremæ apparentis controuerſiæ patebit, quid de ceteris ſit dicendum, ab hac exordiar. Marſilius Ficinus vir doctiſſimus in libro de voluptate, capite primo, inquit, Platonem menti tribuere lætitiam & gaudium, ſenſibus vero voluptatem: ac prima duo inter ſe differre putat, *Quid gaudium, quid lætitia.* quod omne gaudium laude ſit dignum, lætitia vero partim laudanda, partim vituperanda ſit; lætitia enim eſt mentis elatio quædam in poſſeſſione boni, quæ poteſt terminos decori tranſire. Gaudium vero eſt ea iucunditas, quæ ex contemplatione, aut alio quopiam virtutum vſu ſuſcipitur. Ex his elicitur ſolutio apparentis controuerſiæ; nā menti competit gaudium, non voluptas. *Euerſio.* Quę cōfirmari poteſt per Platonē in Protagora dicentē: gandio afficitur ille, qui diſcēdo & contēplando ipſa intelligētia delectatur, voluptate autē ſenſu corporis perfunditur. Hæc ſolutio aperte pugnat cū verbis & principiis Platonis. Cū verbis

pri-

primo: quia Plato tum in Philebo, tum nono de republ late vtitur voluptatis nomine, & ſiue parti animæ rationis experti, ſiue compoti eam tribuat, communi voluptatis nomine eam appellat. Pugnat cum principiis, quia ex ſententia Platonis in Philebo voluptas omnis, & gaudium dicitur generatio quędã & motio, vel magna vel protinus facta; motio autem, ex ſentẽtia Platonis, non menti, ſed animæ primo competit. Inſuper à Platonẽ receſſit, quia Plato mentem ab anima rationis compote diſtinctam cenſet, cum ipſe in vnum redigat: volens enim Platonem reddere cum noſtris Theologis pro facultate concordem, à ſemetipſo reddidit diſcordem. Propterea dicamus, re vera Platonem ab Ariſtotele diſſentire. Primo, quia Plato mentem ab anima rationis cõpote diſtinctam cenſuit, & ſupra animam collocauit. Secundo, quia Plato voluptatem dixit eſſe generationem & motum, ac animæ motum tribuit: cum dicat, eam per rationem primo moueri: Ariſtoteles autem, nec mentis eſſentiam iudicat ab ea animæ rationalis diſtingui; nec voluptatem dicit eſſe motum, vel ex motu neceſſario oriri; nec animæ primum motum tribuit, ſed corpori. Hinc Deo & menti tribuit Ariſtoteles voluptatem; cum eis competat actio, & voluptas ſit perfectio actionis: Plato autem per ſua principia, nec Deo, nec menti, ſed animæ ſub mente poſitæ, primo voluptatem condonauit. Et propterea in tertia epiſtola diuinitatem dixit procul abeſſe à voluptate & dolore: ideo in mutuis ſalutationibus dicẽdum cẽſuit, nõ gaudere, ſed bene agere. Non me tamẽ latet de nonnullis horũ litem potius in verbis, quã in ſentẽtia eſſe poſitam. Abſolute tamen nõ omnino conſentiunt. Nec propterea Plato ſecum pugnat: voluptatem enim ſiue gaudium nunquam menti tribuit, ſed animæ rationis cõpoti, vel experti, in qua cũ prima generatio, tũ primus motus, ex eius ſentẽtia locum habent, diſciplinę ex eius ſententia non ad mentem pertinent, ſed ad animam rationis compotem; ad quam etiam pertinere cẽſuit obliuionem & reminiſcentiam. Similiter in Phædro animæ ſupra cœlum eleuatæ gaudium tribuit. Ariſtoteles tamen magis cõmunem ſequens loquendi vſum, & Deo, & menti vitam tribuit iucundiſſimam & ſuauiſſimam, vt patet ex 12 Metaphyſicę, cõt. 39. & ex decimo moralium Nicom. ca. 8. Colligamus itaq; rectẽ quatuor ſtatui voluptatis gradus, & eatenus voluptatẽ extendi, quatenus extẽditur cognitio. Et cũ gradus quatuor ſint, in viro beato magna ex parte conſpiratio omnium graduũ reperitur: dico, magna ex parte: quia nonnunquam in actione proba cupiditas ratione proprii obiecti voluptate nõ afficitur, ſed potius dolore: vt accidit viro forti, quia ob recepta vulnera (vt pertinet ad cupiditatem) dolore afficitur, quamuis abſolute ob honeſtã

Propria ſolutio.

In viro beato conſpirant omnes gradus voluptatis.

De quo ſit dubitatio.

actionem lætetur & gaudeat. Dum quærimus, an ſummum bonum in voluptate ſit poſitum, de ea voluptate ſermo eſt, quæ & ad practicum, & ad theoricum intellectum pertinet, hoc eſt, de duobus ſupremis voluptatis gradibus ex virtutis actione prodeuntibus, de voluptate autem animæ ſentientis eatenus id intelligi debet, quatenus per virtutis habitum appetitus ſenſuum rationem ſequitur, & cum eius rectitudine libentiſſime conformatur, quamuis attinentia ad proprium obiectum aliquando ei moleſtiam præbeant.

Rationes, quod eſſentia ſummi boni in voluptate ſit poſita.

CAP. XVII.

Opiniones tres.

HIs de voluptate & dolore vniuerſe declaratis, quæritur modo, an eſſentia ſummi boni ſit poſita in ea voluptate, quæ ex actione proba & honeſta cõſurgit, vel potius in actione. Qua de re tres fuere veterum principales opiniones. Nonnulli in voluptate id eſſe poſitum affirmant, etiam ex opinione Ariſtotelis. Alii in ſola proba actione, quidam demum cum Platone in Philebo, in conflato ex vtriſq;. Has tres opiniones tetigit Ariſtot. in 7. lib. de repub. cap. 1. inquiens: *Ipſa beata vita, ſiue in gaudio poſita eſt, ſiue in virtute, ſiue in ambobus, &c.* Pro parte voluptatis hæc maioris momenti eſſe videntur, & primo, quod per internam naturæ commotionem ab animalibus omnibus maxime expetitur, cenſeri debet finis, & ſummum bonum, voluptas, omniũ conſenſione & experientia, eſt huiuſmodi: quare ea ſummum bonum cenſeri debet. Confirmatur hęc ratio, quia bonũ definitur, quod ſit id, quod omnia appetunt: quare ſummũ bonum id cenſeri debet, quod maxime ab omnibus optatur, definitio enim cõuertitur cum eo, cuius eſt definitio. Plato in calce Philebi deriſit hanc rationem, inquiens: *Primum tamen voluptati locum darent boues, equi & bruta deniq; vniuerſa, quia eius illecebris mancipata ſunt, quibus plurimi fidem haud ſecus, quam auibus augures habentes, voluptates ad bene viuendum potiſſimas omnium arbitrantur, ferarumq; amores locupletioros teſtes aſſerunt, quam tot reſponſa rudium philoſophorum, &c.* Ariſtoteles contra, fundamẽtum id maximi fecit, de quo in 7. moralium Nicomachiorum, cap. 13. dixit; *Quod omnes beſtiæ atq; homines perſequantur voluptatem,* argumẽtum eſt eam quodammodo eſſe ſummum bonum; nam (vt inquit Heſiodus)

Summum bonum eſſe poſitum in Voluptate.

Prima ratio.

Plato.

Ariſt. contra Platonem.

Fama autem haud dubie, non funditus interit illa,
Quam multi celebrant populi, &c.

Inſuper decimo moralium Nicomachiorum, capite ſecundo, eandem Platonis ſententiam carpens inquit: *Iam vero, qui pertinaciter negant id eſſe bonum, quod omnia appetunt, vereor, ne nihil*

Digitized by Google

nihil dicant: nam quod omnibus videtur, id eſſe dicimus, nec qui hanc perſuaſionem labefactat, multo probabiliora certiorave dicturus eſt. Maximi itaque Ariſtoteles fecit rationem illam. Et quoniam inſtabat Plato per iumenta, feras, pueros, viroſque improbos; qui quamuis voluptatem appetant, ea tamen mala eſt: propterea in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap 13. ain inſtantiam repellens inquit; *Sed quoniam neque eadem natura optima, neque idem habitus optimus eſt, aut videtur, ne eandem quidem ſequuntur omnes voluptatem, ſed omnes tamen voluptatem: fortaſſe vero etiam ſequuntur, non eam quam putant, neque eam quam dixerint, ſed eandẽ, in omnibus enim diuinum quiddam ineſt natura, &c.* Inſuper libro decimo, capite ſecundo, eandem inſtantiam euertens, inquit: *Nam ſi ſola mentis expertia voluptatem expeterent, eſſet id aliquid, quod ab eis dicitur: ſed ſi etiam ea, quæ ſapiunt, & prudenter ſentiunt, quid cauſſa eſt, cur audiendi ſint; fortaſſe etiam in vitioſis naturale quiddam bonum ineſt, melius quam ipſorum ſit captus, quod bonum ſibi accommodatum appetit, &c.* Approbauit itaque Ariſtoteles rationem hanc ex rerum natura depromtam. Secunda oſtenſio ex dolore ſumitur, ac ita formatur: dolor, miſeria & pœna, eſt ſummum malum animalium omnium, à cunctis ex ſe fugiendum, quare voluptas eſt ſummum bonum, à cunctis ſua natura & per ſe optandum. Conſequentia deducitur, quia contrariorum contrariæ ſunt conditiones. At reſpondebant nonnulli, è quorum numero etiam fuit Speuſippus, dicentes conſequentiam eſſe inanem; quoniam nonnunquam contrarium mali malum eſt, vt patet de auaritia & prodigalitate. Propterea Ariſtoteles libro ſeptimo moralium Nicomachiorum, capite decimotertio, & lib. decimo, cap. ſecundo eam ſolutionem damnans inquit: *Dolor voluptati opponitur, non vt exſuperantia defectioni, ſed vt malum & fugibile bono & appetibili: nam ſi ambo mala eſſent, neceſſario ambo eſſent fugienda: ſin neutrum eſſet malum, vel neutrum eſſet fugiendum, vel æque vtrumque: nunc autem videmus dolorem fugi, vt malum, voluptatem expeti, vt bonum, quare vt bonum malo opponuntur inter ſe.* Tertia ratio ex conditionibus ſummi boni deſumitur: nam ſummum bonum propter ſe tantum optatur (vt in primo moralium Nicomachiorum, capit. 7. aſſeritur) eſt enim bonum non laude ſed honore dignum; huiuſmodi autem eſt voluptas. Nam inquit Ariſtoteles decimo moralium Nicomachiorum, cap. 2. *Nemo ex altero quærit, cuius rei gratia voluptate afficiatur.* Et in primo libro capit. duodecimo, inquit, *Recte videtur Eudoxus primas partes voluptati tribuiſſe, nam eo, quod, cum ſit ipſa in numero bonorum, non laudetur, declarari putabat, eam rebus laudabilibus eſſe potiorem: talem autem eſſe Deum, & ſummum bonum, quæ hono-*

Secunda ratio.

Speuſippi reſponſio.

Ariſt. contra Speuſippum.

Ratio tertia.

Digitized by Google

Ratio quarta. *rabilia, non laudabilia eſſe dicuntur. Quarta; quod omnia bona auget, eaq; perficit tanquam finis ἐπιγινόμενος ſeu poſtremo adueniens, eſt bonum communiſſimum, optimum, ex ſe optabile: voluptas eſt huiuſmodi: quare, &c.* Plato in Philebo dicebat, ex hac oſtenſione oppoſitum colligi, voluptatem ſcilicet non eſſe ſummum bonum: nam dicebat: de ratione ſummi boni eſt, vt nullius rei adiunctione fiat optabilius: voluptas ex adiunctione ſapientiæ redditur optabilior; non itaque eſt ſummum bonum. Reiicit hanc

Ariſt. contra Platonem. Platonis ſententiam Ariſtot. 10. moral. c. 2. inquiens; *Si ad id inſpicimus, minime inueniemus ſummum bonum; nam bonum omne*

Eudoxus. *alterius adiunctione redditur optabilius.* His rationibus Eudoxus,

Quinta ratio. Archytæ auditor, ſummum bonum in voluptate eſſe poſitum colligebat. Inſuper aliis quoque rationibus idipſum oſtendere valemus; & primo, perpendendo principale nomen ſummi boni quod diuinis mentibus tribuitur; dicitur enim μακαρισμὸς à

Confirmatio maxime gaudendo, vt in 7. mor. c. 11. interpretatur Ariſt. Cum itaque nomen communi quadam conſenſione ſumatur à gaudio, & nomen recte inſtitutum ſumatur à natura rei, putandum eſt in gaudio poſitam eſſe naturam & eſſentiam ſummi boni. Præterea quid aliud (communi hominum conſenſione,) felicitatis nomine denotamus, niſi eximiam voluptatem, lætitiam immenſam, gaudiumque incomparabile? Secernamus cogitatione ab homine cæteris bonis cumulatiſſime ornato ſolam iucunditatem, proculdubio deſinet eſſe felix; nil enim nobis reliqua proſunt bona, niſi iucunda ſint: At ſi (vice verſa) in homine, cæteris imaginatione ſecretis, eximiam iucunditatem ac animi gaudium conſideramus; nonne etiam in cumulo infortuniorum imaginabimur feliciſſimam ducere vitam? nil expetit ille,

Alia confirmatio. qui eximia iucunditate perfuſus eſt: quare iucunditas ex ſe ſatis eſt pro optima vitæ conſtitutione. Præterea perpendamus ea,

Ex auctoritate Ariſt. quæ ab Ariſtotele de natura & eſſentia voluptatis dicuntur, per quæ eadem ſententia ſatis conſpicue confirmatur. Inquit Ariſt. 10. mor. Nic. c. 4. *Voluptatem perficere actionem, non vt habitus penitus inſitus, ſed vt finis quidam ſubſequens & conſurgens.* Inſuper addit, *voluptatem perficere actionem non ita, vt ſenſile & ſenſus cum bona ſint, perficiunt actum ſentiendi. Quemadmodum bona valetudo aliter cauſſa eſt cur aliquis valeat, aliter medicus, &c.* His verbis patefacit philoſophus, voluptatem eſſe perfectionem actionis, eſſe finem conſurgentem; & actionem perficere, non ſecus ac ſanitas perficiat hominem ſanum: quæ omnia indicant voluptatem eſſe formam, & eſſentiam ſummi boni. His accedit, quod voluptas in omnibus ſe felicitati ſimilem patefacit: felicitas tota ſimul, ita voluptas ex ſententia Ariſt. 10. mor. Nic. c. 4. voluptas, non ſecus ac felicitas, nec velox, nec tarda dicitur, vt cap. 3.

eiuſ-

eiuſdem libri patefecit philoſophus. Cum itaque Ariſt. commendauerit rationes Eudoxi pro parte voluptatis, reiecerit ſolutiones, ac etiam rationes Platonis, & aliorum pugnantium aduerſus voluptatem: aperte indicauit ſe huius fuiſſe ſententiæ, eſſentiam ſummi boni in voluptate eſſe poſitam. Nec obſtat, quod in 1. mor. Nic. definiens ſummum bonum dixerit, eſſe actionem ex virtute prodeuntem: quoniam id poteſt intelligi per modum cauſſæ; non ſecus ac dum dicimus, eclipſin eſſe terræ interpoſitionem. Inſuper, cum voluptas ſit actionis perfectio, poteſt etiam actio nuncupari, vt 7. mor. Nic. c. 12. nuncupatur ab Ariſt. dum aduerſus Platonem hæc verba profert. Quapropter non recte inquiunt voluptatem ortum eſſe, qui ſenſu percipitur; ſed dicendum fuit potius, eſſe actionem habitus cum natura conſentientis. Et in locum eorum verborum (quæ ſenſu percipi poſſit) ſubſtituendum eſt, non impeditam. Similiter 10. lib. c. 5. inquit; *Neq; vero ſi voluptas non eſt qualitas, idcirco non eſt in bonis numeranda, nam neq; actiones probæ ſunt qualitates, neq; felicitas, &c.* Hoc idem quoque aperte conſtat de ſummo bono contemplationis, vt enim Ficinus inquit; *Videre & ſpeculari quærimus, vt gaudeamus, non è contrario, & gaudium plura includit quam cognitio, nam cognitionem expoſcit.* Præterea, per gaudium amori iunctum intimius cum obiecto nectimur, quam per cognitionem: perfectio enim amoris in vnitione poſita eſt: Et non qui videt; ſed qui vult & amat, eoque gaudet, dicitur bonus. Ac inſuper poſſeſſio boni, non in eo conſiſtit, quod bonum moueat facultatem cognoſcentem, ſed in eo quod ea facultas in illud bonum reflectatur, in eoque effundatur: quæ ſpiritalis conuerſio & effuſio, gaudium eſt. Demum quia ſummum bonum eſt requies; requieſcit autem anima non in viſione, ſed in Deo viſo, quod gaudium eſt; iure ſummum bonum in gaudio ex proba actione prodeunte poſitum dicitur. Et propterea non temere viri celebres eſſentiam ſummi boni in gaudio eſſe poſitam putarunt, & primas ſummi boni partes gaudio tribuerunt; vt ter maximus Mercurius, Theodorus, Democritus, Epicurus, Eudoxus, Origenes, Auicenna, Algazel, Marſilius Ficinus, aliique plurimi: nec defuere, qui eam putarint fuiſſe ſententiam Ariſtotelis. Hos multi ſecuti ſunt; quorum nonnulli nomine voluptatis, ſuaque praua propenſione decepti, ex gaudio honeſto in corporis voluptates lapſi ſunt; & inde contigit, vt opinio ex ſe honeſta & naturæ conſentanea, vilis, ſordida, rationique aduerſa à plurimis ſit iudicata.

Ex conſimilitudine cum felicitate.

Reiicitur obiectio.

Multi ſummum bonum in gaudio collocarunt.

Digitized by Google

Rationes, quæ aduerſus voluptatem à Platone præſertim adductæ ſunt, earumq; ſolutiones ab Ariſtotele traditæ.

CAP. XVIII.

Cynici. Stoici.

CYnici adeo voluptatem ſpreuerunt, vt ſatius duxerint inſanire, quam voluptate perfundi: Stoici etiam in eo, qui in tota cruciatur, & in cumulo calamitatum fuerit conſtitutus, ſummum bonum ſeruari incolume exiſtimarunt. Plato è primis bonorum ſedibus, in Gorgia aduerſus Calliclem diſputans, & in Philebo voluptatem expulit. Præcipuæ rationes, quæ ex eo colliguntur, hæ ſunt: ſummum bonum ex ſe eſt ſatis, voluptas non eſt huiuſmodi; nam, vt cumulate fruamur voluptate; egemus memoria præteritorum bonorum; egemus mente, ſcientia, opinioneque recta, vt percipiamus nos gaudere, egemus ratione, vt prænoſcamus nos in poſterum debere lætari; non itaque voluptas eſt ſummum bonum. At hæc ratio leuis eſt: nam dicerem voluptatem egere aliis, non vt perficientibus, ſed tanquam præordinatis ad eam, eique famulantibus, vt princeps & virtus, aliis egent. Altera Platonis oſtenſio eſt, quia in rerum conſtitutione hic ordo ſeruatur: præcurrit infinitum & incommenſuratum, materies ſcilicet, accedit ſecundo menſura, terminus, ac formæ participatio; ex quibus tertio conflatur compoſitum, interuentu quarti; quod eſt efficiens & contemperans: perfectio compoſiti, non ex infinito, ſed ex termino prodit. Redigamus hæc ad inſtitutum noſtrum. In conſtitutione ſummi boni, ſapientia eſt menſura & terminus, voluptas eſt infinitum & interminatum; plus enim & minus æquo lætari valemus: nectamus modo rationem. Quod in rei conſtitutione ſeruat conditionem incommenſurati ac interminati, præcipuum iudicari non debet, voluptas eſt huiuſmodi; non itaque eſt ſummum bonum. Hæc ratio efficacior eſt præcedente, diluitur tamen ab Ariſtotele decimo moralium Nicomachiorum, capite tertio, hac diſtinctione. Voluptatem eſſe interminatam, duplici modo intelligere valemus; primo, ex parte noſtræ participationis; ſecundo, ratione ſuæ naturæ: Si primum inſpicimus etiam ſapientia, prudentia, iuſtitia, cæteræque virtutes, quas prætulit Plato, interminatæ ſunt, iuſtiores enim, ſapientiores ac prudentiores, alii aliis dicuntur: ſi alterum conſideramus, profecto voluptas (vt cæteræ naturæ rerum) interminata non eſt, ſed terminata, ſiue loquamur de pura, ſiue de impura voluptate: dantur enim certæ cauſſæ definitique termini voluptatis, non ſecus ac caloris & ſanitatis, quos egredi per naturam voluptatis non licet; & præſertim, quia rerum eſſentiæ ſunt vt numeri. Sic ab Ariſtotele diluitur ratio Platonis. Verum, ſi accurate vim oſtenſionis conſideramus, forte non exacte ſoluta iudicabitur.

Rationes quod ſummum bonum non ſit poſitum in voluptate. Ratio prima. Euerſio. Secunda ratio. Euerſio. In dubium reuocatur ſolutio Ariſt.

Confe-

Conferebat Plato voluptatem cum ſapientia, & perpendebat in eorum permixtione; à quo congruens terminus, per quem id mixtum redderetur bonum, ortum duceret, & proculdubio menſura & rectum ad virtutem pertinet, vt etiam Ariſtotel. decimo moralium, cap. 5. nos docet inquiens, *virtutem ac virum probum menſuram eſſe rerum.* Propterea cenſerem rectius poſſe dilui rationem illam Platonis per aliud fundamentum ex ipſomet Ariſtotele depromtum, & eſt; quod voluptas ſyncera ſuique natura bona, toto etiam genere bona eſt: & in ea nimium non habet locum, nam conſurgit ex actione virtutis: nec per ſapientiam terminari debet, quia in ea nimium non reperitur; ſed quo fuerit maior, eo eſt melior: quare aliena menſura non eget. Hoc lucidiſſime colligitur ex Ariſtotele in ſeptimo moralium Nicomachiorum, capite decimo quarto. Tertia ratio, qua vtebatur Plato, deſumitur ex natura & conditione voluptatis: voluptas enim eſt quædam generatio, motus & reſtitutio rei in ſuam naturam; ſummum bonum non eſt generatio & motus, ſed eſt finis vltimus; non itaque ſummum bonum eſt voluptas: nam generatio & motus ſunt viæ, ſummum bonum eſt finis; generatio & motus ſunt conditionis imperfectæ & inconſtantis, ſummum bonum perfectum & conſtans eſt. Diluitur hæc ratio ab Ariſtotele decimo moralium, capite tertio, & oſtenditur variis rationibus, verum non eſſe, quod voluptas ſit generatio & motus: Et ſeptimo libro, cap. duodecimo legitur; *Nec vero neceſſe eſt aliud quicquam voluptate melius eſſe:* (vt aiunt nonnulli finem generationis meliorem eſſe generatione:) *non enim voluptates ſunt ortus, nec omnes cum ortu ſunt coniuncta; ſed actiones potius, & finis: nec cum oriantur res aliqua, ſed cum aliquibus rebus vtimur, eueniunt, neq; omnium voluptatum finis quiddam ab illis diuerſum eſt, ſed earum, qua ad natura perfectionem perducunt. &c.* Nimium à ſcopo vagarer, ſi de attinentibus ad eſſentiam & ortum voluptatum nunc agerem; id enim integrum volumen expoſcit; ſat eſt (vt inſtituto inſeruit) patefacere nullam à Platone contra voluptatem fuiſſe formatam rationem, quæ ab Ariſtotele non fuerit conſiderata & ſoluta. Vtebatur inſuper Plato hac ratione: voluptas cum ſapientia iuncta eſt longe optabilior, quam ipſamet ſeorſum à ſapientia conſiderata: non itaque ea ſola eſt ſummum bonum; ſummo enim bono nil optabilius excogitari poteſt. Reiicitur ab Ariſtot. hæc ratio decimo moralium Nicomachiorum, capit. 2. quoniam hoc eſt commune vnicuique bono, vt ex coniunctione cum alio per ſe bono reddatur optabilius. Inſuper argumentabatur Plato aduerſus voluptates hunc in modum: Quotieſcunque conditionem alicuius conſiderare volumus, non exiguum, ſed maxi-

Alia ſolutio.

Tertia ratio.

Dilutio.

Quarta ratio.

Dilutio.

Quinta ratio.

Digitized by Google

mum eius conſiderare debemus: at voluptates vehementiſſimæ vitioſis conueniunt;de temperante autem dicitur; *Nil nimis*: illæ vehementiſſimæ voluptates prauæ ſunt: quare ſummum bonum in voluptate locari non debet. Diluitur hæc ratio primo per Platonem, qui mox in Philebo magis ex ſententia loquens inquit; *Dum naturam voluptatis iudicare volumus, non vehementiſſimas, ſed ſynceras & puras conſiderare debemus*: Inſuper diluitur per Ariſtotelem; qui monet conſiderandas eſſe eas, quæ non ex euentu,ſed ſui natura ſint voluptates; Propterea addit 7. moral. Nicom.c.13. *Iam vero nil prohibet,ſi nonnullæ voluptates malæ ſunt, quo minus aliqua voluptas ſit ſummum bonum, quemadmodum ſcientia aliqua eſt optima,etiam ſi aliquæ ſint malæ: imo vero fortaſſe etiam neceſſe eſt, ſiquidem vniuſcuiuſq; habitus actiones liberæ ſunt, & non impeditæ, ſiue omnium habituum actio beatitudo eſt, ſiue alicuius eorum,modo non ſit impedita, eam maxime eſſe expetendam: at hoc eſt voluptas: itaq; erit aliqua voluptas ſummum bonum,cum ſint multæ (ſi fors ita ferat) abſolute malæ; atq; ob hanc cauſſam vitam beatam iucundam eſſe omnes exiſtimant, & beatitudinem cum voluptate connectunt non iniuria: nulla enim actio, ſi impeditur, perfecta eſſe poteſt: at beatitudo in perfectis rebus numeratur. Quocirca & corporis,& externa bona,& fortunam quoque, ne hæc impediantur, deſiderat beatus,&c.* Conſtat itaque, Ariſtotelem pro partibus voluptatis ſatis acriter pugnaſſe,& accurate ſoluiſſe rationes: quæ eam ſententiam videbantur euertere, quod voluptas ſit ſummum bonum; adeo vt non iniuria nonnulli viri docti exiſtimarint, ex ſententia Ariſtotelis eſſentiam ſummi boni in voluptate eſſe poſitam. Plato ex ſerie bonorum voluptatem non reiecit,ſed conceſſit dari voluptates probas, viroque felici congruentes; dixit tamen in Philebo, ſummum hominis bonum non in ſola ſapientia, nec in ſola voluptate eſſe poſitum, ſed in mixto ex vtriſque: in qua mixtione ſapientia principalem obtineat locum, cum ſit menſura, & terminus; humiliorem vero voluptas, cum ſeruet conditionem infiniti. Quod ſi nonnunquam, vt in Gorgia, ſummum bonum in ſola virtute ait eſſe collocatum, id euenit, quia tunc conſiderat partem principalem, quæ ſe habet, vt forma conſtituens vniuerſum ſummum bonum.

Dilutio.

Plato ab apparente contradictione liberatur.

Reſolutio principalis difficultatis, an eſſentia ſummi boni in voluptate ſit poſita. Cap. XIX.

Prima aſſertio. *Secunda.*

VT demum de propoſita,ac in omnem partem agitata difficultate dicam, quod ſentio; quinque profero aſſertiones: Quarum prima eſt,ſummum hominis bonum ſine iucunditate & gaudio non reperitur. Altera eſt, iucunditas non eſt eſſentia ſum-

Digitized by Google

ſummi boni, nec pars eius. Tertia eſt, iucunditas eſt comes, & affectio ſummi boni. Quarta, quia affectio ſummopere eſt iuncta cum eo, cuius eſt affectio: propterea Ariſtoteles iucunditatem cum ſummo bono ſummopere coniunxiſſe viſus eſt. Quinta & poſtrema, minus recte loquutus eſt Plato, dum in Philebo dixit; *ſummum bonum in mixtione ſapientiæ & voluptatis eſſe poſitum; non enim recte affectio dicitur miſceri cum eo, cuius eſt affectio.* Prima aſſertio ſatis eſt conſpicua, & profertur à Platone in Philebo, & confirmatur ab Ariſtotele in ſeptimo & decimo libris moralium Nicomach. propterea à maxime lætando beatitudo apud Græcos dicta fuit, vt alibi patuit: & errarunt Stoicorum illi, qui in indolentia ſummum bonum collocarunt. Secunda aſſertio, quę erat, iucunditatem non eſſe eſſentiam ſummi boni, variis rationibus oſtenditur; nam hæc ea eſt, in qua eſt poſita vis vniuerſæ difficultatis. Pro cuius oſtenſione accipiendum eſt, vt inductione colligitur, voluptatem non ob aliud paratam ordinatamque fuiſſe: niſi, vt eius dulcedine inuitati, ad vſum noſtrarum facultatum redderemur alacriores; & labores, qui ex vſu prodeunt, lenirentur; ideo inſpicimus, naturam cum illis munerum functionibus vehementiſſimam complicaſſe voluptatem, quæ maxime ei ſunt conſentaneæ; vt cum vſu Veneris & nutritionis. Nec putandum eſt, nutritionem & prolis generationem dirigi ad voluptatem, ſed vice verſa voluptatem ad eas; Par quoque ratio eſt de actione morali & contemplatione: non enim honeſte operamur, vt lætemur; ſed contra lætamur, vt honeſte operemur; ac vt attentius, efficacius, diutius, conſtantiuſque recte agamus. Ideo recte Alexander quarto naturalium quæſtionum, cap. 26. oſtendit; *non honeſtum voluptatis gratiâ ſed voluptatem honeſti cauſa eſſe optandam & ab honeſto voluptatem recipere perfectionem & conditionem boni, non vice verſa* Et quicunq; voluptatem ſibi ſtatuunt finem, naturam & conditionem rerum peruertunt. Sic recte Plato in Philebo patefecit; *voluptatem non finem eſſe ſed ordinatam in finem*, nec ſecus exiſtimauit Ariſtoteles, vt mox patebit; & ideo, cum vita & voluptas ſint coniuncta, recte Plato in Philebo dixit: *voluptatem eſſe paratam vitæ gratiâ, & non contra.* Ariſtoteles tamen in decimo moralium Nicom. in calce quarti cap. hac de re dubitauit, inquiens: *Vtrum autem propter voluptatem optemus viuere, an viuendi cauſſa voluptatem ſequamur, omittamus in præſenti diſputare: videntur enim hæc inter ſe eſſe copulata, neq; alterum ab altero poſſe ſeiungi, &c.* Verum cum dubitauerit, prius tamen veritatẽ protulit inquiens; *iure optare voluptatem; cum perficiat vitam, quæ cuique optabilis eſt.* Ex his hæc formatur ratio; *Id quod dirigitur ad aliud, & non eſt finis poſtremus, non debet cenſeri eſſentia ſummi*

Tertia. *Quarta.* *Quinta.* *Explicatur prima.* *Explicatur Secunda.* *Cur parata voluptas.* *Ratio prima.*

Digitized by Google

Ratio ſecunda. boni; *Voluptas eſt huiuſmodi, Quare, &c.* Secundo id ipſum oſtenditur, quia perfectio rei perficiendæ reſpondere debet; ſummū bonum eſt animi perfectio, quare animo reſpondere debet. cōſentanea animo ſunt verum & honeſtum, quare in veri inſpectione, honeſtiq; adeptione non in voluptate ſummum bonum locari debet. *Tertia.* Præterea, ea debet cenſeri eſſentia ſummi boni, per quam homo redditur & denominatur bonus: at homo, non quia voluptate afficitur, ſed quia honeſte & recte agit, bonus dicitur. *Quarta.* Præterea dicere voluptatem eſſe eſſentiam ſummi boni, eſt euertere naturam & conditionem voluptatis; nam voluptate afficimur per aliquid bonum; & quo magis videbitur bonum, magis voluptate afficiemur. quare, ſi homo felix ſumma lætitia eſt affectus, profecto ob ſummum bonum lætitia affectus eſt: quare neceſſe eſt, vt aliquid ſit ſummum bonum, aliud lætitia ex poſſeſſione ſummi boni nobis competens. *Quinta.* Inſuper in eo eſt poſita eſſentia ſummi boni; quo poſito, & ſeiunctis ceteris, ſeruatur ſummum bonum, & quo remoto, ſummum bonum euaneſcit: At poſita iucunditate, & demtis ceteris, non ita ſe habet, nā ſi in ea eſſet poſitum ſummum bonum, feliciſſimi eſſent intemperantes & viri vitioſi, qui vehementiſſimis voluptatibus afficiuntur. Et nil obeſt, ſi dicatur eas non eſſe vere voluptates, quoniam qualeſcunq; ſint, non minus ſunt gratæ & ſuaues vitioſis, *Confirmatio* quam probæ probis. His accedit, quod ſi voluptates ab honeſta actione habent, vt probæ & honeſtæ ſint; non ex ſe, ac munere alterius, bonæ erunt: eſſentia autem ſummi boni ex ſe debet eſſe talis, & ob eam cetera debent cenſeri bona: Quotieſcunque enim duo ita ſe habent, vt munere vnius alterum ſit bonum, & non vice verſa; id quod eſt cauſſa, vt alterum ſit bonum, maxime bonum cenſeri debet: at non per voluptatē actio redditur proba, ſed per actionem voluptas: non itaq; in voluptate conſiſtit *Alia ratio.* eſſentia ſummi boni. Inſuper ſummum bonum dicitur eſſe honore dignum, vt in primo moralium Nicomachiorum, cap. 12. declaratur: at non iucunditas, ſed honeſta actio reddit hominē dignum honore, vt ex ſe conſpicuum eſt; imo nec Deum propterea honoramus, quia iucunditate immenſa fruitur. Ex his itaq; ſatis conſtare cenſeo, eſſentiam ſummi boni, non in voluptate, ſed in actione ex virtute prodeunte, eſſe collocatam, per quam reddimur ſimiles Deo: quæ ſimilitudo frequenter nomine ſummi boni deſignatur.

Ariſtotelem non putaſſe eſſentiam ſummi boni in voluptate eſſe poſitam. CAP. XX.

Voluptas nō eſt de eſſentia ſummi boni. NOn defuere viri docti, vt Epiſcopus Caſerta, & alii; qui Ariſtoteli tribuerūt, quod putauerit iucunditatem eſſe eſſentiam

tiam ſummi boni: quorum ſententiam non eſſe veram, cum ex dictis in præcedente capite, tum ex nunc dicendis ſatis conſpicuum reddi poteſt. Et primo ſi Ariſt. puta eſſe iucũditatem eſſe eſſentiam ſummi boni, perperam in primo libro moralium Nicomach. indagaſſet ac aſſignaſſet definitionem eius: inquirens enim quid ſit ſummum bonum hominis, patefacit ſingularum rerum perfectionem, & bonum in earum actione eſſe collocatum, ex quo colligit, ſummum hominis bonum in eius bona actione poſitum eſſe: idq; definiens ait, *eſſe actionem perfectæ virtuti conſentaneam* non autem inquit eſſe voluptatem. At reſpondent, & inquiunt; definitionem illam non explicare formam, ſed cauſſam efficientem & dicere, non quid, ſed potius propter quid: non ſecus ac dum dicimus, iram eſſe appetitionem vindictæ, & eclipſin eſſe interpoſitionem terræ. Quæ ſolutio approbanda non eſt: quoniam, dum inquiritur quid ſit res aliqua, præſertim ea definitio tradi debet, quæ formam & eſſentiam patefacit; & ſi altera traditur, quæ explicat cauſſam externam, nunquam tamen ea prætermittitur, quæ eſſentiam & formam patefacit: at Ariſtoteles ſolum dixit ſummum bonum eſſe actionem probam, nunquam dixit eſſe voluptatem. Præterea Ariſtotel. eo in loco perquirens & referens varias de ſummo bono ſententias, nunquam conſiderauit & protulit opiniones de cauſſa efficiente; ſed ſemper de natura, forma, & eſſentia ſummi boni. Inſuper eo in loco non conſiderat, ſed negligit ac paruipendit eorum opinionem, qui in voluptate ſummum bonum collocarunt: quam tamen accurate conſiderare, eamque emendare debuiſſet, ſi in voluptate ipſe quoque ſummum bonum collocatũ exiſtimaſſet Inſuper ſi philoſophus cauſſam efficientem ſummi boni conſideraſſet, non debuiſſet negare ſummum bonum in virtute eſſe poſitum; cum virtus ſit principalis cauſſa ſummi boni, & iucunditatis: iucunda enim eſt actio, quia per habitum operamur, vt ipſemet in primo eo libro patefecit. Præterea philoſophus oſtendens ſummum bonum in actione collocatum, ſemper principia accipit, quæ vera ſunt de natura & eſſentia, nõ de cauſſa efficiente rei: nam in capite ſeptimo, primi libri inquit: *Quorumcunq; actio aliqua vel opus eſt, eorum finis & perfectio in eorum actione ſiue opere poſita eſt, hominis datur propria actio, quare in ea ſummum hominis bonum eſt collocatum:* Maiorem oſtendit inductione in tibicine, fabro, aliiſque artificibus. At dum de artificibus dicimus, in opere eſſe collocatum finem & bonum eorum, non cauſſam efficientem perfectionis, ſed formam & naturam eius explicamus: quare, ne philoſophus per fallaciam æquiuocationis nos fallat; dicendum eſt in eadem ſignificatione debere intelligi concluſionem, quem colligit inquiens,

Ariſtotelem nõ collocaſſe ſummum bonum in voluptate.

Ratio prima.

Solutio.

Euerſio.

ſummum hominis bonum in actione eſſe poſitum. Quod confirmatur: quia in ſecundo libro de cœlo, cont. 17. inquit philoſophus *id, cuius eſt opus, eſt gratia operis: at id, cuius gratia aliquid eſt, finis & bonum eius cenſeri debet, non cauſſa efficiens.* Præterea luciditſſime philoſophus ſuam ſententiam patefecit in primo magnorum moralium, cap. 3 inquiens; *Quæ porro in anima definita ſunt bona, trifariam diſtribuuntur, in prudentiam, virtutem, & voluptatem: poſt hæc igitur, quod profitemur omnes, etiam finis videtur bonorum, idemque abſolutiſſimum eſſe, felicitas, quod ſane fatemur eſſe in bene agendo, beneque viuendo, &c.* Lucidiſſime his verbis teſtatur philoſophus ſummum bonum, non in voluptate, ſed in actione, vt diſtincta à voluptate, eſſe poſitum. Præterea in decimo de moribus, capite tertio, colligens, explicata & dicta, luce clarius ſuam ſententiam patefacit inquiens: *Multas denique ad res ſtudium atque operam noſtram contulerimus, etiam ſi nullam voluptatem ſint allatura; verbi gratia ad videndum, memoria tenendum, ſciendum, ad virtutes deniq; comparandas: nec refert, quod his neceſſario ſuccedunt voluptates; has enim ſequeremur & expeteremus, etiam ſi nulla ex iis proficiſceretur voluptas: non eſſe igitur bonum voluptatem, neq; omnem eſſe expetendam, eſſeque nonnullas per ſe optandas, vel ſpecie, vel iis rebus, ex quibus oriuntur, differentes, perſpicuum videtur, &c.* His verbis tam conſpicue ſuam ſententiam philoſophus patefecit, vt nil clarius pro ea dici poſſit: aperte enim aſſeruit virtutes eſſe optandas ex ſe, non ob voluptatem; & voluptatem non eſſe ſummum bonum. Ideo in primo moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo dixit, *felicitatem ſolum ſui gratia, nunquam alterius gratia optari, voluptatem vero, mentem ſanam, & virtutem, cum propter ſe, tum felicitatis gratiâ optari.* Ex his luciditſſime conſtat ſecunda aſſertio in præcedentibus prolata: quod ſcilicet iucunditas non ſit eſſentia, nec pars eſſentiæ ſummi boni, nec abſolute, nec ex ſententia Ariſtotelis. Et propterea ſententiam Scoti quarto ſenten. diſtinct. 49. quæſt. 7. præferendam cenſeo opinioni Diui Thomæ: nam D. Thomas 4. Sentent. diſtinct. 48 artic 1. quæſt. 3. cenſuit gaudium eſſe de eſſentia ſummi boni, quod inficiatur Scotus.

Quomodo voluptas ſit comes ſummi boni, & explicatio poſtremarum aſſertionum.

Cap. XXI.

Explicatur tertia aſſertio, quod voluptas ſit propria affectio ſummi boni.

QVemadmodum ceterarum rerum, quæ ab alio prodeunt, & ſui integritatem ac perfectionem ſunt adeptæ; dantur principia, eſſentia, & affectiones: ita ſummo hominis bono hæc tria iure optimo cōpetere debent. Proxima eius principia

ſunt

ſunt virtutes, eſſentia & forma eſt actio ex virtute prodiens; affectiones eius ſunt iucunditas, interna animi tranquillitas, conſtans quædam ſecuritas, & ſimilia: Hæc cum fluant ex eſſentia ſummi boni, & forma eius; recta ratione propriæ affectiones nuncupari merentur. Hoc ſæpe indicauit philoſophus: nam libro decimo, capite quarto inquit: *Voluptatem ſimilem eſſe pulcritudini, quæ ex congruente partium corporis menſura & diſpoſitione conſurgit.* Vt igitur pulcritudo non eſt optima corporis diſpoſitio; ſed eam ſequitur, tanquam comes, & affectio: ita voluptas non erit ſummum animi bonum, ſed affectio eius. Inſuper cap. ſeptimo eiuſdem libri ait, *voluptatem putamus copulari & connecti debere cum ſummo bono: Si connectitur cum ſummo bono, non poteſt cenſeri ſummum bonum, & quia ſummum bonum neceſſario comitatur, cenſeri debet affectio eius.* Eandem ſententiam protulit libro octauo, de repub. capite tertio inquiens: *Felicitas eſt cum voluptate, quæ ex honeſtis actionibus oritur.* Inſuper in primo libro moralium Nicomachiorum, capite 8. confirmans Ariſtoteles ſuam de ſummo bono ſententiam per nonnulla communia, quæ à veteribus philoſophis ſummo bono tribuebantur, inquit; *Alij enim virtutem, alij prudentiam, alij ſapientiam quandam, beatitudinem eſſe exiſtimant, nonnulli hæc ipſa, aut horum aliquid, vna cum voluptate, aut non ſine voluptate.* Cum dicat (vna cum voluptate) indicat ſententiam Platonis, qui in Philebo ex mixtione ſapientiæ & voluptatis dixit conſurgere ſummum bonum: cum addat (aut non ſine voluptate) indicat opinionem propriam, quod voluptas ſit affectio ſummi boni, ſine qua ſummum bonum non reperitur. Et hoc cōfirmat inquiens in felicitate hęc tria connecti; vt ſit optima, iucundiſſima, & formoſiſſima: non autem ſecerni, vt Deliaco epigrammate ſecernebantur. Cum itaq; felicitas dicatur iucundiſſima, iucunditas non eſt eius eſſentia, vt enim albedo non dicitur alba, ita nec iucunditas denominari poteſt iucunda: at affectio eius eſſe poteſt, ac ita per eam denominari & dici iucundiſſima. Et cum in eodem cap. dicat philoſopus, *vitam viri probi & felicis honeſta agentis, non egere voluptate, tanquam appendice quadam;* Græce (ὥσπερ περιάπτου τινός) *ſed habere in ſe voluptatem:* non dicit vitam optimam eſſe voluptatem, ſed eam in ſe habere, vt homo in ſe habet facultatem ridendi, non autem eſt ea facultas. Eandem veritatem nouit Alexander, fidus interpres Ariſtotelis: propterea 4. naturalium quæſtionum, capite 23. dixit, *Voluptatem ab Ariſtotele dici actum & actionem, non quia ipſa propria ratione ſit actus; ſed quia in actione eſſe habet, nec poſſit abſque ea fieri.* Quocirca quemadmodum, quod actus ſit non impeditus, habet, ita habebit, quod ſit felicitas: actus autē eſt non impeditus,

Explicatur locus ex primo moralium Nicom.

Concretum non prædicatur de abſtracto.

Alexander.

Digitized by Google

eo quod talē ſequatur actionem: Quare & felicitas eſt, eo quod felicitatem ſequatur, & ſit ſignum præſentiæ eius &c. Recte itaque dictum eſt. voluptatem eſſe comitem & affectionem quandam principalem ſummi boni: eſt enim, tanquam flos & ſplendor ex eo cōſurgens: per quem arctius, dulcius, ac intimius cum obiecto ſummi boni vir felix connectitur.

Explicatio quarta aſſertionis.

Ex his patet ratio quartæ aſſertionis, quæ erat, cū voluptas ſit affectio ſummi boni, iure ab Ariſt. ſummopere iudicatur iuncta cum eo. Pro cuius explicatione cōſiderandum eſt, in propria affectione duo conſiderari; primo facultatem, quaſi actum primum; ſecundo actionem facultatis, quaſi actum ſecundum: vt riſibilitas, & ridere. Similiter de voluptate loquendo, in ea conſideramus facultatem; hæc ſequitur habitum virtutis, per quem ſumus nati cum voluptate agere: inſuper conſideratur actio, & actus, quo voluptate perfundimur; qui ſequitur actionem virtutis. Vt facultas cum habitu, ita actus voluptatis cū actione eſt ſummopere cōplicata; eodem enim habitu nati ſumus operari honeſte, & cum iucūditate, ſolum diſtincta ratione: ſimiliter eadē actione reddimur felices, & iucundi. Dum ꝓpria affectio comparatur cum eo, cuius eſt affectio, dubiū eſt, an ab eo diſtinguatur, nec ne;

Affectio cum ſit facultas, non diſtinguitur ab eo cuius eſt affectio.

rationes, & opiniones ſunt ꝓ omni parte. Mihi tamen ſemper ea opinio magis placuit, quæ etiam fuit Alexandri & Scoti, quod non diſtinguantur niſi ratione: At quouis modo res ſe habeat, hoc nobis ſatis eſt, propriam affectionem omnium conſenſione ſummopere eſſe iunctam cum eo, cuius eſt affectio. Inde oritur, quod Ariſt. voluptatem nonnunquam nuncupauit actionem, vt in præcedentibus retuli; nonnunquam ab ea ſecreuit, veluti in 10. Nicomachiorum. c.5. inquiens: *Quamuis actio & voluptas maxime ſint complicatæ, non tamen idem ſunt* (abſurdum enim fuerit) *ſunt itaque diſtincta, &c.* Iure Ariſt. ita loquitur; *ſunt enim fundamento idem, ratione diſtincta: & maior diſtinctio apparet, dum conſiderantur in actu ſecundo, quam in primo.*

Explicatur poſtrema aſſertio.

Addebatur poſtremo, nō recte Platonem in Philebo dicere, ſummum bonum conſurgere ex mixtione ſapientiæ & voluptatis: Ratio eſt; quia, dum ita loquimur, indicamus eſſentiam ſummi boni etiam in voluptate eſſe poſitam, veluti ſi diceremus, hominem conſurgere ex ratione & riſibilitate, quod quidem dicendum nō eſt: homo enim per rationem conſtituitur; affectio deinde ex rei natura prodit, eamque ſequitur.

Plato cum Ariſt. conciliatur.

Aſſero tamen, litem de verbis potius quam de ſententia eſſe: Plato profecto minus recte loquitur, quam Ariſtoteles, idem tamen ſentit, ambo enim re vera putant voluptatem eſſe affectionem ſummi boni. Idque colligo primo, quia in Philebo primas partes ſummi boni tribuit ſapientiæ, poſtremas voluptati veræ, indicans eſſe affectionem eius: ſecundo, quia in

Gorgia

Digitized by Google

Gorgia & alibi, in ſola ſapientia dixit eſſe collocatum ſummum bonum, indicans ſolam eſſentiam eius. Propterea in Gorgia in perſona Socratis inquit, ſe ignorare an reges Macedonum & Perſarum felices eſſent, quoniam cum illis non erat conuerſatus: ideo ignorabat, quomodo iuſti & eruditi eſſent, nam in his tota beatitudo eſt collocata, vt in iniuſtitia & turpitudine vniuerſa miſeria. Ideo recte Plotinus Ennead. 6. lib. 6. c. 27. aſſeruit, *voluptatem comitari adeptionem boni, bonum vero etiam abſque voluptate eſſe eligendum.*

Cur Ariſtoteles voluptatem veram commendauerit, & quomodo diluantur rationes pro parte voluptatis.

CAP. XXII.

MIRARI profecto quiſpiam poterit, ſi Ariſtot. in voluptate ſummũ bonum non collocauit, ſi in attinentibus ad connexionem voluptatis cum ſummo bono ſolis verbis à Platone diſſentit, cur tam ſtrenue pro voluptate dimicauit? tam acriter dicta Platonis reiecit? nam accurate rationes eius diluit? Cui admirationi ſatisfaciens dico. Quamuis Plato voluptatem cum ſummo bono coniunxerit, tamen nimium videbatur partibus eius detrahere, nimium vilem diminutumque actum illam ſtatuebat, dum in generatione eſſe poſitam affirmabat. His accedit, quod, qui Platoni ſucceſſerunt, Xenocrates nẽpe & Speuſippus, voluptatem penitus neglexiſſe viſi ſunt, oſtenſioneſque paruipendebant, quibus Eudoxus Gnidius, auditor cum Archytæ Tarẽtini, tum Platonis, vtebatur pro parte voluptatis. Propterea Ariſt. Xenocratis condiſcipuli æmulus, quia Platoni in Academia ſucceſſit, nimiam illã ſeueritatem eius & Speuſippi moderari volens, regulam ſeruauit, quam in primo moral. Nicom. ſeruandam præcepit; nempe, dum contortum lignum dirigere volumus, in oppoſitum eſſe flectẽdum: hac itaque de cauſa Eudoxi oſtenſiones magnifecit, leueſque manifeſtauit ſolutiones, quibus æmuli vtebãtur; veluti etiam Plato coactus fuit ob eandem cauſam voluptatem oſtẽdere vilem, quia cum Philebo diſputabat, qui voluptatem omnem cenſebat bonam. Ex dictis etiam colligere valemus, quod veri includant rationes, quibus oſtendebatur in voluptate ſummum bonum eſſe collocatum, ex eis enim id ſolum colligitur; quod vera voluptas ſit; tanquam eſca nos inuitans ad ſummum bonum, dulciſſimaque affectio eius. Nam dum dicitur voluptatem naturæ propenſione maxime expeti, id patefacit, voluptatem eſſe bonum quoddam communiſſimum, ad ſenſum & corpus maxime pertinens, non autem eſſe ſummum bonum hominis, natura enim cũ ſit vel materies, vel forma ex materie pendens, ad ea nos reddit procliues,

Dubitatio.

Solutio.

Quid veri includant rationes pro voluptate formata.

Diluitur ratio prima.

quæ ad corpus pertinent, & voluptatẽ cũcta appetunt, at non omnia eam maxime appetunt, imo per naturæ legem magis optamus illud, cum quo complicata eſt voluptas, veluti prolem, cõſeruationem ſpeciei, & indiuidui, actionemque honeſtam. Et hoc in loco naturæ ſolertiã admirari licet, quæ ad vnum minus principale (nempe ad voluptatem) nos aperte reddidit proclines, vt ſimul latenter ad præſtantius nos dirigeret, idque facit, quoniam finis eius minus cadit ſub ſenſum: ita aperte ad cibi & Veneris voluptates nos inuitat; vt latenter ad indiuidui humanique generis conſeruationẽ, quæ voluptati præfertur, nos dirigat. Propterea homo recte affectus, quod eſt principale, præſertim expetere debet: quicunque autem in ſola voluptate perſiſtit, verumque finẽ negligit, iumẽtorum vitã viuere dicitur. Ratio ſecunda ſumebatur ex dolore, qui pœna & malum eſſe dicitur. Cui reſpondens aſſero, dolorẽ eſſe vitandum, non tanquam ſummum malum, ſed tanquam ſummi mali affectionem, longe enim deterior eſt actio vitioſa, quam dolor: imo dolor & pœna patrati ſceleris commendatur, & actio viri fortis, quamuis ſit cum dolore aliquo permixta, optima dicitur. Tertia ratio ſumta ex conditionibus ſummi boni erat, quod voluptas ſolum ſui gratia optaretur, & eſſet honore, non laude digna. Cui reſpondens dico, voluptatem eſſe profecto ex ſe optandam, & aperte ſui gratia expeti, latenter tamen, & ex principali inſtituto naturæ, paratam eſſe ob aliud, vt patefeci: inſuper, ſæpe dicitur non expeti ob aliud, quia conſideratur vt iuncta cum actione proba, eam includens, cumque ea modo aliquo eadem: felix enim coniugium probæ actionis & iucũditatis, eſt vita beata. Et dum additur, quod non laudatur; Reſpondeo, laudem & honorem, non voluptati, ſed ei competere, ex quo voluptas prodit, vniuerſa enim voluptatis probitas & improbitas, in actione poſita eſt, & ex ea conſurgit: ideo ad eam honor, & dedecus pertinet, imo nonnunquam iuuenes commendamus, quia lætantur actionibus honeſtis, inde enim ſpem recipimus, vt viri probi ſint euaſuri. Ratio quarta erat, quia voluptas cetera bona auget & pficit, tanquam finis. Reſpondeo, veram voluptatem eſſe quidem bonam, at non ſummum bonum; & bonum eius ex virtute, honeſtaque actione manare: & perficere actionem, non vt finem, cuius gratia ſit honeſta actio, ſed vt affectionem vltimi finis, vt aliquid vltimo ſuperueniens, eique inſeruiens, tanquam flos quidam, & pulcritudo ex optima corporis diſpoſitione cõſurgens, vt dixit Ariſtoteles; at non pulcritudo, ſed ſanitas eſt ſummum bonum corporis: voluptas perficit ſummum bonum, non pro gradu eſſentiæ & intenſionis, ſed pro extenſione & vſu eius. Et quamuis apud Græcos nomen ſummi boni à gaudio deducatur, id pa-

Natura ſolertia.

Diluitur ratio ſecunda.

Diluitur tertia.

Diluitur quarta.

Diluitur ratio ex nomine ſumta.

id parum refert: nam vel fuit deſumtum ex cõſpicua affectione eius; vel qui id nomen formarunt, eius fuere ſententiæ. At ea auctoritas magni ponderis eſſe videtur, quæ ſumebatur ex decimo moralium Nicomachiorum, c.4. quo loci dicebat philoſophus, *voluptatem perficere ſummũ bonum, vt ſanitas hominem perficit ſanum* Reſpõſio tamen ſuſcipitur ex eodem loco, & verbis philoſophi; cum dicat, voluptatem perficere actionem, nõ vt habitus penitus inſitus, ſed vt finis ſubſequens & conſurgens: indicat enim non eſſe eſſentiã ſummi boni, ſed eam ſequi: & non reſpondere facultati ſentiendi & ſenſibili, hoc eſt, efficienti & obiecto, ſed formæ: quia eſt quædam forma; non quidem dans eſſe ſummo bono, ſed ei ſuperueniens: vt affectio, cum diſtinguatur ratione, ſuperuenit ei, cuius eſt affectio. Similiter etiam diluuntur rationes, quę ex Ficino colliguntur: falſum enim eſt, nos optare viuendi & ſpeculandi actionem, vt gaudeamus, & nõ vice verſa: imo oppoſitum eſt dicendum, vt cõſpicuum eſt ex dictis in præcedentibus Et dum additur, gaudium plura includere: Reſpondeo, includere plura, non inſeruientia ſibi, eique vt fini ſubordinata, ſed ex quibus pendeat: ita autem homo plura præſupponit quam Deus, & accidens quam ſubſtantia. Dicebatur, vir bonus per gaudium magis & intimius cõnectitur cum obiecto, quam per cognitionẽ: & non qui videt, ſed qui vult, amat, eoque gaudet, dicitur bonus, & ob id ſummum bonum dicitur pertinere ad vim appetendi, eamque explere, ad quam pertinet voluptas. Reſpondeo, gaudium non eſſe id, per quod nectimur cum obiecto; ſed id, quod ex connexione conſurgit, & ideo non ſummum bonum, ſed affectio dicitur: bonus autem dicitur, qui intelligit ſummum bonum, & agit ei conſentanea, ita enim per imitationem cognitionis, & actionis fit illud: pertinet autem modo aliquo (vt ſuo loco patebit) ſummum bonum etiam ad facultatem appetẽdi; quatenus ad eam quoque pertinet, cum actio, tum affectio eam ſequens. Dicebatur inſuper, nos frui bono, non per cognitionem, ſed per conuerſionem facultatis cognoſcentis in obiectum, effuſionemque in illud. Reſpõdeo ſummum bonum in ea connexione eſſe poſitum, connectimur per actionem: ea effuſio, & gaudium eſt id, quod ſequitur adeptionem ſummi boni. Ita etiam requies in re viſa, ac tranquillitas, qua perfunditur vir beatus, cenſeri debet affectio felicitatis: vt enim felicitas eſt ſummum bonum, ita eius affectio eſt incomparabile gaudium, ſummaque lætitia, qua iubilant viri beati, iubilant Angeli, & Archangeli, magnificantes Deum, cui honor & gloria.

Explicatur locus 10. moralium.

Affectio & ſubiectum eius diſtinguuntur ratione.

Diluuntur rationes aliæ.

Digitized by Google

Opinio Platonis de ſummo bono. CAP. XXIII.

QVONIAM opinio Platonis de ſummo bono à variis vario modo refertur, eique nonnulla tribuuntur, quæ ſummopere ab illius ſententia diſcrepant: ac inſuper, quoniam de idea boni ab eo excogitata, vel approbata, ab Ariſtotele vero reiecta, ſumus verba facturi: propterea vtile duxi, quid de ſummo bono ſenſerit Plato, primo patefacere: Cenſuit Plato in Timæo, quē in parte ſequutus eſt etiam Origenes, ab æterno per diuinam mentem, animæque ideam manaſſe à Deo animas rationis cōpotes, quæ ratione varietatis ſtellarum eas primo recipientium, primorumque corporum, certo numero eſſent definitæ: abſolute tamen, & ratione ſuæ eſſentiæ à materie non pendentis, quæ ideæ reſpondet, vna, & non plures, nec ſeiunctæ eſſent (quamuis de hoc ſint variæ Academicorum ſententiæ) eaſque cenſuit cunctarum rerum rationibus eſſe decoratas, per quas, dum ſolutæ ſunt á craſſo corpore, cuncta cognoſcerent; ac ita per varias ſtellas fuiſſe effuſas, in quibus quidem ſtellis propriam haberent ſedem, ſtellam in orbem verterent, & felicem vitam ducerent. Verum quia mediæ cuiuſdam ſunt conditionis, generationiſq; in ſe includunt ſemina, & procliues ſunt ad formanda perficiendaque mortalia corpora, inferioreſque vitas edendas; propterea (dum opus fuerit) deſcendunt ad ea formanda corpora, quæ præſertim fauore ſuæ ſtellæ constructa & elaborata fuerunt, vt cum recte hoc ſuo munere fuerint functę, felicius in ſuam ſedem reuertantur, & ſummo bono, tanquam ſibi magis proprio, ſuoq; labore & peregrinatione comparato, felicius fruantur. Et cum ex ſtella dicantur deſcendere non ob id ſtella ea remanet expers animæ, vt nec lucis remanet expers, quamuis in mortalem orbē radios effundat, in hac peregrinatione, ratione deſcēſus, ratione curſus mortalis vitæ, & demum ratione reditus in patriam, varia ei conueniunt. Nam primo ob deſcenſum conſideramus in anima caſum alarum, hoc eſt, inſtinctuum, viriumq; eius remiſſionē, quibus ad ſuperna aſpirat, & ſunt interna commotio ad verum, & bonum. Conſideramus in connexione eius cum corpore, ſoporem, & obliuionem eorum, quę nouerat. Ob curſum autem mortalis vitę conſueuit animæ, vel deuiare & labi, vel recte progredi per viam ſublimem & regiam, in quo curſu, vt primo à ſomno expergiſcatur, reminiſcatur, per congruenteſq; gradus reuertatur in patriam, eget recta quadā excitatione à ſenſilibus facta, & ab illis præſertim, quæ ſunt tanquam radii veri boni, verique pulcri, vt expergefacta per gradus prudentię, ſcientię, & ſapientiæ, necnon munere rationū, & idearum, cum ipſo vno cōnectatur. Pro quo aſcenſu & redi-

Opinio Platonis.

Quæ competunt animæ per deſcenſum interram.

Quæ ei competunt per curſum mortalis vitæ.

Digitized by Google

& reditu neceſſariæ ſunt duæ alæ, pennarumque recuperatio, quæ in deſcenſu ceciderant: ala dextra & princeps, eſt facultas intelligendi & iudicandi, cuius pennæ ſunt, interna commotio inſtinctuſq; ad verum, quæ per ſapientiæ ſalutares aquas reficiuntur: ala ſiniſtra eſt facultas, quæ eſt principium agendi, & voluntas, pennæ ſunt deſiderium honeſti, inſtinctuſque ad bonum, quæ per aquas prudentiæ à fonte ſapientiæ manantes reficiuntur. Ita alæ in Phædro, bono, pulcro, & ſapientia nutriri dicuntur: quæ hac ſalutari aqua inſperſæ, nutritæ, formatæ, & auctæ, ad veri & boni originem animam eleuant. In quo fortunato eleuationis curſu, per accommodatam metaphoram nedum conſiderantur alæ, verum inſuper currus animæ, auriga, equi, habenæ, & calcaria. Hæc quamuis longe ſecus à multis explicentur, ego ita interpretanda cenſeo. Currus eſt æthereum animæ vehiculum, vt ex Phædro colligitur: auriga eſt recta ratio per ſapientiam formata, quam comitatur prudētia: caput aurigæ, mens eſt: equi ſunt appetitiones, quorum vnus bonus & albus eſt, alter malus & niger: equus bonus, qui ſtimulis non eget, ſed ſola adhortatione, rationeque regitur, eſt vis iraſcendi cum ratione iuncta, ab opinioneque boni ducta, quæ vis rationis dicitur cuſtos; equus malus, nigroque colore perfuſus, eſt cupiditas ad laſciuiem, libidinem, corporiſque voluptates propenſa. Hos equos expreſſit Plato in Phædro inquiens, in ſingulis hominibus duas eſſe dominantes ac ducētes ideas, quas ſequimur quocunq; ducunt, vna eſt, inſita nobis voluptatum cupido, altera, acquiſita opinio optimum expetens, quæ frequenter inter ſe pugnant, & hi quoque nonnunquam duo nobis inſerti deſtinatiq; Dæmones nuncupantur. Stimuli interni & calcaria ſunt veri & honeſti deſideria, externi autem, præmium & honor, fręna vero & interna, & externa, ſunt odium vitij, timorq; infamię & pœnarū. Et quoniam ſine Deorum afflatu ad ſublimia eleuari non valemus, propterea huic felici eleuationi tria numina præeſſe dicuntur, Mercurius, Venus, & Phœbus. Nam conuertitur anima ad ſuperna, vel viſu pulcritudinis radios inſpiciens, cui præeſt Venus: vel auditu conſonantiam vocum percipiens, per quam rationes animæ excitantur, ad ideasque reuocantur, cui conſonantiæ præeſt Phœbus: vel ratione recta per ſapientiam formata, cui præeſt Mercurius. Hoc curſu deſcendere dicuntur animæ per Cancrum, quod eſt domicilium lunæ, generationis antiſtitis, quatenus deſcendunt per internam propenſionem ad generationem: Aſcendere vero dicuntur per Capricornum: quod, præter id quod ſignum eleuationis eſt, etiam eſt domicilium Saturni, contemplationem & ſapientiam præ ſe ferentis. Demum, ob finem eleuationis & curſus paratæ fingitur in dor-

Explicatio Allegoriæ Platonicæ.

Dii qui præſunt eleuationi.

Per quæ ſigna deſcendūt & aſcēdūt animæ.

ſo cœli menſa, parat æque ſunt ei dapes. Dapes pro animarum conuiuio paratæ, ſunt intuitus ipſius veri, ipſum vnum, ipſum bonum, ipſumque pulcrum: cum quibus anima iuncta, vere in vnũ redigitur, vereque bona & pulcra redditur; nec in alio ſummum noſtrum bonum poteſt eſſe poſitum, quam in reditu ad ipſum bonum: à quo manauimus, ab eo enim ſolo valemus recipere bene eſſe, à quo recepimus eſſe. Necti poteſt anima cum ipſo bono & vno, etiam dum iuncta corpori mortalem viuit vitam, at non libere & conſpicue, ſed obſcure & cum impedimentis nec tempore longo, ſed exiguo. Ideo valde pauci, illique imperfecte, in hac vita ſummo bono fruuntur, vt in Epinomide aſſeritur. In alia vero vita exactius, liberius, intimius, & diuturnius cum ſummo bono anima connectitur. Dicitur anima in curru eleuari ad cœlum, currus enim eſt æthereũ vehiculum, quod ad conſimile corpus redit: at per alas dicitur euolare ſupra cœlum, & ad ipſum vnum extolli. Anima enim ex conditione propria, ſtellæ ſibi deſtinatæ iuncta, vel ſupra dorſum cœli poſita, vna cum cœlo in orbem vertitur, ſtellamque ſibi creditam in orbem reuoluit, inſertam enim habet motionis originem, propenſionemque ad corpus At munere mentis, ſupra tempus, motum, cœlumque extollitur, & in ſolo vno indiuiduo & ſine medio requieſcit, quod continenter intuetur: cum animæ id faciant per tempus, & modo aliquo cum tempore, cum diſtinctione quadam, & interuentu mentis, cuius ſunt participes. Et cum anima per mentem ea quæ vere ſunt inſpexerit, ideas mente, & idearum caput, ſubiens rurſus intra cœlum, domum reuertitur, hoc eſt, ad ſtellam ſibi comparem redit: ad quam reuerſa, auriga ad præſepe ſiſtens equos, tribuit eis ambroſiam, mox nectar potandum: hoc eſt, ex huiuſmodi contemplatione & adeptione ſummi boni conſurgit, tanquam cibus ambroſiæ nomine deſignatus, expletio appetitionum eius; mox nectar, quaſi potus, ſuperinfunditur, quatenus anima per reditum in ſuam naturam, congruentemque diſpoſitionem, incomparabili gaudio perfunditur. Quæ duo recta ratione reſpondent lacti & melli, quibus ex relatione Moyſis ſaturauit Deus dilectum populum ſuum. Et ex his elicere debemus explicationem ſententiç Orphei, à Platone in ſecundo de republica relatæ, à Muſæoque approbatæ, *ebrietatem eſſe præmium iuſtitiæ, denotauit enim ebrietatem in animi gaudio collocatam.* Cui ſimile Propheticum illud; *Inebriabor ab vbertate domus tuæ.* Hæc proprie & præcipue Diis, hoc eſt, cœlorum animis competunt, quæ ſupra cœlum ad diuinum cõuiuium eleuantur. Secundo loco felicioribus animis: reliquæ vero animæ vel id non aſſequuntur, vel vix & obſcure, & propterea potius inanibus replentur opinionibus, quam alantur

Anima viuens mortalem vitam, poteſt necti cum Deo.

Summum bonum hominis hic inchoatum in cœlo conſummatum.

vera

vera ſcientia. Ex his, quæ à Platone partim in Philebo, partim in Phœdro dicta fuere, varia colligere valemus. Colligo primo, humanam felicitatem non duplicem eſſe (vt aſſerere videtur Ariſtoteles) ſed vnam, eamque in connexione cum ſummo bono eſſe poſitam, cetera autem eſſe diſpoſitiones ad eam, vel vtiles, vel neceſſarias. Colligo ſecundo, eam potius in altera, quam in hac vita animæ competere. Tertio colligo, felicitatem, vt in obiecto beante, in ſummo bono, ipſoque vno eſſe collocatam: vt in medio, per quod cum eo nectimur, in ideis mentis, quas anima per rationes intuetur: vt in diſpoſitione ad nos pertinente in ſapientia, quam comitatur prudentia: vt in affectione ex ea conſurgente, in lætitia, & gaudio. Colligo quarto felicitatem pertinere, cum ad facultatem contemplandi, tum ad eam, quæ eſt appetendi: primo tamen, & præcipue ad facultatem contemplandi, ad quam ſapientia pertinet; cui Plato in Philebo primas tribuit ſummi boni partes: ſecundo autem loco ad facultatem appetendi, ad quam pertinet gaudium, cui Plato in eodem Philebo poſteriores partes tribuit: & in Phædro in reditu animæ intra cœlum ad dominum ſuam, dixit, *animam tribuere equis, hoc eſt, appetitionibus, ambroſiam & nectar*: & dicitur tribui ab anima, quia ex contemplatione animæ & nutritione alarum eius, redundat deinde gaudium in facultates appetentes. Propterea miror Marſilium Ficinum in Platone ſatis verſatum, in Epiſtolis ſuis oppoſitum aſſeruiſſe ac confirmaſſe. Inſuper colligimus mentem ſupra animam collocatam, continenter, lucidius, & ſine tempore intelligere ea, quæ vere intelligibilia ſunt (ideas nempe) ſummoque bono frui, animam vero nec ſemper, nec ſine tempore, nec tam conſpicue. Ex his cenſeo, magna ex parte notam reddi ſententiam Platonis de ſummo hominis bono: de qua etiam in progreſſu diſtinctius alia nonnulla patefaciam, ab animo ingenuo ſummopere exoptanda.

Primum quod colligitur.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

De idea boni.

Cap. XXIV.

CONSIDERATIONI de ſummo hominis bono iunctam eſſe cenſuit Ariſtoteles diſputationem de idea boni, ac propterea in primo Nicomach. de ea cumulatiſſime aduerſus Platonem verba fecit: vt igitur pateat, quæ fuerit ſententia Platonis, & an iure ab Ariſtot. fuerit reiecta, & num Plato à calumnia vindicari poſſit, nonnulla de idea boni mihi explicanda propoſui. Reperitur apud Platonem hæc eminentiſſima trinitas, ipſum vnum, ipſum bonum, ipſum pulcrum, quæ tria ſecundum eſ-

Idea boni.

Eminentiſſima trinitas à Platone poſita.

Vnum ipſum bonũ, ipſum pulcrum ſunt mutũ.

Digitized by Google

ſentiam idem ſunt, ſola ratione diſtinguuntur: nam vnum eſt ſupra bonum, & tanquam caput boni, bonum eſt ratio, per quam cuncta manant ab vno; & ad vnum tendunt, ex bono refulget pulcrum: vnum eſt, tanquam principium & fons emanationis, bonum, vt medium, pulcrum, vt finis: in reditu & conuerſione contra, per pulcrum eleuantur res ad bonum, ac inde ipſo vno perficiuntur. De ipſo bono, bonique idea, frequẽter mẽtionem fecit Plato, latius tamen in ſexto, & ſeptimo de republica ſuam ſententiam patefecit: inquit enim in ſeptimo de republica; *Arbitror in ordine ipſo intelligibili boni ipſius ideam ſupremam exſiſtere, vixque videri: ſi autem viſa fuerit, aſſerendum eam omnium omnium rectorum atque bonorum cauſam eſſe, cum ipſa in loco viſibili lumen creauerit, luminiſque auctorem, in ipſo vero intelligibili regnet ipſa, veritatemque, & mentem protulerit, quam noſſe neceſſe ſit omnem, quicunque ſana mente quicquam vel priuate, vel publice eſt acturus, &c.* Inſuper addit in eodem dialogo: *Qui boni ideam ratione definire non poteſt, à ceteris eam diſtinguens ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum opinionem arguens & refellens, hic bonum non dicetur cognoſcere.* Conſimilem in ſexto dialogo his pene verbis proferens ſententiam, inquit: *Boni idea eſt maxima diſciplina, qua quidem & iuſta & alia ſi vtantur, vtilia & conducibilia fiunt: atque hoc me dicere ferme velle ſcito, & id præterea, quod ipſam non vt ſatis eſt cognoſcimus.* Si vero eam neſcimus, & ſine ea cetera quã maxime nouerimus, ſcito nullam ex eis in nos vtilitatem redundare, veluti neque pdeſſet nobis quicquam, quod ſine bono poſſideremus. Inſuper in Alcibiade ſecundo inquit: *Videtur ſane ceterarum omnium ſcientiarum poſſeſſio niſi quis ſcientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodeſſe, obeſſe plerunque, &c.* Hæc à Platone boni idea, cognitioniſque eius vtilitate, dicta fuerunt, aduerſus quæ vehementer inuehitur, acriterque diſputat Ariſtoteles in primo Nicomachiorum: qua de re vt pro facultate iudicium aliquod afferre valeamus, tenemur primo explicare ſententiam Platonis, ſecundo tenemur perpendere, quæ ab Ariſtotele ei obiiciũtur, tertio, an valeamus Platonem à calumnia vindicare, demum, an valeamus litem & controuerſiam componere. Quod pertinet ad primum, non aperte conſtat, quid Plato per ideam boni ſignificauerit: nam (vt inſtituto noſtro inſeruit) ideæ nomen apud Platonem tripliciter vſurpatur, pro eminentia, pro forma, & pro ſimilitudine. Pro eminentia vſurpatur, dum Deus dicitur idea omnium: vt enim vnitas virtute includit omnes numeros; ita Deus, qui eſt ipſum vnum, eminentia & virtute includit omnes ideas, quaſi rerum numeros: & præſertim vnius, boni, & pulcri, quæ eius ſunt propria, & ſunt origines ceterarum. Idea pro forma ſumitur, dum conſideratur in mente, vt vna contradiſtin-

Sententia Platonis in ſeptimo de republ.

Quæ de ſententia Platonis perpendenda ſint.

Idea apud Platonem tripliciter vſurpatur.

Digitized by Google

diſtinguitur ab altera. Idea pro ſimilitudine vſurpatur, dum omne, quod vniuerſe concipitur animo, idea nuncupatur: in qua ſignificatione ait Plato in Phædro, *duas in vnoquoque noſtrum ideas eſſe dominantes atque ducentes, quas ſequimur, quocunque ducunt, innata ſcilicet voluptatum cupido, & acquiſita opinio, per quam optimum expetimus, &c.* Hæ namque ſunt veluti duæ quædam communes formæ nos ducentes In eadem ſignificatione ideam boni ſumpſiſſe cenſeo Platonem in Philebo, dum dixit, *in concordi mixtione ſapientiæ & voluptatis licere nobis perdiſcere, quid & in homine & in vniuerſo ſuapte natura bonum ſit, quæve ipſius idea exſiſtat, &c.* Cum igitur tres ſint ideæ ſignificationes, dum eſt diſputatio de idea boni; non vſurpatur idea in tertia ſignificatione, pro quauis communi notione animo concepta, ſed dubium eſt, in prima an in ſecunda ſignificatione vſurpetur. Inquiunt nonnulli Platonis interpretes, vſurpari apud Platonem locis ſupra relatis ideæ nomen in ſecunda ſignificatione, pro forma boni ad mentem pertinente, contradiſtincta ab idea pulcri, vni ceteriſque ideis, in mente enim continentur ideæ omnium: ac ideo dicitur à Platone in loco intelligibili regnare, intelligibilia autem ſunt ideæ mentis. Hanc ſententiam nulla ratione approbandam cenſeo, aperte enim pugnat cum verbis Platonis, cum principiis eius, ac cum conditione idearum: nam, ſi rem accurate perpendimus, inueniemus, non ita in mente inueniri poſſe horum trium, vnius ſcilicet, boni, & pulcri, ideas forma diſtinctas, vt inueniuntur ceterorum. Ratio eſt: quia id, quod includitur in vniuſcuiuſque idea, non dicitur idea a ceteris diſtincta: bonum, vnum, & pulcrum in ſingulis ideis, tanquam ſemina & perfectio earum, includuntur; omnis enim idea dicitur vniformis, boniformis, & pulcriformis: non igitur boni, pulcri, & vnius inueniuntur in mente diſtinctæ ideæ, ſed ſolum cenſeri debent communes quædam ſingularum idearum proprietates, ex ipſo vno, bono, & pulcro diſtincta menſura cum ideis manantes. Confirmatur, quoniam qui ſunt illius opinionis, primo ſtatuunt bonum ſimpliciter, nempe Deum auctorem communem omnium bonorum & pulcrorum: mox bonũ ideale, quod ſolum aſſerunt eſſe principium quarundam non primarum, ſed conſequentium perfectionum, beneficio quarum res eis participantes redduntur bonæ. At hæc boni multiplicatio redundans eſſe videtur: nam, ſi primum commune eſt cauſa omnium bonorum; ſimiliter erit cauſa eorum, per quæ res perficiuntur, & bonæ dicuntur: primum enim bonum, non tantum partis, ſed vniuerſi boni debet cenſeri parens, nec vnius potius, quam alterius. Præterea vna idea nõ eſt principium alterius ideæ cum ideæ ſint originales formæ æque primæ: at bonum & vnum

Non componuntur menti idea boni, pulcri & vnius, vt ceterorum diſtincta.

Ratio prima.

Confirmatio.

Altera ratio.

Tertia ratio.

Digitized by

cunctarum idearum principia ſunt, omnis enim idea, cum boni, tum vnius rationem includit. Inſuper Plato loquens de idea boni in ſeptimo de republica dixit, *eam omnibus omnium rectorum atque bonorum cauſam eſſe, cum ipſa in loco viſibile lumen creauerit, & luminis auctorem, in ipſo vero intelligibili regnet ipſa, veritatemque & mentem protulerit, &c.* Hæc de ſolo Deo, non de vlla idearum ad mentem pertinentium vera ſunt: mundus enim intelligibilis eſt mens, cui præeſt Deus, vt caput & princeps: & non idea vlla parit mẽtem & veritatem, ſed potius econtrario mens in Deum conuerſa concipit ideas; quæ veritas, ſcientia, & ſapientia nuncupantur. Veritas in ſe, ſcientia per relationem ad animam, ſapientia vero mentis. Ideo recte Plotinus Ennead. 7. lib. 7. dixit mentem ſibi comparaſſe ſpectacula boniformia (nempe ideas) cum primum ipſam boni naturam contemplaretur. Inſuper inquit; *mentem conuerſam per actum vitalem in bonum, fieri boniformem, & ob formam ſuam multiplicabilem, vnum boni donum in formas plurimas deriuaſſe, &c.* Præterea ideæ ad mentem pertinentes ſunt definitarum ſpecierum, quæ in alias ſpecies non diſtribuuntur, ſunt enim vltimæ & completæ formæ rerum. At idea boni non ſic ſe habet, extenditur enim per omne genus, & omnium bonorum eſt cauſa. Colligamus itaque in mente (ex ſententia Platonis) non dari ideam boni contradiſtinctam ab alijs ideis, ſed per ideam boni denotaſſe bonum ſupremum, ac immenſam diuinitatis fœcunditatem, initium, & finem omnium. Quod, ex Plotini Numeniique ſententia, non eſt proximus mundi opifex, ſed artificis mundi, mentis ſcilicet, pater, cunctorumque finis. Hæc cũ ſit eminentiſſima forma ac formarũ forma, non iniuria eminens idea nuncupari poteſt, & dicitur ſol diuinus, cuius filius eſt mens, ſol intelligibilis, ac eorum externa imago, quæ ſenſibus offertur, eſt ſol viſibilis: cognitio eius superni boni, eſt regula omnium rectarum actionum, eatenus enim actiones noſtræ bonæ ſunt, quatenus cum legibus ſummi boni conformantur. Nec dicitur à Platone ea cognitio vtilis ad efficienda opera artium, ſed ad recte obeunda ea munera, per quæ homines deinde probi vel improbi denominantur; ideo dicimus. (Qui Deum non cognoſcit, in tenebris oppoſitis diuino ſoli ambulat.) Cognoſcunt id ſummum bonum ſatis conſpicue illi, qui inter homines diiudicantur felices, ceteri vero vel non cognoſcunt, vel ſub nube & obſcure. Et ſi quis quærat, num vnius, pulcri, & boni modo aliquo concedi poſſint diſtinctæ ideæ, breuibus (prætermiſſa opinionum & rationum relatione) dico: eorum dari in anima noſtra diſtinctas notiones, in mente vero non reperiri eorum proprias ideas, ſed diſtinctas ſingularum idearum proprietates ac perfectiones, quæ in Deo ipſo

Mens in Deum conuerſa concipit ideas.

Plotinus.

Ratio quarta.

Non dari ideam boni contradiſtinctam ab alijs ideis.

Digitized by Google

ipſo vno exactiſſime in vnum veniunt, & ſolum diſtincto noſtro cognoſcendi modo vt diſtinctæ conſiderantur. Sic eorum ſunt & non ſunt ideæ, ſunt diſtinctæ & non ſunt diſtinctæ; vt etiam pateſeci, dum de pulcro diſſerui.

Rationes Ariſtotelis aduerſus ſententiam Platonis de idea boni. CAP. XXV.

Ariſt. contra Platonem. *Ratio prima.*

ARiſtoteles in ſecundo moralium Nicomachiorum, variis rationibus nititur hanc de idea boni ſententiam euertere; eamque inutilem, rationi aduerſam, cum natura ideæ pugnantem, nititur oſtendere. Nã idea, (conſenſione eorum, qui ideas ſtatuunt) cum ſit forma & eſſentia vna, minime eſt eorum, quibus competit ordo, & per prius & poſterius diſtribuuntur; inſuper eadem ratione non eſt eorum, quæ ſunt diſtincti generis: at bonum, cum ordine præditũ eſt, tum ad diſtincta pertinet prædicamenta: non igitur eius datur vna idea; bonum n. per omne quod eſt, effunditur, & in omni pdicamento locum habet. *Ratio ſecunda.* Præterea, cum idea ſit forma, eſſentia, & veritas vna; ad vnam ſcientiam pertinet: at boni plurimæ ſunt artes & ſcientiæ; ſingulæ enim artes, ſingulæque ſcientiæ, bonum ſibi proprium perquirunt & explicant. *Ratio tertia.* Inſuper cum Plato genus idearum nuncupet *αὐτοέκαστον*, hoc eſt, ipſum quicque; (ipſum ſingulum) ſingulatim vero ideam hominis ipſum hominem, ideam boni ipſum bonũ; quid ſignificat per ipſum vniuſcuiuſque naturæ rerum? Vel enim (exempli gratia) idea hominis eſt eadem cum homine, vel diſtincta. Si eadem, cur diſtincta voce denotantur ipſe homo, & homo? Diſtincta non videntur poſſe iudicari; quia vtriuſque eadẽ eſt ratio & definitio; quare eadẽ eſt eſſentia & natura. Nec dicere quiſpiam poteſt ꝙ differant; eo quia idea hominis ſit æterna, homo vero mortalis: quoniã varietas temporis non eſt cauſa varietatis naturæ, ſed potius econtrario; quia enim natura eſt varia, ideo res vna æterna, altera mortalis eſt: at ea, quorum vna eſt definitio, non poſſunt eſſe diſtinctæ naturæ: inanis itaque eſt ipſe homo, ipſumque bonũ, ſeorſum poſitũ à ſingulis. Propterea rectius viſi ſunt ſenſiſſe Pythagoræi, quos ſequutus eſt Speuſippus; qui vnum & numeros proportione reſpõdentes ideis, in bonorum ordinem, non autem vt aliquid à ſenſilibus ſeparatum poſuerunt: vt in tertio Phyſicorum, cont. 25. eandem ſententiam repetit & explicat Ariſtoteles. *Euaſio.* At dicet fortaſſe aliquis, non vniuerſe bonorum omnium dari ideam vnam; ſed eorum tantum, quæ per ſe bona ſunt. Quæ euaſio inanis eſt, quoniam quæram ego. *Reiectio.* Quid eſt hoc, ꝙ per ſe bonum eſt? vel enim eſt ſola idea boni; vel ſunt ea omnia, quæ à nobis quærũtur & optantur

Digitized by Google

vt ſapere, videre, honores, prudentia, voluptates honeſtæ, & cetera huius generis. Si primum eligis, inanis tunc erit idea boni; dabitur enim idea boni per ſe, cui nullum in rebus reſpondebit per ſe bonum, & à nullo participabitur: quod aduerſatur conditioni ideæ, idea enim dicitur exemplar rerum, quo cetera participant. Si aſſeris etiam alia dari per ſe bona, vt illa quę nuper relata fuerunt; contra, eorum non eſt natura, forma, & definitio vna, quare nec vna poteſt eſſe idea. Præterea eſto (per fiduciariã r. probat onem,) quod detur ea idea boni, ac bonum id ſeiunctum à ſingulis, quod vniuerſale ante multa appellant, id profecto redundans ac ſuperuacaneum erit: quoniam, dum agimus de ſummo hominis bono, id bonum quærimus, quod natum ſit à nobis acquiri, in nobis fieri, à nobiſque poſſideri: at id bonum ſeiunctum & ſeparatum non eſt huiuſmodi, cum enim ſit ſui natura ſeiunctum, nunquam cum aliquo iunctum inueniri poterit. At dicet forte aliquis, id bonum hanc præbere vtilitatem, vt, cum à nobis cognoſcatur, nos recte dirigat ad adeptionem & vſum eorum bonorum, quæ à nobis acquiruntur & poſſidentur; non ſecus ac cognitio ſcopi nos recte per media ducit, & dirigit ad illum. At hæc quoque ſolutio ab Ariſtotele euertitur ratione, & experientia. Ratione, quia nos recte dirigit & ducit cognitio proprii finis propriique boni, non vniuerſi & communis. Experientia vero, quia compertum eſt artifices omnes, cum bonum aliquod quærãt, nequaquam ſibi proponere vel vti cognitione eius cõmunis & ſeparati boni: qua cum careant, eamque non quærant, exactiſſime tamen artes poſſident, finemque ſuum aſſequuntur. Et tantum abeſt, vt Medicus id ſeparatum bonum quærat, vt nec de ſeparata quoque valetudine, quæ eſt finis ſibi propinquior & familiarior, ſit ſolicitus: ſed de ſanitate tantum in homine exſiſtente, non quidem in homine communi, ſed in ſingulis, nam ſingulos curat. His itaque rationibus Ariſtoteles ideam ſummi boni à Platone excogitatam, tum naturæ aduerſam, tum inutilem, tum inanibus nixam fundamentis, nititur patefacere.

Ratio quarta.

Praxis artis verſatur circa ſingularia.

Num Plato à relatis calumniis vindicari poſſit; & quomodo Ariſtoteles ab eo diſſentiat vel cum eo conſentiat.

CAP. XXVI.

MAgnæ apparuere virtutis rationes illæ, quæ ab Ariſtotele aduerſus ideam excogitatæ ac formatæ fuere: adeo vt ob eas Latini interpretes Platonem, vt delirantem; & ideam boni, vt commentum aliquod, negligant & deſpiciant. Verum ſi liberi eſſe volumus, & ingenue id, quod ſentimus, cupimus enuntiare: proculdubio ſatis leues (vt cenſeo) rationes illæ apparebunt,

Digitized by Google

bunt, eaque de idea boni diſputatio, minime ad inſtitutum A-riſt. pertinere, illique loco accommodata eſſe iudicabitur. Cum enim ſummum bonum vſurpari poſſit & pro obiecto, & pro affectione ac perfectione, quæ in nobis recipitur, eo loci Ariſtoteles non obiectum externum quærebat, ſed internam affectionem & perfectionem. Idea boni ponitur à Platone tanquam externum obiectum, & propterea ea diſputatio de idea boni nequaquam inſtituto Ariſtotelis inſeruiebat: nam de ſummo bono pro interna noſtra perfectione ſumto, verba fecit Plato in Phædro præſertim, & in Philebo; & aſſeruit poſitum eſſe in ſapientia, quam comitatur prudentia, & ſequitur actio, ex quibus conſurgit gaudium: hoc erat id ſummum bonum, quod reſpondebat ſummo bono conſiderato ab Ariſtotele in primo Nicom. ideo hanc ſententiam diſcutere tunc tenebatur, non illam de idea boni. Præterea rationes ab eo formatæ, nec ad rem facere, nec ideæ boni officere, vlla ex parte videntur: nam rationes illæ præſupponunt, Platonem ita ideam boni ſtatuiſſe; vt hominis, leonis, & ſimilium ſpecierum in mente dari affirmat: at iam latiſſime patuit in præced. cap. ideam boni, pulcri, & vnius, eſſe eminentioris generis ſublimioriſque ordinis, ac pertinere ad principium: nam per ideas omnes tanquam ſpiritus, nerui, & communes perfectiones effunduntur. Quare ſi bona participata ſunt diſtinctæ rationis, diſtinctæ definitionis propriæ, diſtincti ordinis, diſtinctique generis; parum refert: prima enim & communia principia meant per omnia, ac per omnia (cum quadam tamen varietate) effunduntur; ſeruando ſolum ſimilitudinem quandam communem, non propriam; veluti etiam ipſemet Ariſt. veritate coactus in eodem capite communem dedit per ſe boni definitionem inquiens: *per ſe bona ea eſſe, quæcunq; vel ſola, & à cæteris ſeiuncta ſequimur, quale eſt ſapere, videre, & nonnullæ voluptates, &c.* Sic itaque ratione huius communis, vna eſt ipſius boni definitio, vnaque ſcientia, quamuis diſtinctarum ſpecierum diſtinctæ ſint. Præterea, adhuc oſtenſiones illæ aliud præſupponunt à veritate alienum: præſupponunt aſſeruiſſe Platonem, cognitionem ideæ boni conducere ſingulis artibus ad aſſequendum proprium finem, quod minime à Platone dictum fuit: ſolum aſſeruit Plato conducere actionibus humanis; ſignificans proprie ſumtas actiones, per quas probi vel improbi denominamur; artibus autem conducit, vt recte artifex eis vtatur, veluti dum dicimus, debere medicum eſſe pium, non quidem vt proprium finem aſſequatur. Quod autem per cognitionem diuini & ſummi boni dirigantur, recteque conformentur humanæ actiones, nemo eſt qui dubitet: cum enim nobis ſit pro fine propoſitum, vt conformemur cum voluntate Dei,

Conſideratio ideæ boni, de qua loquebatur Plato, non eſt ciuilis.

Rationes Ariſtotel. perpenduntur.

Digitized by Google

illique reddamur ſimiles; proculdubio deſtituti eius cognitione, neſcimus quo tendimus, ambulamus in tenebris; & quaſi deſtituti cognitione borealis poli, hanc noſtram vitæ nauigationem fortunate abſoluere non valemus: vt mira conſenſione Theologi noſtri patefaciunt. Ex his conſtat, ſatis leuia eſſe, quæ ab Ariſtotele Socrati & Platoni obiiciuntur. Sed condonemus aliquid exactæ eruditioni, eminentique ingenio Ariſtotelis: & dicamus id ab eo fuiſſe factum; ob affinitatem ſummi boni pro obiecto, ac pro interna noſtra perfectione ſumti: Inſuper id fuiſſe factum, ne quiſpiam male accipiens ſententiam Platonis erraret: demum, vt ſe excuſaret, quia ideam & ſeparatum quoddam bonum non primo propoſuerat & declarauerat. Perpendamus demum, an re vera diſſentiat à Platone; vel potius in ſolis verbis, diſtinctoque conſiderationis modo vniuerſa controuerſia ſit poſita. Quam longe à vero recedant illi, qui cenſent Ariſtotelem cum Platone de omnibus conſentire, conciliarique poſſe; alibi abunde patefeci. Vt autem præſenti inſtituto inſeruit, dico Ariſtotelem; nec ideas concedere ad mentem pertinentes, nec mentem primam à Deo ſecreuiſſe, vt faciunt principales Platonici; nec nouiſſe bonum alterius vitæ ad hominem, vel ad eius animam pertinens, nec putaſſe animam interuentu mentis, ac operationum & idearum, eleuari ad ſummum bonum, & connecti cum eo: ſed connexionem longe ſecus fieri cenſuiſſe, vt ſuo loco patebit: de his proculdubio adeo diſſentiunt, vt nulli conciliationi relinquatur locus. Conſentiunt tamen, quia ambo primum principium vnum ſtatuunt, illudque ſummum bonum affirmant, ac eſſe cenſent externum ſcopum, & obiectum ſummi noſtri boni, cui nitendum nobis eſt pro facultate reddi ſimiles: eius tamen incomparabilem fœcunditatem per omnia natam effundi & propagari, Plato appellat nomine ideæ boni; quo nomine Ariſt. vtendum non cenſuit. Quod Plato cenſuerit, ſummum illud bonum eſſe obiectum & ſcopum humanæ felicitatis, imo formam vltimam poſtremamque perfectionem; ex dictis in præcedentibus conſpicuum eſt. Quod autem etiam Ariſtoteles id fateri cogatur, patet primo ex 7. lib. moral. Nicom. c. 13. vbi hæc protulit verba: *Fortaſſe vero etiam omnia ſequuntur, non eam quam putant voluptatem, neq; eam quam dixerint: ſed eandem, in omnibus enim diuinum quiddam ineſt natura.* Et [illegible] iudicauit Ariſtoteles, *omnia per naturam conſpirare & tendere ad idem commune bonum.* Inſuper clarius id colligitur ex lib. 10. [illegible] c. 8 quo loci inquit Philoſophus: *Qui muneribus fungitur [illegible] mentaneis, & hanc colit, eſtq; optime animo affectus, cum [illegible] Deo cariſſimum eſſe: nam ſi Dii immortales curam ha[illegible] rerum humanarum, quemadmodum veriſimile eſt, illud*

quoque

An Ariſtot. diſſentiat à Platone.

Quomodo diſſentiunt.

Quomodo conſentiunt.

quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, ſibiq́; maxime cognata delectari (hæc autem mens fuerit) *iiſq́;, qui hanc maxime diligunt, & plurimi faciunt, præmia perſoluere, &c.* Cum vir ſapiens & felix dicatur amicus Deo, ac ab eo præmia recipere; hoc alia ratione non euenit, niſi quia eſt obiectum, quod in omni noſtra actione quærimus. Quod lucidius confirmatur per dicta in 12. metaph. cont. 39. vbi affectio optima, quæ ſeparatis mentibus ſemper competit, dicitur nobis per aliquod tempus conuenire, ea autem eſt connexio cum ſummo bono. Ita in cont. 52. indicauit bonum in vniuerſo reperiri, & ſeparatum, & in ordine rerum: bonum autem, quod eſt in ordine rerum, ad bonum primum & ſeparatum dirigitur; ex quo etiam pendet. Conſtat itaque (vt ad ſententiam ideæ ſummi boni pertinet) Platonem cum Theologis apertiſſime conuenire: Ariſtotelem autem ab eo verbis potius, quam ſententia diſſentire.

Definitio humanæ felicitatis ex ſententia Ariſtotelis.
Cap. XXVII.

CVm in præcedentibus varia ſint explicata ad communem notitiam eſſentiæ ſummi boni pertinentia, vt ad propria quædam deſcendere valeamus, definitionem eius tenemur referre ac perpendere; ita enim nobis offeretur occaſio; primo conſiderandi partes eius, mox per diuiſionem deſcendendi ad diſtinctam, cum practicæ, tum theoricæ beatitudinis conſiderationem. Ariſtot. in primo Nicom. c. 7. definiens ſummum hominis bonum dixit, *eſſe actionem animi ſecundum virtutem optimam ac perfectiſſimam in vita perfecta.* Quæ definitio ex dictis in præcedentibus facile colligitur. Iam enim oſtenſum eſt, ſummum hominis bonum in actione recta hominiſque propria eſſe poſitum, eſſe vitam optimam, eſſe perfectum aliquid, quod ex ſe ſit ſatis, ſolum ſui gratia optari, ei cætera inſeruire: quæ omnia, vna cum aliis conſenſione omnium ſummo bono competentibus, proculdubio actioni ex virtute optima prodeunti conueniunt. In hac definitione primo forma & eſſentia ſummi boni explicatur, mox declaratur efficiens, materies, & finis cui, alia cauſſa nec explicari debet, nec poteſt: finis enim cuius gratia aſſignari non debet, quia ſummum bonum ſolum ſui gratia optatur, non autem alterius gratia. Dum itaque inquit Ariſtoteles, quod ſummum hominis bonum eſt actio; ea actio cenſeri debet tanquam proxima forma ſummi boni, quæ nos intrinſecus perficit, contradiſtincta ab habitu & ab otio: quæ tamen relata ad ſummum bonum futuræ vitæ, ſolum eſſet præparatio. Propterea dixit Plotinus, *Virtutes non eſſe bonas, ſed vtiles, hoc eſt, non eſſe ſummum bonum, ſed nos parare & eleuare ad illud.*

Definitio ſummi boni αἰτιώδης.

Quæ cauſſæ explicentur.

Quod autem actio non debeat intelligi per modum cauſſæ: adeo vt ea dicatur ſummum bonum, quatenus eſt cauſſa gaudii, in quo ſit poſita eſſentia ſummi boni, iam cumulate in præcedentibus patefeci. Addebatur in definitione, quod eſſet actio animi: vt diſtingueretur ab actionibus corporis, & indicaretur ſummum bonum inter bona animi, quæ pręclariſſima ſunt, eſſe enumerandum, per animum denotans vel ex ſe, vel per aliud rationis compotem: & hæc eſt cauſſa efficiens. Nam cauſſa efficiens actionis (vt ad rem pertinet) triplex eſt: animus, homo, virtus: animus eſt principale principium agendi, virtus eſt ratio rectitudinis, per quam actio dicitur recta, quod indicatur ab Ariſtotele, cum dicat (ſecundum virtutem) quæ particula additur, vt contradiſtinguatur ab actionibus, vel vitio, vel ſine habitu virtutis elaboratis, homo demum virtute prædirus eſt principium integrum, completum, & adæquatum. Negat nonnunquam Ariſtoteles, vt in primo de anima, cont. 65. animam agere; nam aſſerit, *non animam, ſed hominem per animam ſentire & intelligere, & actiones aſſerit eſſe compoſitorum, & indiuiduorum*: at tunc conſiderat agens totum & adęquatum, non principale principium; hoc autem in loco conſiderat principale principium, primo actionis, mox rectitudinis, vt etiam, dum in tertio de anima, cont. 1. inquit: *De particula anima, qua anima intelligit, & in cont. 4. ait intellectum intelligere cuncta, &c.* Inſuper, cum ſummum bonum dicatur actio ex virtute prodiens, eaque ſit non tranſiens, ſed immanens, denotatur materies, quæ eſt & anima, & homo, cuius eſt perfectio: & cum hæc non ſit propriè materies, vt ea quæ eſt generationis, etiam eſt finis cui, vt conſpicuum eſt. Demum, vt conſtet perfectio eius formæ addit, *ſecundum virtutem optimam in ætate perfecta.*

Πράξεως tres ſunt cauſſæ.

Conciliatio dictorum Ariſtotelis.

Quid ſignificet Ariſtoteles per virtutem optimam, & perfectiſſimam. CAP. XXVIII.

CVm Ariſtoteles dicat ſummum hominis bonum eſſe actionem animi ſecundum virtutem perfectam, quid voce perfectæ virtutis ſignificet, non leuis eſt dubitatio, & viri docti varia dicunt. Nonnulli inquiunt per virtutem perfectam denotari prudentiam, ſine qua nulla virtus conſiſtere valet, quæ virtutibus omnibus in more poſitis medium circumſcribit, ac in earum definitione ponitur: Quæ ſententia vera non eſt; primo quia ſummum bonum finis eſt, prudentia, non finem, ſed ordinata in finem reſpicit, in illiſque verſatur. Pręterea actiones probæ non dicuntur eſſe actiones prudentiæ, niſi tanquam remoti principii; proxime autem prodeunt ex proprio aliquo virtutis habitu, vt ex temperantia, iuſtitia, & ſimilibus. Et confirmatur, quia

Digitized by Google

quia prælectionem ſequuntur, ab eaque præſertim conditionem recipiunt: at prudentia non conſtituit prælectionem, nec munere eius proprie præligimus id, quod præligendum eſt, ſed munere virtutum, quæ in more collocantur: neque etiam per prudentiam viri probi denominamur: probitas enim ex habitu & virtute in more poſita conſurgit. Propterea alii probabilius inquiunt, nomine perfectiſſimæ virtutis ſignificari iuſtitiam: quæ virtutum in more poſitarum eſt princeps, ac intra ſuos fines virtutes cæteras amplectitur: & propterea virtus vniuerſa, virtuſque perfecta ab Ariſtotele in quinto moralium Nicom. dicitur: *cætera enim, cum ad eam ſe habeant tanquam partes, conditionem quandam imperfecti ſeruant.* Proculdubio hæc opinio verior eſt priore, abſolute tamen vera cenſeri non debet, quoniam Ariſtoteles in primo moralium tradens eam ſummi boni definitionem, illam tradit vt communem omni felicitati, ſiue in actione, ſiue in contemplatione poſitæ. Quod patet ratione, quia primo communis finis proponendus, & explicandus fuit: patet auctoritate, quia Ariſtoteles in decimo Nicom. c. 6. & 7. loquuturus de ſummo bono in contemplatione poſito, accipit definitionem ſupra relatam, & ab eo in primo libro traditam, ac ex ea definitione elicit ſummum bonum in contemplatione poſitum; Inquit enim in c. 7. *Quod ſi felicitas eſt actio ſecundum virtutem, probabile eſt eam eſſe ſecundum præſtantiſſimam virtutem, atq; hac eius fuerit, quod in homine eſt optimum, &c.* ac ita deinde manifeſtat hanc virtutem optimam pertinere ad mentem, & definitionem illam, præcipue & proprie competere felicitati in contemplatione poſitæ: quod facere nec debuiſſet, nec valuiſſet, ſi definiens ſummum bonum, per virtutem abſolutiſſimam ac perfectiſſimam ſignificaſſet iuſtitiam. Hæc ratio (vt cenſeo) nedum ſuadet, verum cogit, & dilui non poteſt. Simili ratione euertitur opinio quorundam; qui cenſent nomine virtutis perfectæ denotari omnem virtutem habitu confirmatam, ſiue ſit principium agendi, ſiue efficiendi, ſiue contemplandi, de ratione enim cum habitus, tum virtutis, perfectio eſt. Et cum Ariſtoteles dicat (ſi plures ſint virtutes perfectæ, vt re vera ſunt plures, felicitas eſt actio ſecundum perfectiſſimam) hanc aiunt eſſe virtutem ciuilem ſiue moralem, & propterea aiunt Ariſtotelem in proœmio moralium Nicom. ciuilem ſcientiam omnibus prætuliſſe. Confirmant hanc ſuam ſententiam per verba quædam Metopi Pythagoræi: quæ profecto nullius ſunt roboris, propterea miſſa facio. Hæc inquam ſententia ſimili, qua prior, euertitur ratione, quia ſic ea definitio ſoli felicitati ciuili competeret, non ei, quæ in contemplatione eſt poſita: quod aperte (vt patuit) Ariſtoteli aduerſatur. Præterea ſi ea ſententia eſſet

Non denotari iuſtitiam vniuerſam.

Tertia opinio euertitur.

Digitized by Google

vera, falſum eſſet; quod virtus abſolute perfecta, omniumque perfectiſſima, eſſet virtus mentis, per quam contemplamur: cum tamen Ariſtoteles decimo libro, c. 7. huic principatum tribuat, variiſque rationibus confirmet. Quare (prætermiſſis aliorum opinionibus) pro explicatione eius partis definitionis tria dico. Vnum eſt, quod ea eſt definitio, non ſummi boni ciuilis, ſed ſummi boni vniuerſe ſumti, & contrahi poteſt ad vtramque partem ſummi boni. Alterum eſt, quod ea definitio primo, & abſolute, competit ſummo bono in contemplatione poſito; ſecundo loco ſummo bono ciuili. His addo, in communi definitione virtutem perfectiſſimam non eſſe contrahendam ad ſolam virtutem ciuilem, vel ad ſolam ſapientiam mentis; ſed indefinite eſſe ſumendam, vt prolata fuit ab Ariſtotele, & qui ſecus faciunt, quod facere videntur omnes, à vero, & ab Ariſtotele recedunt. Prima aſſertio ex eo eſt conſpicua: quia Ariſtoteles (vt patuit) in decimo moralium Nicom. c. 7. patefecit, eam definitionem competere, nedum ſummo bono ciuili, verum proprie ſummo bono contemplationis: ideo, data ea communi definitione in primo libro, declarauit Ariſtoteles deinde, nedum virtutes morales vſque ad ſextum librum, verum etiam virtutes ad rationem & mentem pertinentes in ſexto libro. Ita quoque conſpicua eſt ſecunda aſſertio, quod ea definitio primo & præcipue competat ſummo bono in contemplatione poſito, & iure profecto: Dum enim definitur id quod eſt ab vno, definitio ei debet præcipue & primo competere, quod primum eſt, ſecundo loco aliis: ſummum bonum eſt ab vno, & primum eſt illud, quod in contemplatione eſt poſitum, vt cõſtat ex decimo moralium: Ei igitur primo competere debet definitio, ſecundo autem loco ſummo bono morali. Nam felicitas eſt actio prodiens ex virtute perfecta: virtus dici poteſt perfecta, vel abſolute, & huiuſmodi eſt ſapientia, vel in genere moralium, & huiuſmodi eſt iuſtitia vniuerſa. Ambæ ſunt virtutes perfectæ, nedum, quia ſint habitus completi, quod artibus competere poteſt: verum inſuper, quia ſunt totum quoddam, non obtinens rationem partis, ſunt habitus poſtremi, ad vlteriorem virtutem non ordinati, & demum, quia nos cum poſtremo fine, nempe cum honeſto & vero, proxime nectunt. Ideo Ariſt. nomen perfectæ virtutis, nedum ſapientiæ conuenire aſſeruit in decimo moral. Nicom. verum etiam vniuerſæ iuſtitiæ, vt conſtat ex quinto libro, cap. 1. quo loci inquit: *Vniuerſa igitur iuſtitia virtus eſt illa quidem perfecta, non tamen ſimpliciter, neque abſolute, ſed ſi ad alterum referatur.* Et poſt pauca: *Ac perfectiſſima virtus eſt, quia perfectæ virtutis eſt vſus: Ideo autem eſt perfecta, quia qui ea præditus eſt, etiam cum aliis & erga alios, non ſecum ſolum, virtute vti poteſt, &c.* Inſuper in eodem

Opinio propria.

Prima aſſertio.

Secunda.

Tertia.

Prima aſſertio declaratur.

Declaratio ſecundæ aſſertionis.

Sapientia & vniuerſa iuſtitia vere ſunt virtutes perfectæ.

eodem cap. addit philoſophus: *Quocirca vno modo iura appellamus ea, quæ vitam beatam, eiuſque partes, ciuili ſocietate conciliare & conſeruare poſſunt, &c.* Sic aſſerit philoſophus, iuſtitiam vniuerſalem parere ſummum bonum. Ex quo conſtat, cum iuſtitiam vniuerſalem, tum ſapientiam (vario tamen modo) eſſe virtutem perfectam, abſolute tamen perfectam eſſe ſapientiam, & definitionem ſummi boni, primo & præcipue competere bono in contemplatione poſito; ſecundo vero, bono morali. Ex his elicitur demum poſtrema aſſertio, quod ſcil. in communi definitione ſummi boni virtus perfecta non ſit contrahenda ad aliquod definitum genus virtutis, alioquin ea definitio non competeret vtrique gradui ſummi boni. Dum igitur Ariſtoteles in primo moralium Nicom. c. 7. inquit; (Summum bonum eſt actio animi ſecundum virtutem) nomine virtutis intelligere debemus eam, quæ hominis propria eſt, cui natum eſt competere, vt ſit vere perfecta, vereque valeat perficere hominem, qualis eſt ciuilis, & inſpectrix: ea eſt perfectio appetitus ſenſuum, hæc vero mentis. Ex harum numero non ſunt artes, cum ſolum ſint vtiles, directæ ad aliud, & in earum vſu non ſit poſita perfectio, & finis hominis. Et cum addit (ac ſi plures virtutes ſint, ſecundum optimam & perfectiſſimam) per hæc verba patefacit philoſophus, quod, cum virtus, quæ hominem perficit, ſit duplex, ciuilis, & inſpectrix: quamuis actio vtriuſque ſit actio virtutis perfectæ, & modo aliquo ſit ſummum bonum, dum tamen inter vtraſque fit comparatio, abſolute optima eſt ſapientia, & in eius vſu ſummum bonum abſolute ſtatui debet: ea enim abſolute eſt finis poſtremus, vt conſtat ex decimo lib. moralium, c. 7. ac ita ſummum bonum eſt vnum, gradus vero eius ſunt duo, & vtriſque ordine quodam competit definitio.

Explicatio tertiæ aſſertionis.

Quid intelligere debeamus per vitam perfectam. CAP. XXIX.

Dicebat philoſophus, ſummum bonum eſſe actionem animi ſecundum virtutem abſolutiſſimam ac perfectiſſimam; præterea, in vita perfecta. Quæ autem ſit hæc vitæ perfectio, non facile conſtat. In 10. moralium, capite 8. inquit: *Si igitur ita eſt, perfecta ſane fuerit hæc animæ beatitudo, ſi perfectam vitæ longitudinem adepta ſit: nihil enim eorum, quæ ſunt beatitudinis, incoatum & imperfectum eſt, &c.* In primo autem libro capit. 7. inquit: *Vt enim vna hirundo ver non efficit, nec dies vnus, ſic neque dies vnus, neque exiguum tempus, efficit felicem & beatum.* Ex his elici poteſt explicatio vitæ perfectæ. Proculdubio per vitam perfectam non valemus intelligere totum vitæ curſum, quia pueri & adoleſcentes, nedum non valent eſſe fœlices, verum

Digitized by Google

etiam non ſunt idonei auditores ciuilis ſcientię. Ideo inquit Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ, cont. 39. *Vitam optimam Diis competere quidem ſemper, nobis autem exiguo tempore.* Epiſcopus Caſerta lib. 40. Euerſionis ſingularis certaminis (relatis, & reiectis aliorum expoſitionibus) inquit, per vitam perfectam duo denotari: per vitam denotari tempus longum, quatenus vita longo tempore menſuratur: per id quod additur, perfectam, ſignificari abundantem omnibus bonis, cum naturæ, tum fortunæ; ſine his enim non valet homo eſſe felix, & propterea per definitionem hæc munera patefieri debent, alioquin definitio imperfecta eſſet: & quia per nullam aliam particulam denotantur; ideo cogimur aſſerere, denotari per hanc poſtremam, ſine quibus vita non poteſt iudicari ſua perfectione prædita. Affert pro confirmatione nonnulla verba Philoſophi, quę re vera parum ei conducunt; & potius oppoſitum, quã propoſitum eius patefaciunt. Nam proculdubio eius explicatio cum a vero, tũ à recto loquẽdi modo longe abeſt. Quod facile patere poteſt: nedum perpendendo exempla ſumta ab hirundine, & à die vno ſereno ver nõ conſtituente; quæ ab eo potius peruertũtur, quam explicentur: verum inſuper conſiderando verba, quæ retuli ex 10 moraliũ, cap. 7. aperte enim ibi philoſophus ſuam ſententiam patefacit, cum dicat (perfecta ſane erit hæc animæ beatitudo, ſi longæ vitę perfectionem adepta fuerit) id enim, quod in libro primo dixerat vitam perfectam, in eo decimo nuncupat longæ vitæ perfectionem, adeo vt ſemetipſum lucidiſſime explicet, non autem id refert ad copiam bonorum naturæ, & fortunæ. Præterea nec vita proprie ſignificat tempus longũ; nec perfectio, quæ eſt vox communis multorum, proprie ſignificat copiam munerum naturæ & fortunæ, niſi per aliquid contrahatur. Nec per vitam ad id poteſt contrahi, quoniam ea non eſt propria vitæ affectio, proprie enim vita diuiditur in longam & breuem, perfectam & imperfectam. Demum (ceteris prætermiſſis) ex primo magnorum moralium, ca. 4. lucidiſſime elicimus euerſionem eius ſententię, & veram illius particulæ expoſitionem. Inquit enim philoſophus; *Cum igitur felicitas ſit bonum perfectum ac finis, nos latere non debet, id in ætate perfecta eſſe; non enim in puero* (quia nec puer dici felix poteſt) *ſed viro, is namque perfectus, & ne quidem in tempore imperfecto, ſed perfecto, perfectum fuerit vtique tempus, quamdiu homo viuere potuerit: recte namque à multis dicitur, felicem in longiſſimo vitæ tempore eſſe iudicandum, vt opus ſit perfectum eſſe, & in tempore perfecto, & in homine, &c.* Ex his luce clarius elicitur, quid ſignificauerit Ariſtoteles per vitam perfectam, denotauit enim perfectionem, cum ex parte ætatis, tum maxime ex parte tẽporis: vltima enim perfectio nil diminuti includere valet.

Opi. Epiſcopi Caſertæ.

Reijcitur eius opinio.

Perfectio vitæ ratione ætatis.

Ratione temporis.

Digitized by Google

valet. Expoſcit perfectionem ætatis, quæ puero non competit tunc ætas eſt perfecta ex parte generationis corporis, dum valet ſimile procreare: ex parte vero generationis filiorum animi, dum ratio efficax eſt, iudicium conſtans & acre, habitus firmi & permanentes; adeo vt actiones, quaſi natos, ſplendidiſſimas edere valeat. Expoſcit perfectionem temporis, quia vnicuiq; per naturam deſtinatus eſt terminus vitæ ſuæ: debet homo felix finem ſibi per naturam præfixum ſine impedimento attingere, & debet ante finem per aliquot annos cum virtutis habitu vitam duxiſſe, multaſque ac præclaras actiones edidiſſe. Hęc denotantur ab Ariſt. per vitam perfectam: vita enim eſt permanſio animæ in corpore, & actio ex ea prodiens; cuius perfectio in duobus nuper enumeratis collocata eſt, quæ duo ab Ariſt. in primo magnorum moralium luciditlime explicantur. Et pro notitia conſiderandum, varias ab Ariſt dari perfecti definitiones; nam in quarto Meteor. inquit, *perfectum eſſe, quod ſimile generat*; inſuper decimo Metaph. cont 13. *perfectum eſt, cui nil poteſt addi*; præterea ſecundo cœli. 23 *perfectum eſt illud, extra quod nil eorum accipi poteſt, quæ ipſius ſunt.* Quæ deſcriptiones ſatis aperte competunt perfectioni vitæ modo á me explicatæ. Nam ætati perfectę nil perfectionis addi poteſt: vitæ attingendi finem per naturam ei præfixum, nil per naturam addi poteſt: & demum, quia ex fine præſertim pendet perfectio, in vita á me explicata abſolutio finis optime eluceſcit. Requiritur ea temporis & ætatis perfectio, primo pro viro felici; vt diu ſummo bono, ac eius comite gaudio fruatur: dico diu, vt homini licet: nam; ſi referatur ad vitam ſummumq; bonum diuinarum mentium; illæ ſemper, nos exiguo tempore viuimus felices, vt dicitur in 12. Meta. 39. Inſuper requiritur, vt mundo refulgeat: & præcipue requiritur finis vitæ optimus, quoniam ille maxime ſeruatur memoria hominum, & ab eo præſertim denominatur vita perfecta vel imperfecta, miſera vel felix: non tamen ita requiritur ad ſummum bonum extenſio temporis, vt ratione extenſionis ea ſit intenſior; nam, ſecundum intenſionem ſummum bonum in indiuiduo temporis eſt poſitum: tempore creſcit ſecundum extenſionem, non intenſionem, conſiderando ſummum bonum poſt adeptionem eius. Verum obiiciet aliquis, ſi hæc vera ſunt, primo definitio ſummi boni erit diminuta; quia non includet copiam munerum naturæ, & fortunæ. Secundo, homo felix non poterit reddi non felix, etiamſi labatur in calamitates Priami: quia non eſt felix, niſi finem vltimum vitæ attingat: quare viuens non poterit priuari ſummo bono, quia adhuc non eſt illud aſſecutus. Tertio, tunc vera erit ſententia Solonis, neminem ante finem vitæ poſſe dici felicem: quam tamen in primo moral. Nicom.

Definitio Vitæ.

Variæ perfecti definitiones.

Cur requiratur ea perfectio.

Dubitatio prima.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

Solutio prima.

reiicit Ariſtoteles. De prima difficultate duo dico: primo, quod inſtrumenta non neceſſario ponuntur in definitione operis producti ab illis; ſed ſat eſt, vt ponantur principia principalia. Dico ſecundo, ea includi & denotari, dum dicitur, ſummum bonum eſſe actionem perfectiſſimę virtutis; nam, dum abſolute loquimur de his, quæ ſunt ab vno, præcipue primum denotatur: actio ex perfecta virtute prodiens eſt ab vno: principalis ea eſt, quæ caret omni impedimento, & nedum pro oblata oportunitate, ſed abſolute ex libera præelectione pendet, hæc non fit ſine inſtrumentis naturæ, & fortunæ: inquit enim Ariſt. c. 8. primi libri. *Nefas eſt namq; , aut certe difficile eum, cui nulla ſuppetunt facultates, res agere præclaras.* Propterea cum hæc actio ſignificetur, iure dictum eſt ea inſtrumenta includi & denotari, ſummum enim bonum eſt actio omni ex parte perfecta. Exactius autem explicari debent in definitione viri felicis, quia eſt non ſola forma, ſed concretum aliquod inſtrumentis vtens: propterea Ariſt. lib. 1. c. 10. cuncta latius explicans inquit: *Quid igitur obſtat eum felicem dicere, qui ſecundum virtutem perfectam operatur, boniſq; externis vt ſatis eſt abundat, non ad quodlibet tempus, ſed per totam vitam? An eodem etiam addere debemus, & ſit ita victurus, & mortem ei vitæ conuenienter obiturus? &c.* De ſecunda & tertia difficultate, quia tunc homo non poſſet priuari ſummo bono, nec eſſet felix ante exitum vitæ, dico, eſſe felicem contingere dupliciter, vel abſolute, vel pro tempore determinato: Homo, dum viuit, eſt felix pro tempore definito, at non abſolute, & vt eſt felix, ita poteſt felicitate priuari: At Ariſt. conſiderans & definiens ſummum bonum, ſeruat id, quod in cęteris ſeruare conſueuit, inſpicit enim optimum & abſolutiſſimum: vt loquens de demonſtratione, de oratore, & ſimilibus, fecit.

An homo ante obitum poſſit ex ſententia Ariſtotelis dici felix. Cap. XXX.

Dvm loquimur de ſummo bono, non futuræ, ſed præſentis vitæ, de quo verba fecit Ariſtoteles, pulcra occurrit dubitatio, quam tetigi in præcedente cap. an homo ante vltimum ſuæ vitæ finem valeat denominari felix, qua de re verba facit Ariſtoteles in 1. moralium Nicomachiorum, c. 10. Et iure dubitare debemus, quoniam ex vna parte viri docti affirmant, neminem ante finem poſſe dici beatum: de Theologis noſtris non eſt dubitatio, quia recte nouerunt, ſolum poſt obitum, & in futura vita poſſe hominem ſummo bono frui. Ex ſapientibus autem mundi dixit Solon Athenienſium legiſlator, vnuſque è ſeptem Græciæ ſapientibus, *neminem ante diem vltimum debere dici beatum, quod opera Crœſus pateſecit: qui cum primo fortuna aura ela-*

Theologi.

Solon.

ra elatus, Solonis ſententiam illam irriſiſſet; demum captus, pyraque vt combureretur miſere impoſitus, ter exclamans Solonem *commendauit*: quam ſententiam varii deinde approbarunt. Inquit Euripides in Andromacha: *Nunquam beatum appellaueris quenquam hominem, priuſquam videris vitæ extremum, quomodo è vita migrauit.* Et Sophocles in Tyndaro inquit: *Nunquam oportet felicem exiſtimare ſortem fortunati viri, priuſquam è vita migrauerit.* Et Dionyſius Tyrannus in Læda ait: *Nullus vnquam hominem mortalem beatum iudicet, antequam bene defunctum viderit: mortuum enim laudare tutum eſt.* Similiter Simonides inquit: *Homo exſiſtens, nunquam dixerit id quod futurum ſit: fit enim citius, quam muſca, mutatio conditionis vitæ hominis.* Dixit Sophocles: *Nondum appellato magnum; antequam defunctum videris.* Herodotus libro primo affirmauit: *Nondum beatum te appello, priuſquam bene vita defunctum te audiero.* Conſimilium ſententiarum fundamentum eſt inconſtantia & varietas fortunæ, nec non munerum naturæ; ſine quibus homo vitam hanc felicem ducere non valet. Et confirmatur, quia ſi felicitas præcipue expoſcit finem vitæ fortunatum, naturæque conſentaneum; de hoc nemo valet, dum viuit, eſſe certus: ſi quis enim diu felix fortunatuſque vixiſſet, & mortem miſeram, calamitoſam, ærumniſque variis circumfuſam obiiſſet; felicitatem ſuam non mediocriter obſcuraſſet. Ex aduerſo Stoici, qui fortunæ & naturæ nulla ratione ſubiici exiſtimarunt ſummum hominis bonum, iure aſſeruerunt etiam in vitæ curſu poſſe hominem iudicari felicem. Præterea rationi conſentaneum minime videtur; vt, dum adeſt affectio, ſubiectum per eam non denominetur; dum vero abeſt, denominetur: nam contrario de omnibus ſe habere, inductione eſt conſpicuum: dum calor eſt in aqua, denominatur calida, dum marceſcit calor, non amplius calida dicitur: quare ſimili ratione homo tunc debet denominari felix, dum ſummo bono fruitur; non autem, dum eo priuatur. Præterea inter conditiones ſummi boni hæc vna eſt, vt ſit firmum & conſtans, & nullum aliud bonum eo conſtantius nobis competere poſſit: at per cætera bona, dum adſunt, homo denominatur: quare longe magis, dum fruitur ſummo bono, meretur dici felix. Et confirmatur, quia tunc homo vel miſer, vel neuter, vel felix eſt; non miſer, non neuter, vt patet, quare eſt felix. Præterea ſummum bonum minime debet eſſe in naturæ vel fortunæ manibus collocatum, ſed in recta animi conſtitutione ac prælectione; numeratur enim inter bona animi; ſi enim fortunæ ſubiiceretur, eamque ſequeretur, continenter homo ex miſero in beatum, & ex beato in miſerum commutaretur. Quid itaque dicendum eſt? Sol-

Euripides. *Sophocles.* *Dionyſius.* *Simonides.* *Herodotus.* *Ratio.* *Pro parte aduerſa. Stoici.* *Solutio.*

uens difficultatem dico primo, ad ſummum bonum requiri tempus quoddam ſatis diuturnum; primo pro adeptione, ſecundo pro extenſione, tertio pro vſu, quarto pro confirmatione, demum, vt illuſtrius mundo refulgeat; non autem requiri pro intenſione. Addo ſecundo, hominem denominari felicem duplici modo: primo abſolute, ac ita ante finem nemo abſolute poteſt dici felix, niſi cum hac additione; quod ita viuat, & mortem ei vitæ congruentem obeat: ſecundo Barbari dicunt pro tunc, pro aliquo definito tempore; ac ita profecto contingit. Demum addo quod aliud eſt, hominem eſſe felicem, & tuto denominari poſſe fuiſſe felicem: in exitu vitæ deſinit homo (quatenus ad illum pertinet) eſſe felix; valent tamen tunc qui ſuperſunt, certo iudicare, & tuto aſſerere, eum fuiſſe felicem: in qua ſignificatione vulgo dicitur, vitam fine, diem veſpere laudari. Ita patet, ſententiam Solonis duplici conſideratione eſſe veram: primo, cum Platone & Theologis conſiderando ſummum bonum futuræ vitæ; quo nemo fruitur, dum hanc vitam viuit: ſecundo, cum Ariſt. conſiderando ſummum bonum præſentis vitæ; quatenus nemo abſolute & tuto iudicari & denominari poteſt felix dum viuit, quamuis pro eo tempore felix ſit. Ex his eliciuntur ſolutiones rationum vtriuſq; partis. Nam ſummum huius vitæ bonum, eſt complicatum cum natura & fortuna per inſtrumenta eius: nec propterea ita variatur ſummum bonum, vt variatur fortuna: quia eſſentia eius poſita eſt in actione proba, non in proſperitate fortunæ: exigua fortunæ permutatio non labefactat felicitatem: at ſi maxima eſſet, poſſet hominem non quidem reddere infelicem (ſolus enim homo poteſt ſeipſum miſerum & infelicem reddere) ſed priuare felicitate: quia non ad votum, ac, vt abſolute optaret, valeret actiones præclaras edere. Dum ſummum bonum dicitur firmum, conſtans, & immutabile, id eſt, verum: primo, quia denotat difficultatem: ſecundo, facta comparatione cum cæteris humanis bonis, quę ſunt inconſtantiora: tertio, quia in miſeriam ſibi contrariam non conuertitur.

An in hominis obitu aboleatur etiam ſummum bonum eius.

CAP. XXXI.

Per obitum non aboleri ſummum bonum.

QVoniam ſermo nobis eſt de ſummo hominis bono hanc vitam viuentis, propterea oritur hęc dubitatio: an per obitum viri felicis aboleatur ſummum eius bonum. Ex ſententia cum Platonis, tum Theologorum dicimus, id nedum non aboleri, ſed perfici: ſummum enim bonum huius vitæ eatenus eſt bonum, quatenus nos ducit ad ſummum bonum futuræ vitæ. Verum ex ſententia Ariſtotelis quid ſit dicendum, magis eſt dubium. Ex vna parte apparet, quod ſeruari debeat. Primo, quia

niſi ſeruaretur, tunc vir felix per nullam oblatam occaſionem deberet recta ductus ratione mortem præeligere; alioquin præeligeret interitum ſummi boni. Præterea ſententia eſt Ariſtotelis in primo moralium Nicom. c. 11. quod; cum vir felix diem vltimum obierit; ea, quæ poſteris & amicis eius accidunt, ſi magna fuerint, valent vel illuſtrare vel obſcuram reddere felicitatem defuncti: at hoc facere non poſſent, niſi ea ſeruaretur; non enim id, quod non eſt, lædi poteſt. Ex aduerſo, quod ſummum bonum euaneſcat, patet primo: Quia 12. Metaph. cont. 39. ait, *ſummum bonum nobis exiguo tempore competere*; ac in tertio de anima cont. 20. ait, *in obitu ſcientiam aboleri, quia anima ſine phantaſia nihil intelligit.* Confirmatur, quia ex primo de anima cont. 65. non anima intelligit, ſed homo; non anima agit, ſed homo: quare, pereunte homine, habitus eiuſque actio, in qua ſummum bonum eſt poſitum, neceſſario euaneſcunt: dicitur tamen ſeruari duplici modo: primo, munere memoriæ, & communis vocis hominum: ſecundo, ratione inſtrumentorum & externarum quarundam partium ſummi boni, vel ſaltem comitantium ſummum bonum, quales ſunt filii, cognati, amici, opes, magnifici ſumtus, cæteraque præclara opera. Hæc adeo ſunt connexa cum ſummo bono, vt videantur eſſe modo aliquo partes eius: ideo poſteris ſemper offerunt modo aliquo illud, ad quæ conuerſi, ratione varietatis fortunæ, modo fulgere, modo obſcurari inquiunt felicitatem defuncti. Et propterea videmus, viros prudentes teſtamentis & codicillis diſponere, ordinare, & mandare, quid poſt obitum de bonis ſuis ſit faciendum, tanquam de attinentibus ad eos: & qui more Diogenis & Socratis negligunt penitus illa, quæ ad corpus, ad funera, ad ſepulcra, cæteraque huiuſmodi pertinent, ciuilem felicitatem negligunt, & communibus populorum opinionibus aduerſantur, quas tamen ciuilis homo negligere non debet. Colligamus itaque, in obitu viri felicis (ex ſententia Ariſtotelis) aboleri eſſentiam ſummi boni, ſeruari ſolum memoriam, comitantia nonnulla, inſtrumenta, & opera quædam externa. At inſtabatur, quia ſic nunquam licebit virum felicem recta ductum ratione præeligere mortem. Reſpondeo, hoc minime ſequi, quoniam potius ei mors eſt præeligenda, quam ſcelus aliquod magnum patrandum: quia ſi ſcelus patraret, maxime euerteret ſummum bonum, quatenus illud in miſeriam conuerteret, ſi autem præclara morte præclarum ei finem imponeret, ea præclara actione ſummum bonum (vt ei licet) illuſtraret. Altera inſtantia erat: quia, ſi ſummum bonum periret, ea, quæ poſteris accidunt, non pertinerent ad defunctum, nec eius ſummum bonum illuſtrarent, vel obſcurarent. Reſpondeo

Per obitum aboleri.

Colligitur ſolutio.

Diluitur aduerſa ratio.

illique reddamur ſimiles; proculdubio deſtituti eius cognitione, neſcimus quo tendimus, ambulamus in tenebris; & quaſi deſtituti cognitione borealis poli, hanc noſtram vitæ nauigationem fortunate abſoluere non valemus: vt mira conſenſione Theologi noſtri patefaciunt. Ex his conſtat, ſatis leuia eſſe, quæ ab Ariſtotele Socrati & Platoni obiiciuntur. Sed condonemus aliquid exactæ eruditioni, eminentique ingenio Ariſtotelis: & dicamus id ab eo fuiſſe factum; ob affinitatem ſummi boni pro obiecto, ac pro interna noſtra perfectione ſumti: Inſuper id fuiſſe factum, ne quiſpiam male accipiens ſententiam Platonis erraret: demum, vt ſe excuſaret, quia ideam & ſeparatum quoddam bonum non primo propoſuerat & declarauerat. Perpendamus demum, an re vera diſſentiat à Platone; vel potius in ſolis verbis, diſtinctoque conſiderationis modo vniuerſa controuerſia ſit poſita. Quam longe à vero recedant illi, qui cenſent Ariſtotelem cum Platone de omnibus conſentire, conciliarique poſſe; alibi abunde patefeci. Vt autem præſenti inſtituto inſeruit, dico Ariſtotelem; nec ideas concedere ad mentem pertinentes, nec mentem primam à Deo ſecreuiſſe, vt faciunt principales Platonici; nec nouiſſe bonum alterius vitæ ad hominem, vel ad eius animam pertinens, nec putaſſe animam interuentu mentis, ac operationum & idearum, eleuari ad ſummum bonum, & connecti cum eo: ſed connexionem longe ſecus fieri cenſuiſſe, vt ſuo loco patebit: de his proculdubio adeo diſſentiunt, vt nulli conciliationi relinquatur locus. Conſentiunt tamen, quia ambo primum principium vnum ſtatuunt, illudque ſummum bonum affirmant, ac eſſe cenſent externum ſcopum, & obiectum ſummi noſtri boni, cui nitendum nobis eſt pro facultate reddi ſimiles: eius tamen incomparabilem fœcunditatem per omnia natam effundi & propagari, Plato appellat nomine ideæ boni; quo nomine Ariſt. vtendum non cenſuit. Quod Plato cenſuerit, ſummum illud bonum eſſe obiectum & ſcopum humanæ felicitatis, imo formam vltimam poſtremamque perfectionem; ex dictis in præcedentibus conſpicuum eſt. Quod autem etiam Ariſtoteles id fateri cogatur, patet primo ex 7. lib. moral. Nicom. c. 13. vbi hæc protulit verba: *Fortaſſe vero etiam omnia ſequuntur, non eam quam putant voluptatem, neque eam quam dixerint; ſed eandem, in omnibus enim diuinum quiddam ineſt natura.* [illegible] dicauit Ariſtoteles, *omnia per naturam conſpirare & tendere ad idem commune bonum.* Inſuper clarius id colligitur ex lib. [illegible] quo loci inquit Philoſophus: *Qui muneribus fungitur [illegible] meis, & hanc colit, eſtque optime animo affectus, eum [illegible] Deo cariſſimum eſſe: nam ſi Dii immortales curam ha[illegible] humanarum, quemadmodum veriſimile eſt, illud*

quoque

quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, ſibiq; maxime cognata delectari (hæc autem mens fuerit) *iiſq; qui hanc maxime diligunt, & plurimi faciunt, præmia perſoluere, &c.* Cum vir ſapiens & felix dicatur amicus Deo, ac ab eo præmia recipere; hoc alia ratione non euenit, niſi quia eſt obiectum, quod in omni noſtra actione quærimus. Quod lucidius confirmatur per dicta in 12. metaph. cont. 39. vbi affectio optima, quæ ſeparatis mentibus ſemper competit, dicitur nobis per aliquod tempus conuenire, ea autem eſt connexio cum ſummo bono. Ita in cont. 52. indicauit bonum in vniuerſo reperiri, & ſeparatum, & in ordine rerum: bonum autem, quod eſt in ordine rerum, ad bonum primum & ſeparatum dirigitur; ex quo etiam pendet. Conſtat itaque (vt ad ſententiam ideæ ſummi boni pertinet) Platonem cum Theologis apertiſſime conuenire: Ariſtotelem autem ab eo verbis potius, quam ſententia diſſentire.

Definitio humanæ felicitatis ex ſententia Ariſtotelis.

CAP. XXVII.

CVm in præcedentibus varia ſint explicata ad communem notitiam eſſentiæ ſummi boni pertinentia, vt ad propria quædam deſcendere valeamus, definitionem eius tenemur referre ac perpendere: ita enim nobis offeretur occaſio; primo conſiderandi partes eius, mox per diuiſionem deſcendendi ad diſtinctam, cum practicæ, tum theoricæ beatitudinis conſiderationem. Ariſtot. in primo Nicom. c. 7. definiens ſummum hominis bonum dixit, *eſſe actionem animi ſecundum virtutem optimam ac perfectiſſimam in vita perfecta.* Quæ definitio ex dictis in præcedentibus facile colligitur. Iam enim oſtenſum eſt, ſummum hominis bonum in actione recta hominiſque propria eſſe poſitum, eſſe vitam optimam, eſſe perfectum aliquid, quod ex ſe ſit ſatis, ſolum ſui gratia optari, ei cætera inſeruire: quæ omnia, vna cum aliis conſenſione omnium ſummo bono competentibus, proculdubio actioni ex virtute optima prodeunti conueniunt. In hac definitione primo forma & eſſentia ſummi boni explicatur, mox declaratur efficiens, materies, & finis cui, alia cauſſa nec explicari debet, nec poteſt: finis enim cuius gratia aſſignari non debet, quia ſummum bonum ſolum ſui gratia optatur, non autem alterius gratia. Dum itaque inquit Ariſtoteles, quod ſummum hominis bonum eſt actio; ea actio cenſeri debet tanquam proxima forma ſummi boni, quæ nos intrinſecus perficit, contradiſtincta ab habitu & ab otio: quæ tamen relata ad ſummum bonum futuræ vitæ, ſolum eſſet præparatio. Propterea dixit Plotinus, *Virtutes non eſſe bonas, ſed vtiles, hoc eſt, non eſſe ſummum bonum, ſed nos parare & eleuare ad illud.*

Definitio ſummi boni αἰτιώδης.

Quæ cauſſæ explicentur.

Digitized by Google

Quod autem actio non debeat intelligi per modum cauſſæ: adeo vt ea dicatur ſummum bonum, quatenus eſt cauſſa gaudii, in quo ſit poſita eſſentia ſummi boni, iam cumulate in præcedentibus pateſeci. Addebatur in definitione, quod eſſet actio animi: vt diſtingueretur ab actionibus corporis, & indicaretur ſummum bonum inter bona animi, quæ pręclariſſima ſunt, eſſe enumerandum, per animum denotans vel ex ſe, vel per aliud rationis compotem: & hæc eſt cauſſa efficiens. Nam cauſſa efficiens actionis (vt ad rem pertinet) triplex eſt: animus, homo, virtus: animus eſt principale principium agendi, virtus eſt ratio rectitudinis, per quam actio dicitur recta, quod indicatur ab Ariſtotele, cum dicat (ſecundum virtutem) quæ particula additur, vt contradiſtinguatur ab actionibus, vel vitio, vel ſine habitu virtutis elaboratis, homo demum virtute prædirus eſt principium integrum, completum, & adæquatum. Negat nonnunquam Ariſtoteles, vt in primo de anima, cont. 65. animam agere; nam aſſerit, *non animam, ſed hominem per animam ſentire & intelligere, & actiones aſſerit eſſe compoſitorum, & indiniduorum*: at tunc conſiderat agens totum & adęquatum, non principale principium; hoc autem in loco conſiderat principale principium, primo actionis, mox rectitudinis, vt etiam, dum in tertio de anima, cont. 1. inquit: *De particula animæ, qua anima intelligit, & in cont. 4. ait intellectum intelligere cuncta, &c.* Inſuper, cum ſummum bonum dicatur actio ex virtute prodiens, eaque ſit non tranſiens, ſed immanens, denotatur materies, quæ eſt & anima, & homo, cuius eſt perfectio: & cum hæc non ſit proprie materies, vt ea quæ eſt generationis, etiam eſt finis cui, vt conſpicuum eſt. Demum, vt conſtet perfectio eius formæ addit, *ſecundum Virtutem optimam in ætate perfecta.*

Πράξεως tres ſunt cauſſæ.

Conciliatio dictorum Ariſtotelis.

Quid ſignificet Ariſtoteles per virtutem optimam, & perfectiſſimam. CAP. XXVIII.

CVm Ariſtoteles dicat ſummum hominis bonum eſſe actionem animi ſecundum virtutem perfectam, quid voce perfectæ virtutis ſignificet, non leuis eſt dubitatio, & viri docti varia dicunt. Nonnulli inquiunt per virtutem perfectam denotari prudentiam, ſine qua nulla virtus conſiſtere valet, quæ virtutibus omnibus in more poſitis medium circumſcribit, ac in earum definitione ponitur: Quæ ſententia vera non eſt; primo quia ſummum bonum finis eſt, prudentia, non finem, ſed ordinata in finem reſpicit, in illiſque verſatur. Prętерea actiones probæ non dicuntur eſſe actiones prudentiæ, niſi tanquam remoti principii; proxime autem prodeunt ex proprio aliquo virtutis habitu, vt ex temperantia, iuſtitia, & ſimilibus. Et confirmatur, quia

quia prælectionem ſequuntur, ab eaque præſertim conditionem recipiunt: at prudentia non conſtituit prælectionem, nec munere eius proprie præligimus id, quod præligendum eſt, ſed munere virtutum, quæ in more collocantur: neque etiam per prudentiam viri probi denominamur: probitas enim ex habitu & virtute in more poſita conſurgit. Propterea alii probabilius inquiunt, nomine perfectiſſimæ virtutis ſignificari iuſtitiam: quæ virtutum in more poſitarum eſt princeps, ac intra ſuos fines virtutes cæteras amplectitur: & propterea virtus vniuerſa, virtuſque perfecta ab Ariſtotele in quinto moralium Nicom. dicitur: *cætera enim, cum ad eam ſe habeant tanquam partes, conditionem quandam imperfecti ſeruant.* Proculdubio hæc opinio verior eſt priore, abſolute tamen vera cenſeri non debet, quoniam Ariſtoteles in primo moralium tradens eam ſummi boni definitionem, illam tradit vt communem omni felicitati, ſiue in actione, ſiue in contemplatione poſitæ. Quod patet ratione, quia primo communis finis proponendus, & explicandus fuit: patet auctoritate, quia Ariſtoteles in decimo Nicom. c. 6. & 7. loquuturus de ſummo bono in contemplatione poſito, accipit definitionem ſupra relatam, & ab eo in primo libro traditam, ac ex ea definitione elicit ſummum bonum in contemplatione poſitum; Inquit enim in c. 7. *Quod ſi felicitas eſt actio ſecundum virtutem, probabile eſt eam eſſe ſecundum præſtantiſſimam virtutem, atq; hæc eius fuerit, quod in homine eſt optimum, &c.* ac ita deinde manifeſtat hanc virtutem optimam pertinere ad mentem, & definitionem illam, præcipue & proprie competere felicitati in contemplatione poſitæ: quod facere nec debuiſſet, nec valuiſſet, ſi definiens ſummum bonum, per virtutem abſolutiſſimam ac perfectiſſimam ſignificaſſet iuſtitiam. Hæc ratio (vt cenſeo) nedum ſuadet, verum cogit, & dilui non poteſt. Simili ratione euertitur opinio quorundam; qui cenſent nomine virtutis perfectæ denotari omnem virtutem habitu confirmatam, ſiue ſit principium agendi, ſiue efficiendi, ſiue contemplandi, de ratione enim cum habitus, tum virtutis, perfectio eſt. Et cum Ariſtoteles dicat (ſi plures ſint virtutes perfectæ, vt re vera ſunt plures, felicitas eſt actio ſecundum perfectiſſimam) hanc aiunt eſſe virtutem ciuilem ſiue moralem, & propterea aiunt Ariſtotelem in procemio moralium Nicom. ciuilem ſcientiam omnibus prætuliſſe. Confirmant hanc ſuam ſententiam per verba quædam Metopi Pythagorei: quæ profecto nullius ſunt roboris, propterea miſſa facio. Hæc inquam ſententia ſimili, qua prior, euertitur ratione, quia ſic ea definitio ſoli felicitati ciuili competeret, non ei, quæ in contemplatione eſt poſita: quod aperte (vt patuit) Ariſtoteli aduerſatur. Præterea ſi ea ſententia eſſet

Non denotari iuſtitiam vniuerſam.

Tertia opinio euertitur.

Digitized by Google

vera, falſum eſſet; quod virtus abſolute pe
perfectiſſima, eſſet virtus mentis, per qu
cum tamen Ariſtoteles decimo libro, c. 7. h
Opinio propria. buat, variiſque rationibus confirmet. Qua
rum opinionibus) pro explicatione eius p
Prima aſſertio. dico. Vnum eſt, quod ea eſt definitio, no
ſed ſummi boni vniuerſe ſumti, & contrab
Secunda. partem ſummi boni. Alterum eſt, quod ea
Tertia. abſolute, competit ſummo bono in conte
cundo loco ſummo bono ciuili. His addo
tione virtutem perfectiſſimam non eſſe
lam virtutem ciuilem, vel ad ſolam ſapient
finite eſſe ſumendam, vt prolata fuit ab Ar
faciunt, quod facere videntur omnes, à ver
Prima aſſertio declaratur. cedunt. Prima aſſertio ex eo eſt conſpicua
patuit) in decimo moralium Nicom. c. 7.
tionem competere, nedum ſummo bono
ſummo bono contemplationis: ideo, dat
tione in primo libro, declarauit Ariſtotele
tutes morales vſque ad ſextum librum, ver
Declaratio ſecunda aſſertionis. rationem & mentem pertinentes in ſext
conſpicua eſt ſecunda aſſertio, quod ea def
pue competat ſummo bono in contempla
profecto: Dum enim definitur id quod e
debet præcipue & primo competere, quod
Sapientia & vniuerſa iuſtitia vere ſunt virtutes perfecta. loco aliis: ſummum bonum eſt ab vno, & p
in contemplatione eſt poſitum, vt cōſtat e
Ei igitur primo competere debet definitio
co ſummo bono morali. Nam felicitas eſt
tute perfecta: virtus dici poteſt perfecta,
modi eſt ſapientia, vel in genere moraliun
ſtitia vniuerſa. Ambæ ſunt virtutes perfec
habitus completi, quod artibus competer
per, quia ſunt totum quoddam, non obtin
ſunt habitus poſtremi, ad vlteriorem virtu
demum, quia nos cum poſtremo fine, ne
vero, proxime nectunt. Ideo Ariſt. nomen
dum ſapientiæ conuenire aſſeruit in decim
rum etiam vniuerſæ iuſtitiæ, vt conſtat ex
quo loci inquit: *Vniuerſa igitur iuſtitia virt*
cta, non tamen ſimpliciter, neque abſolute, ſed
Et poſt pauca: *Ac perfectiſſima virtus eſt, q*
vſus: Ideo autem eſt perfecta, quia qui ea præd
bus & erga alios, non ſecum ſolum, virtute vti p

Digitized by Google

eodem cap. addit philoſophus: *Quocirca vno modo iura appellamus ea, quæ vitam beatam, eiuſque partes, ciuili ſocietate conciliare & conſeruare poſſunt, &c.* Sic aſſerit philoſophus, iuſtitiam vniuerſalem parere ſummum bonum. Ex quo conſtat, cum iuſtitiam vniuerſalem, tum ſapientiam (vario tamen modo) eſſe virtutem perfectam, abſolute tamen perfectam eſſe ſapientiam, & definitionem ſummi boni, primo & præcipue competere bono in contemplatione poſito; ſecundo vero, bono morali. Ex his elicitur demum poſtrema aſſertio, quod ſcil. in communi definitione ſummi boni virtus perfecta non ſit contrahenda ad aliquod definitum genus virtutis, alioquin ea definitio non competeret vtrique gradui ſummi boni. Dum igitur Ariſtoteles in primo moralium Nicom. c. 7. inquit; (Summum bonum eſt actio animi ſecundum virtutem) nomine virtutis intelligere debemus eam, quæ hominis propria eſt, cui natum eſt competere, vt ſit vere perfecta, vereque valeat perficere hominem, qualis eſt ciuilis, & inſpectrix: ea eſt perfectio appetitus ſenſuum, hæc vero mentis. Ex harum numero non ſunt artes, cum ſolum ſint vtiles, directæ ad aliud, & in earum vſu non ſit poſita perfectio, & finis hominis. Et cum addit (ac ſi plures virtutes ſint, ſecundum optimam & perfectiſſimam) per hæc verba patefacit philoſophus, quod, cum virtus, quæ hominem perficit, ſit duplex, ciuilis, & inſpectrix: quamuis actio vtriuſque ſit actio virtutis perfectæ, & modo aliquo ſit ſummum bonum, dum tamen inter vtraſque ſit comparatio, abſolute optima eſt ſapientia, & in eius vſu ſummum bonum abſolute ſtatui debet: ea enim abſolute eſt finis poſtremus, vt conſtat ex decimo lib. moralium, c. 7. ac ita ſummum bonum eſt vnum, gradus vero eius ſunt duo, & vtriſque ordine quodam competit definitio.

Explicatio tertiæ aſſertionis.

Quid intelligere debeamus per vitam perfectam.
CAP. XXIX.

DIcebat philoſophus, ſummum bonum eſſe actionem animi ſecundum virtutem abſolutiſſimam ac perfectiſſimam; præterea, in vita perfecta. Quæ autem ſit hæc vitæ perfectio, non facile conſtat. In 10. moralium, capite 8. inquit: *Si igitur ita eſt, perfecta ſane fuerit hæc animæ beatitudo, ſi perfectam vitæ longitudinem adepta ſit: nihil enim eorum, quæ ſunt beatitudinis, incoatum & imperfectum eſt, &c.* In primo autem libro capit. 7. inquit: *Vt enim vna hirundo ver non efficit, nec dies vnus, ſic neque dies vnus, neque exiguum tempus, efficit felicem & beatum.* Ex his elici poteſt explicatio vitæ perfectæ. Proculdubio per vitam perfectam non valemus intelligere totum vitæ curſum, quia pueri & adoleſcentes, nedum non valent eſſe fœlices, verum

Digitized by Google

etiam non ſunt idonei auditores ciuilis ſcientię. Ideo inquit Ariſtoteles 12 Metaphyſicæ, cont. 39. *Vitam optimam Diis competere quidem ſemper, nobis autem exiguo tempore.* Epiſcopus Caſerta lib. 40. Euerſionis ſingularis certaminis (relatis, & reiectis aliorum expoſitionibus) inquit, per vitam perfectam duo denotari: per vitam denotari tempus longum, quatenus vita longo tempore menſuratur: per id quod additur, perfectam, ſignificari abundantem omnibus bonis, cum naturæ, tum fortunæ; ſine his enim non valet homo eſſe felix, & propterea per definitionem hæc munera patefieri debent, alioquin definitio imperfecta eſſet: & quia per nullam aliam particulam denotantur; ideo cogimur aſſerere, denotari per hanc poſtremam, ſine quibus vita non poteſt iudicari ſua perfectione prædita. Affert pro confirmatione nonnulla verba Philoſophi, quę re vera parum ei conducunt; & potius oppoſitum, quã propoſitum eius patefaciunt. Nam proculdubio eius explicatio cum à vero, tũ à recto loquẽdi modo longe abeſt. Quod facile patere poteſt: nedum perpendendo exempla ſumta ab hirundine, & à die vno ſereno ver nõ conſtituente; quæ ab eo potius peruertũtur, quam explicentur: verum inſuper conſiderando verba, quæ retuli ex 10 moraliũ, cap. 7. aperte enim ibi philoſophus ſuam ſententiam patefacit, cum dicat (perfecta ſane erit hæc animæ beatitudo, ſi longæ vitę perfectionem adepta fuerit) id enim, quod in libro primo dixerat vitam perfectam, in eo decimo nuncupat longæ vitæ perfectionem, adeo vt ſemetipſum lucidiſſime explicet, non autem id refert ad copiam bonorum naturæ, & fortunæ. Præterea nec vita proprie ſignificat tempus longũ; nec perfectio, quæ eſt vox communis multorum, proprie ſignificat copiam munerum naturæ & fortunæ, niſi per aliquid contrahatur. Nec per vitam ad id poteſt contrahi, quoniam ea non eſt propria vitæ affectio, proprie enim vita diuiditur in longam & breuem, perfectam & imperfectam. Demum (ceteris prætermiſſis) ex primo magnorum moralium, ca. 4. lucidiſſime elicimus euerſionem eius ſententię, & veram illius particulæ expoſitionem. Inquit enim philoſophus; *Cum igitur felicitas ſit bonum perfectum ac finis, nos latere non debet, id in ætate perfecta eſſe; non enim in puero* (quia nec puer dici felix poteſt) *ſed viro, is namque perfectus, & ne quidem in tempore imperfecto, ſed perfecto, perfectum fuerit vtique tempus, quamdiu homo viuere potuerit: recte namque à multis dicitur, felicem in longiſſimo vitæ tempore eſſe iudicandum, vt opus ſit perfectum eſſe, & in tempore perfecto, & in homine, &c.* Ex his luce clarius elicitur, quid ſignificauerit Ariſtoteles per vitam perfectam, denotauit enim perfectionem, cum ex parte ætatis, tum maxime ex parte tẽporis: vltima enim perfectio nil diminuti includere valet.

Opi. Epiſcopi Caſertæ.

Reijcitur eius opinio.

Perfectio vitæ ratione ætatis.

Ratione temporis.

Digitized by Google

valet. Expoſcit perfectionem ætatis, quæ puero non competit tunc ætas eſt perfecta ex parte generationis corporis, dum valet ſimile procreare: ex parte vero generationis filiorum animi, dum ratio efficax eſt, iudicium conſtans & acre, habitus firmi & permanentes; adeo vt actiones, quaſi natos, ſplendidiſſimas edere valeat. Expoſcit perfectionem temporis, quia vnicuiq; per naturam deſtinatus eſt terminus vitæ ſuæ: debet homo felix finem ſibi per naturam præfixum ſine impedimento attingere, & debet ante finem per aliquot annos cum virtutis habitu vitam duxiſſe, multaſque ac præclaras actiones edidiſſe. Hęc denotantur ab Ariſt. per vitam perfectam: vita enim eſt permanſio animæ in corpore, & actio ex ea prodiens; cuius perfectio in duobus nuper enumeratis collocata eſt, quæ duo ab Ariſt. in primo magnorum moralium lucidiſſime explicantur. Et pro notitia conſiderandum, varias ab Ariſt. dari perfecti definitiones; nam in quarto Meteor. inquit, *perfectum eſſe, quod ſimile generat*; inſuper decimo Metaph. cont 13. *perfectum eſt, cui nil poteſt addi*; præterea ſecundo cœli. 23 *perfectum eſt illud, extra quod nil eorum accipi poteſt, quæ ipſius ſunt*. Quæ deſcriptiones ſatis aperte competunt perfectioni vitæ modo á me explicatæ. Nam ætati perfectę nil perfectionis addi poteſt: vitæ attingendi finem per naturam ei præfixum, nil per naturam addi poteſt: & demum, quia ex fine præſertim pendet perfectio, in vita á me explicata abſolutio finis optime eluceſcit. Requiritur ea temporis & ætatis perfectio, primo pro viro felici; vt diu ſummo bono, ac eius comite gaudio fruatur: dico diu, vt homini licet: nam; ſi referatur ad vitam ſummumq; bonum diuinarum mentium; illæ ſemper, nos exiguo tempore viuimus felices, vt dicitur in 12. Meta. 39. Inſuper requiritur, vt mundo refulgeat: & præcipue requiritur finis vitæ optimus, quoniam ille maxime ſeruatur memoria hominum, & ab eo præſertim denominatur vita perfecta vel imperfecta, miſera vel felix: non tamen ita requiritur ad ſummum bonum extenſio temporis, vt ratione extenſionis ea ſit intenſior; nam, ſecundum intenſionem ſummum bonum in indiuiduo temporis eſt poſitum: tempore creſcit ſecundum extenſionem, non intenſionem, conſiderando ſummum bonum poſt adeptionem eius. Verum obiiciet aliquis, ſi hæc vera ſunt, primo definitio ſummi boni erit diminuta; quia non includet copiam munerum naturæ, & fortunæ. Secundo, homo felix non poterit reddi non felix, etiamſi labatur in calamitates Priami: quia non eſt felix, niſi finem vltimum vitæ attingat: quare viuens non poteſt priuari ſummo bono, quia adhuc non eſt illud aſſecutus. Tertio, tunc vera erit ſententia Solonis, neminem ante finem vitæ poſſe dici felicem: quam tamen in primo moral. Nicom.

Definitio Vitæ.

Varia perfecti definitiones.

Cur requiratur ea perfectio.

Dubitatio prima. ſecunda.

Tertia.

Solutio prima.

reiicit Ariſtoteles. De prima difficultate duo dico: primo, quod inſtrumenta non neceſſario ponuntur in definitione operis producti ab illis; ſed ſat eſt, vt ponantur principia principalia. Dico ſecundo, ea includi & denotari, dum dicitur, ſummum bonum eſſe actionem perfectiſſimę virtutis; nam, dum abſolute loquimur de his, quæ ſunt ab vno, præcipue primum denotatur: actio ex perfecta virtute prodiens eſt ab vno: principalis ea eſt, quæ caret omni impedimento, & nedum pro oblata opportunitate, ſed abſolute ex libera præelectione pendet, hæc non fit ſine inſtrumentis naturæ, & fortunæ: inquit enim Ariſt. c. 8. primi libri *Nefas eſt namq;, aut certe difficile eum, cui nulla ſuppetunt facultates, res agere præclares.* Propterea cum hæc actio ſignificetur, iure dictum eſt ea inſtrumenta includi & denotari, ſummum enim bonum eſt actio omni ex parte perfecta. Exactius autem explicari debent in definitione viri felicis, quia eſt non ſola forma, ſed concretum aliquod inſtrumentis vtens: propterea Ariſt. lib. 1. c. 10. cuncta latius explicans inquit: *Quid igitur obſtat eum felicem dicere, qui ſecundum virtutem perfectam operatur, boniſq; externis vt ſatis eſt abundat, non ad quodlibet tempus, ſed per totam vitam? An eodem etiam addere debemus, & ſit ita victurus, & mortem ei vitæ conuenienter obiturus? &c.* De ſecunda & tertia difficultate, quia tunc homo non poſſet priuari ſummo bono, nec eſſet felix ante exitum vitæ, dico, eſſe felicem contingere dupliciter, vel abſolute, vel pro tempore determinato: Homo, dum viuit, eſt felix pro tempore definito, at non abſolute; & vt eſt felix, ita poteſt felicitate priuari: At Ariſt. conſiderans & definiens ſummum bonum, ſeruat id, quod in cęteris ſeruare conſueuit, inſpicit enim optimum & abſolutiſſimum: vt loquens de demonſtratione, de oratore, & ſimilibus, fecit.

An homo ante obitum poſſit ex ſententia Ariſtotelis dici felix. Cap. XXX.

Dvm loquimur de ſummo bono, non futuræ, ſed præſentis vitæ, de quo verba fecit Ariſtoteles, pulcra occurrit dubitatio, quam tetigi in præcedente cap. an homo ante vltimum ſuæ vitæ finem valeat denominari felix, qua de re verba facit Ariſtoteles in 1. moralium Nicomachiorum, c. 10. Et iure dubitare debemus, quoniam ex vna parte viri docti affirmant, neminem ante finem poſſe dici beatum: de Theologis noſtris non eſt dubitatio, quia recte nouerunt, ſolum poſt obitum, & in futura vita poſſe hominem ſummo bono frui. Ex ſapientibus autem mundi dixit Solon Athenienſium legislator, vnuſque è ſeptem Græciæ ſapientibus, *neminem ante diem vltimum debere dici beatum, quod opera Crœſus patefecit: qui cum primo fortuna aura ela-*

Theologi.

Solon.

Digitized by Google

ra elatus, Solonis ſententiam illam irriſiſſet; demum captus, pyraque vt combureretur miſere impoſitus, ter exclamans Solonem *commendauit:* quam ſententiam varii deinde approbarunt. Inquit Euripides in Andromacha: *Nunquam beatum appellaueris quenquam hominem, priuſquam videris vitæ extremum, quomodo è vita migrauit.* Et Sophocles in Tyndaro inquit: *Nunquam oportet felicem exiſtimare ſortem fortunati viri, priuſquam è vita migrauerit.* Et Dionyſius Tyrannus in Læda ait: *Nullus vnquam hominem mortalem beatum iudicet, antequam bene defunctum viderit: mortuum enim laudare tutum eſt.* Similiter Simonides inquit: *Homo exſiſtens, nunquam dixerit id quod futurum ſit: ſit enim citius, quam muſca, mutatio conditionis vitæ hominis.* Dixit Sophocles: *Nondum appellato magnum; antequam defunctum videris.* Herodotus libro primo affirmauit: *Nondum beatum te appello, priuſquam bene vita defunctum te audiero.* Conſimilium ſententiarum fundamentum eſt inconſtantia & varietas fortunæ, nec non munerum naturæ; ſine quibus homo vitam hanc felicem ducere non valet. Et confirmatur, quia ſi felicitas præcipue expoſcit finem vitæ fortunatum, naturæque conſentaneum; de hoc nemo valet, dum viuit, eſſe certus: ſi quis enim diu felix fortunatuſque vixiſſet, & mortem miſeram, calamitoſam, ærumniſque variis circumfuſam obiiſſet; felicitatem ſuam non mediocriter obſcuraſſet. Ex aduerſo Stoici, qui fortunæ & naturæ nulla ratione ſubiici exiſtimarunt ſummum hominis bonum, iure aſſeruerunt etiam in vitæ curſu poſſe hominem iudicari felicem. Præterea rationi conſentaneum minime videtur; vt, dum adeſt affectio, ſubiectum per eam non denominetur; dum vero abeſt, denominetur: nam è contrario de omnibus ſe habere, inductione eſt conſpicuum: dum calor eſt in aqua, denominatur calida, dum marceſcit calor, non amplius calida dicitur: quare ſimili ratione homo tunc debet denominari felix, dum ſummo bono fruitur; non autem, dum eo priuatur. Præterea inter conditiones ſummi boni hæc vna eſt, vt ſit firmum & conſtans, & nullum aliud bonum eo conſtantius nobis competere poſſit: at per cætera bona, dum adſunt, homo denominatur: quare longe magis, dum fruitur ſummo bono, meretur dici felix. Et confirmatur, quia tunc homo vel miſer, vel neuter, vel felix eſt; non miſer, non neuter, vt patet, quare eſt felix. Præterea ſummum bonum minime debet eſſe in naturæ vel fortunæ manibus collocatum, ſed in recta animi conſtitutione ac prælectione; numeratur enim inter bona animi; ſi enim fortunæ ſubiiceretur, eamque ſequeretur, continenter homo ex miſero in beatum, & ex beato in miſerum commutaretur. Quid itaque dicendum eſt? Sol-

Euripides. *Sophocles.* *Dionyſius.* *Simonides.* *Herodotus.* *Ratio.* *Pro parte aduerſa. Stoici.* *Solutio.*

Digitized by Google

niſi ſeruaretur, tunc vir felix per nullam oblatam occaſionem deberet recta ductus ratione mortem præeligere; alioquin præeligeret interitum ſummi boni. Præterea ſententia eſt Ariſtotelis in primo moralium Nicom. c. 11. quod; cum vir felix diem vltimum obierit; ea, quæ poſteris & amicis eius accidunt, ſi magna fuerint, valent vel illuſtrare vel obſcuram reddere felicitatem defuncti: at hoc facere non poſſent, niſi ea ſeruaretur; non enim id, quod non eſt, lædi poteſt. Ex aduerſo, quod ſummum bonum euaneſcat, patet primo: Quia 12. Metaph. cont. 39. ait, *ſummum bonum nobis exiguo tempore competere*; ac in tertio de anima cont. 20. ait, *in obitu ſcientiam aboleri, quia anima ſine phantaſia nihil intelligit.* Confirmatur, quia ex primo de anima cont. 65. non anima intelligit, ſed homo; non anima agit, ſed homo: quare, pereunte homine, habitus eiuſque actio, in qua ſummum bonum eſt poſitum, neceſſario euaneſcunt: dicitur tamen ſeruari duplici modo: primo, munere memoriæ, & communis vocis hominum: ſecundo, ratione inſtrumentorum & externarum quarundam partium ſummi boni, vel ſaltem comitantium ſummum bonum, quales ſunt filii, cognati, amici, opes, magnifici ſumtus, cæteraque præclara opera. Hæc adeo ſunt connexa cum ſummo bono, vt videantur eſſe modo aliquo partes eius: ideo poſteris ſemper offerunt modo aliquo illud, ad quæ conuerſi, ratione varietatis fortunæ, modo fulgere, modo obſcurari inquiunt felicitatem defuncti. Et propterea videmus, viros prudentes teſtamentis & codicillis diſponere, ordinare, & mandare, quid poſt obitum de bonis ſuis ſit faciendum, tanquam de attinentibus ad eos: & qui more Diogenis & Socratis negligunt penitus illa, quæ ad corpus, ad funera, ad ſepulcra, cæteraque huiuſmodi pertinent, ciuilem felicitatem negligunt, & communibus populorum opinionibus aduerſantur, quas tamen ciuilis homo negligere non debet. Colligamus itaque, in obitu viri felicis (ex ſententia Ariſtotelis) aboleri eſſentiam ſummi boni, ſeruari ſolum memoriam, comitantia nonnulla, inſtrumenta, & opera quædam externa. At inſtabatur, quia ſic nunquam licebit virum felicem recta ductum ratione præeligere mortem. Reſpondeo, hoc minime ſequi, quoniam potius ei mors eſt præeligenda, quam ſcelus aliquod magnum patrandum: quia ſi ſcelus patraret, maxime euerteret ſummum bonum, quatenus illud in miſeriam conuerteret, ſi autem præclara morte præclarum ei finem imponeret, ea præclara actione ſummum bonum (vt ei licet) illuſtraret. Altera inſtantia erat: quia, ſi ſummum bonum periret, ea, quæ poſteris accidunt, non pertinerent ad defunctum, neque eius ſummum bonum illuſtrarent, vel obſcurarent. Reſpondeo

Per obitum aboleri.

Colligitur ſolutio.

Diluitur aduerſa ratio.

vniuerſa virtute prodeunte, dum ad contemplationem, nil ſublimius vſu ſapientiæ excogitare valemus. Hi duo gradus adeo ſunt connexi & complicati, vt vnus ſine altero perfecte conſiſtere nequeat: mutuo enim ſe perficiunt, & ex vno in alterum præclari quidam & ſalutares ſpiritus effunduntur: ſapientia enim prudentiam parit, actioneſque dirigit: vice verſa moralis virtus, nedum implet mandata ſapientiæ; verum inſuper cum moderetur perturbationes, ſapientiæ famulatur: adeo vt ex vtriſque hominis beatitudo omni ex parte perfecta cunctiſque numeris abſoluta conſurgat, & principes omnes humanæ animæ facultates ſua poſtrema perfectione donentur. Formæ autem ſummi boni, & tres, & duæ, & vna, dici poſſunt: tres, conſiderando & partes & totum ſeorſum; duæ, conſiderando ſolas partes ex quibus conſurgit; vna demum, vt ex eis conflata. Propterea definitio ſummi boni, & vna, & duplex, & triplex, eſſe poteſt. Vna, ſi dicimus, ſummum hominis bonum eſt actio animi ex perfecta virtute prodiens in vita perfecta. Duæ, ſi dicimus; ſummum ciuilis vitæ bonum eſt actio ex perfecta ciuili virtute prodiens in vita perfecta: ſummum vitæ inſpectricis bonum eſt contemplatio ex ſapientia prodiens in vita perfecta. His addere valemus tertiam aſſerendo, ſummum vniuerſæ humanæ vitæ bonum eſt actio animi ex perfecta ciuili virtute, perfectaque ſapientia prodiens in vita perfecta, vt homo omni ex parte optimam viuat vitam. Ex his conſpicue conſtat; quomodo explicari debeat ſummi boni definitio vniuerſe & confuſe in primo Nicomachiorum prolata, in decimo autem diſtinctius explicata. Inſuper elicitur ſolutio cuiuſdam communis obiectionis; quam multi afferunt, & præſertim Plotinus, aduerſus Ariſtotelem: inquiunt enim male ab Ariſtotele aſſignari duplex ſummum hominis bonum; cum ſummum in omni genere debeat eſſe vnum, optima non poſſint eſſe plura, & finis poſtremus pariter vnicus eſſe debeat. Cum enim ſtatuantur duo, ea non poſſunt eſſe æqualia; alioquin non differrent inter ſe; quare vnum erit altero melius: ſi vnum melius, id ſolum erit ſummum bonum. Solutio ex dictis eſt conſpicua: nam diſtincti generis vitæ diſtinctus debet eſſe proprius vltimus finis: Inſuper, facta comparatione inter illos, finis abſolute vltimus eſt contemplatio; ſe habens ad alterum, vt pax ad bellum. Demum ex vtriſque vnum abſolutum ſummum bonum conſurgit; per quod ſingulis modis, quibus homini licet, Deo reddimur ſimiles, & cum eo pro facultate connectimur. At ex dictis pulcra oritur dubitatio. Si ex virtute oritur ſummum bonum; cum detur quadruplex virtutum gradus, ciuilis, heroicus, rationalis, & diuinus; etiam deberent dari,

Duplici gradui ſummi boni.

Forma ſummi boni tres, duæ, & vna.

Soluitur inſtantia Platonis.

Dubitatio, Solutio.

Digitized by Google

non duo ſoli, ſed quatuor ſummi boni gradus. Cui difficultati reſpondens, de virtute diuina dico, ex ſententia Ariſtotel. eam non dari vt diſtinctam ab aliis: cum autem detur ex ſententia Theologorum, etiam datur ſummum bonum alterius vitæ reuera diuinum, ad quod per huiuſmodi virtutes perducimur. De virtute heroica dico, redigi eam ad moralem: ſimiliter ad ſummum bonum ex ea prodiens.

Quomodo per definitam felicitatem nectatur homo cum Deo, opinio Platonis. CAP. XXXIII.

REgula eſt ſapientum conſenſione approbata, in omni genere dari vnum primum, quod eſt menſura cæterorum illius generis, & in his, quæ propter ſunt ab vno, id, quod primum eſt, eſſe cauſſam cæterorum. Cum autem bonum ſit commune ab vno, & primum omnium confeſſione ſit Deus, cogimur fateri cætera bona, per participationem & munere eius eſſe bona, & ab eo regulam & menſuram recipere: quod cum verum ſit de omnibus, præſertim de ſummo hominis bono verum cenſeri debet, cum inter mortalia homo ſolus re vera ſummi boni dicatur capax. At quomodo id contingat, quomodo definita felicitas ſe habeat ad Deum, menſuretur ab eo, nos iungat cum eo, non facile eſt cognoſcere. Plato cenſuit hominem per duo cum Deo feliciſſime necti, per affectum & per cognitionem. Nectitur per affectum, quatenus paratur per virtutes ciuiles, ad purgatrices: quibus formatus perficitur per virtutes animi purgati, & præcipue per pietatem, religionem, & ſanctitatem, quarum ope cum Deo per affectum feliciſſime nectitur: Ideo in Epinomide dixit; *maiorem virtutem religione pietateq; in Deum nullam in humano genere inueniri.* Hæc connexio per affectum, ſiue per exſuperantem dilectionem maxima eſt: quatenus omnia ita iuncta, connexionem illam maxime expetunt, ad eamque conſpirant: nil tunc vult animus, niſi Deum, nil amat, nil quærit, niſi Deum, & propterea in eo ſolo cumulatiſſime requieſcit: quo cum fruitur, cunctis eminentiſſime fruitur. Alia connexio eſt per cognitionem, quæ in parte antecedit: non enim maxime diligitur, niſi id quod præcognoſcitur. Vt exacte appareat connexio per cognitionem, gradus deſcenſus rerum ſunt explicandi. Nam, vt ſummum bonum eſt connexio cum Deo, ita miſeria eſt receſſus ab eo. Regula eſt ex ſe nota, tot eſſe gradus aſcenſus, quot ſunt gradus deſcenſus. In deſcenſu conſideratur hic ordo: Deus cunctis ſupereminet: ſub quo reperitur mens non participata, quæ eſt tanquam fons mentis, tanquam ſol ex ſe lucens, non portio ſuperioris mentis, nec in alio tanquam portio recepta, propterea vna eſt: ſub qua continentur mentes parti-

Platonis opinio.

Connexio per affectum ſiue per caritatem.

Connexio per cognitionem.

Gradus deſcenſus & aſcenſus.

participatæ; quæ ſunt participatio eius, & in diſtinctis animis tanquam partes recipiuntur: ſub hac mente eſt anima rationalis, de qua dicitur, quod homo eſt anima rationalis, mẽtis particeps, corpore vtens. Mentes participatæ, vt iunctæ cum prima mente non diſtinguuntur inter ſe; in ea enim in vnũ veniunt, vt radii in ſole; vt vero iunctæ cum anima rationali diſtinguuntur, non ſecus ac radii ſolis effuſi per aerem: ideo viſibilis ſol dicitur eius imago; & tot ſunt eius participationes, quot animæ rationales: quæ animæ rationales q̃uis eſſentia ſint iunctæ, ſunt tamen diſtinctæ per corpora, non ſecus ac lumen per media perſpicua; adeo vt animæ a corporibus, mentes participatæ ab animis diſtinctionẽ recipiãt, ex potiorum Academicorum ſententia. Sub anima rationali reperiuntur animæ expertes rationis; quæ à Iamblicho animationes potius ab anima rationali fluentes, quã veræ animæ nuncupantur: anima eſt natura, ſub natura materies. Deus ſupra ideas eminet, idearũque eſt caput: In mẽte cum non participata, tum participata, ideæ refulgent; vel non participatæ, vel participatæ: In anima rationali inſunt propriæ rationes: In irrationali vmbræ quædam, & imagines earum. Ratio differt ab idea: quia idea eſt vera rei forma, indiuidue includens & repræſentans id quod res eſt: ratio eſt quoddam idolum formæ, repræſentãs rem cum comparatione quadam, diſcurſu, & diſtinctione. In natura inueniuntur ſemina, per quæ natura fœcunda redditur, & cuncta valet generare: In materie demum apparẽt vmbræ, & participationes, ſiue imitationes formarum, per naturæ ſemina ei competentes. Sic intelligi debet ſententia Platonis in ſeptimo de repub. dicẽtis; nos in hoc mortalium orbe non ſecus ac in ſpecu eſſe collocatos, & ſolas inſpicere rerum vmbras; quas ob aſſuetudinem exiſtimamus vere eſſe. Per enumeratos gradus res à Deo deſcendunt, ac in eum reuertuntur: deſcendentes labuntur, ac inclinant ad non eſſe, aſcendentes perficiuntur & tendunt ad id quod vere eſt. Hoc ſepteno graduum numero vniuerſi theatrum conſtituitur, qui gradus per vmbras ſemina, rationes, & ideas, quaſi per internos ſpiritus & neruos, inſolubili nodo colligantur: ac inde refulget ordo partium mundi, connexio earum, fundamentum diſtinctorum generum furoris, & diuinationum: ac demum ratio mutuæ conſenſionis, & diſſenſionis rerum, quæ ratio cum nos lateat, maximã in nobis excitat admirationem. Euenit inſuper & hoc, vt omnia in omnibus modo eis conſentaneo inſint: cuncta ſunt in materie per vmbras, cuncta in natura per ſemina, cuncta in anima per rationes, cuncta in mente per ideas, ac demum cuncta in Deo eminentiſſime, adeo vt vnuſquiſque gradus vniuerſum dici mereatur, cum vniuerſa includat: In quo graduum ordine anima

Ratio differt ab idea.

Omnia in omnibus reperiuntur.

(vt ex dictis conſtat) medium ſibi locum vindicat; propterea iure & in biuio, & in horizonte, & in confinio æternitatis & temporis, immobilitatis & motus, dicitur collocata. Deus eſt tanquam immobile centrum; mens circulus immobilis, proxime centrum ambiens; anima circulus ex ſe mobilis; ceteri ſunt circuli, qui mouentur ab alio. Deus eſt ſupra ens, entiſque principium mens eſt id quod vere eſt; ideæ enim ſunt formæ. & eſſentiæ rerum: in anima, tanquam media, id quod eſt cum non ente complicatur; vt vergit ad ſupera, participat conditionem entis; vt ad infera, non entis; magis tamen ei competit eſſe, quam non eſſe: natura & participationes ideatum non vere entia ſunt, & potius ſunt non entia quam entia, potius vmbræ quam formæ: materies infra ens, & vere non ens nuncupatur; eſſentia enim & eſſe ad formas pertinet, infra quas materies collocatur. Inſuper, ea quæ ſunt ſupra animam, cum vere ſint; ſemper ſunt, & nunquam fiunt; anima media eſt, & fit ſemper. Corporata nunquam ſunt, fiunt tamen ſemper: materies demum nec eſſe, nec fieri dicitur; neque propterea nihil eſt penitus, nam eſt exemplar diuinitatis expers. Cum autem gradus rerum ita ſint conſtituti; anima deiapſa ad infera, vt ad ſupera eleuetur per hos gradus aſcẽdere debet: quod facere non valet, niſi primo, quaſi dormiens, per ſenſus à ſenſilibus excitetur: ſenſilia ſunt vmbræ; ideo primo ob imbecillitatẽ aciei animi vmbras cogimur inſpicere, vt mox in lucem conuerti valeamus. Qui cenſent vmbras has eſſe veras rerum formas, vmbris deluſi; falſis quoque opinionibus irretiuntur: è quorum numero ſunt ſophiſtæ; qui omnia ſe ſcire putant, cum nihil ſciant; ideo in non ente verſari dicuntur; quos Socrates redarguebat. Propterea nitendum eſt vt eleuemur per animæ rationes ſupra vmbras & ſemina, & iudicemus ea non vere eſſe: in quo gradu Socrates ſe conſtitutum aſſerebat, dum dicebat; hoc vnum ſcio, quod nihil ſcio: quaſi diceret, hoc conſpicue cognoſco, quod hæ ſunt vmbræ, non veræ formæ rerum: ex qua animaduerſione prodeunt in nobis opiniones veræ. Quod ſi exactius anima in ſuis rationibus verſetur, conſurgit late ſumpta ſcientia: At demum, ſi per rationes eleuatur ad ideas, cum eiſque nectitur; redditur vere ſcientiæ, ſapientiæ, & intelligentiæ particeps: & quoniam ideatum caput eſt ipſum vnum, quod eſt ipſum bonum, & ipſum pulcrum: iure tunc anima cum vno, bono, & pulcro connectitur. Et quia anima per hanc eleuationem proxime per rationes connectitur cum ideis, & mente; quæ rationes ſunt eſſentiæ animæ, non accidens eius: ideo per eſſentiam, non per accidens aliquod fit ea connexio. De qua loquens [illegible] hominem ſapientiæ [illegible] quouſque proprium cuiuſque [illegible]

Quomodo anima eleuetur.

Sophiſtarum conditio.

Conditio Socratis.

Scientia.

Sapientia & intelligentia.

animi vi non attigerit, quia cum adhæſerit, ſeque ei quod vere eſt, miſcuerit, atque inde re vera intelligentiam, veritatemque genuerit, cognoſcet vtique verum, vereque viuet, atque aletur.

Quæ competant animæ per connexionem cum ſuperis ex ſententia Platonis. CAP. XXXIV.

EA munera, quæ ex connexione cum ſuperis in nos redundant, à viro quidem beato cognoſci poſſunt, exprimi vero pro eorum meritis, nec ab alio, nec à viro quidem beato, vlla ratione poſſunt; conandum eſt tamen (vt nobis licet) ea leuiter & extrinſecus adumbrare. Dum anima ſuper ſe extollitur, iam accidentia deſerit, in ſola verſatur eſſentia: & propterea, quamuis diſpoſitio ad ſummum bonum, & gaudium redundans, poſſint eſſe accidentia: ſummum tamen bonum ſolum eſt eſſentia, & ſubſtantia: nectitur tunc anima cum mente: Et quia mens eſt eſſentia prima, vita prima, vita beata, & beatitudo, vita æterna, & æternitas: propterea, dum anima mente formatur, quatenus mens eſt eſſentia, anima recipit vere eſſe negligens non eſſe & vmbras, quatenus mens eſt vita prima, anima redditur veræ vitæ compos, de qua recte dicitur; Da mihi mentem & viuam. Quatenus eſt vita beata & beatitudo, redditur anima felix: Et quoniam illius vitæ actus ſimul totus eſſentiæ affigitur, & ea eſſentia cum ipſo vno connectitur, ideo anima tunc vna cum vita æternitate fruitur: Inſuper quia mens eſt lux vera & veritas; Ideo tunc anima in pura luce veritatis ſupra caligines omnes verſatur, vnoque ſimplici actu, ad mentis inſtar, cuncta intuetur. Et demum, quia mens eſt vniformis, boniformis, pulcriformis, anima cum ipſo pulcro, bono, & vno nectitur, ac ita formoſiſſima, optima, indiuiduaque redditur. Sic itaque animæ felicitas eſt eſſentialis eius actus, per rationes cum ideis iunctas directus in bonum, ex quo conſurgit in facultate cognoſcente veritas, in voluntate gaudium. Ex aduerſo, miſeria animæ eſt labi ad non eſſe, miſceri cum generatione, ligari cum compedibus corporis verſarique in vmbris: Ac vt ex reditu in ſuum principium, qui eſt reditus in ſuam naturam, conſurgit immenſa requies & gaudium, ita ex receſſu ab eo ꝓdit incõſtantia & dolor. Et quoniam, vt dictum eſt, in ſingulis gradibus cuncta inſunt modo eis cõſentaneo, propterea hoc quoque ſummum bonum in ſingulis modo aliquo refulget: In Deo reperitur vt in prima cauſa, in mente per formam, in anima per participationem mentis, in ceteris per imaginem & vmbram. Nam quia in prima mente eſſentia, vita, intelligẽtia, beatitudo, & æternitas inueniũtur: ideo

Munera & affectiones viri beati nequeunt exprimi.

Summum bonum in ſingulis vniuerſi gradibus refulget.

in Elementis (exempli gratia) conſideratur vmbra eſſentiæ, quæ eſt ſubſtantia & forma eorum, conſideratur vmbra vitæ, & eſt actus ſuæ formæ, dum mouentur vel alterantur: cōſideratur vmbra intelligentiæ, quatenus per ſuam formam ordinem in vniuerſo nanciſcuntur & ſeruant; ordo enim eſt intelligentiæ munus; conſideratur beatitudinis vmbra, quæ eſt ſui loci poſſeſſio, demum loco æternitatis, eis conuenit tempus, ſic omnia gloriam Dei patefaciunt, quia cuncta eatenus ſummo bono participant, quatenus capere valent. Et hæc de opinione Platonis, redeamus ad Ariſtotelem.

Quomodo vir felix ex opinione Ariſtotelis ad Deum ſe habeat.
CAP. XXXV.

ARiſtoteles agens de ſummo hominis bono, id ſolum conſiderauit, quod hominis eſt proprium, ex viribus eius pēdet, in eoque recipitur, & quia huiuſmodi erat actio ex virtute prodiens; ideo in ea ſummum bonum collocabat, & duplicem eius ſtatuebat gradum. Verum quia hoc noſtrum bonum ad menſuram omnium bonorum debet referri: propterea, dum ad Deum refertur, nil aliud iudicare valemus, niſi quod ſit connexio cum Deo, affectio nos parans ad recipiēda munera Dei, noſque reddens ſimiles Deo. Et quemadmodum ex ſententia Platonis homo nectebatur cum Deo per affectum & cognitionem, ſimiliter ex ſententia Ariſtotel. ſummum bonum morale nos iungit Deo per affectum, ſummum vero bonum in contemplatione poſitum nos iungit per cognitionem, adeo vt de hoc conſentire dicatur. Per hoc ſummum bonum homo redditur ſimilis Deo, nedū quia purificatur, extollitur ſupra corpora, vera fruitur libertate, affectu & cognitione Deum amplectitur, eoque hac ratione formatur, verū inſuper, quia per gradum ciuilis boni redditur bonus, ſeruat leges naturæ & Dei, & id ſolum vult & præeligit quod bonum eſt, per gradum vero contemplationis & ſapientiæ fit omnia, eſſe autem omnia, & velle id ſolum ꝙ bonum eſt, maxime ꝓprium eſt Dei. Miſſum facio id quod dicitur à multis, & recte quidem, ꝙ homo felix ad imitationem Dei intuetur diuina, & moderatur humana; ideo tunc homo, quamuis corpore ſit in terris, animo tamen in cœlo viuit, quia ibi eſt cor, vbi theſaurus, ibi amans, vbi id quod amatur, nā amans in amatum affectione cōuertitur. Sic dicitur homo viſitari à Deo: quia tunc in homine ſimilitudine & participatione quadam ea inueniuntur, quæ eminentiſſime conueniunt Deo, & cum ſapiens erga Deū recte ſit affectus, feliciter etiā munera Dei recipit. Satis itaque eſt conſpicuum, quomodo per affectum homo cōnectatur cum Deo: at quomodo id ei conueniat per contēplationem, apprime

Homo per ſummum bonum redditur ſimilis Deo.

Sapiens quomodo ex ſententia Ariſtotelis viſitetur à Deo.

Digitized by Google

prime eſt obſcurum. Miſſam facio eorum ſententiam, qui cenſent, ex opinione Ariſt. in quauis contemplatione cauſarum, & quolibet gradu ſcientiæ inueniri gradum ſummi boni: adeo vt phyſicus, dum phyſica cõſideratione verſatur in contemplatione rerũ phyſicarum, ſummo bono fruatur: ſimiliter mathematicus, quod vt à vero, ita ab opinione Ariſt. longe abeſt: inquit enim Ariſt. in primo, & in decimo moralium (vt in præcedentibus apparuit) ſummum bonum eſſe actionem ex virtute perfecta prodeuntem, & ſi plures ſint, ex præſtantiore & perfectiore: at in genere habituum cõtemplationi inſeruientium, non phyſica, nec mathematica ſunt huiuſmodi, ſed ſola ſapientia, vt etiam aſſeritur in proœmio metaphyſicæ: ſapientia autem præſtãtiam & perfectionem includit per cognitionem primarum cauſarum, & præcipue Dei. Quare illa cõtemplatio, q̃ nos ad Deum non eleuat, neque cum eo nos iungit, minime ſummum bonum cenſeri meretur: Ideo philoſophia contemplationi incumbens dicta eſt theorica, hoc eſt, diuinorum inſpectrix, nomen ſumẽs ab eo, in quo eius finis, & ſummum hominis bonum eſt collocatum. At cum in ſeparatorum, & Dei cum primis cognitione ſit poſitum ſummum bonum, ardua eſt quæſtio: quomodo liceat nobis hanc vitam viuentibus, & cum corpore iunctis, ſubſtãtias primas à corpore ſolutas intelligere. Hanc difficultatem Ariſt. in tertio de anima, con. 36. ſub dubio reliquit, dixit enim: *Vtrum autem contingat aliquid ſeparatorum intelligere, ipſum exſiſtentem non ſeparatum à magnitudine, an non, conſiderandum eſt poſterius, &c.* Et quoniam hac de re variæ ſunt opiniones, non inutile erit potiores earum referre, ac perpendere. Ordiar autem ab opinione Auerrois. *Opinio quorundam negligitur.*

Quid ſenſerit Auerroes & Auicenna de modo, quo noſter intellectus, dum fuerit perfectus, intelligat ſubſtantias abiunctas.

CAP. XXXVI.

AVerroes Cordubenſis, vir acri iudicio præditus, & Ariſtoteli adeo addictus, vt frequenter illum ſuæ religioni prætulerit, loquens de modo, quo noſter intellectus ſua poſtrema perfectione donatus intelligat abiuncta, quamuis ſatis ſit obſcurus, tamen hoc ſenſiſſe viſus eſt. Supra vim imaginandi, quam ipſe cogitatiuam nuncupauit, competunt homini ex Peripateticorum ſententia duæ differentiæ animæ, quarum vnam intellectum poteſtate, alteram intellectum agentem appellant, quas nonnulli ſtatuunt re & ſubſtantia inter ſe diſtinctas, alii ſola ratione. Intellectus poteſtate, perinde ſe habet ad intelligibilia, ac materies corporum ad materiatas formas, adeo vt ex ſe expers ſit omnium, & valeat intelligendo fieri omnia: intellectus agens ſe ha- *Intellectus poteſtate & agens.*

ſe habet perinde ac lumen, & tanquam habitus, ac perfectio intellectus poteſtate, & ad eum ex ſententia Auerrois fere conſimiliter ſe habet, ac ex ſententia Academicorum mens participata ad animã rationalem. Intellectus poteſtate, auxilio phantaſmatum vt obiecti, & intellectus agentis vt illuſtrantis, recipit communes rerum notiones, ac ita per inſpectrices ſcientias dicitur fieri omnia, poteſtatemque ſuam in habitum conuertere: cum autem poteſtatem abiecerit, quod facit munere intellectus agentis, paratus ꝑ ſcientias inſpectrices adipiſcitur intellectum agẽtem, eoque formatur & perficitur, non ſecus ac perſpicuum perficiatur lumine: & inde cõſurgit intellectus, qui ab Auerroe nuncupatur adeptus, qui nil aliud eſt, niſi adeptio intellectus agentis: in qua adeptione non amplius intellectus noſter intelligit intellectione per phantaſmata, diſtincta ab eſſentia eius, ſed intelligit per eſſentiam agentis: & quemadmodum, quando erat in habitu, per habitum ex phantaſmatis pendentem erat omnia, ita, dum noſter intellectus poteſtate adeptus eſt agẽtem, eſt omnia per eſſentiam agẽtis, & ideo dicitur Deo ſimilis, quia Dei proprium eſt eſſe omnia, vt inquit Auer. in 3 de anima 36. in qua adeptione dicitur intelligere omnia per eſſentiam agentis: nam intelligit inferiora, quia in forma ſuperiori eminenter includuntur inferiores, vt declaratur in tertia diſputatione cõtra Algazelem, in ſolutione 18. dubii: intelligit ſuperiora, vel per eſſentiam ſuperiorum, vel per eſſentiam propriam, vt eſt participatio ſuperiorum. Quod ſi dicitur in tertio de anima intellectus agens nil intelligit eorum, quę ſunt hic: id debet intelligi de cognitione ſecundum propriam formam, quæ nobis ſolum competit auxilio phantaſmatum. Et conſiderandum, quod intellectus agens iungitur nobis primo per naturam in principio noſtræ vitæ: ſecundo per actionem eius, quæ ſecunda copulatio eſt duplex, vel enim fit per operationem imperfectam pendentem ex phantaſmatis, vel per operationem perfectam, & in hac poſtrema copulatione collocatum eſt ſummum hominis bonum, tunc enim pendebimus ex eo, ex quo pendet cœlum, & vniuerſa natura, vt inquit Auer. 12. Metaphyſicæ, cont 38. Nã in rebus abiunctis connexio & vnitio eſt longe intimior, quam in materiatis, nõ enim vel durities corporum, vel diſtantia dimenſionum, vel pugna formarum, vel varietas propenſionis, perfectæ vnitioni aduerſantur. Cõſideratur itaque ex ſentẽtia Auerrois hic ordo: primo intellectus poteſtate in puero imperfectus eſt: ſecundo perficitur per habitum ſcientiarum: tertio cõſurgit adeptio, qua poſſibilis nudatus poteſtate agẽtem adipiſcitur, eoque perficitur: quarto cõſideratur actus intelligendi eius per eſſentiam intellectus agentis, per quam intelligendi actum inferiora in eminen

Intellectus adeptio quid?

Inſtantia diluitur.

Copulatio intellectus agentis.

Abiuncta intime connectuntur.

Ordo intelligendi ex ſententia Auerrois.

Digitized by Google

minẽtia, & tanquam per cauſam intelligit, ſuperiora verò, quia per actum intelligendi, qui eſſentia eſt eius, vel ſuperiorum intelligentiarum (de hoc enim opiniones ſunt variæ) ſemper eſt iunctus cum illis, adeo vt tunc ex eis, & præcipue ex prima intelligentia pendere, ab eiſque formari, & perfici dicatur, quæ perfectio eſt ſummum hominis bonum, felicitas, & optima vita. Et quoniam ea intellectio eſt eſſentia, vel ſuperioris ac primæ intelligentiæ formantis inferiorem; vel intellectus agentis, vt eſt participatio primæ: hinc oritur, quod ſummum hominis bonum non eſt accidens, ſed ſubſtantia, & ſubſtantia quidem prima, vel eius participatio, quæ ſola eſt finis vltimus, explens deſideria noſtra, ac nos ſummo bono perficiens: ſic nomen hominis dictum de felici & non felici, æquiuocum eſt, vt aſſeritur in proœmio primi Phyſicorum, homo enim felix per formam ſupremam recepit eſſe. Hæc eſt opinio Auerrois, vt colligitur ex 12. Metaphyſicæ cont. 17. 9. Metaph. 12. 3. de anima 19. 20. & præſertim 36. inſuper ex Epiſtola de cõnexione intellectus nobiſcum. De hac concluſione, quod noſter intellectus humano corpori iunctus valeat apprehendere per eſſentiam ſeparatas mentes, varii conuenere: & præſertim Iamblichus, Simplicius, & Themiſtius, qui inquiunt id fieri per ideas, more Academicorum: Inſuper Auicenna, Algazel, Auempaces, qui inquiunt id fieri per cõnexionem ordinis intelligentiarum. Differt Auerroes à Simplicio, Themiſtio, & Iamblicho, quia non cenſet id fieri per medias rationes, & ideas (id enim Platonicũ eſt.) Differt ab Auicenna & Algazele: quoniã hi ſub Deo ac prima intelligentia decem ſubordinatas conſtituebant intelligentias, quarum vltimã ſub intelligentia lunæ poſitam, mundo mortali præſidentem, nuncupabant Colcodeam, ac datricem formarũ, & intellectũ agentem. Dicebant enim (referente Auer. diſputat. 3. dubio 13.) à Deo proxime & ſine medio manare intelligentiam primam, penitus abiũctam, nulli corpori addictã, nullique aſſiſtẽtem, nec orbem mouentem: ab hac dicebant prodire intelligentiam primi mobilis, ei aſſiſtẽtem, idque mouentẽ vt finem, inſuper animã eiuſdẽ primi mobilis, efficiẽtem motum & tertio corpus primi mobilis, vt n. prima intelligẽtia intelligit Deũ producit intelligentiam ſibi ſuccedẽtem, vt intelligit ſe, producit animã, & per animã corpus: ac ita de ceteris ſe habere exiſtimabant, adeo ꝙ vnaquæq; produceret intelligentiã ſibi ſuccedentem, animã & corpus ſequẽtis orbis, vſq; ad lunã: intelligentia aũt lunæ producit intelligẽtiam infimam, quæ eſt intellectus agens, & Colcodea, aſſiſtẽs plenitudini lunæ, hoc eſt, mortali orbi, quo repletur orbis lunæ, & terminus infimus mundi eſt. Hæc opinio aliquid ſimile includit opinioni Academicorum. Vt enim Academici

Quomodo Auerroes conueniat & diſſentiat ab aliis.

Opinio Auicenna & Algazelis.

Comparatio opinio Auicenna cum ea Academicorum.

primo ponunt Deum, mox mentem non participatam, tertio mentẽ participatam, quarto animam: ita etiam Algazel & Auicenna, his cõſtitutis, dicebant noſtrũ intellectum poteſtate cõnecti cum agente, ab eo perfici, & in eo conſiſtere ſummum bonũ eius, intellectum agentem connecti cum intelligentia lunæ, & ſummum bonum eius eſſe intelligentiam lunæ: nam in eo eſt poſitum ſummum bonũ rei, à quo res ipſa habet eſſe, & quia intelligentia inferior à ſuperiori ſibi proxima habet vt ſit, tanquam à cauſa propria & adæquata, non tanquam à concauſa primæ cauſæ; ideo in ea eſt poſitũ ſummum bonũ eius. Auerroes autem cenſet, non ſuperiorem & proximam intelligentiam, ſed Deum eſſe ſummum bonum omnium intelligentiarum, quia à Deo omnes prodeunt. Differt demum Auer. ab Auempace (vt patet ex tertio de anima, cont. 36.) quia Auer. ſtatuebat hunc ordinẽ: primo conſiderabat intellectũ poteſtate, imperfectũ: ſecundo cum perfectũ per ſcientiarũ habitus: tertio connexionẽ cum intellectu agente; quarto cognitionẽ eius, & ceterarũ per eſſentiam, in quo poſtremo collocabat ſummũ bonum: Auempaces v. quartum gradum præferebat tertio, apprehenſionem n. agentis, & aliorum per illum, dicebat eſſe cauſam connexionis, in qua ſummum bonum cenſebat eſſe poſitum. Conuenerunt itaque hi omnes, quatenus aſſeruerunt, intellectũ corpori iunctũ poſſe per eſſentiam apprehendere ſubſtantias ſeparatas, ac ita beari.

Quomodo Auerroes differt ab Auempace.

Rationes & fundamenta aſſerentium, intellectum corpori iunctum poſſe per eſſentias apprehendere ſubſtantias ſeparatas. CAP. XXXVII.

Prima ratio Auerrois. Explicatio.

QVicunque ex ſententia Ariſtot. exiſtimarunt licere homini per eſſentiam apprehendere ſeiunctas mentes, iungique cum eis, variis ſunt vſi rationibus. Auer. ſecundo Metaph. cont. 1. vtitur hac ratione inquiens: *Si impoſſibile eſſet intelligere abſtracta, fruſtra natura aliquid egiſſet, feciſſet enim id quod ſui natura eſt intelligibile, non intellectum ab alio, &c.* Vis huius rationis in hoc poſita eſſe videtur, quia vel refertur genus ſeparatarum mẽtium ad collocata in mundo mortali, vel cõſideratur abſolute, vt includit humanam mentem, tanquam infimam intelligentiarum: ſi conſideratur prima cõſideratione, id genus eſt natũ perficere, & participari ab hoc mundo mortali, & ideo, niſi ab humana mẽte participaretur, hac ex parte eſſet fruſtra. Si cõſideratur altero modo, ſi humana mens non copulatur cum intelligentia lunæ, & eam non intelligit, neque intelligentia lunæ intelliget eam Mercurii, ac ita de ceteris; nã eorum, quæ ſunt eiuſdem ordinis, par ratio eſt, quare ſic dabitur aliquid intelligibile, non intellectum ab alio. Altera ratio ſumitur ex 12. Metaphyſicæ trigeſimo octauo

Secunda ratio.

octauo, quam ita formandam cenſeo: Quod ſua natura mouet aliquid ſub ratione amati & optabilis, eſt natum ab eo aſſequi, & cum eo iungi: intellectus agens ſui natura mouet nos ad eius adeptionem, tanquam amatum & optabile: Ideo eſt natus à nobis aſſequi, & nobiſcum iungi, in qua cõnexione modo iam explicato eſt poſitũ ſummum bonum. Vis huius rationis in eo eſt poſita, ne fruſtretur deſiderium nobis natura inſitũ, quo optamus cum diuinis necti. Tertia ratio eſt, nulla forma priuatur ſua principali operatione per id, quod ei natura competit: At connexio intellectus poteſtate cum homine, ei natura competit; & apprehenſio ſeparatarũ mentium eſt principalis eius operatio, vt mens quædam eſt: Quare per cõnexionem cum homine non debet ea priuari. Themiſtius in tertio de anima, in paraphraſi 36. contextus id ipſum oſtendit argumentò à minori ad maius hunc in modum; Ea mens, quæ formas materiatas intelligit ſecernendo eas à materie, longe magis erit apta apprehẽdere formas ex ſe à materie ſolutas: huiuſmodi eſt humana mens: ea itaque eſt nata apprehendere formas ex ſe à materie ſolutas. Hanc rationem Themiſtii perpendẽs Auerroes in tertio de anima, 36. ait, *vim includere non abſolute, ſed præſuppoſita noſtra mentis æternitate.* Simplicius in tertio de anima, contéxt. 17. 19. 20. 36. eiuſdem eſt opinionis, eamque cõfirmat ratione & auctoritate. Ratione ſumta ex conditione animæ, ea enim eſt naturæ & conditionis mediæ: & propterea; cum mens ſuperior continenter apprehendat ſeiunctas eſſentias, formæ materiatæ nunquam; anima media medio quodam modo ſe habens, eas non quidem ſemper, ſed aliquando apprehendit; cum eiſque nectitur. Inſuper vtitur auctoritate Ariſtotelis in 12. Metaphyſ. 39. dicentis; *diſpoſitionem & vitam optimam, Deo competere ſemper, nobis autem exiguo tempore*, cõcedit itaque nobis Ariſtoteles id genus ſummi boni, quod Deo cõpetit ſemper, intelligens nomine Dei omnes ſubſtantias abiunctas: at eis competit per actum intelligẽdi, qui eſſentia eſt: quare conſimiliter competet animæ noſtræ. Auempaces in libris, & de cõnexione intellectus nobiſcũ, & de anima (referente Auerroe in tertio de anima, 36.) duab. præſertim vtebatur rationibus. Prima erat, quod eſt natum apprehendere naturam & eſſentiam non aptam multiplicari, eſt natum apprehendere & recipere ſeparatas ſubſtantias: Noſter intellectus eſt huiuſmodi: Quare, &c. Inſuper, intellectus, qui eſt natus apprehẽdere & recipere eſſentiam rei ſimplicem, valet apprehendere ſubſtantias ſeparatas, & cõnecti cum eis: Noſter intellectus eſt natus apprehendere eſſentiam rei ſimplicem: Quare, &c. Maiores propoſitiones ex ſe cõſpicuæ ſunt. Minores oſtenduntur. Conſiderabat Auempaces naturã & cõditionem intelligibilium, ex quibus in

Vis rationis.

Tertia ratio.

Themiſtius.

Quarta ratio.

Auempaces.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

nobis cõſurgit intellectus ille, qui dicitur ſpeculatiuus: hæc intelligibilia, vt intelligibilia, profecto ſunt aliquid factum & genitum in nobis per eductionem ex phãtaſmatis; omne factum, ne ſit pura priuatio, habet eſſentiam: Noſter autem intellectus ſua natura aptus eſt ſeiũgere eſſentiam ab eo, quod illam habet; quare natus eſt ex intelligibilibus in nobis genitis abiungere eſſentiam eorum, & id quod ſunt; hæc eſſentia quæ ex eis abiũgitur, profecto ſimplex eſt, & non apta multiplicari. Non multiplicabilis, quia multitudo intelligibilis, veluti lapidis in Socrate & Platone, oritur ex diſtinctione phantaſmatũ; intelligibile autem vt intelligibile, cum ſit vniuerſale non habet phantaſma. Inſuper hęc eſſentia eſt ſimplex, quia, dũ ex illis intelligibilibus, quatenus intelligibilia ſunt, fit abſtractio, vel ꝙ abſtrahitur, eſt ſimplex eſſentia, & hoc volo, vel nec eſt eſſentia, nec eam habet, at tunc eſſet pura priuatio vel eſt aliquid habẽs eſſentiam, ꝙ dici nõ poteſt: quia noſter intellectus ex omni habente eſſentiam eſt aptus natus eã abiũgere, quare, vel dabitur ꝑgreſſio in infinitum, quod in ordinatis per ſe non conceditur, vel eſt deueniendum ad ſimplicẽ eſſentiam: & quia, dum infinitũ eſt reſcindendum, id faciẽdum eſt in principio; ideo colligendum eſt ꝙ ea eſſentia, quæ ex intellectu ſpeculatiuo abiũgitur, ſit vna, ſimplex, & non apta multiplicari. Inſuper idipſum poteſt oſtendi aliis rationibus, & primo. Si nõ daretur ea cõnexio per eſſentiam, cum ſeparatis mentibus & Deo, tunc ſummum bonum hominis collocatũ eſſet in habitu, & actione ſciẽtiarum pendente ex phantaſmatis: quod ſi eſſet, hæc ſequerẽtur abſurda. Primo, ſummum bonum eſſet non ſubſtantia, ſed accidens. Præterea, ſummũ bonum non eſſet finis vltimus, nõ enim accidens eſt finis vltimus; ſed ſolũ Deus; inſuper, non eſſet ſolum ſui gratia optabilis, nam actio eſt alterius gratia; vt dicitur in principio 1. moraliũ Nicomachiorũ: omnis enim actio eſt boni gratia; præterea, non expleret omnia noſtra deſideria, in ſolo enim Deo requieſcimus; quem ſi apprehẽdimus ſolum ope phantaſmatũ, exoptamus apprehendere per eſſentiam, & cum eo per eſſentiam necti; præterea ſummum bonum poſſet obliuioni tradi, ſcientiarum enim obliuio eſſe poteſt. Præterea nemo vnquam explet deſiderium addiſcẽdi, & in humanis ſcientiis pauca reperiuntur certa, plurima ſunt dubia certi ſunt labores, curæ ſunt neceſſariæ: adeo vt potius in eis refulgeat hominis imbecillitas & miſeria, q̃ ſummũ bonum. Præterea ſummũ hominis bonum debet eſſe actus vnus: at contemplatio per ſcientias non vnus, ſed multiplex eſt, debet eſſe optimus, ſummo honore dignus, ſummã afferens delectationem; at actus ex habitu ſcientiarum prodiens, nõ eſt huiuſmodi: talis ſolum eſt actus, quo Deum apprehẽdimus; & cum eo, vel

Afferuntur aliæ rationes quibus oſtenditur neceſſitas connexionis cum Deo per eſſentiam.

eo, vel

to, vel ſine medio, vel medio aliquo per eſſentiam cõnectimur; & hoc eſt id, quod maxime experimus. Huiuſmodi rationes ſumuntur ex conditionibus ſummi boni: Quæ confirmantur per attinẽtia ad mentem noſtram, nec nõ ad naturam ſeparatarum formarum. Noſter n. intellectus (vt dicitur in tertio de anima, cont. 7.) à vehementi intelligibili non læditur, vt ſenſus à vehementi ſenſili, ſed potius perficitur, & aptior ad intelligendũ redditur: ex quo hæc deducitur ratio: Ea facultas, q̃ per obiectum non debilitatur, ſed à vehementi perficitur, valet quoduis obiectum apprehendere, & quouis modo natum ſit apprehendi cognoſcere: at noſter intellectus non debilitatur: quare valet obiectum quouis modo apprehẽdere: ſed ſubſtãtiæ abiunctæ ſunt natæ apprehẽdi per eſſentiam: igitur etiam hoc modo valet noſter intellectus apprehẽdere eas. Præterea id quod eſt commune omnibus formis abiunctis, nõ debet remoueri à noſtro intellectu, cũ ſit forma ex materie non prodiens, vt neque etiam ceteræ cœli intelligentiæ: At commune eſt ceteris formis abiũctis, vt dicitur in 12. Metaph. per eſſentiam intelligere: Quare id minime à noſtro intellectu remouendũ eſt: Quod ſi remoueretur, ſimul oſtenderetur, quod non eſſet capax ſummi boni. Hæ ſunt rationes, auctoritates, ac firmiora fundamenta, quibus nititur eorum opinio: qui ex ſententia Ariſt. inquiunt, intellectum corpori iunctum poſſe per eſſentiam apprehendere ſeparatas formas, & ſummum bonum eſſe collocatum, vel in connexione cum proxima intelligentia, vel cum prima.

Confirmatio per attinentia ad mentem.

Quid ſenſerit Ariſtoteles de connexione cum ſubſtantiis abiunctis, & eſſentia ſummi boni.
Cap. XXXVIII.

PHiloſophorum multi, cœci erga futuram vitam, quærentes in hoc breui vitæ curriculo ſummum bonum, quod re vera inueniri non poteſt: ducti ex vna parte per internum naturæ inſtinctũ, ac quaſi diuinationẽ quandam ad id confitẽdum, q̃ nobis paratũ ſit, idque ſit diuinũ aliquod, ex altera viã pro fine, & curſum pro termino conſiderantes, verumq; modũ non inuenientes, varia coacti ſunt dicere: quæ commenta, deliria, ac ineptiæ potius, quam ſententiæ abſolute veræ iudicari merentur. Ariſt. vir acri iudicio præditus, quamuis futuræ vitæ fuerit ignarus, nil tamen præſenti vitæ tribuit, quod ei competere non valeat: connexionemque illã per eſſentiam cum ſeparatis mentibus experientiæ, rationique aduerſam: nedum non poſuit, verum nec excogitauit quidem: & propterea eſſentiam ſummi boni, quod in nobis reciperetur, ac ad nos pertineret, in actione collocauit ex habitu virtutis ac ſcientiarum prodeunte, non in

ſubſtantia abiuncta, q̄ nobiſcum per eſſentiam tanquam formâ nectéretur: Quod, cum ex aliis, tum ex his præſertim patere poteſt. Et primo Ariſtoteles in primo Nicomachiorum, c.6. cum reiecisſet ideam boni, in cuius adeptione Plato ſummũ bonum collocauit, addit: *Nam etſi aliquod eſt vnum bonum, quod communiter de multis dicatur, aut quod ſit ab aliis ſeiunctum, & ipſum per ſe, id nimirum nec in actionem humanam cadere, nec ab homine comparari poteſt, &c.* His verbis aperte fatetur philoſophus id bonum, quod à nobis eſt ſeiunctum, nec comparari nec poſſideri à nobis poſſe: & par eſt ratio de idea boni, ac de alia quauis abiuncta intelligẽtia. Inſuper Ariſtoteles in eodem primo Nicomachiorum vniuerſe ſummum hominis bonum definiens, oſtendit & aſſerit, eſſe actionem ab eius virtute prodeuntem; & propterea virtutem declarat, cum ad mores, tum ad rationem pertinẽtes: de illa per eſſentiam cõnexione, ne vnum quidem facit verbum. Nec quiſpiam ſubterfugiens dicere poteſt etiam connexionem illam per eſſentiam eſſe actionem, hoc inquam dici non poteſt: Quoniam definitio ſummi boni (vt patuit) eſt communis bono morali, & bono in contemplatione poſito; actio moralis accidens eſt, quare & ea, quæ ad contemplationem pertinet: alioquin vſus fuiſſet pro genere nomine æquiuoco. Præterea Ariſt. declarans, quæ ſit virtus contemplationi addicta, inquit; eſſe ſapientiam, quam ſtatuit habitum intellectus, non autem connexionem per eſſentiam. At inquiunt, definitionem illam debere intelligi per modũ cauſæ, & præparationis: habitus enim theorici (ex ſententia Auerrois) non ſunt ſummum bonum; ſed proxima diſpoſitio ad illud, & modo aliquo cauſa eius. At hoc penitus eſt abſurdum, & penitus euertit rationes & ſententiam Ariſtotelis: ipſe enim in primo Nicomach. digrediens per cetera animalia, manifeſtat de omnibus hoc eſſe verum, vt propria vniuſcuiuſque actio ſit eius perfectio; & hoc eſt verum, non quia ſit diſpoſitio, ſed quia ſit eſſentia & forma perfectionis: cum autem ex eo colligat, in hominis actione eſſe collocatum ſummũ bonum eius: nec peccet per fallaciam æquiuocationis, in eadem ſignificatione debet accipi perfectio in concluſione, in qua accipiebatur in principiis. Præterea, tunc Ariſtoteles ſolam præparationem ad ſummum bonum, minime autem eius eſſentiam patefeciſſet. Inſuper Ariſt. in ſexto moralium Nicomachiorum, capite duodecimo, luciditſime euaſionem illam euertit, ſuamque ſententiam patefacit inquiens; *Deinde efficiunt illa quidem, veruntamen non vt valetudinem medicina, ſed vt valetudo, ſic ſapientia vitam beatam: nam cum ſit pars vniuerſa virtutis, eo quod ineſt vt habitus, & quod ſuo munere fungitur, beatum facit, &c.* Aperte his verbis aſſerit Ariſtoteles, in ſapientia eiuſque actione ita collocatum

Non competere homini connexionem cum ſeparatis mentibus per eſſentiam.

Pulcra auctoritas.

Confirmatio.

Euaſio.

Euerſio.

Alia confirmatio.

Euaſio.

Reiectio.

Alia confirmatio efficax.

Digitized by Google

collocatum eſſe ſummum bonum, vt in ſanitate bona corporis valetudo. Præterea ea in phyſicis ſtatuere debemus, quæ ſenſibus experientiæque ſunt conſentanea: at nemo vnquam nec in ſe eſt expertus, nec in alio reperiri cognouit: nedum exactam, verum nec adumbratam quidem connexionem illam per eſſentiam: multi reperti ſunt viri docti, nemo tamen apparuit modo aliquo particeps eius connexionis per eſſentiam: & Ariſtoteles, qui ex ſententia Auerrois poſtremâ perfectione fuit ornatus, ſemper aſſeruit hominem per phantaſmata intelligere: & phantaſmata perinde ſe habere ad intellectum ac ſenſilia ad ſenſum. *Alia ratio.*

At inquiunt phantaſiam, vel præcurrere ad excitandum, vel ſequi actum illum intelligendi per eſſentiam; non autem quod tunc phantaſmata ſe habeant vt obiectum. Verum hoc aduerſatur Ariſtoteli, qui ait: *Phantaſmata perinde ſe habere ad intellectum, ac ſenſilia ad ſenſum*: vt patet ex tertio de anima, 30.39 & locis aliis. *Euaſio.* *Euerſio.*

Præterea ea operatio, quæ eſt per eſſentiam, non hominis, ſed animæ ſolum eſt; non compoſiti, ſed mentis: At Ariſt. in primo de anima, 65. negat mentem intelligere, ſed hominem per eam. Inſuper, cum non ſit per phantaſmata, non erit talis; vt homo ea fruatur, illam aduertat, ac ob eam afficiatur gaudio. Præterea in primo de partibus animalium, c.5. inquit, nos leniter attingere diuina, quia parum ſub ſenſum cadunt; indicans eatenus a nobis cognoſci, quatenus refulgent in ſenſilibus, & per eorum phantaſmata nobis offeruntur. *Alia ratio.*

Præterea via & terminus dicuntur eſſe eiuſdem generis, vt ipſemet Auerroes affirmat 5. phyſicorum, cont. 9. quare non debet ſtatui pro via ea cognitio, quæ eſt per habitus ſcientiarum, pro termino vero illa, quæ eſt per eſſentiam. *Alia ratio.*

His accedit, quod Auerroes tertio de anima 18. loquens de ideis inquit: *Si darentur vniuerſalia ſeparata à materie, fruſtra daretur intellectus agens*: mox vero de felicitate hac loquens ait, *ſeparata intelligi per intellectum agentem, quare ad cognitionem ſeparatorum, ſiue per phantaſmata, ſiue per eſſentiam, ſemper eſt neceſſarius intellectus agens: & ideo ſibimet nō conſtat.* Præterea inquit Auerroes 12. Metaphyſic 17. *quod, ſi intellectus denudetur in hominis perfectione à potentia, neceſſe eſt vt deſtruatur in eo hæc actio, quæ eſt alia ab illo; & tunc, aut non intelligemus omnino per hunc intellectum, aut intelligemus ſecundum quod actio eius eſt ſubſtantia eius, & impoſſibile eſt vt in aliqua hora non intelligamus per ipſum, &c.* At quis eſt, qui viuat & continenter intelligat? quis eſt, qui expers ſit actus intelligendi per phantaſmata, & per habitum ſcientiarum, dum eo eſt præditus? *Auerroes ſecum pugnat.*

Colligamus itaque homini hanc vitam viuenti minime competere actum illum intelligendi per eſſentiam: inſuper, ſummum bonum non eſſe collocatum in habitu virtutis & actione, tanquam in præparatione, ſed *Concluſio dictorum.*

ſed tanquam in forma & eſſentia: demum actum intelligendi viri felicis, & non felicis, non diſtingui genere, nec continenter viro felici competere; vt perperam cenſuit Auerroes, & qui eum ſecuti ſunt.

Diluuntur rationes quibus oſtendebatur ſummum bonum hominis in hac vita eſſe Deum, vel intelligentiam aliquam nobiſcum per eſſentiam, & tanquam formam iunctam.

Cap. XXXIX.

Vt diluantur aduerſæ rationes, ſtatuendũ primo eſt; id ſummũ bonum, quod homini hanc vitam viuenti ex ſententia Ariſtotelis natum eſt competere, non eſſe ſummum bonum abſolute, ſed quatenus rei mortali per imitationem quandam natum eſt conuenire: adeo vt, quemadmodum ex ſententia Platonis homo eſt ludus Deorum, ita hoc ſummum bonum eius ſit ludus ſummi boni Deorum, cum ſit ſolum imitatio, adumbratioque eius, cum magna degeneratione. Et propterea, dum argumentabatur Auerroes, quod tunc natura feciſſet aliquod per ſe natum intelligi, quod non intelligeretur ab aliquo; Reſpondeo, rationem illam eſſe inanem triplici de cauſa. Primo, quia ſi alicuius ponderis eſſet, hoc ſolum oſtenderet, quod noſter intellectus ex ſe, vt vna intelligentiarum eſt, valet ex philoſophorum ſententia connecti cum aliis, & intelligere per eſſentiam: at modo nos loquimur de ſummo bono hominis, & de actu intelligendi compoſiti; modus autem operandi reſpondet modo eſſendi; cum mens in nobis ſit complicata cum phantaſia, non valet niſi cum ea, vel per eam intelligere, & vnius naturæ, vno modo ſe habentis, vnus eſt operandi modus. Addo ſecundo; genus intelligẽtiarum eſſe natum perficere, & participari ab aliquo exiſtente in corpore; at non per eſſentiam, ſed per phantaſmata, vt lucet in phantaſmate operum: per eſſentiam autem ſolum à mente viuente vitam ſeparatam, eſt natum participari. Tertio, leuem abſolute exiſtimo rationem illam; quia eam connexionem intelligentiarum per eſſentiam; adeo vt ſuperior ſit forma inferioris, per cuius eſſentiam inferior eam apprehendat, commentum quoddam eſſe iudico: intelligunt enim ſe per ſimplicem mentis intuitum, vt recte cenſent Theologi; non autem modo illo, quem excogitarunt nonnulli philoſophorum. Altera ratio ſumebatur ex deſiderio nobis per naturam inſito, quo optamus cum diuinis iungi. Cui reſpondens dico, ſeparatas formas, vt ſunt fines, ita eſſe natas à nobis attingi; at non ita ſunt fines mentis noſtræ complicatæ cum corpore, vt ſint natæ apprehendi per eſſentiam; ſed ſolum eo intelligendi genere, quo cetera à nobis intelliguntur; nempe per

Diluitur prima ratio Auerrois tripliciter.

Diluitur ſecunda ratio.

per phantaſmata, ac vt lucent in eis. Inſuper mens, & homo per naturam affectus; id ſolum expetit, quod ſuæ naturæ eſt conſentaneum: actus intelligendi, & connexio cum obiecto per eſſentiam; non eſt modus conſentaneus menti, vt iunctæ corpori; quare, dum id expetit, perinde ſe habet ac dum expetit ſibi ea competere, quæ competunt Deo; quæ deſideria inania ſunt, & præter naturam. Tertia ratio erat; quia nulla forma priuatur ſua principali actione per id, quod illi per naturam competit. Cui reſpondens dico, ſi ea ratio vim habet, ex ea colligetur, intellectum corpori iunctum ſemper & continenter intelligere diuinas mentes; nam ſeiunctus à corpore, eas continenter intelligit, quare & coniunctus: quod tamen nec illi quidem eſſe verum affirmant. Propterea dico, vel intellectui in ſe, vt vna intelligentiarum eſt, competit intelligere ſeparata per eſſentiam; vel non, ſi non competit, ratio nulla eſt, quia per cōiunctionem non priuabitur ea: ſi competit, & per coniunctionem ea non priuatur; tunc ei ſolum competet, vt vna intelligentiarum eſt, non autem vt corpori iunctæ, adeo vt à compoſito participetur: veluti non priuatur nauta facultate intelligendi, dum eſt in naui; at quia non pendet ex naui, non redditur communis ei: Similiter, cum intelligentia Saturni intelligat Deum per eſſentiam; tamen, quia ad actum illum intelligendi non confert orbis, ideo conflatum ex orbe & intelligentia non dicetur intelligere, quamuis ea cōnexio ei per naturam competat. Quarta ratio ſumebatur ex Themiſtio, & erat: Si mens hominis apprehendit res materiatas ſecernendo eas à materie, longe magis poterit res ſua natura ſeiunctas à materie intelligere. Reſpōdeo, id non ſequi tribus de cauſſis. Primo, quia mens hominis, dum cetera intelligit ſecernendo à materie; minime id facit, vel per ſuam, vel per eorū eſſentiam, ſed per phantaſmata & notiones. Secundò quia proprium eſt humanæ mentis, vt complicatæ cum corpore, ac vt particulæ animæ, intelligere per pendētia ex facultate aliqua corporis, & ex ſuo toto; hoc eſt, per phātaſmata, & vim imaginādi: & præſertim, quia Themiſtius cenſebat id fieri per ideas humanæ mentis, quas frequēter reiecit Ariſtoteles, & in tertio de anima, con. 6. non actu, ſed poteſtate tantum, dixit; *humanam mentem eſſe locum formarum*. Tertio, quia dum progredimur à formis materiatis, ſeiunctis per intellectum, ad formas ſua natura ſeiunctas, progredimur ex vno genere ſeiunctionis ad aliud: in primo conſiderantur notiones ab intellectu ex phantaſmatis collectæ, in altero conſiderantur formæ ſeorſim à materie ſubſiſtentes: & eſſet ac ſi diceremus, ſenſus (ex ſententia Ariſtotelis in ſecundo de anima) eſt facultas ſuſceptrix formarum ſine materie, ideo maxime eſt receptrix formarum

Diluitur tertia.

Diluitur quarta tribus rationibus.

Diluuntur rationes Simplicii.

ſua natura abiunctatum. Fundamenta Simplicii etiam ſatis facile euertuntur: Inquit, anima eſt conditionis mediæ; concedo, id enim aliqua conſideratione verum eſt: Infert, igitur aliquando per eſſentiam nectitur cum ſupernis; nego hoc ſequi. Media enim eius conditio in hoc eſt poſita, quod; cum formæ materiatæ nullo modo intelligant; formæ penitus abiunctæ ſuperiora intelligant conſpicue, indiuidue, & per eſſentiam; anima rationalis eas apprehēdit modo medio, nempe obſcure, cum diſcurſu, cum diuiſione, ac vt lucent in phātaſmate operum. Addebatur confirmatio ex Ariſtotele ſumta 12. metaphyſicæ, 39 qua vtebatur etiam Themiſtius. Inquit eo loci philoſophus, conſtitutionem optimam Deo competere ſemper, homini vero exiguo tempore; adeo vt non in genere intelligendi, & ſummi boni, ſed in tempore videatur ponere diſtinctionem. Et confirmatur;

Explicatur auctoritas Ariſt.

quia Ariſtoteles 10. Nicomachiorum aſſerit, per id genus ſummi boni, quod in contemplatione eſt poſitum, eleuari hominem ſupra terminos hominis: at minime ſupra eos eleuaretur, ſi ſolum per phātaſmata & communes notiones intelligeret. Solutionem recipio ex ipſomet Ariſtotele 10. Nicomachiorum, c. 8. dicente: *Diis enim immortalibus omnis vita beata eſt, hominibus autem, quatenus ſimulacrum aliquod huiuſmodi actionis ineſt, &c.* Non itaque in ſolo tempore diſtinctionem ſtatuit, ſed præcipue: quia homini tantum competit *ὁμοίωμα*, hoc eſt, imago & ſimulacrum quoddam diuinæ contemplationis, per quam dicimur eleuari ſupra terminos hominis: quia (vt in eodem capite aſſeritur) qui mente viuunt, non verſantur in vita ciuili, in congreſſu hominum, in humanis perturbationibus, quæ res humanæ dicuntur; ſed ad diuina eleuantur.

Diluuntur rationes Auempaces.

De duabus oſtenſionibus ex Auempace deſumtis, dico primo: per eas non oſtendi connexionem, & actionē intelligendi per eſſentiam; ſed tantum, quod valeamus ſeparatas formas intelligere, quod ego non inficior. Mens namque hominis, cum eſſentiam rei non aptam multiplicari, tum eſſentiam rei ſimplicem eſt nata apprehendere; at non per eſſentiam, adeo vt actus intelligendi ſit eſſentia, vel intelligentis, vel eius quod intelligitur: actus enim intelligendi humanæ animæ, eſt actus ſecundus, qui diſtinguitur à primo, vt patet ex ſecūdo de anima: ſolū itaque intelligit per notiones ex phantaſmatis collectas; nec forte aliud Auempaces ſignificare voluit: alioquin peccaſſet per fallaciam æquiuocationis: trāſiſſet n. ex communibus notionibus collectis, ex phantaſmatis ad eſſentiam ſeparatarū formarum: quibus cōpetit diſtinctum genus abſtractionis, diſtinctumq; genus naturæ ſimplicis nō aptæ multiplicari. Inſuper dum Auempaces conſiderat intelligibile, & conſtituit intellectum cōtemplantem, ſub ea cōditione, qua

eſt in-

eſt intelligibile; quæro, vel conſiderat ſecundam notionem, vel primam: ſi ſecundam, peccat per fallaciam æquiuocationis, progrediens ex conditione ſecundæ notionis ad conditionem primæ: ſi denotat rem primæ notionis, vel denotat intelligibile ſub ratione propria, vel ſub ratione quadam communi omnibus intelligibilibus. Si ſub ratione propria, vt dum ab homine abſtrahitur animal, ab animali corpus animatum, vſque ad ſupremum prædicatum, id profecto fit ope phantaſmatum, ex quibus vel ſine medio, vel mediis aliis notionibus ſupremæ notiones eliciuntur, & ſunt vniuerſalia diſtincti generis á ſeparatis mentibus: ſi vero denotat intelligibile ſolum ſub ratione communi, vt intelligibile, profecto ſub ea communi ratione non eſt natura vna in omnibus eadem, ſed eſt aliquid ab vno, quod in contentis ſub eo varium eſt; & propterea ei vna ſimplex eſſentia non reſpondet, ſed ſolum diſtincte cognoſcitur ex notitia contentorum ſub eo: dum vero apprehenditur ſeorſim ab eis, ſolum confuſe cognoſcitur.

Diluuntur aliæ rationes, explicanturque varia loca, ex quibus videtur poſſe colligi neceſſario ponendam eſſe eam connexionem per eſſentiam.

CAP. XL.

SOlutis communioribus rationibus, quibus oſtendebatur ſummum hominis bonum hanc vitam viuentis (ex opinione Ariſtotelis) in connexione per eſſentiam cum abiunctis mentibus eſſe poſitum; aliæ magis propriæ, magiſque ex ſenſibus, experientia, reique natura depromtæ, diluendæ ſuperſunt; nam ſi oppoſitum affirmaremus, varia videbantur ſequi abſurda. Quorum primum erat, quod ſummum bonum hominis, quod ſubſtantia eſt, eſſet accidens; & propterea iure magis laborandum nobis eſſet pro pecunia paranda, quæ ſubſtantia eſt, quam pro aſſequendo hoc ſummo bono, quod eſt accidens; ſubſtantia enim eſt præſtantior accidente, & finis eius: ita vera eſſet ea ſententia; *O ciues ciues, quærenda pecunia primum eſt, virtus poſt numos.* Reſpondeo conſpirantia ad rei perfectionem: vel pertinent ad id vt ſit, vel vt bene ſit; vt res ſit, habet à ſua forma, ac ita perfectio ſubſtantię eſt ſubſtantia, vt autem bene ſit, non habet á ſubſtantia, non enim vna ſubſtantia completa eſt perfectio alterius, ſed id habet ab accidentibus, & h.e. commune cunctis mortalibus, quare, ſi ſummum bonũ eſt virtus & actio proba, id non eſt abſurdum: nam id eſt bonum noſtrum, natum nos perficere, non alienum, aurum eſt bonum fortunæ, & alienum. Et pro exacta ſolutione vti debemus duab. his diſtinctionibus. Prima eſt, ſummum bonum tripliciter vſurpatur: pro obiecto, & hoc eſt

Diluitur prima ratio ducens ad abſurdum.

Prima diſtinctio.

Deus, qui eſt eſſentia prima; pro eo, quod nos nectit cum obiecto, eique pro facultate reddit ſimiles; & hoc eſt accidens, actio nempe, & virtus; tertio, pro coniuncto ex perfectione proxima, & eo quod perficitur, & hic eſt homo virtute prædituſ, virtuteq; vtens: hoc enim in terris eſt abſolutiſſimum, finiſq; cæterorum, homo ſcilicet virtute vtens. *Secunda diſtinctio.* Altera diſtinctio eſt, ſummum bonum duplex eſt, vel abſolute vt ens, ac ita ſubſtantia eſt præſtantior accidente, vel vt ſubſtantiam humanã perficiens, cum Deoque nectens, & hoc non eſt munus auri, ſed virtutis. Ita vera apparet ſententia *Auerroes.* Auerrois in 5 Metaph. cont. 19. dicentis: *Bonum & malum non dicuntur abſolute pro maiori parte, niſi de accidentibus prodeuntibus ex formis animalium*: & *Linconienſis.* Linconienſis vir acri iudicio præditus, in primo Poſt. c. 17. inquit: *Bonum vniuſcuiuſq; eſt abſolutio ſecundæ perfectionis eius.* *Epilogus.* Colligamus itaque, quod ſummum bonum pro vltimo ſcopo, eſt Deus: qui eſt eſſentia prima: ſummum bonum pro bono noſtro nos perficiente, nectenteq; cum ſcopo, eſt accidens: ſummum bonum pro coniuncto ex perfectione, & eo quod perficitur, eſt coniunctum ex ſubſtantia & accidente, prodeunte ex virtute eius. *Alia inſtantia diluitur.* At inſtabatur adhuc: quia omnis actio eſt alterius gratia, & dirigitur ad bonum. Reſpondeo id bonum, cuius gratia optatur actio, in ipſamet actione includitur; & eſt id rectum & honeſtum, quod reperitur in ea: ideo Ariſtoteles in eodem cap. dixit: finem operantis, nonnunquam eſſe actionem, nonnunquam opus, quod remanet elaboratum. Addebatur ſolum Deum, non autem huiuſmodi actionem, explere omnia noſtra deſideria; Reſpondeo, Deus explet, vt obiectum, actiones autem probę explent vt id, quod nos nectit cum obiecto, eiq; reddit ſimiles. Inſuper dicebatur, quod ſic ſummum bonum poſſet obliuione deleri. Reſpondeo confirmatos habitus tam difficile remoueri, vt immobiles & firmiſſimi dicantur: quia tamen egemus multis; propterea abſurdum non eſt, ſi ob grauiſſimam ægritudinem priuatur homo ſummo bono in contemplatione poſito. Addebatur inſuper, valde leuem, tenebricoſam, inconſtantemq; eſſe humanam ſcientiam, ſtudiumq; eius eſſe cum labore, cum moleſtia, nunquam expleri deſiderium ſciendi, adeo vt potius miſeria, quam vere bonum cenſeri mereatur. Reſpondeo, cum nos ſimus lumine fidei illuſtrati; comparantes ſapientiam humanam cum diuina, inuentioneſque hominum cum diuinis reuelationibus, vere valemus illam paruipendere & diuinis reuelationibus conſtantiſſime adhærere: At dum inter ſe comparamus ea, quæ in noſtra ſunt facultate, noſtroque labore ſunt parta; nil eminentius, nil ſublimius, nil diuinius aſſequi valemus ipſa ſapientia, & contemplatione ex ea prodeunte: inquirimus modo id præſtantiſſimum,

Digitized by Google

quod noſtra cura, ſtudio, labore, & aſſuetudine attingere valemus. Et propterea recte Lucretius, quamuis voluptatem ſibi fecerit Deam, in principio libri ſecundi ita cecinit:

Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena;
Deſpicere vnde queas alios, paſſimq́ videre
Errare, atq́ viam palantis quærere vitæ.
Certare ingenio, contendere nobilitate: &c.

Dicebatur inſuper, ſummum hominis bonum debere eſſe actum vnum. Reſpondeo loquendo de eſſentia ſummi boni; non eſt neceſſe vt ſit actus vnus numero, ſed genere: vnus eſt ratione eſſentiæ animæ, & ratione obiecti; at non ratione eorum, per quæ nectimur & conformamur cum obiecto, ea ſunt plura, vt partes, ex quibus vna integra & abſolutiſſima perfectio conſurgit. Afferebatur ratio ſumta ex conditione noſtræ mentis, quæ à vehementi intelligibili non læditur, ſed perficitur. Reſpondeo, id propterea accidere; quia non vtitur inſtrumento corporeo, nec ex materie pendet: at non ex eo debemus inferre, quod per eſſentiam apprehendat ſeparatas mentes, ſed ſolum, quod eas apprehendere valeat eo intelligendi genere, quod ſibi vt iuncto corpori congruens eſt. Poſtrema ratio ſumebatur ex conditione ſeparatarum formarum; ſingulis enim commune eſt, vt per eſſentiam intelligant: quare id de humana mente negare non debemus, & præſertim, quia Ariſtoteles in tertio de anima cont. 15. inquit: *In his enim, quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit & quod intelligitur: ſcientia namque inſpectrix & ſcibile idem eſt.* Et in context. 19. inquit; *quod intellectus agens eſt ſui eſſentia actio, & quod idem eſt ſcientia actu & ſcibile*: Quibus verbis videtur indicare, intellectum poſſe intelligere per eſſentiam, & præſertim, quia intellectus intelligens ſeipſum id facit per eſſentiam; quare ſimiliter, dum intelligit ſuperiores intelligentias. Hæc exacte diſcutere, pertinet ad tertium de anima: nunc lucide, & breuibus dico: rationem hanc, ſi alicuius eſt momenti, ſolum oſtendere, intellectum abſolute, vt vna intelligentiarum eſt, apprehendere ſuperiores mentes per eſſentiam; non autem vt corpori iungitur, & nos per illum operamur. His accedit, quod magna eſt varietas naturæ & conditionis humanæ mentis, & abiunctarum penitus: non enim illæ ſunt particulæ animæ, actus inſtrumentarii corporis, intelligentes ope phantaſmatum. Ad confirmationem ſumtam ex tertio de anima dico; conſiderat Ariſtoteles, quomodo intellectus ſe intelligat, & ſimul ſit intelligens & intelligibile, ideo inquit: Et ipſe intellectus eſt intelligibilis, vt ipſa intelligibilia, quæ ſunt obiecta eius. Ratio eſt: quia in his, quæ ſunt ſine materie, h. e. dum ſit ſecretio

Ex multis partibus vna integra perfectio eſſentiaq́ exſiſtit.

Explicantur varia verba 3. de anima.

à materie, idem eſt quod intelligit & quod intelligitur, hoc eſt, intelligens, cum primo ſit poteſtate, mox per actum intelligendi ſit ipſum intelligibile: nam ſcientia ſpeculatiua, hoc eſt, actus intelligendi, & ipſum ſcibile, idem eſt: ſcientia enim ſpeculatiua eſt ſcibile per repræſentationem, & per hoc indicat, non dari ſpecies intelligibiles diſtinctas ab actu intelligendi. Hic itaque eſt modus, quo intellectus ſe intelligit: nam intelligendo alia, fit alia: & ea intelligens, actu quodam reflexo intelligit ſe, quatenus cognoſcit ſe eſſe naturam natam fieri omnia. Hoc dixit Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ cont. 39. inquiens: *Seipſum intelligit intellectus, aſſumendo intelligibilia, intelligibilis autem fit, attingens & intelligens: quare idem eſt intellectus & intelligibile, &c.* Et ideo in tertio de anima cont. 8. dixit, *intellectum ſe intelligere, cum fuerit ſingula factus.* Dum autem in cont. 19. inquit, *quod intellectus agens eſt ſui eſſentia actio*: Dico, per hoc non denotari, quod actus intelligendi ſit eius eſſentia: ſed ſolum manifeſtari id, quod illi competit, vt contradiſtinguitur ab intellectu poteſtate: cuius natura in cont. 5. hæc ſola dicebatur, vt ſit poteſtate, ſimiliter è contrario de agente hoc verum eſt, quod hæc ſit natura & conditio eius, vt agat, & quatenus ex parte eius, ſemper agit; ideo vel ratione ſui, vel relatus ad humanam ſpeciem, non aliquando quidem intelligit, aliquando non intelligit: ſed hoc nobis competit ob phantaſiam, ſine qua nil intelligimus.

Intellectus intelligit ſe actu reflexo.

An mens humana nobis iuncta valeat intelligere, quid ſint ſeparatæ mentes. Cap. XLI.

Dum ſermo eſt de modo, quo mens humana valet apprehendere ſeparatas mentes, quatuor occurrunt principales opiniones; vna eſt Academicorum: altera eſt Auerrois, ad quam in parte redigitur opinio Auicennæ. Hi conſentiunt, humanam mentem ita per eſſentiam abiuncta poſſe intelligere, vt actus intelligendi ſit eſſentia intelligentis. Quæ duæ opiniones ſunt reiectæ, quas eſſe falſas vnanimiter affirmant Scotus, & Diuus Thomas. At, cum non ita per eſſentiam intelligantur, ſed per phantaſmata, quæritur nunc [illegible] hoc modo intelligendi, valeamus apprehendere eſſentiam ſeparatorum, vt valemus apprehendere eſſentiam rerum materiatarum. In hac ſignificatione cenſeo debere intelligi difficultatem motam, ac ſub dubio derelictam in 3. de anima 36. quo loci inquit philoſophus: *Omnino autem mens, quæ actu eſt, res ipſa eſt, num autem contingat aliquid ſeparatorum intelligere, ipſam exiſtentem non ſeparatam à magnitudine, nec ne, conſiderandum eſt poſterius, &c.* Dubitat Ariſtoteles de eo intelligendi modo, quo mens per phantaſmata intelligit materiata, & fit ea: intelligit autem eliciens notiones ex phantaſma-

Opinio prima.
Secunda.
Explicatur locus tertii de anima 36.

taſmatis, repræſentantes eſſentiam rei. De hac difficultate duæ ſunt principes opiniones, vna Diui Thomæ, altera Scoti. Cenſet Diuus Thomas, hominem hanc vitam viuentem non poſſe intelligere eſſentiam ſeparatarum mentium, vt patet ex tertio contra Gentiles, capit. 45. concedit enim eas cognoſci, non per ſe, ſed per aliud cognitum, non perfecte, ſed imperfecte, ac ita non quid ſint, ſed quod ſint: quod etiam capit. 49 & 52. confirmat, oſtendens nullam creatam ſubſtantiam poſſe ſua virtute eleuari ad videndam Dei eſſentiam. Cum enim cognitio reſpondeat naturæ & conditioni cognoſcentis; ſi modus, quo res cognoſcenda exiſtit, excedat modum & conditionem cognoſcentis, oportet etiam, vt cognitio eius ſit ſupra naturam cognoſcentis: ideo infert, capit. 49. nos per opera cognoſcere Deum, quod ſit, quod cauſſa ſit cæterorum, quodque cæteris præſtet, & hoc ait eſſe maximum, quod nos in hac vita aſſequi valemus. Ex aduerſo Scotus primo ſentent. diſtinct. 3. in Quolibetis, quæſt. 14. artic. 2. & 4 ſentent. diſtinct. 43. quæſt. 11. ait, fundamentum illud Diui Thomæ eſſe inane; & aſſerit, nos etiam in hac vita poſſe apprehendere eſſentiam ſeparatorum, & quid ſint. Pro opinione prima varia poſſunt afferri; nam ſæpiſſime affirmat Ariſtoteles, nos ſeparatas formas leuiſſime & obſcuriſſime poſſe attingere: vt patet ex principio ſecundi metaphyſicæ, vbi mentem noſtram ad eas ſe habere affirmat, perinde ac oculum noctuæ ad lumen ſolis. Inſuper nono metaphyſicæ cont. 22. inquit: *In eo quod actu eſt, & quid eſt, non eſt decipi, ſed aut intelligere, aut non.* Ex quo elicitur, quæ omnino ſunt ſimplicia, aut penitus cognoſci, aut penitus ignorari: cum autem à nobis abiunctæ formæ non penitus & exacte cognoſcantur, omnino erunt ignotæ, loquendo de attinentibus ad quid ſint. Præterea noſter intellectus corpori iunctus, ſolum intelligit per phantaſmata; ſeparatorum non ſunt phantaſmata, ſed tantum rerum materiatarum, & propterea ſolum ad eſſentiam rei materiatæ nos poſſunt perducere. Hinc obiectum intellectus dicitur eſſentia, & id quod eſt, rei materiatæ. Præterea intelligens & recipiens debet eſſe denudatum natura rei quæ recipitur, ex tertio de anima context. 4. cum igitur humana mens ſit forma abiuncta, non valet eſſentiam abiunctæ formæ recipere. Demum, abiunctas formas cognoſcimus per cœli motum: motus patefacit eas eſſe, non quid ſint, ex eo enim, quod eſt res effecta, colligimus eſſe cauſſam, at non quid ſit; non enim poſterius explicat, quid ſit aliquid prius. Ex aduerſo ſi ea ſententia eſſet vera, minime valuiſſet Ariſtoteles ſummum bonum ponere in contemplatione: non enim beamur cognoſcen[illegible] ſubſtantias abſtractas eſſe, ſed quid ſint; nam cognoſcentes quod ſint,

Opin. tertia D. Thom.

Opin. quarta, & eſt Scoti.

Prima ratio pro opinione D. Thom.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Ratio quarta.

Pro parte aduerſa.

Ratio prima.

Ratio ſecunda. maxime excitatur appetitio cognoſcendi quid ſint. Præterea, dum dicimus aliquid ad vnam vel ad alteram ſcientiam pertinere, conſideramus, non id quod pertinet ad externa, & quod ſit, ſed quod attinet ad quid ſit, & eſſentiam: nam quod ſeparatæ ſubſtantiæ ſint, & cœlum moueant, etiam phyſicus cognoſcere valet, vt patet ex octauo phyſic. cum tamen Ariſt. ſecundo phyſ. 71. & 73. contextib. dicat motores illos immobiles, non ad phy- *Ratio tertia.* ſicum, ſed ad diuinum pertinere. Præterea noſter intellectus cognoſcit ſe, cognoſcendo quid ſit; & hoc ait Ariſtot. in primo de partibus animalium pertinere ad diuinum: quare etiam valet cognoſcere quid ſint ſubſtantiæ ſeparatæ; cum ipſe ſit ex genere *Ratio quarta.* earum. Confirmatur, quia ſi ea ſententia eſſet vera, periret Metaphyſica. Inquit Ariſtot. in ſexto Metaphyſicæ cont. tertio: *Si non darentur ſubſtantiæ abiunctæ, phyſica eſſet prima philoſophia: ſubſtantiæ itaq; abiunctæ conſtituunt Metaphyſicam*: at ſcire non eſt cognoſcere rem eſſe, ſed quid ſit: ſi igitur non poſſemus cognoſcere quid ſint ſubſtantiæ abiunctæ: Metaphyſica non eſſet ſcientia, nec pars philoſophiæ: cum tamen ab Ariſtotele dicatur nedum ſcientia, ſed ſapientia, & nedum prima philoſophia, *Ratio quinta.* verum etiam abſolute philoſophia. Præterea Ariſtoteles frequenter affirmauit, à Metaphyſico cognoſci, quid ſint ſubſtantiæ abiunctæ: Nam in ſecundo phyſicor. context. 26. inquit: *Quomodo autem ſe habeat ſeparata forma, & quid ſit, philoſophiæ primæ munus eſt determinare*: Et ſub initio decimi tertii Metaphyſicæ inquit: *Cum hæc conſideratio ſit, num præter ſenſiles ſubſtantias aliqua ſit immobilis & æterna, necne, & ſi ſit, quænam ſit, &c.* Inſuper in proœmio de anima definitiones ſeparatorum ad diuinum pertinere affirmauit, *definitiones autem explicant, non rem eſſe, ſed quid ſit.* Inſuper, de ſeparatis formis cognoſcimus, quod ſint ſubſtantiæ completæ, ex ſe ſubſiſtentes, ſimplices, puri actus, ſua eſſentia actio, ſint fines: hæc, non quod ſint tantum, ſed quid ſint, patefaciunt. His accedit, quod ex ſententia Ariſtotelis (falſa tamen) intelligentiæ mouent pro viribus, & quadam naturæ neceſſitate, ac pro facultate impartiuntur munera ſua; adeo vt æternus motus, eiuſque velocitas, æquetur virtuti earum, ex quo hæc deducitur ratio. Ea forma, cuius affectio ſub ſenſum cadens æquatur viribus eius, à nobis cognoſci poteſt; nedum quod ſit, verum inſuper quid ſit, at ſeparatæ formæ relatæ ad æternum motum, ex ſententia Ariſtotelis, ita ſe habent, *Ratio ſexta.* quare, &c. Hinc videmus, quod Ariſtoteles in 12. Metaphyſicæ, oſtenſo per æternitatem motus, quod dentur formæ abiunctæ, non in eo ſubſiſtit, ſed vlterius progreditur, & patefacit pertinentia ad cognitionem, ad ordinem, ad prouidentiam, quæ nobis patefaciunt, non quod ſint, ſed quid ſint, huiuſmodi formæ,

nec

Digitized by Google

nec plura profecto de materiatis formis Ariſtoteles explicauit: ita patefecit, eſſe actus ſimplices, ſua eſſentia actiones, materiei expertes, & ſimilia. Pro reſolutione huius difficultatis tres profero aſſertiones.

Reſolutio difficultatis.

Aſſertio prima.

Prima eſt, mens vt particula animi, & iuncta corpori, non valet ita per eſſentiam apprehendere ſeparatas formas, vt actus intelligendi ſit idem cum eſſentia eius: & hæc in præcedentibus aduerſus Academicos, Auerroem, Auicennam, & Algazelem oſtenſa eſt.

Secunda aſſertio.

Altera eſt intellectus corpori iunctus, ob modum intelligendi eius per phantaſmata, non valet exacte & exquiſite apprehendere eſſentiam ſeparatarum formarum, vt apprehendit eſſentiam formarum materiatarum. Ratio affertur ab Ariſtotele in primo de partibus animalium, capite 5. quia parum ſub ſenſum cadunt, & nos ſolum intelligimus per phantaſmata ex ſenſilibus collecta; & hoc oſtendunt rationes pro parte Diui Thomæ relatæ.

Tertia aſſertio.

Tertia aſſertio eſt intellectus corpori iunctus, valet confuſe, obſcure, & imperfecte attingere pertinentia ad eſſentiam ſeparatarum mentium: Ratio eſt, quia niſi menti hoc competeret, non daretur Metaphyſica, vt iam deduxi: Et confirmatur, quia eſſentia formarum ſolum per opera poteſt attingi; cum autem adſint opera indicantia per phantaſmata eſſentiam ſeparatarum formarum, neceſſe eſt fateri, vt etiam eam attingere valeamus.

Primum quod elicitur.

Ex his elicio primo reſolutionem propoſitæ difficultatis.

Secundum.

Reſolutio an pro noſcendo Deo egeamus ſuperno lumine.

Elicio ſecundo reſolutionem alterius difficultatis, quæ agitatur inter Theologos Scholaſticos, num ad noſcenda attinentia ad Deum egeamus ſuperno lumine; nam eo egemus, & non egemus: egemus, vt noſcamus diſtincte, exacte, & certe; non egemus, vt noſcamus confuſe, more philoſophorum: inſuper egemus, non ratione naturæ intellectus, quæ eſt nata omnia apprehendere, ſed ratione mediorum & modi offerendi; non enim per phantaſmata ea valet exacte apprehendere.

Tertium quod elicitur.

Colligo tertio, litem inter Scotum & Diuum Thomam in verbis potius quam in ſententia eſſe poſitam, dum enim de rebus loquimur, quæ ſunt ancipitis conditionis, vtrumque oppoſitorum affirmare valemus: veluti Ariſtoteles affixa lapidibus, & animalia & non animalia, & ſtirpes ac non ſtirpes appellauit, & animalia imperfecta modo aſſeruit, modo inficiatus eſt eſſe prædita phantaſia & guſtatu.

Ænigma Academicorum.

His ac ſimilibus congruenter aptatur ænigma illud a Platone prolatum, quod, quia eſt pulcrum, refertur, *vir non vir, videns non videns, luce non luce, percuſſit non percuſſit, lapide non lapide, auem non auem, in arbore non in arbore*, hoc eſt, Hermaphroditus Luſcus diluculo leuiter percuſſit pumice noctuam in arbuſto exiſtentem. Sic itaque de re propoſita ſe habet: cum enim eſſentia abiunctorum leuiter tantum & obſcure apprehendatur, dicitur apprehendi, &

non apprehendi, ſine contradictione. Rationes, quæ noſtræ reſolutioni aduerſari videntur, facile diluuntur. Nam ea præſertim nobis videtur obeſſe, quæ elicitur ex nono metaphyſicæ 22. dicebatur enim, ſimpliciter ſimplex vel attingi, vel non, ac ita vel penitus cognoſci, vel penitus ignorari. Cui reſpondens accipio primo, dum Ariſtoteles eo loci illam ſententiam profert; pariter dum ſub initio ſecundi metaphyſicæ ait, ſe habere humanam mentem ad ea, quæ ſua natura ſunt manifeſtiſſima, perinde ac oculum noctuæ ad lumen ſolis, minime loqui de ſola cognitione ſeparatarum mentium, (vt eſt multorum opinio) nam vniuerſe loquitur de apprehenſione veri, & eſſentiæ rerum, quæ ſunt ſui natura primæ & ſimplices, à nobis autem vel attinguntur vel non, vt etiam dicitur tertio de anima 26. Addo ſecundo pro ſolutione, quod, quamuis verum, & eſſentię rerum, cum difficultate noſcantur, in ea tamen difficultate reperiuntur gradus ob varietatem phantaſmatum repræſentãtium. Et dum dicitur, quod ſunt indiuiſibiles, & vel attinguntur, vel non: Reſpondeo; eſſentiam rerum dupliciter conſiderari poſſe. Primo ex parte ſui, ex parte humanæ mentis; ac demum ex parte vltimæ differentiæ, quæ ab Ariſtotele ſeptimo Metaphyſicæ 43. dicitur tota rei eſſentia: ratione horum indiuidua eſt, & indiuiſibiliter attingitur. Secundo conſideratur ex parte repræſentantium vel obſcurius, vel clarius, ac inſuper ex parte noſtri modi explicandi per differentias varias, quæ clarius vel obſcurius eſſentiam rei circumſcribunt; ac demum ex parte præuiæ diſpoſitionis, quæ in nobis requiritur pro eſſentiæ apprehenſione: ratione quorum competunt nobis ſucceſſio, gradus, & diſtinctio: adeo vt eſſentiæ vel attingantur, vel non; at non ob id, vel non attingantur omnino, vel exacte attingantur: hoc enim neque dicitur ab Ariſtot. nec verum eſt, ſolum Ariſtot. inquit: *In eo quod actu eſt, & quid eſt* (hoc eſt in apprehenſione eſſentiæ rerum) *non eſt decipi, ſed aut intelligere aut non, &c.* Per hæc aſſerit philoſophus, & confirmat in tertio de anima 26. *eſſentias rerum vel attingi, vel ne, cum ſint indiuidua, at cum attingantur, poſſunt & leuiter & exacte attingi, vt viſibile in ſpeculo, quamuis indiuiduo agat, poteſt & conſpicue & obſcure recipi, ſimiliter viſibilia in oculis noſtris.* Non igitur Ariſtot. in eis locis loquitur de ſola abſtractorum cognitione, ſed vniuerſe de cognitione eſſentiæ rerum, vt conſpicuum eſt perpendendo verba eius: inſuper, non elicitur ex eius ſententia (vt patuit) ſimplicia, & eſſentias rerum, vel exacte noſci, vel ignorari penitus. Et quamuis Ariſtoteles in tertio de anima 36. viſus ſit propoſuiſſe, & non ſoluiſſe difficultatem, an mens humana corpori iuncta valeat apprehendere ſeparatas formas, eam tamen latenter diluit, dum in context. 39. vniuerſe affirmat, nil

Diluitur aduerſa ratio.

Primum quod accipitur.

Alterum.

Eſſentia rerum dupliciter conſideratur.

Colliguntur dicta.

Explicatur locus tertii de anima.

nil à nobis intelligi niſi per phantaſmata; ita ſeparatæ formæ intelliguntur, vt lucent in phantaſmatis motus, & manantium ab eis; ſed noſcuntur adumbrate, leuiter, & obſcure.

Ad quam animæ partem pertineat ſummum bonum.
CAP. XLII.

CVm hactenus cumulate ſatis explicata ſint attinentia ad duplex quæſtionis genus. An ſcilicet ſit, & quid ſit ſummum bonum; reliquum modo eſt, vt perpendamus; ad quam animæ partem pertineat, & quale ſit, ac dubia nonnulla ad id pertinentia diluamus. Plato ſummum bonum animo potius quam compoſito tribuebat, quia conſiderabat illud in connexione animi per mentem & ideas cum ipſo vno bonorum fonte. Ariſtoteles vero inquiens ſummum bonum eſſe actionem; cum actionem tribuat, non animæ, vel adæquato agenti, ſed compoſito; ideo hominem beari, hominemque eſſe natum beari affirmauit. At cum ſummum bonum conueniat homini, vt adæquato ſubiecto, homoque ex variis conſtet; ideo conſiderandum eſt, quæ ſit pars illa; cui primo competit, & per quam præſertim competit compoſito. Cum homo conſtet ex animo & corpore, partem illam non eſſe corpus conſpicuum eſt; partes autem animæ variæ ſunt: de nutriente dubium non eſt, conſtat enim ſummum bonum ad eam non pertinere: dubitatio eſt de appetitu ſenſuum, ad quem pertinent virtutes morales; de voluntate, & de mente. At loquendo de appetitu ſenſuum: quamuis in eo ſint habitus virtutum moralium, & ſit proximum principium actionis: tamen non eſt principium primum, non eſt princeps & dominus; ſed inſeruit rationi, dirigitur à ratione & voluntate; non eſt ex ſe rationis particeps, ſed ſolum natus eſt obtemperare rationi: propterea non eſt putandum ſummum bonum præcipue ad illum pertinere; dico præcipue, quia modo aliquo ſummum bonum etiam ad appetitum ſenſuum extenditur, tanquam ad miniſtrum conſpirantem & libentiſſime inſeruientem rectæ rationi. Remanet itaque dubitatio de mente, & voluntate: quæ profecto leuis non eſt, & viri docti inter ſe diſſentiunt. Scotus, & cum eo alii multi, principatum tribuunt voluntati, ad eamque præſertim ſummum bonum attinere affirmant: D. Thomas diſtinct. 49. quarti, quæſt. 1. aliique cum eo, id tribuunt menti: Ricardus cenſet, ſine medio ſummum bonum competere vtriſque: ſine medio enim frui valemus Deo mente, & voluntate. Pro opinione prima eſt nedum Scotus, verum etiam illi, qui ſententiam ſummi boni in voluptate collocauerunt, voluptas enim ſiue gaudium pertinet ad voluntatem: eſt inſuper doctiſſimus Ficinus in ſecundo Epiſtolarum ſcribens ad Laurentium Medi-

Plato potius animo, Ariſtotel. potius homini ſummum bonum tribuebat.

Homo exaquatum ſubiectum beatitatis.

Summum bonum non competit facultati nutrienti.

Quomodo pertinet ad appetitum ſenſuum.

Opiniones tres, Scoti, D. Thomæ, Ricardi.

Summum bonum præſertim pertinere ad voluntatem.

cem. Potiora horum fundamenta hæc ſunt. Cum beatitudo ſit ſummus actus ſummæ potētiæ circa obiectum ſummum, & obiectum ſummum, vltra quod nihil eſt, ſit Deus, proculdubio beatitudo erit actus ſummus ſummæ potētiæ animæ circa Deum: Actus animæ circa Deum duo ſunt, videre illum per intellectū, eoq; cognito, gaudere per voluntatem. Gaudium in huiuſmodi felicitate præſtantius eſt viſione. Nam præmium reſpondere debet meritis: nos autem longe magis meremur amando, quam indagando Deum. Quod oſtenditur primo, quia nemo in hac vita vere cognoſcit Deum; multi illum vere amant, vt qui cætera propter Deum ſpernunt. Secundo, vt deterius eſt odiſſe Deum quam ignorare, ita melius eſt amare quam intelligere. Tertio, cognitione Dei valemus male vti, amore eius nequaquā. Quarto, qui Deum contēplatur, nil ob hoc Deo tribuit; qui illū amat, & ſe, & cuncta quæ poſſidet, ei tribuit. Quinto, indagādo Deum longo vix tandem tempore proficimus, amādo breuiſſimo plurimum. Sexto, quia amor intimius nectit, ac in vnum redigit; cognitio ſecretionem ſeruat cognoſcentis, & cogniti. Inſuper, amando Deum nedum maiore afficimur voluptate, verum inſuper meliores reddimur; non autem videndo. Præterea videre quærimus, vt gaudeamus, non vice verſa. Et voluntas determinata eſt ad bonum, intellectus eſt indifferens. Præterea anima non in ſe habet ſummum bonum, ſed extra ſe illud quærit; voluntas ad illud ſua natura tendit, & quęrit illud vt vere eſt, intellectus in ſeipſo illud modo quodam per imaginationem ei oblatum, non vt vere eſt, ſcrutatur. Intellectus, ſi eſſet ſine voluntate, nullo frueretur bono; voluntatis conditio eſt frui, & quo aliquis ardentius amat, eo beatior redditur. Inſuper vt ſenſus non fruitur ſuo bono, quia ab eo moueatur; ſed quia in illud ſe reflectat, conuertat, ac effundat; quæ ſpiritalis cōuerſio & effuſio voluptas eſt: ita Deo fruimur, non quia Deus ſe monſtat menti, ſed quia mens amando per voluntatem ſe conuertit in Deum. Ita in die communis iudicii etiam damnandi videbunt Deum, nec ob id beati erunt. Colligunt itaq; quia bonum Deus eſt, & eſſe beatum eſt Deo frui, cum eo fruamur per voluntatem, ſummum bonum ad voluntatem pertinebit. Hæc ſunt potiora fundamenta huius opinionis, & re vera, vt ſunt ſapientiſſimorum virorum, ita ſunt maximi ponderis. Eam tamen eſſe veram minime cenſeo: quod breuibus ratione, & auctoritate patefaciam. Auctoritate primo; nam Plato in Philebo primas ſummi boni partes ſapientiæ tribuit, & negat eas competere voluptati, vt ſuo loco latiſſime patefeci; quare primas partes non voluntati, ſed intellectui tribuit. Præterea in Phædro inquit: *Anima contenta veritatis contemplatione nutritur, & gaudet.* Et poſt pauca: *Subiens rurſus intra*

Non magis meretur amando, quam intelligendo.

Rationes aduerſa.

Ratio.

intra cœlum;domum reuertitur, cum autem redierit, auriga ad præſepe ſiſtens equos, offert illis ambroſiã, & poſt ipſam nectar potãdum, &c. His verbis apertiſſime Plato principatum tribuit intellectui & cognitioni veri, voluntati vero & gaudio ſecundum locum; & in reditu intra cœlum, non in elatione eius ſupra cœlum: anima enim elata ſupra cœlum inſpicit id, quod vere eſt. Præterea Plato per ideas cenſet animam beari, & necti cum Deo; ideæ non ad voluntatem, ſed ad mentem pertinent. Eiuſdem opinionis fuit Ariſt. Ipſe.n.in 10.mor. Nic *ſummum bonum in contemplatione eſſe poſitum* affirmat, & aſſerit eſſe actionem ex virtute omnium perfectiſſima prodeuntem, quam dicit eſſe ſapientiã; vt patet ex 6. mor. in calce: & ego iam pateſeci, ex opinione Ariſt. primas ſummi boni partes non eſſe tribuendas gaudio. Demum id patet ratione: nam (vt alibi pateſeci) dum comparatur mens cum voluntate, menti principatus conuenit: in ea primo & præcipue conſideratur libertas, vel origo eius. Inſuper id omne bonum, quod voluntati conuenit, ortum ducit à mente, à cognitione, & recta ratione: adeo vt eminenter ea omnia munera, quæ tribuuntur voluntati, competant menti, ex ea ducantur & fluant. Ideo in homine ſecũdum naturam affecto, dum mens bene valet, etiam voluntas recte ſe habet, & ſi eueniat ſecus putandum eſt hominem illum pręter naturã eſſe affectum in quo ſummum bonum nõ habet locum. Hinc oritur quod, cui competit ſummum bonum cõtemplationis, etiam competit ſummum bonum morale, vt recte exiſtimauit Porphyrius in lib. 1. de abſtinentia ab eſu carnium: at non vice verſa. Vt de hac difficultate dicã quod ſentio, vtendum puto diſtinctionibus, & primo: vel loquimur de ſummo bono futuræ vitæ, vel præſentis. Si de ſummo bono præſentis vitæ, vel illud conſideramus, vt præparationem ad futurum, vel tanquam finem poſtremum, vt illud conſiderauit Ariſt. Demum, ſi illud conſideramus vt finem poſtremum, vel cõſideramus gradum ſummi boni in actione collocatum, vel gradum poſitum in contemplatione. His præaſſumtis quinque profero concluſiones: prima eſt, ſummum bonum quouis modo conſideratum, ad vtramq; pertinet facultatem, cognoſcẽtem nempe, & appetentem. Ratio eſt, quia per vtramque aſpiramus ob obiectum, nectimur cum eo, illoque fruimur; modo tamen vario: & de hoc conſentiunt omnes, lis tantum eſt de principatu. De quo loquens, ſecundam profero concluſionem, quæ eſt. Si loquimur de ſummo bono futuræ vitæ, illud primo & præcipue ad mentem pertinet: id enim eſt poſitum in Dei intuitu, & viſio Dei erit merces, & cum mens (vt ſuo loco patuit) ſit facultas præſtantior, iure optimo exactiſſimum ſummum bonum primo & præcipue ad eam debet pertinere. At ſi loquimur de ſum-

Ariſt. *Ratio.* *Diſtinctiones.* *Concluſio prima.* *Ratio eius.* *Secunda concluſio.* *Ratio.*

mo bono præſentis vitæ, illudque conſideramus vt viam & præparationem ad futurum, ita ſummum bonum magis pertinebit ad appetitum & voluntatem: & hæc ſit tertia concluſio, quæ oſtenditur: quoniam in hoc vitæ curſu nobis maxime neceſſaria eſt actio proba; per eam enim paramur, & digni reddimur: actio autem ad appetitum proxime pertinet, & eius perfectio in prælectione, quæ ad voluntatem redigitur, eſt collocata, vt ſæpe monet Ariſtoteles; & vbi caritas & amor, ibi Deus eſt. Similiter etiam ſi conſideramus ſummum bonum præſentis vitæ vna cum Ariſtotele non pro via, ſed pro fine; & conſideramus gradum moralem; quarta conſurgit concluſio, quæ eſt: Summum bonum morale præſertim in voluntate & appetitu eſt poſitum. Quæ concluſio patet ex oſtenſione præcedentis; mores enim ad appetitum proprie pertinent; appetitionum principes ſunt prælectio, & voluntas. Ideo Ariſt. in 5. mor. Nicomachiorum definiens vniuerſam iuſtitiam, quæ intra ſuos terminos omnem virtutem includit, dixit eſſe habitum, quo volumus, poſſumus, & agimus iuſta: & in 3. de anima appetitum dixit proprie principium eſſe actionum. At ſi loquimur de ſummo bono præſentis vitæ in contemplatione poſito, conſiderato cum Ariſt. tanquam fine conſurgit concluſio 5. & eſt: Summum bonum primo, & præcipue ad intellectum pertinet. Ratio eſt conſpicua; nam contemplatio ad intellectum, non ad voluntatem pertinet. At quoniam abſolutiſſimum bonum præſentis vitæ, ex ſententia Ariſt. ex vtroque gradu conſurgit, ideo his addere valemus concluſionem ſextam, & erit: Summum bonum præſentis vitæ ob duos eius gradus ad duplicem facultatem proprie pertinet, ad intellectum per contemplationem, ad appetitum per actionem. Demum quia præſertim ſummum bonum eſt, vel cum Theologis illud futuræ vitæ, vel cum Ariſt. contemplatio præſentis vitæ, ideo colligo eos rectius loqui, qui ſummum bonum potius ad intellectum, quam ad voluntatem pertinere affirmát. Ex his elicitur reſolutio difficultatis: & conſtat, de his minime ſine diſtinctione eſſe agendum; conſtat demum, quomodo ad adeptionem ſummi boni facultates omnes conſpirant; cunctæ (vt eis conuenit) fruuntur ſcopo: mens eſt dux, voluntas comes. Appetitus ſenſuũ famulus. At duæ ſuperſunt diluendæ difficultates. Prima eſt, quod ſi voluntas ſequitur cognitionem mentis, & id volumus, quod mens iudicat bonum; apparet etiam ſummum bonum morale, primo ad mentem ſiue intellectum pertinere. Reſpondeo ad illum attinere primo, ratione originis, at non proprietatis: nam dum conſideratur in intellectu, non tranſit gradum cognitionis; tranſit autem ad actionem per voluntatem & prælectionem: ideo Ariſt. 10. moral. cap. octauo, perſe-

Tertia concluſio.
Ratio.
Concluſio quarta.
Ratio.
Concluſio quinta.
Ratio.
Concluſio ſexta.
Verius eſt abſolute dicere ſummum bonum præſertim ad intellectum pertinere.
Prima dubitatio.
Solutio.

Digitized by Google

perfectionem actionis in prælectione eſſe poſitam affirmauit. Altera dubitatio attinens ad bonum futuræ vitæ eſt; quod in die poſtremi iudicii, etiam damnandi videbunt Deum, nec ob eam viſionem erunt felices. Reſpondeo cum Magiſtro Sententiarum lib. 4. diſtinct. 48. *Deum in forma ſerui tunc nobis ſe oblaturum, vt impii expaueſcant: illi enim humanitatem videbunt cum terrore, & ſine gaudio; diuinitatem autem ſoli iuſti videbunt, quam viſionem comitatur gaudium.*

Secunda dubitatio.

Solutio.

An ſummum hominis bonum recipiat magis & minus.

Cap. XLIII.

INter cætera: quæ de ſummo bono quæruntur, hoc dignum conſideratione occurrit; an ſit præditum gradibus, & recipiat magis & minus. Qua de re dum ambigimus, non quærimus, an recipiat magis & minus ſecundum tempus, adeo vt magis & minus diuturnum eſſe valeat; neque etiam ſecundum extenſionem per homines, adeo vt modo plures, modo pauciores reperiantur viri beati; conſtat enim his modis ſummum bonum poſſe recipere magis & minus: dubitatio eſt de gradibus perfectionis formæ, adeo vt vnus altero poſſit dici felicior, & idem homo modo magis modo minus ſit felix: qua de re varij varia dicunt. Plotinus Enneade prima lib. 5. per totum librum oſtendit felicitatem tempore non recipere accretionem; idipſum exiſtimarunt Stoici: quod cõfirmari poteſt, quia id, quod ſua conditione eſt ſummum, non poteſt recipere accretionẽ nec diminutionem; Summum enim in indiuiduo eſt poſitum, vt etiam perfectum, at felicitas eſt huiuſmodi; eſt enim ſummum & maximum bonum: quare non valet creſcere, vel minui. Preterea ſi ſummum bonum minuitur, & creſcit; vel id ei cõpetit ratione virtutis, ex qua prodit, vel ratione temporis, vel ratione inſtrumentorum: non ratione virtutis; quia virtus, ex qua prodit, debet eſſe perfectiſſima, in gradu ſupremo non ſeruatur latitudo: non ratione temporis, quia inquit Ariſt. in 1. moralium diſputans contra ideam boni, nec quia diuturnius, id eſſe magis bonum: non ratione inſtrumentorum, quia virtus & forma non variatur per inſtrumenta, quæ ſunt extra eſſentiam rei. Ex aduerſo Ariſt. in 1. mor. Nicom. c. 10. inquit: *Magna fortunæ beneficia, & multa, vitam beatiorem reddunt, nam & ornamento ſuapte natura ſolent eſſe, & vſus eorum pulcer & bonus efficitur; contraria vero vitam beatam in anguſtias redigunt & labefactant.* Idque confirmatur, quia ſummum bonum eſt actio ex virtute prodiens: at virtus (vt ſuo loco patuit) recipit magis & minus, actio quoque ob varias oportunitates & inſtrumenta poteſt magis & minus fulgere, & eſſe ad votum. De hac difficultate multa à Plot. in libro de ſummo bono dicuntur

Summum bonum non recipi per gradus.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Summum bonum ſuſcipere magis & minus.

Quibus prętermiſſis difficultati breuibus ſatisfaciens dico ſummum bonum conſiderari poſſe; vel ex parte externi obiecti, abſolute conſiderati, ac ita nec maius nec minus recipit, vel ex parte noſtri, vt id obiectum eſt natum à nobis imitari, participari, & nobiſcum iungi. Et tunc vel conſideratur pro ſummo, quod nobis competere poteſt: & hoc quoq; cum ſit ſummum, eſt indiuiduum: vel conſideratur, vt latitudine eſt præditum; & in variis vario modo, ac in eodem modo exactius, modo diminutius recipitur; & hac ratione recipit magis & minus: id ipſum Ariſt. in prædicamento qualitatis dixit de virtutibus, & in 8. Metaph. cont. 10. de eſſentia rerum: quæ ex ſe nec magis nec minus recipiunt, ſed ſolum vt recipiunt in alio. Conſiderandum etiam, ſummum bonum magis ex ſententia Ariſt. recipere magis & minus, quam ex ſententia Platonis & eorum, qui illud conſiderant in connexione per eſſentiam, vt ex ſe ſatis eſt conſpicuum. Ideo illi magis negant id recipere magis & minus: veluti etiam ſummum bonum ſeparatarum mentium nec magis nec minus recipit, dum in eadem intelligentia conſideratur. At ſummum bonum conſideratum ab Ariſtot. quia ſolum eſt vmbra & imago ſummi boni, & cum rebus variabilibus eſt complicatum; proculdubio & illuſtrius & obſcurius eſſe poteſt. *Summa dictorum.* Reſolutio itaque difficultatis hæc eſt: ſummum bonum ita ſumtum, vt illud conſiderauit Ariſtoteles, poteſt recipere magis & minus: tum facta comparatione inter varios homines felices: tum in eodem homine, diſtincto tempore. *Tres hominum gradus.* Nam vniuerſa hominum latitudo in tres principes gradus eſt diſtributa: in infima ſunt viri infelices, in ſuprema felices, in media neutri: & ſinguli gradus latitudine ſunt præditi, medius tamen latiſſimus eſt. Et dum inſtabatur: quia de ratione felicitatis eſt, vt ſit ſummum bonum, finis vltimus, a perfectiſſima virtute prodiens: in qua locum non habet latitudo aliqua. *Duo fundamenta pro ſolutione difficultatum.* Reſpondeo per duo fundamenta. *Primum.* Primum eſt: quod, dum definimus ſummum bonum inſpicimus id ſummum & optimum, quod inueniri excogitariue poſſit: id enim eſt menſura vniuerſæ latitudinis: & hac conſideratione non recipit magis & minus. *Secundum.* Alterum fundamentum eſt, quod vniuerſa latitudo, intra quam ſeruatur felicitas, comparata cum aliis gradibus, obtinet locum optimi & ſummi: facta tamen comparatione inter partes eius, ſecus ſe habet: vna enim obſcurior, altera illuſtrior eſſe poteſt. Hoc tamen verum eſt, quod in latitudine felicitatis omnes viuunt ſua ſorte contenti: ſinguli enim, quod intelligunt de ipſo bono, id amant; quod amant, id appetunt, *Climax.* quod appetunt, cunctis animi facultatibus poſſident: qua poſſeſſione pleniſſime explentur, eximioque gaudio perfunduntur; quo perfuſi iubilant magnificantes Deum.

An

An homo valeat eſſe felix, & non percipere ſe eſſe felicem.
CAP. XLIV.

SÆpe populari quadam voce, ac communi vſu loquendi, dum varias hominum conditiones conſideramus, conſueuimus dicere, nonnullos eſſe felices, non tamen id cognoſcere, neque ſua felicitate frui: adeo vt iure optimo ſuſpicari valeamus, dari poſſe homines felices, qui ſuæ felicitatis non ſint conſcii. Quod etiam poteſt confirmari ratione, quoniam natura rei non ſequitur noſtram cognitionem, ſed vice verſa cognitio noſtra ſequitur naturam rei: & cum res nata cognoſci ſit prior, ac prius ſeruari poſſit ſine poſteriori, colligere valemus ſeruari poſſe felicitatem ſine eius animaduerſione: veluti in prædicamento relationis aſſeruit philoſophus, *cum ſenſilia tum ſcibilia priora eſſe ſenſu & ſcientia, ac ſine his ſeruari poſſe.* Huius ſententiæ fuit Plotinus in libro de beatitudine, cap. 9 vbi aduerſus Peripateticos loquens inquit: *At ſi virtute praditus* (aiunt) *neq; tamen id ſentiens, neq; per virtutem agens; quomodo igitur erit felix?* At ſi non ſentiat ſe eſſe ſanum, nihilominus ſanus erit. Rurſum ſi non aduertat ſe eſſe pulcrum, non minus erit pulcer: ſi autem ſapientem ſe eſſe non ſentiat, minus ne erit ſapiens? His addit cap 10. Sapientiam, eiuſque actionem in eſſentia conſiſtere; nec per ſomnum deperdi, nec dum non animaduertitur: nam animaduerſio fit per reflexionem, reflexio reddit actiones debiliores. Hæc ſententia profecto approbanda non videtur. Primo, quia (vt patuit) felicitas in actione eſt collocata, actio non latet agentem & præcipue, quia actionis præſtantia in prælectione poſita eſt: prælectio autem præligenti eſt conſpicua. Inſuper, felicitatem comitatur gaudium: at non perfunditur gaudio, nec animo quieſcit, quia non animaduertit ſe eſſe felicem. Præterea, in felicitate nil diminutum inueniri debet: at maxime diminuta eſſet eius viri conditio, qui eſſet felix, & non perciperet ſe eſſe felicem; ita enim etiam lapis poſſet eſſe felix. Propterea rectius Seneca Epiſtola 9. dixit: *Miſer eſt, qui ſe beatum non iudicat, licet mundo imperat: non eſt beatus, qui ſe beatum non eſſe putat; veluti etiam non eſt diues, qui ſe eſſe diuitem non agnoſcit.* Propterea ſoluens difficultatem dico, hominem poſſe eſſe felicem tribus modis; primo prædeſtinatione, vt homo viuens hanc vitam prædeſtinatus ad felicitatem futuræ, ſecundo habitu, vt felix dormiens; tertio actu. Si conſideretur primo & ſecundo modo, aſſero hominem poſſe eſſe felicem, & non animaduertere ſe eſſe talem; Si vero conſideretur actu, tunc dico. Si conſideramus ſummum bonum, vt id conſiderarunt Platonici, & Auerroes, poteſt homo eſſe felix actu, & non percipere ſe eſſe talem; quia ſerua-

Quod dentur homines ſua felicitatis inſcii.

Confirmatio.

O quam felices homines, bona ſi ſua norint.

Plotinus.

Pars aduerſa approbatur.

Seneca.

Felix homo tripliciter.

Solutio difficultatis.

tur ea connexio per eſſentiam cum intellectu agente, vel cum Deo, & actus eius, etiam ſine noſtra animaduerſione. Propterea Plotinus conſentanea protulit fundamentis ſuis. At ſi id conſideramus, vt patefeci vſurpati debere apud Ariſt. ſecus ſe habet: ideo Ariſt. in 1. lib. Nicom. c. 3. nec non in 10. c. 6. dixit, *in ſomnis probum ab improbo, felicem à non felici non internoſci*, & *ob id inficiabatur, ſummum bonum in habitu virtutis eſſe collocatum*. His accedit, quod ignorare quid ſit vel non ſit ſummum bonum, & quæ ad ſeipſum pertinent, quidque agat vel non agat, potius eſt viri inſipientis, quam ſapientis & felicis. At cum ad ſummum bonum requiratur animaduerſio, iure optimo dubitabit aliquis, num ſit collocatum in eo quod intelligimus, & recte agimus; vel in eo potius, quod animaduertimus nos intelligere, & recte agere. Reſolutio huius difficultatis ex reſolutione alterius pendet, eius ſcilicet, num ſummum bonum ſit collocatum in actione, vel in gaudio: ſi enim in gaudio eſſet collocatum, id gaudium ex animaduerſione conſurgit: propterea ſummum bonum in eo actu reflexo erat poſitum, quo cognoſcimus nos poſſidere, & aſſecutos eſſe. At quia patefeci, quod gaudium eſt comes, & non eſſentia; ideo aſſerendum eſt, ſummum bonum abſolute in actione perfecta eſſe poſitum: actionem tamen perfectam comitatur animaduerſio, & ita comitatur, vt ſit pars perfectionis eius; non enim ſine animaduerſione eſſet omni ex parte perfecta, ex qua animaduerſione præſertim conſurgit gaudium: Ariſtoteles autem per actionem, quam dixit ſummum bonum, ſignificauit actionem perfectam, quæ non eſt ſine animaduerſione.

Dubitatio.

Conſiderandum tamen, quod animaduertere poſſumus noſtram actionem, vel eadem facultate, vel diſtincta: ſi id fiat diſtincta facultate, vt dum ſenſu communi percipimus nos ſentire; proculdubio actio prima, eiuſque animaduerſio, diſtinctæ ſunt actiones: ſi vero id fiat eadem facultate, vt dum intellectu percipimus nos intelligere: tunc eſt dubitatio, num id fiat eadē, vel diſtincta actione. Si diſtincta, in eis daretur progreſſio in infinitum; quia pariter diſtincta actione perciperemus nos intelligere quod intelligimus, & ſic in infinitum. Si eadem, tunc non daretur vnum ſine altero, at nos percipimus quod ſeparantur, ſępe apertis oculis videmus, & non animaduertimus nos videre. Auicenna putabat id fieri actione diſtincta, & concedebat in eis progreſſum in infinitū quia poteſtate eſt. Auerroes diſputatione ſexta in ſolutione quinti dubii cenſet id fieri, nō diſtincta, ſed eadē actione: quę ſententia conſimilior eſt opinioni Ariſt. & experientiæ: dum. n. cognoſcimus nos videre, eadem prima videndi actione videmus, & cognoſcimus nos videre: nec vlterior datur progreſſio; quia vnicus eſt actus videndi, quo etiā nos videre perci-

Quomodo cognitio, & eius animaduerſio diſtinguantur, & quomodo non.

Auicenna.
Auerroes.

percipimus: ſolum ſuperadditur diſtincta quædã relatio, & perfectio prioris; nõ actio diſtincta. Ideo Ariſt, in 2. de anima, cont. 136. inquit: *Dum reſcindẽdum eſt infinitum, id faciendum eſt in principio*. Et addit, *actum ſentiendi eſſe ſenſile actu, actumque intelligendi eſſe intelligibile actu*: ideo, dum exacte percipimus ſenſile actu, vel intelligibile actu; etiam percipimus nos ſentire & intelligere: & id eſt de perfectione actionis: perfectio enim actionis non eſt ſine lætitia, nec lætitia ſine animaduerſione: & dum videmus, & non animaduertimus nos videre, imperfecte videmus. At dicet aliquis: ſi actio eſſet vna; non poſſemus dicere, ego video me videre: quia hoc dicentes, indicamus nouam actionem relatam ad primum videndi actum. Reſpondeo, ſi quis dicit ego video me videre, quæram ego, quo vides te videre? proculdubio non poterit dicere, ſe id animaduertere, niſi per primum videndi actum; primus enim actus eſt viſile actu, & viſus actu: ideo videntes viſile actu, iudicamus actum viſus; ſolum ſuperaddimus relationem diſtinctam, ob cuius diſtinctionẽ dicimur videre quod videmus: ideo Ariſtot. in 2. de anima, dixit; *externos ſenſus ſentire quod ſentiant, cum tamen in eis duo diſtincti actus non inueniantur*. Sed de his exactius in libris de anima. Ex dictis conſpicua eſt reſolutio difficultatis, & ſolutio aduerſarum rationum. Dum vulgo dicitur, aliquem eſſe felicem, & non percipere ſe eſſe felicem; non proprie vſurpatur nomen felicitatis, ſed populariter, pro copia bonorum fortunæ vel naturæ. Addebatur, rem cognoſcẽdam eſſe priorem cognitione, & ſeruari poſſe ſine cognitione. Reſpondeo, id eſſe verum, quotieſcunque ea cognitio, non eſt de ratione rei; at de actione, in qua eſt poſita felicitas, ſecus ſe habet; ea enim animaduerſio eſt de ratione perfectionis actionis, & ſummi boni. *Dubitatio.*

Qui gradus ſummi boni conſtantior ac firmior ſit, num pertinens ad actionem, vel potius pertinens ad contemplationem. Cap. XLV.

SVmmum hominis bonum firmiſſimum eſt & conſtantiſſimum omnium bonorum, quæ homini competere poſſunt: propterea comparatur homo felix cum corpore cubo, quod impelli poteſt non autem proſterni; ſemper enim manet erectum: At non adeo firmum & conſtans eſt, vt alicui permutationi nõ ſit obnoxium; propterea duo emergũt dubia: vnum eſt, qui gradus ſummi boni firmior & cõſtantior ſit: alterum vero, num vir felix in miſerum, & vice verſa, miſer in felicẽ verti poſſit. De prima difficultate Ariſt. modo vnam, modo alteram partẽ approbare videtur. Nam in primo moral. Nicom. cap. 10. felicitatem moralem firmiorem videtur aſſerere; inquit enim: *Nulla in re* *Prima dubitatio.* *Secunda.* *Quod bonum morale firmius.*

humana tanta ineſt firmitudo, quanta in iis actionibus, quæ ex virtute prodeunt; nam hæ ſcientiis ipſis ſtabiliores ac diuturniores eſſe videntur: atque harum ipſarum, vt quæque plurimi eſt, ita diutiſſime permanet, propterea quod in eis maxime & aſſidue ætatem agunt beati; quæ videtur eſſe cauſa, cur nulla vnquam obliuione deleantur, &c. Apertiſſime Ariſt. actiones morales firmiores eſſe ſcientiis affirmat. In decimo autem libro, cap. 7. oppoſitum videtur aſſerere: comparans enim ſapientiam & contemplationem cum morali bono, inquit: *Præterea enim contemplatio maxime aſſidua eſt; nam res aſſidue contemplari, magis quam quiduis agere poſſumus:* Et poſt pauca id confirmans inquit, *Sapiens dum ſpeculatur, non eget alio; vt vero fungatur munere virtutum moralium, alio eget.* Rationes etiam ſunt pro vtraque parte. Summum bonum morale videtur firmius: quia virtutes morales ſunt magis in noſtra poteſtate, aſſuetudine & more comparantur; & dum nobis ſe offert occaſio, niſi virtutis conditioni aduerſemur, non poſſumus non agere: Inſuper, continenter vir probus ſua probitate vtitur; & niſi extrinſecus operetur, intus ſaltem perturbationes componit, ac ex omni ſibi oblata oportunitate honeſtum elicit. Ex aduerſo contemplatio videtur conſtantior: quoniam magis eſt eleuata ſupra fluxum rerum, minus eſt collocata in manibus fortunæ, minus eget muneribus eius, in rebus firmioribus verſatur; & ad firmiorem animæ partem pertinet, nempe ad mentem, ſupra ſenſus eleuatam, & ad ſupera conuerſam. De hac difficultate dicendum cenſeo, hos duos ſummi boni gradus dupliciter conſiderari poſſe: Primo, ex parte rei, in qua verſantur; ac ita nemini dubium eſt contemplationem in re firmiore verſari, cum verſetur in cognitione eorum, quæ ſemper eodem modo ſe habẽt. Secundo conſiderari poſſe per relationem ad nos, quibus competunt: & tunc dicendum cenſeo, vel loquimur de habitu vel de actione. Si de actione, actio moralis eſt duplex; interna vna, altera externa. Si loquimur de interna, ea eſt conſtãtior, quia per moralem virtutem continenter intus parati ſumus ad agẽdum vt decet, dum offertur occaſio; at non ſic ſe habet de contemplatione. Si loquimur de externa, de hac verum eſt quod egemus alio: ac ita minus aſſidue valemus agere, quam contemplari. Per hoc diluitur contradictio in Ariſtotele. Loquendo etiam de habitu dico, moralem eſſe firmiorem: primo, ob internas actiones magis aſſiduas: ſecundo, quia aſſuetudine, non diſciplina acquiritur; & ob id minus obliuioni ſubiicitur: tertio, quia eſt habitus magis neceſſarius; & homo non poteſt aſſequi ſummum bonum contemplationis; niſi ornatus ſit ſummo bono morali. Ex his patet ſolutio rationum vtriuſque partis.

Ariſtot. non videtur ſibi conſtare.

Rationes pro vtraque parte.

Solutio.

An

Digitized by Google

An vir felix valeat euadere miſer, & vice verſa, miſer, felix.

CAP. XLVI.

QVærebatur, vtrum felix poſſit reddi miſer, & vice verſa. Qua de re ſi populorum voci præbemus fidem, vtique dicẽdum eſt, id contingere poſſe, cum frequẽter fortuna eos euehat, quos primo depreſſerat, eoſque deprimat, quos primo ſublimes extulerat: cuius permutationis innumera nobis Roma præbere valet exempla. Idque ratione confirmatur, quia contraria ſunt nata inuicem permutari, & idem contrariorum eſt capax. Inſuper, ſi conuertimur ad gradum contemplationis, animaduertamus ignarum ignorantia prauæ affectionis, poſſe euadere ſapientẽ, & contra ſapientẽ labi in phreneſin, delirare, omniumq; obliuiſci; quemadmodum ob peſtem contigiſſe Thucydides & Lucretius cecinerunt. Id ipſum de felicitate morali oſtẽdi poteſt; nam deterius eſt bono priuari, quã nunquã id poſſidere: & ꝓpterea miſerior eſſe videtur, qui ex gradu felici in Priami labitur calamitates, quã qui in eaſdẽ labitur ex gradu non felici. Inſuper, cum homo ꝑ aduerſos fortunæ flatus poſſit reddi non felix, vt in primo de morib. conceditur, & qui nõ eſt felix & mediat, valeat in vtrumque extremum permutari; conſpicuum eſt, ꝙ etiam miſer reddi poterit. Hinc Ariſtoteles in poſtprædicamentis concedit habitus, quãuis cum difficultate & tarde, poſſe tamen inter ſe ꝑmutari: Plato etiã in Protagora affirmat, virum bonũ poſſe reddi prauum, & vice verſa. Ex aduerſo Ariſtot. in primo moralium Nicomachiorum, capite decimo inquit: *Quod ſi ita eſt, qui beatus ſit, miſer eſſe nullo modo poteſt: non tamen beatus ſit quidem, ſi in Priami calamitates incidat, &c.* Inſuper addit, *Sic neque talibus fortunæ caſibus perfunctus, rurſus breui tempore fieri poterit beatus, ſed ſi fiet, longo & iuſto temporis interuallo fiet, magnarum & honeſtarum rerum interea compos effectus, &c.* Cenſet igitur Ariſtotel. beatum poſſe quidem reddi non beatum, miſerum vero nequaquam; ac contra, virum felicitate priuatum poſſe illam recuperare. Soluens dicendum cenſeo; hominem medium ad vtramque partem paratum, poſſe vtramque recipere, at contractum habitum permutare difficilimum eſſe. Permutatio autem vel debet fieri virtute diuina, vel humana: de diuina; per quam Paulus ex perſecutore redditus eſt miles domini & vas electionis, aliique multi peccatores viri ſancti euaſerũt; ego nõ loquor, nec de ea eſt dubitatio. Ambigimus de mutatione humanis viribus facta, & de felicitate præſentis vitæ à Peripateticis explicata. De qua loquẽs dico, felicitatem eſſe duplicem; popularem vnam; alteram magis proprie ſumptam, & in præcedentibus declaratam. Si de

Plato.

Ariſt.

Solutio.

Solutio difficultatis.

vulgari loquimur, quæ in fortunæ gradibus eſt collocata, non eſt dubium, hominem modo per fortunam euehi, modo deprimi; cuius rei innumera exſtãt tragica exempla, & de ea non ambigimus. At ſi loquimur de felicitate Peripateticorum, dicendum cenſeo, eam ex extremo in extremum commutationem fieri non poſſe, & nullo exemplo id contigiſſe cognoſcimus. Et primo de felicitate in cõtẽplatione poſita id ſatis conſtat, non enim homo ſapiẽs, cui omnia (vt homini licet) ſint aperta, adeo mutari poteſt, vt cõtrario habitu deformetur: ægritudines obliuionem pariunt, at non inducunt habitum deprauatę ignorantiæ. Similiter dum cõtractus eſt habitus deprauatæ ignorantiæ, non poteſt deleri, & ſapientiæ habitus induci, qui etiam in animo recte affecto cum difficultate formatur: & præſertim, quia adultorum, & ſenum ignorantia firmiſſima eſt. ideo dixit Diuus Hieronymus; *difficile eſt ſenum mutare ſententiam: nam opinionem, quam ſuſceperunt, aut nunquam, aut omnium ægerrime deſerunt, illumque eo pertinacius defendunt, ne vulgo indoctiores, & leues videantur.* Idipſum de felicitate morali dicendum eſt, & præſertim, quia oſtenſum eſt eam eſſe firmiorem. Contingere profecto poteſt, vt felix priuetur fortunæ muneribus, ſed vt euadat vitioſus, & adeo inſipiat, vt habitum vitiorum induat; ne excogitare quidem valemus: non enim prudentia & virtutes, tam leues tamque imbecillæ ſunt, vt in contrarium habitum verti poſſint; adeo vt, quod primo vir ille felix iudicauit bonum & honeſtum, mox malum & turpe cenſeat. Ex his patet reſolutio difficultatis, vnum tamen explicandum ſupereſt, vtrum nempe ſit difficilius; virum felicem exuere felicitatis ornamẽtum, an virum miſerum reddi non miſerum: nam pro vtraque parte exſtant rationes. Quod ſit difficilius virum felicem euadere non felicem, oſtenditur; nam felicitas eſt bonum omnium humanorum bonorum maxime firmum. Præterea, poſſeſſor eius ſummopere nititur id ſeruare, miſer contra nititur pro facultate à miſeria liberari. Ex aduerſo, quod difficilius ſit miſerum reddi non miſerum, oſtenditur: quia difficilius eſt aſcendere, quam labi. Inſuper Ariſtoteles in 2. phyſ. cont. 56. de proſpera fortuna dixit, *quod incerta, & inconſtans ſit, quia inconſtantior eſt, quam aduerſa.* Præterea Plato in Protagora explicans ſententiam Simonidis dixit, *Res autem ita ſe habet, vt fieri bonum poſſibile ſit, difficile tamen, ſeruari autem bonum, penitus impoſſibile.* Soluẽs dubitationem dico: Vel difficultas conſideratur ex parte conditionis rei permutandæ, vel ex parte noſtri, in quibus, & per quos debet fieri permutatio: ſi conſideratur ex parte conditionis rei permutandæ, quia malum eſt latius, nobis per ſenſus familiarius, viaque ad illud multiplicior & facilior; ideo hac conſideratione facilius eſt labi, difficilius

D. Hieronymus.

Altera dubitatio.

Quid difficilius, num exuere habitum ſummi boni, vel illum ſummi mali.

Solutio.

ficilius eleuari: ex parte autē noſtri ſecus ſe habet; facilius enim eſſe videtur, vt miſer à miſeria liberetur. Ratio eſt, quia nemo eſt adeo deprauatus, qui in parte non ſit conſcius ſui erroris: nemo eſt adeo vitiis inquinatus, qui non præſentiat detrimenta, quibus per vitia afficitur, & propterea aliqua ex parte non appetat liberari à vitio: homo enim vitioſus nec ſibi, nec aliis eſt amicus: nil enim in ſe habet, quod amari debeat; & propterea ſua conditione non contentus, ſemper conqueritur, ſemper mutationem expetit: contra autem ſe habet in viro probo, & felici, qui cum ſit ſua ſorte contentus, nil aliud quærit, niſi ſuæ ſortis conſeruationem; & ideo minor ratione eius eſt nata fieri permutatio. His accedit, quod vitæ progreſſus & ſenium, cōducunt mutationi in melius: tunc enim homines minus ad voluptatē, malorum eſcam, redduntur procliues, adeo vt ſenes, niſi vitium deſerant, deſerantur ab eo, & hoc innumera nobis patefaciunt exempla, in longe pluribus enim legitur mutationem factam ex malo in bonum, quam vice verſa. Ex his conſtat reſolutio difficultatis, & dilutio rationum vtriuſque partis.

An gradus vnus ſummi boni valeat ſine reliquo ſeruari.
Cap. XLVII.

DVo conſtituti ſunt gradus ſummi boni, vnus ad actionem, alter ad contemplationem pertinens: de quibus hoc conſideratione dignum occurrit, an vnus ſeorſim ab altero ſeruari poſſit. Quod ciuile bonum ſeruari valeat ſine bono cōtemplationis, oſtenditur primo: quia eſt gradus prior, ordinatus ad alterum: gradus origine prior valet ſine poſteriore ſeruari. Quod patet inductione: nam in reipubl. adminiſtratione innumeri reperti ſunt viri magnifici, viri prudentes, ſenatores integerrimi, in quibus nil deſiderari poſſe videtur, quod ad virum ciuilē pertineat: qui tamen cōtemplationi nunquam nauarunt operam, ſed ſolo rerum vſu, congruenteque aſſuetudine tales euaſerunt. Confirmatur, quia contemplatio, & actio diſtrahunt animum ad oppoſita, contemplatio eleuat ad diuina, actio ad humana conuertit, & propterea potius ſe mutuo impediunt, quam perficiant. Vice verſa gradum cōtemplationis poſſe à ciuili ſeiungi oſtēditur: nam in primo libro de repub. vir in ſolitudine collocatus, cōtemplationi incumbens, Deus dicitur; at in ſolitudine non fruitur ciuili bono. Inſuper in ſexto moralium Nicomach. cap. 7. Anaxagoras, Thales, & ſimiles philoſophi, ſapientes quidem, at non prudentes dicti ſunt. Similiter Plato frequenter aſſerit, *virum contemplationi incumbentem, minime eſſe aptum ad actiones ciuiles. & in eis ſe irriſione dignum patefacere, & iure: nam ciuilia negligit, eiſque non eſt aſſuetus.* Auerroes etiam in procœmio

Ciuile bonum ſeruari ſine contemplatione.

Contemplationem ſeruari ſine bono ciuili.

Ariſtoteles.

Plato.

Μονώτης θεὸς ἐστι Deus.

Auerroes.

lib.Phyſicorum patefecit poſſe contingere, vt aliquis ſit ſapiens & malus, & iure: nam (vt in primo Rhetoricorum oſtenditur) ſola virtute morali non valemus male vti, ſapientia autem male vti valemus & propterea idem poteſt eſſe ſapiens, & vitioſus.

Solutio difficultatis.

Diluens difficultatem dico, ſi loquimur de ſummo bono hominis hanc vitam viuentis, conſideratione Theologorum, vt ordinatur ad proximum & futurum bonum, aſſerendum eſt, ſummum bonum morale poſſe ſeruari ſine contemplatione ex habitu ſcientiarum prodeunte, at non contra: ſi autem loquimur de ſummo bono Peripateticorum, vnus gradus ſine altero exacte ſeruari & conſiſtere nequit.

Felicitas ciuilis non eſt perfecta ſine contemplatione ac vice verſa.

Bonum morale ſine contemplatione nõ poteſt eſſe perfectum, quia prudentia & moralis virtus a ſapientia recipit principia, & ſine ea firma & conſtans eſſe non valet. Inſuper non valet ciuilis cuncta recte diſponere, leges condere, & de illis recte iudicare, niſi conditiones rerum, dignitatem earum, merita, hominiſque perfectionem exacte cognoſcat, quod ſine ſapientia aſſequi non valet. Altera ex parte, gradus ſummi boni in contemplatione poſiti neceſſario expoſcit gradum moralem, vt Porphyrius in libro primo, de abſtinentia ab eſu carnium patefecit, idque neceſſarium eſt primo, vt recte habitu contemplationis vtamur.

Porphyrius. *Ratio prima.*

Secundo, ratione purgationis: nam (vt in 7. phyſ. cont. 20. aſſerit Ariſtoteles) *qui ſcientias vult aſſequi, perturbationes animi componere tenetur*: quod etiam in ſexto dialogo de republ. cumulatiſſime Plato patefecit.

Secunda.

Tertio, ratione perfectionis actionis: vir enim intemperatus, vel ambitioſus, vel auarus, nunquam perfecte in contemplatione verſabitur, ſed continenter a variis perturbationibus diſtrahetur.

Tertia.

Quarto, ratione gaudii ſummum bonum comitantis: vir enim vitioſus minime (dum fungitur munere contemplationis) gaudebit quantum, quando & quomodo oportet.

Quarta.

Quinto, ob fructus & ſigna: congruens enim animi compoſitio eſt fructus contemplationis, & ſignum habitus recte formati.

Quinta.

Accedit, quod (vt inquit Ariſtoteles in tertio moralium Nicomachiorum, capit. 1.) omnis vitioſus eſt ignarus, quare ſapiens, vt ſapiens, non valet eſſe vitioſus. Iure itaque Ariſtoteles in 7. de republ. capite tertio, inquit: *Vir Deus ipſe recte ſe haberet, & mundus totus, ſi præter proprias actiones ſuas, nullis externis actionibus fungerentur.*

Sexta.

Colligamus itaque gradum vnum ſummi boni ſine altero conſiſtere non poſſe: & ratio eſt, quia ſummum bonum expoſcit virtutem perfectam, at nec prudentia ſine ſapientia, nec ſapientia ſine prudentia omni ex parte perfecta eſt. Contingere tamen poteſt, vt homo vnus magis vni gradui, quam alter alteri ſit addictus, idque oritur, vel ex facilitate ſuæ naturę, vel ex variis opportunitatibus, inſtrumentis & aſſuetudinibus. Et facta comparatione

Digitized by Google

tione inter duos ſummi boni gradus, magis gradus moralis ſeruari poteſt (imperfecte tamen) ſine contemplatione, quam cōtra; compoſitio enim morum eſt magis neceſſaria. Ideo Ariſtoteles in ſeptimo de republ. capite decimo quinto, inquit, *primo componendum eſſe appetitum, mox rationem.* Rationes aduerſæ per ea, quæ dicta ſunt, facile diluuntur. Oſtendebatur gradum moralem poſſe conſiſtere ſine altero, quia eſt origine prior. Reſpōdeo, illum eſſe priorem origine ſecundum eſſe imperfectum, at ſecundum eius poſtremam perfectionem eſſe poſteriorem, quoniam principia & conſtantiam recipit a contemplatione, vt dixi. Confirmabatur exemplo multorum ciuium. Reſpondeo, eos eſſe morales ſine poſtrema perfectione, eſſe morales modo quodam practico, non theorico, & propterea non perfecte in primo ſummi boni gradu eſſe collocatos. Addebatur tertio, eos gradus animum ad oppoſita diſtrahere. Reſpondeo, ea non eſſe vere oppoſita, ſed ſubordinata: ciuilis purgat, & parat ad contemplationem; contemplatio dat principia, & perfectionem ciuili: adeo vt diſtincta ratione mutuo ſe perficiant, & vnum ſit prius altero; & poteſt homo diſtincto tempore vtrique nauare operam, & vni magis quam alteri eſſe addictus, ac inſuper ſimul fungi munere vtriuſque: dum enim vir probus ſpeculatur, ſimul paratus eſt (quando oportuerit) fungi muneribus aliarum virtutum; ac ſimul fungitur munere temperantiæ, fortitudinis, manſuetudinis & contemplationis: imo, dum contemplatur, ſe parat ad actionem: contemplatur enim diuina, vt ad eorum imitationem componat humana. Pro parte aduerſa oſtendebatur, contemplationis gradum ſeruari ſine reliquo, quia in ſolitudine incumbens contemplationi non agit. Reſpondeo, falſum eſſe quod non agat: primo, non morabitur in ſolitudine, niſi iudicet melius ſibi eſſe ſolitariam ducere vitam, quam ciuilem, & eam viuens vitam, operatur per temperantiam, per magnanimitatem, & per ſimiles virtutes, vt conſpicuum eſt. At erat inſtantia de Thalete, Anaxagora, & ſimilibus, qui fuere ſapientes, non prudentes. Hanc difficultatem in præcedentibus diſſolui: nunc breuibus repeto, eos fuiſſe ſapientes, & prudentes vera prudentia, per quam, neglectis vilioribus, ſola diuina & pretioſa magnifaciebant, & hæc prudentia eſt illa, quæ ſummum bonum perficit: non autem erant prudentes prudētia populari, quæ verſatur in cura bonorum vtilium. Inſuper, non erant prudentes pro vſu ciuilium adminiſtrationum, vt neque etiam Diogenes, & Stoici, qui de ſolo morali bono fuere ſoliciti, & propterea inepti erant ad propria quædam officia reipublicæ: at (vt dixi) non eſt hæc ea prudentia, quæ gradum

Diluuntur aduerſa rationes.

Contemplantis eſt actio, quæ dicitur vulgaris.

primum ſummi boni conſtituit, & neceſſaria eſt ad ſecundum & ſupremum gradum. Addebatur poſtremo, ex ſententia Auerrois ſapientiam cũ prauitate poſſe iungi. Reſpondeo, ſapientia perfecta & abſoluta (vt docuit Plato in ſexto de rep.) ſeruari nõ poteſt, niſi in animo purgato & recte affecto, in quo parit ſummũ bonum: at in animo perperam affecto ſolum obſcure & imperfecte reperiri poteſt; & ideo in eo nõ pariet fructum ſummi boni, quod nil niſi perfectum expoſcit. Poteſt homo eſſe ſolers, acutus, argutus diſputator, philologus, multa intelligere; at non vere eſſe ſapiens, niſi animo bene valeat. Ideo illi, de quibus loquebatur Auerroes; potius erant philologi, quam philoſophi, potius ſophiſtæ, quam ſapientes: non enim vt decet ſpeculatur, qui cuncta nõ redigit in Deum, & cum Deo non conformatur; quod viro improbo competere non poteſt.

Comparatio ſummi boni Theologorum cum eo, quod explicatum fuit ab Ariſtotele. CAP. XLVIII.

RECTVM (communi hominum conſenſione) eſt medium, regula & menſura omnium obliquitatum: propterea, cum ſummum bonum ſolis Theologis munere diuinæ reuelationis exacte ſit notum, cum eo comparari debent ceterorum ſententiæ; & eatenus approbandæ ſunt, quatenus cum eo conſentiũt. Summum bonum à Peripateticis explicatum, cõſiderari poteſt conſideratione quadam communi, & propria. Conſideratum conſideratione communi, nempe vt eſt actio ex perfecta virtute prodiens, profecto magnifieri & approbari debet: nam proculdubio, dum hanc vitã viuimus, nil in noſtra facultate reperitur, quod ſit præclarius, nobiſque ſalutarius actione proba: in hac omnem noſtram curam & diligẽtiam collocare, huc omnes virium noſtrarum neruos dirigere ac intẽdere tenemur. At ſi deinde nonnulla propria conſiderentur, magna eget ea opinio emendatione & directione. Dum enim primo actio proba conſideratur, vt finis vltimus ad alium finem non ordinatus: emendari profecto debet: eatenus enim ea actio approbanda, magnique facienda eſt, quatenus alteri fini cõducit vltimo & præſtantiſſimo. Inſuper, cum huiuſmodi ſummum bonum ex virtute ꝓdeat; virtus autem in medio ſit collocata, quod decernitur & conſtituitur per prudentiam, cum relatione ad finem vltimum: propterea, quia finis à Peripatetico non in futura, ſed in hac vita conſtituitur, cogitur de medio frequenter minus recte ſentire, & id iudicare medium, quod re vera nõ eſt: quare per rectam vltimi finis cognitionem emẽdari debet omnis obliquitas, quæ in medio à Peripatetico cõſtituto reperitur. Ex his oritur, quod, quãuis ſummum bonum à Peripatetico excogitatum, expoſcat

Quid recti dicant Peripatetici.

Quæ ſunt corrigenda. Primo emendari debet ratione finis. Secundo ratione mediorum.

ætatem

Digitized by Google

Tertio ratione connexorum.

ætatem & vitã perfectam: nec valeat pueris, ſeruis & pauperibus competere: ſummum bonum recte ſumptum, nec eas expoſcit conditiones, & omni ætati & gradui hominum aliqua ratione valet cõuenire. Demum, id ſummum bonum, quod a Peripatetico explicatur, non extenditur ad corpus, nec munus aliquod corpori impartitur: ſummum autem bonum ſolidum & ſincerum, quamuis in hac vita potius aduerſetur corpori, quam proſit, in futura tamen corpori quoque ſalutare eſt per illud: nam redditur corpus immune a ꝑpeſſione; redditur tenue & purum, adeo vt poſſit ꝑ alia corpora meare; redditur aptiſſimum ad motũ, adeo vt ſine auxilio pedũ ad ſublimia valeat eleuari; demũ redditur ꝑſpicuum & lucidum. His accedit, quod ſummum bonum à Peripatetico explicatum, nõ eſt proprium Dei munus, ſed fructus cenſeri debet philoſophiæ ac hominis per naturam competere natum eſt munere ſtudii, curæ, diligentiæ, & laborum ſuorum: cum ex aduerſo vera felicitas expoſtulat gratiam gratum facientem, ſit munus Dei, nobis tributum, non tamen fiat nobis. Dum hoc ſummum Peripateticorum bonum ita directum reformatumque fuerit, vere poterimus dicere: quod non amplius vmbra, ſed vera eſſentia, non inane aliquid, ſed ſolidum, non tenebræ, ſed lumen erit: & vere iudicabimus eas tres affectiones in eo connecti, quæ (vt inquit Ariſt. in primo magnorum moraliũ, nec non in primo Nicomac.) perperam Deliaco carmine ſecernebantur: nam in inſula Delo, templo Apollinis inſcriptum legebatur; *Pulcerrimum eſt id, quod maxime eſt iuſtum, optimum eſt bene valere, iucundiſſimum vero aſſequi, quod quiſque expetit, &c.*

Summum bonum Peripatetic. cum conducit corpori.

Quomodo optimum pulcerrimum & iucundiſſimum ſe habeant ad ſummum bonum.

Quibus carminibus pulcerrimum, optimum & iucundiſſimum ſubiecto ſecernebantur; cum tamen ſecreta non ſint, ſed eidem conueniant, nempe felicitati: in ea namque ſola ea tria in gradu ſupremo conſpirant. Pro quorum explicatione tria declaranda occurrunt: primo, quomodo inuicem ſe habeant ea tria: ſecundo, vtrum ſubiecto ſecernãtur: tertio, quomodo felicitati competant. De quibus expedite loquens dico, conſiderari primo bonum, tanquam ſolem, fontem & principium, ex quo ſecundo manat pulcrum, tanquam ſplendor, riuus & medium, conſurgit tertio ſuaue, quaſi fructus: dum cõſideratur vt bonum, parit admirationem, vt pulcrum parit amorem, vt ſuaue, deſideria explet; vt pulcrum, reſpondet menti, vt ſuaue, volũtati, vt bonum, vtrique.

An ſubiecto ſecernantur.

Ariſtot. non videtur ſibi conſtare.

Plato.

Cum pateat, quomodo inuicem ſe habeant; quæritur, num ſubiecto ſecernantur: qua de re Ariſtoteles ſibi non videtur conſtare. Nam in primo magnorum moralium, & lucidius in primo Eudemiorum inquit, ſubiecto non ſecerni; & propterea epigramma templo Apollinis inſcriptum damnat, quo ea ſubiecto ſecerni aſſerebatur. Plato etiam in Alcibiade primo, omne

turpe, qua turpe, eſſe malum, & omne pulcrum, qua pulcrum, eſſe bonum affirmat: & iure profecto; nam pulcri principiũ bonum eſt: ita etiam ex vtriuſque philoſophi ſententia nil re vera, ſuique natura eſt ſuaue, quod non ſit bonum. Ex aduerſo Ariſtoteles 13. metaphyſicæ, c. 3. pulcrum & bonum etiam ſubiecto differre affirmat, inquit enim; *Pulcrum & bonum differũt; bonum enim in actione eſt, pulcrum vero etiam in immobilibus reperitur: pulcri namque principales ſpecies ſunt ordo, commenſuratio & definitum, &c.* Sic itaque philoſophus pulcrum ſeruari ſine bono affirmat; & in mathematicis reperiri ait pulcrum, non bonum: Ratio eſt; quia bonum ſeruat rationem finis; finis expoſcit actionem & motum, à quibus abſtrahit mathematicus. Pro ſolutione apparentis controuerſiæ dico: Ea tria vel ſumuntur cum excellentia & ſuprema perfectione, vel ſumuntur latius pro quauis forma eorum: ſi late & cum diminutione vſurpantur, poſſunt re & ſubiecto ſeiungi: at ſi ſumuntur pro eorum exacta perfectione, profecto ſola ratione, non ſubiecto ſecernuntur: & hac conſideratione in his mortalibus ſoli felicitati conueniunt; ea namque ſola apud nos optima, pulcerrima & iucundiſſima eſt. Ideo recte Ariſtoteles illud epigramma damnauit: nam in eo cum ſuperlatiuo proferunt, optimum, pulcerrimum & iucundiſſimum; quæ cum ſuperlatiuo ſumpta minime ſecerni dicuntur. Propterea errant nonnulli interpretes, vt Lambinus, & alii; qui Latinum reddentes illud epigramma, ſuperlatiuis non vtuntur: nam conſonantiæ nominum incumbentes, ſententiam euertunt, ac falſam reddunt. At perpendamus, quomodo ea tria felicitati congruant. Primo ea optima eſt, cum ſit ſummum bonum. & finis poſtremus eorum quæ in noſtra facultate poſita ſunt; inſuper eſt optima, munere obiecti, qui Deus eſt. Secundo eſt pulcerrima, pulcritudine quidem non ad corpus, ſed ad animum pertinẽte; ſola enim virtus, & proba actio, formoſum reddunt animum. Nam ſi pulcritudo ex partium ratione, proportioneque conſurgit, hæc felicitati conueniunt; cum includat miram quandam conſenſionem, ordinem, obedientiam, moderationem, ꝓportionemque partium, perturbationum & actionum animi. Si etiam pulcritudo eſt ſplendor ex ſimplici & præſtanti forma prodiens; nulla in humanis eſt forma virtute, probaque actione illuſtrior: inſuper ſi pulcritudo ex bono pendet, bonique ſplendor eſt, huiuſmodi ſunt functiones munerum virtutis: quæ, tanquam ex ſole radii, ex virtute prodeuntes, vitam hominis, familias, temp. & vniuerſum hunc in orbem ſplendidiſſime illuſtrant. Sententia fuit Ciceronis; quod ſi virtus oculis corporis inſpiceretur, admirabiles in nobis procrearet affectus. Similem ſententiam protulit Seneca epiſt. 116. inquiens: *Non eſt ornamen-*

Ex aduerſo.

Solutio difficultatis.

Error quorundam interpretum.

Summum bonum quomodo optimum.

Quomodo pulcerrimum.

ornamentum virile concinnitas: Si nobis boni viri liceret animum inſpicere, ô quam pulcram faciem, quam ſanctam, quam magnifice lucedeque fulgentem eam intueremur. At cur opus eſt, vt corporeis oculis inſpiciatur? cum inſpici valeat oculo mentis, præſtantiore mille oculis corporis: & propterea in eo, qui mentis acie non eſt captus, affectus parit, nedum admirabiles, verum qui nec explicari nec mente quidem concipi queant. Tertio iucundiſſima eſt felicitas: cum enim ſit bonum ex ſe ſatis, in eaque reperiatur, quicquid à nobis expeti poſſit; iure animus ob eam incomparabili gaudio perfunditur, & in ea cumulatiſſime acquieſcit. Demum, quia bonum triplex eſt, honeſtum, vtile & delectabile; felicitas, vt optima, honeſta eſt; vt pulcerrima, animos ad ſe alliciens, vtilis eſt; vt iucundiſſima, veram & ſynceram delectationem præbet, omneque deſiderium viri probi explet.

Quomodo iucundiſſimum.

De miſeriis, ſiue ſummo hominis malo.
CAP. XLIX.

REprehendebat Ariſtot. in ſecundo de anima veteres philoſophos, quia de ſcientia diſſeruerunt, de ignorantia vero nullum fecere verbum: quæ tamen nobis familiariſſima eſt, & plurimum temporis nobiſcum moratur. At lõge magis nos damnãdi eſſemus, ſi de ſummo bono loquentes, miſeriam & calamitatem ſilentio præteriremus, cum nobis ſit familiarior, ac in eam frequenter labamur præcipites. Imo (vt Homerus 19. Iliadis aſſerit, & confirmat Plato in conuiuio.) Ate, id eſt, calamitatis Dea, mollis eſt, molleſque pedes habet, & nunquam pauimenta calcat, ſed per capita hominum incedit: verba Homeri hæc ſunt:

Quid ſit agendum de miſeria.

Homerus.

Antiqua Iouis filia Ate, quæ omnes lædit,
Pernicioſa, cuius molles ſunt pedes: non enim per pauimenta
Ambulat, ſed per virorum capita incedit, lædens eos, &c.

Iure igitur de humana miſeria tenemur diſſerere. Miſeriæ & calamitatis nomine eam intelligi volo, quæ felicitati opponitur: & cum ſimus loquuti de ſummo bono, non futuræ, ſed præſentis vitæ; ſimiliter de ſola miſeria præſentis vitæ tenemur verba facere. Miſeriam dari, humanoque generi familiariſſimam eſſe, multi experiuntur, apertoque ore fatentur: quod autem ea ſit, facile conſtare poteſt ex ſummi boni declaratione; cõtrariorum enim eadem eſt diſciplina. Iam declaratum eſt felicitatem non eſſe poſitam in bonis fortunæ, vel naturæ; propterea miſeria, & calamitas ei oppoſita, non in aduerſa fortuna, neque in aduerſa valetudine locum habet: ſi quis enim ſtrenue cum fortuna dimicat, & aduerſam valetudinem patienter ferat; felicis potius,

Quid miſeria nomine denotatur.

Miſeriam dari conſtat teſtimonio experientia.

Quid ſit miſeria.

quam infelicis conditiones ſeruabit. Cum itaq; felicitas ſit bonum animi, ſit actio proba ex perfecta virtute prodiens, in vita perfecta: miſeria ei cõtraria, cenſeri debet actio improba ex perfecto vitio ꝓdiens in ætate perfecta.

Ariſtoteles.

Hoc affirmauit Ariſtoteles primo Nicomachiorum, c.10. inquiens; *actiones virtutis eſſe beatitudinis dominas, contrarii vero dominas eſſe contrarias actiones*: Et lib.9.cap.4. aſſeruit, *improbum vehementer eſſe miſerum, & nec aliis, nec ſibi eſſe amicum, nil enim in ſe habet amabile.*

Plato.

Plato etiam 9. de republica hanc veritatem confirmans recte dixit, *hominem illum debere cenſeri miſerrimum, qui maxime eſt iniquus.*

Duplex miſeria.

Inſuper, vt duplex eſt felicitas, ciuilis vna, altera in contemplatione poſita; ita duplex eſt infelicitas, vna ex vitio, altera ex perfecta ignoratione prodiens: quæ perfecta ignorantia nõ negationis eſt, qualis eſt ea puerorum, ſed deprauatæ affectionis: & quẽadmodum contemplationis felicitas per ſapientiam nos eleuat ad Deum, ac Dei gloriam nobis patefacit; ita hæc ignorantia prauæ affectionis, quæ miſeros nos reddit, ea præſertim eſt, per quam de Deo perperam ſentimus, quod vniuerſæ noſtræ deprauationis eſt principium. Inſuper, vt ex duplici gradu felicitatis abſolutiſſima conſurgebat felicitas, ita ex duplici gradu miſeriæ miſeria conſurgit deterrima & infeſtiſſima.

Thebanorum ſapientes.

Thebanorum ſapientes ſatis accommodata metaphora ignorantiæ conditionem patefecerunt: finxerunt Sphingem præ ſe ferentem ignorantiam, ænigmata proponentem, cum qua hac lege dimicaturi erãt homines; vt, niſi ænigmata ſoluerent, ab ea perderentur. Vitii vero imaginem viri eruditi formarunt, manu vna enſem, altera coronam geſtantem: vt qui vitium ſuperarent, corona honeſtarẽtur; qui ei ſuccumberent, enſe vſque ad intima cordis transfigerentur. Hæc indicant, ex ignorantia & vitio humanam miſeriam prodire.

Quatuor peruertentia hominem.

Cum igitur quatuor ſint, quæ homini ſummopere ſunt aduerſa; incontinentia, vitium, feritas & ignorantia: nitendum pro facultate eſt, non vt euadamus diuites, non vt incommoda naturæ vitemus; ſed vt Herculem imitati, armati continentia, virtute ciuili, heroica & ſapientia, ea quaſi monſtra proſternamus, & eas animi peſtes, deformitates & impotentias, longe à nobis repellamus: animo meditantes ſententiam illam à Platone Minoe prolatam; *ſacratiſſimum omnium eſſe virum probum, prophaniſſimum vero improbum*:

Vir prauus ratione morum magis diſtat à Deo quam fera.

Vir enim prauus, ratione vitii & deprauationis, magis a Deo diſtat, quam iumentum & fera: hæc enim per ſolam negationem à Deo recedunt; non per contrarium habitum, & aduerſam animi conſtitutionem, per quam ab eo recedit deprauatus homo.

Quodnam ſit vitium perfectum, ex quo prodit miſeria hominis. CAP. L.

QVemadmodum virtutis gradus, & genera, varia ſunt; ita quoque multa eſſe vitiorum genera neceſſe eſt: Quinque ſtatuebantur virtutum principales gradus, vnus naturæ, ſecundus morum, tertius heroum, quartus rationis, poſtremus diuinæ virtutis; quinque ſimiliter ſtatui debent gradus vitiorum: monſtra & ægritudines, ſunt vitia naturæ: auaritia & intemperantia, vitia morum: feritas infra hominem deprimens: inſcitia & imprudentia, vitia rationis: demum receſſus à religione, pietate & caritate, ſunt vitia cum diuina conditione pugnantia. Omne vitium vt vitiũ, eſt receſſus à lege, ab ordine, a recto, à perfectione, & ab eo quod abſolute & vere eſt: At nos de vitio naturæ, & de eo, ꝙ cum diuina virtute pugnat, non tenemur verba facere; non enim aduerſantur ei ſummo bono, de quo ſumus locuti: ignorantia etiam, cum ex ſe ſatis ſit conſpicua, prætereunda eſt: & de ſolo vitio morali, deque eo quod heroicę virtuti oppon[i]tur, quod multiplex eſt, vt noſtro inſtituto inſeruit, eſt agẽdum. Virtus eſt habitus perficiens id, cuius eſt virtus, & operam eius: ſimiliter vitium eſt habitus deprauans id cuius eſt vitium, & eius operam: virtus in medio eſt poſita: vitium à medio declinat. Medium à virtute ſeruandum, dupliciter poteſt ſtatui & definiri: vel exquiſitiſſime, & hoc fit per decem præcepta, & leges Domini: quas qui deſerit, in vitium labitur, & reus mortis euadit: vel id fit per hominis prudentiam, & rectam eius rationem, naturæ & conditioni rerum cõſentaneam. Philoſophi primam medii circumſcriptionem non inſpicientes, alteram ſunt ſecuti, quæ in hominis facultate & viribus eſt poſita: erit itaque morale vitium habitus appetitionis ſenſuum, cum prælectione iunctus, in nimium vel parũ declinãs. Et quoniam in rebuſpub. tale mediũ lege definitur; & in ſola repub. recte inſtituta recte decernitur, in aliis perperam: ideo euenire poteſt, vt id quod per relationem ad perperam formatas leges eſt vitium, abſolute ſit virtus; & econtrario, vt virtus ſit vitium. Inſuper, quemadmodũ moralis virtus duplex eſt, vna vniuerſa, altera in parte ſumpta; & vniuerſa dicebatur virtus perfecta: ita etiam vitium eſt duplex, vniuerſum & in parte; vitium in parte eſt, vt auaritia, intemperantia, & ſimilia; vitium vniuerſum vniuerſæ virtuti eſt contrarium, & nuncupatur vitium perfectum, ex quo miſeria manat: At dubium eſt, num dari poſſit vitium vniuerſum; apparet enim id minime poſſe dari. Nam virtus vniuerſa dari poteſt, quia partes eius inter ſe non pugnant, ſed mira harmonia, miraque conſenſione iunctæ ſunt, & mutuo ſe perficiunt: vitia ſecus ſe ha-

Quinque gradus virtutum.

Quinque gradus vitiorum.

Omne vitium eſt receſſus à lege, ordine, recto.

De quo vitio ſit agendum.

Quid vitium.

Definitio vitii accuratior.

Vitium duplex.

An dari poſſit vitium vniuerſum.

bent;ea namque nedum explodunt virtutem, ſed inter ſe etiam acerrime pugnant, ſeque mutuo deſtruunt & euertunt: timiditas cum audacia,auaritia cum prodigalitate,ſeruari non poteſt; & propterea non videtur poſſe dari vitium vniuerſum, vitiumque perfectum. Ideo Ariſtoteles 4. moralium Nicomachiorum, dixit; *non poſſe in eodem reperiri vitium ſecundum omnes conditiones virtuti aduerſas; nam malum etiam ſeipſum perdit.* Confirmatur, quia vitium vt vitium eſt malum, malum vt malum eſt non ens, & propterea ſine fundamento boni conſiſtere nequit. Ideo dixit Auerroes in 2. poſteriorum, 28. *ægritudo non poteſt corpori competere ſine aliqua ſanitate, qua tanquam fundamento nitatur:* Plotinus Ennead. 3 lib. 2. cap. 5. aſſerit; *Omnino vero malum exiſtimare debemus boni defectum:* Et magnus Dionyſius in libro de diuinis nominibus enuntiauit; *malum eſſe priuationem, defectum, infirmitatem inconcinnitatem, errorem, incommenſurationem: deſtitutum ſcopo, pulcritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, cauſa, interminatum, ſterile iners, imbecillum, confuſum, diſſimile, infinitum, tenebricoſum, eſſentia carens, nullo modo, nuſquam, & nihil exiſtens:* quare in vniuerſo non poteſt dari ſummum malum, nil boni includens, vt datur ſummum bonum ab omni malo ſecretum. Quomodo itaque dictum eſt, miſeriam à perfectio vitio manare? Vt difficultati ſatisfaciam, accipio primo, malum eſſe duplex; vnum metaphyſicum, alterum morale, vel phyſicum. Primum abſolute non eſt; vt inane, infinitum actu, & ſimilia. Alterum vero adhuc dupliciter conſiderari poteſt: primo abſolute, vt eſt qualitas vel operatio aliqua; & hac conſideratione eſt aliquid, & quatenus eſt, dicitur bonum: ſecundo conſideratur, vt eſt receſſus à lege, à medio, à recto, a commenſuratione, & demum ab eo, quod bonum eſt; & hac conſideratione dicitur ſimul non ens, & malum; receſſus enim eſt deſtructio, & non ens. Hoc patet exemplo febris: nam calor eius, vt qualitas, eſt ens & bona; vt receſſus a temperamento, eſt deſtructio, non ens & malum: quod, vt non ens & malum, à nullo optatur, ſi autem optatur, ſolum ei competit, vt ens & bonum eſt. Propterea recte in Enchiridio dixit Epictetus Stoicus: *Quemadmodum ſagittariis non ideo ſignum figitur, vt non attingatur; ita neque mali natura in mundo producitur.* Malum itaque vt malum, non eſt: at cum non ſit, eſt huius conditionis, vt ſemper dicatur aſſiſtere, nitique bono, vt dixit Auerroes in 2. poſt. & affirmauit Simplicius in Epictetum, cap. 51. Et huiuſmodi eſt vitium & miſeria. Ex his patet, quomodo vitium reperiatur, ac ſimul non ſit; ſupereſt videndum, quomodo dici poſſit perfectum: quod ei competit duplici conſideratione. Primo, quatenus eſt habitus; vt enim virtus omnis, dū habitu firmata eſt, in ſuo genere dicitur perfecta, ac per eam vir pro-

Dionyſius.

Malum duplex.

Quomodo malum non ſit.

Epictetus.

Quomodo vitium ſit perfectum. Modus primus.

Digitized by Google

vir probus denominatur; ita ſingula vitia habitu confirmata, dicuntur perfecta, ac per ea homo dicitur improbus: in qua ſignificatione Ariſtoteles in calce quinti Nicomachiorũ ait; *dari vitia perfecta & imperfecta*; at hoc minus ad rem facit. Ideo ſecundo vitium dicitur vniuerſum & perfectum, oppoſitum vniuerſæ & perfectæ virtuti, quatenus vitia omnia iuncta quodammodo & complicata ſunt: quod quomodo contingat, conſiderandum, vitia eſſe huius conditionis; vt ſimul & iuncta ſint & maxime inter ſe pugnare dicantur. Inter ſe pugnant, quatenus ſunt duo extrema maxime diſtantia, vt prodigalitas & auaritia: iuncta autem ſunt tripliciter; primo per principium, ſecundo per medium, tertio per finem. Per principium, quia vt prudentia eſt principium virtutum omnium, cunctarumque ſemina includit; ita imprudentia vitiorum: omnis enim vitioſus eſt imprudens. Secundo per medium ſunt iuncta, quia omne vitium eſt receſſus a medio, euerſio medii, obliquitas & inobedientia. Demum nectuntur fine: vt enim virtus omnis ducit ad honeſtum, & ſummum bonum; ita vitium omne peruertit naturam, aduerſatur honeſto, & parit ſummũ malum. Hac conſideratione dum vitium comparatur cum virtute: vt virtus omnis eſt forma, & quatenus forma, eſt cõtinens, & modo quodam exſuperatio (vt conſtat ex primo phyſ. cont. 49. & 55) ita vitium omne eſt defectio, diminutio, & priuatio. Sic itaque vitia connexa ſunt, & qui in vno delinquit, omnium præſumitur reus: per quoduis enim vitium euertitur virtus; & caritas, commune ligamentum ac ſpiritus, exſtinguitur. Ex his cõſtat, quomodo detur vitium vniuerſum, quod vniuerſæ virtuti opponitur, ac id ipſum dici poteſt vitium perfectum & abſolutiſſimum: cum tamen nomen perfecti congruentius virtuti tribuatur; vitium vero abſolute ſit deformitas, deprauatio & imperfectio.

Modus alter.

Vitia maxime iuncta & maxime ſeiuncta.

Vitia tripliciter iuncta.

Quomodo vitio competat dextrum & ſiniſtrum, quomodo competat cauſa, & cui animæ parti competat.

CAP. LI.

PHilon Hebræus, de quo ob ingenii felicitatem dictum eſt, (aut Plato Philonizat, aut Philon Platonizat) cõſiderabat in vitiis dextrũ & ſiniſtrum: exſuperantiam enim nuncupabat dextrum, defectionem ſiniſtrum, virtutem autẽ aſſerebat eſſe viam regiam & mediam: At rectius fortaſſe alia cõſideratione vitium omne ſiniſtrum, virtus vero dextrum dici meretur: non enim nomen dextri præſtantiam ſignificantis, recte congruit vitio. Dum itaque virtus eſt extremum præſtantius, dextra dicitur: dum vero conſideramus vniuerſam latitudinem, cuius extrema

Vitium omne ſiniſtrum.

[illegible] | ſunt receſſus, & vitia, ita virtus eſt media; & adeo media, vt de eã paradoxum illud enuntiare valeamus, medium eſt plus quam totum; quatenus medium ſolum vniuerſæ latitudini præſtat. At cum oſtenſum ſit vitium, quatenus vitium, eſſe priuationem & defectionem, iure quæritur, an ei cõpetat cauſa efficiens. Breuibus dico; ei competere cauſam nõ per ſe, ſed ex euentu; non vere efficientem, ſed potius deficientem: non ei competit efficiens per ſe; quia non operatur, vt malum, ſed ſub forma apparẽtis boni: eius cauſa non vere eſt efficiens, ſed deficiens; quia malũ patrat per impotẽtiam & depriuationem ſuis. Ideo recte magnus ille Dionyſius Areopagita in libro de diuinis nominib. dicebat; vitium carere efficiente, eſſentia & fine. Et quemadmodum agens de virtute pateſeci, virtutem vniuerſam eſſe ſui, & aliorum recte compoſitum amorem: ita de vitio dicendum cenſeo, vitium omne eſſe amorem ſui, & aliorum menſura carentem; qui rectius odium, quam amor dici meretur. Vt pateat natura, & cauſa vitii; perpendendi ſunt gradus omnes, qui conſiderantur in actione, partim interna, partim externa, quos alibi cumulatius explicaui: Qua vero inſtituto noſtro inſeruit, conſiderantur hi ſex gradus. Primo nobis ſe offert theſaurus alienus, qui abſolute cognoſcitur. Secundo iudicatur, vt bonus nobis, noſtræque vitæ accommodatus. Tertio conſultamus, an illum ſurripere debeamus. Quarto ſententiam enuntiamus, eſſe ſurripiendum; cui conſenſum præbemus. Quinto ſequitur prælectio: & demum concurrentia ad externam actionem. Natura vitii præſertim in eo quarto gradu poſita eſt, quatenus ſententiæ aſſentimus; quæ eſt euerſio recti, auerſioque à lege; & niſi impediremur, id præligeremus, facinuſque patraremus; externa autem actio eſt vltima abſolutio vitii, eiuſque confirmatio. At cum declarata ſit natura, & conditio vitii, conſiderandum occurrit, in qua animæ parte præſertim locum habeat. Qua de re breuibus, & lucide agens, putandum cenſeo perinde ſe habere de vitio, ac ſuo loco de virtute ſe habere pateſeci: vt itaque virtus variæ conſideratione ad varias pertinet facultates, ita vitium ſe habet. Poteſt vitium quatuor modis conſiderari: primo, vt habitus aſſuetudine comparatus, perturbationem aliquam præpoſtere formãs, habitui virtutis oppoſitus; & ita ad appetitum ſenſuum pertinet: ſecundo poteſt cõſiderari ex parte principalis dirigentis ad actionem improbam; & hoc cum ſit deprauata voluntas, peruerſaque ratio, hac conſideratione ad voluntatem & rationem pertinebit: tertio poteſt conſiderari ex parte inſtigantium, & nos inuitantium ad vitia; ac ita ad ſenſus præſertim pertinere putandum eſt: demum conſiderari poteſt inſpiciendo conſenſum & prælectionem, in quibus

An vitio competat cauſa efficiens.

Vitium omne eſt deprauatus amor.

Sex gradus ſeriatim in actione conſiderati.

In qua animæ parte ſit vitium.

Vitium quadrupliciter conſideratur.

Digitized by Google

quibus præſertim eſt poſita eſſentia vitii; & quia hic eſt conſenſus practicus, & fit conſpirante ratione per ſententiam. & appetitu ſenſuum per amplexionem; ideo hac quarta conſideratione pertinet ad conſpirationem rationis, & appetitus ſenſuum: adeo vt modo vario facultates omnes delinquant, & reddantur dignæ pœna.

De distinctione, & numero Vitiorum. CAP. LII.

QVamuis vitiorum & ſcelerum infinitus ſit numerus, eorum tamen certa quædam & definita ſunt capita. Pro quorum inuentione accipiendum eſt primo; errata ab homine fieri poſſe, vel non ſponte, vel ſponte: ſi non ſponte fiant; non indicant hominem improbum, nec prodeunt ex vitio: ſi fiunt ſponte, hęc ſunt duplicia, nonnulla fiunt ira, & perturbatione, ſine præcurrente conſultatione, & prælectione; alia fiunt cum conſultatione, & prælectione. Ex his tribus capitibus tria prodeunt genera errorum relata ab Ariſtotele in primo Rhetoricorum, nec non in quinto moral. Nicom. c. 8. Errata enim, vel non fiunt ſponte, vel fiunt perturbatione aliqua, vel conſultatione, & prę-electione. Ad primum caput rediguntur errata per ignorationem circumſtantiarum; quæ ignorantia duplex eſſe poteſt; vel enim eſt præter rationem, vt res quæ ignoratur, ita ſe habeat, & tunc ſi quid mali eueniat, dicitur infortunium, veluti ſi quis lapidem proiiciat in fluuium, & ſub aqua piſcator lateat, quem interficiat, dicitur mala fortuna illum interfeciſſe; id enim fit per concurſum externi latentis, quem ibi reperiri præter rationem eſt: vel ea ignorantia non eſt præter rationem, ſed fit aliquid temere ac inconſiderate, & ſine malitia; vt ſi quis inconſiderate aquam in viam proiiciat, per quam multi tranſire conſueuerunt: & tranſeuntem, quem non viderat, madefaciat. Hoc itaque eſt primum genus improbæ actionis. Alterum eſt, dum aliquid fit ſine conſultatione, vt ira, vel cupiditate aliqua. Tertium, dum fit cognitione, prælectione, & (vt addit Ariſtoteles quinto moralium Nicom. cap. 9.) contra voluptatem recipientis. Primus error maxime dignus eſt excuſatione, & nonnunquam miſericordia: ſecundus minus: tertius minime: per prima duo genera homo non denominatur vitioſus, & improbus, ſed per tertium, patrat enim vitium vitioſe. Vt autem pateat, hoc tertium genus quotuplex ſit; operæ pretium eſt conſiderare omne vitii genus ſemper aliquid euertere, alicui aduerſari, & contra aliquid eſſe. Et quamuis omne vitii genus contra hominem, & contra Deum, eſſe dicatur; quia per illud homo ſe bono priuat, à Deoque recedit: pro prietate tamen quadam poteſt vitium eſſe, vel contra ſeipſum, vel contra priuatum proximum,

Tria genera improbarum actionum.

Primum genus.

Secundum.

Tertium.

Omne Vitium aliquid euertit.

Digitized by Google

Quinq; gradus vitiorum.

Tot vitiorum genera, quot virtutes.

vel contra patriam, vel contra naturam, vel contra Deum. Ex quo prodeunt quinque gradus vitiorum, vel minus, vel magis pernicioſi; qui omnes gradus deinde in varia capita diſtribuuntur. De quibus capitibus loquens dico: tot eſſe vitiorum genera, quot ſunt genera mediorum, mandatorum, legum, & virtutum; vitium enim omne eſt receſſus à medio, quod lege, virtute, mandato, rectaque ratione decernitur. Ideo, dum cum Theologis decem Dei præcepta conſideramus, inde peccatorum decem genera manare inſpicimus; & ea ſeptem, quæ mortalia peccata nuncupantur, ſunt, præſertim occaſiones recedendi à lege & mandatis Dei: Dum vero cum Ariſtotele conſideramus numerum virtutum moralium, quæ ſunt tanquam prima præcepta moralia; tot vitiorum genera manare videmus, quot ſunt morales virtutes: nam quamuis virtus in medio duorum vitiorum ſit poſita; ea tamen extrema per hoc nectuntur, quod ſunt receſſus ab vno medio. Inſuper, vt morales virtutes in capita quædam redigebantur, & in eis conſiderabantur virtutes ciuiles, & heroicæ; ita de vitio ad feritatem quoque extenſo ſe habere putandum eſt. Inſuper vt virtutum quinque conſiderantur gradus; datur enim virtus phyſica, moralis, rationis, heroica, & diuina, ita quinque ſunt genera vitiorum his oppoſita: At cum capita vitiorum ſint definita, & certa; modi tamen eorum ſunt innumeri, cum modis innumeris valeamus deſerere medium: ideo iure dixit Pythagoras, *virtutem definitam eſſe, vitium eſſe infinitum.*

Dubitatio.

Verum dubitare quis poſſet: cum regula ſit, quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot dici & alterum; quomodo de virtute & vitio ſecus ſe habere dictum eſt?

Solutio.

Pro ſolutione dico duo: primum eſt, regulam eſſe veram inſpiciendo genera, & prima capita, non modos ſingulos. Ideo Ariſtoteles in quarto Topicorum loco ſeptimo inquit: *Inſtantia eſt de ſanitate, & ægritudine; abſolute enim ſanitas ægritudini eſt contraria; aliqua autem ægritudo, cum ſit ſpecies ægritudinis, nulli eſt contraria, vt febris, lippitudo, & ſimiles.* Addo ſecundo, id eſſe verum; non ſecundum rei formam abſolute ſumtam, ſed ſaltem ſecundum diſtinctam rationem, & conſiderationem: eadem namque ſanitas, diſtinctis rationibus, diſtinctis ægritudinibus opponitur. Similiter de virtute, & vitio ſe habere putandum eſt.

Vitium Cerbero deſignatum trifauci.

Vitium accommodata metaphora trifauci Cerbero dicitur ſimile: præditum enim eſt tribus quaſi faucibus; quibus vorat ſe, virtutem, & medium vtriuſque: vorat principium, medium, & finem noſtræ perfectionis: euertit præterita, præſentia, & futura bona: labefactat honeſtum, vtile, & vere iucundum: turbat bona naturæ, fortunæ, & animi: peruertit voluntatem, cupiditatem, & rationem; labefactat actionem, præ-

electionem, & conſultationem: extenuat fidem, ſpem, & caritatem: explodit religionem, pietatem, & ſanctitatem. Propterea putandum eſt viro vitioſo optimum eſſe dare pœnas delictorum ſuorum; adeo vt malum pœnæ bonum ſit, à bonoque prodeat, & vnuſquiſque vitio inquinatus eximias ei gratias referre tenetur, á quo corrigitur, &, dum opus fuerit, etiam apud iudicem accuſatur; nam ſi ſanati corpore gratias referunt medico, longe magis id facere tenentur illi, qui curantur animo, cum de hac ſanitate ſolicitiores eſſe teneamur. Ideo recte Plato in Gorgia aſſerebat, *optimum eſſe viro improbo puniri: munere enim pœna purgatur à labe præteriti ſceleris, & emendatur pro futuro bono* Ideo monebat, nos debere præcipue vti rhetorica pro accuſandis amicis, & conſanguineis. At quæritur; ſi viro vitioſo bonum eſt dare pœnas, cur id pro facultate vitatur? Reſpondeo id ex duplici cauſſa ortum ducere: prima eſt, quia ſunt praui, ſequuntur ſenſum, diligunt voluptates ſenſuum, quibus pœnæ aduerſantur, altera eſt; quia, vt honor eſt ſignum virtutis, ita pœna vitii: & quamuis homines ſint vitioſi, ſemper tamen & pro facultate infamiæ notam, & præſertim publicam, vitant: improbitatis enim nomen diſplicet cunctis.

Plato.

Dubitatio.

Solutio.

Difficultates aliæ ad vitia, & miſeriam pertinentes.

CAP. LIII.

Quid homini familiarius? ignorantia vel vitium.

QVoniam miſeria, & vitium arctiſſimo nodo iuncta ſunt, propterea mirum non eſt, ſi pertinentia ad vtrumq; ſummopere permiſcentur. Quæritur, cum ignorantia & vitium ſint homini maxime familiaria, & ab vtriſque magna cum difficultate liberetur; vtrum ei ſit familiarius, & á quo facilius valeat liberari? Varia pro vtraque parte dici poſſent; quibus prætermiſſis, & breuibus difficultati reſpondens, dico primo. Dum vitium cum ignorantia comparatur, & quæritur quid ſit deterius: reſolutio elici debet ex dictis in comparatione prudentiæ, & ſapientiæ. Dum ſecundo quæritur, vtrum ſit familiarius homini, & ab vtro facilius liberetur; dicendum cenſeo, ignorantiam duplici conſideratione poſſe cum vitio comparari; primo ex parte originis, ſecundo ex parte propenſionis. Secundum originem, nobis eſt familiarior ignorantia, quia cum ea orimur, & non expoſcit vitium, ſed præſupponitur ab eo, ſecundum vero propenſionem, vitium eſt familiarius, nam ad illud maxime ſumus procliues. Ex quo conſtat ſolutio alterius difficultatis, ab vtro ſcilicet facilius liberemur; nam ratione propenſionis difficilius liberamur à vitio, abſolute tamen ab eo liberamur facilius: tum quia magis eſt poſitum in noſtra facultate, quam

ignorantia: tum inſuper, quia ab vniuerſo vitiorum genere valet homo liberari, non autem ab vniuerſo genere ignorantiæ, cum nemo detur qui ſciat omnia, & reperiantur homines nullo vitii habitu fœdati: dico, vitii habitu, quia abſolute ſine peccato nemo apud nos reperitur. At alia adhuc occurrit pulcra dubitatio, & eſt: cum vitio opponatur, & virtus & vitium; vt auaritiæ prodigalitas, & liberalitas: vtrum ei magis aduerſatur? Reſpondens dico, oppoſitionem eorum dupliciter poſſe conſiderari: primo, ſecundum extenſionem latitudinis rei, in qua reperiuntur: ſecundo, penes genera virtutis, & vitii. Prima conſideratione, quia extrema maxime diſtant, duo vitia maxime opponuntur. Altera vero, quia ambo extrema vitia in vnum veniunt, & ambo vitii nomine denotantur, quod eſt genus oppoſitum virtuti; cum virtute maxime pugnant. Harum duarum oppoſitionum hæc ſecunda eſt maior: quia prima erat diſtinctio per differentias ſub eodem genere poſitas, hæc vero eſt ſeiunctio toto genere; virtus enim & vitium, quaſi bonum & malum, proximo genere ſecernuntur: & præſertim vitium cum virtute magis pugnat, quia ſecernuntur proprio fine, rectitudine, & obliquitate rationis, & prælectionis; quod duobus oppoſitis vitiis non competit. Hinc cenſeo, facilius auarum tranſire in prodigum, quam in liberalem; quia difficilius eſt mutare genus, & propenſionem in finem, quam ſolam differentiam proximam. De vitiis recte dicitur quod firmiſſima ſunt, & in eis nil firmi reperitur. Sunt firmiſſima, nedum quia ſunt habitus, verum inſuper ob commune genus: facilius enim vitium vnum vertitur in aliud, quam in virtutem: demum ſunt firmiſſima, quia eorum radix eſt appetitus ſenſuum, nobis apprime familiaris. Ex aduerſo, ratione materiei, varietatis appetitionum, & modorum errandi, nil firmi in eis reperitur. At hoc inſuper dignum conſideratione occurrit: num omne vitium puniatur, an dentur vitia, quorum delinquentes non luant pœnas. Hac de re quid ſentiant Theologi, non dubitamus; conſtat enim diuina reuelatione, nos vel in hac, vel in alia vita pœnas daturos, & recepturos præmia: Dubium eſt, quid de hoc ſenſerint philoſophi. Cui difficultati reſpondens dico: veritatem in humana mente per naturam inſitam coegiſſe etiam philoſophos (quamuis futuræ vitæ ignaros) ad confitendam hanc veritatem, nullum vitium ſine pœna, nullamque bonam actionem ſine præmio reperiri. Quæ pœnæ, & præmia in quatuor gradus diſtribuuntur: in primo eſt ipſamet proba, & improba actio; in ſecundo propria conſcientia: in tertio timor, & ſpes: in quarto honor, & dedecus. Quod pertinet ad primum, ſcelus ipſum profecto eſt maximum animi ſupplicium: ideo Seneca Epiſtola 93. dixit: *Prima illa, & maxima pœ-*

An vitium magis ſit contrarium vitio, vel virtuti.

Magis vitium opponitur virtuti, quam vitio.

Facilior eſt tranſitus vnius vitii in aliud, quam in virtutem.

Vitia firmiſſima & nil firmi habent.

An vitium omne puniatur.

Quatuor gradus pœnarum.

Primus.

Digitized by Google

na peccantium eſt pœna, peccaſſe: nec vllum ſcelus (licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur, ac vindicet) *impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt: nullum enim detrimentum maius excogitari poteſt, quam quod animo infertur à vitio.* Ideo Plato in Gorgia dicebat: *Minus miſerabilis eſt, qui iniuſte occiditur, quam qui iniuſte interficit.* Quod ſecundo pertinet ad propriam *Secundum.* conſcientiam: conſpicuum eſt, nil animo moleſtius conſcientia ſcelerum, nilque dulcius conſcientia prob[illegible]um actionum, & innocentiæ ſcelerum: nam innocentia vnicum dicitur vitæ ſolamen, ideo recte cecinit Horatius:

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa,
Roſcia (dic ſodes) melior lex, an puerorum
Nenia, quæ recte regnum facientibus offert.

Nam hoc inductione cognoſcere licet, quod quamuis homo facile labatur in vitia, quamuis magnus ſit improborum numerus: pauciſſimi tamen adeo ſunt vitioſi, vt vitium ſuum non animaduertant, qui autem proprii vitii ſunt conſcii, incontinentes impotenteſque dici merentur: hi autem, proprii vitii conſcientia, continenter intus ſemetipſos cruciant, damnant, ac vexant. Ideo approbandam cenſeo ſententiam Platonis in Phædone: *Plato.* homines apprime probos vel improbos, pauciſſimos eſſe, medios vero plurimos. Et recte Ariſtoteles nono moralium *Ariſtoteles.* Nicomachiorum, cap. 4. dixit: *Improbi pœnitentia ſunt referti, & ne erga ſe quidem amice affecti ſunt: cum nihil in ſe habeant, quod ſit amabile.* At veniamus ad tertium ſuppliciorum, & remunerationis gradum; *Tertius gradus.* in eo numerabantur ſpes gloriæ, & timor pœnæ; de quibus dicebat Seneca, Epiſtola 98. *Seneca.* *multos fortuna liberat pœna, metu neminem*; & Euripides (referente, ac approbante Platone) aſſerebat; *dulcem ſpem ſequi, & continenter fouere animum viri probi, timorem vero aſſidue angere animum viri improbi.* Hos gradus ſequitur quartus: *Quartus.* in quo varia ſe offerunt externa ſupplicia, publicæque infamiæ, quibus affecti viuam dicuntur viuere mortem; vt ex aduerſo præmia, honor & gloria tribuuntur probis. Præclara itaque eſt ea ſententia; *Præclara ſententia.* nos teneri quidem multa aliis parcere, nobis vero nihil. Huiuſmodi igitur eſt vitium, ex quo miſeria oritur, ex parente autem adeo infami, naturæque aduerſo, nil oriri poteſt, niſi infame, deteſtandum & arcendum. At pulcra oritur dubitatio, *Prima dubitatio.* quia miſeria non videtur mala: Inquit Ariſtoteles in tertio Topicorum loco 25. *nil prohibere, vt non bona ſint eligibiliora bonis, vt felicitatem, & aliud quid, quod non eſt bonum, iuſtitia, & fortitudine, &c.* Ait itaque Ariſtoteles felicitatem non eſſe bonam, ſi ea non eſt bona, nec miſeria ei oppoſita mala erit. Præterea felicitas iunctam habet *Secunda.* iucunditatem, & gaudium, quare miſeria ei contraria eo-

mitem habere deberet dolorem, quod non videtur verum; improbi enim ob ſuam improbitatem improbis actionibus delectantur. Tertio, adhuc ambigere poterit aliquis, vter infelicior, & miſerior iudicari debeat; vir improbus, & diues, an potius improbus, & pauper? Demum conſideratione dignum eſt, in quo hominum gradu, ætate, ſexu, & conditione, primo, & maxime miſeria locum habeat. His difficultatibus ſatisfaciens, de prima dico: Ariſtotelem aſſerere felicitatem non eſſe bonam, quia non eſt bona per denominationem; ſed eſt ipſum bonum, vt albedo minime dicitur alba: ſimiliter miſeria non eſt mala, ſed ipſum malum, dum proprie loquimur. Altera dubitatio erat, cum oppoſitorum oppoſitæ ſint conditiones, & felicitati ſit iuncta iucunditas, cur miſeriæ non iungitur dolor? deprauatorum enim hominum vehementiſſimæ ſunt voluptates; vt cum Plato in Philebo, tum Ariſtoteles decimo Nicomachiorum affirmat. Reſpondeo, miſeriæ per ſe iunctum eſſe dolorem, ex euentu autem voluptatem: ei autem præſertim iunctus eſt dolor, his de cauſſis. Primo, quia voluptates viri improbi non veræ ſunt voluptates, ſed ei tantum videntur ob deprauationem, & hæ ſunt oppoſitæ veris proborum voluptatibus. Præterea, illæ ſemper iunctum habent dolorem, nedum quia ſunt medelæ dolorum: verum inſuper, quia miſeri nunquam ſua deſideria explent. Tertio, actiones improborum comitatur dolor vitii & conſcientiæ. Quarto dolor pœnæ, dum à principe puniuntur. Sic ex ſententia Peripateticorum, & Stoicorum, miſeriæ proprius eſt dolor, & nullum eſt vitium ſine pœna. At quia huiuſmodi pœnæ, & præmia, non ſunt ſatis: ideo recta ratione cogimur, nedum cum Theologis, verum etiam cum Platone fateri, miſeriæ, & improbitati paratas eſſe pœnas, doloremque vehementiſſimum apud inferos, vt apud ſuperos probis paratum eſt præmium, & gaudium immenſum. Quærebatur tertio, quinam cenſeri debeat miſerior; num improbus abundans fortunæ, & naturæ muneribus, vel potius improbus his deſtitutus. Vulgares homines hunc ſecundum infeliciorem iudicant, & primum frequenter nuncupant felicem: at ſi rationi credimus, oppoſitum confiteri tenemur. Miſeria hominis in improba actione eſt collocata; actio improba vitio, & inſtrumentis abſoluitur, in viro improbo, deſtituto muneribus naturæ, & fortunæ, improbitas, & vitium inſtrumento carent; quibus prædita ſunt in improbo fortunato. Quemadmodum igitur probitatis, & poteſtatis feliciſſima eſt coniunctio, ita improbitatis, & virium eſt deterrima: Hæc à Platone nuncupatur iniuſtitia habens arma, quæ, vt gladius in manu furentis, non obeſſe non poteſt: & in Philebo ignorantia potentum,

Tertia.

Quarta.

Solutio primæ difficultatis.

Solutio ſecunda.

Miſeria quomodo voluptas, & dolor iuncta ſint.

Solutio tertiæ difficultatis.

Miſerior eſt diues improbus, quam improbus pauper.

Iniuſtitia habens arma.

Digitized by Google

tentum, robuſtorumque hominum, hoſtilis, & deterrima dicitur, ignorantia vero impotentum leuia affert detrimenta. Colligamus igitur, monſtrum humani generis deterrimum, pernicioſiſſimum, & infeliciſſimum eſſe, hominem vitiis inquinatum, inſtrumentiſque præditum. Et quia lex quærit bonum, tum ſingulorum, tum commune, cum melius ſit viro improbo carere viribus, & inſtrumentis, frequenter legum decreto eis priuatur. non ſecus, ac febriens decreto Medici priuatur vino. Propterea Ariſtoteles in quinto moralium, cap. 9. dicebat, *in improbis ius diſtributionis bonorum non habere locum: quia hominibus inſanabilibus, & omni Vitiorum genere contaminatis, nulla bonorum diſtribuendorum, vel commutandorum particula Vtilis eſt, ſed omnia nocent.*

Egilogus. Monſtrum deterrimum.

In quo hominum gradu, & conditione miſeria potiſſimum locum habeat.

Cap. LIV.

CVm ſolutæ fuerint reliquæ difficultates, poſtrema ſupereſt diluenda, quæ erat, in quo ſexu, ætate, gradu, & conditione miſeria præcipue locum habeat. Dico primo (facta comparatione inter marem, & fœminam) perfectum vitium, ſummumque malum, magis in viro, quam in fœmina locum habere. Ratio eſt, quoniam contraria in eodem nata ſunt fieri: propterea, vt vir ad felicitatem eſt aptior, ita perperam educatus, deterrimus & infeliciſſimus euadit: nam qui magis valent ingenio, vt meliores, ita deteriores euadere poſſunt; quemadmodum á Platone primo, mox ab Ariſtotele in primo de republica, capite ſecundo, dictum fuit. Fœminæ facilius ſuccumbunt perturbationibus, à voluptate, & dolore facile ſuperantur, & in quaſdam feritates ex temperamento humorumque deprauatione prodeuntes facile labuntur; ideo frequentiores in eis inſpiciuntur miſeriæ: At cum homines ſint natura calidiores, acutioribus, & vehementioribus ducuntur affectibus, & ratione acuminis ingenii, virium, & maioris licentiæ, actiones patrant deteriores magiſque pernicioſas. Verum huic ſententiæ aduerſari ea videntur, quæ dicuntur ab Ariſtotele, nono de hiſtoria animalium, capite primo, quo loci aſſeritur: *Mulier miſericors magis, & ad Lacrymas propenſior, quam vir eſt: inuida item magis eſt, & querula, & maledicentior, & mordacior, præterea anxia, & deſperans magis, quam mas, atque impudentior, & mendacior, quin etiam facilior decipi, meminiſſeq; aptior.* Et Plato in ſexto de legibus inquit: *Occultius, atque Verſutius eſt natura, propter imbecillitatem, fœminarum genus, quam marium atque ita minus or-*

In quo præſertim miſeria locum habet.

Dubitatio. Sententia Ariſtotelis de fœmina.

Sententia Platonis.

dinari legibus poteſt: & ſi inordinatum derelinquitur, non eſt ſolum (vt videri poſſet) *dimidium humanarum rerum: ſed quanto natura ſua ineptius eſt ad virtutem, quam viri, tanto excedit plus quam duplum eſſe videatur.* Ariſtoteles in ſecundo de republic. capite ſeptimo, dixit: *medietatem ciuitatis eſſe neglectam, ſi genus fœminarum neglectum fuerit.*

Solutio.

Reſpondens dico primo, hæc accidere; quia fœminæ occaſionem viris præbent, vt magis delinquant. Addo ſecundo, ſententias illas id confirmare, quod dixi, fœminas ſcilicet per extenſionem, & numerum, viros per intenſionem, & gradum eſſe improbiores, & miſeriores.

Cur fœminæ difficilius ſubiiciantur legibus.

Ratio autem, quod fœminæ difficilius ſubiiciuntur legibus, potiſſimum triplex eſt: prima, quia ſunt obſtinatiores: ſecunda, quia aptiſſimæ ſunt ad decipiendos viros: tertia, quia perinde ac pueri ſunt leuiores.

Vir publicus miſerior priuato.

Altera poteſt fieri comparatio inter varios gradus, & conditiones virorum, quæ cum fiat, dicendum cenſeo: virum publicum ac deprauatum miſeriorem eſſe priuato, probum vero eſſe feliciorem. Ratio eſt, quia principes ſunt exempla cæterorum: ſunt capita, & principia, quæ facultate cætera continent, in magna licentia ſunt conſtituti, præditi ſunt inſtrumentis, á nemine corrigi poſſunt: ac demum cum ſint præpoſiti populis, maxime tenentur eſſe probi, quod cum non ſeruent, deterrimi, & miſerrimi iudicari debent.

Principes αὐτόνομοι.

Ex quo conſtat, tyrannum, & deterrimum, & miſerrimum eſſe omnium, quod eleganter patefecit Plato prope calcem Gorgiæ inquiens:

Plato.

Arbitror autem in eorum numero, qui ſolum exempla tradunt, plurimos eſſe tyrannos, reges, principes vrbium, qui ob peccandi licentiam grauiſſima, profaniſſimaque ſcelera patrant; teſtis eſt nobis Homerus, qui reges & potentes inducit apud inferos omni tempore cruciatos, vt Tantalum, Syſiphum, & Titium: Therſitem vero, & ſi quis alius priuatus fuit malus, nullus vnquam velut inſanabilem magnis fecit pœnis torqueri: quippe cum licentiam, vt arbitror, non habuerit. Eandem ſententiam frequenter confirmauit Plato, à quo minime receſſit Ariſtoteles, ſed in ſecundo de republica, capite quinto dixit:

Ariſtot.

Honor maxime debetur, non ei qui furem occiderit, ſed qui tyrannum: Et in primo Nicomachiorum, capite quinto aſſeruit: *Multitudo ſeruorum perſimilis, pecudum vitam ſequi videtur, & cauſſa eſt, quia plures eorum, qui poteſtate, & imperio valent, iiſdem libidinibus, quibus Sardanapalus, conſtricti tenentur.* Ideo

Seneca.
Cicero.

Seneca in libro de clementia dixit: Multa contra Principes lux eſt. Et Cicero tertio de legibus inquit: *Nec enim tantum mali eſt peccare Principes* (quanquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum) *quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt: nam licet videre, ſi licet replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi ciuitatis viri fuerint, talem fuiſſe ciuitatem, &c.*

At du-

Dubitatio. *Solutio.*

At dubitatio occurrit de peccatis ſacerdotum; qui cum verſentur in re præſtantiore, deteriora videntur cæteris. Reſpondeo, dum comparantur vitia viri publici, & priuati, ſeruandam ſemper eſſe æqualitatem cæterorum: proculdubio peccata contra Deum deteriora ſunt, feritatemque conſtituunt heroicæ virtuti aduerſam: At quemadmodum in vita ciuili reperitur vir publicus, & priuatus; ita in religioſa, Epiſcopi enim & Pontifices, ſunt communes cuſtodes ſalutis animarum: qui vt, dum probi ſunt, præſtant cæteris, ita improbi cæteris ſubiiciuntur: imo apud Ægyptios idem erat Princeps & Sacerdos. Tertio, ſi ſeruus comparetur cum domino, vitium in ſeruo magis locum habet ſecundum extenſionem, at ſecundum intenſionem contra ſe habet, vt ex dictis conſtat. Demum ſi conſideramus ætates; in ætate iuuentutis, & conſiſtentiæ, maxime vigent vitia. Hæc ſub nube, & adumbrate inſpiciunt philoſophi: At exſultemus nos, gloriamque Deo tribuamus, qui lumine Dei viui ab inſcitiæ tenebris liberati, nitidiſſimam veritatem intueri valemus.

Tertia comparatio.

FINIS NONI GRADVS.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ DE MORIBVS GRADVS X.

DE VIRTVTE PER VRBES, ET RESPVBLICAS EFFVNDENDA, SVMMOQVE BONO propagando.

Inſtitutum manifeſtatur, & quæ ſunt declaranda proponuntur. CAP. I.

Conuerſi in Deum cuncta recte componimus

DEus; cuius exemplo nos ipſos, familias, & reſpublicas dirigere, formare, ac perficere tenemur, cum ſit ſummum bonum, ipſum bonum, ſemperque bonum, non vnius tantum mundi partis bonum eſt, ſed ſingularum, nec vna ſola temporis portione, ſed tempore vniuerſo: &

Bonum ſui natura fœcundum.

iure profecto. Cum enim bonum omne ſua natura, & conditione ſit fœcundum, aptumque communicari: quo eminentius eſt bonum, eo eſt fœcundius, & propterea eo latius, vberius, ac diutius effundi natum eſt. Quod etiam in proprio hominis bono ſeruati facile eſt perſpicere: Cum enim peculiare hominis bonum ſit virtus, eiuſque actio; iure optimo hæc, tanquam ſublimis ſcopus, vitæ ſingulorum hominum eſt propoſita, vt neruis enixe omnibus, non ab vno, ſed à cunctis expeteretur, ac pro viribus attingeretur. Hunc communem ſcopum quicunq; celeri ſuæ vitæ curſu fortunate attingunt, gloriari poſſunt, ſe non fruſtra genitos, auctos, educatóſq; fuiſſe: quicunq; vero ab eò declinant, in oppoſitumq; dilabuntur; de ſeipſis, deq; ſua ſocordia, & ignauia conquerantur: nam de eis vere dici poteſt, quod fruſtra viderunt lucem, cum lapſi ſint in tenebras; fruſtra muniti ſunt facultatibus cum eis perperam ſint vſi; fruſtra laborarunt, cum pro ſola euerſione, & pernicie inſudauerint; pro quo non mercede, ſed pœna ſe reddidere dignos. Nitēdum igitur pro facultate eſt, vt ſummum hoc hominis bonum, hic ſol virtutis, vniuerſum humanum orbem pro facultate illuſtret, diemq; in eo ſplendidiſſimum pariat: Non enim bonum ſui effuſione minuitur; ſed creſcit potius; ſuarumq; partium mutua conſpiratione perficitur. Vt autem modus eluceſcat, quo ſummum bonum in vrbes, & familias effunditur, effuſumq; ſeruatur; animo repetendum eſt, virtutem hominis in more poſitam, recta inſtitutione, congruenteque aſſuetudine in hominum animis imprimi: quæ recta inſtitutio ordine congruente, definitiſq; regulis debet eſſe prædita; ne inconſtanter, & temere nos ducat. Regulæ huius rectæ inſtitutionis, ſunt leges humanæ vitæ; lex, cum ex ſe ſit mortua, & muta, magiſtratus expoſcit; à quibus ſpiritus, vires, vitamque recipiat: magiſtratus formam reip. vel includit, vel ſequitur: reip. autem forma in ciuibus recipi debet, qui prædití ſint virtute; per quam reip. formam ſeruent, congruenterque magiſtratibus præſint. Propterea, vt hæc omnia ordine aliquo percurramus, tenemur primò conſiderare materiem reip. (ciues nempe) & perpendere; an viri probi, ciuiſq; probi eadem ſit virtus; & an homines omnes cenſeri debeant liberi, vel dentur per naturam ſerui: perpendenda erunt deinde pertinentia ad varias rerum p. formas: tertio deſcendendum erit ad magiſtratus: quarto occurret agendum de legibus: Demum, quia ad hæc omnia neceſſaria eſt congruens iuuenum inſtitutio; de ea verba faciam, capitaq; prima eius tradam; nam de his omnibus diſputans, in communibus tantum verſabor, communia enim facultate, & virtute cætera continent: ea autem, quæ potius ad iuris prudentes pertinent, eis explicanda derelinquam.

Quid ab homine maximè optandum.

Quæ & quot ſint explicanda.

Digitized by Google

An boni viri, boni ciuis, boniq́; principis, eadem ſit virtus, & oſtenditur, quod non. CAP. II.

Viri, & ciuis probi virtutem eſſe diſtinctam.

QVoniam (conſenſione omnium) virtus ea eſt, quę homines, ciues, & principes intus format, extraque illuſtrat, propterea primo iure optimo quæritur, an horum eadem ſit virtus, vel potius varia, & diſtincta: qua de re variæ pro omni parte afferuntur rationes, quæ mentem reddunt ancipitem, & dubiam. Quod enim eorum diſtincta ſit virtus, primo oſtenditur: quia varii reperti ſunt viri probi, vt Anaxagoras, Empedocles, Thales Mileſius, & ſimiles viri ſapientes, qui tamen populorum ore non fuere boni ciues: de quibus Ariſtoteles in ſexto moralium Nicomachiorum, capite ſeptimo loquens ait: *eos minime fuiſſe prudentes; ſine prudentia autem, nec princeps probus, nec probus ciuis eſſe poteſt.* Idipſum confirmans Plato in Thæteto dixit; *Philoſophos ad res agendas non eſſe aptos, ac in ciuilibus actionibus ſe deridendos patefacere.* Philoſophi igitur contemplationi incumbentes, non ſunt boni ciues, cum tamen viri probi eſſe valeant. Inſuper homines in ſolitudine educati (veluti etiam viri religioſi) vitam ſolitariam ducentes, euadere profecto poſſunt viri probi; at probi ciues nequaquam, cum non ſint aſſueti publicis munerum functionibus. Propterea Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum, capite ſecundo inquit: *Aliud enim fortaſſis eſt virum bonum eſſe, aliud ad ciuem bonum.* Inſuper, illæ virtutes, quarum vnam facilius aſſequi valemus, quam alteram, manifeſtiſſime ſecernuntur: at viri probi, ciuiſque probi virtutes ita ſe habent, quod oſtenditur: nam vir probus virtute formatur, qua recte ſuas animi affectiones componit, & intus ac erga ſe congruenter afficitur; ciuis vero probus recte formatur per iuſtitiam vniuerſam, qua recte ſe habet erga alios. At inquit Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum, cap. ſecundo; *longe difficilius eſſe congruenter ſe habere erga alios, quam erga ſeipſum.* Propterea commendatur ſententia Biantis, qui dixit; *Magiſtratus virum oſtendit.* Præterea Ariſtoteles ſub initio primi de republica ſententiam illam damnat, quam viſus fuerat approbaſſe Plato: Gubernatoris ciuitatis ſcilicet, regis, patrisfamilias, & domini, eandem eſſe virtutem; & tantum maiori minorique multitudine, & numero, non autem forma, & interna conditione diſtingui: at profecto ſi eorum eadem eſſet virtus; ſimiliter ciuis probi, virique probi, non diſtincta, ſed eadem virtus eſſet. Inſuper Ariſtoteles in eodem primo de repub. c. 7. Socratem arguit, exiſtimantem viri, & mulieris eandem eſſe virtutem, niti turque oſtendere, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiamque eorum eſſe diſtinctam; cum enim virtus ſit perfectio eius, cuius

Ratio prima. *Plato.* *Ratio ſecunda.* *Ratio tertia.* *Ratio quarta.* *Ratio quinta.*

eſt virtus; propterea rerum differentium, diſtinctæque vitæ, diſtinctam eſſe virtutem neceſſe eſt. His accedit, quod in terris reſpublica omni ex parte recte formata minime reperitur: cum autem probus ciuis præſentem ſuæ reipub. ſtatum teneatur diligere, eum pro facultate ſeruare, legibuſque eius obedire, frequenter cogitur ea agere, quę cum abſoluta probitate pugnant. Exigunt frequenter ciues per decreta reipub. pecuniam à pupillis, & egenis: necant homines: iudicant per ea, quæ teſtibus probata ſunt: quamuis nonnunquam ſciant rem ſecus ſe habere: quæ vir probus minime ageret: & inde oritur; quod homo per virtutem viri probi, abſolute dicitur probus: per virtutem autem probi ciuis, non abſolute vir probus, ſed cum additione (ciuis) nuncupatur. Præterea, virtutes proborum virorum inter ſe minime diſtinguuntur; ſed quales ſunt virtutes vnius, tales eſſe debent alterius: quare ſi virtutes ciuium eſſent eædem cum virtutibus viri probi; quia quæcunque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, neceſſe eſſet virtutes ciuium inter ſe non diſtingui, quod eſſe falſum patet: tum quia ciues diſtinctarum vrbium, variarumque reip. formarum, ob varias leges variis virtutibus ſunt prædi ti: tum inſuper, quia in eadem vrbe inueniuntur ciues diſtinctæ conditionis, & virtutis; nonnulli enim ſunt apti ad imperandum, alii ad parendum, nonnulli ad conſulendum, alii ad exſequendum, hi feliciter funguntur munere legationum, illi iuſtiſſime magiſtratibus præſunt, nonnulli pro militari expeditione maxime valent, alii ad hanc inepti in ſola ſuæ reipublicæ pace, & otio refulgent. Conſtat itaque probos ciues inter ſe eſſe diſtinctos, & propterea à probo viro differre. Quod demum confirmatur, quia bonum ciuis propterea dicitur talis, quia paret legibus ſuæ reipublicæ: obedientia autem etiam ſine virtute ſeruari poteſt, cum ea non ſit virtus, ſed via potius ad virtutem, & habitum eius: quare poteſt ciuis eſſe probus ſine habitu virtutis moralis, ſine qua vir abſolute probus minime eſſe valet.

Ratio ſexta. *Ratio ſeptima.* *Ratio octaua.*

Quod eadem viri probi, ciuiſq; probi ſit virtus.

CAP. III.

Viri, & ciuis probi eandem eſſe virtutem. *Ratio prima.*

VIrtutes principum, ciuium, proborumque virorum extrinſecus conſideratæ, ſatis diſſimiles, & ſæpe inter ſe pugnantes eſſe videntur: at interius inſpectæ, nedum coniunctæ, ſed eædem inueniuntur, & iure profecto: omnes enim enumeratæ hominum perfectiones ex eadem virtutis forma, quaſi ex eodem fonte, prodeunt, ſola ratione diſtincta. Formatur enim, & conſtituitur vir probus, per virtutem moralem vniuerſam, quæ virtus perfecta dicitur, conſtituitur princeps, & ciuis probus, per vniuerſam iuſtitiam; quæ (vt ſuo loco patuit) ſola ratione ab vniuerſa

Digitized by Google

uerſa virtute ſecernitur: cum itaque eadem formentur virtute, eadem eorum eſt principalis forma, eſſentia, & conditio; ſola ratione diſtincta, & per ea quæ extra eſſentiã ſunt poſita. Quod confirmatur: quia vir probus moralium virtutum habitu eſt ornatus, ciuis probus conſtanter legibus obtemperare tenetur, princeps probus legum eſt acerrimus cuſtos: & quia leges ex virtute prodeunt, ad eamque dirigunt; ideo nemo conſtanter eas ſeruare valet, ac vt decet erga eas eſſe affectus, niſi virtutis vniuerſæ habitu ſit ornatus. Eadem itaque virtus eſt radix, fundamentum, & forma, tum ciuis, tum viri, tumque principis probi. Præterea id ipſum oſtenditur perpendendo conditionem prudentiæ, quæ, vt probi viri, ita probi principis, & ciuis dux (omnium cõſenſione) ſtatuitur. Non valet homo eſſe, vel probus princeps, vel probus ciuis, niſi ſit prudens; nec valet eſſe prudens, niſi morali virtute ſit ornatus, vt in ſexto moral. Nicom. oſtenditur. Cum itaque prudentia ſit regula, & dux probi viri, ciuis, & principis, iure horum eandem eſſe virtutem cenſendum eſt. Præterea, ſi ad finem, & ſcopum conuertimur, eandem veritatem inſpiciemus: omnes enim eundem petunt ſcopum, ad eundem poſtremum finem conſpirant: idq; conſtanter quærunt, quod vere vtile, vereque honeſtum eſt. Cum itaque prudentia, vniuerſa virtus, vniuerſa iuſtitia, lex, & honeſtum, ſibi mutuo reſpondeant, iuncta ſint, vnumq; ſine altero conſiſtere nequeat, iure virtutem eorum eſſe eandem putandum eſt, ſola ratione, externiſque nonnullis conditionibus diſtinctam. Propterea recte in ciuili ſcientia primo virtus, ſummumque hominis bonum, tanquam communis forma, communiſque finis, proponuntur ac declarantur; mox ad conſtitutionem legum, ciuium, & principum deſcenditur: virtus enim moralis ea forma eſt, quæ primo intus virum probum format; mox ad externa cõuerſa, cum reddit probum ciuem, probumque principem. Ideo negauit Plato illis tribuendam eſſe reip. curam, in quorum animis reſpublica inueniretur male compoſita: Interna ante animi noſtri reſpublica, ſolum morali virtute formatur. Ob id ipſum etiam Plato in 4 de rep. tribus ciuitatis muneribus, quæſtuario ſcil auxiliario, & conſulatui, tres animi facultates reſpondere aſſeruit, iraſcendi, cupiendi, & ratiocinandi: ex quo conſtat, externam ciuilitatem internæ probitati debere eſſe conformem.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia

Ratio quarta.

Confirmatio

Interna animi reſpubl.

Reſolutio difficultatis. CAP. IV.

VT propoſitæ difficultatis conſpicua refulgeat reſolutio, & dubia omnia facile diluantur, accipiendum primo eſt: nomine ciuis, non omnes debere intelligi, qui in v. be degunt, ſed eos tantum, quibus ad publicam adminiſtrationem datur adi-

Pro reſolutione accipitur primo.

Quid ciuis?

tus, vt in ſua rep. docet Ariſtoteles: Qui nuncupantur ciues, non quia medici, vel muſici ſint; ſed quia publicis muneribus funguntur, leges ſeruant, magiſtratibus præſunt, rempublicamque adminiſtrant: de medico enim, muſico, & ſimilibus, nemini dubium eſt, ex eo, quod bonus eſt medicus, bonuſve muſicus, nemini licere inferre quod abſolute ſint viri probi. Accipiendum ſecundo, accurateque conſiderandum, hominem poſſe duobus modis iudicari ciuem; primo totius orbis; ſecundo ſuæ propriæ vrbis, & reip. Ideo Socrates interrogatus, cuias eſſet, non Athenienſem, ſed mundi ciuem ſe eſſe reſpondit: cuius princeps eſt vnus Deus: cui adſtant angeli: ſequuntur mox viri ſapientes, & probi, qui ſynceras, incorruptaſq; leges in Dei operibus intuentur; ſuccedunt cæteri hominum gradus, & conditiones; qui eatenus ſunt mundi ciues, quatenus ſunt rationis compotes, volũtate liberi, nati obtemperare principi Deo, & ad eius imitationem cæteris præeſſe, ac imperare. Si conditiones perpendimus ciuiũ totius orbis: proculdubio ſinguli homines cuiuslibet gradus, dici poſſunt mundi, vel probi, vel improbi ciues, dummodo ratione vtantur: præcipue tamen viri ſapientes, & prudẽtes, probi mundi ciues dici merentur. Hi ſunt ciues ciuitatis Dei, in qua vir probus, & ciuis probus inter ſe non ſecernuntur, eademque virtute formantur; quæ eſt animi à vitiis expurgatio, conformatio cum voluntate principis Dei, legumque eius conſeruatio. At ſi conſideramus non vniuerſi, ſed ſingularum vrbium ciues; hi adhuc duplices eſſe poſſunt: vel enim conſiderãtur, vt ciues reip. mente conceptę, quę omni ex parte recta ſit: vel conſiderantur, vt ciues ſuæ patriæ, ſuæque reip. in terris, ac inter homines formatæ. Prima conſideratione virtus viri probi, ciuiſque probi eadem eſt; optima enim reſpublica cum republica Dei conformatur, perfectaque virtute perficitur: cuius princeps eſt prudentia; forma eſt virtus vniuerſa, quæ eſt eadem cum vniuerſa iuſtitia, regulæ ſunt leges, ex virtute prodeuntes, ad virtutemq; ducentes, ſcopus eſt honeſtum, & ſummum bonum, finis ac inſtitutum probi viri, probique ciuis, eſt ſcopum attingere: At huiuſmodi reſpub. nuſquam a recto declinans, ſolum ſub principe Deo, non autem ſub humano principe eſt apta reperiri. Propterea Plato 9. de republic. cum optimam (vt ſibi videbatur) rempublic. formaſſet dixit: *eam in terris nuſquam reperiri, ſed forte in cœlo eius conſtare conſtitutam exemplar, et quei intueri voluerit, & ſe ipſum ad illud, cum intuitus fuerit, inſtituere, &c.* Altera ex parte ſi conſideramus ciues in ea republica, quæ inter homines formata eſt; vir abſolute bonus, & ciuis bonus, minime omni ex parte ſunt idem, nec eadem penitus eſt eorum virtus. Quoniam in terris reſpublica exactiſſime recta, qualis eſt Dei, minime reperitur; non enim huma-

Alterum quod accipitur.

Ciues ciuitatis Dei.

Plato.

humana imbecillitas illius exquiſitiſſimæ formæ eſt capax: nonnullæ tamen propius ad eam accedunt; aliæ diſtant longius: in qua ſerie ampliſſima Venetorum reſpublic. (vt humanæ conditioni licet) maxime fulget, maximeque ad exactæ rectum accedit; adeo vt mirum non ſit, ſi tamdiu (Dei beneficio, probatiſſimorumque Senatorum prudentia) á ſeruitutis iugo incolumis ſit ſeruata, vetuſtiſſimaque libertate ſplendidiſſime fulgeat. Addo tamen, quod quemadmodum imperium omni ex parte perfectum, quale eſt Dei, inter homines non reperitur: ita homo adeo bonus, vt nunquam erret, in terris non inuenitur: & in re dubia tutius eſt, vt homo ſe corrigat per approbata in ciuili congreſſu virorum prudentium conſenſione: quam vt ipſe leges, & instituta ſuæ reipublic. audeat leuiter damnare: Adeo vt dicere valeamus in republic. vt hominibus licet recte formata, virum vt homini licet probum, ciuemque probum eundem eſſe, eademque virtute formari: in imperio autem, ac ciuili adminiſtratione aperte deprauata, perperamque formata virum bonum à ciue bono differre, diſtinctamque eſſe vtriuſque virtutem. Ex his elicere valemus, quæ vniuerſa virtus cum vniuerſa iuſtitia re eadem ſit, & ſola diſtinguatur ratione: & quæ minime: nam omnis iuſtitia reſpondet alicui virtuti, omniſque virtus iuſtitiam habet ſibi reſpondentem: virtuti viri abſolute probi reſpondet extra iuſtitia vniuerſa abſolute perfecta: ac vice verſa: virtuti autem, non viri probi abſolute, ſed probi ciuis: reſpondet extra iuſtitia, non abſolute perfecta, ſed eius ciuis in ſua vrbe perfecti. Ex quo conſtat; dari frequenter iuſtitiam, quæ ſit iniuſtitia: ac etiam dari iniuſtitiam, quæ iuſtitia ſit: nam ea iuſtitia, qua præditus eſt bonus ciuis, in deprauata republica abſolute eſt iniuſtitia; & frequenter iuſtitia viri abſolute probi, in huiuſmodi republica iniuſtitia eſt. Accipiendum tertio eſt: quod aliud eſt loqui de principali virtute viri probi, ciuiſque probi; & loqui de officiis eius, congruenteque ad varia obeunda munera conſtitutione: quamuis enim virtus ſit eadem, non tamen omnes æque ad omnia officia ſunt apti: officia enim (præter virtutem communem) facultates quaſdam, ac conſtitutiones proprias expoſcunt, vel a natura, vel á fortuna, vel ab vſu & conſuetudine prodeuntes; quæ non æque competunt omnibus. His addendum eſt, quod dum dicimus in recte formata republic. virtutem viri probi, & ciuis probi eſſe eandem; id debet intelligi de principali fundamento, ex quo ducuntur regulæ accommodatæ variis officiis, & conditionibus ciuium: ex quorum varietate regulæ quoque proprie redduntur variæ, cum tamen virtus ex qua prodeunt, eadē ſit. Nam vſus ciuilis aliquid probitati ſuperaddit; expoſcit enim, nedum

Reſpubl. Veneta.

Virtus, & iuſtitia ſemper ſibi mutuo reſpondent.

Dari iuſtitiam, quæ ſit iniuſtitia, & iniuſtitiam, quæ ſit iuſtitia.

Tertium quod accipitur.

vt homo intus per virtutem recte formetur, abſoluteque probus ſit; verum inſuper, vt ordines reipublicæ cognoſcat, in eiſque ſit verſatus. Ex quo oritur, quod multi ſunt viri probi, qui ad ciuilia negotia non ſunt accommodati: Hi ſunt ciues probi: qui viuentes, & operantes per virtutem, etiam ſeruant leges ſuæ reipublicæ, & ea ornati ſunt virtute, ex qua leges ſuæ reipubl. prodierunt: inepti tamen ſunt ad varia ciuium officia: quales illi ſunt, qui contemplationi ſe totos tradunt, & externa reipubl. officia negligunt. Ex quo etiam conſtat ratio; cur difficilius ſit eſſe probum ciuem, quam probum virum: ciuis enim probus (vt per habitum, & conſtanter ſeruet leges) expoſcit virtutem viri probi, & aliquid vltra. His demum accedit, quod quamuis vtriuſque eadem poſſit eſſe virtus: nonnulla tamen efficere tenetur homo, vt probus ciuis in magiſtratu conſtitutus, publicamque perſonam gerens; quæ vt vir probus, & priuatus, facere non debet. In magiſtratu enim conſtitutus, inſpiciens commune bonum, auctoritate regia iure plectit reos, tormentis eos cruciat; quod vir priuatus, proprium quærens bonum, facere non debet: quamuis enim ambo quærant honeſtum, quod decet, & vere eſt vtile; non tamen omne vnicuique hominum gradui, & conditioni æque eſt honeſtum. Sic varia varios decent, nec eadem omnium ſunt officia. At redigamus in pauca ea, quæ latius pro explicatione protulimus; conſtat primo, in deprauata ciuili adminiſtratione virum probum à ciue probo differre, diſtinctamque eſſe vtriuſque virtutem: conſtat ſecundo, in recte inſtituto imperio virtutem vtriuſque eſſe eandem: & quoniam abſolute, omnique ex parte, ſolum Dei imperium eſt exquiſitiſſime rectum. Ideo abſolute in ſola ciuitate Dei idem eſt vir probus, & ciuis probus: vt autem homini licet, in ea republica, quæ pro hominum facultate recta eſt, vir probus, & ciuis probus idem ſunt. Additur quarto, eos non diſtingui pro fundamento, diſtingui pro relatione: eſſe idem pro principali virtute communi forma, primiſque vitæ regulis; diſtingui per officia propria, ac nonnulla, quæ proprias conditiones conſequuntur. Ex his conſtat, quid veri includant rationes vtriuſque partis.

Cur ſit difficilius eſſe probum ciuem, quam virum probum.

Epilogus.
Concluſio prima.
Concluſio ſecunda.

Concluſio tertia.
Concluſio quarta.

Dubia quatuor ex dictis emergentia proponuntur, & diluuntur. CAP. V.

Prima dubitatio.

EX tradita difficultatis reſolutione, dubia quatuor digna accurata cõſideratione emergunt. Primũ eſt, quia ſi vera eſt ea reſolutio, vera etiã erit ſententia Platonis in Politico prolata; & in libro de philoſophia approbata; ab Ariſt. vero ſub initio libri de repub. reiecta; quod regis, gubernatoris, patrisfamilias, & domini

Digitized by Google

mini eadem ſit ratio, eademq; virtus. Altera eſt, cum formæ ciuilis imperii variæ ſint, de qua earum præcipue contingere poſſit, vt idem ſit vir probus, & ciuis probus. Tertia dubitatio eſt; an iuuenum & ſenum, viri & vxoris, eadem ſit virtus. Demum dubitatur, ſi viro alicui probo contigerit, vt in republ. perperam formata natus educatuſque ſit, quid ei faciendum eſt? debet ne rempubl & patriam ſuam deprauatam, quam emendare non valeat, deſerere, magiſtratuſque renuere; vel potius in ea eſſe bonus ciuis, abſolute autem vitioſam traducere vitam? De prima difficultate dico, inter Platonem, & Ariſtotelem (quod ad rem hanc pertinet) de voce potius, quam de ſentẽtia eſſe litem. Plato in libro de philoſophia, inſpiciens fundamentum, principalemque virtutem, à qua manat congruens conformatio viri, principis, ciuis, gubernatoris, & patrisfamilias; recte dixit, eandem eorum eſſe rationem, tantum differre numero eorum quibus præſunt: omnes enim, munere eiuſdem principalis virtutis, cetera congruenter diſponunt. Ariſtoteles vero conſiderans officia varia, propriaſque inſtitutiones, & regulas diſtinctis gradibus accommodatas, recte dixit eos inter ſe differre: nam conueniunt intus, differunt extra: iuncti ſunt communi, & prima virtute, diſtincti ſunt per ea, quæ ex principali virtute prodeũt, diſtinctiſque hominum gradibus, & conditionibus aptantur. Et hoc lucide ab Ariſtotele in tertio de republ. confirmatur dicente: *Cum ſit neceſſarium, vt eadem ſit virtus boni viri, & ciuis optima ciuitatis; patet, quod eodem modo, & per eadem ſit vir bonus; & eadem fere diſciplina, iidemque mores reddunt ſtudioſum virum, qui conſtituunt ciuilem & regium.* His accedit, quod dum Plato in libro de philoſophia dixit, *artem regiam, tyrannicam, ciuilem, domini erga ſeruos, domeſticam, iuſtitiam, atque prudentiam, eſſe eandem*; id fecit diſputans, & dubitans, non quod omnino id approbauerit: hoc vnum indicare volens, quod communi quadam late ſumta prudentia, & iuſtitia, cuncti formantur, & conſtituũtur: re vera tamen ea tyranni, nec prudentia, nec iuſtitia eſt, vt alibi Plato lattiſſime patefecit: Et hæc de prima difficultate. Pro reſolutione ſecundæ accipiendum primo illud eſt, quod in tertio de repub. c. 6 ab Ariſtotele aſſeritur: nẽpe quod, quamuis in omni recta reipublicæ inſtitutione de virtute, & vitio potiſſima ratio ſit habenda, in ſola tamen optimatum republica virtus ciuium principatum obtinet: ideo non iniuria in quarto de rep. c. 7. affirmat; in ſola optimatũ republica, in qua à viris abſolute probis reſpublica adminiſtratur, eundem omnino eſſe virũ probũ, & ciuẽ probũ, in ceteris autẽ bonos eſſe ad ſuam gubernandi formam. Verum, vt ſolutio huius difficultatis clarior euadat, conſiderandum eſt; in optimatum republica, vt etiam in omni alia, inueniri ciues qui imperent, & qui

Secunda.
Tertia.
Quarta.
Solutio prima difficultatis.
Plato & Ariſtot. conciliantur.
Solutio ſecunda difficultatis.

pateant. Et quamuis ad bonum ciuem vtrumque pertineat, & in vtraque muneris functione bonus vir, bonuſque ciuis re ſint idem; præcipue tamen illa eadem virtus in imperando eluceſcit: prudentiæ enim munus eſt dirigere & imperare, cum ſit recta agendorum ratio: per prudentiam autem virtus vtriuſque conſtituitur. At ſi loquimur de regno, & principatu vnius, in eo minus proprie locum habent ciues: propterea proprie de principe, & rege ambigere poſſumus; an idem ſit princeps bonus, & vir bonus: qua de re iam ſumus locuti. Modo tamen aliquo de his quoque, qui principi obediunt, dicere poſſumus: viri probi, virique iuſto principi obtemperantis, eandem eſſe virtutem: de his enim vera eſt ea ſententia, quod ſeruire eſt regnare; cum id agant quod recta ratione præeligunt, & volunt: in regno enim non ſecus ac in republica optimatum, virtus dominatur; vt in tertio de republic. cap. 2. docet Ariſtoteles. Demum ſi de tertio rectæ adminiſtrationis genere loquimur, de populari nempe ſubiecta legibus; in huiuſmodi imperio non idem iudicatur ab Ariſtotele vir bonus, & ciuis bonus; & iure. Nam ciuis in ea republica; non per abſolutam virtutem conſtituitur, vt in ea quæ eſt optimatum; ſed per fortunam, vel popularem electionem: ac intus formatur non per leges ex abſoluta virtute prodeuntes, ſed illi adminiſtrationi congruentes: quæ non virtuti principatum tribuunt, vt illæ quæ ſunt optimatum. Aſſero tamen in huiuſmodi quoque republica; non quidem per ſe & abſolute, ſed in parte & ex euentu, quatenus abſolute recti eſt particeps; ciuem probum, & virum probum connecti: abſolute vero hoc ſoli imperio optimatum competere, cum quo regnum conuenit, vt optime docuit Ariſtoteles. Erat tertia dubitatio, an maris, & fœminæ, iuuenis, & ſenis, eadem ſit virtus: de qua Ariſtoteles à Platone diſſentire videtur. Plato enim in Menone Gorgiam damnat diuidentem virtutem diſtinctione ſexus, & ætatis: & in quinto de republica nullum ait *inter eos, qui ciuitatem cuſtodiunt, officium viri proprium, & non mulieris.* Ariſtoteles vero in primo de republica inquit: *Palam eſt, neq; eadem eſſe viri, & mulieris temperãtiam, neq; fortitudinem, neq; iuſtitiam*; vt Socrates putabat; alia enim eſt fortitudo ad imperandum, alia ad obtemperandum: ſimilis eſt in aliis differentia. Hæc dubitatio per ea diſſoluitur, & controuerſia per ea componitur, quæ dicta ſunt pro ſolutione primæ difficultatis: nam aliud eſt conſiderare virtutem in ſe, abſolute, & vniuerſe; quod præcipue faciebat Plato, qui ſemper ad ideam pro facultate eleuabatur; & conſiderare conditiones proprias, & officia diſtinctorum. Fortitudo, iuſtitia, & ſimiles, dum primo modo conſiderantur, eædem ſunt, altera vero conſideratione diſtinguuntur, varia enim

Diluitur tertia dubitatio.

Ariſt. cum Platone in parte conciliatur.

Digitized by Google

enim ſunt officia maris, & fœminæ. Ratio autem huius varietatis eſt, quia virtus eſt medium Geometricum: quod genere idem eſt, iunctum autem variis, ob circumſtantiarum varietatem redditur varium, adeo vt ſimul idem ſit, & varium Ariſtot. Platonem damnat, quia etiam officia cenſebat eſſe eadem, qua de re an Plato defendi poſſit, in progreſſu patebit. Quærebatur poſtremo, quid teneatur facere vir probus in deprauata repub. conſtitutus. Reſpondens dico, non vnicuique licere leuiter de recta legum ſuæ reip. inſtitutione iudicium tradere, ſed valde mature, & prudēter id eſſe faciēdum: præſertim cū declinatio à virtute poſſit eſſe exigua, & nulla reip. mutatio careat periculo; ideo frequēter tenetur potius eam patienter ferre, quam in diſcrimen deterioris conditionis remp. deducere: nam (vt inquit Ariſt in 2. mor. Nic.) qui paululum decorum egreditur, non eſt in vitio. Si tamen declinatio magna, & conſpicua fuerit, virtutiſque euerſio animo pernicioſa, tunc ſi patriæ opem ferre nō valet, abſtinendum ei eſt à ciuili adminiſtratione, ac, ſi opus fuerit, exulandum eſt potius, quam vitium, & ſcelus aliquod conſpicuum patrandum: & in huiuſmodi occaſionibus maxime refulget virtus viri prudentis in iudicando, & ſecernendo, quid pro quo ſit agendum, à quo abſtinendum, quid præeligendum, vel renuendū In valde namque deprauata repub. boni ciues ſunt viri improbi, & propterea in ea melius eſt, vt ſimus ciues improbi, quam probi, vt ſimus digni pœnis eius legibus præſcriptis, quam præmio, vt afficiamur dedecore, quam externo eius honore, & demum, vt ſimus exſules, quam in magiſtratu conſtituti.

Diluitur quarta dubitatio.

Melius aliquando eſt, vt ſimus ciues improbi.

De materia reipublicæ, & quæritur, an dentur homines natura ſerui. CAP. VI.

QVemadmodum cęterorum omnium, vel natura, vel arte, ex materie & forma conſtantium, ita rerumpublicarum quatuor cauſarum genera conſiderare valemus: ex quarum notitia quæcunque ex eis prodeunt, exactiſſime elucescunt. Materies rerumpublicarum ſunt ſinguli homines in vrbibus degentes, proprie tamen & proxime ſunt ciues, in quibus reipublicæ forma recipi nata eſt: Hi catenus ſunt materies, quatenus rationis, conſultationis, libertatis, & prudentiæ ſunt compotes; horum enim beneficio valent imitari Deum præeſſe, dirigere, & gubernare. Hinç oritur, quod ſolus homo mundi ciuis nuncupari meretur, cum ſolus earum conditionum ſit particeps, non iumenta, non feræ. Pro conſtitutione autem reipublicæ: primo ex ſingulis hominibus, & præcipue ex conſpiratione maris & fœminę, patris & filiorum, domini & ſerui pro-

Materies rerumpubl. proxima.

Solus homo mundi ciuis.

deunt familiæ: mox ex familiis pagi, oppida, vrbes, & reſpublicæ conſtituuntur. Homines autem, ex quorum cœtu familiæ, & reſpublicæ prodeunt, diuidi præſertim ſolent in dominos, & ſeruos: ideo iure quærendum primo occurrit, an dentur homines natura ſerui, naturaque Domini. Nam quod dentur natura ſerui, abſurdum ſummopere videtur, cum natura ſit æqua cunctorum parens, nulli nouerca; inſuper, cum omnis homo per naturam conſultandi facultate, libertateque arbitrii ſit præditus: Propterea iure optimo aſſerere videntur nonnulli; ſeruitutem ex hominum deprauatione, ex violentia, affectioneque præter naturam ortum ducere. Ex aduerſo, diſtributionem in ſeruos, & dominos ex naturæ ſeminibus ortum ducere, naturæque rerum congruere, ex eo patet: quia iumenta per naturam ſeruiunt homini, corpus animæ, appetitus rationi, homo demum omnipotenti Deo; inſuper cum ex naturæ principiis corpora varia distinctæque propenſiones liberorum, & ſeruorum, prodeant: etiam putandum eſt diſtinctionem eorum, naturę eſſe conſentaneam. Quod experientia patet: quædam enim hominum conditiones, nationeſque nonnullæ inueniuntur, quibus longe melius eſt duci, quam ducere, inſeruire, quam regnare, & propterea natura ſeruæ iudicari merentur. Vt autem huius difficultatis conſpicua reſulgeat reſolutio, aſſero primo hominem cum tribus poſſe comparari, & ad tria referri: primo enim comparari poteſt cũ Deo, in qua relatione omnis homo eſt natura ſeruus, & adeo ſeruus, vt in eo poſitum ſit ſummum bonum eius, quicunque enim ſeruat mandata Dei, Deoque (vt tenetur) inſeruit, optime eſt affectus: ſecundo poteſt referri ad iumenta, & feras, in qua relatione eſt natura dominus; eſt enim finis ceterorum, ceteriſque præeſſe natus eſt: tertio poteſt humana natura in ſe conſiderari, & comparatio fieri inter nationes diſtinctas, conditioneſque ſingulorum varias, quæ conſideratio inſtituto noſtro magis inſeruit, maioremque difficultatem includit. Pro cuius lucida reſolutione tres profero enuntiationes: prima eſt hominem omnem (vt pertinet ad communem conditionem vniuerſæ humanæ ſpeciei) liberum eſſe, quatenus omnis arbitrii libertate pręditus eſt. Altera eſt, hominem omnem (vt pertinet ad principia ſpeciei, & communis naturæ) æque eſſe aptum imperare, obtemperare, præeſſe, ac ſubiici. Ratio eſt, quia principia ſpeciei æque communia ſunt cunctis, & æque ſingulis competunt. Poſtrema eſt ob varias indiuiduorum conditiones, & temperamenta, nonnullos hominum eſſe aptos ad imperandum, alios ad ſeruiendum; nonnulli enim ingenio & prudentia valent, alii corpore, quidam à vehementibus perturbationibus ducuntur, alii eis magis ſunt apti congruente ratione modum impo-

An dentur homines natura ſerui.

Rationes vtriuſque partis.

Pro reſolutione.

Triplex comparatio.

Tres aſſertiones.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Digitized by Google

nere. Quæ varietas ex natura ortum ducit, non quidem ex natura proprie ſumta, communi vniuerſæ ſpeciei, ſed ex natura, hoc eſt, ex conditione, temperaměto, & principiis ſingulorum propriis, per generationem eis cőpetentibus. Illi igitur, qui ex proprii temperamenti deprauatione non ſunt apti, nec ſe nec alios regere, per naturam indiuiduorum dici poſſunt ſerui, cum eis melius ſit duci, quam ducere, inſtruite, quam regnare: veluti etiam de pueris, & dementibus dicere valemus, quod ætate, vel morbo ſerui modo aliquo ſint. Sic itaque vna cum Platone, Ariſtotele, rectaque ratione dicere valemus, hominum quoſdam eſſe natura ſeruos, alios dominos: & facta etiam inter eos comparatione, quoſdam magis, alios minus eſſe liberos vel ſeruos. Ac vt exactius refulgeat veritas, accurate conſiderandum eſt, homines quatuor modis ſeruos, vel dominos & liberos dici poſſe; natura ſcilicet, moribus, fortuna, & conuento ſiue facto. Serui natura illi ſunt, quos declaraui, ad quos redigi modo aliquo poſſunt ſerui ætate, & ſerui morbo. Domini moribus ſunt viri probi, virtutibus honeſtati; virtus enim libera, domina, & princeps eſt, propterea viri virtute ornati, primo ſibi ipſis imperant, ſeipſos vincunt, perturbationibuſque dominantur, ac ita deinde aliis præeſſe apti ſunt. Vitioſi contra, cum ſint ſerui ſuarum perturbationum, ab eiſque capti ducantur, non ſunt apti præeſſe aliis, ideo ſerui moribus cenſeri debent. Hoc indicauit Diogenes, dum Alexandro dixit, *ſe dominari illis perturbationibus, quibus Alexander inſeruiebat*. Congruenter etiam Plato nono de republica affirmauit, *hominem illum iudicandum eſſe ſeruum, in quo pars animi diuinior, ceteris non dominaretur, ſed ſeruiret*. Hinc dicimus, duplicem dari ſeruitutem, internam vnam, alteram externam, vnam animi, alteram corporis. Domini fortuna ſunt diuites, comparati cum egenis, & principes illi, qui vel ſorte aliqua, vel ſucceſſione potius, quam meritis tales euaſerunt. Inde accidit nonnunquam, vt virtute domini, ſint fortuna ſerui, & viceverſa. Ad genus hoc tertium ea quoque ſeruitus redigitur, quæ vel ex bello, vel ex violentia aliqua ortum ducit. Demum datur ſeruitus ex pacto, conuento, & mercede: cuius varii ſunt modi, quorum nonnulli ſunt iuſti & approbandi, alii iniuſti & reiiciendi à ciuili imperio, in quibus diſtinctius explicandis immorandum non cenſeo, cum ſatis ſint conſpicui. Ex his conſtat primo, quomodo dentur, vel non dentur natura ſerui. Conſtat ſecundo, non omni ex parte veram eſſe ſententiam Philonis Iudæi, cum in libro de vita contemplatiua dixit, *ſeruitutem cum natura ſummopere pugnare: ea enim liberos omnes genuit, ſed auaritia legum natura contemtrix, ſeruitutem induxit*. Rectius autem ſenſit Plato, qui in tertio de legibus ſeptem hoc imperii obedientiæ

Dupliciter accipitur natura.

Concluſio dictorum.

Homo quatuor modis ſeruus.

Serui natura.

Serui moribus.

Diogenes.

Plato.

Serui fortuna.

Serui ex pacto.

Epilogus.

Sententia Philonis reiicitur.

Digitized by Google

Plato. *Septem obedientiæ gradus.*

que ordines ex naturæ fontibus manaſſe patefecit: primo enim per naturam genitores imperant natis, ſecundo viri nobiles & generoſi præſunt ignobilibus, tertio ſeniores iunioribus, quarto domini ſeruis, quinto potëtiores imbecillioribus, ſexto prudentes, ac ſapientes imprudẽtibus, & ignaris, ſeptimo ille, quem ſors extollit, præferendus ceteris videtur. Putandum eſt enim quod, quem ſors extulerit, Deus extulerit: conſtans tamen horum omnium graduum fundamentum illud eſt, quod ſexto loco eſt enumeratum. Similiter etiam in ſecundo de republ. rectè dixit: *Ciuitatem fecit indigentia noſtra, in qua non ſimiles, ſed differentes inuicem, ſingulosque ad ſingula opera promtos, natura produci neceſſe eſt.* Et in tertio de legibus aſſeruit. *Cum Deus formaret homines, quicunque ad imperandum idonei ſunt, aurum in eorum generatione ipſis admiſcuit, propterea honoratiſſimi ſunt, illis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidit, ferrum denique, & æs agricolis, ceteriſque opificibus, &c.* Indicans naturam harum varietatum inſeruiſſe ſemina. Huiuſmodi itaque homines, variis diſtinctiſque conditionibus præditi, & illi præſertim, qui ad imperandũ ſunt apti, ſunt materies familiarum, pagorum, publicarumque administrationum. Quæ materies in tres principales gradus diſtribuitur, Vt enim in homine reperitur cupiditas, iraſcendi facultas, & ratio: ita in vrbe, quaſi magno homine, inueniuntur agricolæ & artifices, cupiditati & lucro reſpondentes, milites & cuſtodes, reſpondentes facultati iraſcendi, & demum qui ducunt, ac regunt, rationem præ ſe ferentes. Quibus gradum quartum addere valemus, in quo ſunt ſacerdotes, menti & voluntati optimum quærendi reſpondentes.

Tres gradus hominum.

Gradus quartus.

Varia publicarum adminiſtrationum forma.

Cap. VII.

Ordo forma rerum.

QVEMADMODVM forma mundi eſt ordo partium conſpirantium ad eius conſtitutionem, natura rerum eſt ordo, & præter ordinem id ipſum eſt, quod præter naturam, prouidentia mundum regens, eſt ordo eminentiſſimus per omnia effuſus: ita ciuile imperium cenſeri debet ordo, ex principali magiſtratu, tanquam ex corde prodiens, & in vrbem vniuerſam, tanquam in ſequentia membra diffuſus. Et quoniam ex varietate conditionis eorum qui ordinant, & eorum qui ordini ſubiiciuntur, nec non ex varietate proximorum finium, & cohærentium, ordines prodeunt varii; inde fit, vt ciuilium quoque gubernationum variæ & diſtinctæ cernantur formæ: quarum nonnullæ ſunt ſimpliciores, aliæ mixtæ magis, & ex ſimplicibus

Digitized by Google

plicibus complicatæ. Et quia rerum cunctarum apud nos exiſtentium inueniuntur primo ſemina quædam, & quaſi primæ radices, ex quibus cetera prodeunt. Ideo ciuilis quoque adminiſtrationis principia prima, & tanquam ſemina conſiderantur, quæ ex ſententia Platonis in tertio de legibus ſunt principatus vnius, & principatus populi. Verba Platonis hæc ſunt: *Audite modo: duæ gubernationum ciuilium quaſi matres quædam ſunt, ex quibus ſi quis alias dixerit originem ducere, recte vtique dicet, quarum alteram principatum vnius, alteram populi appellare decet, alterius quoque ſummum tenere Perſarum genus, alterius nos putandum eſt: cetera vero formæ omnes hinc (vt dixi) variæ componuntur.* Hæc Plato. Ariſtoteles autem in quarto de republica, capite tertio ſimilem opinionem referens inquit; *Maxime vero duæ videntur eſſe: quemadmodum de ventis dici ſolet, alios eſſe boreales, alios auſtrales, ceteros autem ventos horum eſſe exſuperantias, ita etiam reſpublicas duas eſſe: popularem ſcilicet, & paucorum potentiam.* Et poſt pauca: *Sed certe verius ac melius eſt, vt nos diuiſimus, duarum, vel vnius recte conſtituta, ceteras eſſe tranſgreſſiones, &c.* Adeo vt Ariſtoteles vnicum ſtatuit caput, vnicumque principium, optime ſcilicet conſtitutum imperium, in quo virtus dominatur, ceteras cenſeat nuncupandas eſſe tranſgreſſiones. Videtur itaque Ariſtoteles cum Platone (ſuo more) pugnare: at vtriuſque profecto ſententia, diſtincta tamen conſideratione, vera eſt. Vel enim conſideramus vniuerſe compoſitionem omnem ciuilium adminiſtrationum, ac ita recte loquitur Plato: in omni enim rerum compoſitione, primo inueniuntur duo extrema, mox cetera ex eis conſurgunt, variaque ſunt, quatenus ad vnum vel ad alterum magis inclinant: vt conſtat de colorum, ſaporum, odorum, harmoniarumque conſtitutione, nec non ceterorum conſimilium. Vel conſideramus primum perfectione, quod ſit caput, regula, & menſura perfectionis vniuerſæ latitudinis, à quo cetera magis, vel minus recedant: ac ita recte locutus eſt Ariſtoteles, qui optimum conſiderauit, cetera dixit eſſe declinationes ab eo. Diſtincta itaque conſideratione ciuilium adminiſtrationum varia ſtatui poſſunt principia, ac ea ſunt partim vnum, partim duo. Ex quibus principiis prodeunt tres ſimpliciores formæ, quarum quæuis in duas diſtribuitur, in probam, & improbam. Imperium enim vel eſt penes vnum, vel apud paucos, vel apud multos. Si penes vnum, dum fuerit legitimum, à virtute directum, ad populorumque ſalutem ordinatum, regium eſt: oppoſitum tyrannicum. Si penes paucos, dum fuerint virtute p̄diti, & cum virtute, ac pro virtute imperent, dicitur Ariſtocratia, ſiue optimorũ imperium: dum vero qui præ-

Semina reipub.

Opinio Platonis.

Opinio Ariſtotelis.

Concilium.

Sex ſimplices imperij formæ.

ſunt, virtute caruerint, eamque neglexerint, propriis cupiditatibus indulgentes, paucorum poteſtatem cõſtituunt. Si demum imperium fuerit penes multos: vel eſt cum legibus recte formatis, & dicitur imperium, ac reſpublica popularis, cũ legibus; vel rectis legibus non ſubiicitur, & dicitur popularis ſine legibus. Hæ ſunt ſex ſimpliciores formæ, quæ inter ſe vel facilius vel difficilius commutari poſſunt, quæ diſtinctius in progreſſu declarabuntur. Harum tres ſunt probæ, nõ quidem æque, ſed ordine aliquo, & in hoc conueniunt, quod cõmunem vtilitatem quærũt & magnifaciunt: aduerſæ vero omnes, ſuis affectionibus indulgent, deque propria vtilitate ſunt ſolicitæ, & propterea improbæ ſunt.

Ex quo ſumenda ſit rerumpublicarum diſtinctio.
CAP. VIII.

CONSPICVA ſatis eſt diſtinctio trium generum publicæ administrationis: at vnde ea petenda ſit, & ex quibus principiis primo & per ſe prodeat, non ita eſt conſpicuum. Plato in libro de regno viſus eſt à numero diſtinctionem ſumpſiſſe; dixit enim publicam adminiſtrationem, vel eſſe vnius, vel paucorum, vel multorum. Si vnius, eſt regnum, & tyrannis. Si paucorum, vel eſt optimorum, vel deprauatorum. Si multitudinis, ea à veteribus non diuidebatur, ſed nomine communi dicebatur popularis: à Platone autem diuiditur, quia vel eſt cum legibus, vel ſine illis. Sic itaque Plato à numero imperantium viſus eſt diſtinctionem ſumpſiſſe, quem ego in præcedente capite ob conſpicuitatem diſtinctionis, ſequutus ſum. Ariſtoteles tamen in tertio de republ. capite quinto, hanc ſententiam damnat, & non à numero, ſed à regentium conditione, & fine, petendam eſſe diſtinctionem affirmat, & iure profecto. Numerus enim in republ. forma eſt aliquid ex euentu, & præter eſſentiam ordinis, id autem, ex quo præcipue oritur ordinis varietas, eſt finis, & conditio gubernantium aſpirantium ad finem. Et hoc redditur conſpicuum, quia ſi illi, qui rempubl. adminiſtrant, fuerint pauperes, ignobiles, & pauci, & ob conditionem imperantium, ſtatus ille popularis nuncupabitur. Accidit tamen magna ex parte, vt pauperes, & ignobiles multi ſint: ideo eorum adminiſtratio popularis, & multorum nuncupatur. Similiter ſi illi, qui præſunt, fuerint nobiliores vel ditiores, quamuis fuerint plures, quam qui obtemperant, tamen eorum imperium nuncupatur reſpublica optimatum, vel paucorum poteſtas: non enim quia pauci ſunt qui imperant, dicitur optimatum, vel paucorum, ſed quia, vt plurimum, nobiles & diuites pauciores ſunt. Non itaque diſtinctio primo & præcipue à numero petenda eſt,

Opinio Platonis.

Opinio Ariſtotelis.

Digitized by Google

da eſt, ſed à fine, & conditione hominum conſpirantium ad finem. Nam vel quæritur vtile & bonum proprium, & ea eſt deprauatio, vel quæritur bonum commune. Et hoc vel quæritur ab vno viro probo, & principe, & eſt regnum: vel à variis nobilibus virtute præditis, qui magna ex parte pauci ſunt, & dicitur imperium optimatum: vel quæritur a pauperibus & vilibus lege directis, qui (vt plurimum) ſunt multi, & dicitur ſtatus popularis. Finis optimatum & regis, eſt honeſtum, honor, gloria, & quæ cum virtute ſunt iuncta. Finis imperii popularis, eſt, quæ ab eis dicitur libertas, quæ, dum eſt ſine legibus, eſt potius pernicioſa licentia, quam re vera libertas. Finis poteſtatis paucorum, ſunt diuitiæ & vtile proprium. Finis tyranni eſt expletio propriarum cupiditatum. Sic itaque Ariſtotel. à Platone diſſentit, & recta ratione ſententiam eius euertere videtur: at ſi rem accurate perpendimus, inueniemus, quod vt Ariſtoteles recte ſentit, ita Plato non longe à vero recedit. Petenda quidem primo diſtinctio eſt à fine, & á conditione conſpirantium in finem neque hoc latuit Platonem; optime enim ipſe quoque ſingulos fontes nouit, ex quibus differentiæ hauriri poſſunt: dixit enim in eodem libro de regno, *reſpublicas inter ſe diſtingui, vno, paucis, multis, paupertate, diuitiis, violentia, voluntate, legibus, & arbitrio.* Adeo vt dicere valeamus diuiſionem ex variis peti poſſe, quos omnes modos nouit Plato; eorum autem modorum nonnullos eſſe primos, & principales, alios externos, notiores, & magis populares: Ariſtoteles principalem, internum, & per ſe conſideratur, Plato popularem, & externum: adeo vt re vera nulla de ſententia ſit lis. Poſſunt autem hæ ſimplices imperii formæ ita circumſcribi: regnum eſt imperium legitimum vnius, honeſtum, communeq; bonum populorum ei libere obtemperantium quærentis: tyrannis eſt imperium illegitimum vnius, violentia populis imperantis, de proprio bono ſoliciti: optimorum reſpublica eſt imperium nobilium virtute inſignium, qui vt plurimum ſunt pauci, commune honeſtum, ſua virtute quærentium: paucorum poteſtas eſt imperium diuitiorum, qui magna ex parte ſunt pauci, proprium commodum & vtile quærentium Status popularis ſubiectus legibus, eſt imperium populi & egenorum, libertatem, communemq; vtilitatem legitime quærentium, hi autem, vt plurimum, multi ſunt. Status popularis ſine legibus eſt imperium egenorum, licentiam propriamque vtile quærentium. Hæc ſunt ſimplicia & prima ciuilis adminiſtrationis capita multis varietatibus obnoxia, quæ vel ex auctoritate, vel ex modo electionis, vel ex numero, vel ex maiori & minori nobilitate, diuitiarumque copia, & inopia, ortum ducunt: á quibus diſtinctius explicandis ſuperſedendum cenſui, cum ſolum

Finis variorum imperiorum.

Diſſenſio Platonis & Ariſt. & conſenſio.

Deſcriptiones imperiorum.

Regnum quid.

Quid tyrannis.

Quid imperium optimorum.

Quid poteſtas paucorum.

Quid ſtatus popularis.

prima capita mihi explicanda propoſuerim.

De formis ciuilis imperii, quæ ex mixtione ſex enumeratarum prodeunt. CAP. IX.

QVoniam ciuilia imperia ex congreſſu, publicaque hominum conſpiratione conſurgunt, quorum affectiones ſunt variæ, ſententiæ diſtinctæ, propenſiones frequenter pugnantes: inde fit, vt ciuilium gubernationum formæ, vel raro, vel nunquam, ſynceræ & puræ inueniantur, nomen autem ab eo recipiunt, quod in eis præſertim fulget & dominatur. Accidit tamen, vt nonnunquam permixtio adeo ſit conſpicua, vt proprio quodam, diſtinctoque nomine deſignari mereatur. Permixtionum nonnullæ modo aliquo ſunt naturæ conſentaneæ, quæ ſeruari poſſunt: aliæ penitus naturæ aduerſæ; quæ, niſi ab alienis, à ſemetipſis intrinſecus confunduntur, & diſperduntur. Naturæ conſentaneæ illæ ſunt, quarum fines non inuicem pugnant, ſed ſibi mutuo conſentiunt: at illæ, quarum fines & propenſiones inter ſe pugnant, ſunt potius confuſiones & internæ diſſenſiones, quam re vera imperia ciuilia, & ſe habent perinde, ac monſtrum præter naturam affectum, cuius pars vna voret alteram. Cum etiam ciuilia Imperia inuicem miſceri poſſint, ea permixtio & complicatio poteſt eſſe, vel ex duobus tantum; vel ex pluribus. Si fuerit ex duobus, cum ſimplicia imperia ſint ſex, ex eis prodire poſſunt quindecim connexiones, vt vnicuique accurate rem conſideranti poteſt eſſe notum. Si autem connexio fuerit ex tribus, vel etiam ex pluribus, plura prodeunt mixta, vt conſpicuum eſt: ego potiora enumerabo, nam ex notitia ſimplicium cætera redduntur nota, quæ ex eorum complicatione prodire valent. Principalis & ſaluberrima eſt ea mixtio, quæ ex regno & optimatum poteſtate conſurgit: in qua plures viri probi, inſigni virtute decorati, vno communi principe, quaſi capite, iuncti, feliciſſime rempublicam gubernant. In qua reipublicæ forma fulget regia dignitas, cum qua optimorum ciuium virtus ita conſpirat, vt ſint tanquam multi reges vno duce iuncti: ob quorum conſpirationem in finem honeſtum, regia dignitas in tyrannidem labi, ac degenerare non valet: ciues enim optimi, regia virtute honeſtati, reges ſunt, etiam ſi priuatam viuant vitam, cum probi regis, probique ciuis eadem ſit principalis virtus. Hanc ſeptimam reipublicæ formam eam eſſe cenſeo, quam Plato in tertio de legibus inter bonas quartam numerauit, minus recte (vt puto) à Ficino explicatam: in libro vero de regno, numeratis omnibus, dixit eſſe ſeptimam. Et in vtriſque locis eam cæteris longe præſtare affirmat: cum enim ex duabus potioribus ſit conflata, includit vtriuſ-

Mixtiones potiores.

Mixtio ex duobus, vel ex pluribus.

Quindecim conexiones.

Prima mixtio.

Digitized by Google

vtriuſque facultatem & præſtantiam, nec niſi honeſta, & ſalutaris eſſe poteſt. Hanc in ampliſſima Venetorum vrbe cunctis numeris abſolutam, ſplendidiſſimeque fulgentem cernere nobis datum eſt. Nec ſuſpicari quiſpiam debet (vt viros quoſdam eruditiſſimos putaſſe noui) Venetorum Rempublicam mixtam eſſe ex omnibus tribus rectis adminiſtrationibus, portionemque obtinere omnium: inquiunt enim eam, munere principis, obtinere partem regiæ: munere maiorum Senatorum, principaliumque magiſtratuum, quibus Seniores tantum præſunt, obtinere partem Optimatum: munere demum numeroſæ conſpirationis pro publico conſilio, obtinere portionem popularis: adeo vt ob hos tres gradus, & vnus, & pauci, & multi præſint, & propterea ex tribus rectis adminiſtrationibus ſit mixta. Hæc ſententia per ea, quæ in præcedente capite dicta ſunt, ſatis aperte reiicitur: cumulate enim, cum auctoritate Ariſtotelis, tum ratione, oſtenſum eſt, veram & principalem diſtinctionem, non ex numero petendam eſſe, ſed ex fine communi & conditione conſpirantium in finem: nam viri nobiles (etiam ſi multi ſint) minime conſtituunt popularem adminiſtrationem: in Republica autem Venetorum non minus nobiles illi ſunt, qui numeroſo congreſſu ad comitia ſiue commune conſilium conſpirant, quam ſint ſeniores, qui grauioribus magiſtratibus præſunt: nec finis eorum eſt diſtinctus, cum omnes quærant commune bonum honeſtum. Eſt itaque Reſpublica illa, præcipue optimatum, in qua tamen refulget congruenter ſplendor regiæ dignitatis. Et quamuis in multorum proborum ciuium conſpiratione nonnulli inueniantur, qui minus probi ſint, non propterea euertitur imperium optimatum: quandoquidem inſpicere debemus maiorem partem, per quam cuncta ſuffragiis in magiſtratibus decernuntur, & diriguntur. Hinc etiam fit, vt, cum imperium, quod eſt penes vnum, ex vnius tantum mutatione varietur, imperium tamen, quod eſt penes multos, non mutet formam, niſi pars maior permutetur. Congruenter igitur Imperium regium cum eo quod eſt optimatum complicatur, ambo enim virtutem magnifaciunt, honeſtum quærunt, communem populorum vtilitatem inſpiciunt. Et quoniam, dum datur vnum oppoſitorum, datur & alterum, propterea, vt datur connexio Imperii regii & optimatum, ita inueniri poteſt tanquam octaua forma connexio tyrannidis & poteſtatis paucorum; hę namque non penitus, ſed in parte ſolum inter ſe pugnant, propterea modo aliquo ſimul ſeruari poſſunt: vt accidit, dum inter paucos potentes, ad libitum, ac pro ſuo commodo imperantes, vnus tanquam caput cæteris præſtat, cæteroſque ducit, & ſunt tanquam multi tyranni,

Reſpublica Veneta.

Quorundam opinio reiicitur.

Secunda mixtio.

Digitized by Google

vno capite præditi ſoliciti de proprio commodo, ſuiſque cupiditatibus indulgentes, quaſi Hydra variis faucibus prædita, vrbi & orbi perniciofiſſima, quæ nonnunquam in vrbibus conſpecta fuit. Exempla tamen libenter ſilentio obuoluo. Tertio necti poteſt Imperium Optimatum cum populari ſubiecto legibus: veluti dum viri nobiles & probi, cum populo iuncti, rempubl. gubernant, regnantes pro virtute, libertate, & commodo vniuerſi populi: vt enim nectuntur reip. formæ, ita nectuntur earum fines, & qui imperant, partem tradunt vtriq; fini, modo in vnum, modo in alterum inclinantes, ob varietatem conditionis imperantium. Hanc mixtionem expreſſit Ariſtot. in quarto de repub. cap. 7. Cui ea tanquam quarta connexio opponitur, in qua paucorum poteſtas cum imperio populari ſine legibus nectitur: & id contingere poteſt, dum vna cum populo conſpirant opulentiores nonnulli, quærentes commoda partim propria, partim populi: quæ connexio varias habet internas pugnas, & propterea huiuſmodi reſpubl. eſt tanquam nauis aduerſis ventis continenter agitata, quæ diu incolumis ſeruari nequit. Quinta mixtio ea ſtatui poteſt, quæ ex regia & populari ſubiecta legibus conſtat: quod accideret, ſi imperio populi caput præeſſet, ac vna conſpirantes imperarent, partim pro virtute, ſi caput ſeruaturum eſt conditionem regis, partim pro libertate populi. At huiuſmodi regia forma circumfuſa à populi tenebricoſis affectibus, parum refulget, citoque obumbrata deliteſcit; parum enim populi in cura virtutis perſeuerant, eſt enim tanquam monſtrum humano capite præditum. Ei oppoſita eſt ea mixtio quæ conſtat ex tyrannide & populari ſine legibus: quod accideret, ſi cum populo imperaret tyrannus aliquis, tanquam diſſoluti populi caput, & partim quærerent vtile proprium populi, partim tyranni, præcipue tamen tyranni: quæ potius eſt confuſio & pugna, quam ciuilis conſpiratio: non enim egeni diu ſuſtinent, vt maior commodi pars in tyrannum redundet, nec tyrannus, quod eam recipiat populus. Hæ ſunt ſex connexiones ex duplici genere Imperii: quæ cum ſint, vel ex ambabus partibus probis, vel ex ambabus improbis, modo aliquo in vnum finem conſpirant, & inueniri facile poſſunt: ſequuntur aliæ nouem, quæ cum ſint ex proba & improba parte, inconſtantes ſunt penitus & pugnantes, & propterea negligendæ: hæ autem ſunt regni cum tyrannide, Optimatum cum poteſtate paucorum, popularis Reipublicæ ſubiectæ legibus cum ea ſine legibus regni cum paucorum poteſtate, regni cum populari ſine legibus, tyrannidis cum imperio optimatum, tyrannidis cum populari Imperio ſubiecto legibus, Imperii optimatum cum populari ſine legibus, & demum poteſtatis paucorum cum imperio po-

Tertia mixtio.

Quarta mixtio.

Quinta mixtio.

Sexta mixtio.

Nouem aliæ mixtiones.

rio po-

Mixtiones ex pluribus quam ex duabus.

vio populari ſubiecto legibus. Excogitari deinde poſſunt mixtiones ex pluribus, quam ex duabus formis: quarum duæ inueniuntur minus pugnantes, & ſunt, vel conſpiratio trium probarum adminiſtrationum, vel conſpiratio trium improbarum.

Duæ mixtiones minus pugnantes.

Prima.

Prima eſſet, ſi populus, viri que nobiliores virtute præditi, ducem haberent, cum quo Rempublicam gubernarent, quærentes virtutem, diuitias, & commoda populi, vnicuique partem dantes. Inquit Ariſtoteles in quarto de republica. *Carthaginenſes in ſua republica hac tria inſpexiſſe; Lacedamones vero ſolam virtutem, & populum: Nomen autem recipitur ab eo, quod dominatur.*

Secunda.

Talis mixtio reperiretur in Vrbe Venetorum, ſi populo daretur facultas, vt partem haberet in publicis comitiis. Ei oppoſita eſt mixtio trium improbarum. Cæteræ autem mixtiones, quas excogitare valemus, vel trium, vel quatuor, vel quinque, vel ſex omnium formarum, ſunt probarum adminiſtrationum cum improbis pugnantes penitus, & inconſtantes.

Epilogus.

Concludens itaque dico: maxime conſpirare poſſe formas probas cum probis: minus improbas cum improbis, malum enim nedum deſtruit bonum, verum etiam ſeipſum, cum ſibi ipſi quoque ſit aduerſum, minime demum probas cum improbis.

Quomodo oppoſita miſceantur.

Accidere tamen poteſt, vt etiam hæ nonnunquam inter ſe miſceantur: veluti regium imperium cum tyrannide diceretur mixtum, dum rex non omni ex parte ſeruaret conditiones regis, ſed nonnunquam in tyrannidem inclinaret. Hinc dicere de nonnullis conſueuimus, actiones quaſdam eorum eſſe regias, alias tyrannicas. Similiter imperium optimatum mixtum eſſet cum eo paucorum, dum qui præſunt, partim probi partim improbi eſſent, & modo pro virtute, modo pro ſuis commodis iudicarent & imperarent. Gubernationes quoque populares, quarum vna leges ſeruat, altera ad libitum iudicat, mixtæ modo aliquo eſſent, ſi in parte legibus ſubiicerentur, in parte vero ſuæ cupiditati indulgerent. Et id ipſum de aliis excogitare valemus.

Plato.

Duo Paradoxa.

Propterea Plato 9. de repub. dixit, *tot eſſe reſpublicas, quot mores hominum: ac de conſimilibus pugnantibus mixtionibus duo Paradoxa verissima quidem proferre valemus: quorum vnum eſt; nil æqualitate eſſe inæqualius: alterum vero; nil vnitione eſſe ſeiunctius.* Et iure profecto: niti enim æquare viros inæquales, maxima inæqualitas eſt: ſimiliter dum aduerſi animi ad oppoſita aſpirantes, iuncti ſunt, maxime inter ſe pugnant, & propterea maxime ſunt ſeiuncti.

Nomen boni placet cunctis, at non officium.

Inſuper ſeruare in omni tranſgreſſione licet, quod nomen boni adeo eſt gratum omnibus, vt etiam imperia improba nomen proborum ſibi pro facultate vſurpent, tyrannus nititur ſe honeſtare nomine regis: popularis omnis adminiſtratio ſe eſſe legitimam affirmat. Imperium paucorum ait ſe eſſe optimatum, quæritur no-

men probi, at negliguntur officia. Et hæc de mixtione ſatis.

Quomodo in diſtinctis reip. formis vario modo ſeruetur iuſtitia; & quæ earum præſertim reſp. præſertimq́; libera cenſeri debeat. Cap. X.

Nonnunquam iuſtitia eſt iniuſtitia.

NVllam reipub. formam ſine iuſtitia conſiſtere poſſe, conſentiunt profecto omnes; ideo in omni reipublicæ adminiſtratione, quicunque magiſtratibus præſunt, fatentur ſuum officium eſſe ſeruare iuſtitiam: Accidit tamen; vt in aliquo imperio ea, quæ iuſtitia dicitur, iniuſtitia potius quam iuſtitia cenſeri mereatur. Cum enim iuſtitia in commutatione & diſtributione ſit poſita: de commutatione nemini dubium eſt, in omni ciuili adminiſtratione ſeruandum eſſe medium Arithmeticum, quod eſt medium abſolutum æque diſtans ab extremis; ſemper enim tantum alteri retribuendum eſt, quantum ab eo recepimus: in diſtributione vero præmiorum, dignitatum, & ſimilium ſeruandum eſt medium Geometricum, collocatum in æqualitate & ſimilitudine rationum; adeo vt præmia multis danda, pari ratione meritis eorum reſpondeant. Verum in iudicandis, æſtimandiſque meritis variæ Imperii formæ inter ſe diſſentiunt. In repub. enim optimatum maximi fit virtus, & merita ex virtute prodeunt. In paucorum poteſtate diuitiæ. In populari quæritur ea, quæ ab illis libertas dicitur; cuius omnes æque ſe eſſe bene meritos profitentur. Cum itaq; ius in diſtributione poſitum (conſenſione omnium) pro cuiuſque dignitatis & meritis eſſe debeat; quæ merita in variis imperiis, varia magnifacientibus, vario modo æſtimantur; iure optimo in variis imperiis iuſta diſtributio varia apparet: & in hoc poſita eſt perfectio & præſtantia reipub. vt vnumquodque in ea tanti fiat, quanti re vera, & ex natura rei fieri debet. At hoc dignum conſideratione eſt. Cum ciuilis adminiſtrationis formæ ſint variæ, quæ earum maxime digna eſt nomine reipublicæ? Inſuper, quæ earum præcipue libera cenſenda eſt? Ariſtoteles in quarto de republ. c. 8. inquit; *præcipue nomine generis, nomineq́; reipublicæ eſſe honeſtandam illam, quæ mixta eſt ex paucorum poteſtate & populari*; hoc eſt, in qua & diuites, & egeni imperant; hæc enim ea eſt, quæ vulgo libertas nuncupatur; cum æque in ea ſuo tempore imperent illi omnes, qui ciues nuncupantur; ſiue ſint diuites, ſiue egeni; ſiue nobiles, ſiue ignobiles: & hanc æqualitatem rempublicam & libertatem appellant, quam populi tanti faciunt, vt pro ea mori glorioſum exiſtiment. At ſi rectæ rationi credimus, eam ſolam tenemur iudicare libertatem, quæ iuſta & honeſta ſit; per quam Deo, rectæque rationi ſubiicimur, perturbationibuſque dominamur: quicunque enim perturbationes ſequitur; quot perturba-

Quid medium Arithmeticum? quid Geometricum? In quo ſit poſita præſtantia reipub.

Quæ præſertim ſit reſp. & libera. Ariſtot.

Ratio recta.

Digitized by Google

turbationibus, tot tyrannis ſubiicitur. Propterea recte Philon Iudæus librum conſtruxit, in quo latiſſime patefecit; *illum ſolum, qui virtuti ſtudet, re vera eſſe liberum.* Senecæ quoque præclara ſententia fuit, *Veram libertatem eam eſſe, qua homo nulli rei præterquam Deo ſeruit:* & iure profecto; tunc enim homo vere eſt liber, dum vilioribus dominatur, & cum ſuperis nectitur, quæ ſua eſſentia libera ſunt. Plato quoque & in Gorgia, & frequenter alibi, oſtendit; improbos omnes, cum ſeruos, tum impotentiſſimos eſſe. Ex quo colligere valemus, ab Ariſtotele prolatam præcipue eſſe libertatem, & rempublicam quandam maxime popularem: re vera autem libertatem illuſtriorem in eo Imperio maxime fulgere, quod maxime eſt honeſtum, maximeque á virtute & pro virtute dirigitur; virtus enim eſt verus vſus noſtræ libertatis, naturæque rerum ſummopere eſt accommodata. Et cum ea ſit vera libertas, ea quoque vere reſpublica cenſeri meretur: id enim re vera & maxime eſt bonum, quod eſt commune & publicum, quod à virtute quæritur; bonum autem proprium cum publico pugnans, nec quidem abſolute bonum iudicari debet. Ex quo colligere valemus; regnum, imperium optimatum, mixtumque ex eis, primo & præcipue eſſe rempublicam, & ingenua libertate frui. Ideo recte Plato, & cum eo Ariſtoteles in quarto de repub. c. 8. nec non Stoicus Seneca, affirmarunt: *tyrannum maxime eſſe ſeruum, maximeq; impotentem, & eius adminiſtrationem minime omnium reipublicæ nomine dignam.*

Philon Iudæus. *Seneca.* *Plato.*

Quæ publicarum adminiſtrationum præſtantiſſima cenſeri mereatur. CAP. XI.

OPtima reſpublica, naturæque omni ex parte conſentanea, proculdubio vnica cenſeri debet, eademque apud omnes; cæteræ autem iudicandæ ſunt receſſus, & declinationes ab ea, vt in 1 mor. Nic. c. 7. teſtatur philoſophus. At qualis inter varias ea ſit, quæ ceteris præſtet, non facile eſt videre; tres enim de præſtantia & dignitate contendunt, regia, optimatum, & mixta ex eis; quarum quælibet rationibus, & experientia ſibi principem locum optare nititur. Primo enim regiam eſſe optimam, ex eo colligere valemus: quia conſenſione omnium gubernatio mundi ſub principe Deo optima eſt; ea autem eſt regia, eſt monarchia ſub Monarcha Deo optimo maximo. Ideo philoſophus in calce duodecimi Metaphyſicæ inquit: *Ea, quæ ſunt, nolunt male gubernari, nec bona eſt multitudo Principum; vnus igitur Princeps.* Plato quoq; in libro de regno inquit: *Vnius imperium, bonis iuſtiſque conſtitutionibus* (quas leges vocamus) *ſex illarum omniũ optima eſt.* tyrannis autẽ deterrima. Et iure regis dignitas præfertur cæteris: cum ſit maxime conſentanea naturæ, quæ ſingulis vni-

Reſpublica optima vnica eſt. *Pro dignitate regia forma.* *Ariſtot.* *Plato.*

cum tradit principium; vt membris cor, corpori animam, animæ mentem: cum ſit ordini congruens. Imperium enim ordo eſt de cuius ratione eſt relatio ad vnum primum: cum dignitatem & facultatem in vno iunctam habeat, non effuſam in multis: cum ſit potentior; vis enim iuncta vehementior eſt, quam ſeiuncta: cum ſit liberior, expeditior, reſolutior, ſecretior, maiorem pariat admirationem: & populi libentius vni maxime fulgenti, quam multis obediant; populi enim regem, quaſi mortalem Deum, admirantur, & colunt. Inde factum eſt, vt in ciuilium adminiſtrationum congreſſibus reges (approbata conſuetudine) præferantur cæteris. De qua regia pręſtantia libri exſtant copioſiſſimi, & ornatiſſimi.

Virtus vnita fortior eſt diſperſa.

Pro dignitate Imperii optimatum.

At non ob id imperium optimatum ei cedere videtur: huiuſmodi enim Imperium eſt conſpiratio multorum, quaſi regum; quod nō videt vnus, videt alter; quod vnus præſtare non valet, alter præſtat; virtutem, quam ſolam magnifacit, latiorem includit: ciues ſuos ad virtutem vehementius inuitat, exactiuſque dirigit; cum iuuenes iudicent, ſolam virtutem eis parare viam ad magiſtratus & gradus dignitatis. His accedit, quod naturæ & conditioni ciuium aduerſari videtur; vt qui meritis non cedunt, nec virtute minus fulgent, dignitatis gradu & imperio ſubiiciantur: natura nos gignit liberos, non hominem vnum conſtituit nobis principem; ſed eos vult regnare, qui facultatem regnandi ſibi virtute parant. Inſuper (vt monet Ariſt. in 3. de rep. c. 11) plures viri probi ad imperium conſpirantes exquiſitius cuncta cognoſcunt, rectius deliberant, minus a recto per præmia diſtrahuntur, minus ducuntur à perturbationibus; deque eorum congreſſu perinde ſe habet, ac dum ex multis modicis cōſtituitur ſolemne conuiuium: non itaq; iniuria Ariſt. eo loci imperio optimatum primū dignitatis locum cōdonare videtur. Quod confirmatur, quoniam ex obitu regis cōſpicua populis offertur occaſio pernicioſi tumultus, eminēt pericula permutationis Imperii, nonnunquam etiam deſunt heredes; qui ſi adſunt, frequenter ſunt pueri, inexperti, ſecretorumq; non conſcii: quibus diſcriminibus imperium optimatum non eſt obnoxium.

Ariſtoteles.

Pro dignitate Imperii mixti.

Demum vtriq; præferendū videtur Imperium mixtum ex regio, & optimatum: hoc enim ornatum eſt dignitate vtriuſq;, munitū eſt vtriuſq; virtute, immuneq; eſt à periculis variis, quibus ea imperia ſeiuncta ſunt obnoxia: propterea iure optimo vtilius, honeſtius, diuturniuſq; eſſe videtur. Princeps enim vnus, qui in ea mixtione refulget, ciues probos nectit, & ornat: altera ex parte ciues probi, prudētia, conſilio, & opera, complent attinentia ad imperiū, detinentque, ne princeps in tyrannum labatur. Propterea Plato (vt dixi) quamuis, facta comparatione inter ſimplices, regiam adminiſtrationem prætulerit; abſolute tamen mixtio-

Plato.

mixtionem hanc apprime ſalutarem affirmauit. Et cum hæc tria Imperia magno apparatu, rationumq; copiis inter ſe de præſtātia pugnēt, Imperium quoque populare cum ſuis legibus inſurgit, & cum libertatē quærat, nulli permittit ſubiici: ſed præſtantiam ſuam ex eo oſtendit; quia natura libertatem voluit eſſe hominis propriam; ſingulos enim genuit liberos: quare Imperium populare cum legibus, libertatem quærens, maxime videtur naturæ hominis conſentaneum. Et cōfirmatur, quoniam, dum populus vniuerſus imperat, non pars, ſed cuncti de ſalute Imperii ſunt maxime ſolicìti, cum omnes ſint partes eius; quæ per naturam quærunt ſalutem totius. Vt lucide & expedite difficultatem diluamus, nōnullæ diſtinctiones proponendæ & perpendendæ ſunt. Prima eſt: Aliud eſt, Imperium eſſe abſolute dignius ac præſtantius, & eſſe humano generi accōmodatius: multa inueniuntur abſolute præſtantiora, q̄ nonnullis minime congruunt; motus in orbem abſolute eſt præſtantior ceteris lationibus, at non ꝓpterea homini accōmodatior. Inſuper, Imperiū eſſe humano generi accōmodatius, dupliciter contingere poteſt: vel ratione eorum, quæ pertinēt ad naturam & eſſentiam vniuerſi humani generis: vel ratione propriarum cōditionum, diſtinctorum hominum diſtinctarumque nationum. His aſſumtis, quatuor profero aſſertiones: prima eſt, Imperium regium eſt abſolute dignius, & nobilius. Altera eſt, humano generi, ex parte conditionum communium cunctis, Imperium populare cum legibus eſt maxime accommodatum. Tertia eſt, conſideratis hominib. cum conditionibus propriis Imperio cōducentibus, quæ ex diſtinctione virtutis à non virtute prodeunt; Imperium optimatum maxime eis congruit, apprimeque eſt ſalutare; & præſertim, dum dignitate aliqua regia iunctum & honeſtatum eſt. Poſtrema eſt, variis conditionibus hominum, & nationibus, varia imperia ſunt accommodata. Veritas primæ aſſertionis eſt conſpicua: quoniam Imperium regium eſt imitatio imperii Dei, & dignitatē omnem in vno iunctam habet; per quā vnitionem caput Imperii redditur præſtantius & admirabilius. Neque exiſtimandum eſt imperium mundi ſub principe Deo, mixtum eſſe ex regio & optimatum, vt nonnulli aſſeruerunt, idque cōprobarunt; quia ſecretæ mentes & angeli, cœleſtes ciues, vna cum Deo mūdum gubernant. At errant, quia angeli facultatē omnem à Deo recipiunt: nec ſuo conſilio vna cum Deo mundum regunt, ſed abſolute & penitus pro mundi adminiſtratione diriguntur à Deo; De Imperio autem optimatum iuncto cum regio ſecus ſe habet: nec debuit mundus alio quam Imperio abſolute regio gubernari, ob eminentiſſimam principis Dei præſtantiam, qua non ita vnus homo valet præſtare ceteris. De hoc vniuerſi regno

Pro Imperio populari.

Pro reſolutione.

Prima diſtinctio.

Secunda diſtinctio.

Quatuor aſſertiones, de Imper.

Primæ aſſertionis explicatio.

Imperium mundi non eſt mixtum.

Mundo ſolum Imperium regium congruit.

periculum non eſt, vt Monarcha in tyrannum tranſeat, cum ſit ipſum bonum; neq; vt ob æqualitatem virtutis negligatur à ceteris: vel vt per impotentiam, laborem, & inſcitiam, minus recte cuncta diſponat: vel vt per regis interitum imperium dilabatur: quibus omnibus hominum genus eſt obnoxium.

Explicatio ſecundæ aſſertionis.

Erat ſecunda aſſertio, humano generi, per conditiones cunctis communes, Imperium populare cum legibus maxime congruere. Ratio eſt, quoniam dum cõſideramus communia cunctis, nulla adeſt varietas; ob quam pars vna, potius quam altera, præeſſe, vel ſubiici debeat; & præcipue; quia per cõmunia vniuerſo humano generi quilibet homo eſt aptus imperare & regere. At quia homo ſolis communibus conditionibus præditus, nudatus conditionibus propriis, per quas varii inter ſe diſtinguuntur; non in vrbibus reperitur, ſed ſola cõcipitur mente; propterea ea præſtantia leuis, & inanis cenſeri debet.

Explicatio tertiæ aſſertionis.

Ideo erat tertia aſſertio, quod dum homines conſideramus diſtinctis conditionibus præditos, & illis præſertim, quod ex virtute & nõ virtute prodeunt. Imperium optimatum maxime eis congruit: virtus enim ea eſt, quæ hominem reddit aptum ad imperandum; & propterea ſaluberrimum eſt imperiũ illud, in quo viri virtute præditi imperant aliis. Hoc eſt iuſtum munere virtutis imperantium vtile ſubditis; qui cum virtute careant, melius eſt vt regantur ab illis: honeſtum, cum virtus maximi fiat, & pertinentia ad illam: ſplẽdidiſſimum, cum virtus fulgeat; & præcipue tale eſt, dum regia aliqua forma in eo refulget. At quoniam variarum gentium & populorum conditiones ſunt variæ, nec omnes æque ſunt capaces huius præſtantis formæ; ac inſuper nonnullæ nationes magis ſunt aptæ ad parendum, aliæ ad imperandum, nonnullæ mixtæ.

Explicatio quartæ aſſertionis.

Propterea addebatur quarto, variis hominum nationibus & conditionibus Imperia varia eſſe accommodata; ac ita ex varietate conditionis hominum, varietateque officiorum & temporum, varia prodierunt imperia: Sic videmus tempore belli regium Imperium maxime fulgere; cum vires ſint vnitiores, reſolutio in occaſionibus celerior, obedientia maior: tempore autem pacis fulgere maxime Imperium optimatum.

Quæ imperia cito dilabantur.

Et quotieſcunque imperii forma cõditioni populorum quaſi materiei congruenter reſpondet, dic imperium ſeruatur incolume; vt vice verſa facile mutatur, dum forma materiei non congruit. Veluti etiam illæ reſpublicæ cito dilabuntur, quarum ciues ob propriæ vtilitatis deſiderium, ob animi inconſtantiam, ob cupiditatem imperandi, ob inſitum quoddam ciuile diſſidium, rectam reipublicæ formam recipere non valent; quarum mutatio in melius generatio potius quam interitus cenſeri debet.

Digitized by Google

De origine formarum reipublicæ.
Cap. XII.

De cvrsis attinentibus ad materiem, & formam publicæ administrationis, cum de efficiente ſit agendum, ab eius origine principium petam. Si hiſtorias eccleſiæ ſequimur, quibus conſtantem fidem debemus adhibere, cumque eis hiſtorias neſtimus variorum hominum ſucceſſione & diligentia ſeruatas, ſatis diſtincte & certe de variorũ regnorũ, diſtinctarumque rerumpublicarum origine prima, veritatem enuntiare valemus, lucide enim cognoſcemus principium creationis mũdi, ſucceſſionem temporum, originem, curſum, & periodum variorum regnorum. At ſi cum philoſophis loquimur ſuperno lumine deſtitutis, ſolis proprii ingenii viribus & p ſigna & coniecturas veritatem indagantibus, res erit obſcurior: ita enim cum Ariſtot. à vero declinãte iudicabimus, mundum fuiſſe ſemper, vt in primo libro de cœlo ſe demõſtraſſe exiſtimauit. Cum Platone dicemus mundum, vel fuiſſe ſemper, vel incomprehẽſibili ante nos tempore principium recepiſſe. Plato enim in attinentibus ad hominum pietatem, Deique cultum, ſemper ſe certum oſtendit: ideo, quod mundus à Deo ſit productus, à Deo curetur & gubernetur, vbique conſtanter aſſerit. De illis autem, quę pro pietate, & cultu Dei indifferentia ſunt, ſemper ſe dubiũ profeſſus eſt, nec quidẽ id iniuria: Nam Plato vna cũ ſuo Socrate hoc ſe profitebatur ſcire, quod nihil ſciret, & propterea de tempore originis mundi frequenter ſe ancipitem indicauit; veluti in ſexto de legibus, vbi inquit: *Scire omnes oportet hominum generationem, vel nullum vnquam prorſus initium habuiſſe, neque terminum habituram, ſed fuiſſe omnino ſemper, & fore, aut ſi cœpit, inæſtimabili ante nos temporis magnitudine incepiſſe.* Inſuper in decimo de legibus ſimiliter ſe ancipitem indicans dixit: *Si quouis modo cuncta ſimul ſteterint* (vt plurimi audent dicere) *quem motum potiſſimum primum in ipſis fieri aſſeremus?* Sic inquit (vt plurimi audent dicere) quaſi aſſerat hac de re ſe nil decernere audere. Ex quo conſtat, Platonis aſſeclas leuiter inter ſe diſſerere, inaniterque hac de re diſſentire; an Plato mundum vt Ariſt. cenſuerit æternum, nec ne: Perperam etiam Simplicius nititur Ariſtot. cum Platone conciliare; nam Plato id eſſe problema dialecticum, in vtramque partem probabile, aſſeruit; Ariſtot. vero conſtanter cenſuit mundum fuiſſe ſemper. Quod ſi in primo Topicorum aſſeruit, id eſſe problema dialectum, profecto id dixit, more ſuo afferendo exempla ex opinione aliorum, nempe Platonis: Inſuper eſt problema dialecticum ob difficultatem; Ariſt. enim cõſiderans ea, quæ de mundi æternitate a veteribus dicta fuerunt, qui ob difficultatem varia ſenſerunt, nec verum valuerunt oſtendere, dixit eſſe pro-

Opinio Ariſtotelis.

Opinio Platonis.

Inaniter de mundi æternitate nituntur nonnulli Ariſtotelem cum Platone conciliare.

Explicatur locus primi Topicorum.

blema dialecticum: ipſe tamen cenſuit ſe difficultatem ſuperaſſe, oſtendiſſeque æternitatem; vt conſtat ex octauo Phyſicorum, & primo de cœlo, quamuis re vera id non præſtiterit. De hoc tamen, Plato & Ariſt. cōſenſerunt quod principium mundi, vel nō datur, vel nobis eſt ignotum, cum longiſſime a nobis diſtet. Propterea loquentes de origine formarum Reipublicæ, tria eorum conſenſione enunciare valemus: primum eſt, reſpublicas à Deo duxiſſe ortum, & à Deo modo vario nobis fuiſſe patefactas: alterum eſt, homines per naturam, internamque commotionem, inſtituiſſe ac formaſſe reſpublicas: tertium eſt, primas reſpublicas, primoſque eorum inſtitutores vel non dari, vel nobis non eſſe notos, ſed redintegratores, inſtauratoreſque earum, ſolum conſpicuos, literiſque ſeruatos fuiſſe. Quæ tria quomodo debeant intelligi, modo nitar explicare. Aſſeritur primo, Deum nobis imperiorum formas patefeciſſe, ac ita eorū fuiſſe auctorem, quod non vno, ſed tribus modis contigiſſe putandum eſt. Primo enim in Deum conuerſi, qui eminenti prouidentia, incomparabilique iuſtitia, cum ſit vnus, mundum totum regit, veri & primi regni formam inſpicimus, in quo creaturæ cunctæ: & illæ præſertim, quæ menti, ſunt compotes, pro earum perfectione regūtur. Secundo conuerſi ad mentes corpore ſolutas, Geometrica æqualitate cœleſtem rempublicam gubernantes, cœlique orbes reuoluentes; primam optimatū formam intuemur: Quamuis enim (vt dixi) mundi gubernatio abſolute ſit regia, & non mixta, eaque quæ eſt intelligentiarum, quia ex Deo omnino pendent, non ſit abſolute reſpublica optimatum: ſeiuncta tamen ea conſideratione, quod ex Deo omnino pendeant eminenter nobis imperium optimatum patefaciunt. Si conuertimur ad mundum mortalem, & vna cum Platone conſideramus, quomodo à Dæmonico populo proxime regatur, vel (vt recte aiunt Theologi) à poſtremo choro angelorum, ſecreta per imaginandi facultatem ea conſideratione, quod à ſupernis cauſis dirigantur, exemplar popularis reipublicæ inſpiciemus. Demum, ſi connexionem ordinemque cunctorum magnam mundi vrbem conſtituentium intuemur ſingularum rectarum adminiſtrationum admirabilem conſpirationem inſpiciemus. Hic itaque eſt modus primus quo mundi Monarcha Imperiorum formas homini patefecit. Secundo ſi humanum genus cum eo iumentorum & ferarum comparamus, inueniemus hominem per naturā regem & principem ceterorum: ita enim homo formatus eſt, vt dominari ceteris poſſet, & cum Deus creaturas ceteras formaſſet creandum dixit eſſe eum, qui dominari illis poſſet: Habet enim homo diuini aliquid, per quod ceteris natura præſtat, ab eiſque formidatur adeo, vt paruus æthiops magnum ducat Camelum funiculo

De quo Plato & Ariſt. conſentiunt.

Tres aſſertiones.

Explicatur prima aſſertio.

A Deo manarunt imperia.

Modus primus.

Modus ſecundus.

niculo alligatum, & agricola debilis feroces tauros iugo ſubiiciat. Tertio ſi varia brutorum animalium genera cōſideramus, inueniemus, in eorum nōnullis per naturam regni formam eſſe impreſſam & præcipue in formicis, gruibus, & apibus, ſuum regem ſequentibus. Vario igitur modo princeps mundi humano generi formas publici Imperii patefecit, & propterea rerum publicarum formator & auctor, iure optimo prædicari & celebrari meretur. Dicebatur ſecundo, homines per internam naturæ excitationem formaſſe reſpublicas. Homo enim ſua natura & conditione eſt ciuile animal ad ſocietates aptum, per rectam rationem ad ciuilem vitam congruenter eſt paratum, ac ob varias eius indigentias, nedum monetur excitaturque, verum modo aliquo compellitur ad ciuilem vitam degendam. Ideo ſententia fuit Platonis in Gorgia, Ius naturæ expoſcere, vt qui melior prudentiorque ſit, imperet ac dominetur: Quam ſententiam Ariſt. quoque in repub. approbauit. Et hoc præter cetera mirabile eſt, quod Deus (vt hominē ad publicas adminiſtrationes aptiorem, magiſque procliuem redderet) ſemina & formas Imperii, in eius animo indidit & impreſſit: mens enim per naturam eſt rex ceterarum animæ facultatum: Ea vna cum ratione & voluntate, optimatum ſeruat imperium: appetitiones ſenſuum variæ, popularem adminiſtrationem indicant, ex quarum facultatum congruente, vel aduerſa conſpiratione, mixtorum imperiorum formæ eluceſcunt. Præterea (vt Plato nono de repub. conſiderauit) in hominis anima, per Dei prouidentiam, conſpicuę eluceſcunt partes illæ, quæ publicam adminiſtrationem conſtituunt: tres ſunt partes, ex quibus ciuile imperium conſurgit; quarum vna cognoſcit, iudicat, & dirigit; altera ſuo robore ciuitatem cuſtodit, propulſatque iniurias; tertia quæſtui dans operam, neceſſaria parat, vt nil cœtui hominum deſit: tria hæc in hominis anima exactiſſime inueniuntur; mens enim & recta ratio ducit, vis iraſcendi propulſat iniurias, ac pro ratione pugnat; cupiditas auara, incumbens quæſtui, neceſſaria quærit. Inſuper, non cum minori admiratione in enumeratis tribus animę partibus vires, & fines trium principalium adminiſtrationum inueniuntur: rex enim quærit honeſtum, & commune bonum, quod competit menti: reſpublica optimatum de honore & gloria eſt ſolicita, & pro honore ac virtute pugnat; quod facultati iraſcendi cōgruit, populus magna ex parte quærit vtile, & iucundum, quod proprium eſt facultatis cupiendi. Præterea, vt varii homines voluptatibus ducuntur variis; quidam cognitionem veri, vſumque virtutis magnifaciunt; alii honores, multi diuitias: inde ad varias reipublicæ formas finibus illis reſpondentes ſunt accommodati, ad eaſque intrinſecus excitantur & commouētur. Demum,

Modus tertius.

Explicatio ſecundæ aſſertionis.

Plato.

Ariſtoteles.

Reſpublica in animo hominis impreſſa.

νοῦς ἡγεμονικός.

Tres partes ciuilis imperii.

natura hominum nonnullos format aptos ad imperandum, alios ad parendum, quod ſeruari videmus, comparando, tum varios populos & nationes inter ſe, tum gradus varios eiuſdem nationis: Ex imperantium autem & parentium conſpiratione publicæ prodeunt gubernationes. Sic prudenter Plato in tertio de republ. dixit: *Cum Deus formaret homines, quicunque ad imperandum idonei aptique ſunt, aurum in eorum generatione ipſis permiſcuit, ideo honoratiſſimi ſunt: illis autem, qui ad auxiliandum, argentum indidit, ferrum denique & æs agricolis, aliiſque opificibus.* Similiter Ariſtoteles in primo de repub. c. 9. & 12 dixit, *hominem virtute in vrbe præfulgentem eſſe natura regem.* Recte igitur dictum eſt, *hominem, Deo naturaque duce, & per internam excitationem, publicas adminiſtrationes formaſſe.* Tertia ſupereſt explicanda aſſertio, de qua proximo capite verba faciam.

Plato.

Ariſtoteles.

De ordine redintegrationis publicarum adminiſtrationum.

CAP. XIII.

CVM Philoſophi proprii ingenii viribus primam ac veram mundi originem inuenire non valuerint, nec ad primos artium ſcientiarumve inuentores valuerint eleuari, inſtauratores earum conſiderarunt, quos tanquam inuentores magnifecerũt & celebrarunt: vt vna cum Platone in tertio de legibus, Ariſt. in primo de cœlo, & in primo Meteororum affirmauit. Si igitur humana cõiectura inſtauratores rerum publicarũ indagare cupimus, Platonem in tertio de legib. imitati, ita dicemus. Quoniam per populares morbos, & præcipue per inundationes, deleta aliquando fuit hominum multitudo, dirutæque vrbes, adeo vt valde pauci, illique in montibus ſeruati ſint: putandum eſt, eos extitiſſe tanquam ſemina futurarum gentium, & ſi non eos, ſaltem eorum natos & nepotes, diſciplinarum & artium penitus fuiſſe ignaros, in quo humani generis nouo principio & redintegratione iudicare cogimur, parentes vna cum natis & nepotibus neceſſitate coactos in antris degiſſe, & natu maiores, (ita ducente natura) obtinuiſſe principatum; quorum voluntas, & mores, vicem legum obtinerent: Indeque exiſtimandum eſt ortam fuiſſe primam ciuilitatis formam, eamque regiam, cum imperium fuerit penes vnum. Mox aucto nepotum pronepotumque numero, ſimulque audaciores multitudine & aſſuetudine redditos, minuſque formidantes impetus & incurſiones ferarum, putandum eſt ad radices montium auſos fuiſſe deſcendere, familiaſque varias ſimul congregaſſe: ſecuritatis vero ac ſalutis gratia, ſepibus nonnullis ac vallis mœniorum loco

Inſtauratores imperiorum ex ſententia Plat.

Origo regni.

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe vſos, ac ita in vnam quaſi magnam domum vel pagum congregatos, inuicemque diſtinctarum familiarum inſtituta varia conferentes, cenſendum eſt ex eis potiora elegiſſe, illiſque vice legum fuiſſe vſos. In quo ſecundo gradu, ſecundoque adminiſtrationis genere, imaginem imperii optimatum refulgere cernimus; ſeniores enim variarum familiarum congregati, quaſi multi reges coniuncti, optimorum ciuium imperium conſtituunt: Qui deinde aucti numero, vſuque rerum redditi audaciores, iam per campos (vt ratio monet) cœperunt vagari, terramque colere, vt ex ea alimenta reciperent. In huius ſecundi gradus explicatione longe à vero (ni fallor) receſſit doctiſſimus Ficinus, cum putauerit eſſe tertium, & non imperium pro imperio numerauit, vt etiam aperte errauit in explicanda quarta ciuilitatis forma à Platone eo loc' relata, vt quiuis accurate locum conſiderans poterit iudicare: cenſuit enim formã quartam eſſe conſpirationem plurium regnorum, vel rerumpublicarum. At plurium imperiorum conſpiratio minime vna ciuitis adminiſtratio cenſeri debet, ſed multarum connexio, nec debet iudicari optima, cum conſpirationes variorum imperiorum cito diſſoluantur: Plato autem eam dicit optimam. Hinc in tertio de legibus referens conſpirationem trium Regum Argorum, Meſſenum, & Lacedæmonum, eam minime cenſet formam vnam publicæ adminiſtrationis, nec diuturnam, cum dicat eorum ciuitates fuiſſe diſſolutas. At de his obiter, ſit ſatis hoc notaſſe, vt qui eum legunt, cautiores reddantur, redeamus ad id, vnde receſſimus. Tertio, adhuc magis aucto ciuium numero, ſecuriores peritioreſque redditi, artibus nonnullis magis neceſſariis muniti, per campos effuſi, in eis auſi ſunt vrbes condere, in quibus ob numerum maiorem, communeque deſiderium regnandi, populare imperium fuiſſe ortum cenſendum eſt. Quæ tres formæ docte & eleganter ab Homero exemplis fuerunt illuſtratæ: prima, exemplo Cyclopum in montium antris degentium: ſecunda, exemplo eorum, qui incolebant radices montis Idæ: tertia, exemplo ſacrorum mœniorum Ilii: Strabo libro 13. hos à Platone enumeratos redintegrationis gradus recte retulit: errauit tamen addens, vltra tertium dari poſſe & quartum, & quintum. Nam ſi primus fuit in montibus, ſecundus in radicibus montium, tertius in campis; quartus eſſe potuit in locis mari propinquioribus, poſtremus mari finitimus, & inſulis. At vir hic doctiſſimus ordinem locorum tantum conſiderauit, cum Plato præcipue reſpexerit originem varietatum imperii ſimplicis recte formati, quod triplex tantum eſſe poteſt: præſertim cum dum conſiderantur

Imperium optimatum.

Error Ficini.

Imperium populare.

Homerus.

Strabo.

homines vt effuſi per campos, iam cõſiderentur vt poſtrema ſecuritate præditi: ex quibus popularis adminiſtratio conſurgit. His Plato in eodem dialogo quartam addit formam, quæ non ſimplex, ſed mixta eſt, inquiens: *Nunc vero quarta hæc nobis ciuitas venit, aut ſi vultis, quartum hoc hominum genus quod & quandoque alicubi habitabit, & nunc habitat, &c.* Indicans formam illam reipublicæ, cuius condebat leges; quæ mixta erat, non ſimplex; vt lucide conſtat ex tertio dialogo de legibus, quo loci inquit: *Neceſſe eſt autem & principatus vnius, & principatus populi, participem fore ciuitatem, ſi libertas in eo atque amicitia cum prudentia futura ſit, &c.* Similiter in ſexto de legibus dixit, *rempublicam debere eſſe mediam inter vnius & populi poteſtatem.* Ex his conſtat, quomodo Plato, partim naturam conditionemque hominum conſiderans, partim occaſiones quæ ei oblatæ ſunt, originis imperiorum ordinem patefecit: Ariſtoteles vero in tertio de repub. cap. 11. rationem aliam huius originis ac redintegrationis tradidit: dixit enim, ab initio conſtitutum fuiſſe regem, quia difficile erat viros plures præſtanti virtute fulgentes reperiri: præſertim, quia tunc ciuitates paruæ forent: præterea, ob beneficia accepta regem creauere, quod opus eſt bonorum virorum, ſed cum poſtea contingeret, vt plures pari virtute ornati reperirentur; non amplius tolerarunt regem, ſed communitatem quandam quærentes, reſpublicas conſtituere: cum vero deteriores facti lucrum ſibi quærerent, ex gubernatione reipublicæ paucorum potentiam ortam fuiſſe cenſendum eſt; honorabant enim diuitias, ex his vero in tyrannides tranſierunt, ex tyrannidibus rurſus ad plebem: cum enim in pauciores redacti ob cupiditatem quæſtus multitudinem corroborauerint; tandem inſurgens multitudo in popularem ſtatum ciuitatem redegit, factis inſuper maioribus ciuitatibus non facile eſt aliam, quam popularem regnandi formam remanere. Hæc Ariſt. qui varias ab illis Platonis cõſiderauit occaſiones: & putandum eſt, vel tẽporibus variis, vel in diſtinctis vrbibus, vtrumque contingere potuiſſe. Valemus & tertio nos originis ordinem hunc in modum excogitare: cum enim per naturam nonnulli gignantur homines maxime apti ad imperandum, ducendum, & regnandum (vt experientia nos docet) putandum eſt homines primo diſperſos ac diſſipatos, per aliquem ſimilem, inſtinctu quodam propriæ naturæ fuiſſe coniunctos & congregatos, cui cum ceteri ad parendum faciliores ſponte & libere pareant, regnum conſtituunt. Et quoniam homines primo diſperſi magna ex parte erant paſtores, nomenque paſtoris apud eos erat celebre, ideo & per originem & per metaphoram rex quoq; paſtor dicebatur, veluti apud Homerum Agamemnon dictus eſt

Opinio Ariſtot.

Tertius modus redintegrationis.

Cur reges dicantur paſtores.

paſtor

paſtor, vt etiam retulit Ariſtoteles lib. 8. moral. Nicomach. c. 10. Hoc nos docent hiſtoriæ cõtigiſſe Cyro, qui inter paſtores nutritus euaſit rex Medorum, nec non Tameriano, qui eadem via ad imperium Scytharum aſcendit. Mox primo rege defuncto; perſpecta vtilitate, quæ ex eo in ceteros redundauit; putandum eſt ſucceſſorem, vel vno, vel alio modo fuiſſe electum. Et quoniam conditiones regis, tanquam viri omni ex parte perfecti, variæ ſunt, quæ raro omnes in eodem inueniuntur: propterea facile contingere potuit, vt, cum rex nouerit ſe non poſſe cuncta præſtare, quę ad regem pertinent, ſibi ſocios aſciuerit, ex quibus vnum quaſi corpus conſurgit, cuncta perficere valens, quæ non valet vnus: & inde prodit forma optimatum cõſpirante ad eam virtute multorum deſiderioque honoris, & imperii. Ex republica optimatũ in popularem facilis eſt lapſus: tum, quia pauci per filios & nepotes in multos tranſeunt egenos: tum, ob hominum regnandi deſiderium, multitudiniſque vires. Ex quibus omnib. redintegrationis modis aperte conſtat, veram eſſe ſentẽtiam illam Ariſtotelis; *publica omnia imperia ex regno manaſſe, ac eſſe quaſdã ab eo degenerationes.* Hos omnes redintegrationis modos putandum eſt in variis terræ partibus locum habuiſſe: nõ enim ordines illi neceſſarii ſunt: ſed ob varias occaſiones conditioneſq; hominum, putandum eſt in variis vrbibus fuiſſe varios. At pulcra oritur dubitatio, nam eſt ſentẽtia ſapientum, à Cicerone approbata; *philoſophiam diſſipatos homines congregaſſe, imperiaq; formaſſe:* quomodo itaque nunc, philoſophia ſilentio obuoluta, modos alios originis patefecimus? Cui difficultati reſpondens dico, ſententiam illam Ciceronis minime veram eſſe de prima illa rudi hominum congregatione, naturæ potius inſtinctu, quam arte & philoſophia elaborata, ſed de abſoluta, perfecta, recteq; ordinata rep. Vt enim inquit Ariſt ſub initio primi Rhetor. *dum aliquid poteſt fieri natura & arte, longe rectius fit arte quam natura tantum.* Philoſophia igitur rudioribus hominum congregationibus, incoatiſque imperiis poſtremam manum adhibuit, errores remouens, recte formata firmans, exactiſſimiſque legibus perficiens: perinde enim de imperiis ſe habuiſſe putandum eſt ac alibi aſſerui contigiſſe de artibus: quæ, quamuis dicantur filiæ philoſophiæ, ante philoſophiam tamen prodierunt in lucem.

Publica imperia ex regno manarunt.

Dubitatio.

Solutio.

De fine, cuius gratia formatæ ſunt reſpublicæ.
Cap. XIV.

Decurſis ceteris imperiorum cauſis, vt eorum conſideratio-ni congruentem finem imponamus, ſupereſt, vt conuer-

Finis imperii. tamur in finem, & de eo verba faciamus. Finis publici imperii, vt eſt præclarus & illuſtris, ita ſatis eſt conſpicuus. De ratione & eſſentia finis eſt bonum: Quod bonum diuiditur in honeſtum, *Diuiſio boni.* vtile & iucundum; in bonum animi, corporis & externum: in bonũ proprium & cõmune; in bonum propriũ & aliorũ in bonum naturæ, humanum & diuinum. Hæc omnia bonorum genera mirabiliter iuncta; in fine publici imperii ſplendidiſſime fulgent: finis enim reipublicę duplex eſt; vnus proximus, qui eſt, *Finis reip. duplex.* vt congruenter gignamur, nutriamur, ſeruemurque incolumes, alter poſtremus, qui eſt, vt bene ſimus. Quod pertinet ad primum: munere ciuilis imperii, degentes in vrbibus; nedum ab inimicorum inſidioſis inuaſionibus, ferarumque incurſionibus liberamur; verum inſuper bonis cunctis, pro mortali hac vita opportunis, vel neceſſariis, cumulatiſſime abundamus, nam homo animalium omnium maxime eſt egenus, & propterea ciuile eſt animal; vt per multorum communem conſpirationem, indigentiis mederi, & ex impotentiſſimo potentiſſimus reddi valeat: ita naturæ inſtinctius ratio & neceſſitas, coegere homines vt congregarentur in vrbibus. Quod v. pertinet ad finem poſtremum, neminem latet, finem vltimum hominis eſſe ſummum bonum in vſu virtutis collocatum; hoc in cœtu, & congreſſibus hominum cumulatiſſime fruimur: Recte enim formatæ reſpublicæ à virtute prodeunt, in vſumque virtutum diriguntur; vſus autem virtutis, quo eſt communior & magis publicus, eo potior cenſeri debet: ita cœlum eſt tanquam commune imperium angelorum, in cuius adminiſtratione ſummo bono feliciſſime fruuntur: orbis mortalium eſt communis vrbs ſimplicium corporum, in quorum congruente ordine bonum eorum eſt collocatum. Duplicem hunc finem Ariſtoteles in primo de republ. capite ſecundo, patefecit inquiens; *ciuitas cuncta includit, quæ ſunt ſatis conſtituta vt viuamus, exiſtens autem bene viuendi gratia.* Et *Ariſtoteles.* in primo de cura familiari dixit; *ciuitas eſt multitudo domorum, agris & pecunia vt ſatis eſt abundans, vt bene viuamus, &c.* Vtilis profecto his, qui cõgregantur, eſt vna domus, & antrum, vtilior pagus adhuc vtilior vrbs, vt demũ vtiliſſimus eſt vniuerſus: orbis qui eſt quaſi communis ciuitas Deorũ & hominũ, cuius magnæ ciuitatis vrbes particulares ſunt imagines quædam & adumbrationes. De ratione ſummi boni potiſſimum eſt, vt ſit vnum; ideo cuncta eatenus ſummo bono fruuntur, quatenus in vere vnum conſpirant, in quo nectuntur & colligantur: in vnum conſpirant homines in propria domo, mox magis in pago, adhuc magis in vrbe: & demũ maxime, dũ ſupra terrenas vrbes eleuati, in Dei ciuitatem aſcenſione, cum Deo vere & eminentiſſime vno feliciſſime cõnectuntur, eoque vnitiſſime fruuntur. Ideo in

vrbibus

vrbibus præclara eriguntur templa, vt moneantur ciues eorum vnitionem ad id vere vnum debere dirigi: Et vrbes illę, in quibus vera religio negligitur, vero fine ſunt deſtitutæ, & nõ niſi æquiuoce merentur cęſeri vrbes; nam vrbes ſunt, tanquam parui orbes ad principem magni orbis nos eleuantes, ad imaginem cœleſtis ciuitatis cõformandę: adeo vt de vrbibus ſecus conformatis id congruenter dicere valeamus, quod fruſtra earũ ciues pro ſalute ſui imperii vigilant, cum id non cuſtodiatur à Deo. Mira itaque & incomparabilis eſt vtilitas, quæ ex vnitione ciuium in recte inſtituto imperio conſurgit: munere enim eius, corpus recte ſeruatur & bene valet animus: inſuper eiuſdem vnitionis beneficio, fruimur honeſto in probis actionibus inſito; fruimur iucundo ex congreſſu in familiari vſu conſanguineorum & amicorũ prodeunte; fruimur vtili ex varietate officiorum & artium cõſurgente; & demum fruimur munere facultatum omnium & virium: beneficio enim reip. homines ſinguli, qui ſeiuncti impotentes ſunt & debiles, in vnũ veniunt, vnumque quaſi magnum, & potentem hominem cõſtituunt; qui ex ſe ſibi eſt ſatis, cuncta vincit, mortalibus dominatur, terræ & mari imperat; pars parti, ſingulę toti, totumq; ſingulis partib. mirabiliter prodeſt; in quo naturalis antipathiæ & ſympathiæ, ſiue cõſenſionis & diſſenſionis vis ſplendidiſſime fulget. Hic eſt vere potens Coloſſus, vere robuſtus Gigas, oculatiſſimus Argo, & demum vera forma perfecti Androgyni à Platone in conuiuio celebrati.

De magiſtratibus, & primo de eorum neceſſitate, ex fine ſumta.

CAP. XV.

CIuitas, quaſi corpus quoddam omni ex parte perfectum cõgruenter ratione humano corpori reſpondet: vt enim in ominum corpore membra inueniuntur varia, officia diſtincta, unera inter ſe ordinata nõnulla magis, alia minus principalia; a tamen, vt omnia ad vnũ primum, ſine quo ordo non ſeruaretur referãtur ad vnumque poſtremum finẽ dirigãtur: ſimili mo- in vrbe & vniuerſa publica adminiſtratione, magiſtratus varii ueniri debẽt, ex vno principali magiſtratu pendẽtes, in vnumue cõmunem finem directi; qui finis eſt ſalus, vita, perfectio & onſeruatio reipublicæ, communiſque boni. Nam forma rei- *Forma reip.* blicæ, non ſecus ac forma totius mundi, in ordine eſt collota: ordo publici imperii in primo magiſtratu, vt in origine vi-, a quo tãquam à corde in cæteros effunditur, ab eo vires au- emque recipiens: Dempto ex vrbe magiſtratuum ordi- non amplius in ea viget ciuilis adminiſtratio; ſed ordinata in chaos vertitur, & ciuilis congregatio in tumultuoſam

confuſionem: Ablatis magiſtratibus, leges, quæ ſunt vita & ſalus reip. vt mutæ ſilent, vt inanimes languent, vt extinctæ deliteſcunt; magiſtratus n. eſt lex loquens; eſt mandatũ auctoritate & robore munitum; eſt imperium iudicio & interpretatione ſuæ ſententiæ præditum; quod nedum imperat, verum inſuper curat, vt mandata ſeruentur. Et cum leges apprime ſint cõmunes, nec ſingula valeant præuidere; deque cunctis decernere, quæ hominibus euentura ſunt: Magiſtratus earũ defectui ſubueniunt, ſingulis euentis à Legislatore non prouiſis conſulunt; & iudicio à principio fineque legũ directo, cuncta congruenter diſponunt. Hinc oritur æquitas, ſpecioſiſſima magiſtratuũ proles, quæ eſt ſplendor prudentiæ, abſolutioque iuſtitiæ, ſine qua leges rigidæ nimium, nimiumque ſeueræ iudicãdæ eſſent. Formandi itaque magna cura ſunt magiſtratus; nedum vt reſp. ſit, verum inſuper vt bene ſit, diuque ſeruetur.

Magiſtratus quid.

Æquitas.

Quid ſit magiſtratus, & quæ eius forma.
CAP. XVI.

MAgiſtratus (diſtincta conſideratione) & facultas, & imperium, & officium dici poteſt, rectius tamen officium dicitur, cum facultas ſit nomen nimium commune, & imperium de vniuerſa reipublicę forma congruentius dicatur: propterea magiſtratum definiendum cenſeo, vt ſit officium vni ciui vel pluribus competens, forma reip. accommodatum, pro conſtitutione & conſeruatione publici imperii, eiuſque fine aſſequendo. Hoc officium eſſe poteſt, vel principale ex alio nõ pendens, & huiuſmodi eſt magiſtratus primus, in quo primo viget forma reipublicæ, qui in varia imperii forma eſt varius: nam in regno eſt ipſummet officium regis, in imperio optimatum eſt prima proborum ciuium conſpiratio, ex qua auctoritas manat in alios, in populari eſt communis populi congregatio, publicumque eorum conſilium. Et conſiderandum, quod magiſtratus dupliciter vſurpatur: nonnunquam late, vt includit etiam principatum Imperii, in qua ſignificatione tradita eſt eius definitio: nõnunquam vero vſurpatur, vt à principatu diſtinguitur, & ex alio pendet, veluti dum dicimus, congregari comitia procreandis magiſtratibus: nunc itaque magiſtratus & officium latius vſurpatur ideo diuiditur in principale iam explicatum, & non principale, ſed ex alio pendens, ab alioque auctoritatem recipiens. Officium principale ſibi primo finem ſtatuit vniuerſum imperii bonum, ad idque cuncta pro facultate dirigit: cetera officia diſtinctis partibus & mediis ſunt deſtinata, actionibuſque variis præſunt, vel magis, vel minus præſtantibus ac neceſſariis. Magiſtratus primus leges condit, vel conditis auctoritatem præbet,

Definitio magiſtratus.

Magiſtratus dupliciter vſurpatur.

Magiſtratus primus.

Digitized by Google

præbet, vniuerſamque legum cõſeruationem curat; ceteri vero pertinentia ad partes perficiunt: ex quorum omnium conſpiratione vniuerſa cõſurgit reipublicæ forma, vel recta, vel deprauata; quatenus cõſpirantia, vel recte, vel perperam ſunt conſtituta. Et quoniam imperiorũ verũ caput, optimuſque cuſtos eſt Deus; ideo prima imperii cura eſſe debet de cultu Dei, rectaq; religione; ex hac n. ceteræ curæ formam, ſpiritum, facultatemque recipiunt. Propterea iure optimo apud Ægyptios idem erat magnus rex, magnus ſapiens, magnuſque ſacerdos; (Triſmegiſtus) nec licebat cuipiã ſine ſacerdotio, hoc eſt, ſine recta religione, imperare. Forma magiſtratuũ eſt duplex, vna externa, altera interna: forma externa eſt numerus ciuiũ, circumſcriptio moræ ſiue cõſeruationis, gradus dignitatis, & ſimilia: forma a. interna eſt auctoritas, facultas, officiũ proprium cum lege & iuſtitia coniunctũ: forma externa ad internam dirigitur: de qua præſertim tenemur eſſe ſoliciti. Diſtinctio primorũ magiſtratuum, primo & principaliter ſumitur ex diſtinctione vltimi finis variorum imperiorum: diſtinctio vero ceterorum magiſtratuum, ſumitur ex fine proximo proprii officii, relato ad finem poſtremum.

Prima imperii cura θρησκεία ſeu θεῶν θεραπεία.

Forma magiſtratuum duplex.

Forma interna reipub. eſt compoſita.

De materie magiſtratuum, hoc eſt, de ciuium conditione, quibus magiſtratus congruunt, & de materie, in qua verſari debent. CAP. XVII.

OMnis forma materiem expoſcit ſibi recta ratione reſpondentem: quare ea, quæ eſt magiſtratuum, cũ ſit forma præclariſſima, materiem expoſtulat inſignem, congruenterque paratam; vt in ea primo exactiſſime recipiatur, mox recepta ſplendidiſſime fulgeat: huiuſmodi materies ſunt recte educati, apteque inſtituti iuuenes: nemini enim (vt monebat Plato) concredẽda eſt reipublicæ adminiſtratio, in cuius animo informis perturbataque reſp. inueniatur. Vt a. ciues ad obeunda magiſtratuum munera parati ſint, tria requiruntur; primo, vt ſciant adminiſtrare: ſecũdo, vt velint: tertio, vt poſſint. Pro ſcientia neceſſaria eſt exacta cognitio finis reipublicæ, in quem cũcta dirigi debent: inſuper exacta cognitio mediorum pro aſſequendo fine; quæ media recte formatæ leges nobis diſtincte patefaciunt, propriaque prudentia comprobat. Ideo iure optimo Philon Iudæus in libro de creatione principis aſſeruit; *teneri principem manu propria compendium legum ſcribere, vt eas ſibi familiariſſimas reddat: Idipſum vnuſquiſque ſeruare deberet, qui magiſtratus formam congruenter cuperet ſuſcipere.* Vna autem cum notitia legum requiritur prudẽtia propria; quia ea eſt mediorum indagatrix, duxque tutiſſimus humanarum actionum: quæ cum homini ſine rerum vſu competere non valeat; ideo Ariſtoteles in ſeptimo de repub.

Materies magiſtratuum.

Tria requiruntur, vt ciues apti ſint ad magiſtratus.

Primo requiritur ſcientia.

Philon Iudæus.

capite decimoquarto, ſententiam illam approbauit; oportere recte imperaturum, primo obtemperaſſe, ac ſub imperio fuiſſe conſtitutum. Summopere etiam vtilis, ne dicam neceſſaria, cēſeri debet cognitio vniuerſæ philoſophiæ ciuilis: ſi enim ad curationem corporis ſolum in Medico perito confidimus; cur pro conſeruatione reipublicæ confidemus in eo, qui ciuili habitu ſit deſtitutus? Propterea recte Plato in ſexto de rep. ciues monuit; *non prius in vrbibus vllam fore populorum requietem, quam in ipſis philoſophi dominentur: hi namque ſunt qui ſciunt; ſine ſcientia autem nil boni, niſi forte fortuna, efficere valemus.* Dicebam, ꝑ ſuſcepturo magiſtratum requiri ſecundo, vt velit conſeruationem & ſalutem ſuæ reipublicæ; & iure quidem: vt enim ſine flagranti deſiderio finis de ordinatis ad illum minime ſoliciti ſumus, ita ſine dilectione ſuæ reipublicæ, & deſiderio conſeruationis eius, non conſtanter fungitur ciuis munere ſibi crediti magiſtratus: Et quoniam finem rectum optamus, conſtanteſque erga illum reddimur per virtutes in more poſitas; ideo tenetur ciuis, vt pro meritis magiſtratui præſit, moralibus virtutibus, præſertim iuſtitia, eſſe ornatus. Ita commendandam cenſeo ſentētiam illam a Perſarum ſapientibus enunciatam; *Neminem eſſe dignum magiſtratu, qui non ſit melior cunctis, qui magiſtratui ſubiiciuntur.* Sciat itaque primo, velitque ſecundo ciuis recte adminiſtrare rempublicam, vt iure optimo ei tertio regnandi & imperandi facultas tribuatur: Quæ tertia conditio & facultas in duobus eſt poſita, primo in auctoritate, ſecundo in idoneitate. Auctoritas vel eſt propria, ex alio non pendens; huiuſmodi eſt primi magiſtratus: vel pendet ex alio, qualis eſt cęterorum magiſtratuum. Pertinentia autem ad vires, adhuc ſunt duplicia: vel enim ſunt publica, vt miniſtri & cuſtodes; vel propria: ob propriarum virium inopiam, ciues vel non aſſueti, vel multis impliciti curis, vel nimia paupertate, corporiſve impotentia preſſi, non valent congruenter fungi munere magiſtratuum. Ex his conſpicua redduntur eorum capita, quæ præſertim requiruntur ad eam materiem & ſubiectum parandum in quo magiſtratuum forma eſt recipienda. Reperitur deinde, præter hanc, alia magiſtratuum materies; & ſunt res illæ, in quibus magiſtratus verſantur: quæ ſunt materies externa, & materies circa quam verſari dicuntur. Magiſtratuum enim nonnulli curant diuina, alii humana; curantes humana, vel curant attinentia ad bellum, vel ad pacem: Et horum nonnulli iura dant aliis, præmiaque & pœnas decernunt; alii vtilia, vel neceſſaria ad victum, & ad alias neceſſitates curant: Et frequenter accommodatus vni magiſtratui non eſt accommodatus alteri. Ideo tenentur illi, quorum officium eſt magiſtratus eligere, cum officia rerum, tum merita eligendorum

Secundo requiritur voluntas.

Perſarum ſapientes.

Tertio requiritur facultas.

Alia magiſtratuum materies.

Digitized by Google

ciuium exacte cognoſcere, ne ædificatori officium pingendi, Pictori vero officium ædificandi imponant.

De modis creandi magiſtratus.

CAP. XVIII.

VArii profecto ſunt modi, quibus excogitare valemus creari poſſe magiſtratus; Principales tamen ſunt ſeptem, quorum tres ſunt ſimplices, quatuor vero ex eis mixti: Simplices ſunt, vt eligantur vel ſorte, vel voluntate Principis ſiue votis eligentium, vel ſucceſſione: mixti ſunt; vt eligantur, vel ſorte & votis, vel ſorte & ſucceſſione, vel votis & ſucceſſione, vel demũ ſucceſſione, ſorte & votis; vt dum ex aliqua familia eligendus eſſet magiſtratus, & id fieret ſorte votis approbãda. His ſeptẽ modis tres addere valemus: quorum vnus eſt, vt ſibi quiſpiam magiſtratum propria pecunia paret; alter, vt violẽtia illũ vſurpet; tertius, vt propriis actionibus & virtute illum conſequatur, veluti ſi lege ſancitum eſſet, vt qui inſigne aliquod facinus patrat, magiſtratu aliquo ſit honeſtandus: ac ita decem conſurgunt modi, prætermiſſa mixtione ad hos tres poſtremos modos tanquam minus principales pertinente. Quod in magiſtratuum electione fortunæ quoque aliquid condonetur, non eſt à ratione omnino alienum: nam ſi Deus vniuerſi princeps & caſui & fortunæ in regno ſuo aliquid cõcedit: homines quoque imitati Deũ, in cura ſuæ reipublicę id ipſum efficere valẽt: dum tamen id faciunt, tenentur (vt fieri videmus in vniuerſo) non potiora, ſed leuiora ei tribuere, ac ea, de quibus parum refert, vt vno vel altero modo eueniãt: ac ea quoque ita ſunt fortunæ credenda, vt ſi aliquid detrimenti afferant, id vel præcedente prouidentia dirigi, vel ſequente prudẽtia emendari & corrigi poſſit. Vtile autem eſt fortunæ aliquid condonare, quatuor ob cauſas: prima eſt, vt ab eligendis magiſtratus minus ambiantur: ſecunda, quia inter eos, qui eligi poſſunt, nonnunquam varietas non eſt conſpicua: tertia, vt electores minus ſe odio ſubiiciãt: quarta, quia fortuita euẽta iudicia Dei eſſe videntur. Fortuna in regno anguſtũ habet locum, ob prouidentiam regiam, cui cuncta ſubiiciũtur: in imperio optimatum, latiorem: latiſſimum autem in populari, ob communem, quam maximi faciũt & profitentur, æqualitatem. Cum autẽ varii ſint modi, quibus eligi poſſunt magiſtratus; ille tamen ceteris eſt præferendus, qui cõſultatione & præelectione fit à viris prudentibus auctoritate præditis: quibus cum pertinentia ad officia magiſtratuum, tum conditiones & partes præeligendorum ciuium, ſint conſpicuæ & exploratæ. Quæ præelectio rite abſoluitur; dum electores à perturbationibus, & ab odio præſertim ac amore, immunes, officia tradunt meritis: con-

Septem modi creandi magiſtratus.

Tres alii modi.

Fortuna aliquid condonandum.

Electio magiſtratus ceteris præferendus.

ſpicueque iudicant; nõ ei magiſtratum eſſe tribuẽdum, qui cum ſit intemperans, gubernare ſe neſciat, nec ei confidendum eſſe reipublicæ ordinem & trãquillitatem, in cuius animo reſpublica inueniatur tumultuoſa, ſecumque pugnãs; nec ei demãdanda eſſe iuſtitiæ officia, ex quo conſpicua prodeunt iniuſtitiæ maleficia. Hæc cum in omnium magiſtratuum electione ſeruanda ſint; potiſſimũ tamen in electione principis, primique magiſtratum conſtitutione ſeruari debent; id enim eſt ceterorum caput, quo perperam affecto, vt cetera male ſe habeãt neceſſe eſt. Propterea hoc ſplẽdidiſſimis literis animo electorum inſcribendũ, altaque mente reuoluẽdum eſt, ꝙ qui principali magiſtratui aliquem præponit indignum, ciuilem format idololatriam, cum populis non verum principem pro vero proponat colendũ: quicunque enim præſunt, non robore præcipue, ſed virtute ceteris præſtare debent; ne populus ſit ingens Cyclops, oculo captus. Magni momenti eſt virtus principis, adeo vt iure optimo dicatur; terribiliorem eſſe ceruorum exercitum leone duce, quam leonum agmen ducente ceruo.

Vtrum expediat, vt magiſtratus dentur per definitum tempus, an vero vſque in finem vitæ: inſuper, an lex magiſtratui, vel magiſtratus debeat praeſſe legi.

CAP. XIX.

DVm finem proximum, propriumque officium ſingulorum magiſtratuũ inſpicimus; proculdubio melius iudicamus, vt ciues vſque in finem vitę ei magiſtratui præſint, quam per breue & definitum tempus: ita enim magiſtratuum officia, non freq̃uẽter à ciuibus inexpertis, ſed a verſatis ac peritioribus abſoluerentur: propterea Ariſtoteles ſub initio ſecundi de republ. dixit, *melius fore, ſi iidem ſemper magiſtratum gererẽt, modo id fieri poſſet.* Verum, ſi vniuerſum reipublicæ ordinem, merita ciuium, finemque poſtremum imperii conſideramus; ſecus iudicabimus: alia n. ætas alium gradum magiſtratus expoſcit, minor vel maior prudẽtia magiſtratui præeſſe debet maioris vel minoris momenti, & ciuibus æqualium meritorum nõ eſt claudenda via ad gradus dignitatis æquales. Expedit tamen, vt magiſtratus primus, qui eſt fundamentum & firmamentum vniuerſi imperii, à quo vt à corde virtus effunditur in alios; minus ceteris varietur, firmuſque vel totus vel pars pro facultate ſeruetur: ex eius enim conſpicua permutatione, magna in vniuerſa rempubl. permutatio redundat; mutato enim principio, facile mutantur ea quæ ex principio pendent. Hinc in vniuerſo orbe, ad cuius imitationem vrbes gubernare tenemur, principium primum eſt immobile penitus; de quo Ariſtoteles in 8 phyſ. 52. enuntiauit; *manente principio*

Magiſtratus primus minus ceteris varietur.

Confirmatio.

Digitized by Google

principio, neceſſe eſt manere omne, quod continuatur cum eo: ideo motus eius dicitur motus vniuerſi, menſura, regula, & ſpiritus cæterorum motuum, quaſi ſequentium magiſtratuum. Similiter etiam non eſt inutile, vt magiſtratus nonnulli aliquando per vniuerſam vitam tribuantur; quod prudentiæ formantium, ſeruantiumque rempublicam eſt relinquendum. At id accurata conſideratione eſt dignum, de quo Ariſtoteles in tertio de republ. verba fecit: num expediat in recte formata republica, vt magiſtratus ſubiiciantur legibus, eiſque inſeruiant; an vice verſa, vt legibus præſint & dominentur. Rationes occurrunt pro vtraque parte: Quod enim dominari debeant magiſtratus, ex eo oſtenditur; quia magiſtratus obtinet locum prudentiæ, prudentia eſt principium, parens, & domina legum; non lex prudentiæ. Confirmatur, quia, ſi vir prudens rebus omnibus ſemper eſſet præſens, vel ſi viri omnes probi & prudentes eſſent, inanes eſſent leges: ſimiliter, niſi leges conditæ à prudentibus ciuibus ſeruarentur, inutiliter conditæ eſſent: ſemper itaque vir prudens legibus præſtare ac præeſſe videtur. Præterea, ſi lex dominaretur, periret æquitas; quæ eſt abſolutio iuſtitiæ, per quam non ad amuſſim ſcriptæ leges ſeruantur. Quod confirmatur, quia in vniuerſo; quod eſt exemplar optimorum imperiorum; Deus princeps optimus legibus prouidentiæ, fati, & naturæ præeſt & dominatur, non autem ſubiicitur. Propterea populari voce dicitur, *regem eſſe ſupra leges:* & Ariſtoteles in tertio de republic. capit. 12. enuntiauit; *verum regem abſoluta poteſtate præditum; cuncta ad libitum, & ex ſua voluntate gerere; & iure optimo profecto, conditor enim legum legibus praeſt, condere autem leges officium eſt regium.* His accedit, quod (vt teſtatur Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum, capit. 4.) *Iudex eſt ius loquens, potens, & viuum: Lex ius mutum, mortuum, & impotens:* at loquens, potens, & viuum, defuncto, impotenti, & muto præeſſe debet. Ex aduerſo tamen legi videtur principatus competere; quoniam lex eſt ordo iuſtitiæ á perturbationibus ſeiunctus, qui ordo in homine cum variis perturbationibus eſt complicatus, á quibus facile obumbrari turbarique poteſt. Ideo Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum, capit. 6. dixit: *Itaque hominem non ſinimus imperare, ſed rationem.* Et in tertio de republic. cap. 12. ait: *Regia illa poteſtas abſolutiſſima, qua rex cuncta ſua voluntate gubernat, videtur quibuſdam non eſſe conſentanea naturæ, cum ciuitas ex ſimilibus conſtet;* Quæ ſimilitudo ſeruatur, dum omnes communibus legibus ſubiiciuntur. Inſuper addit: *Qui legem praeſſe iubent, videntur iubere Deum praeeſſe, & leges; qui autem hominem iubet praeſſe, adiungit & beſtiam; libido quippe talis eſt, quæ obliquos reddit etiam viros optimos in pote-*

An magiſtratus præſit legi, vel vice verſa.

Rationes pro parte magiſtratus.

Rationes pro parte legis.

ſtate conſtitutos. Inſuper, lex accurata experientia, longo rerum vſu, multorumque virorum prudentum conſenſione formatur & firmatur: propterea in eam minus videtur irrepere poſſe errorem, quam in virum vnum huiuſmodi conditionibus deſtitutum.

Plato.

Plato modo legem, modo virum prudentem præponere videtur: legem quidem in quarto de legibus inquiens: *Interitum paratum illi ciuitati video, in qua non lex magiſtratibus, ſed legibus magiſtratus præſunt, ſalutem vero illi, in qua lex ſeruientibus magiſtratibus dominatur:* Idipſum facit in Gorgia Pindari ſententiam approbans: aſſerentis *legem omnium eſſe reginam mortalium, & immortalium;* & in Epiſtola ſeptima dixit: *Ciuitatem non hominibus, ſed legibus debere ſubiici.* Ex aduerſo virum prudentem in libro de regno præferre videtur inquiens: *Vir ſapiens & bonus, gubernabit ſemper ita populorum ſalutem inſpiciens, vt nautarum nauiſque ſalutem inſpicit nauta: nam ille, non ſcriptis, ſed arte, quaſi lege quadam nautas ſeruat: ſimiliter vir ille vere ciuilis, & apud eos qui ita dominari valent, recta eſt rerum ciuilium adminiſtratio, vim artis legibus potiorem adhibens, &c.* Sic itaque Plato ſibi conſtare non videtur.

Ariſtoteles Platoni aduerſatur.

Et Ariſtoteles ſententiam hanc Platonis nuper relatam in tertio de republic. capite duodecimo arguit, inquiens: *non perinde ſe habere de publica adminiſtratione, ac ſe habeat de artibus, quarum exemplo vtitur Plato.*

Reſolutio difficultatis.

Res itaque videtur apprime perplexa, & dubia. Pro cuius reſolutione primo dicendum cenſeo; aliud eſſe loqui de rege, & magiſtratu principali, & aliud loqui de cæteris ex primo pendentibus. Nam ſi de his loquimur: aſſerendum proculdubio eſt, eos debere ſubiici legibus, tenerique ſeruare leges: cum enim ſubiiciantur capiti auctorique legum, etiam legibus ſubiici debent: & ea conditione à primo conditi conſtitutique ſunt, vt conſtitutis ſibique præfixis legibus obtemperent. Quod ſi eis liceret leges mutare: dum id efficerent, cuncta confunderent, à principalique magiſtratu recederent: in cuius poteſtate eſt, vel leges condere, vel conditis auctoritatem tribuere. Ideo Ariſtoteles in ciuili imperio formandum cenſuit magiſtratum conſeruatorum: cui iunctum eſſet officium ſeruandi, & cuſtodiendi leges.

Quomodo rex ſubiiciatur, & non ſubiiciatur legi.

At ſi loquimur de rege, principalique magiſtratu: dicendum eſt legem eſſe duplicem, diuinam vnam, alteram humanam. Si de diuina loquimur, proculdubio rex, vt ſubiicitur Deo, ita ſubiicitur legi eius: cui niſi ſubiiceretur, non eſſet rex. Si loquimur de humana, dico regem dupliciter conſiderari poſſe: primo, vt hominem appetitu ſenſuum præditum, cum perturbationibus iunctum, aptum ab eis duci: ac ita teneri obtemperare, & ſubiici legibus: ſecundo conſiderari poſſ. per ſe, cum reduplicatione (vt regem) hoc eſt, vt præditum ſuprema

aucto-

Digitized by Google

auctoritate, vt formatum forma regia, quæ eſt iuſtitia, & prudentia nomothetica, hoc eſt, condendarum legum, qua conſideratione eſt habitus legis, eſt lex viua, lex loquens; lex cum ratione, interpretatione, & æquitate iuncta, quæ proculdubio præeſt legi ſcriptæ. Sic itaque rex per ſe præeſt legi, ex euentu ſubiicitur. Et ſi quis eſſet rex ſolutus penitus ab humanis perturbationibus, ille abſolute diceretur præeſſe legibus, at huiuſmodi eſt ſolus Deus; rex vero iunctus cum humanis perturbationibus, conſideratus vt complicatus cum eis, tenetur ſubiici legibus á ſua forma regia prodeuntibus, quibus præeſt, dum conſideratur vt rex regiâ forma honeſtatus. Si quis autem reperiretur, qui nomine tantum eſſet rex, deſtitutus autem eſſet interna regia forma; ille abſolute teneretur ſubiici legibus. Ex his elicitur primo reſolutio difficultatis, quæ eſt, quod rex per ſe præſit, ex euentu vero ſubiicitur humanis legibus. Quod ſignificare voluit Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum inquiens; *Non hominem, ſed rationem debere dominari, per hominem denotans obnoxium perturbationibus, per rationem vero prudentiam ferendarum legum, & formam regiam.* Elicitur hinc ſecundo, Platonem non ſecum pugnare; nam vtrumque eſt verum, & magiſtratus ſubeſſe legibus, & prudentiam nomotheticam, quæ eſt regia ratio & forma, eis præeſſe. Colligo tertio, Ariſtotelem re vera cum Platone non pugnare: nam hominem perturbationibus obnoxium debere ſubiici, & prudentiam, facultatemque regiam, quæ eſt lex eminens, debere præeſſe, vterque nouit, & affirmauit. Colligo quarto, quamuis regia dignitas ex ſe ſcriptæ legi præſit; abſolute tamen tutius eſſe dicere, debere ſubeſſe legibus, quam præeſſe. Cuius rei triplex cauſſa aſſignari poteſt: prima eſt, quia magiſtratus non primi, vt non primi ſunt, omnino debent ſubeſſe. Altera eſt, quia in terris regia forma ſeiuncta à perturbationibus, vel omni ex parte dominans eis, minime reperitur. Tertia, quia dum homo iuſtus præeſt, adhuc dicitur lex præeſſe, cum homo eatenus ſit abſolute iuſtus, quatenus legi diuinæ ſubiicitur, eamque ſeruat. Ideo recte Cicero in libro de officiis dixit: *Eſt igitur proprium munus magiſtratus intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis, debereque eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, eaque fidei ſua commiſſa meminiſſe, &c.* Colligo quinto, cum magiſtratus ſubiiciantur legibus, non propterea æquitatem euerti. Ratio eſt, quia æquitas refulget; dum lex vniuerſe loquens, de nonnullis particularibus, quæ indefinita & incerta ſunt, nec diſtincte ſub lege comprehendi poſſunt, nihil decernit: nam tunc iudex ſua æquitate defectui legis occurrit, non euertens legem, ſed perficiens, idque facit habitu prudentiæ & iuſtitiæ, hoc

Primum quod elicitur.

Alterum quod elicitur.

Tertium quod colligitur.

Quartum.

Cicero.

Quintum quod colligitur.

eſt, recta legis ratione inſpiciens finem legiſlatoris, in eumque recta ſuæ prudentiæ ratione cuncta dirigens. Et in nonnullis publicis adminiſtrationibus magiſtratus conſtituitur, cuius officium ſit iudicare ea, de quibus lex prouidere non poteſt, vt in 3. de republic. cap. 12. teſtatur Ariſtoteles: id tamen præcipue cenſeri debet officium primi magiſtratus, quia eius quoque officium eſt, per formam regiam, & nomotheticam prudentiam leges condere, vel conditas approbare, præeligere, & perficere. Ita conſtat, quam recte Ariſtoteles in tertio de republic. cap. 7. dixit, *nihil adeo, vt leges recte poſitas debere dominari: illum autem, qui reipublicæ præeſt (ſiue vnus ſit, ſiue plures) debere in his poteſtatem habere, in quibus leges expreſſe cauere non poſſunt, eo quia facile non ſit, communi ſermone ſingulos caſus comprehendere.* Quod etiam cap. 12. approbauit. Et id ipſum latius expreſſit Plato in lib. de regno inquiens, *multa in ciuili ſcientia relinqui ſub iudicio prudentis iudicis, non enim lex ſingula diſtincte valet decernere, præſertim, quia ea ſimilis eſt viro pertinaci, & imperito, propterea æquitas neceſſaria eſt.*

Ariſtot.

Plato.

An ex magiſtratu lucrum elici debeat, & melius ſit, vt qui præſunt ſint diuites, vel vt ſint pauperes.

CAP. XX.

Sententia Biantis.

QVam ſit arduum magiſtratui recte præeſſe, ſententia illa Biantis ab Ariſt. in 5. moralium Nicomachiorum approbata ſatis conſpicue patefacit, magiſtratus virum oſtendit: apprime enim difficile eſt, ſe erga alios præbere vt decet, cum varia ſint, quæ hominem à iuſto auocare & diſtorquere valeant, & præſertim auri ſacra fames. Ex quo duæ prodeunt difficultates; quarum vna eſt, an expediat ex magiſtratu vtile, & emolumentum aliquod elicere: altera vero, num melius ſit, vt qui præſunt, diuitiis abundent, an potius vt eis careant. Vt à prima ordiar, dixit Ariſtoteles in quinto de republ. c. 8. Maxime illud in omni republica cum legibus, tum omni alia cura & diligentia, conſtituendum eſt, ne ex magiſtratibus lucra proueniant, quod maxime in paucorum gubernatione ſeruandum eſt; ita enim leuius ferunt populi, vt à republica excludantur; quinimo gaudent, quod ſua agere non impediuntur. Inſuper in ſecundo de republica cap. 9. dixit: *Carthaginenſes, nedum optimos, ſed & ditiſſimos putaſſe magiſtratibus eſſe præficiendos, quaſi fieri nequeat, vt qui egenus ſit, bene magiſtratum gerat, aut requietem optet:* Et in eodem capite addit; *Prauum eſt, maximos magiſtratus eſſe venales.* Plato ex aduerſo in primo de republ. nedum aſſerit, ſed oſtendere nititur, magiſtratui præmium eſſe conſtituendum, idque triplex eſſe affirmat, pecuniam, honorem, & pœnam. Ratio, qua vtitur,

An liceat ex magiſtratu lucrum eligere.

Ratio quod non liceat.

Plato videtur cum Ariſtotele pugnare.

vtitur, hæc eſt: Omnis cura dirigitur ad aliud, cuius eſt cura, omnis magiſtratus eſt cura & cuſtodia quædam, vt conſpicuum eſt: quare dirigitur ad illud aliud, cuius eſt cura & cuſtodia, at nemo volens, neglecto ſuo bono, ſolum laborat boni alterius gratia: nemo igitur volens magiſtratui præeſt; ideo, vt libenter id faciat, præmium aliquod eſt ei conſtituendum, in quo bonum proprium ex cuſtodia prodiens ſit poſitum. Quod confirmat, quia artes & curæ omnes duplici modo conſiderantur: primo vt ſunt definitæ quædam facultates, relatæ ad finem proprium: ſecundo, vt communi aliquo genere iunctæ ſunt, quatenus nempe ſunt mercenariæ, & mercedem ex ſuo labore ſuſcipiunt. Prima conſideratione nulla ars, nulluſque magiſtratus ſibi vtilitatem parat, ſed medicus laboranti, paſtor armento, princeps populo, & ſic de cæteris. Vtiles ſunt artes, & magiſtratus artifici, vtroque in magiſtratu conſtituto, quatenus inde merces in eos redundat; merces itaque ſtatuenda eſt, vt illis muneribus ſua voluntate fungantur. Sic itaque nulla ars ex ſe ac ob finem proprium eſt vtilis artifici, nullus principatus principii, & nemo volens ob proprium imperii finem recipit imperium, ſed ſolum ob finem communem, qui merces eſt, quare merces paranda eſt magiſtratibus. Hæc eſt ſententia Platonis, ſatis ſimilis Paradoxis Stoicorum: Quę ſatis dubia eſt, tum quia curam omnem, imperium & magiſtratum ſtatuit mercenarium; tum inſuper, quia non videtur exacte rationes & fines explicare, ob quos tenentur ciues magiſtratib. præeſſe: nam præter enumeratos addere valemus, ciues debere magiſtratib. præeſſe ex debito; nam patriæ, vt communi parenti, ſummopere debent; ideo tenentur, ob beneficia quę recipiunt, munera rependere & ei pro facultate prodeſſe. Inſuper, cum id faciāt per proprium magiſtratuum finem, non ſunt vtiles ſolum aliis, ſed ſibi quoque: cum enim recte funguntur munere magiſtratuum, ſeruantes rempubl. ſeruant amicos, cōſanguineos, & propriam familiam, & ſemetipſos, qui ſunt partes & membra reipublicæ. Pro difficultatis itaque reſolutione dicendum cenſo, actionem omnem & effectionem eſſe boni gratia, nedum alterius, ſed etiam ſui, imo DEVS, cum mundum creauerit, quia bonus, creans mundum, ſeruat conditionem boni, & propterea ſuimet, qui eſt ipſum bonum, & finis omnium. Inſuper, operari ſui boni gratia contingit tripliciter: vel primo, vt qui dant operam literis, primo quærunt ſuimet perfectionem: vel ſecundo, vt ædificator qui ædificans lucratur: vel primo & ſecundo ſimul, quod competere cenſeo ciuibus, qui magiſtratibus præſunt. Cum enim id faciant, primo per finem proprium ſui officii & magiſtratus, redduntur ſui boni participes; tum quia debita ſoluunt, tum quia ea eſt actio hone-

Sententia Platonis in dubium vertitur.

Reſolutio difficultatis.

ſta, quæ eſt perfectio agentis; tum demum, quia amici, conſanguinei, & ipſimet ſunt pars eius, quod curatur & conſeruatur: de artibus autem, deque earum operibus ſecus ſe habet. Inſuper, qui præſunt magiſtratibus, ſecundo loco ſibi ſunt vtiles ob præmium & lucrum, quod inde hauriunt, quod præmium in recte inſtituta republica eſt duplex: vnum principale, & eſt honor, qui dicitur præmium probarum actionum: alterum ſecundo loco, & ex euentu optandum, ob humanas indigentias & imbecillitates, quod in pecunia poſitum eſt. Præmium primum maxime eſt proprium regni, & imperii optimatum; alterum magis congruit populari adminiſtrationi. Plato addit tertium præmium, idque aſſerit eſſe pœnam; magna enim pœna eſt ſubiici deterioribus: propterea ciues probi ad magiſtratus accedunt, illiſque præſunt, vt ab hac pœna liberentur. At ſi accurate rem perpendimus, hoc redigitur ad vtilitatem ex proprio fine in nos redundantem; quatenus nempe nos ſumus pars eius, quod cuſtoditur & curatur. Conſtat itaque, magiſtratus & primo & ſecundo loco vtiles eſſe illis, qui preſunt: & addo ciues, dum magiſtratibus præſunt, maxime teneri id facere ob bonum, quod primo in fine proprio magiſtratuum includitur. Loquendo autem de bono, quod ſecundo loco in eos redundat; in magiſtratu principali ſolum pro præmio honor, & honeſtum refulgere debet, in humilioribus autem magiſtratibus, ex quibus vel non conſurgit honor vel ſatis obſcurus, labor vero, impenſæ, & detrimenta ſuæ vtilitatis ſunt conſpicua, vice honoris, & recompenſationis proprii damni, non eſt abſurdum, vt vtile aliquid pro præmio deſignetur: lucrum tamen non debet eſſe magnum, vt ob id diteſcant, ſed labori, & detrimento propriæ vtilitatis congruenter reſpondens. Idque præmium non ita debet in eos redundare, qui magiſtratibus præſunt, quia in officio, vel ex officio mercaturam faciant, ſed quia per principalem magiſtratum eis deſignatum, ac definitum ſit. Ex his colligo primo reſolutionem principalis difficultatis: colligo ſecundo, ſententiam Platonis modo aliquo defendi poſſe. Nam cum ſtatuat magiſtratus omnes mercenarios: dicendum id eſſe verum ſumta mercede late, pro mercede ingenua, vel non ingenua: ingenui enim magiſtratus de ingenua mercede ſunt ſoliciti. Et cum dicat, magiſtratus non eſſe vtiles per finem proprium eorum, dico id eſſe verum per ſe, falſum vero ex euentu: eſt verum per ſe, quia magiſtratus dicitur alterius cura; eſt falſum ex euentu, quia accidit, vt ipſe illius alterius ſit pars, ac ſimul debitum ſuum ſoluat, beneficiumque ei rependat, cui tenetur & debet: demum id honeſtum, quod in actione proba includitur, non eſt proprium actionis fungentium munere magiſtratuum, ſed eſt commune omnibus

Tertium præmium à Platone additum.

Quæ colligantur ex dictis.

actio-

Digitized by Google

actionibus probis. Quod autem Plato cenſuerit eos, qui magiſtratibus præſunt, teneri deſpicere pecuniam, in duodecimo libro de Legibus patefecit, præcipiens illis, qui patriæ miniſtrant, vt munera non reciperent. Colligo demum, Ariſtotelem cum Platone re vera minime pugnare, non enim inficiatus eſt Ariſtoteles, magiſtratui, mercedis loco, probitatem actionis honoremque congruere; ſolum inficiatus eſt, ei congruere lucrum bonorum fortunæ, ne in mercaturam conuerteretur, idque fecit loquens de republica optimatum, non de populari. Ideo in ſecundo de repub. c. 9. enuntiauit, *Magiſtratum eſſe ſine mercede, & ſine electione, quæ ſorte fit, Reipublica optimatum eſt tribuendum, & ſimili illi:* Indicans in populari magis concedi poſſe: Et demum reſpexit Ariſtoteles ad magiſtratum primum, non eos, qui primo ſubiiciuntur: Et hæc pro reſolutione primæ difficultatis. Erat altera dubitatio, qua quærebatur, an opulentiores, vel egeni, ſint magis apti ad recte obeunda munera magiſtratuum. Quam expedite & lucide ſoluens dico, & nimium diuites, & nimium egenos parum eſſe aptos; opum enim copia negligentiam, contemtionem, arrogantiamque parit; inopia vero eſt calcar & ſtimulus conuertendi bona communia in propria: fortuna moderata aptiſſima eſt: hoc tamen verum eſt, quod variis magiſtratibus varii fortunæ gradus ſunt accommodati. Et id cum primis eſt ſeruandum, prooorumq; ciuium mente accurate reuoluendum, quod Plato in ſeptimo de repub. præcepit: teneri ciues, qui congruenter magiſtratibus præeſſe cupiunt, diuites eſſe bonorum animi, & abundare iuſtitiæ, ſapientiæ, caritatis, & pietatis ignito auro, quo ſibi, & aliis veram ſalutem parent, tenerique ex aduerſo eſſe pauperes ſpiritu, hoc eſt, fortunæ bona non magnifacere, nec ea nimium expetere; nam (vt Ariſtoteles in quarto de Repub. c. 12. enuntiauit) *Diuitum cupiditates plus habendi, magis rempublicam deſtruunt, quam quæ multitudinis, ſunt enim cupiditates viribus prædita.* Et de his hactenus.

Ariſtoteles & Plato conciliantur.

An diuites vel egeni ſint apti ad magiſtratus.

Vnum maxime vtile.

An vir probus debeat magiſtratus quærere, vel renuere, & num expediat, vt idem diſtinctis magiſtratibus præſit. CAP. XXI.

MAgna inter celebres philoſophos extitit controuerſia, an viri probi de magiſtratuum adeptione teneantur eſſe ſolliciti, vel eos negligere potius & renuere debeant. Sententia fuit Platonis in primo de repub. *Si bonorum virorum exſtaret ciuitas, in ea (vt arbitror) haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate.* Præcipiebat Pythagoras a fabis abſtinendum, hoc eſt, à reipublicæ adminiſtratione, quæ animos inanibus replet flatibus: mos enim veterum fuit, per

Sententia Platonis.

Sententia Pythagoræ.

Digitized by Google

Epicurus. ſuffragia fabis lata magiſtratus creare. Dixit Epicurus (referente Seneca in libro de vita beata.) *Non accedat ad rempublicam ſapiens, niſi aliquid interuenerit.* Zenon aſſeruit: *Accedet ſapiens ad rempublicam, niſi aliquid impedierit.* Quicunque magiſtratus ambiunt, ſe vel ambitioſos, vel auaros, vel regnandi cupidos patefaciunt, qui eos negligunt, vel inepti, vel ſuperbi iudicantur: adeo vt, quid ſit faciendum, minime conſtet. Qua de re paucis agens dico, homines erga magiſtratus aliquo trium modorum poſſe eſſe affectos, vel enim ſupra humanos magiſtratus eleuantur, vt qui neglecto terreno regno quærunt regnum cœli: & de his non eſt ſermo; vel ſunt infra magiſtratus, & merita magiſtratuum conſtituti, & hi tenentur magiſtratibus libenter ſubiici, & obedire; vel ſunt viri ciuiles & probi, medio quodam modo ſe habentes. De quibus loquens dico; modos quærendi, ſibiq; magiſtratus parandi, varios eſſe: quorum nonnulli commendatione, alii vituperio ſunt digni. Modus omni ex parte legitimus, naturæque conſentaneus, ille cenſeri debet, quo quiſpiam virtute propria ſe dignum magiſtratu reddit & patefacit. Qui enim ſe officio dignum viris iuſtis oſtendit, honeſtiſſime magiſtratum quærit; & illi (ſi iuſti fuerint) non valent ei magiſtratum non tribuere. Hac via & ratione vnuſquiſque in ſua vrbe magiſtratum ambire, & accurate quærere tenetur, quem ſi non obtinebit, non propterea ſua dignitate priuabitur, qua contentus eſſe debet: merita enim regia longe præferenda ſunt regno. Hi tenentur (quotieſcunque eis offertur occaſio) prodeſſe patriæ, eique pro facultate opem ferre: Hoc enim moralis virtutis officium eſt, vt agat; nedum id quod decet, verum inſuper quotieſcunque opus fuerit, nec precibus, ambitioſiſque petitionibus ciues de magiſtratu ſoliciti eſſe debent, ſed, dum legitime fuerint prælecti, tunc alacri animo ad magiſtratum accedere, legeſque recte inſtitutas iuſto & æquo animo pro facultate ſeruare tenentur. At quæritur, num expediat, vt diſtinctis magiſtratibus diſtincti ciues præſint, an potius vtile ſit, vt iidem variis interſint, diſtinctorumque magiſtratuum muneribus fungantur. Sententia eſt Ariſtot in ſecundo de republic. cap. 9. *Prauum videri poſſe plures magiſtratus ab vno homine geri, quod honori tribuebatur apud Carthaginenſes: Vnicum enim ab vno optime perficitur opus: hoc autem vt fieret, prouidendum fuit à legumlatore, neque cogendum eundem tibicinem eſſe, atq; ſutorem.* Quod confirmatur, quia ſic naturam imitabimur, quæ diſtinctis operibus diſtincta principia & inſtrumenta deſtinauit: natura enim (vt inquit Ariſtoteles ſub initio primi de repub.) non ob inopiam vnum facit duorum gratia, ſed vnum exigit ad vnum. His accedit, quod multitudo magiſtratuum, in aptis ad eos magiſtratus, odium parit,

Zenon.

Homo ad magiſtratus tribus modis ſe habet.

Modus legitimus quærendi magiſtratum.

An idem debeat præeſſe variis magiſtratibus.

Sententia Ariſtotelis.

parit; in eo vero, qui variis præeſt, parit negligentiam: homo enim variis implicitus curis, nec ſibi, nec aliis omni ex parte ſatiſfacere valet. Ex aduerſo, cum magiſtratus ſint quaſi chordæ variæ, ex quarum conſpiratione harmonia vna conſurgere debet: videtur ſummopere vtile ad vnitionem & conſpirationem ſeruandam, vt vnus pluribus interſit: ita enim, quod fit in vno magiſtratu, non ignoratur in altero; nec magiſtratus vnus aduerſatur alteri; & media cuncta feliciusin vnum finem diriguntur. His accedit, quod frequenter magiſtratus ſunt multi: ciues autem apti ad eos gerendos valde pauci. Huic difficultati per communia magiſtratuum ciuiumque capita reſpondens dico, formarum reipubl. & magiſtratuum varios cum gradus tum conditiones reperiri: ob quam varietatem nil proferri poteſt, quod in cunctis æque ſeruari debeat. Dantur enim imperia, in quibus multi reperiuntur ciues, dantur alia, in quibus pauci inueniuntur, qui ad magiſtratus ſint apti: Inſuper dantur magiſtratus valde diſtincti, qui diſtinctas expoſcunt hominum conditiones; dantur alii ſatis ſimiles. Præterea inueniuntur nonnulli magiſtratus leues, qui exiguam præſidentibus curam præbent; dantur alii grauiores maioris curæ, qui totum expoſcunt hominem. Per hæc & ſimilia decernere valemus; cum expediat, vel non expediat, vt idem pluribus præſit; hæc enim in rep. pro viribus ſeruanda ſunt: primo, vt imperium ſit iunctum: ſecundo, vt officia varia congruentibus membris tribuantur: tertio, vt munerum functiones non ſuperent facultates ciuium: quarto cauendum, ne membrum vllum ſit otioſum, & enitendum, vt membra cuncta pro tempore & occaſione vna conſpirent, & ſolicita ſint de ſalute totius. Inſpiciendo hos ſcopos, facile cuncta diriguntur & componuntur ad ſolutionem præſentis difficultatis pertinentia.

Reſolutio difficultatis.

Quatuor in rep. ſeruanda.

Sententia, & communia nonnulla præcepta, inſeruientia illis, qui rite magiſtratibus præeſſe cupiunt.

CAP. XXII.

MAgiſtratus eſt templum iuſtitiæ, & dum dico iuſtitiæ, omnipotentis Dei templum denoto: omne enim eatenus eſt iuſtum, quatenus cum eius voluntate conformatur. Quicunque hoc templum ingreditur, ſacra facturus Deo; non in ſuis viribus confidere debet, ſed à Deo tenetur auxilium petere: ita tamen, vt interim non vt iners recumbat; ſed tanquam ſtrenuus miles, ſibi creditis à Deo viribus, vel ſua cura ſibi paratis, vtatur. Cum magiſtratus ſit ara Dei, vir quilibet in eo collocatus putare debet, nedum populorum oculos omnes in ſe eſſe conuerſos, verum præcipue Dei: qui, vt communis omnibus, perſonas publicas maxime inſpicit; quem nil latere poteſt; & in cuius ma-

Axiomata de Magiſtratu ἀξιολογα.

Non in ſuis viribus confidendum.

Magiſtratus eſt ara Dei.

Digitized by Google

nibus vera magiſtratuum præmia, extremæque pœnæ ſunt conſtitutæ. Proba facinora, delictaque magiſtratuum, eo ſunt maiora quo ſunt communia multis, & exempla multorum. Vir in magiſtratu conſtitutus, gerit perſonam publicam: quare iudicari debet in terris præclariſſima ſtatua, inſigniſque imago Dei; & propterea pro facultate tenetur in munerum functionibus ſe ſimilem præſtare Deo. Eſt tanquam pater communis; ideo tenetur cæteros vt filios diligere & dirigere. Eſt diſpenſator iuris publicorum bonorum; ideo cauere debet, ne aliquid ex eis vſurpet, in proprium que vſum conuertat. Eſt curæ, & bono alterius deſtinatus; ideo propriæ vtilitati bonum alterius tenetur præferre. Eſt regula, & exemplar cæterorum; ideo iudicare debet rectum, & decorum (quod græce πρέπον dicitur) ſibi maxime congruere. Eſt inſtrumentum, & membrum Reipublicæ; ideo ſalutem eius propriæ ſaluti tenetur præferre, non ſecus, ac minus ſaluti propriæ vniuerſi corporis ſalutem anteponit. Eſt lex, ius, & æquitas viua; ideo vitam eorum tenetur ducere, eorumque actiones edere. Et demum compertum debet eſſe illis, qui magiſtratui præſunt, neminem recte alios regere poſſe, qui non primo recte ſe regat: Inexpugnabileque munimentum publici imperii, eſſe amorem ciuium, & longe melius benignitate & præmiis, quam nimia ſeueritate & pœnis, viros ingenuos gubernari. Inſuper, ciues in magiſtratibus conſtituti cauere debent, ne in ſe nimium confidere, & plus quam decet ſibi arrogare videantur; adeo vt dicere audeant: Si vado, quis ſtat? Si ſto, quis vadit? id enim in animis cæterorum odium parit. Expedit etiam, vt magiſtratibus iuuenum ſemper vir aliquis ſenex & prudens aſſiſtat, ac cenſeant illi omnia ſua decreta conſpicua eſſe magiſtratui primo: id enim (vt Ariſtoteles in ſeptimo de repub. cap. duodecimo monuit) reuerentiam in iuuenibus parit, ingenuoque pudore eos afficit, ac retrahit eos, ne ob perturbationes in iniuſtitiam dilabantur: Quod ſi ſenex non aſſiſtat, ſciant tamen ſemper præeſſe Deum; nam (vt Seneca Epiſtola vndecima monuit) magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Hoc in gubernantium corde conſpicue inſcriptum eſſe debet: nullam eſſe hominum tam ſublimem poteſtatem, vt in eam cadere non poſſit iniuria; & neminem adeo eſſe potentem, vt aliquando non egeat alio. Dum magiſtratus iudicant, ſcire debent, eos quoque ab alio iudicari: neque enim vel aſcenſu in cœlum, vel deſcenſu in infernum, diuinum iudicium vitare valemus. Præcipua conditio eorum eſt, qui in magiſtratu ſunt conſtituti, non ſecus prudentia & iuſtitia præſtare ſubditis, ac ſenes præſtent pueris; nec fugere eos debet, malorum maximum eſſe iniuſtitiam, bonorum vero iuſtitiam; quam colere, & venerari tenen-

Delicta magiſtratuum ſunt pernicioſiſſima.

Iuuenibus ſenex aſſiſtat ſeu ſit παιδαγωγός.

tenentur omnes: potiſſime tamen illi, qui magiſtratibus præſunt; quorum ornamentum maximum eſt ſalus patriæ.

De legibus, quid & quotuplex ſit lex.
CAP. XXIII.

MOenia vrbis non rempublicam, ſed ſedem quandam externam reipublicæ conſtituunt: ciues ſunt proxima reipublicæ materies: magiſtratuum ordo & conditio, & præcipue conſtitutio primi magiſtratus, eſt forma reipublicæ; leges ſunt anima & ſpiritus, ex quarum vſu vita reipublicæ conſurgit: ſi leges recte inſtitutæ, recteque formatæ fuerint, ex eis vita optima reipublicæ procedit; deterrima vero, ſi ſecus ſe habuerint: Vt igitur reſpublica bene valeat, optimamque vitam viuat; maxime tenentur ciues de legibus eſſe ſoliciti. De lege itaque verba facturus; perpendam primo, quid, & quotuplex ſit: conſiderabo ſecundo, qualis ſit: demum, à quo producatur, & cuius gratia parata ſit.

Quatuor de legibus declaranda.

Lex, quæ à legendo dicta eſt, eo quod ex multis quæ fieri poſſunt conſultatione & conſenſione aliqua lecta ſit, à græcis nuncupata eſt νόμος: vel ἀπὸ τοῦ νέμειν, hoc eſt, à tribuendo; per eam enim tribuitur vnicuique, quod ſuum eſt: vel á mente, quæ græce νόος & νοῦς dicitur, quatenus à diuina mente prodiens, per humanam mentem in vrbes manat, & congruenter mens vrbium nuncupatur: Ideo Plato 12. de Legibus inquit, *legem obtinere nomen ſimile nomini mentis.*

Lex vnde dicta.

Hæc definitur á Cicerone, quod ſit certa ratio è mente diuina manans, quæ recta ſuadeat, prohibeatque contraria. At dum lex per diuinam mentem definitur, per nimium remota & communia definiri videtur.

Definitio legis Ciceroniana.

Ariſtoteles in decimo moralium Nicomachiorum, capite poſtremo, eam breuibus definiens inquit; *Legem eſſe λόγον, hoc eſt, rationem, à prudentia & mente profectam.* Dicere etiam poſſemus, eam eſſe præceptionem principis ſubditos à malo auertentem, eoſque in bonum dirigentem: Ac inſuper, eſſe conſtitutionem commune totius ciuitatis bonum procurantem. Hæ tamen circumſcriptiones non omne genus cauſſæ patefaciunt.

Definitio Ariſtotelea Legis.

Vt itaque genus omne cauſſæ eluceſcat, ita dicendum cenſeo, lex eſt ordo, rectam gubernandi rationem includens, ex prudentia prodiens, ſubiecta legi per congruentia, media in finem optimum dirigens; pœnam in tranſgredientibus, obtemperantibus præmium decernens.

Definitio autoris αἰνώδης.

Lex omnis ordo eſt: ordo autem ab vno principio ducitur, in vnumque tendit finem. Hic ordo quadruplex eſſe poteſt: vel enim conſideratur in diuina mente, vel in fato, vel in natura, vel demum in humana ratione: Ex ordine diuinæ mentis prodeunt leges prouidentiæ, ex ſecundo leges fati, ex tertio leges naturę, ex quarto leges humanę rationis:

Lex omnis eſt ordo.

Ordo quadruplex.

Digitized by Google

Qui ordinum gradus ita ſe habent, vt poſterior ex priore pendeat; ab eoque conditionem recti vltimamque abſolutionem recipiat. Leges naturæ & fati, ſola ratione inter ſe diſtinguuntur; vt etiam ex Peripateticorum ſententia ſola ratione fatum á natura ſeiungitur: nam fatum illud Stoicorum, vere fatuum, neceſſitatem rebus imponens; vt inane eorum commentum; negligendum cenſeo. Ordo autem naturæ & fati, nil aliud eſt, niſi diſpoſitio rebus natura conſtantibus Dei prouidentia inſerta. Ordo demum humanæ rationis, ad operationem pertinens, duplex eſt: vel enim dirigit affectiones, & conſtituentem: Nam recta ratio, qua artificioſa efficiuntur, eſt lex artis: vel dirigit actiones, & ſunt leges ciuiles; quæ præſentis ſunt conſiderationis. Hæ leges non de illis ſunt, quæ ſecus ſe habere nequeunt; ſed ſolum ſunt de rebus, quæ humanæ libertati ſubiiciuntur, & varietati ſunt obnoxiæ: inſuper non ſunt de fine (finis enim vt certus à lege præſupponitur) ſed de ordinatis in finem; & iure profecto: cum enim lex ſit ordo, omnis ordo in definitum finem perducit. Dum quatuor enumerati legum gradus inter ſe comparantur; dicendum eſt legem prouidentiæ eſſe legem legum, & legem, quæ ſit origo, fons & radix cunctarum legum: legem fati eſſe, tanquam promulgationem legis prouidentiæ: legem naturæ eſſe participationem primæ legis, expletionem eius, & formam legis in materia fulgentem: legem humanam & ciuilem, eſſe imitationem & adumbrationem præcedentium; & eatenus conſtantem rectamque eſſe, quatenus cæteris eſt ſimilis. Lex prouidentiæ eſt Deo coæterna, ex Dei ſapientia & voluntate prodiens: lex fati in ſecundis cauſſis conſideratur directis à prima, ex eaque pendentibus: lex naturæ vna cum forma & conditionibus rerum natura conſtantium, in materie refulget: lex demum ciuilis ex humana ſapientia & prudentia prodit, quibus homo ſpeculatur diuina, & moderatur humana. Quicunque harum legum originem, progreſſum, & connexionem conſiderat, conſpicue cognoſcit; quomodo qui legibus inſeruit, inſeruiat Deo. Ex ſententia Platonis lex prima in ideis viget: ſecunda in rationibus animæ mundi: tertia in ſeminibus naturæ: poſtrema in notionibus humanæ rationis: at Ariſtoteles, nec ideas menti, nec animæ inſitas rationes tribuit. Denium quia lex iuri reſpondet, idque tanquam ſui animam includit, ideo ex diuiſionibus iuris, in gradu virtutum explicatis, variæ legis diuiſiones elici poſſunt: Quoad tamen ad rem noſtram pertinet, diuiditur lex ab Ariſtotele in primo Rhetoricorum; in communem reſpondentem iuri gentium, & propriam: Quæ propria, vel eſt communis vniuerſę ciuitati, vel eſt priuata quorundam. Et quęlibet vel ſcripta, vel non ſcripta eſſe poteſt; non enim ſcriptio conſti-

Lex de quibus ſit.

Quatuor graduum legum mutua comparatio.

Sententia Platonis.

conſtituit legem, ſed ratio & voluntas legislatoris, populo quouis modo propoſita & patefacta.

An lex omnis ſit iuſta, & num liceat mutare leges.

CAP. XXIV.

CVm apparuerit quid, & quotuplex ſit lex: vt aliqua ex parte etiam conſtet qualis ſit, quæritur primo; an lex omnis ſit bona & iuſta, vel dentur etiam leges, quæ prauæ & iniuſtæ ſint. Et iure hoc in dubium vertitur: cum ex vna parte appareat legem omnem debere eſſe iuſtam; quatenus lex omnis ex bono prodit, ex ſapientia nempe & prudentia; in bonumque dirigit, in conſeruationem ſcilicet ordinis reipub. adeptionem finis eius, & vſum virtutum: nam inquit Ariſtoteles in quinto moralium Nicomachiorum; *Leges præcipiunt attinentia ad virtutem omnem, & qui leges ſeruat, dicitur virtutum omnium ſeruare præcepta.* Altera ex parte multi conqueruntur de legibus: leges quaſdam dicunt barbaras, feras, iniuſtas. Quod confirmatur, quia frequenter leges variarum nationum inter ſe pugnant: iuſtum autem non pugnat cum iuſto, nec bonum cum bono. Vniuerſa hæc lis, vt etiam aliæ nonnullæ, ex varia legis aſſumtione ortum ducit. In lege enim varia conſiderantur; quorum nonnulla ei extrinſecus & proxime competunt; veluti quod ſit publica præceptio, prodiens ex voluntate & decreto principis: alia ei intimius competunt, & per remotiora principia; veluti quod ducatur ex diuina mente, congruat diuinæ prouidentiæ, ſit conſentanea mandatis Dei, æmuletur naturæ ordines, & ad id bonum dirigat, quod vere & ſua natura bonum ſit. Primum eſt poſitum in facultate principis, alterum nequaquam: primum eſt forma quædam popularis, & externa; alterum eſt forma principalis, internaque eius eſſentia. Leges, quæ ſolum præditæ ſunt forma prima, æquiuoce tantum dicuntur leges; non ſecus ac lapidea ſtatua dicitur homo: quæ vero altera ſunt præditæ, abſolute, vere, ſuiq; natura ſunt leges, etiam ſi non adſit approbatio & mandatum principis: ex vtraq; tamen forma abſolutiſſima lex conſurgit. Propterea recte Plato in Minoe enunciauit, eam ſolam eſſe legem rectam, quæ recta ſit, non rectam vere non eſſe legem. Ex his tria elicio: colligo primo reſolutionem propoſitæ difficultatis: Ea eſt: omnem re vera & ſua natura legem, eſſe rectam, bonam, & iuſtam, legem vero æquiuoce dictam, nequaquam. Qui hanc ſecundam legem ſeruat, dicitur ſeruare ius; non abſolute, ſed in deprauata republica: Qui vero primam, abſolute ius, legem, & legitimum ſeruare dicitur, cum hæc ſola ſit abſolute lex; altera vero potius ſit edictum decretum,

An lex omnis ſit bona & iuſta.

Solutio difficultatis.

Plato.

Tria ex dictis eliciuntur.

Primum.

Alterum quod elicitur.

Digitized by Google

Alterum quod elicitur.

An leges ſint eadem apud omnes.

inſtitutum, mandatumque principis. Colligo ſecundo ſolutionem communis illius difficultatis, qua quæritur, an leges ſint eædem apud omnes: nam conſpicuum eſt, leges ſolum externa illa forma præditas varias eſſe; varia enim ſunt variorum principum inſtituta, & decreta: leges vero abſolutas interna legis forma conſtitutas, eſſe eaſdem, hæ namque reſpondent legibus diuinæ prouidētiæ, quarum munere omnes dicimur ciues mundi, & ciues ciuitatis Dei. Et dum hæ leges dicuntur eædem apud omnes, id intelligi debet, non abſolute penitus, ſed ſecundum analogiam: ob varias enim conditiones regionum, gentium, occaſionum, & conſuetudinum, varios varia decent; cum tamen ſemper ſeruari debeat congruens, & recta legis ratio. Demum colligo ſolutionem alterius difficultatis, quam diluendam propoſui, num ſcil. liceat principi mutare leges. Sententia fuit Platonis in libro de regno: niſi patriæ leges, ob varia quæ occurrunt, mutari poſſent, varia in rempub. redundare detrimenta; & deteriora adhuc, ſi imperitis ad libitum eas permutare liceret. Quod exemplo artium confirmauit; ſi quis enim non habitu artis, ſed per ſcriptas artis leges artificioſa opera construeret, frequenter erraret: Id ipſum confirmatur: quia leges cum imperiis, tum his quæ eueniunt, aptandæ ſunt; quæ cum varietati ſint obnoxia, iure optimo etiam leges cenſeri debent obnoxiæ mutationi. Id ipſum confirmatur: quia primi homines conditores legum, rudiores erant, legeſque formarunt incoatas & rudes; quæ non ſecus ac artes, progreſſu temporum poſtrema perfectione fuerunt donandæ, quod ſine mutatione fieri non poteſt.

Tertium quod elicitur.

An liceat mutare leges.

Ariſtot.

Ariſtoteles in ſecundo de republica, cap. ſexto mouit hanc difficultatem; & cum pro omni parte fuiſſet argumentatus, nonnullaque aduerſus Platonem (pro more ſuo) protuliſſet, addidiſſetque exemplum à Platone ex artibus ſumtum ad rem non facere, quia legum & artium diſtincta eſt ratio; demum difficultatem ſub dubio prætermittit, & præter cætera hæc verba ſcripta reliquit. Alio autem modo conſiderantibus cauendum ſummopere videtur á legum mutatione; cum enim vtilitas inde exigua conſurgat, aſſuetudo mutandi leges improbanda videtur; propterea conſtat errata quædam eſſe toleranda, cum legum latorum, tum magiſtratuum; non enim tantum vtilitatis mutatio afferet, quantum oberit aſſuetudo non parendi ſuperioribus: Exemplum ab artibus ſumtum (quo vtebatur Plato) vanum eſt, non enim ſimile eſt mutare artem, & legem; lex enim nullam vim habet, vt ipſi pareatur, niſi ex more, mos autem non fit, niſi longo temporis curſu, quare faciliter mutare leges, nouaſque condere, eſt vim legis infirmam reddere. &c. Res itaque dubia videtur, at ex ſuperius dictis conſpicua elicitur ſolutio. Nam di-

Solutio difficultatis.

co, mu-

eo, mutari quidem decreta & inſtituta principum, at non abſolutas leges. Inſuper addo, leges veras & abſolutas: ex varietate temporum & occaſionum mutari quidem extrinſecus, quatenus ſeruata analogia congruenter rebus variis aptantur; at non mutari intrinſecus in attinentibus ad rationem rectam. Demum dico, conformationem illam legum cum occaſionum varietate, re vera non mutationem, ſed conſeruationem earum eſſe. Quæ etiam externa mutatio non leuiter fieri debet, ſed vrgente neceſſitate; non cito, ſed longa præcurrente conſultatione; non á quouis, ſed á primo reipublicæ magiſtratu: Propterea recte Plato in primo de Legibus aſſerebat; *Legem hanc eſſe optimam, vt iuuenes non perpendant, an leges recte vel perperam ſint inſtituta:* Et in ſexto de Legibus ſcriptum reliquit: *cuſtodes legum in loco ſanctiſſimo debere congregari*: Inſuper addidit; *nunquam mutandam eſſe legem, niſi omnes conſenſerint.* Qua de re inter Ariſtotelem & Platonem re vera nulla eſt lis. Exemplum, quod Plato ſumſit ab artibus, ab Ariſtotele neglectum; ſi non penitus, in parte ſaltem ſimile eſt: quatenus ſcilicet artes quoque propriis legibus ſubiiciuntur; quæ pro rerum varietate, quibus aptantur, mutandæ ſunt; quarum recta ratio non ſecus in animo artificis debet eſſe inſerta, ac in animo viri prudentis inſerta eſt recta ratio ciuilium legum.

Quomodo mutandæ leges.

An lege ſanciri expediat, vt vxores & nati in republica recte inſtituta communes ſint.

CAP. XXV.

CElebris vulgataque eſt ſententia Platonis in libris de Republica: In optime inſtituto imperio & vxores, & natos ita debere eſſe communes; vt eiuſdem ætatis iuuenes iudicent ſe eſſe fratres: natu maiores cenſeant eſſe patres; minores vero, filios: & iure id faciendum videtur: ita enim ciues communia tanquam propria magis curabunt, arctiori amoris & caritatis nodo erũt deuincti, minus de propriis erunt ſoliciti, alacrius ac promtius aduerſa repellent, accuratius parabunt vtilia, imperium reddetur firmius, minuſque mutationi obnoxium. Inſuper, natura & Deus ſuo exemplo hoc nobis ſuadere videntur: natura enim eſt æqua parens omnium, Deus eſt pater communis, dum ad naturam & Deum referimur, omnes ſumus fratres, placuit Deo, hoc communi fratris nomine nos deuincire: Iure itaque optimo Plato, imitatus Deum, naturamque ſequutus, in optima republica idipſum eſſe ſeruandum cenſuit. Nec Plato huius ſententiæ primus auctor fuit; ſed longe prius id ſeruarunt Maſſagetæ populi, vt Halicarnaſſæus hiſtoricus teſtatur; ſeruarunt etiam Sapientes Perſarum, Brachmanes dicti: hi enim communibus

Oſtenditur vxores debere eſſe communes.

Digitized by Google

vxoribus (referente Arriano) vtebantur: Garamantes in confi- nibus Aphricæ (ex relatione Pomponii) omnia habebant communia. Mitto alios per hiſtorias notos. Ex aduerſo Ariſtoteles in ſecundo de repub. variis rationibus, quaſi tormentis, ſententiam hanc euertit; Theologi eam reiiciunt, & damnant: Trapezuntius ob hoc hortabatur negligendum, deſpiciendumque eſſe Platonem; & iure profecto: ita enim matrimonii ſacer nodus diluetur, fratrum & filiorum proprius amor minuetur, natorum & parentum caritas exſtinguetur, cura rerum languebit; minuitur enim dilectio & cura, dum res ex propria tranſit in communem; ac ita demum homo non ſecernetur á feris; imo deterioris erit conditionis; quia feræ, ſaltem per congruens tempus, proprios natos cognoſcunt & curant.

Oſtenditur oppoſitum.

Pro reſolutione accipitur primo.

Pro reſolutione huius difficultatis accipio primo, bonum eſſe duplex; abſolute, & alicui: diſtinctio eſt Ariſtotelis in ſecundo phyſic. 74. & in ſeptimo moralium Nicomachiorum, cap. 12. veluti habere quatuor pedes eſt bonum, non abſolute; ſed equo & cani, homini nequaquam.

Alterum quod accipitur.

Accipio ſecundo, Platonem & Ariſtotelem vario modo conſueuiſſe res conſiderare: Plato eleuabatur ad ideas rerum; inſpiciebat rerum conditionem ſecretam, ſeiunctamque à cæteris, ac vt refulget in primis cauſſis: Ariſtoteles contra, neglectis ideis, per ſenſus philoſophabatur, reſq; materiatas conſiderabat, iunctas cum affectionibus ſuis, vt in materie exſiſtunt & ſubſiſtunt.

Tertium aſſumtum.

Accipio tertio, dum de re aliqua verba facimus, expedit vt nobis ſcopum proponamus ſublimem, reique formam exactiſſimam pro facultate adumbremus; vt, quo proximius nobis licet, accedamus ad eam, illamque attingamus.

Quartum.

Demum accipio, optimam in republica eſſe coniunctionem & vnitionem; ex ea enim prodeunt omnia bona, vt ex oppoſito mala: propterea pro facultate nitendum eſt, vt (quatenus licet) membra cuncta inſolubili nodo connectantur. His præaſſumtis, tres profero aſſertiones.

Prima aſſertio.

Prima eſt, communio vxorum & natorum, abſolute, & ſeorſum à propriis hominum conditionibus conſiderata, bona quidem eſt, ac in vniuerſo, ſub primo parente, & per relationem ad communes cauſſas, iure ſeruari debet, inde enim partium mundi inſolubilior connexio, intimiorque conſenſio conſurgit: At in hominum genere ciuilem, & Chriſtianam vitam viuente, eſſe quid pernicioſum, deteſtandum & reiiciendum. Ratio varietatis eſt, quia in vniuerſo Deus, intelligentiæ, & cœlum, ſunt cauſſæ communes, & communes parentes cunctorum: Nos autem non communes, ſed proprii diſtinctorum indiuiduorum parentes ſumus: ideo, vt illi ſe habent ad vniuerſas rerum ſpecies, ita nos erga indiuidua ad nos pertinentia tenemur eſſe affecti. His accedit, quod ea, quæ

in con-

in coniunctis cum materie ſunt ſeiuncta, in abiunctis ſunt iuncta & complicata. Altera aſſertio eſt, Plato cōſentanea protulit ſuo modo cōſiderandi, proprioque philoſophandi generi; ac rectè ſenſit, quatenus cuncta ſecreuit ab hominum hanc vitam viuentium conditionibus. Inſuper recte ſenſit, quatenus ſibi pro ſcopo vnitionem conſenſionemque partium propoſuit, vt illam, quatenus nobis liceret, aſſequeremur; demū recte ſenſit, quia rempublicam formauit à philoſopho gubernādam, qui ad imitationem cœleſtium moderaretur humana. Ariſtoteles vero rectius ſenſit; quia more ſuo ea cuncta conſiderauit, vt complicata cum hominum conditionibus ciuilem hanc vitam viuentium. Communio itaque & coniunctio proborum virorum, abſolute commendanda eſt; ea tamen natorum & vxorum in republica recte inſtituta, ob proprias hominum conditiones, damnanda & deteſtanda eſt: ex ea enim, præter cetera abſurda, hæc quoque prodirent, vt fratres cum ſororibus poſſent permiſceri; quod ferinum, & non humanum eſt. Inſuper, nati non magis proprios, quam alienos parentes colerent & venerarentur; quod & ciuili & naturali, & diuinæ legi aduerſatur. Propterea Plato, dum ideam ſuæ reipublicæ ad materiem & hominum conditionem retulit, inſpiciens rei difficultatem, obque aduerſas hominum conditiones, conſpicuam diſcrepantiam: in quinto libro ſuæ reipublicæ dixit; *multa declarari, non vt effici poſſint, ſed vt ad ea pro viribus accedamus.* Et in ſexto libro addidit; *aſſequi formam ſua republica difficile quidem eſſe, non tamen impoſſibile:* Demum in calce noni de republ. hęc verba protulit; *Ciuitas, quā nos condidimus, modo in verbis tantum reperitur; in terris vero* (vt arbitror) *nuſquam exſtat: at forte in cœlo illius exſtat exemplar, conſpicuum ei, qui & intueri voluerit, & ſeipſum ad illud (cum intuitus fuerit) inſtituere, &c.* Hinc leges condens, formamque reipublicæ cum hominum conditione coniungens, non amplius vxores & natos ſeruauit communes, ſed recta ratione ſecreuit. Quod autem hæc vera ſint, ex eo colligere valemus; quia in quinto de legibus affirmauit, ſcopum optimæ reipublicæ eſſe vnitionem & communionem, quem pro facultate niti debemus attingere: indicās vnitionem & cōmunionem ſui natura eſſe bonam, quamuis nonnullorum nonnunquam nobis bona nō ſit. Ideo matrimonia, vt rem ſacram ordinauit: prudenterque monuit, vxores ſine dote eligendas & ducendas eſſe; vt non auri, ſed nobilitatis & virtutum præualeret ratio; & puellæ accuratius niterentur ſe congruentibus moribus ornare, vt à nobilioribus eligerentur. Tertia aſſertio eſt, Ariſt. & Platonem ſolum diſcrepare verbis, ob diſtinctum conſiderandi & philoſophandi genus, non autem abſolute de ſententia pugnare.

Secunda aſſertio.

Plato.

Tertia aſſertio.

Digitized by Google

De origine legum.

CAP. XXVI.

IAm cumulate ſatis (vt inſtituto meo inſeruire cenſui) quid & qualis ſit lex, manifeſtaui; ſupereſt modo, vt de origine, & fine eius aliquid dicam. Origo legis ad quatuor poteſt referri: primo ad initia & ſemina eius: ſecundo ad diſciplinam; ad quam pertinet conſiderare rectam rationem legum, per quam condendæ ſunt leges: tertio ad tempus, in quo a legumlatoribus leges fuerunt conditæ: quarto ad ipſoſmet legumlatores. Si de initiis & ſeminibus loquimur, prima & eminentiſſima legum initia ſunt coæterna Deo; imo ſunt ipſemet Deus, prodeunt enim leges ex ſapientia & voluntate Dei: cum enim Deus ſit ipſum bonum; eſt regula, ordo & menſura cunctorum bonorum. Hæ leges primo intrinſecus in eſſentia Dei conſiderantur; quatenus ab æterno futura cuncta prædefiniuit ac prædeſtinauit; extrinſecus autem apparere, & eminenter promulgari cœperūt, dum mundus manauit ex eo: tunc enim præpotentiſſima lex apparuit, dum ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt; dum legem præſcripſit aquis ceteriſque elementis, ne egrederentur fines ſuos. Hæc legum initia & ſemina effunduntur deinde in naturam & ſecundas cauſas, ex quibus humana mens rationem rectam ſuarum legum deprompſit. Primo itaque initia & ſemina conſiderantur in Deo, ſecundo in fato, tertio in natura, quarto in humana mente & ratione. At perpendamus ſecundo, quo virtutis habitu humana ratio leges condat, vt conſtet origo ad diſciplinam pertinens. Profecto, conſenſione omnium, condere leges officium eſt ciuilis diſciplinæ: nam prudentia, quæ re eadem eſt cum ciuili ſcientia, tanquam partem principalem (vt alibi patuit) includit facultatem nomotheticam, hoc eſt, rectam rationem condendi leges: Quæ recta ratio à Platone, non in libro de legibus, ſed in dialogis de regno, & de republica; & ab Ariſtotele, non in Politicis, ſed in libris moralium Nicomachiorum traditur & explicatur, & iure profecto. Cum enim lex ſit ordo, ex vno principio manans, per congruentia media in finem dirigens: ad rectam rationem condendi leges requiritur, vt fines noſcamus; iudicemus media, per quæ attinguntur; nec non vt principium poſſideamus, à quo cuncta diriguntur: finis eſt ſummum bonum, nam pro eius adeptione & conſeruatione conduntur leges: media, per quæ finem attingimus, ſunt morales virtutes: principium cuncta dirigens eſt prudentia: Hæc autem omnia in libris de moribus exactiſſime ab Ariſtotele explicantur. In lege duo præſertim conſiderantur; vnum eſt ordo, & rectum; alterum eſt facultas eius. Primum

Origo legis ad quatuor referri poteſt.

Prima legum initia eſſe æterna.

Lex ἀρχέτυπος.

Lex ἔκτυπος.

Quo virtutis habitu formetur lex.

Duo, quæ in lege conſiderantur.

à recta

à recta prudentiæ ratione indagatur & ſtatuitur: alterum pendet ex voluntate & mandato principis, nec non ex conſuetudine, vt dixit Ariſtoteles; quæ in attinentibus ad actiones magnam habet vim. Eiuſdem nomotheticæ prudentiæ ſecundo loco officium eſt iudicare, quæ forma reipublicæ ſit præſtantior, cui nationi, quæ imperii forma ſit accommodata, qui magiſtratus & leges formatæ reipublicæ congruant. Quæ omnia vt in lucem prodeant, & leges recte condantur, dixit Plato duo accuratè eſſe conſideranda: *Vnum eſt regio, hoc eſt, conditiones attinentes ad eam terræ partem, in qua Vrbs eſt collocata: Alterum eſt conditio hominum, qui legibus ſubiici debent.* Ariſtoteles in ſecundo de repub. cap. 4. Platonem carpens ait; *eum eſſe diminutum, & illis duobus addendum eſſe tertium: conſiderationem ſcilicet vicinorum locorum, vicinarumque vrbium:* at facile eſt Platonem à calumnia vendicare; vicina enim loca ad inſpectionem regionis rediguntur. Expedit demum ſummopere, vt excitemur & dirigamur ad recte condendas leges, perpendere leges ab aliis latas, vt monuit Ariſtoteles in calce decimi moralium Nicomachiorum: facile enim eſt inuentis addere. Ex libris itaque de moribus eliciuntur præcipua attinentia ad rectam rationem condendi leges: in politicis vero conſiderantur minus principalia, & munere eius rectæ rationis in politicis conduntur leges. Demum vt de tertio & quarto capite originis legum loquar (de tempore nempe, & conditoribus legum) ſi nomine legis fundamentum primum ordinis & recti, legemque originem omnium legum intelligimus; proculdubio ea eſt coæterna Deo, & vna cum natura in lucem prodiit: At ſi legem humanam intelligimus, & cõſideramus tempus, quo inter homines primum verſari cœpit; putandum eſt fuiſſe illud, dum primo parentes natis ſuis vitæ præcepta dederunt; vt dum primo in montium cauernis, vel per ſyluas diſperſi vitam ducebãt. Si vero cõſideramus tempus, quo ab hominibus formatæ, ſcriptæ, & à principe promulgatæ fuerunt; tunc id ipſum de eis eſt dicendum, quod in præcedentibus de origine rerumpublicarum dictum fuit. Si enim mundus fuiſſet ſemper (vt perperam cenſuit Ariſtoteles) primi conditores legum aſſignari non poſſent, ſed tantum earum redintegratores: vel non primarum legum abſolute, ſed propriarum alicuius definitæ reipublicæ conditores primi poſſent referri, veluti inquit Ariſtoteles in calce ſecundi libri de republ. *Qua conſideratione dicimus Lycurgum condidiſſe leges Lacedamoniis, Draconem & Solonem Athenienſibus, Zaleucum Locris occidentalibus; Charondam Carthaginenſibus conciuibus ſuis, nec non aliis vrbibus, Italia & Sicilia confinibus, Philolaum Corinthium Thebanis, Zoroaſtrum Bactrianis Perſiſq; Mercurium Termaximum Ægyptiis, Minoem Cre-*

Plato.

Ariſtoteles Platonem carpit.

De tempore & legumlatoribus.

tenſibus, Moyſem Iudæis, Zamolxim Scythis, Numam Pompilium Romanis, Platonem Magneſiis, Mahometum Arabibus, & ſic de cæteris. Aiunt nonnulli (referente Ariſtotele) Onomacritum Locrum fuiſſe primum ferendarum legum peritum. Conſtat itaque, quomodo ex ſententia Ariſtotelis dentur, & non dentur primi legum conditores, & id ipſum dicendum eſt ex ſententia Platonis: Qui tamen re vera fuerint primi legum conditores, ex hiſtoriis Eccleſiaſticis petendum eſt.

Cur leges in Deos, & in quos Deos tanquam in earum auctores referuntur. CAP. XXVII.

QVoniam lex eſt vera, & recta gubernandi ratio; in qua ſapientia, prudentia, voluntas & potentia, vt principales facultates includuntur; quæ in ſolo Deo eminentiſſime iuncta ſunt: iure optimo (vt Plato in principio librorum de legibus affirmauit) omnium conſenſione inuentio legum vel proxime, vel per media in Deum referenda eſt. Id autem ob quatuor potiſſimum rationes recte fit: primo ob abſolutam veritatem; re vera enim rectum, & bonum legis à Deo manat. Secundo ob auctoritatem & obedientiam: ita enim lex proponitur populis maiori auctoritate munita, & populi libentius ei obtemperant; cum nemo renuat obtemperare Deo, nemoque ſanæ mentis de eius iuſtitia dubitet. Tertio, quia omnia, quæ à ſapientia, prudentia, potentia, liberaque voluntate prodeunt, à Deo manare dicuntur; cum hæc omnia homini competant, vt eſt quaſi terrenus & mortalis Deus, ſimilis Deo altiſſimo, & immortali, & quatenus affinitatis neceſſitudine cum eo iungitur. Quarto id potiſſimum fit ob varias legum conditiones, principiaq; varia, ex quibus leges prodeunt variis ex fictis Diis reſpondentia. Nã manat lex à ſapientia, hæc Mineruæ tribuitur; ideo Draco, & Solon leges ſuas à Mineruа prodiiſſe affirmant: Et quia ſapientia iunctã habet contemplationẽ, quæ Saturno congruit; ideo Charondas Carthaginenſibus leges tradens, eas retulit in Saturnum. Inſuper expoſcit lex regiam poteſtatem, quæ Ioui tribuitur; ideo Minos leges ſuas in Iouem retulit. Tertio expoſcit ius, & iuſtitiam, tanquam formam & animam; iuſtitia autem eſt ſol mundi, & per ſolem à Platone frequẽter denotatur; Ideo Plato nedum in Iouem, ſed etiam in Apollinem ſuas leges retulit. Expoſcit quarto lex, vt potenti eloquentia proponatur, ſuadeaturque populis; eloquẽtiæ Deus fingitur Mercurius; propterea Mercurius τρὶς μέγιστος, id eſt, ter maximus leges, quas Ægyptiis condidit, à Mercurio traditas affirmauit. Re vera tamen hæc omnia munera, & præſertim libera voluntas bonum quærens, à vero Deo manant: qui ob varia beneficia, diſtinctaque media,

Lex in Deum ob quatuor cauſas refertur.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Digitized by Google

per quę ea in humanum genus effundit, variis denotatur nominibus, in quem Moyſes ſuperno lumine illuſtratus leges retulit. Ex dictis etiam ſatis facile elici poteſt ſolutio communis eius, vulgatæque difficultatis, qua quæritur, num lex humana ex hominis voluntate & conſultatione prodeat, an potius ex naturæ fontib. deducatur. Nomine enim legis tria intelligere valemus: primo rectum, quod eſt de eius ratione: ſecundo ſemina, propēſionem, facilitatemque eam condendi: tertio externam earum promulgationem: Rectum à Deo manat, in naturamque propagatur: Facultas & facilitas eam colligēdi, condendi & promulgandi, nobis per Deum, & naturam inſerta ſunt: At demum ab habitu ciuilis ſcientiæ, à gradu dignitatis, à ratione, ac præelectione habemus, vt eam formare, ac promulgare valeamus. Cōſtantia & firmitas à Deo & natura manant, varietates, obliquitateſq; omnes, ex hominis imbecillitate prodeūt: fortuna quoque externæ varietatis legum non leues præbet occaſiones, ob varias enim oportunitates à variis variarum vrbium variæ formantur leges: omnes tamen, vt rectæ ſint, ſeruare debent congruentem rationem ad poſtremum finem. Ita recte in quarto de legibus dixit Plato, *Deum, fortunam, oportunitatem, & demum artem, condere leges.*

An lex ex hominis ratione prodeat.

Fortuna.

Plato.

Finis legum, & quædam earum capita.
CAP. XXVIII.

SI vir ſapiens & prudens, vbique ſingulis, & ſemper eſſet præſens, vel ſi homines omnes eſſent iuſti & probi, ſuperuacaneū profecto eſſet condere leges: propria enim virtus vnicuique lex recta eſt, & viro probo lex Deus eſt, improbo vero libido. At quia prudentia & probitas, vt ſunt præclara, ita ſunt rara: vitia vero in viſceribus hominum inſita, merſaque ſunt: propterea condendæ ſunt leges primo, vt ciuibus omnibus ea viuendi forma proponatur, per quam congruenter ſe parent, recteque erga alios diſponantur: ex quo ſummum ſingulorum bonum conſurget. leges enim à virtute prodeunt, nilque aliud quærunt, niſi conſeruationem virtutis, in cuius vſu poſitum eſt ſummum bonum. Secundo id factum eſt, vt qui amore virtutis nolūt à vitio ſe abſtinere, id faciant formidine pœnæ. Vt autē lex finem ſuum feliciſſime aſſequatur, tenetur cunctis bonis illum tribuere gradum, qui eis congruit, tenetur enim fortunæ bona (tanquam inſtrumenta) ad ea corporis dirigere, & ea corporis ad bona animi: adeo vt ſolam virtutem ſibi conſtans fundamentum ſtatuat, quæ vt ſcopū reſpicit Deum. Et quoniam ex virtute prodit animi puritas, hominis tranquillitas, & Dei cultus: ideo iure Plato in legum appendice dixit, *hunc eſſe finem legum, vt Dei cultu, &*

Syllogiſmus hypotheticus.

Cur condendæ leges.

Finis legum Platonicus.

zed by Google

vitæ puritate, optimum ac pulcerrimum vitæ exitum conſequamur: In libris autem de legibus affirmauit, *pernitioſius eſſe in condendis legibus errare, quam hominem interficere: eiuſmodi namq; error, multorum per multa ſecula interficit animos.* Et quoniam ſingulorũ prima capita pauca ſunt; cetera, quæ ex capitibus prodeũt, ſunt innumera; hoc præcipue in legibus inſpicere licet. Nam primum caput omnium rectarum legum hoc eſſe cenſeo, vt vnumquodque tanti faciamus, quanti ſui natura fieri debet: Cui ſimile eſt, vt vnumquodque ita diligamus, vt ſua natura & conditione diligi debet. Ex hoc primo & cõmuniſſimo fonte duo prima præcepta, duæque primæ leges prodeunt; iunctæ tamen, ſibique affines: Quarum vna in nos redundat, dum conuertimur ad ſupera; & eſt, vt Deum toto corde diligamus: Et quoniam in Deo omnes ſumus fratres, & frater eſt alter ego; ideo in cõuerſione ad ceteros homines hæc ſecunda lex oritur, vt alios perinde ac nos ipſos diligamus Hæc eſt caritas, quæ, tanquam regula & fœcũdiſſimus ſpiritus, mox varias naturæ leges format & illuſtrat, q̃ à iuriſprudentibus diſtincte & accurate ſeruantur: Veluti, honeſte viuas: patriæ, magiſtratibus & parẽtibus obtemperes: neminem lædas: ſuum vnicuique tribuas, rebus communiter vtere, vt fieri licet: tolle nocentes è medio pro ſalute publica: Rerum dominia, ꝓprietates, poſſeſſiones, & vſum diſtingue, quibus communiter vti non licet, & aliæ ſimiles: Quas ſequuntur deinde leges ciuiles, quæ vltimo loco per diuinas exactiſſime reformantur, in his vtriuſque iuris viri prudentes accurate verſantur. Ego autem eas, vt ad me non pertinentes, ſilentio obuoluens, illas tantum leges perpẽdam, quas in rebus procreandis natura ſeruat: quarum exacta cognitio, nedum vtilis, imo apprime neceſſaria cenſeri debet, pro recte iudicandis operibus naturæ, ac inſuper ciuili philoſopho ſummopere conducit, cum ſint tãquam fontes, ex quibus humanæ leges deducuntur. Has itaque ego à ceteris paſſim neglectas, nitar ad vſum ingenuorum iuuenum in duodecim principales redigere.

Primum caput rectarum legum.

Prima duo præcepta.

Lex naturæ

Lex ciuilis.

Diuina.

Duodecim leges, quas præcipue natura ſeruat in procreandis rebus, earumque explicatio.

Cap. XXIX.

VTuntur humani principes, vt recte ſua regna gubernent, congruentibus legibus: Quod præcipue in regno naturæ ſeruari putãdum eſt; ea enim Deum ſequens ducem, ex eius prouidẽtia leges haurit, quas in ſuorum operum productione exactiſſime ſeruat. Has leges naturæ interpretes familiariſſimas ſibi reddere debent, vt in foro amicorum ſapientiæ conſtituti, operum naturæ peritos ſe præbeant iudices, præceptaque colligant pro recta ſui ceterorumque inſtitutione.

Natura,

Digitized by Google

Natura, cum prodeat ex bono, ſeruans characterem boni, cuncta bene in bonum dirigit. *Lex prima à natura ſeruata.*

Similis ſententia profertur ab Ariſtotele in 8. phyſ. 48. & 56 his pene verbis *Quod eſt melius, ſemper arbitramur in natura eſſe, ſi poſſibile eſt*: Id ipſum aſſeritur ſecundo Cœli 34. & alibi: Propterea natura bona, pia & ſapiens nuncupatur. *Explicatio eius.*

Natura intrinſecus, per inſtrumenta oportuna, & non redundantia operatur. *Lex ſecunda.*

Ars æmulatur pro facultate naturam: at non eſt principium internum, vt natura, ſed externum, inſtrumẽtiſque natura vtitur, ita ad amuſſim rei reſpõdentibus; vt nil addi nilque minui poſſit: Ideo intima, artificioſa & ſagaciſſima dicitur. *Explicatio.*

Natura vna cum facultate largitur inſtrumenta, & vice verſa. *Lex tertia.*

Non tribuit facultatẽ videndi ſine oculis, nec ob inopiam vnum efficit pluriũ gratia, ſed vnũ potiſſimum vnius gratia, vt dicitur ab Ariſtotele in primo, de repub. c. 1 inſtrumentaque dirigit in officium: non aũt ex inſtrumento forte fortuna facto officium elicit, vt perperam Epicurus, & Empedocles iudicarunt Hinc conſultrix, officioſa, prouida, & ſibi ſatis eſſe dicitur. *Explicatio.*

Natura Vniuerſum complet gradibus ſingulis, adeo vt nulla ex parte inane aliquid relinquat. *Lex quarta.*

Vt in loco, ita in rerum ſerie nil inane reperitur. ſic mundus eſt vniuerſum, hoc eſt, omnia in vnum verſa: inſuper dicitur omne, omnia & perfectum, primo cœli, cont. 3. A Platone in Timæo ſpecierum plenitudo nuncupatur. Hac ratione natura diues, parens fœcunda, & omnipara nuncupatur. *Explicatio.*

Operatur natura, quandiu poteſt, & quantum poteſt. *Lex quinta.*

Natura nunquam otio torpet, nec minuit opus, ſi valet id efficere maius. Hinc dicitur iunctam habere neceſſitatem, & cum continenter operi ſit intenta, nunquam ſterilis, nunquam effœta remanet. Ideo ſedula, vigilantiſſima, liberalis, & munificentiſſima celebratur. *Explicatio.*

Geometrica æqualitate ius ſuum vnicuique tribuit. *Lex ſexta.*

Legitur in primo moralium Nicomachiorum, c. 9. natura cuncta efficit quam optime poteſt, vnicuique largiens eam perfectionem, quæ conditioni illius eſt conſentanea; non enim formica in ſuo genere minus eſt perfecta, quã Elephas in ſuo: propterea, quaſi beatorum animæ, omnia degunt ſua ſorte contẽta, cũcta ſuo ternario perficit; principio, medio & fine, eſſentia, potentia & operatione. Ideo nulli nouerca, ſed æqua parens & iuſtiſſima nuncupatur. *Explicatio.* *Natura Trinitas omnibus æque parens, nulli natura nouerca.*

Morti ſuos natos deſtinat, hac tamen conditione, Vt ex interitu perennem conſeruationem eliciant. *Lex ſeptima.*

Orta omnia lege naturæ intereunt, vt cõſtat ex primo de cœlo: *Explicatio.*

at quia vnius interitus eſt ortus alterius, ex primo de ortu & interitu; idque prodit ex conditione materiei: à qua etiam manat interitus; ideo vnde mors oritur; inde vita reſurgit, & quoniam nō valet ſeruare indiuidua, ſeruat ſpeciem. Propterea legitur in ſecundo de anima, opus maxime conſentaneum naturæ eſſe ſui ſimilis procreationem, quod opus ſolis perfectis cōpetit, vtque cuncta illud maxime expeterent, ortui ſummam lætitiam, interitui ſummam triſtitiam iungi curauit. Propterea natura genitrix, longæua & perennis celebratur.

Lex octaua.

Cuncta pro facultate ligauit.

Explicatio.

In operibus naturæ conſpicua amicitiæ, & obedientiæ exempla refulgēt: nam in vniuerſo, nedum ſimilia, verum diſſimilia quoque & contraria mirum in modum iuncta ſunt: cōtraria iuncta ſunt genere, ſubiecto & permixtione; cetera adhuc intimius ſunt complicata. Inde oritur rerum naturalis ſympathia & antipathia: ita omnia iuncta in commune bonum conſpirant, & regio quodam imperio imperant ſupera, infera obtēperant, & ad cœli motum, quaſi ſupernæ lyræ ſonum, cuncta lætiſſime ſibi ꝑprias choreas ducuntur. Ideo læta, amica, regia, maga, potens & obtemperans nuncupatur.

Lex nona.

Contrariorum æquatione, congruenteque ratione, conſonantiam rerum parit.

Explicatio.

Principia rerum à philoſopho in primo phyſic. ſtatuuntur contraria, nec vnum contrarium in natura reperitur, quin reperiatur & alterum, vt dicitur in ſecundo de cœlo: vni non plura, ſed vnum tantum ſtatuit natura contrarium: Ita contrariorum vires modo quodam æquantur, & ex eorum permixtione rerum formæ variæ, quaſi variæ cōſonantiæ prodeunt, ex quibus conſurgit vniuerſi perfectio: & ob id natura temperās, grata & conſonans denominatur.

Lex decima.

Terminum quærit renuens infinitum.

Explicatio.

Natura eſt forma & materies: forma eſt terminus, materies eſt indefinitum quid, & poteſtas: Iure itaque natura infinitum actu formæ aduerſum, cum in numero, tum in continuo renuit; infinitum vero poteſtate, materiei conſentaneum permittit. Ideo dicitur in 8 phyſ. 48. in iis, quę natura ſunt, oportet finitum eſſe, & cum infinitum actu renuat, id facit quamprimum poteſt: Ita proprios rebus terminos præſcribens, definita, terminata, & certa nuncupatur.

Lex vndecima.

Natura, dum operatur, non laborat, ſed vires recipit.

Explicatio.

Natura quādo opus ſuum non eſt operoſum.

Non eſt natura ſimilis artifici, qui operans laborat, ſed dum operatur, mirabiliter reficitur & creſcit: cum enim in ſuum finem tendat, reficitur eo, & perficitur. Ita grauia, quo magis deſcendunt, eo feruntur velocius, & ignis comburens, ſuas vires auget.

Digitized by

augẽt: propterea facilis, feſtinans, potens, ſemperque virens denominatur.

Natura vbique, & ſemper eadem eſt.

Lex duodecima. *Explicatio.*

In duodecima quaſi naturæ tabula hanc legẽ inſcriptã intueor; nã legitur in 8. phyſ. 83. naturale eſt ſimiliter ſe habere in omnibus, natura in variis mũdi partibus eadem eſt; nec ſecus noſtris, quam priſcis temporibus, phyſica corpora conſtituit: cum enim ſit forma vna, conſimilis, ab eius prouidentia directa, qui conſimiliter ſe habet; iure ſemper & vbiq; eſt conſimilis; ac infallibili certitudine veteres leges ſeruãs, incorrupta manet, nec vſquam præſcriptum tranſit: ſola frugalis, & ſobria in omnibus eſt. Ideo conſimilis, ſibi conſtans, vera, certa, & fidelis celebratur.

De Vtilitate rectæ inſtitutionis iuuenum.
CAP. XXX.

Decurſis ceteris capitibus, reliquum eſt, vt aliquid de recta iuuenum inſtitutione dicamus; & iure optimo profecto: nam (vt vna cum Platone nomen Ariſtoteles quarto, quinto & ſexto, de rep.) inanes ſunt recte conditæ leges, niſi in vrbe iuuenes recte inſtituantur; ideo hæc prima reipublicæ cura eſſe debet: Ita Plutarchus elegantiſſimum conſtruxit librum de liberis recte educandis; & in republ. Lacedæmoniorum exacta cura rectæ inſtitutioni adhibebatur; & in variis rebuſpubl. magiſtratus condebantur, quibus recta tantum iuuenum inſtitutio curæ eſſet. Ideo Plato ſub initio dialogi de ſapientia dixit; *nil eſſe diuinius, de quo quis conſulere queat, quam de recta ſui, ſuorumque inſtitutione.* Filii regum Perſarum (referente eodem Platone in Alcibiade primo) mira quadam cura, diligẽtia, & arte inſtituebantur: ac ceteris ſilẽtio obuolutis, cũ deuenerant ad annum ætatis decimumquartum, curæ commendabantur regiorum pædagogorum, qui ex omnibus Perſis eligebantur, & quatur erãt; vnus ſapientiſſimus, alter iuſtiſſimus, tertius temperantiſſimus, quartus fortiſſimus: Quorum primus magiam Zoroaſtri, quæ diuinus eſt cultus, doceret: ſecũdus moneret, vt in tota vita eſſet verax: tertius, ne vlla cupiditate ſuperaretur, libereq; viuere aſſueſceret; ac eſſet re vera rex imperans, iiſque præcipue, quæ in ipſo ſunt: quartus denique impauidũ illum ac intrepidum redderet; ne quãdo quippiam metuens, ſeruus fieret. Neceſſitas rectæ inſtitutionis ex eo præſertim redditur cõſpicua; quia homo in hãc lucem, vt corpore, ita animo nudus venit; & cum ſit animo nudus, eſt natus recipere habitus omnes, omniaque fieri; præcipue tamen eſt ad mala procliuis, in q̃ facilis eſt lapſus, propterea accurate cauendum, ne in ea labatur; accurate curandum, vt virtutis habitũ induat. Eſt enim homo (Prothei inſtar) natus recipere

Plutarchus.

Filii regum Perſarum.

Neceſſitas inſtitutionis.

Digitized by Google

Quid mundus. formas omnes: Et hic mũdus eſt diuerſorium Circes; in quo recta inſtitutione cauendũ, ne veneficis poculis in iumenta commutemur: eſt mare variis tempeſtatibus, aduerſiſque ventis agitatum; propterea recte nantes, niti debemus ad portum properare, ne in curſu mergamur. Eſt mare hoc variis Sirenis refertũ, quæ aures demulcentes à recto curſu nos decipiendo diuertunt. Eſt terrenus hic orbis arena fortunæ, in quam cũ ea dimicaturi deſcendimus: & niſi aſſueſcamus eius tela prudenter repellere, inuaſiones cauere, vt viles ꝓſternimur, captiuique ab ea triumphante non ſine magna noſtri pernicie & infamia circumducimur. Venimus in hanc lucem multiplici ratione ſerui: at congruente educatione reddimur liberi, reddimur domini; reddimur noſtri; quo ſalutarius bonum aſſequi non valemus: qui enim ſui eſt dominus; & qui ſe ſibi ſubiicit, omnia ſubiicit; quod eſt imperium maxime legitimum. Vtilis eſt congruens educatio etiam feris, vt Lycurgus exemplo variæ educationis catulorum populo patefecit; At homini, nedum vtilis, ſed apprime neceſſaria eſt. Propterea Plato in quarto de rep. dixit; *ciues, non de legibus teneri maxime eſſe ſolicitos: (boni enim eis non egent, mali non obtemperant;) ſed de recta iuuenum inſtitutione*; & iure profecto: Hæc enim eſt ſalus reip. cultus plantarum eius, radix regnorum, ſanitas magiſtratuum, expurgatio vrbium, incolumitas rectarũ adminiſtrationum, conſeruatioque nobilitatis. Ideo dixit Socrates, *oportere, vel non gignere filios; vel ſi eos genuerimus, de recta eorum inſtitutione maxime eſſe ſolicitos: Inaniter enim colitur terra, iaciuntur ſemina, ſeruntur plantæ; ſi demum ortæ, ſine cura & cultu pereũt, & peruertuntur.* Quod luciſſime patet exemplo earum inſularum, quæ nuper nauigationibus repertæ ſunt: in quibus homines ſeorſum à recta inſtitutione educati, omni fera efferatiores ſunt inuenti; mox vero recta inſtitutione, recte ſunt compoſiti & conformati.

Socrates.

Quid ſit, & quibus competat recta inſtitutio.

CAP. XXXI.

MIRA rectæ inſtitutionis vtilitas ſplendidiſſime refulſit; quid autem ea ſit, & quibus competat, nunc breuibus eſt explicandum. Recta inſtitutionis forma (quæ eadem & diſciplinarũ diſciplina, vera pædia, vitæque magiſtra dici poteſt) quamuis ad alia extendatur, præcipue tamen & proprie eſt congruens morum iuuentutis conformatio, à recta prudentiæ ratione per aſſuetudinem accõmodataque præcepta prodiẽs, ad honeſtam feliceemque vitam perducẽs. Ex hac circumſcriptione omne genus cauſæ eluceſcit: & quoniã cauſæ eius omnes præclaræ & illuſtres ſunt, iure optimo inſtitutionis formam præclariſſimam iudicare

Deſcriptio rectæ inſtitutionis.

Digitized by Google

iudicare debemus; ea enim contra ſe habet, ac opera artificioſa hæc fundamentis hærent in loco infimo collocatis: fundamentum a. rectę inſtitutionis maxime omnium eſt ſublime, eſt enim Deus: de quo recte dicitur; *initium ſapientiæ eſt timor Dei.* Hæc recta inſtitutio, primo refulget in mundo ſub principe Deo, cuius exemplo omnes congruenter inſtitui monemur. Inſerta eſt ſecundo in ſingulorum animis: quatenus vnuſquiſque ex mente & ratione quaſi diuino pædagogo, nec nõ facultate appetente quaſi diſciplinabili puero conflatus eſt: continenter in nobis ratio ſenſum corrigit; appetitum cohibet; ad honeſtaque inuitat: ſenſus eatenus recte ſe habet, quatenus ſuo duci, ſuoque præceptori obtemperat. Hãc inſtitutionis formam ſoli homini natura fecit internam, non feris, non ſeiunctis mentibus: ſolus enim homo ex parte diuina & mortali, ex ſenſuque & ratione conſtat; inſtitutio autem ex parte diuina manat, & in mortalem tendit. Exit tertio inſtitutionis forma in domos & familias, in quibus parentes prudentiores domeſtica diſciplina filios erudiunt. Extenditur quarto in vrbes & reſpublicas: quæ ob id præſertim, rectius vel deterius inſtitutæ iudicantur, quatenus magis vel minus in recta iuuentutis inſtitutione ſe accuratas oſtendunt. Hæc recta inſtitutio, cum ſit officium prudentiæ, iure optimo ad ciuilem ſcientiam pertinet: ea enim à libris de moribus fœcundiſſima ſemina, conſtanteſque radices recipit; à libris vero de republica recipit præcepta propria; quæ non ſecus ac leges, à virtute manant, in virtutemque perducunt. Conuenit diſciplina & inſtitutio modo quodam vniuerſo generi animalium memoria prædito, nonnullis clarius, aliis obſcurius; exactiſſime autem congruit homini, homo enim maxime eſt natus obedire rationi: iumẽta ſolum ſubiiciuntur rationi alienæ, nempe hominis, à quo inſtituuntur; ſinguli autem homines, cũ ſuæmet rationi, tum rationi alterius nati ſunt obtemperare: facta mox inter nationes comparatione, Itali maxime omnium egent recta inſtitutione. Ceteræ enim nationes moribus quibuſdam propriis, ſibi natura modo quodam inſertis, præditæ inſpiciuntur: Soli Itali, tanquam extremarum nationum medii, nil ſibi proprium habere videntur: ſed ad omnia faciles, habitus omnes nedum indumentorum corporis, verum etiam formarum animi recipere apti ſunt: & quia maxime valẽt ingenio; ideo inter eos optimi, & deterrimi inueniuntur. Alexander cum expugnaſſet Perſas, dixit, *ſe velle eos recte inſtituere:* reſpondit Ariſtoteles, *id fieri non poſſe, niſi etiam Perſarum reformetur cœlum; indicans nationum mores magna ex parte ſequi cœleſtes conſtitutiones.* Si deinde inter varios hominum gradus fiat comparatio, nobiles magis ſunt apti recte inſtitui; cũ ad virtutes,

Ad quam diſciplinam recta inſtitutio pertinet.

Italis accommodatiſſima recta inſtitutio.

Pulcra Ariſt. ſententia.

Digitized by Google

earumque vſum magis ſint accommodati. Inſuper facta compa-ratione inter ingenuos & nobiles, eis præſertim accommodata eſt recta inſtitutio, qui ſunt ciues reip. optimatũ; in ea enim virtus obtinet principatũ, ad quã iuuenes p rectam inſtitutionem diriguntur: & cumprimis quidẽ, quia in ea rep. ingenui iuuenes alacri animo ſapiẽtiæ, prudẽtiæ, eloquẽtiæque nauant operam: cũ iudicent, ſe per eiuſmodi ornamenta ad remp. adminiſtrandam reddi aptiſſimos. Facta inſuper comparatione inter ætates; proculdubio pueritię & adoleſcentię maxime congruit; ea n. eſt ætas nuda, recens. mollis, facile nata recipere & ſeruare primas formas: nam (vt Poeta cecinit:)

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem;
Teſta diu, &c.

Facta comparatione inter ſexus, & mas, & fœmina recta inſtitutione egent: fœmina magis ea eget ob imbecillitatem ſuæ conditionis, facilemque in errores lapſum; mas ob animi ſui ad maiora facilitatem: eſt enim mas præditus animo clariore, fœmina humiliore: mas more eſt acrior, fœmina pertinacior: mas in opinione eſt conſtantior, fœmina leuior: mas recta inſtitutione ad ſublimiora natus eſt euehi, fœmina ſine recta inſtitutione facilius eſt nata labi. De his Plato in ſexto de legibus, inquit; *Genus fœminarum occultius & verſutius natura eſt ob imbecillitatem, atq; ita minus ordinari natum eſt.* Idcirco ceſſit legislator, neque recte prætermiſit; hoc enim neglecto multa intereunt, quæ lõge melius ſe haberent, quam nunc ſe habeant, ſi fuiſſet legibus ordinatum. Ariſtoteles quoque in ſecundo de rep. c 7. latiſſime manifeſtauit; *apprime neceſſariam eſſe rectam inſtitutionem fœminei ſexus.* Quod quam ſit difficile, Lycurgus eſt expertus; qui cum eas rectæ inſtitutioni ſubiicere, voluiſſet, nec valuiſſet, ſe à ſuo inſtituto abſtinuit; eſt enim materies minus apta recte formari, quã mas. Colligamus itaque primo, rectam inſtitutionem maxime neceſſariam eſſe homini; vt ciui mundi ſub principe Deo conſtituto, ad vitamque ęternam ordinato: ſecundo filiis regũ & principum, qui ſublimi dignitate ſunt honeſtandi: tertio nobili iuuentuti præſertim in republica optimatum conſtitutæ. Ideo iure optimo ampliſſima Venetorum reſpublica, vt in ceteris omnibus, ita in attinentibus ad rectam inſtitutionem maxime fulget; ſeque accuratiſſimam oſtendit: quæ non contenta tot præclaris ordinibus ſalutaribus diſciplinis, cõgruentibuſque aſſuetudinibus, quibus nobiles adoleſcẽtes in vrbe ſua inſtituuntur, formãtur & diriguntur: etiam pro vniuerſa iuuenum totius orbis inſtitutione & conformatione, Academiam Patauii, ore omnium celebratiſſimam, antiquitus erectam; mira cura, magnificiſque impenſis, nedum ſeruare, verum inſuper in dies amplificare &

Laus Reip. Veneta.

Digitized by Google

care & exornare nititur: ac pro eligendis, accerſendiſque ex vniuerſa Europa viris in ſingulis ingenuis diſciplinis illuſtribus, ſenatores præfert, prudentia, iudicio, ſapientia, auctoritateque inſignes; nomine & fama, in vniuerſo orbe notiſſimos & celebratiſſimos.

An mas & fœmina ad eadem, eodemque modo inſtitui debeant. CAP. XXXII.

APud Lacedæmones (referente Ariſtotele in ſecundo de rep. c.7.) multa eadẽ in magiſtratibus à viris & mulieribus adminiſtrabantur. Plato in 5. de republ. inquit; *nullum eſſe inter eos, qui ciuitatem curant, officium mulieris proprium, qua mulier eſt; aut viri proprium, qua vir: omnium enim operũ natura compos eſt fœmina, omniumq; vir; in omnibus autem imbecillior eſt fœmina.* Hinc ait magiſtratus debere eſſe vtriſque communes: quod mox latius iubet & præcipit in ſeptimo de legibus, aſſerens, eadem ab vtriſque debere exerceri; ac ſi id munus remoueretur à fœminis, ciuitas ex dupla redderetur dimidia, & ex quadrata altera parte longior. Ideo institutiones ad arma, magiſtratus, & cetera, iuſſit eſſe communes. Et circa Pontum tempore ſuo retulit innumera mulierum millia, cum pedeſtrem, tum equeſtrem militiam ſtrenue exercuiſſe, quas Sauromaticas appellabant. Ariſtoteles contra cenſet quidem puellas accurate eſſe inſtituendas; nõ tamen ad eadem, ſed ad propria & diſtincta officia eſſe dirigẽdas, vt etiam p naturam diſtincta quadam conditione ſunt præditæ. Et proculdubio ea confuſio mulierum & virorum in ciuili congreſſu, in magiſtratibus, in bello, longe maius detrimentũ nata eſt afferre quam emolumentum: cum enim ſint natura imprudentiores, minuſque cautæ; a magiſtratibus ſunt ſecernẽdæ: cum ſint animo effœminatæ, corpore ſatis imbelles, naturaque timidæ; in bello confuſionis & fugæ conſpicuas præberent occaſiones; permixtæ cum viris in actionib graujoribus, animos, actiones, cogitationeſque eorum redderent effœminatas. Nam ſi occluſæ domi, in humilibuſque operibus occupatæ, vix detinẽtur; ne in laſciuiem, intemperantiam, furiaſque ruant, ac ſecum ad idipſum iuuenes perdite trahãt: quid eueniret, ſi libere vna cum viris in conſiliibus exercerentur? Nimium potens eſt cupidinis ardor; propterea eſca ab huiuſmodi igne pro facultate arcẽda eſt. Dicamus itaque illud ipſum, quod in præcedentibus de vxorum communitate dictum eſt, Platonem multa conſideraſſe in idea, & ſeorſum à propriis hominum cõditionibus, ſibique cœleſtem quendam & diuinum ſcopum propoſuiſſe; propterea multa dixiſſe, quæ vera quidẽ ſunt in ſeparatis ab humanis con-

Plato.

Ariſtoteles.

ditionibus: in cōiunctis autē cum eis falſa, inutilia & pernicioſa inueniuntur. Hinc expedit, vt curaturus corpora, animos & vrbes, verſutus ſit; nedum in idearum, communiumque contemplatione; verum maxime in vſu rerum, in euentis, propriorumque munerum functionibus. Plato ſibi propoſuit vnitionem in vniuerſo optimam, vtilitatem ex omni parte pro facultate eliciendam, perfectionē ſingulorū abſolute maximam: quos ſcopos inſpiciens, multa dixit abſolute vera & bona: At iuncta cum hominū cōditionibus, parteque eorū fera, nec bona nec vtilia inueniuntur; non n. ſimpliciter bona, ſunt vnicuique bona. Colligamus itaque, & fœminas, & mares, accurate eſſe inſtituendos: non quidem communibus, ſed propriis diſtinctiſque educationibus, eorum naturæ & conditioni accommodatis.

Epilogus.

Quæ ſint ea, quæ recta inſtitutione ſunt corrigenda, & per quæ recte inſtituantur. CAP. XXXIII.

Tria corrigenda.

TRia in homine reperiuntur, quæ recta educatione & inſtitutione corrigi, recteque formari debent; corpus, appetitus, & ratio: corpus, vt inſtrumentum; appetitus, vt exſecutor; ratio, vt dux: Quorum recta inſtitutio ex tribus petenda eſt: ex natura, aſſuetudine, congruenteque diſciplina: natura proprie format pertinentia ad corpus, aſſuetudo appetitum corrigit, diſciplina format rationem. Munus naturæ, cum proprie ptineat ad corpus, illudque pficiat; extenditur tamē ad appetitum & rationem, quatenus in corpore recte cōpoſito appetitus & ratio magna ex parte recte compoſita inueniuntur. Similiter diſciplina, cum proprie & præcipue rationem formet, extenditur tamen etiā ad alia: vtilitas namque eius redūdat in appetitum & corpus; nam peruerſo duce, neceſſe eſt cuncta peruerti q̄ ducem ſequuntur: & præcipue quidem, quia dantur diſciplinæ morales & Gymnaſticæ; quæ, quāuis vt doctrinæ & diſciplinæ ad rationem pertineant; ob ea tamen in quibus verſantur, & corpus, & appetitum recte formare valent. Aſſuetudo quoq; cum proprie pertineat ad appetitū; ob connexionem tamen, & conſpirationem ad eaſdē actiones, tū corpori, tū rationi fert opem: ſedandæ ſunt animi perturbationes, vt corpus bene valeat, & mens tranquille fungatur munere ſuo. Hæc ſunt tria, q̄ pro recta hominis inſtitutione & formatione à philoſophis cōſiderātur. Quibus quartū maioris momēti, eminentioriſque virtutis addere debemus; q́ eſt supernū lumen, ſupernaque gratia; quorū notitia deſtituti philoſophi, poſtremam hominis pfectionem cognoſcere non valuerūt: ſuperna reuelatione, ſuperne perficitur humana ratio; infuſione autem gratiæ gratum faciente, præcipue facultas appetens. At quartum hoc perfectionis genus Theologis relinquen-

quen-

quens, de cæteris per capita aliquid dicam. Corpus à natura primo formatur; ab arte autem, varia, quæ ad illud pertinent, corriguntur & perficiuntur. Nam primo recte curanda ſunt pertinentia ad generationem; vt ex nobili ſemine, ex legitimaq; connexione, proles prodeat generoſa; Quæ producta congruenter eſt educanda, voce, motu, cibo, aereque accommodatus; vt corpus conſurgat aptiſſimum ad virtutes, proboſq; mores. Quamuis enim mores non neceſſario ſequantur corporis temperaturam; frequenter tamen ei maxime ſunt conſentanei, & ſine ea poſtremam perfectionem aſſequi cumulate non valent. Adhibendæ mox ſunt artes Gymnaſticæ: quarum principes ſunt ſaltatio & lucta, vt in ſeptimo de legibus eleganter docuit Plato. His accedunt ludi nonnulli ingenui: & præſertim ludus paruæ pilæ, à Galeno ſummopere commendatus. Venationum quoque nonnulla genera, recta ratione approbantur; inter quas ea principatum obtinet; quæ ferarum eſt, & quadrupedum animalium; quæ diurna, libera, & fortis ſit: Aucupium ſibi ſecundum locum vendicat, præſertim id, quod aperto volatilium Marte, vel arcu perficitur: Piſcatio nil vel parum ingenui habet, vt Plato nos monuit; nec propterea ob varias oportunitates damnatur natandi peritia. His omnibus eatenus danda eſt opera, quatenus grauiora ſtudia non perturbant: & bonæ corporis valetudini, membrorum flexioni, corporis agilitati, robori, dexteritatique conducunt: in quibus id omne vitandum; quod ignauum, ſeruile, & ſordidum eſt; vel cum fraude, & dolo factum fuerit. Et demum corpus ita parandum eſt; vt feliciſſime valeat animo ingenuo inſeruire, pro tuenda patria, fungendiſque virtutum muneribus. A corpore ad appetitum tranſeuntes, hunc eo accuratius corrigere formareque tenemur, quo proximius, intimius, & potentius ad agendum concurrit. Hunc ad extrema facile labentem, more & aſſuetudine coercere, moderari, ad mediumque pro facultate redigere tenemur. Magiſtra huius inſtitutionis eſt ciuilis philoſophia; quæ prudentiam formans, ſingulis appetitionibus leges præſcribit. Difficile profecto eſt domare tauros, fræno equos ſubiicere; at difficilius eſt iuuenum recte componere appetitiones: ferociores ſunt illi; hi vero multiformiores, acutiores, magiſque pertinaces. Dux huius rectæ inſtitutionis eſt opinio recta, inſtrumenta vero præmium & pœna: his vtimur, dum frænare cupimus feras; verberibus enim, & cibo præſertim, eas cicures manſuetaſque reddimus: id ipſum facimus in puerorum inſtitutione. Propterea recte Democritus dixit, *pœnam & præmium eſſe communes rerumpublicarum Dæmones, quibus populi legibus ſubieguntur.* His accedunt in adultioribus timor infamiæ, & deſi-

Recte formanda.

Inſtituentia appetitum.

Democritus.

derium honoris: quæ ſunt ingenui iuuenis propria, & in animo nobili ſunt calcaria acutiſſima, ſine quibus nemo ad ſublimia eleuatur. Ea duo prima ſunt inſtrumenta communia, hæc propria ingenuorum animorum: ea ſunt inſtrumenta externa, hæc interna: à pœna ſperat homo ſe poſſe liberari, ab infamia nequaquam. Inſuper, ex cæteris diſciplinis muſica & aſtronomia, non parum conferunt ad rectam appetitionum conformationem: Ratio eſt, quia duo ſunt ſenſus cum animo ſummopere iuncti, rectæ noſtræ inſtitutioni præſertim deſtinati, ad quos etiam proprie pertinet imitatio: viſus ſcil. & auditus. Viſui conducit aſtronomia, per quam cœleſtia intuentes, ad eorum imitationem internas animi appetitiones recte componimus: Propterea in Timæo dixit Plato, *homini tributos eſſe oculos, vt inſpiciens regulariſſimos cœli motus, congruentem modum ſuis appetitionibus imponeret*. Muſica reſpondet auditui: quę ob rationes & proportiones, ex quibus conſtat, miram habet cum anima rationis compote antipathiam & ſympathiam; vt vnuſquiſque in ſeipſo manifeſtiſſime experitur. Propterea, vt viſus & auditus, germani ſunt ſenſus, noſtræ inſtitutioni inſeruientes: ita duæ illæ diſciplinæ eis proportione reſpondentes, germanæ á veteribus denominatæ fuerunt: Et quemadmodum diſciplinæ illæ duæ, rectæ appetitionum conformationi inſeruiunt; ita cætera viſui & auditui reſpondentia, id ipſum faciunt: Veluti in attinentibus ad auditum, fabulæ, hiſtoriæ, poetarumque ſententiæ; probitati, honeſtati, iuſtitiæque conſentaneæ: In attinentibus ad viſum, picturæ, ſtatuæ, ſculpturæque; id ſolum præ ſe ferentes, quod decet & honeſtum eſt: Propterea non iniuria à veteribus pictura & ſculptura inter artes ingenuas numeratæ fuerunt; non quidem, vt in earum efficiendis operibus vir ingenuus laboret, ſed vt rectas operum rationes ex natura depromtas recte iudicet, ad earumque imitationem perturbationes componat: nam (vt in libro de philoſophia nos recte monet Plato) artes, quæ ingenuos decent viros, intelligentiæ ratione, non manuum miniſterio perficiuntur. Demum humana ratio, quæ cæterarum facultatum dux eſt & princeps, accuratiſſime inſtituenda & formanda eſt: Id fit per diſciplinas, quę rationales dicuntur, de quibus ſuo loco diſſerui. Quæ (vt meo inſtituto inſeruiunt) in tres gradus diſtribuuntur: ingenuarum enim diſciplinarum nonnullæ animum ingenui iuuenis parant, aliæ virum ingenuum formant, nonnullæ demum iam formatum decent. Parant diſciplinæ illæ, quæ organicæ dictæ ſunt; vt grammatica, logica, rhetorica, & ſimiles: formant virum ingenuum partes philoſophiæ, in quarum vſu ſummum hominis bonum eſt collocatum: formatum decent nonnullæ artes nobiles & ingenuæ, vſuſque earum

Muſica & aſtronomia.

Inſtituentia mentem.

Diſciplinæ παρασκευά-ζουσαι.

earum de quibus alibi verba feci. Ex his conſtat, quam ſalutare cenſeri debeat ſymbolum illud Pythagoræ, dum dixit: *Qui congruenter animum à perturbationibus purgare ſtudet, ſalem adhibeat, cantuque ad lyram vtatur: ſal ſapientiam indicat, qua cum prudentia recta ratione iuncta, ſalutarem in appetitionibus conſonantiam parit.* Demum rectæ inſtitutionis cura ei eſt demandanda, qui auctoritate valeat, virtutis habitu ſciat, boniſque moribus præditus velit: vt auctoritate, verbis, & exemplo firmius & potentius inſtituere valeat. Talem in Republica Venetorum ſe per multos annos patefecit nunquam ſatis laudatus Aloyſius Piſaurius, Philoſophiæ in ampliſſima ſua patria præfectus; familiæ nobilitate, morum integritate, ſapientiæque ſplendore illuſtris; olim auditor meus, nunc Dominus colendiſſimus: Propterea mirum non eſt, ſi ex tam fœcundo ſemine tot ac tam generoſæ plantæ ad amplificandam rempublicam prodiere. Ita refulſit philoſophiam vere eſſe vitæ magiſtram, ingenuorumque iuuenum parentem & formatricem.

Pythagoras.

Clariſſimus Aloyſius Piſaurius.

Sexdecim capita, ex quibus præcepta deducuntur recta iuuenum inſtitutioni inſeruientia.

Cap. XXXIV.

QVemadmodum ſingularum artium dantur regulæ quædam conducentes ad finis adeptionem, ita & præſertim in præclara hac recte inſtituendi ratione eas inueniri putandum eſt: quæ e his ſtatui debet ſcopus, vt earum ope ſenſuum appetitus, quaſi laſciuiens puer, coerceatur, rectæque rationi ſubiiciatur; adeo vt ingenui iuuenes, cum in otio, tum in negotio, congruenter ſe habeant. Regulæ autem & præcepta numero ſunt multa, capita vero pauciora; quæ ego in ſexdecim redegi, eaque diſtincte & laconice referam; vt in iuuenum animis facilius imprimantur, exactiuſque ſeruentur memoria.

Scopus rectæ inſtitutionis.

Caput primum à ſcopo ſumitur: nam recordari tenemur nos à ſummo bono, & pro ſummo bono natos, formatoſque eſſe, ac ita noſtro vitæ curſui ſcopum ſublimem & illuſtrem proponemus: cuius præſtantiam intuentes illum amabimus, amantes expetemus, expetentes media optima ad illum ducentia præligemus, præligenteſque feliciſſime aſſequemur.

Caput primum rectæ inſtitutionis à ſcopo ſumptum.

Alterum caput à primo parente petendum eſt: nam meditari vnuſquiſque debet ſe eſſe prolem Dei, & teneri eum pro viribus æmulari, vt proles generoſa iudicetur: conſiderare debet, parentem hunc in ſublimi eſſe collocatum: vt recordetur ſibi aſcendendum, non deſcendendum eſſe: & propterea cauendum, ne á vili metallo, ab inani gloria, á deſiderioque carnis deprimatur; quod auaris, ambitioſis, intemperatiſque competit. Recordari

Cap. ſecundum à primo parente.

Digitized by Google

debet, ſe potiſſimum eſſe, non corpus, ſed mentem, hoc eſt, perfectum quoddam in imperfecto, maximũ in minimo, æternum in mortali: ac ita ei, quod maximum, perfectum, æternumque eſt, ſui imperium tribuet, nec á vilium deſiderio mancipabitur.

Cap. tertium à conditione virtutis.

Caput tertium ad conditiones pertinet virtutis, & vitii: nam recta ratione vnuſquiſque ſibi ſuadere, conſtanterque credere tenetur; virtutem eſſe formoſiſſimam, ſaluberrimam; naturæ & Deo conſentaneam, proximumque parentem cunctorum noſtrorum bonorum, natam nos gratos reddere Deo, amabiles mundo, vtiles nobis & aliis; vitio vero oppoſita conuenire: & iure profecto: cum enim ſimus libertate donati, in cuius recto vſu ſummum bonum, in præpoſtero malum eſt poſitum; ex ſola virtute ille, hic ex vitio perniciosiſſima manat.

Cap. quartum à ſui cognitione.

Caput quartum in cognitione ſui poſitum eſt: nam alta mente reuoluendum, accurateq; præclarum illud Apollinis reſponſum eſt perpendendum: qui, dum à Crœſo Lydorum rege interrogatus, quid ei eſſet faciendum, vt felix viueret; ſi noſceret ſeipſum, reſpondit: & iure quidem. Nam qui ſe noſcit, percipit ſe non corpus, ſed mentem præcipue eſſe; ac ſuum officium eſſe diuina colere, mortaliaque ſibi ſubiicere, in quo optima ſui inſtitutio eſt collocata: Et maxime quidem id aſſequetur, quia nemo mentem noſcit, niſi primo cætera nouerit, mens enim dum ſingula fuerit facta, valet ſe noſcere; cognitiò autem naturæ rerum, eſt actionum cunctarum optimus Dux.

Huic ſimile eſt caput depromtum ex præſtantia animi noſtri: nam liber eſt animus, non itaque ſe perturbationibus ſubiiciat: eſt ab interitu immunis, non magnifaciat mortalia; eſt incorporeus, eleuetur ſupra corpus; eſt ſimplex & purus, non ſe terrena fece inficiat; eſt formoſus, non ſe per vitia deformet, eſt Dei proles, æmuletur vt generoſa parentem; eſt particeps rationis, eam recte formatam ſequatur, non deuiantes ſenſu.

Cap. quintum à conditione hominis.

Quintum caput ex hominis conditionibus ſumitur: nam recordari homo debet, ſe eſſe epilogum mundi, mundumque paruum, vt moneatur teneri ſe cum magno mundo conformari, in qua conformatione exacta hominis perfectio hanc vitam viuentis eſt collocata. In magno mundo præeſt Deus, cui omnia inſeruiunt: nitendum ſimiliter eſt; vt in nobis mens, quæ diuinitatis eſt particeps, cum Deo iuncta, abſolutum imperium obtineat. Cauere debemus, ne in hoc noſtro paruo mundo terra præſit cœlo, ne dominus ducatur ſeruus; ne continenter ſol eius terrenæ partis opaca conditione obſcuretur, ne in eo ſit nox continua, ne ſuis perturbationibus redeat in χάος; ne ſit mundus litis, ſed amicitiæ, & ſummopere cauendum, ne filii terræ e-ius, hoc eſt, inanes cogitationes ex corpore prodeuntes, in im-

mon-

menſum creſcant;ſed proles animi curanda & perficienda eſt: & recordari vnuſquiſque debet, ſe eſſe præditum potentibus alis, graui pondere alligatis; ideo ei nitendum eſſe pro viribus vt eleuet pondus, ne ab eo depreſſus mergatur in vndis: conſiderare tenemur, quod, ſi extra formati ſumus corpore recti, vt corporeum ſolem intueamur; niti mouemur, vt non depreſſa ſed erecta mente, Deum mentis ſolem inſpiciamus.

Caput ſextum ex conditionibus huius mundi petendum eſt: nam qui recte cupit inſtitui: conſiderare tenetur, quam vilia ea ſint, quæ ſenſus noſtros oblectant; & ſtatuere ſibi debet, ſe in hunc mundum, quaſi in arenam, cum natura, fortuna, aduerſiſque animi cogitationibus pugnaturum deſcendiſſe: exemploque Herculis teneri aduerſa vitiorum monſtra animi robore domare: in qua pugna agitur de ſumma rerum, pernicioſum eſt ſuccumbere, ſaluberrimum vincere; nec ſatis eſt non ſuperari, ſed inſuper ſuperare nitendum eſt: cum ſemel viceris, adhuc tibi eſſe pugnandum, & vincendum perſuadeas; vt quaſi in medio hoſtium collocatus, ſemper te pugnæ paratum præbeas. *Cap. ſextum à conditionibus mundi.*

Septimum caput ab externo duce petendum eſt: Meditari vnuſquiſque debet; ſibi diuina prouidentia, tanquam duces externos, deſtinatos fuiſſe oculos; vt moneremur, pro facultate nitendum nobis eſſe vt oculis conformemur. Oculi libenter intuentur cœlum, vt id pro ſede optemus; intuentur cœlorum motus, vt ad eorum imitationem motus animi componamus; ſunt lucidi, quærunt lucem, à tenebriſque abhorrent: ita nos tenemur, virtute fulgere, expetere lucem veritatis, tenebras vitiorum, & ignorantiæ vitare. Oculis obeſt opaca conditio terræ: ita nos monemur, ſi lucem recipere cupimus, terrena deſpicere. Oculus nunquam videndo expletur, actio eius eſt ſpiritalis, & ſine tempore: ſimiliter nitendum nobis eſt, vitam viuere ſpiritalem, eleuari ſupra tempus, probaque actione nunquam ſaturari. Oculi ſunt tanquam parua animalia, vt nos animalia maiora eis reddamur ſimiles; nil vident ſine luce ſuperna: ita mens noſtra deſtituta ſuperno lumine, in tenebris errat. *Caput ſeptimum à duce externo.*

Caput octauum ab eo, quod nos ſeducit, petendum eſt. Tenentur ingenui iuuenes hoc animo infigere, continenterque meditari; nil ſibi aduerſius, rectaque cum inſtitutione pugnantius, voluptate corporis reperiri: Hæc eſt formoſa Helena, quæ Troianos in perniciem deduxit; de qua ab Homero dictum eſt. *Extra vndam & fumum longe compelle carinam:* Hæc eſt coæua nobis Eua, quæ ſeducta á ſerpente, partem noſtram virilem nunquam tentare deſinit: Hæc oculos delectat aſpectu, *Caput octauum à ſeducente.*

Digitized by Google

ſenſuſque cæteros leniendo demulcet, internam vero animi conditionem peruertit, & perdit. Quicunque inſanam voluptatem amplectitur, vitiorum omnium ſe prædam facit, euadit intemperans, mollis, fœdifragus, imprudens, prophanus, inconſtans, ſemper egens, ſordidus, ſeruilis, & demũ omni pernicioſo monſtro pernicioſior: Ideo ſapiente viro digna fuit Scipionis ſententia, dum dixit; *magis ei eſſe formidandum, qui à voluptatum turba circumdatur, quam qui ab exercitu hoſtium.* Iure itaque circumciſione vti monemur, non quidem ea corporis, Ægyptiorum Iudæorumque more, ſed animi.

Cap. nonum ab inſtrumento.

Caput nonum ex inſtrumento probarum actionum peti poteſt: nam vnuſquiſque ſibi ſuadere debet, nil præclarum à nobis ſine labore effici poſſe, laboremque iuueni eſſe apprime ſalutarem; eſt enim ſeminum virtutis cultor optimus, vitiorum vero aptiſſimus expulſor. Propterea enuntiant Academici, Deum pro inertibus non pugnare: & Ariſtoteles interrogatus, vbi vigerent virtutes; in laborum ſtudioſis animis, reſpondit. Ideo, dum via virtutis nobis videtur ardua, pugnaque cum vitio difficilis; conſiderandum eſt, genus omne vitæ iunctas ſibi habere moleſtias proprias: ideo ea via progrediendum eſt; quæ non ad perniciem, ſed ad ſalutem; non ad naufragium, ſed ad portum; non præcipites, ſed ſublimes nos ducit: Ita percipiemus; quod non ſit ardua via virtutis, ſed nos molles: non aſpera pugna, ſed nos ſegnes; non amari labores, ſed guſtatus noſter ſit aduerſa bile deprauatus.

Decimum caput à communi regula directionum.

Decimum caput ſumendum eſt ex communi regula directionum. Dum enim nos ipſos componere, animique perturbationes moderari optamus; imitari tenemur eos, qui ligna contorta dirigunt: animus enim in oppoſitum eius flecti debet; quod vel eſt vitium ſua natura deterius, vel nobis ob corporis temperamentum eſt familiarius. Inſuper imitari debemus accuratum ſtatuarium; qui continenter in ſtatuam à ſe perficiendam conuerſus, modo aliquid detrahit, modo addit, modo emendat: ita nos in nos ipſos conuerſi, id ipſum facere tenemur; vt noſtram hanc ſtatuam, ad Dei imaginem factam, cum ſuo exemplari pro facultate conformemus.

Cap. Vndecimum à conditione huius vitæ.

Vndecimum caput ex conditione huius vitæ peti poteſt: quicunque enim vitam hanc recte inſtituere cupit, conditionem eius accurate tenetur perpendere; dum enim hoc fecerit, iudicabit hæc, quæ ſenſus oblectant, eſſe vmbras eorum, quę vere ſunt: ideo per vmbras excitabitur ad res ſerias: iudicabitque hanc vitam eſſe, non finem; ſed viam, curſum, & peregrinationem: propterea de vera patria erit ſolicitus, & de vita, quæ vera & æterna eſt, non de ea, quæ eſt breuis & inanis, & non vita potius, quam vita.

vita. Ita cum Heraclito exclamabit, *In fuga requiem, in morte vitam reperiri:* & Pythagoræ obtemperabit præcipienti, cor ne cōedas, hoc eſt, curis huius mundi ne conſumas cor tuum: curæ enim rerum mortalium ita cor vrunt, vt illæ diuinarum reficiunt, ac recreant.

Duodecimum caput ex otii pernicie ſumitur: nam vile otium, quod aditum tradit pernicioſis cogitationibus, longe à nobis eſt repellendum. Dico otium vile, quia otium contemplationis omni externo negotio eſt præferendum: Ideo ſapienti viro requieſcere ab externis negotiis, ſaluberrimum eſt, inſipienti vero pernicioſiſſimum, cum ea tantum meditari valeat, quæ ei ſenſus offerunt, ea autem ſunt irritamenta vitiorum. *Caput duodecimum à pernicie otii.*

Caput decimumtertium ex debito, & ingratitudine peti poteſt: nam qui recte cupit inſtitui, hoc ſibi conſtanter ſtatuere tenetur, nil ingratitudine deterius, nilque cum humana conditione pugnantius reperiri. Homo cum id quod habet, primo à Deo receperit, mox á patria, parentibus, & amicis, ne ſit ingratus, tenetur ſe totum retribuere: primo Deo, ſecundo patriæ, tertio parentibus: vel animi, qualesilli ſunt qui eum inſtituunt, vel corporis: ita tamen ſui partem tradat aliis, vt nil ſui auferat à Deo. Iure poſt Deum patria collocatur, cum ea ſit communis parens ciuium, in qua refulget cura Dei: per quam nedum nos ſeruamur: verum inſuper parentes, filii, amici, & demum cuncta ad hanc vitam pertinentia in ea continentur. Tenemur pro facultate curare, vt capite bene valeamus: caput eſt mens; cuius optima valetudo eſt Deus, ex quo optima in nos vita redundat, per quam (vt Poſſidonius enuntiauit) plus patet dies vnus viri probi, quam improbi longiſſima ætas. *Cap. decimumtertium à debito, & ingratitudine.* *Ingrato nil deterius natura creauit.*

Caput decimumquartum à conditione principii inſtitutionis peti debet. Iudicent ingenui iuuenes, facile eſſe principiis obſiſtere: ideo, dum paruus eſt hoſtis, necent illum, ne grandior factus, necet ipſos: vitium enim, niſi necetur, necat. Et quamuis iudicemus nos aduerſus vitia ſatis eſſe munitos, ſemper tamen errandi occaſio vitanda eſt, ne, dum palam cupimus videri fortes, clam ſerui reddamur: qui enim pericula quærit, demum perit in illis. *Cap decimumquartum à conditione principiorum inſtitutionis.*

Caput decimumquintum ex præcurrente diſpoſitione petatur. Statuere ſibi debent iuuenes, ſalutarem eſſe Platonis ſententiam illam, quod moderata iuuentus facilem reddit ſenectutem, immoderata difficilem: propterea tenentur adoleſcentes in eis ludendo exerceri, quæ mox adulti ſerio ſunt acturi, tenentur iuuenes pugnare, vt mox ſenes pace fruantur, tenetur vnuſquiſque inſurgentes animi ægritudines curare, ne mox per ſenium incurabiles reddantur, tenetur quilibet in ſeipſo partem *Caput decimumquintum à præcurrente diſpoſitione.*

Digitized by Google

feram domare, ne ea ferocior reddita voret humanam: ac ita requiete, pace, ſanitate, ſeipſo, veraque vita fruetur.

Caput decimumſextum à regula rectæ exactæq; inſtitutionis.

Caput poſtremum ſtatui debet regula, qua exactiſſime iudicemus, num recte omni ex parte ſimus inſtituti: Pro qua conſiderare tenemur, an erga nos, erga alios, & erga Deum congruenter ſimus affecti; qui enim hoc trino perfectæ inſtitutionis gradu fuerit formatus, omni ex parte cenſeri debet recte inſtitutus. Erga nos recte afficimur per temperantiam, erga alios per iuſtitiam, erga Deum per pietatem, ita caſte, iuſte & pie, viuemus: cuius optimæ inſtitutionis, caſtitas ſiue temperantia eſt initium, iuſtitia medium, pietas finis: ideo in tam ſalutari fine cum Dei gloria iucundiſſime requieſcamus.

Pie ſobrie iuſte.

Vt autem iterum ad te (o HOMO iam rectè inſtitute) conuertar: ſi vt philoſophus, ſola humanæ tuæ rationis regula formatus, hæc facere moneris; quid teneberis efficere, vt Chriſticola? vt ſupero lumine illuſtratus? vt ſpiritu Dei ſupra mundi caligines eleuatus? cum ita conformatus ab eo ducaris, qui ſua eſſentia eſt lux, veritas, & rectum: in cuius gloriam ſi ſpiritum hunc reſtituere mihi datum eſſet, libentiſſime exclamarem,

VITA ET PHILOSOPHIA, VALETE, VALETE.

FINIS.

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

*IN ACADEMIA PA-
tauina Philoſophi pri-
marii.*

Comes Politicus, pro recta ordinis ra-
tione propugnator.



FRANCOFVRTI,

ANNO M. DC. XI.

Digitized by Google

CAPITA PRINCIPALIA.

Cap. 1. Inſtitutum auctoris in philoſophia de moribus.
2. Qualis ſit conſideratio ordinis, eiuſque diſtinctio.
3. Definitio ordinis, & attinentia ad eam.
4. An conditio ordinis ſit, vt cuncta referantur ad vnum primum.
5. An ordo petatur ex natura rerum.
6. Quot ſint ſpecies ordinis.
7. An cum in artibus, tum in ſcientiis compoſitionis, & reſolutionis ordine vti liceat.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

IN ACADEMIA PATAVINA PHILOSOPHI PRIMI,

Comes Politicus pro recta ordinis ratione propugnator;

SAPIENTISSIMO CARDINALI SARNANO DICATVS.

ILLVSTRISS. ET REVER. CONSTANTIO Sarnano Cardinali ampliſsimo, dominoq; colendiſsimo,

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS PERENNEM S. D.

TRia præſertim ſunt, quæ in dicandis, conſecrandiſque libris inſpicienda, & conſideranda occurrunt, conditio operis, conditio auctoris, nec non eius cui dicari debet: in quæ ego mentis acie conuerſus, nedum perſuadeor, ſed cogor, & ex debito me teneri iudico, conſiderationem hanc tuæ ſublimi ſapientiæ dicare. Cum enim in ea præſertim ſermo ſit de ordine, & ordo ſit conſtitutio quædam diuina, ad vnum primum caput, & ducem relata, iure optimo tibi feliciſſime congruit, qui vt dignitate inter primos reſides, ita ſapientia, iudicio, & probitate maxime

PP

fulges, adeo vt perinde ac mens illa ſupera, ab Anaxagora excogitata, quæ Chao præeſſet pro conſtituendo ordine, tu omni de ſapientia liti adeo præſtes, vt verum lucide inſpicere, controuerſias diſtincte componere, omnemque ignorationis nubem tanquam ſol ſplendidiſſimus longe repellere valeas. Ego autem tum ob inueteratam beneuolentiam, tum ob præclara tua merita; tum ob innumera in me collata beneficia, adeo ſum tui iuris, vt omnem meam curam, operam, & diligentiam in te colendo & magnifaciendo, collocare tenear. Iam enim quadraginta præteriere anni, cum ego Peruſiis te felici ſorte noſcere, & colere cœpi, qui cultus vna cum tua dignitate, & meritis adeo indies creuit, vt modo ſenex te maxime omnium venerer, & magnifaciam. Iure itaque optimo, vires ingenii mei omnes, cunctæque meditationes in te ſunt conuerſæ, teque vt ſcopum, regulam, & finem inſpiciunt, adeo vt nunc potius tua tibi reſignare, quam mea tibi dicare iudicari debeam: His accedit, quod ſi ſapientum ſunt omnia, ſi dominorum ea ſunt quæ ſeruis competunt, ſique eorum qui coluntur cuncta ea ſunt, quæ in facultate colentium ſunt collocata, cum tu ſapientia præſtes, à me colaris, meique ſis inſignis dominus, procul ab omni controuerſia, cuncta quæ mihi competunt, te dominum & patronum cognoſcunt, idque facient ſemper, quouſque dignabitur Deus hos regere iam ſenio confectos artus. Diu felix viue & vale, Patauio Kalend. Iunii 1594.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLO-MINEI SENENSIS,

Comes Politicus pro recta ordinis ratione propugnator,

PROOEMIVM.

INSTITVTVM AVCTORIS, RATIOQVE INSTITVTI.

QVamprimum liber aliquis in lucem prodit, & tanquam nouus hoſpes per orbem vagatur, in conditiones hominum incidit adeo varias, animoque tam vario præditas, vt neceſſario variis excipiatur modis, pugnantibuſque iudiciis ſubiiciatur: ſtatim enim in foro, partim populi, partim ſapientum, innumeros, vel idoneos, vel non idoneos experimur conſurgere iudices: à quibus de eadem re ſententiæ adeo variæ, adeoque pugnantes proferuntur, vt ſemetipſas deſtruant, & ſua oppoſitione, & pugna, ſuam leuitatem, & inconſtantiam patefaciant. Propterea Plato, humanorum ſapientum regula & exemplar, Pythagoram imitatus, nil ex propria ſententia ſe velle in apertum proferre affirmauit; præſertim ne animi ſui meditationes proprio defenſore, idoneoque explicatore deſtitutæ, quorumuis iudicio eſſent ſubiectæ. Experientia enim conſtat, viros quidem ſapientes, & probos, quos multos noui, cuncta congruenter excipere: nonnullos vero, ob deprauatam animi conſtitutionem, omnia recta iudicare obliqua: quoſdam, vel ob immoderatam loquacitatem, vel ob cognitionem tantum adumbratam, de quouis ſuo arbitratu loqui: alios demum ob exſuperantem Φιλαυτίαν, ſua tantum magnifacere, aliena deſpicere, & vili pendere: Φιλαυτία enim ambitionis eſt mater, ex qua inuidia prodit, quam ſequitur aliorum contemptio, ex quorum conſpiratione, philoſophia in philologiam permutatur, quo nil pernicioſius ſalutari ſapientiæ accidere poſſe exiſtimo. Et quod nulli vnquā mortalium hactenus conceſſum video, nempe vt eorum opera æque omnium deſideria expleuerint, mihi quoque non fuiſſe conceſſum, nedum non miror, aut doleo, verum potius mecum congratulor; quia non me tanti putaueram, vt cum in lucem aliquid promerem, viros ſapientes ad tam exactam meorum dictorum conſiderationem excitare valuiſſem: & præſertim lætor, quia dum ea conſidero, quæ à viris, vel lingua, vel ſapientia inſignibus, omni impetu, &

Cur Plato nil ex propria ſententia in lucem ediderit.

conatu aduerſus opiniones à me approbatas, vel loquendo, vel ſcribendo, obiiciuntur, quamuis vehementem quendam ſtrepitum iunctum habeant, non tamen illa deinde eius roboris inuenio, vt opiniones à me defenſas, vel mouere, vel vlla ex parte titubantes reddere apta ſint. Et præſertim mihi moleſtum eſſe non debet, vt à me illi diſſentiant, quorum inſtitutum omne, & conſilium huc tendit, vt á cæteris recedere, & ſoli ſapere videantur: nam diſſentire ab illis, eſt cum cœtu ſapientum conſentire; damnari ab eis, eſt à cæteris approbari; & quo voces acutiores edunt, eo putandum eſt aliquid intimius eorum animos, ac ſententias perſtringere, & interturbare. Hinc intueor quod ea, quæ aduerſus me proferunt, hoc ſolo egent, vt vel ab eis inuoluta euoluantur, vel extorta dirigantur, vel nube verborum obumbrata in conſpicuam lucem edantur: nam vel recte dicta male referunt; vel relata in deteriorem ſenſum deducunt; vel ſi ſenſum turbare nequeunt, rationes quaſdam ſuas exaggerant, quæ nec ad gradum dialecticarum aſcendunt, controuerſiaſque ſibimet in aere fingunt. Propterea animo mihi ſtatueram, ſilentio & ingenua quadam negligentia cuncta præterire, eo præſertim confiſus, quod opiniones tueor á cunctis fere ſapientibus approbatas: ideo ſatis eſſe iudicaueram, ſi rem totam ſub iudicio ingenuorum, & ſapientum virorum dereliquiſſem. At varii mei, partim auditores, partim amici, partim patroni, me ſententiam mutare coegerunt: me enim rogarunt, vt difficultatum quarundam, quas ipſi mihi retulerunt, ſolutiones eis tradere non grauarer. Propterea quamprimum per æſtiuas ferias à publico legendi munere mihi vacare licuit, nonnulla in eorum gratiam mihi explicanda propoſui, ex quibus variarum difficultatum, quæ cum ex aliorum præſertim ex meis de ordine dictis prodire poſſent, conſpicuæ ſolutiones elicerentur. Quibus de rebus, non cum aduerſario aliquo mihi agendum inſtitui (neminem enim vt aduerſarium cognoſco) ſed cum amicis honeſtiſſimis, qui ad hoc onus ſubeundum me impulerunt. Propterea cauebo, ne vllum audiatur verbum, quod modeſtiſſimas eorum aures offendere aptum ſit. Nam tria ſunt, quæ mihi præſertim occurrere poſſe iudicaui: vnum, variorum verborum redundantia, & ſtrepitus; alterum, fundamenta, & varietas opinionis aliorum: tertium, rationes cum ſententia à me approbata pugnantes. Primum libenter ſuis auctoribus derelinquam, tanquam conſpicuum indicium conſtitutionis animi eorum; & tanquam ſophiſtæ potius, quam amatoris ſapientiæ proprium. Alterum quoque ſilentio præteribo: non enim id mihi propoſui, vt alios à ſuis opinionibus dimouerem, nec vt de ſententiis aliorum cenſoris officio fungerer, ſed tantum vt opinionem meam tuerer: quod

Ratio præſcribendi.

Quid ſeruandum.

quod etiam in introductione ad philoſophiam de moribus à me ſeruatum fuit, dum de ordine verba feci. Cum enim meam de ordine ſententiam à nonnullis viris ſua ſapientia notis relatam, & tanquam falſam, prolixe, variiſque rationibus reiectam inueniſſem, eam defendi; idque facere coactus fui, quia tunc opinio illa mihi vſu futura erat. Et quoniam profitenti veritatem maior calumnia, quam mendacium obiici non poteſt, propterea iure optimo id à me factum dixi; non vt aliis aduerſarer, (omnes enim magnifacio) ſed vt opinionem meam à calumnia vendicarem: quod qua forma præſtiterim, iudicent animi ingenui, qui partem illam legere non dedignabuntur. His itaque ſilentio decurſis, ſolum nonnulla ad tertium caput pertinentia, ad rationes nempe, quæ cum meis dictis pugnare videntur, qua potero breuitate, perſtringam. Et ne de ordine ſine ordine loquar, perpendam primo communia quędam, ad inſtitutum meum in philoſophia de moribus pertinentia. Agam ſecundo de ordinis conſideratione, eiuſque ſignificationibus. Tertio definitionem ordinis explicabo. Quarto deſcendens ad conditiones in definitione ordinis relatas, perpendam an de ratione ordinis ſit, vt cuncta referantur ad vnum. Quinto, an ordo petatur ex natura rerum. Sexto loquar de generibus ordinis. Demum conſiderabo, an cum in artibus, tum in ſcientiis vtroque ordinis genere, compoſitionis ſcilicet, & reſolutionis vti liceat.

Quid ſit ſeruandum in philoſophia de moribus.

Ordo ſeruandus.

PARS PRIMA.

De inſtituto authoris in philoſophia de moribus.

CVm mihi per capita & gradus vniuerſam philoſophiam de moribus explicandam propoſuiſſem, conſilium meum fuit, vt, tanquam aſſecla, & interpres Ariſtotelis, philoſophiam illam ab eo traditam ita in gradus redigerem, & diſtribuerem, vt ex ea ſerie tria apprime vtilia elicerentur. Quorum primum eſt congruens ordo, non quidem inuentionis partium eius, ſed rectæ inſtitutionis legentium, aptæque conformationis animi eorum. Inuentionem enim partium eius ex prænotione finis, vt iam ab Ariſtotele factam, præſuppoſui. Alterum eſt, conſpicua connexio à principio ad finem, eorum omnium, quæ moralem vitam inſtituunt. Tertium, exacta, vt mihi liceret, ſingulorum graduū per ſua principia explicatio, abſq; vlla repetitione. Conſilium autem Ariſt. in ſcientia de moribus, tanquam principalis authoris fuit, nedum explicare, verum inſuper modum patefacere, inuentionis partium eius philoſophiæ, rationemque tradere neceſſitatis earū. Inſtituto Ariſt. aptiſſimus fuit ordo reſolutionis, non enim patere poteſt neceſſitas partium, niſi ex prænotione finis, inſtituto autē meo, ordo ille nō congruebat. Dum

Inſtitutum auctoris in philoſophia de moribus.

Conſilium Ariſt. in ſcientia de moribus.

enim inſtituimus alios in arte aliqua, à primis eius principiis ordiri debemus; & præſertim, quia ſi à fine, nempe à ſummo bono fuiſſem orſus, quoniam principia, & media illud cõſtituentia latuiſſent, non valuiſſem de eo, niſi confuſe primo verba facere, & pro exactiore explicatione coactus fuiſſem iterum poſt principiorum explicationem de eo loqui: quod nouit Ariſt. qui cum in primo Nicom. confuſe tantum (vt ipſe ait) de ſummo bono diſſeruiſſet, coactus fuit in decimo libro, poſt principiorum declarationem, diſputationem illam repetere, & abſoluere. Dum itaque aliquis lectores inſtituere cupit, vt inſtitutionis ordinem ſeruet, & ſine repetitione in vno, eodemque gradu ſummum bonum explicet, cum id in primo gradu efficere non valeat, & in poſteriore aptiſſime aſſequatur, non debet vllo pacto id primo ſibi explicandum proponere ſed à principiis ordiri, indeque compoſitionis ordine progredi ad cætera: ita enim progreſſio ad finem, & cunctorum connexio, optime refulgebit.

Cur Ariſt. in 10. moralium redit ad explicandum ſummum bonum.

Ex dictis elicio, non recte ſentire eos qui aiunt, philoſophiam de moribus non poſſe alio, quam reſolutionis ordine tradi: imo contra aſſero, cupientem ea aſſequi, quæ ego mihi aſſequenda propoſui, non debere alio, quam ordine compoſitionis vti. Et ſi quis inſtet, quia ignorato fine non valemus principia, & media dirigere: & præſertim, quia Epicurus voluptati addictus, & quicunque ſummum bonum in honore conſtituunt, inficiabuntur, ſemiuirtutes, & virtutes pro ſummo bono requiri, & ad ciuilem ſcientiam pertinere.

Error primus.

Profecto qui ita inſtarent, ex errore vno in plures laberentur; nam rationem formarent inanem, ac inſuper falſa acciperent. Quod inanis ſit ea ratio, patet; quia eam retorquens dico, longe minus ſine notitia principiorum, & præſertim virtutis in eius definitione ſumtæ, poſſe primo ſummum bonum eluceſcere, quam vice verſa: nam, vt in ſexto topicorum monet philoſophus, *non eſt notum definitum, quouſque partes ſingulæ in definitione poſitæ non fuerint conſpicuæ.* Inſuper ea ratio eſt leuis: quia quotieſcunque non partes inuenire, earumque neceſſitatem patefacere, ſed tantum inſtituere cupimus; quod ego mihi faciendum propoſui, vt cum ex proœmio, tum ex epilogo conſtat; ſat eſt, vt finis inſtituenti primo ſit notus: quod patet exemplo grammaticæ, logicæ, & cuiuslibet domeſticæ adoleſcentum inſtitutionis. Præterea quicunque de aliqua diſciplina, eiuſque partibus iudicium tradere debent, hi (niſi inſipiant) non ſtatim in eius limine, ſed decurſis omnibus gradibus id efficere tenentur. Demum ea ciuilis philoſophia, non vulgaribus, perperamque educatis, ſed iuuenibus familiari educatione, & aſſuetudine recte compoſitis proponitur, quales ſolos Ariſt. ait, eius philo-ſophiæ

Digitized by Google

ſophiæ eſſe idoneos auditores: nam perperam affecti, etiam ſi à ſummo bono ordiremur, ſtatim rectam de ſummo bono ſententiam tenuerent. Multiplici itaque ratione inanis eſt ea inſtantia, & negligenda.

Inſuper falſa ſunt ea, quæ accipiuntur: non enim recte dicitur Epicureos adeo delitaſſe, vt virtutem pro ſummo bono non eſſe neceſſariam cenſuerint; Legitimi enim Epicurei, in voluptate honeſta, ex actione proba, virtutis alumna prodeunte, ſummum bonum collocarunt; vt cum ex Diogene Laertio, tum ex aliis viris doctis, conſpicue elicitur: imo non defuerunt, qui in eadem voluptate Ariſt. cum Eudoxo ſummum bonum collocaſſe aſſeruerint. Propterea inter cæteras Epicuri ſententias, à Laertio hæc quoque refertur: non poteſt iucunde viui, niſi prudenter, honeſte, ac iuſte viuatur.

Epicurus virtutem pro ſummo bono cenſuit neceſſariam.

Similiter non recte dicitur, eos qui in honore ſummum bonum collocarunt, non putaſſe virtutes, & ſemiuirtutes pro ſummo bono eſſe neceſſarias: quicunque enim honorem appetit, magnifacit virtutem, cum (omnium conſenſione) honorum merita ex virtute prodeant. Hoc conſpicuis verbis in primo moralium Nicom. c. 5. protulit Ariſt. inquiens, *viros ciuiles in honore ſummum bonum ponere, honoremq́; optare, vt probi, virtuteq́; ornati videantur; ideo à viris prudentibus, & virtutis nomine, honorari cupiunt, &c.* Hinc fertur Romanos, qui præſertim in honore, & gloria ſummum bonum collocarunt, templa honoris & virtutis ita iuncta conſtruxiſſe, vt nemini liceret in templum honoris ingredi, niſi per templum virtutis progrederetur.

Qui in honore ponunt ſummum bonum, virtutem cenſent neceſſariam.

Non recte itaque dicitur eos, qui in honore ſummum bonum conſtituunt, non putare virtutem pro ſummo bono eſſe neceſſariam, & ad ciuilem pertinere. Longe rectius loquutus eſt Seneca, qui in lib. de beneficiis enuntiauit; *maximo hoc naturæ munere hominem eſſe donatum, quod virtus in omnium animos lumen ſuum effundit; nam etiam qui non ſequuntur, eam vident.*

At dubitare adhuc fortaſſe poterit aliquis: cum ego in philoſophia de moribus compoſitionis ordinem præſertim ſim ſequutus, cur à perturbationibus ſum exorſus, & non prius animi partes, & facultates explicaui, quæ tamen principia perturbationum cenſeri debent?

Quicunque hoc aſſererent, ſatis aperte errarent: nam facultates animæ non conſtituunt gradum ciuilis ſcientiæ: nec ſunt pars conſideratorũ in ea, ſed extrinſecus tantum earum notitia ex ſcientia phyſica deſumitur, ciuiliq́; ſcientiæ ab interprete aptatur pro explicandis partibus eius: quod cum hac ſola ratione fiat, iure illi gradui aptanda fuit, pro quo magis eſt neceſſaria, cui euidentius inſeruit, ſimiliorq́; eſt declarãdis in eo: huiuſmodi

Cur in diſciplina ciuili non ſtatim in principio animi facultates referendæ ſint.

di autem eſt gradus, in quo de principiis virtutum ſermo eſt: Quod Ariſt. ſeruaſſe inſpicimus, qui in ciuili ſciētia animæ partes enumerans, earumque cognitionem ciuili neceſſariam affirmans, id facit, non dum perturbationes, ſed quam primum actiones, virtuteſque hominis cœpit explicare; animaque & eius partes præaſſumſit tanquam principium, cui virtutes competerent, & per quod in duo prima genera virtutes diſtinguerentur. His accedit, quod ſi ab anima fuiſſem orſus, non tam aperte indicaſſem, eam in gratiam alterius, & obiter conſiderari, ac inſuper minus recte ciuili ſcientiæ per non conſtituenti ciuiles gradus principium dediſſem: nec ego vnquam aſſerui, me in ſingulis partibus compoſitionis ordinem exacte ſeruaſſe; imo affirmaui, ordinem penitus conſimilem in ſingulis vniuerſæ ſcientiæ partibus raro inſpici, ob varietatem conditionis conſideratorum in ea, & opportunitatem, quæ auctori ſe offerunt.

Præterea cum inſtitutum meum fuerit, nedum ſatis exacte potiora capita ciuilis ſcientiæ explicare, verum inſuper patefacere, quo pacto ex inſpectrice philoſophia penderet, eiuſque eſſet fructus, vt in partium philoſophiæ mutua comparatione patefeci, quod tamen fieri non poterat, niſi nonnunquam ſupra terminos ciuilis ſcientię eleuarer Propterea nedum vtile, verum neceſſarium quoque fuit, nonnunquam fines ciuilis ſcientiæ egredi, eaque referre, quorum exacta declaratio ad altiores ſcientias pertinet: idque non inſcius, ſed libens, & conſulto feci, frequenterque confeſſus fui, taciteque eius obiectioni ſatisfeci, nec prolixe, & exacte, ſed breuibus, & lucide, id præſtiti, vt tanquam in picta tabella, earum rerum, quæ vſu futura erant, adumbrata quædam imago refulgeret. Ex quo conſtat eorum cōſpicuus error, cenſuraque fallax, qui huiuſmodi egreſſum damnant, cum præſertim illi damnandi ſint, qui ab interprete, & explicatore id non debere fieri exiſtimant: nam ſi id mihi vitio dādum eſſet, erraſſent maxime D. Th. Scotus, D. Bonauent. & vniuerſi theologiæ, aſtronomiæ, artis medendi, cæterarumque diſciplinarum, accuratiores interpretes, qui frequenter in gratiam primi inſtituti ea inſerunt, quæ ad alias ſcientias pertinent, idq; maxime putandum eſt interpreti moralis ſcientiæ conuenire, *cum* (teſte Ariſt) *officium ciuilis ſit vſui rerum præeſſe, cunctaq; diſponere, quod exacte efficere minime poſſet, niſi diſponendarum rerum rudem ſaltem, & craſſam obtineret notitiam.*

Licere interpreti egredi nonnunquam terminos ſcientiæ.

Cognitio facultatum animæ neceſſaria ciuili philoſopho.

Hinc conſtat, minus recte eos ſentire, qui enumerationem illam lucidam, & breuem cunctarum animæ facultatum, à me in gradu principiorum virtutis propoſitam, redundantem cēſent: quāuis enim de anima agere phyſici ſit munus, ciuili tamen magis eſt neceſſaria cognitio partium animæ, quā medico corporis, vt

ris,vt in primo Nicomachiorum c.13. philoſophus monet:ſi itaque Medici ſoliciti de notitia partium corporis cõmendantur, longe magis commendandus erit ciuilis,dum partes animæ ſibi ante oculos lucide,& breuibus explicatas propoſuerit, & damnandi qui id faciendum non putant.Propterea Ariſt.non in calce primi Nicomachiorum tantũ,vt nonnulli minus recte aiunt verum inſuper c.7.eiuſdem lib.dum loquitur de humanis actionibus in principio ſexti, nec non in ſeptimo de repub. c.14. animam in partes ſecat, & in ſingulis fere ciuilis ſcientiæ libris, de aliqua animæ facultate mentionem facit: præſtitit profecto Ariſt.id paucis &ſtrictim,at eius interpres tenetur latius id efficere. Nec alia digreſſio ciuili philoſopho accommodatior, vtiliorque ea excogitari poteſt:pari quoque ratione quorundam aliorũ cum habitibus virtutum, & partibus ciuilis ſcientiæ complicatorum,nõ ſine vtilitate ingenuorum legentium, lucidam, ac,vt valui,distinctam formam inſerui,& eam præſertim, in qua breuibus reſolutionem quęſtionis de ſubiecto metaphyſicæ patefeci. Qua de re cum viri præclari exactiſſime, & ſubtiliſſime ſcripſerint,ego neminem eorum damnans, ſed magnifaciens omnes,modum reſolutionis nouum attuli conditioni metaphyſicæ congruentiſſimum,quo ceterorum ſententiæ nõ euertuntur,ſed conciliantur potius, & in rectam ſignificationem rediguntur.Et quamuis exquiſite de re illa agere metaphyſici ſit officium,aberrãt tamen quicunque reſolutionem illam ciuili ſcientiam accommodatam inficiantur,cum breuis, & lucida reſolutio quadruplici ratione ei aptiſſima, & vtiliſſima cenſeri debeat.

Vtile eſt ciuili cognoſcere, in quo verſetur ſapientia.

Ratio prima.

Prima eſt quia ciuilis cõſiderat habitus mẽtis, qui nequeunt etiam minus quam exacte noſci,inter ſe diſtingui,inuicemque comparari,niſi in quo verſentur modo aliquo cõſtet: Inſup officium eſt ciuilis decernere,cui ſcientiæ,& quouſque danda ſit opera,vt in proœmio moralium Nicom.monet philoſophus: id autem præſtare nõ valet,niſi in quo verſantur habitus,modo aliquo cognoſcat. Tertia ratio eſt,quia officium eſt ciuilis præſtantiam,& merita humanorũ ſtudiorum iudicare, ſinguliſque cõgruentem honoris gradum decernere; dignitas autem maxime ex eo pendet, in quo diſciplina verſatur. Poſtrema ratio eſt, quia reſolutio à me tradita conſpicue elicitur ex verbis philoſophi, in primo magnorum moralium c. 33. quo loci inquit, *in eo verſari ſapientiam,in quo Verſatur intelligentia,& ſcientia,ex quibus componitur*: inſuper elicitur ex cõſpiratione intelligentiæ & ſcientiæ,de qua in ſexto moralium Nicom Ariſt.loquitur, præſtiterat vel philoſophus breuibus,& per communia quædam,tenebar ego vt interpres,ea communia diſtinctius explicare,& id de metaphyſica potius,quam de aliis ſciẽtiis fieri debuit, tum quia

2.
3.
4.

Digitized by Google

eſt domina ceterarum, tum inſuper quia de ſubiecto eius maior eſt dubitatio.

Demum eorum error ſatis conſpicue refulgere poteſt, qui vt ſui animi conſtitutionem patefaciant, inquiunt; *philoſophiam illam ciuilem, non vnam eſſe, ſed multarum diſciplinarum cõfuſionem, nec vllo fine eſſe praditam*: nam philoſophia illa, à me in gradus reſoluta, re vera vna eſt, cum gradus illi omnes, ex quibus eſt conflata, ad eam pertineant, eamque conſtituant, iunctum tamen habet quarundam diſciplinarum vſum, exacte eius explicationi conducentium: quod apprime vtile fuit, vt conſtaret, ex quibus ſciẽtiis, & principiis penderet, ex quibus partibus cõſtaret, quarumque diſciplinarum vſui præeſſe deberet: non itaque cetera tanquam fines, nec pro diſtincto fine, ſed pro vno eodemque fine cumulatius aſſequendo declarata fuerũt. Rectius eam ſententiam de quadam male nuncupata apologia ꝓtuliſſent, cum ſit quoduis aliud præter apologiam; partim enim eſt antapologia, partim cenſura à cenſore non idoneo facta, partim aliis nominibus digna, quæ ingenuo lectori luce clariora ſe offerũt, adeo vt de ea iure id dicere valeamus, vel eam non eſſe apologiam, vel auctorem eius ignorare, quid ſit apologia.

Adnotatio pro conſideratione perturbationum.

PRo primo ciuilis ſcientiæ gradu, congruenter perturbationes animi à me cõſtitutæ fuerunt; ſunt enim tanquam materia virtutum, & res quæ primo nobis ciuili inſtitutione formandæ, & corrigendæ occurrunt. Propterea, vt à Medico temperamenta, & humores corporum, ita à ciuili perturbationes, tanquã humores animi, prænoſcendæ accurateque conſiderandæ ſunt: nam exactior earum conſideratio, magiſque cum ſcientia iuncta ad phyſicum pertinet, ſunt enim corporis phyſici ſentientis affectiones: ſecundo autem loco vt prudentia formãdæ, & corrigendæ, pertinent ad ciuilem: tertio, vt perſuaſione, vel diſſuaſione conducunt ad rhetorem. Ciuilis eas explicatas per priora principia, recipit à phyſico: rhetor vero à ciuili, vt latius in eo primo gradu patefeci. Ex quo aperte conſtat nõ recte eos ſentire, qui inquiunt vniuerſum illum de perturbationibus gradum ab Ariſtotele iudicatum fuiſſe rhetoricum, quia de perturbationibus exacte tãtum in rhetoricis verba fecit: at quomodo recta ratione id à viro ſapiente dici poteſt, cum Ariſt. conſpicue oppoſitum enuntiet? Exſtat præclara ſent. Ariſt. in 1. rhet *rhetoricam ex ciuili ſcientia, & dialectica eſſe conflatam, ac ab vtraque proficiſci*; cum autem dialecticæ ſit pullulatio, eique ſit ſimilis ſolum per attinentia ad argumentationem; per cetera autem, de quibus agit,

Non recte dici conſideratione perturbationũ præſertim eſſe rhetoricam.

Digitized by Google

bus agit, ſit pullulatio quædam ciuilis ſcientiæ (vt Ariſt. inquit) cogimur fateri, in conſiderandis perturbationibus rhetoricam eſſe pullulationem ſcientiæ de moribus, eaſque à ciuili recipere; non autem vllo pacto vice verſa, vt iſti affirmãt; & præſertim, quia in eodem libro Ariſt. inquit, *probationes ſolas ad artem rhetoricam pertinere, reliqua eſſe additamenta*, quia aſſerere exquiſitam perturbationum conſiderationem eſſe rhetoricam, eſt aperte pugnare cum verbis philoſophi, & eſt perinde ac dicere, accuratam virtutum cõſiderationem, non eſſe ciuilem ſed rhetoricam, quod nemo diceret: nam par eſt ratio de virtutum, & perturbationum conſideratione: inquit enim philoſophus in Rhetor. *Cum igitur omnes artificioſæ probationes per hæc fiant, perſpicuum eſt, eum ſolum hæc tria conſequi poſſe, qui differendi rationem, & morum, atque virtutum cognitionem, & perturbationũ animi naturam perceperit, vt ſciat quid vnaquæque perturbatio ſit, & qualis, & ex quibus excitetur, & quomodo. Itaque fit vt rhetorica ſit propago quædam, & quaſi pullulatio dialecticæ, & facultatis eius, quæ de moribus tractat, quam recte ciuilem ſcientiam appellabimus, &c* Conſpicue itaque ex verbis philoſophi conſtat, non recte dici, accuratam perturbationum conſiderationem potius eſſe rhetoricam quam ciuilem. Propterea rectius ſentientes, cum Ariſtot. dicamus, *accuratam illam perturbationum conſiderationem eſſe quidem de re ciuili, reſoluta tamen in principia phyſica*; quod ego mihi faciendum propoſueram, non autem vllo pacto eſſe rhetoricam; cum rhetor, (vt ait philoſophus) ſolum addat relationem ad ſuaſionem, & propterea modum conſideret, quo excitentur, quod ego non feci. Cur autem philoſophus prolixius quam alibi de perturbationibus in rhetoricis egerit, magiſque ad ſingula deſcenderit pro patefaciendo modo, quo componantur, vel excitentur, cumulate in gradu perturbãtionum à me fuit explicatum, ideo non repeto.

PARS SECVNDA.

De gradibus ordinis, eorumque conſideratione.

IN introductione ad ciuilem ſciẽtiam, vt ordinem ab Ariſt. in ea ſeruatum patefacerem, de ordine verba feci, & capit. 14. in quatuor poſſe ordinem conſiderari, aſſerui. Primo *in origine, & dirigente, velnti in Deo*, de quo Ariſtot. 12. metaph. 52. mentionem fecit: ſecundo, *in rebus ex originis ordine prodeuntibus, qualis eſt ordo partium mundi*, qua conſideratione in lib. de mundo definitur mundus, q; ſit ordo cunctorum, ſiue compages, concinno ordine digeſta: tertio, *in inſtrumento, & diſciplina inſtrumentaria*, qualis eſt recta ratio ordinandi ad logicam pertinens: quar-

Quatuor gradus ordinis.

to *in ſcientiis, & artibus*, per huiuſmodi inſtrumẽtum, in ordinem redactis: qui ordinum gradus ita ſe habent, vt poſterior ex proxime antecedente pendeat, illumque ſequatur. Ex quatuor ordinis gradibus, quartum cõſilio meo inſeruientem mihi explicandum propoſui, qui cum cõſideretur, vt complicatus cum ſcientiis, non ad logicum pertinet, ſed pædiæ eſt officium, ſcientiæ ordinandæ coniunctæ: logicus enim ſine ea cõnexione regulas formandi inſtrumẽta patefacit: accidit tamen, vt qui de hoc ordine loquitur, de altero quoque, qui regula ordinandi eſt, verba faciat, cum dirigens & directũ, ordinans, & ordinatum, ſibi mutuo reſpõdeant: hic ordo dum cõſideratur tanquam diſpoſitio, & forma arti, vel ſcientiæ iuncta, non reſpicit proxime animam, tãquam habitus eius, ſed ſciẽtiam, tanquam diſpoſitio partium illius; Quod ſi deinde ſcientia ſit in anima, nil refert, non enim ob id ordo proxime refertur ad animam, ſed è longinquo, & per ſcientiam in qua prima ineſt: quæ ſciẽtia etiam ſi in anima non eſſet, ſed in voce, vel literis, adhuc ordinis poſſet eſſe particeps. Propterea recte a me dictum fuit, me tunc ordinem cõſiderare, non vt habitum animi, ſed vt in arte, vel in ſcientia reperitur.

Ex his tria quorundam errata refulgere poſſunt, vnũ eſt, quia aſſerunt meam illam de ordine conſiderationem, omnino alienam eſſe à ciuili ſcientia: alterum, quia inquiunt non recte dici, ordinẽ iunctum ſcientiis conſiderari, vt eis iunctum, & nõ vt habitum animi: tertium, quia aſſerunt inſtrumentum iunctum ſcientiis, à ſcientia cui iungitur non diſtingui.

Vt pertinet ad primum, res eſt conſpicua, ad logicum tantum pertinere poſſe inſtrumentum, & rectam ordinandi rationem, non autem ordinem cum ſcientiis iunctum, vt ego conſideraui. Propterea Auer. in 2. Phyſ. 16. inquit: *mos eſt, vt illud quod eſt commune omnibus artibus, dicatur in logica, & illud quod eſt proprium vniuſcuiuſque artis, dicatur in ea arte:* quod ſi ego communia quædam declaraui, id feci in gratiam propriorũ, quæ ex communibus pendent: ea itaque conſideratio, quamuis præſupponat nõnulla ad logicum pertinentia, ratione tamen connexionis cum ciuili ſcientia, ad eam introductionem pertinebat, tãquam vſus Pædiæ: & preſertim in attinentibus ad ordinem, id ſeruandũ eſt, vt in introductione, & connexione cum ſcientiis, ea patefiant, quę vſu futura ſunt, cum ordo petatur ex natura rerum, & partem artis includat. Ideo Ariſt. in logica nullum diſtinctum de ordine ſermonem habuit, & latius quam alibi, in primo de partibus animalium de eo diſſeruit, ibique aſſeruit quæſtionem illam, de ſeruando ordine, adhuc non fuiſſe deciſam, indicans ſe alibi de ea non fuiſſe diſtincte loquutum: immo addo, cum ordo ex rerum natura petatur, conſiderationem ordinis magis metaphyſicam

ſicam, quam logicam cenſeri debere; vt enim ordo vniuerſi orbis in Deo eius principe eminenter includitur, ab eoque vt ab origine in alia effunditur, ita diſciplinarum ordo, tanquam in dirigente & ordinante, in diſciplinarum principe, quæ prima philoſophia eſt, primo reperiri debet: metaphyſici enim tanquam ducis officium eſt, rerum gradus vniuerſe cognoſcere, ſcientias, quæ in eis verſantur, inter ſe diſtinguere, earumque ordinem per communia patefacere: ideo Ariſt. nō in logica, ſed in quinto metaphyſicæ ordinem definiuit, & in ſexto metaphyſicæ, *quæ ſit prima, quæ non prima philoſophia, declarauit, rationem ordinis ſemper ex rerum natura petens*: communia docet metaphyſicus, quæ deinde in diſciplinis particularibus per propria earum contrahi debent: valde itaque pauca valet logicus de ordine patefacere.

Ex his conſtat, quod quicunque mihi obiicerent, quod ego de ordine loquens de re logica verba fecerim: primo Ariſt. vt diminutum damnare coguntur, cum in logica id non præſtiterit. Secundo minus recte dicunt, id negotium omnino eſſe logicum: tertio, vt logicum eſt, inſtituto meo non aduerſatur, cum vt expoſitor, tenear patefacere vſum aliarum diſciplinarum, & præſertim attinentium ad pædiam, quæ (vt ait Ariſt. in principio lib. de partibus animalium) in omni contemplandi genere, & docendi via locum habet: demum Ariſt. aduerſantur, qui in lib. de partibus animalium latius quam alibi de ordine in ſcientiis ſeruando diſſeruit.

Vt pertinet ad alterum errorem, nempe, quod ordo competēs ſcientiis prxime referatur ad animā, tanquam habitus eius, vt nonnulli aiunt: profecto res eſt conſpicua in rerum definitionrbus, vnumquodque ad id debere referri, cui proxime ineſt: cū itaque ordo, qui eſt congruens diſpoſitio partium ſciētię, primo in ſcientia, & eius partibus inſit, mox per ſcientiam referatur ad animam, tanquam habitus eius, profecto qui ordinem hunc cupit recte definire, illum per ſcientiam, & partes eius, mox ſcientiam per habitum definire tenetur: q̄ Ariſtotelem ſeruaſſe inſpicimus; ipſe enim ſcientias, & artes definiuit per habitum; Ordinem vero nequaquam. Quem ego ſequutus, & imitatus ſum: qua de re latius loquar in explicanda ordinis definitione.

Tertius error eſt, quia inquiunt inſtrumentum logicum, iunctum ſcientiis, à ſcientia nō diſtingui, quod eſſe falſum conſtat: primo, quia ea diſtinguuntur, quorū vno mutato, alterum non neceſſario mutatur: at de ordine, argumentorumque formis ita ſe habet, nō enim eorum mutationem neceſſario ſequitur mutatio ſcientiæ, nam vti valemus ordine vario, diſtinctiſque argumentādi formis, cum tamen ſcientia ex cauſis pendens ſeruetur

Inſtrumenta logica differre & ab habitu logica & à diſciplina, cum qua nectuntur.

eadem. Præterea ea, de quibus diſtincto habitu iudicium tradimus, neceſſario inter ſe diſtinguuntur: at num cõgruentem ſeruemus, vel ordinem, vel argumẽtandi formam in artibus & ſcientiis, nequaquam iudicamus habitu illius ſciẽtiæ, vel artis, ſed habitu logico, quia ea inſtrumẽta iuncta artibus, & ſcientiis, ab eis neceſſario diſtinguuntur. Hanc veritatem luce clarius patefecit Ariſt. in principio primi de partibus animalium, inquiens, *non eodem habitu indicari pertinentia ad ſcientiam aliquam, & pertinentia ad ordinem in ea ſeruandum: nam per pædiam ait iudicari, an congruens ordo ſeruetur, non per habitum proprium eius ſcientiæ.* Præterea hoc aperte conſtat ex definitione demõſtrationis: definitur ab Ariſtotele in 1. poſt. *demonſtratio, vt inſtrumentum logicum, & non definitur quod ſit habitus, ſed quod ſit ſyllogiſmus generans ſcientiam, conſtans ex primis, veris, &c.* quæ definitio ei etiam competit, dum eſt iuncta cum ſcientiis: quare iuncta cum ſcientiis differt ab eis: alioquin demonſtratio non eſſet inſtrumẽtum logicum, ſed tantum habitus, quo demonſtratio formatur: ac ita male ab Ariſt. fuiſſet in logica inſtrumentum logicum definitum; & id ipſum de ordine dicendum eſt, quatenus modo aliquo ad logicum pertinet. Præterea vniuerſe de omni ſecunda notione, in qua logicus verſatur, hoc verum eſt, quod quamuis ſit iũcta primæ, ſemper ratione à prima ſecernitur. Hinc, quamuis homo ſit animal, & hoc ſit genus, non propterea homo eſt genus, quia differt ſecunda notio à prima. Idipſum de ordine, & demonſtratione, vt ſunt notiones ſecundæ iunctæ primis, dicẽdum, & ſentiendum eſt: ſemper enim vt notio prima, & tãquam pars ſcientiæ, differt ab inſtrumento logico, quod eſt notio ſecunda iuncta cum prima. Præterea omnis animi habitus habet opus proprium, prodiens ex eo habitu, diſtinctum ab opere aliorum habituum, & quemadmodum opus habitus principalis, eſt principale, ita opus habitus organici, organicum eſſe debet: cum itaque logica ſit habitus diſtinctus à ceteris & ſit organicus, debet eſſe apta efficere opus proprium, diſtinctum ab opere aliorum habituum, quod inſtrumentum ſit: at producere ſcientias, eſt opus ſciẽtiæ, quare opus proprium habitus logici, debet eſſe aliquid diſtinctum à ſcientia, huiuſmodi autẽ eſt forma ordinis, & oſtenſionum. Et cõfirmatur, quia conceditur, quod logica ſit ars, quare debet eſſe recta ratio efficiẽdi opus proprium illius artis, nam opus reſpondet habitui, & talis eſt habitus, quale eſt opus eius, ac vice verſa: ſi autem opus proprium logici in ſcientia eſſet ſcientia, in arte ars, logica ex ſe nil certi erit, cum certum, & proprium opus non habeat, à ſcientia & arte diſtinctum. Miſſum facio fundamentum ex Auer. depromtum, in paraphraſi de gen. anim. lib. 2. cap. 2. Quod hæc eſt vna conditio

instru-

Digitized by Google

inſtrumentorum, communis inſtrumentis naturæ, & artis, vt nũquam vertatur in opus illud, quod ab eo efficitur, nec eius ſit pars. Ex quo colligo, logicam non dici inſtrumentũ, quia ſolum habitus logicæ inſtrumẽtum ſit, alia inſtrumenta non efficiens, (vt eſt ſententia quorundam) ſed quia eſt recta ratio formandi inſtrumenta: vt ars medendi in 7. metaphyſicæ dicitur ſanitas, quia eſt recta ratio efficiendi ſanitatem, & hac ratione habitus logicus inſeruit ſcientiis, & artib. Colligo inſuper, quod quemadmodum logica ſeorſim cõſiderata eſt ars, quia eſt recta ratio efficiendi inſtrumenta logica, ita iuncta ſcientiis; ſcientia non eſt, ſed opus logicum, cum ſcientia, vel arte iunctum. Patet itaque inſtantias aduerſus meam opinionem formatas, conſpicue cum vero pugnare.

PARS TERTIA.

Explicatio definitionis ordinis.

NON me latet ordinem à variis, vario modo fuiſſe definitum: ego tamen, ceterorum definitionibus ſilentio obuolutis, ordinem cum ſcientiis iunctum, ita definiendum cenſeo.

Ordo eſt congruens diſpoſitio, plurium, vel diſciplinarum, vel partium eiuſdẽ diſciplinæ, cum inter ſe, tum ad vnum primum, ex rerum natura à dirigente depromta, vt diſciplinæ pro facultate naturam rerum æmulentur, diſtinctæque legentium animis eam offerant. Vt conſtet ratio ſingularum definitionis partium, & ꝙ nulla redundet, nullaque deſit: accipiendũ primo eſt, accidentia, vt exacte definiantur, per omne genus cauſæ debere definiri, adeo vt definitio & quid, & eius cauſam patefaciat, vt patet ex prooemio de anima, & 8 metaphyſ. cum itaque ordo ſit quoddam accidens, recte à me per omne genus cauſæ eſt definitum. Addendum ſecundo eſt, dum traditur definitio ſolum explicans quid, tunc ea ita ſe habere debet, vt tota cum definito conuertãtur, non autem pars eius vlla primo aſſumta, vt patet ex 2. poſt. At dum definitio conſtat ex omni genere cauſæ, ſecus ſe habet: in ea enim & pars dans quid, & ea quæ tradit cauſam illius (ſi exacte traditur) debet cum definito conuerti, vt conſtat de iridis, eclipſis, & ſimiliũ definitionibus: nã tum priuatio luminis in luna, tum terræ inter ſolem & lunam interiectio, cum lunæ eclipſi reciprocatur: quod patet etiam ratione, vna enim definitio eſt principium demonſtrationis, altera eſt concluſio, quæ duo in demõſtratione reciprocari debent & inter ſe, & cum ſubiecto, vt aſſeritur in primo poſterior.

Definitio ordinis.

Duo praaccipiuntur.

His præaſſumtis, ad ordinis explicandam definitionem acce-

Explicatur definitio ordinis.

dens; definiendum mihi propoſui ordinem cum diſciplinis iunctum, ordo ad ordinatum refertur, & eſt aliquid eius; & nil aliud eſſe poteſt, niſi diſpoſitio partium illius, ideo pro genere nil cōgruentius; quam diſpoſitio accipi poteſt: & quia diſpoſitio eſt communis congruenti, & non congruenti, ideo vt conſtituatur genus proximius, cōtrahi debet per congruens: quod etiam recte ſeruauit Scotus, in 4. ſen. diſtin. 24. q. 1 inquiens: *ordo eſt congruens diſpoſitio, &c.* At adhuc cum definito non reciprocatur: nam quia congruens diſpoſitio eſt rerum diſpoſitarum diſpoſitio, quæ competere poteſt, & membris animalium, & his quæ ſunt in loco, & aliis multis: ideo adhuc p ſubiectum proximum, cuius eſt diſpoſitio, magis contrahi debet: & quoniam conſideratur ordo diſciplinarum late ſumptus, ſiue in vna, ſiue in pluribus diſciplinis reperiatur, vterque enim mihi vſui futurus erat, ideo per duo ſubiecta proxima, exactioris diſtinctionis gratia, diſpoſitionem contraxi, inquiens; *plurium, vel diſciplinarum, vel partium eiuſdem diſciplinæ*, & hæc nequaquam iudicari debet diuiſio ordinis in ſpecies; non enim ob id forma & ſpecies ordinis variatur, cum in vtriſque eadem ordinis forma ſeruari poſſit, ſed eſt enumeratio proximorum ſubiectorum, quibus ordinis forma eſt apta competere: quod etiam ſeruauit Galenus, dum definiens artem medendi dixit; *eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium & neutrorum*: & plura exſtant exempla. Inſuper quia congruens diſpoſitio eſt quædam ratio, & ratio omnis per ea explicatur inter quæ verſatur, ideo recte additur, cum inter ſe, tum ad vnum primum. Hactenus explicatæ ſunt cauſæ internæ, & tradita definitio explicans quid res ſit, quæ tota ita ſe habet, vt præcedentia perſequentia contrahantur, & ſimul ſumta cum definito reciprocentur, vt faciendum monuit Ariſtot. in 2. poſt. Adduntur mox cauſæ externæ, ac vt ordo earum expoſcit, Primo efficiens, mox finis: efficiens eſt ingenium hominis, congruenter partes diſponens: & quoniam artificioſum efficiens eget exemplari aliquo, per quod in finem dirigatur, & ex quo eliciat rectam operandi rationem, hoc exemplar profecto nil aliud eſſe poteſt, niſi natura rerum ordine præditarum, & iure profecto. Ars enim magna ex parte æmulatur naturam, & ſciētiæ per imitationem ſunt res, quæ cognoſcuntur, & ſecantur vt res, ex ſent. Ariſt. in 3. de anima, 38. & propterea non ſecus ac res in ordinem ſunt redigendæ. Similiter artes ſunt forma quædam rerum efficiendarum, mente comprehenſa, vt elicitur ex 7. metaphyſ. 23. Ideo in ordinis definitione, de diſpoſitione dixi, ex rerum natura a dirigente deprompta: Demum additur finis. Et quia ratio ex fine ſumpta, (vt inſtituto noſtro inſeruit) eſt duplex, quarum vna ex altera pendet: quia enim res, vt ſe habent ad eſſe, ita ad cognitio-

gnitionem, ideo inſtitutum ordinantis eſt pro facultate æmulari naturam, vt inde in nobis (quatenus licet) diſtincta cognitio conſurgat, ea diſpoſitio reſpondens naturę rerum eſt finis generationis, ſiue conſtitutionis ordinis, diſtincta vero cognitio eſt finis rei genitę; & diſciplinę ordinatę, ſiue vtilitas ordinis, ſic ordo petitur ex natura rerum & dirigitur in noſtrã cognitionem; ideo recte dictũ fuit, vt diſciplinæ pro facultate naturam rerum æmulentur, diſtincteque legẽtiũ animis eam offerant. Dictum autem fuit legentium animis, vt explicaretur id, per quod diſciplinæ ſeruãtur, relinquuntur poſteris, & in quo ab aliis ordinatæ præſertim inſpiciuntur. Quamuis enim principale ſcientiarum ſubiectum ſit anima, non tamen in ea inſpici poſſunt, nec ſine voce & literis, ordo earũ ceteris manifeſtatur: & ex eo quod dictum eſt legentium animis, colligitur ſimiliter ſe habere de animis audientium. Ex his conſtat in ea ordinis definitione ſeruari ſeruanda, nil eſſe redundans, nilque deſiderari.

Reiiciuntur errata varia, ad ordinis definitionem pertinentia.

EX recta definitionis ordinis explicatione facile eſt modo elicere, eos minus recte ſentire, qui ordinem ſecus eſſe definiendum exiſtimarent. Nam primo cum putent pro genere ordinis, non diſpoſitionem (vt ego feci) ſed habitum eſſe ſumendum, in conſpicuo verſantur errore: dum enim ordo conſideratur vt iunctus ſcientiæ, nil aliud pro eius proximo genere aſſignari recte poteſt, præter diſpoſitionem, vt patefeci, nam huiuſmodi ordo non eſt habitus; ſed diſpoſitio partium per habitum conſtituta. Et longe manifeſtius decipiũtur cum ordinem pro inſtrumento logico definientes dicant, eſſe habitum; nam logicus nullum inſtrumentum conſiderat tanquam habitum animi; id enim logici officium non eſt: & præſertim, quia modus definiendi reſpondere debet modo conſiderandi, logicus cum ſit artifex, inſtrumenta conſiderat, non tanquam habitus animi, ſed tanquam rectas rationes efficiendi aliquid, ac ita definit: ideo Ariſtoteles vt non debuit, ita nullum inſtrumentum logicum per habitum definiuit. Definitur *ſyllogiſmus non quod ſit habitus animi, ſed quod ſit ratio, in qua poſitis quibuſdam &c.* Similiter à logicis definitur *argumentatio, quod ſit ratio rei dubia fidem faciens, & definitio, quod ſit ratio, quid res eſt ſignificans.* Ordo itaque vt ad logicum pertinet, & conſideratus tanquam inſtrumentum, perperam definitur per habitum, ſed ea conſideratione recta ratio ordinandi diſciplinas, earumque partes dici debet.

Inſuper colligo perperam ſentire eos, qui cenſent particu-

QQ

lam illam (congruens) eſſe redundantem. At nititur id oſtendere, quia ſine ea particula definitio cum definito reciprocaretur.
14 Quod cum dicant, in geminum labuntur errorem: primo enim verum nõ eſt, quod ſine ea parte definitio ex internis conſtituta cum definito reciprocetur, quod tamen expoſcit ea definitio vt norunt periti logici. Nam diſpoſitio plurium, vel diſciplinarum, vel partium poteſt eſſe & congruens, & non congruens, & ſi reciprocaretur, id ei cõpeteret munere externarum cauſarum, & alterius partis definitionis, quod non eſt ſatis, vt pateſeci.

Inſuper etiam ſi abſque externis cauſis reciprocaretur, adhuc ea particula nõ eſſet redundans cum contrahat præcedentem, & genus proximius conſtituat: nam ſi ea inſtantia vim haberet,
15 etiam animatum in definitione animalis eſſet redundans, dum dicimus, quod eſt ſubſtãtia animata ſenſitiua, quia ſine ea particula reliquum reciprocaretur cum animali: at docet Ariſtoteles nullam differentiam intermediam eſſe prætereundam, ideo in 2. poſt. ait diuiſionem conducere definitioni, ne vlla differentia prætermittatur.

Præterea colligo in errorem labi eos, qui dicunt, non recte in definitione poni partẽ illam, plurium vel diſciplinarũ, vel partium eiuſdem diſciplinæ, imo aſſero abſque ea parte definitionem ordinis diſciplinarum late ſumti, diminutam eſſe, quia nõ
16 explicaretur id, quod in ordinem redigi debet: nam çũ ordo ad id referatur, quod ordinari aptum eſt niſi id explicetur, non dicitur explicari ordo: inquit enim philoſophus in capite relationis, *pro vnius relati cognitione, non ſat eſſe confuſa cognoſcere, quod referatur ad aliud, ſed etiam quid ſit illud aliud nos cognoſcere teneri:* nõ itaque in ordinis definitione fuiſſet ſatis dicere, pluriũ quæ ordinari apta ſint; ea enim fuiſſet cõfuſio, nõ explicatio. Et præſertim id à me ſeruãdum fuit, quia explicaturus eram ordinem, nedum inter partes ciuilis ſcientię, verum inſuper inter ciuilem, & inſpectricem philoſophiam, de quorum ordine viri ſapientes frequenter dubitant.

Conſpicua adhuc magis reddetur hæc veritas, perpendendo aduerſas omnes inſtantias, quæ profecto quot ſunt, tot ſunt errata: nam ſi quis dicat quod ea eſt enumeratio ſpecierum ordi-
17 nis, non ſecus ac ſi animal per hominem, & equum definiretur, profecto in hac inſtantia geminus includeretur error. Primus eſt, quod ea ſit enumeratio ſpecierum ordinis, non enim ſpecies per materiam, & ſubiectum conſtituuntur, ſed per formam, ea autem, quæ in ordinem rediguntur, materia ſunt ordinis. Hinc eadẽ forma, & ſpecies ordinis, hoc eſt, vel compoſitio, vel reſolutio, cum in eadẽ diſciplina, tum in variis ſeruati poteſt, fuiſſet

enu-

enumeratio ſpecierum ordinis,ſi reſolutio,& compoſitio in definitione fuiſſent aſſumtæ.

Alter error ad exemplum pertinet:non enim de ea enumeratione perinde ſe habet,ac de illa,dum animal ꝑ hominem, & equum definiretur; homo enim, & equus re vera ſunt ſpecies, & 18
formæ diſtinctæ,reſpicientes vnum cõmune genus, quaſi communem materiam,at de his cõtra ſe habet,partes enim & diſciplinæ variæ,non variæ formæ ſunt,ſed variæ materiæ,q̄ hoc habent cõmune vt ſint capaces ordinis, tanquam formæ:exemplũ eſſet ſimile,vt diceremus de illa enumeratione perinde ſe habere,ac de ea facta à Galeno aſſerente; *medicinam eſſe ſcientiam ſanorum,ægrorum,& neutrorum*:veluti ea quoque nõ eſt ſpecierum enumeratio,dum Ariſt.in 2.de anima 68.inquit; *perſpicuam eſſe naturam eandem in aere,aqua, & cœleſti corpore:* quibus ſimilis eſt definitio ordinis à me tradita.

At inſtare adhuc poſſet aliquis dicendo, ordinem artificioſum,ex logica prodeuntem, in eadẽ diſciplina, non in variis debere cõſiderari,& præſertim,quia in diſciplinis variis non æmulamur naturam,ſed ordimur a nobis notioribus,vt à mathematicis tẽdimus ad phyſica, & inde ad metaphyſica, ac ita pugnantia forte videbor dicere, cum in ordine aſſeram, nos imitari naturam,& res diſtinctè legentium animis offerri;nõ enim per diſciplinas varias eo ordine res animis offeruntur, quo ꝑ naturam ſunt diſpoſitæ: his accedit, ꝙ inter varias artes omnino diſtinctas,nullus ordo ſtatui poteſt. Præterea ordo variarum diſciplinarum,nec ad reſolutionis,nec ad cõpoſitionis ordinem poteſt ſemper redigi,vt cõſtat dum à mathematicis ad phyſica progredimur.Demum mihi aduerſari videor,quia c.28.introductionis ad ciuilem ſciẽtiam fateor,ordinem inter varias diſciplinas,nec compoſitionem, nec reſolutionẽ ſeruare, quare cum definiatur ordo his ſolis duabus ordinis ſpeciebus communis,& huiuſmodi ordo non congruat diſciplinis variis, perperam de illis in definitione fit mentio.

His ſimilia ea ſunt,quæ mihi poſſent obiici,quæ cum ad gradum dialecticarum rationum nõ eleuentur, infra eas conſtituta tanquam ſophiſtica,cum plurimis erroribus ſunt permixta.

Primo non rectè dicitur ordinem artificioſum,ex logica pendentem, inter partes tantum vnius ſcientiæ verſari, non autem inter ſcientias varias, nam inſtrumenta logica ſunt communia cunctis, ideo recta ordinandi ratio ad logicam pertinens, cunctis natis ꝑ illam ordinari debet eſſe communis, at nedum par- 19
tes eiuſdem,ſed etiam diſciplinæ variæ, aptæ ſunt ordinari,ideo definitio illis quoque debet eſſe communis. Quod autem aptæ ſint ordinari,oſtẽditur ratione,& auctoritate:ratio eſt, quia vbi

finis poſtremus eſt vnus, & fines proximi inter ſe ordinem ſeruant; diſciplinæ quoque relatæ ad illum, vel ad eos fines, neceſſario ſunt aptæ ordinari, diſciplinæ enim perinde inuicem ſe habent, ac earum fines: at finis poſtremus eſt vnus, nempe ſummum bonum, & fines proximi variarum diſciplinarum inter ſe frequenter ordinem ſeruant: ideo ratione finis, ſaltem magna ex parte, ſunt aptæ ordinari. Præterea ſunt participes ordinis munere principiorum, ex quibus pendent, ſubordinata n. ſunt variarum diſciplinarum principia, vt conſtat ex 1. poſt. *de diſciplinis ſuperioribus, & collocatis ſub eis.* Demum aptæ ſunt ordinari munere rerum de quibus agitur, & modorum conſiderandi, quæ ambo frequenter ſui natura prædita ſunt ordine, quod patet conſenſione virorum ſapientum, & principalium interpretum Ariſtot. qui frequenter de ordine variarum diſciplinarum, vel agunt, vel ambigunt, vel mentionem faciunt, vt de ordine partium philoſophiæ, de ordine variarum ſcientiarum, mathematicarum, & ſimilium. Ita Ariſt. metaphyſ. comparatam cum phyſica per ordinē inſcripſit, & varia conſideratione, eam modo primam philoſophiam, modo poſt phyſicam nuncupauit: cum itaque diſciplinæ variæ ſint aptæ ordinari, & id nō eis competat ex euentu, eſt neceſſe vt detur communis quædam & recta ordinādi ratio, quę vel inſtrumentum logicum ſit, vel lex metaphyſica ex rerum natura depromta.

Similiter cum vero pugnat id, quod additur, ordinem inter varias ſcientias non pendere, & peti ex natura rerum. Dum enim abſolute loquimur, id quod eſt per ſe conſiderare tenemur, vt monemur in 1. phyſic. 74. At ordo, abſolutaque ordinandi ratio, quæ in ſcientiis firma, & conſtans eſt, ſemper & per ſe ex natura rerum depromitur, ſi autem nonnunquam variatur, id oritur ex impotentia, & imbecillitate noſtra, in definitionibus autem id ſolum eſt accipiendum, quod abſolute, & per ſe, tale eſt; ſic metaphyſica abſolute eſt prima philoſophia, & phyſica dicitur ſequi eam, ratione ordinis rerum, de quibus agitur: pari ratione Ariſt. in ſexto metaphyſicæ, context. 3. inſpiciens abſolutam ordinis rationem, ex rerum natura prodeuntem, dixit; *ſi non darentur ſubſtantiæ à materia ſeiuncta, phyſica eſſet prima philoſophia, & profecto non alia ratione, niſi quia tunc res phyſicæ primæ eſſent*: quare Ariſtot. ordinem quoque variarum ſcientiarum ex rerum natura eſſe petendum lucidiſſime patefacit: & præſertim hoc eſt neceſſarium, quia niſi ſeruetur vnus ordo naturæ, nempe compoſitionis, ſeruatur alter, qui inſtituti, & reſolutionis eſt, & ſi nullus adeſt naturæ ordo, nullus quoque ordo diſciplinæ adeſſe poteſt, quod indicat ordinem neceſſario pendere ex natura rerum.

At di-

Digitized by Google

At dicet forte aliquis, dum progredimur à phyſicis, natura poſterioribus, ad metaphyſica, id non eſſe ex euentu: quia id quod eſt ex euentu eſt raro; at non raro; ſed ſemper à phyſicis ad metaphyſica progredimur.

Profectò qui ita argumentaretur, indicaret ſe minus rectè accipere conditionem eius, quod eſt ex euentu: nam primo non omne ex euentu eſt raro, *vt de priuatione* ait Auer. in 1. phyſ. *quæ eſt principium ex euentu. & neceſſarium:* ſimiliter ſpecies dicitur accidere generi, & vna affectio alteri, vt patet ex Auer. 1 poſt. 43. & 44 nec propterea id eſt raro: præterea dum dicimus quod eſt ex euentu eſſe raro, id non ſemper debet referri ad illud particulare, cui competit, ſed frequenter ad genus, cui dicitur accidere; veluti ſi dicimus animali accidere eſſe captum oculis, id non ad talpam, ſed ad genus animalis debet referri: & dum dicimus accidere homini eſſe Geometram, non ad Euclidem, ſed ad ſpeciem hominum proprie, & præſertim referri debet. Quare ſimiliter, dum aſſerimus accidere aliquando vt naturæ ordinem deſeramus, id accidere, vt cõſtet eſſe raro, ad genus ordinatarum diſciplinarum eſt referendum, ac ita inueniemus re vera eſſe raro; nam magna ex parte à natura primis ordimur: imo ſi non ordimur à primis origine, ordimur à primis ſecundum inſtitutum naturæ, & niſi adſit ordo naturæ rerum, nullus adeſt ordo diſciplinæ: ſic naturam ſequentes, à phyſicis deſcendimus ad medica, à puris mathematicis ad medias, ac arithmeticam dicimus priorem geometria, non alia ratione, niſi quia eſt de prioribus origine, & ſimplicioribus. 21

Præterea non rectè dicitur, definitionem ordinis à me traditam pugnãtia includere, quatenus ex vna parte dico, nos æmulari naturam, & ex altera addo, vt res animo legentium diſtinctè offerantur: hæc enim non pugnant, ſed mutuo ſe perficiunt, ac ſeruant, & dicentes oppoſitum, re vera pugnantia proferunt; quid enim aliud eſt diſtincta oblatio, quam cõſenſio cum natura rei, eiuſque congruens expreſſio & æmulatio? Per ordinem enim lucide patefacimus, quid abſolute primum, quid medium, quidve poſtremum ſit; Sic in animo ſapientis, qui 10 metaphyſ. cont. 5. dicitur rerũ menſura, diſtinctè fulget ſcientiarum ſeries, conſpicueque earum ordo refulget, naturæ rerum congruens. Ex quo lucide conſtat, quæ ſcientia ſui natura ſit prima, q illam ſequantur, & quomodo ab ea principia recipiant; res enim vt ſe habent ad eſſe, ita ad diſtinctam cognitionem: quare aduerſa ſententia aperte ſecum pugnat, diſtincta nempe oblatio, & receſſus à natura rerum. 22

At contradicendi ſtudio ductus in alium errorem aliquis labi poſſet, aſſerendo non rectè in definitione dici plurium, vel diſci-

23 plinarum, vel partium, quia inueniuntur artes adeo ſciunctæ, vt nulla ordinis connexione iungi poſſint. In qua inſtantia duo refulgent errata, vnum in conſecutione, alterum in aſſumto: vt ad conſecutionem pertinet, fallax eſt hæc conſecutio, dantur artes ordinis expertes; igitur ordo non eſt congruens diſpoſitio plurium diſciplinarum: dum n. dicitur plurium diſciplinarum, denotantur diſciplinæ aptæ ordinari; ordo n. ad id refertur ꝙ ordinari aptum eſt; huiuſmodi autem ſunt diſciplinæ plurimæ, & illæ præſertim, quæ principaliores ſunt: propterea ego cap. 15. introductionis dixi, inter eas diſciplinas ordinem maxime refulgere, quæ communi aliquo fine iunctæ ſint.

Aliud erratum in aſſumto includitur, quia nulla reperitur diſciplina alicuius cõſiderationis, quæ relata ad alias, non ſit modo aliquo particeps ordinis: cum enim philoſophię partes (con-
24 ſenſione ſapientum) ſint ordine iunctæ, & ex philoſophia mox (congruente quadam menſura, & gradu) prodeant artes, etiam in eis, vt ex principiis prodeunt, vel in finem aliquem tendunt, accommodatus ordo naturæ cõgruens neceſſario reperitur: ita omnes animi habitus aliqua ex parte iuncti, & colligati ſunt, niſi proxime, ſaltem è longinquo, & munere principiorum, ex quibus pendent, vel finium, in quos tendunt.

Præterea, quoniam aſſero, ordinẽ non eſſe genus vniuocum, æque omnibus aptum competere, ſed eſſe genus ab vno, quod analogum appellant inſtare aliquis poſſet, aſſerendo, cum ordinis natura in fine potiſſimum ſit conſtituta, & in definitione communis ordinis vnicus aſſignetur finis, profecto omnis ordo vnius generis vniuoci eſſe debet, non autem tantum communis ab vno.

In qua inſtantia duplex inſertus eſt error, vnus in concluſione, alter in oſtenſione, nã concluſio falſa ex principiis falſis col-
25 ligitur. Vt pertinet ad concluſionem, minime verum eſt, ordinem eſſe genus vniuocum: cum enim *ordo aliquando ſit cum neceſſitate iunctus, aliquando minime*, vt ait Auerroes in procemio primi Meteororum, *nequaquam omnino iudicari poteſt eiuſdem naturæ, & conditionis*. Præterea cum natura primum nõ ſit aliquid vniuocum, ſed ab vno: non enim æquę, primo dicitur de primo origine, & primo dignitate, ac inſtituto: ideo, cũ ex primo pendeat ordo, & conſtituatur per relationem ad illud, vt ordo quoque ſit ab vno neceſſe eſt. Demum, cum inter reſolutionem, & compoſitionem verſetur ordo; primo enim (vt ad opera pertinet) res componuntur, mox reſoluuntur, & ea quæ ſunt prædita priore, & poſteriore, non habeant commune vniuocum, cogimur fateri ordinem de compoſitione & reſolutione dictum, non eſſe commune vniuocum.

Cum

Cum itaque concluſio vera non ſit, vt etiam principia, ex quibus colligitur, cum vero pugnent neceſſe eſt: nam dicebatur, finis cuiuslibet ordinis eſt vnus; igitur ordo eſt genus vnum vniuocum. Hæc ratio inanis eſt: nam ſani vnus eſt finis, cum tamen ſanum dicatur ab vno: vniuerſi entis vnus eſt finis, nempe Deus, & ens eſt ab vno: ſimiliter demõſtrationis, definitionis, naturæ, & multorum aliorum frequenter vnus eſt finis: quæ tamen (omnium conſenſione) ab vno ſunt: & iure profecto; nam quamuis ordinis vnus ſit finis, ille tamen, vel eſt vnus quadam vnitate ab vno, vel non eſt aptus, ob rerum ordinandarum varietatem, æque in omnibus, vel diſciplinis, vel partibus ab ordinante attingi, vel attingitur modis variis, inter ſe ordine præditis. 26

Præterea minus recte dicitur, ordinem variarum diſciplinarum, ad ordinem compoſitionis, vel reſolutionis redigi nõ poſſe: proculdubio enim ad alterum eorum redigitur, & niſi redigatur, non debent diſciplinæ illæ, quibus neuter competit, dici ordine præditæ. Quod oſtendo, quia nil eſt in genere, quod non ſit in aliqua ſpecie: diſciplinæ variæ magna ex parte ſunt aptæ ordinari; (vt antea patefeci) quare eis competit aliqua ſpecies ordinis: ſpecies ordinis ſunt ſola compoſitio, & reſolutio: quare ordo diſtinctarum diſciplinarum, vel eſt cum compoſitione, vel cum reſolutione. Inſtantiæ ſumtæ ex mathematicis, & phyſicis, per ſæpe dicta, ſunt ſolutæ: dũ enim abſolute loquimur, & præſertim de ordine variarum diſciplinarum, conſiderare tenemur abſolutum earum ordinem, qui naturæ rerum, de quibus agitur, reſpondet, & diſtincto cognoſcendi modo eſt accommodatus: qua conſideratione *metaphyſica eſt abſolute prima philoſophia; phyſica vero ſecunda, & hæ ſunt duæ veræ partes inſpectricis philoſophiæ*, vt conſiderauit Alexander in prooemio lib. Priorum; *& maxime ſunt iuncta ordine*, qui ordo ad compoſitionem pertinet, quatenus metaphyſica ſunt ſimpliciora, communiora, & priora origine phyſicis: Quod ſi etiam vice verſa progreſſum à phyſicis ad metaphyſica conſiderabimus, ordinem inueniemus reſolutionis. Non quia phyſica ſint abſolute finis metaphyſicorum, ſed quia ſunt magis compoſita, & reſolubilia in prædicata communia, & metaphyſica, ac ita aliquo modo ſunt finis. De mathematica loquendo, recte inter arithmeticam, & geometriam, nec non inter has, & illas, quæ ſub eis collocantur, quæ magis ſunt natura, & ordine iunctæ, ſeruatur & inſpicitur ordo compoſitionis: adeo vt ſolo hoc conſpicue euertatur eorum ſententia, qui inficiantur, inter varias ſcientias, nec compoſitionis, nec reſolutionis ordinem reſeruari poſſe. Dum vero mathematica cum ceteris philoſophiæ partibus comparatur, non ob facilitatem ſolam ſibi ven- 27

dicat ordinem; nō enim quia ars fabrilis eſt facilior arte ſtatuaria, ideo eſt ordine prior: facilitas enim, cum nullam pariat ſpeciem ordinis, ordinem cōſtituere non eſt apta, ſed rei natura ea eſt, quæ ordinis exemplar, menſura, & parens ſtatui debet: in quam conuerſi dicimus mathematicam eſſe, & mediam, & poſtremam, mediam abſtractione, poſtremam abſolute, cum ſit de accidentibus natura poſterioribus ſubſtantia; ſic poſtrema ob conditionem rei, in qua verſatur, ab Ariſtotele ſtatuitur, dum ſub initio ſexti metaphyſicæ, *metaphyſicam primam; phyſicam vero ſecundam Philoſophiam appellat*, qui ordines ad reſolutionem, vel compoſitionem pertinent: dum enim à phyſicis per mathematica ad metaphyſica abſtrahēdo eleuamur, progredimur reſoluendo; è contrario vero progrediendo componimus: ſimiliter etiam dum mathematicas ſcientias cōſideramus, vt verſantur in accidente; ceteras vero partes philoſophiæ vt conſiderāt ſubſtantiam, inter quæ eſt ordo originis, & dignitatis, vel vt mathematicæ conſiderant ſolum quantum: phyſicæ vero quantum iunctum cum ſubſtantia, ſeruari modo aliquo poteſt forma cōpoſitionis, & reſolutionis, naturæ rerum reſpondens, & dum nec compoſitio, nec reſolutio ſeruatur, non ſeruatur ordo, quia non ſeruatur genus, niſi ſeruetur ſpecies aliqua eius.

28 Elicio demum non recte eos ſentire, qui aiunt, me pugnantia dicere, cum ex vna parte aſſeram, inter varias diſciplinas ordinem reperiri, & ex aduerſo in 28. cap. dicam, inter diſciplinas varias, nec compoſitionis, nec reſolutionis ordinem ſeruari: nam aperte eo loci oppoſitū affirmo; aſſero enim, & patefacio, omnem earum ordinem vel reſolutionis, vel compoſitionis eſſe, vt cunctis legere licet: ſolum addo, quod veriſſimum eſt, non adeo exacte eos ordines, in diſtinctis ſcientiis reperiri, vt in partibus eiuſdem ſcientiæ.

At vere alii ſecum pugnant, cum dicant, ordinem inter ſcientias varias, non eſſe artificioſum, neque communi definitione
29 explicandum, & mox aſſerant, ordinem peti ex faciliore noſtro modo cognoſcendi, qui inter varias diſciplinas eorum conſenſione ſeruatur: nam quibus competit communis ratio ordinis, vt etiam ordo competat, neceſſe eſt: ſcientiis variis (vt patuit) competit communis ratio ordinis, quare & ordo: & cum detur hic communis ordo, quicunque eo neglecto de ſola parte loquuntur aberrant, diminuteque definiunt, & præſertim quia (vt docet philoſophus in ſexto topicorum) *ignorato communi, eſt neceſſe ignorare contenta ſub eo.*

PARS

PARS QVARTA.

An conditio ordinis ſit, vt cuncta referantur ad vnum.

QVoniam ordo eſt congruens earum rerum diſpoſitio, quæ ordini ſubiiciuntur; ea autem diſpoſitio, eſt mutua ratio, ac relatio quædam, vt inquit Ariſtot. in 8. phyſic.16. *propterea inter quæ ſit ratio, & relatio conſiderandum occurrit.* Exiſtimarunt nonnulli, nequaquam requiri, pro ordinis conſtitutione, vt cuncta referantur ad vnum primum: alii recte iudicantes cuncta ad vnum primum referri, aſſeruerunt, non requiri vt referantur ad ſe inuicem: ego autem in ordinis explicatione, vtrumque eſſe à vero alienum patefeci, propterea ordinem definiens, vt eius conditio refulgeret, exploderenturque errores, dixi, ordinem eſſe congruentem, plurium, vel diſciplinarum, vel partium, diſpoſitionem, tum inter ſe, tum ad vnum primum; idque variis rationibus, & auctoritatibus confirmaui, quas modo ſilentio præteriens, ſolum pro veritatis defenſione, errata varia patefaciam, in quæ illi labuntur, qui ſecus ſentiunt.

Nam primo à vero longe recedunt, cum inquiunt, partem illam definitionis (cum inter ſe, tum ad vnum primum) redundantem eſſe, quia ſatis fuiſſet dixiſſe, quod ſit congruens diſpoſitio; ea enim non poteſt eſſe niſi ordinatorum inter ſe. At cum hoc dicant, in duplicem labuntur errorem: primus eſt, quia ſi ſolum diceretur ordinem eſſe congruentem diſpoſitionem, cum ea congruens diſpoſitio ſit mutua quædam ratio, niſi modus, & ea inter quæ verſatur, explicarentur, illa eſſet confuſio, non definitio, explicaretur ratio, & relatio ſine eorum explicatione, inter quæ verſantur, nec illæ duæ falſæ ſententiæ exploderentur, quas nuper explodendas dixi.

Alter error eſt, quia conſpicue indicant, minus recte ſe ordinem definire, nedum quia minus recte pro genere habitum accipiunt, verum inſuper, quia ordinem, qui ratio eſt, definientes, inter quæ ea ratio verſetur, non explicant, prætereuntes id quod maxime pro ordinis conſtitutione Ariſtot. neceſſarium iudicauit, nempe *vt cuncta referantur ad vnum*; ideo ordinem, & ordinata in 5. metaphyſ. cont. 16. definiens dixit: *priora ordine, & ordinata ea eſſe, quæcunq; ab aliquo vno determinato, ſeruata ratione diſtant.* Quo loci inquit Auer. *ordinem non fieri, niſi cum relatione ad aliquid primum, poſitum, aut intellectum*; quod etiam aſſeruit in 1. phyſic. 41. Et eandem veritatem confirmauit Ariſtot. 12. metaphyſ. cont. 37. aſſerens *in intelligentiis debere dari vnam primam, quæ menſura ſit*, ſimiliter in cont. 52. id ipſum approbauit; *nam hoc de omni ordine abſolute verum eſt, ut ordinata ad vnum primum referantur, & iure profecto*; nam ordinata ordine aliquo

quatenus eo ordine ordinata ſunt, dicuntur eſſe vnius generis in omni autem genere ad vnum primum eſt neceſſe deuenire, vt conſtat ex ſecundo metaphyſicæ.

Quid ſit primum in ordine, quod menſura dicitur.

VT lucidius pateat, quomodo in ordine cuncta ad vnum primum referantur, breuibus quodnam id primum iudicari debeat, eſt explicandum, & quamuis cap. 16. introductionis, hac de re verba fecerim, pro oportunitate tamen, nonnulla repetam, aliaque ſuperaddam. Commune profecto eſt omni diſciplinarum ordini, vt ea, quæ ordinantur, per finem aliquem in congruentem diſpoſitionem redigantur. Eſt enim finis regula quædam ordinatorum in illum, dum tamen conſideratur compoſitionis ordo, vt contradiſtinctus ab eo reſolutionis, & quæritur primum vniuſcuiuſque ordinis, profecto per primum, nil aliud intelligere debemus, niſi id, á quo exordium diſciplinæ ſumitur, primoque declaratur, à quo mox cæteræ partes, per gradus recedunt, ſimile primum in omni ordine, vel locorum, vel temporum, vel dignitatis, vel cuiuslibet alterius rei, neceſſario reperitur. Quod primum in ordine compoſitionis, eſt internum, ac ſimplicius principium, vel communiſſimum aliquod genus cæterorum; in reſolutione vero, eſt finis. Hoc primum denotauit Ariſt. in 5. metaphyſ. 16. inquiens, *ordinata ea eſſe, quæcunque ab aliquo, vno determinato, ſeruata ratione, diſtant.* & quod per primum id ſolum quod dixi, & nil aliud intelligere debeamus, patet, nedum ſapientum de ordine loquentium conſenſione, verum inſuper conſiderando cæteros omnes ordines; nam ordinata loco, referuntur ad vnum primum in loco poſitum, ordinata vel tempore, vel dignitate, ad vnum primum quod caput, & principium ſit eius ordinis. Quare ſimiliter ordo partium diſciplinæ ad illud primum refertur, à quo in diſciplina ordimur, & primo nobis explicandum proponimus: hoc autem eſt illud primum, quod dicitur eſſe menſura illius ordinis; nam *eſt illud à quo* (vt dixit Ariſtot.) *cætera, ſeruata congruente ratione recedunt.*

Quid ſit primum in ordine.

De Mensura.

Pro cuius notitia conſiderandum quod (vt inſtituto meo inſeruit) menſura dupliciter vſurpatur, vel pro minimo alicuius generis, quod iteratis vicibus, aliud menſurat, vt vnitas eſt menſura numeri, hora temporis, vncia ponderis, ac ita de cæteris: quæ menſura ad rem non facit. Secundo vſurpatur menſura, pro primo aliquo, quod inſpicientes, & à quo ordientes, menſuramus alia, per diſtantiam ab eo; nam menſura id dicitur, quo alia cognoſcimus 10. metaph. cont. 3. de huiuſmodi menſura loquun-

Duplex menſura.

quuntur calculatores, & alii, dum ambigunt, an intenſio, & remiſſio menſurentur per diſtantiam à gradu ſummo; vel à non gradu: hac menſura Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ, *menſurat ſecundas ſubſtantias per primas, conſiderando receſſum ab eis*, & in 12. metaph. 37. indicat *intelligentiam primam, eſſe menſuram cæterarum, quæ ſub ea poſitæ, ſunt præditæ ordine*: eademque conſideratione *centrum dicitur menſura circuli, & albedo colorum*, vt ait Auer. 10. metaphyſ. cont. 7. hæc eſt ea menſura ordinis, quæ in definitione ponitur, & ad rem facit. Cum itaque *ordo ratione propria includat prius, & poſterius* (vt dixit Auer. 1. phyſic. 41.) & in eo priore, & poſteriore, non detur progreſſus in infinitum, alioquin nec ordo, nec ratio ſeruaretur, vt dicitur ab Ariſt. in 8. phyſ. *16.* ideo neceſſe eſt ad vnum primum deuenire, quod primum in diſciplinarum ordine illud eſt, quod primo declaratur, de quo primo Ariſt. 5. metaph. cont. 16. dicebat, *priora poſterioraue quædam ex eo dicuntur, quia quippiam primum in quouis genere eſt, atque principium*; id enim eſt, quod eſt propinquius cuidam primo: & res adeo eſt conſpicua, vt ſuperuacaneum ſit in ea diutius immorari: Et cum menſura vſurpetur dupliciter, quouis modo vſurpetur, ſemper conditio eius eſt, vt ſit vnum aliquid: & præſertim hæc eſt conditio menſuræ in hac ſecunda ſignificatione, quia niſi primum eſſet aliquid vnum, receſſus, & diſtantia ab eo, non eſſet certa, & definita, ſed ob primorum varietatem, varia, incertaque eſſet. Oportet itaque vt primum in ea vel ſit abſolute vnum, vel ſi fuerint plura, ea ſint prædita conditione aliqua vna, conſtituente gradum vnum: vt accidit de grammatica, in qua literæ, dum vt vnius primæ, & ſimplicis conditionis conſiderantur, gradum vnum primum conſtituunt, adeo vt forma vnum, materia, & numero plura dici poſſint. Quod ſint vnum, eſt per ſe, & de ratione menſuræ, & primi in ordine: quod nonnunquam ſint materia, vel numero plura, eſt ex euentu, & ſeorſum á conditione primi. Similiter in ſcientia de natura, in qua philoſophus ſeruat ordinem compoſitionis, primum eius ordinis, eſt principium internum, ſimplex, á quo orditur: & quamuis ea interna principia ſtatuantur tria; tamen ob id, quod eſt commune ſingulis tribus, vnum primum conſtituunt, vnaque definitio eis competit; & ſecundum id commune, primo conſiderantur, gradumque vnum primum conſtituunt: quæ ſi deinde conſiderantur vt diſtincta, tunc ea quoque inter ſe prædita erunt ordine, & vnum erit prius, alterum poſterius, vt docet philoſophus ſub initio ſecundi de partibus animalium: & conſueuit philoſophus in ordine compoſitionis, primo de materia loqui, cum ſit origine prior, & ad formam tanquam ad finem dirigatur.

Exploduntnr errata varia.

CVm ſatis conſpicue elucidata ſit veritas, facile modo eſt errata varia ſecus ſentientium inſpicere. Primum errare aliquis poſſet, aſſerendo quod ego in introductione loquens de ordine, & mentionem faciens de eo quod eſt ordine primum, quod etiam menſura dicitur, nec quid primum illud ſit, nec
32 quid menſura, pateſeci. At conſpicue decipiuntur; late enim (vt inſtituto meo inſeruiebat) quid illud primum ſit c.16. declaraui: de menſura tractatum non feci, quia ſuperuacaneum fuiſſet, præſertim cum ſit ſententia communis, ab animis recte affectis approbata, primum in ordine eſſe menſuram cæterorum, quatenus per receſſum ab eo cætera menſurantur; at re vera illi ſunt damnandi, qui de ordine loquentes, hoc primum, quod eſt caput, & menſura ordinis, nedum non explicant, ſed euertunt, & neceſſarium non cenſent.

Inſuper manifeſtius decipiuntur, cum euertendo veriorem ſententiam inquiunt, id vnum in ſcientiis, quod ſit menſura cæterorum, eſſe ſubiectum; de cuius tantum ratione putant, id eſſe, vt vnum ſit: quod per ea, quæ dicta ſunt, conſtat à vero eſſe a-
33 lieniſſimum. Nam in ordine docendi (vt patuit) id ſolum debet cenſeri primum, & menſura ordinis, à quo ordimur, de quo dicebat philoſophus in primo phyſic. 57 *primo declaranda eſſe communia*, & in ſecundo poſter. capit. 14. aſſerebat, *ordinare vt oportet erit, ſi primum accipiatur, quo aſſumto, id ipſum ſeruandum de reliquis*; Adeo vt luce clarius ſit, *per primum in ordine*, quod eſſe vnum aſſerebat Ariſtotel. in 5. metaphyſicæ, *non ſubiectum ſcientia intelligi poſſe, ſed id ſolum, quod primo declaratur.* Et præſertim, quia ſubiectum, ob varias partes, & principia eius, in ſcientia eſt quoddam totum, quod in ordinem redigi debet; non autem eſt id primum in ordine, de quo eſt ſermo: quod lucide conſtat, perpendendo ordinem variarum ſcientiarum, quo dicimus *metaphyſicam eſſe primam*; *phyſicam vero ſecundam*; *ſimiliter primam dicimus arithmeticam, ſecundam geometriam*; *nam hæ ſunt prædita ordine*, vt Ariſtotel. vna cum Platone affirmat: ideo per definitionem ordinis ab Ariſtotele traditam, debent habere vnum primum: hoc autem non poteſt ſtatui ſubiectum, cum earum ſubiectum non ſit vnum, ſed duo, eaque inter ſe ordine iuncta.

Præterea decipiuntur, dum inquiunt, in conſtituendo ordine, finem artium reſpondere ſubiecto ſcientiarum: nam vere finis artium, dum eas ordine reſolutionis tradimus, eſt id primum, à quo ordimur, quodq; primo declaramus, ac inde ad alia progre-
34 dimur. De ſubiecto ſcientiarum longe ſecus ſe habet; non enim id primo declaratur, ſed in vniuerſa ſcientia, & in eo, ac eius partibus

tibus explicandis ordo conſideratur: rectius loquerentur, ſi dicerent, vt ad ordinem pertinet, finem in ordine reſolutionis reſpondere principio originis in ordine compoſitionis.

Inſuper errant, cum dicunt conditionem ordinis non eſſe, vt
primum ſit vnum, obiiciendo principia grammaticæ, & phyſi- 35
cæ, quæ clara ſunt; at iam apparuit falſam eſſe concluſionem, &
inſtantias nullius eſſe roboris; quia quatenus primum gradum
conſtituunt, vnius ſunt conditionis, & rediguntur in vnum.

At ſumta occaſione ex hoc exemplo, in grauius labuntur erratum; inquiunt enim philoſophum in primo phyſicorum, non á materia fuiſſe orſum, ſed à forma, & contrarietate: quod profecto longe à vero abeſt. Mos enim Ariſt. fuit in ordine compoſitionis á materia ordiri, ideo in 2. phyſ. referens genera cauſſarum, ſemper primo materiam refert: nec recte aſſeritur, quod in
1. phyſ. primo forma declaretur; re vera enim primo declaratur
materia. quod luce clarius patet ex calce libri: cum enim cumu- 36
late philoſophus de materia, eique iuncta priuatione verba feciſſet, quia ſupererat declaranda forma, ideo inquit; *de principio autem in genere forma, an vnum, vel plura, & quot, aut quæ ſint, cum diligentia prima philoſophia opus eſt determinare; de formis autem phyſicis, & mortalibus, in poſterius dicendis ſermo erit, &c.*

Aperte philoſophus his verbis affirmat, ſe de materia in eo primo libro egiſſe, non de forma: & recte hoc Simplicius, & potiores interpretes explicant. Quod ſi Ariſt. videtur in cont. 41. à forma, & contrarietate ordiri, accurate ſingula conſiderantibus veritas facile elucebit: orditur philoſophus in 1. phyſ. ab internis principiis generationis, confuſe ſumtis, quatenus per communem eorum conditionem gradum vnum ordinis primum conſtituunt: mox ad ſingulorum principiorum explicationem deſcenſurus, vt patefaciat materiæ neceſſitatem, á contrarietate approbata ab omnibus orditur, adeo vt progreſſus à contrarietate principiorum notiore ad materiam, non ordo, ſed via cēſeri debeat; vtitur enim contrarietate, tanquam medio notiore, pro inferenda neceſſitate materiæ: at declaratis communib. & conſtituto numero principiorum, deſcenſurus ad diſtinctiorem ſingulorum explicationem, à materia orditur, quam primo declarat, & definit, eaq; declarata ad formæ declarationem nos dirigit, vt per verba relata cōſpicuum eſt: quod etiam patet ex epilogo, quo philoſophus vtitur in cōt. 70. in quo colligit ſe declaraſſe ea, quæ ſunt cōmunia principiis, quomodo inuicem principia ſe habeant, & quid ſit ſubiectum; adeo quod colligit, ſe declaraſſe quid ſit materia; non autem quid ſit forma. Propterea, qui dicunt non primo declarari materiam, conſpicuis verbis philoſophi aduerſantur, ordinem in 1. phyſ. ab Ariſt. ſeruatum

euertunt, & cum ratione pugnant: nam in compoſitione tenemur ordiri à priore origine;huiuſmodi autem eſt materia, dum comparatur cum forma.

Inſuper adhuc clarius,á vero recedunt,cum dicant, inter materiam & formam, nullum eſſe neceſſarium ordinem; quia nec materia eſt cauſſa formæ, nec forma materiæ, ſed ambo eſſe cauſſas compoſiti: nam in hac ſententia duo refulgent errores.
37 Primus *in concluſione* eſt poſitus: non enim recte diceetur inter materiam, & formam non eſſe ordinem, *cum materia neceſſario ſit prior origine; forma vero appetitione, & perfectione*, vt declarat Ariſtotel. in 2. de partibus animalium cap. 1. & in calce ſecundi phyſic. & hæc ſunt duo illa prima capita, quæ conſtituunt duo genera ordinum.

Alter error eſt poſitus *in ratione:* nam Ariſt. & cum eo omnes interpretes, aſſerunt formam, & materiam, eſſe ſibi inuicem
38 cauſſas; formam in genere formæ, & finis; materiam in genere materiæ, vt explicauit Auer. in 1. phyſ. 70. necnon in 2. cont.30. & Ariſtot. in eodem 2.phyſ.cont.23.& 81. formam ſtatuit finem materiæ, & latius cont. 90. & 91. formam dicit finem materiæ, materiam vero ait non eſſe cauſſam,vt finem,ſed in genere materiæ: non recte itaque ſentiunt, qui aiunt, nec materiam formæ, nec formam materiæ eſſe cauſſam.

Cum in ordine reſolutionis id à quo ordimur aperte ſit vnum, nempe finis, aiunt nonnulli, quod ſi in ordine diſciplinarum primum fuerit vnum, eſt ex accidente, non quod ſemper, & ne-
39 ceſſario vnum ſit: At oppoſitum profecto verum eſt, nempe primum per ſe eſſe vnum,plura vero ſolum ex accidente:nam quod eſt de ratione alicuius,eſt per ſe; primum eſſe vnum,eſt de ratione ordinis,& Ariſt.id accipit in eius definitione,vt patuit; quare hoc eſt per ſe, oppoſitum vero ſolum ex euentu; nam ſi fuerint plura, eatenus dicuntur ordine primum, quatenus includunt conditionem vnam communem ſingulis. His accedit,quod qui id dicunt, aperte ſecum pugnant, cum etiam aſſerant finem artium in conſtituendo ordine, reſpondere ſubiecto ſcientiarum; nam conditio ſubiecti eſt, vt ſit vnum: non itaque eſt ex accidente, vt in ordine reſolutionis primum ſit vnum.

At obiiciet forte aliquis, quia in ordine reſolutionis, nedum vnum, ſed etiam multa in ſuas partes, & principia reſoluere va-
40 lemus, vt reſoluendo poſtremas ſpecies in genera, & principia proxima & remota.Verum qui hoc aſſereret,duplici ratione erraret: primo, quia in recte formato reſolutionis ordine non à multis complexis ordimur,ſed á fine vno;dum enim à ſpeciebus variis ad genus eleuamur, id colligendo, quod cunctis eſt commune,progreſſus ille non ad ordinem,ſed ad viam pertinet,qua docet

docet philoſophus in 2. poſt. definitiones colligere. Ideo ego loquens de ordine, progreſſum hunc à ſpeciebus ad commune genus, ad viam redigebam. Præterea ſi huiuſmodi reſolutionis ordo aliqua ex parte concederetur, quem noui à nonnullis concedi, & á multis complexis ordiremur, vel ea ſimul reſolueremus, vel primo vnum, mox aliud: ſi ſimul, tunc conſiderarentur vt vnum, ob id, quod eſt commune ſingulis: ſi vnum poſt aliud, vel ea ex parte inſtituti naturæ; & originis inter ſe non differrent, & ita obtinerent locum vnius, & á quouis ordiremur, nil referret, nec ſeruarent ordinem inter ſe, cum nec ſecundum originem, nec ſecundum inſtitutum, vnum ſit prius altero, ſed potius eſſent multi particulares ordines, vt multa ea ſunt, quæ reſoluuntur: vel differrent, & tunc vel ordiemur à primo origine componendo, vel appetitione reſoluendo, adeo quod ſemper primum, à quo ordiemur vnum erit. 41

At quia facile eſt ex vno in aliud erratum labi, dicet forte aliquis, quod, aliud eſt ordo, aliud vnitas ordinis: propterea quamuis vnitas ordinis reſolutionis petatur ab vno fine, id tamen non eſt de ratione ordinis vt ordo, ſed vt eſt vnus. Quæ ſententia approbanda non eſt, quoniam vnitas primi abſolute eſt de ratione ordinis, nedum vt eſt vnus, ſed etiam vt eſt ordo, quod patet, quia dum aliquid ingreditur abſolutam rei definitionem, abſolute dicitur eſſe conditio illius; at *relatio ad vnum primum*, ab Ariſtotele in quinto metaphyſicæ *ſumitur non pro definitione vnius ordinis, ſed ordinis abſolute*; definit enim vno ordinem vnum, ſed genus ordinis abſolute; quare conditio ordinis abſolute conſiderati, eſt relatio ad vnum primum: ideo Auerroes eo loci dixit, *non dari ordinem niſi cum relatione ad aliquod primo poſitum, vel excogitatum*. Quod confirmatur, quia prius, & poſterius, ſunt differentiæ ordinis, vt ordo eſt, quod aſſeritur ab Auer. in primo phyſic. 41 at prius, & poſterius, vnum aliquod primum expoſcunt, ad quod referantur. His accedit, quod qui non eſt vnus, etiam non dicitur ordo, ſed diſtincti, & ſeiuncti ordines. 42

Præterea ego de ordine loquens recte pateſeci, in ſcientia prædita ordine conditionem ſcientiæ a conditione ordinis diſtingui; quod patet, cum eorũ ſit diſtincta definitio. Ideo quamuis ab Ariſt. in primo poſt. ſcientia dicatur vna, quia eſt vnius generis ſubiecti, non propterea ordo eſt vnus, quia ſit vnius ſubiecti: & rem ita ſe habere apertiſſime conſtat, quia de eadem re ſubiecta loquentes, valemus modo vno, modo altero vti ordine: inſuper valemus ordinem ſeruare, & non ſeruare. & tamen ſemper (ſeruatis cęteris) ſcientia vna permanebit; ea autem, quorum vno mutato, non neceſſario mutatur alterum, proculdubio

inter ſe diſtincta ſunt. Similiter ordo poteſt ſeruari in ſcientiis diſtinctis, quarum ſubiectum non eſt vnum.

Verum obiiciet forte aliquis, ſi conditio ordinis à conditione ſcientiæ vel artis diſtinguitur, cum artis vnitas pendeat ex vnitate finis, erit neceſſarium, vt ex aliquo alio, non ex vnitate finis, petatur vnitas ordinis, quod tamen ego non concederem.

Hæc noua obiectio eſt nouum erratum, quia multa ſunt idem ſubiecto, quæ diſtinguuntur ratione: vnitas artis pendet ex vnitate finis, non quia finis ſit id, quod primo declaratur; nam etiam ſi primo non declararetur, ars ſeruaretur vna, ſed quatenus finis conſtituit ſubiectum, ſiue modum conſiderandi eius. Ars enim non ſecus ac ſcientia vna eſt, quia eſt vnius generis ſubiecti: at de ordine ſecus ſe habet; ſtatim enim variato primo, quod declaratur, etiam ſi ſe[r]uetur ſubiectum vnum, variatur ordo, cum de eius ratione ſit relatio ad illud primum: ſic itaque finis ordinem reſolutionis conſtituit, quatenus primo explicatur, non quatenus abſolute in ea ſcientia conſideratur.

PARS QVINTA.

An ordo petatur ex natura rerum, vel potius ex noſtro modo cognoſcendi.

ORdo diſciplinarum & via addiſcendi, cum aliqua ex parte conſimilia ſint; differunt tamen inter ſe: & differentiarum vna hæc eſt, vt via addiſcendi petatur ex noſtro cognoſcendi modo. Ordo vero ex natura rerum, de quibus agitur, vt in ordinis declaratione conſpicuis rationibus, & auctoritatibus patefeci: frequenter enim Ariſtotel. veluti in 1. phyſic. 57. in 2. de anima 34. in libr. de ſenſu, & ſenſili, in libr. elenchorum, rhetoricorum, & alibi, affirmat, *in ſeruando ordine nos debere naturam ſequi, & ordiri à primis*: ideo in logica pro attinentibus ad ordinem minime laborauit, cum nouerit per naturam nobis offerri, & ex natura rerum eſſe petendum. Quam veritatem in primo quoque de ortu, & interitu 43. confirmauit: nam conſtituens ordinem inter tangere, agere, & miſceri, rationem ordinis ex rerum natura depromſit, inquiens, *ordiendum eſſe à tactu, quia mixtio non fit ſine actione, & perpeſſione, hæc non ſine tactu*, & Auer. in 3. diſputat. in fol. 18. dub. 2 ait, *ordo eorum quæ ſunt, ſequitur ordinem intelligentiarum ſeparatarum; ordo vero noſtri intellectum, ſequitur ordinem rerum.* Galenus adeo lucide hoc expreſſit, vt nil lucidius dici poſſit; inquit enim in ſexto de decretis, cap. 5. *Quodcunque à natura principium eſt conſtitutum, id à ſe fieri doctrina etiam cogit*; & paucis interiectis: *quocirca ſtultum eſt, velle aliud natura rei, aliud doctrina inuenire principium*; & poſt

Auer.

Galenus.

Digitized by Google

& poſt pauca; *rectum doctrina, & verum rei principium, ita inter ſe mutuo connexa ſunt, vt nulla ratione diuelli à ſe inuicem poſſint.* multa alia eo loci refert admirabilis Galenus, id ipſum confirmantia, quæ accurato lectori legenda derelinquo: ideo viri plures, ſapientia illuſtres, eiuſdem fuere ſententiæ, vt clariſſimus Lud. Boccaf. Iulius Scaliger exercit. 2. & alii: nec ſilebo Ioannem Paulum Pernumiam virum doctum, & acri quodam iudicio præditum, qui in proœmio ſuæ philoſophiæ id ipſum affirmauit, & iure profecto: noſtra enim cognitio eſt imitatio naturæ rerum, & ſcientiæ per repræſentationem ſunt res ipſæ, & ideo ſecantur vt res, ex 3 de anima 38. *inſuper ſcientia eſt menſura, non quidem menſurans, ſed menſurata à rebus*, vt dicitur 10. metaphyſ. 5. *id autem ei competit, quia naturam rerum ſequi, & æmulari tenetur.* Et confirmatur, quia ratio ex qua petitur ordo, debet eſſe conſtans, & firma; huiuſmodi eſt natura rerum; nobis autem modo vnum, modo aliud notius eſt, vt aſſeritur in ſexto top. c. 3. Præterea cum ordo omnis vel ad compoſitionem, vel ad reſolutionem pertineat, quia compoſitio & reſolutio primo naturæ rerum competit, iure optimo cenſendum eſt, ſi nos deinde, vel componendo, vel reſoluendo progredimur, quod naturam ſequi dicamur: ideo in ſeruando ordine maxime naturam rerum conſideramus, quam ſi non ſequimur, damnamur; dicimur non ſeruare ordinem, nec alia quidem ratione, niſi quia ab ordine naturæ rerum inſerto recedimus. Et hoc conſpicua ratione patet: quia quotieſcunque in natura rerum explicandarum, nec originis, nec inſtituti ordo reperitur, in illis explicandis ſpecies vlla ordinis ſeruari non poteſt, cum nulla adſit ordinis naturæ ratio, quod aperte nobis indicat, ordinem, tanquam ex fonte, ex rerum natura manare.

Lud. Boccaf. Scaliger. Paul. Pernumia.

Colligamus itaque conducere quidem ordinem noſtræ cognitioni, id enim nemo inficiatur, & à me in eius definitione fuit aſſumtum: at rectam ordinandi rationem, non ex noſtro cognoſcendi modo, ſed ex natura rerum eſſe petendam. Hinc Ariſt. in proœmio phyſ. quamuis aſſerat, *principia eſſe à nobis remotiſſima, nobiſq; obſcuriſſima*, tamen ait, *primo eſſe declaranda.*

Ex his conſtat quam longe à vero illi recedant, qui rectam ordinandi rationem, non ex natura rerũ, ſed ex noſtro cognoſcendi modo, primo petendam eſſe cenſent. Quod firma ſatis ratione cõfirmo, quia ab eo petendus eſt ordo, à quo prodeunt ordinis differentiæ; non enim vnum ſine altero reperitur: at differentiæ, quæ ſunt compoſitio & reſolutio, ex rerum natura prodeunt, nempe ex duplici natura primo, origine ſcil. & appetitione ſiue inſtituto: quare ex natura rerum primo, & proprie ordo petendus eſt, non ex noſtro modo cognoſcendi. Hinc niſi res,

quæ occurrunt, declarandæ fuerint primo ſui natura ordine præditæ, nullus in eis explicandis poteſt ſeruari ordo, nec reſolutionis, nec compoſitionis: ſola facilitas & difficultas nullum ordinem conſtituit, cum ad nullam ordinis ſpeciem pertinere poſſit: & talis ſemper denominatur ordo diſciplinæ, qualis eſt ordo naturæ rerum in ea declaratarum, adeo vt ex rerum natura denominatio, & differentiæ ordinis petantur, & conſequenter prima, & vera ordinandi ratio. Et cum Ariſtot in logica nil fere aliud de ordine docuerit, niſi quod in 2. poſter. patefecit, quomodo definitionis partes in ordinem ſint redigendæ, ordinem earum ex natura eſſe petendum aſſeruit; inquit enim c. 14. *ordinare, vt oportet, erit, ſi primum accipiatur, hoc autem erit, ſi accipiatur id quod omnia ſequitur, illud autem non omnia; neceſſe eſt enim aliquod eſſe huiuſmodi; aſſumto autem hoc, idem ſeruandum erit in reliquis, &c.*

Facilitas & difficultas ordinem non conſtituunt.

Quod ſi ordo partium definitionis ex natura eſt petendus, ordo quoque partium ſcientiæ petendus erit ex natura, cum ſcientiæ maxime ex definitionibus pendeant, & cum eis iunctæ ſint, vt ſæpe repetit Ariſtoteles.

Per ea quæ dicta ſunt, reiiciuntur errata varia.

CVm patefecerim in introductione ad ciuilem ſcientiam, rectam ordinis rationem ex rerum natura eſſe petendam, vt nuper etiam conformaui, aſſerui inſuper in explicandis ſenſibus, nedum Ariſtotelem, verum etiam Platonem in Timæo ſecutum fuiſſe naturam: Platonem quidem originis, ideo orſum fuiſſe à tactu: Ariſtotelem vero inſtituti & dignitatis, ideo fuiſſe orſum à viſu.

At obiiciet aliquis me pugnantia proferre, cum vna ex parte in quinto gradu ciuilis ſcientiæ dicam, Platonem in tradendis ſcientiis ordinem ſeruare noluiſſe, & ex aduerſo aſſeram, in Timæo in explicandis ſenſibus ſeruare ordinem. Et præſertim non recte videor tribuiſſe Platoni, quod ordinem non ſeruauerit, cum miro quodam artificio nos ſenſim in ſuam ſententiam deducat.

Hæc excogitata controuerſia inuentores ſuos in tres conſpicuos errores deducit. Primus eſt, quia perperam meam ſententiam referunt, non enim eo loci dixi; Platonem in ſcientiis tradendis ordinem ſeruare noluiſſe; ita enim ſupponerem, illum ſcientias docuiſſe, inordinate tamen, quod minime aſſerui, ſed dixi, illum ſcientias non redegiſſe in ordinem: hæc enim apprime differunt inter ſe, vt conſideranti eſt notum; non enim Plato ſcientias docere, & in ordinem eas redigere ſibi propoſuit, vt conſpicuum eſt.

Alter

Digitized by Google

Alter error *in ſententia* eſt poſitus; nam minime verum eſt, Platonem in ordinem ſcientias redegiſſe; nemo enim apud Platonem diſtinctam & ordinatam variarum diſciplinarum, per ſua principia declarationem inueniet, & ſi quiſpiam ſuæ mentis acumine ſe in Platone eam intueri aſſereret, aperte aduerſaretur Platoni, quia vna cum ſuo Socrate, ſe nihil ſcire profitebatur, & cum in epiſtolis, tum alibi aſſeruit, ſe nil ex ſententia in lucem protuliſſe, nec id ſe vnquam facturum, & ea quæ circumferuntur, ex aliorum opinione dicta eſſe: ideo non ſermone auſcultatorio, doctrinæ accommodato, fuit vſus, ſed dialogis alios inducens probabiliter diſputantes, ex aliorumque ſententia loquens, modo ex ſententia Pythagoræ, vt in Timæo. Nam Timæus Pythagoreus fuit, modo Parmenidis, vt in Parmenide, modo alterius: cum autem de variis hac forma diſſeruerit, quod ordinem aliquem in nonnullis ſeruauerit, nunquam ſum inficiatus; at hoc aſſerui, & conſtanter aſſero, Platonem ex propria ſententia ſcientias non diſtinxiſſe, ordinateque eas tradidiſſe, cui veritati nemo in Platone mediocriter verſatus aduerſatur.

Plato ſcientias in ordinem non redegit.

Tertius error poſitus eſt *in ratione*; inanis eſt enim hæc conſecutio: Plato agens de ſenſibus eſt vſus alio ordine, ab eo, quem ſeruauit Ariſt. igitur ſcientias in ordinem redegit; non enim periti logici ex parte vna cenſent inferendum eſſe totum; & præſertim quia de ea quoque parte ſub alterius perſona loquutus eſt, vt etiam de cæteris.

At addebatur, quod Plato miro artificio lectores in ſuam ſententiam deducit; ideo ordinate de ſcientiis loquitur. Profecto hic eſt error alius, quia arte in ſententiam deducere, eſt vti via, non ordine; facere enim vt aſſentiamur concluſioni, & propriæ ſententiæ, non ordinis, ſed viæ officium eſt.

Verum exiſtimabit forte aliquis, primum contextum primi phyſicorum aduerſari ſententiæ meæ. Aſſerit in eo cont. philoſophus, primo declaranda eſſe principia, rationemque ordinis afferens, non eam ex natura, ſed ex noſtro modo cognoſcendi petit, inquit enim, *principia primo eſſe declaranda, quia per ea cætera cognoſcimus*.

De 1. cont. 1. phyſ.

At qui ita obiicit, duplici ratione decipitur. Prima eſt, quia principale inſtitutum Ariſt. in eo contextu, eſt rationem tradere, non ordinis, ſed conſilii ſui, id enim præſertim ad prooemium pertinet, vt patet ex tertio rhetor. conſilium, & inſtitutum Ariſtot. in primis libris phyſic. eſt declarare principia: & ratio huius inſtituti eſt, quia cognitio rerum pendet ex notitia ſuorum principiorum, quam ſententiam protulit etiam in ſecundo phyſicorum 27. vbi non de ordine, ſed de ſolo inſtituto ſuo loquitur: nam quando præſertim de ordine verba facit, rectam

Digitized by Google

ordinis rationem ex rerum natura petit, vt patuit in præcedentibus.

Altera ratio erroris eſt, quia quamuis eadem cauſſa inſeruiat etiam ordini, tamen (vt loquens de ordine cumulate pateſeci) potiſſima cauſſa, ob quam principia primo ſunt declaranda, eſt, quia ſui natura ſunt prima, ex qua potiore, & priore cauſſa, pendet altera, nempe vt per ea cognoſcantur alia; res enim vt ad eſſe, ita ad diſtinctam cognitionem ſe habent. Ariſt. tamen eo loci, non primam, ſed hanc cauſſam attulit, tum quia (vt dixi) principale conſilium eius erat, non ordinis, ſed inſtituti ſui cauſſam tradere, tum inſuper, quia ea cauſſa, quam tradit, eſt nobis clarior, & includit alteram; ideo dans eam, virtute & facultate tradit vtramque, nec ſemper ſtatim cauſſa prima eſt aſſignanda, ſed frequenter traditur primo cauſſa proximior, quæ mox in primam reſoluitur, per ea quæ vel vniuerſe ſunt nota, vel alibi ſunt declarata; ideo Ariſtoteles in ſecundo phyſicorum, 38. inquit; *homo ædificat, quia eſt ædificator; eſt autem ædificator per artem ædificandi, adeo quod docet non ſtatim tradi cauſſam primam, ſed proximam, quæ mox in primam reſoluatur.* Et quod res ita neceſſario ſe habeat, oſtendo: cum enim frequenter Ariſtoteles rationem ordinis tradens, eam petat ex natura rerum, aliquando ex noſtra cognitione, cumque noſtra cognitio non ſit cauſſa naturæ rerum, ſed vice verſa, colligendum eſt, rationem ordinis, primam & potiſſimam ex natura petendam eſſe, non ex noſtro modo cognoſcendi.

De primo cont. 5. metaphyſicæ.

Inſuper ſuſpicari poterit aliquis, primum contextum quinti metaphyſicæ, opinioni meæ aduerſari, inquit enim eo loci philoſophus; *aliud principium eſt illud, vnde vnumquodque optime fiat, vt doctrinæ, non à primo, ac rei principio, aliquando incoandum eſt, ſed vnde quis facilius diſcat, &c.* ſic itaque ratio ordinis ex noſtro cognoſcendi modo petenda videtur. Quicunque ſententiam hanc Ariſtotelis mihi eſſe aduerſam exiſtimant, in conſpicuos labuntur errores. Primo, quia ego nunquam inficiatus ſum, imo aperte aſſerui, nonnunquam ob noſtram imbecillitatem nos deſerere naturæ ordinem; at cum id prodeat ex imbecillitate, eſt ex euentu, vt dum á phyſicis ad metaphyſica progredimur. & præſertim quia ſi ſpeciem aliquam ordinis ſeruare volumus, niſi ordiamur ab vno primo, ordimur ab altero, vt pateſeci.

Alter error eſt, quia Ariſtot. in eo cont. non de ordine, ſed de via loquitur, de qua vna cum Platone conſueuit dicere, fieri ex notis nobis: At forte viri cæteris ſapientiores mirabuntur, nec putabunt quempiam reperiri poſſe, qui verba illa philoſophi referat non ad ordinem, ſed ad viam, & præſertim, quia ſi ad viam

viam referuntur, redditur Ariſtoteles redundans; cum enim in eo cont. loquatur philoſophus de principii ſignificationibus, referens alias principii ſignificationes, illam addit, quæ ex via deſumitur, inquiens; *præterea unde res primo cognoſci poteſt, id principium rei dicitur, vt demonſtrationum ſuppoſitiones, &c.* Inſuper id ipſum confirmatur ratione, quia in via ſemper à nobis notiore ordimur; non autem quandoque tantum, vt eo loci ait Ariſtoteles; *veluti ſi inter A. & B. fiat comparatio, & notior ſit A nunquam in via ex B. inferemus A. ſed ſemper vice verſa ex A. notiore inferemus B.*

Viri hi ſapientes, dum admirantur, in tres labuntur errores. Primus eſt, quia dicunt neminem inueniri, qui verba illa philoſophi ad viam referat; at ſi dignarentur meliores interpretes legere, id non dicerent: nam inter interpretes metaphyſicæ commendatur ille qui nomine Alexandri Aphrod. circumfertur; hic autem illum locum exponens, nequaquam ad ordinem, ſed ad viam retulit, & exemplis ad ſolam viam pertinentibus illuſtrauit, vt cunctis videre licet.

Alter eſt, quia inquiunt, ſi Ariſt. de via loqueretur, eſſet redundans, quod tam longe abeſt à vero, vt niſi de via tunc loqueretur, in referendis ſignificationibus principii diminutus fuiſſet, ratio eſt, quia in via docendi duplex principium conſideratur: vnum tantum ex parte noſtri, vt in oſtenſione per effecta, & hoc principium ab Ariſt primo fuit poſitum, dum dixit; *in doctrina non à primo, ac rei principio, aliquando incoandum, ſed vnde quis facilius diſcat*, hoc eſt, à primo nobis, quod tunc conſideratur vt contradiſtinctum à primo natura: alterum principium ad viam pertinens reperitur, quod etiam eſt principium rei, vt in demonſtratione per cauſſam, quod pro altera principii ſignificatione philoſophus afferens, dixit; *vnde res primo cognoſci poteſt, id principium rei dicitur*; aperte his verbis philoſophus explicat abſolutum principium rei, cum id nuncupet rei principium. Hæc duo prima, ſiue principia maxime differunt, cum vnum ſit ſolum ex parte noſtri, alterum abſolute, & ex natura rei, quæ duo prima ab Ariſt. in 1. poſter. c. 2. dicuntur ne dum diſtincta, ſed oppoſita; ideo niſi philoſophus in principii ſignificationibus vtrumque retuliſſet, fuiſſet diminutus.

Tertius error conſpicuus apparet in confirmatione, explicata per A. & B. ea enim vim habet aduerſus inuentorem ſuum, non aduerſus ſententiam meam, quod patet reflectendo rationem; nam per eos ordo eſt petendus ex noſtro cognoſcendi modo, & id ſumitur in definitione ordinis; ideo *non quandoq;* (vt ait Ariſtoteles) *ſed ſemper ordiendum erit ab eo, vnde facilius quis addiſcet.* Præterea aduerſus eos vim habet ea comparatio nuper

relata inter A. & B. non aduerſus ſententiam meam, quia in ordine comparatio præſertim verſatur inter duo ad inuicem, & quæritur de quo primo, de quo ſecundo ſit agendum: at in via non inter duo inuicem relata fit comparatio, ſed relata ad tertium, vt dum quærit Ariſt. *an anima explicanda ſit per priora, vel per poſteriora*, comparat priora & poſteriora, cum anima declaranda, adeo vt priora & poſteriora comparentur pro via, non inter ſe, ſed cum tertio, nempe cum re explicanda; ideo recte in eo primo context. 5. metaphyſ. indicat Ariſt. *id tertium explicandum, aliquando non explicari per prima abſolute, ſed per aliud nobis notius*, quod optime congruit viæ potius quam ordini, de qua addiſcendi via, tum principii nomen, tum vox facilioris dicitur, cum omnis demonſtratio expoſcat principium, & inter notius, & ignotius verſetur.

At perpendamus quam conſpicue in alium errorem labantur; nam ſententiam ſuam confirmant auctoritate Galen. lib. 9. de Platonis & Hipp. decretis, c. 2. quo loci Galenus Platonem ſequens ait, *à notioribus eſſe ordiendum*; ex quo colligunt, ordinem peti ex noſtro cognoſcendi modo; at non conſiderant, Galenũ, non de ordine, ſed de methodo ſumto, pro via verba facere, & res eſt notiſſima. Gal. enim in eodem lib. de ea methodo agendum proponit, qua verum à falſo dignoſcitur, ex ſimilium & diſſimilium comparatione, vt ex verbis Galen. & ex inſcriptione conſpicuum eſt, de qua methodo pro via ſumta loquitur Plato in Phædro & in Philebo, cui enim dubium, quod dum conſideramus, quomodo ex ſimilium & diſſimilium comparatione, verum a falſo dignoſcimus, id non ad ordinem, ſed ad viam pertinet? veluti etiam ad viam cognoſcendi pertinet ſententia illa Platonis, relata à Gal 9. de placitis c. 2. dum inquit, *Platonem aſſeruiſſe per iuſtitiam vniuerſæ reip & partium eius, vt notiorem, explicari, & eluceſcere, iuſtitiam animæ noſtræ*; ea enim eſt via ex analogia depromta: nam gradus internarum animæ noſtræ facultatum, internam quandam in nobis remp. conſtituũt, latentem tamen, in qua iuſtitia interna locum habet, & eluceſcit per iuſtitiam vniuerſę externę reip ſecundum quandam analogiam, qua frequenter vtitur Plato. Analogia autem (omnium conſenſione) ad viam, non ad ordinem pertinet, & hæc ita ſe habere (vt dixi) apertiſſime conſtat per conſpicuam ſententiam Gal. in 6 de decretis, c. 5. à me in præcedentibus relatam; vbi latiſſime affirmat, *rectam ordinis rationem, non ex alio, quam ex rei natura eſſe petendam.*

Perpenditur ſententia 1. moralium.

Perpendamus ſententiam Ariſt. in 1. moralium Nicom. cap. 4. verba hæc ſunt; *ſed hoc ignorare non debemus, intereſſe inter eas rationes, quæ à principiis proficiſcuntur, & eas, quæ ad principia*: recte enim Plato de hoc dubitabat & quærebat, *Vtrum via à principiis, vel*

bijs, vel ad principia eſſet, velut in ſtadio, vtrum ab iis, qui præmia proponunt, ad calcem an contra; initium enim ab iis rebus, quæ notæ ſunt, ſumendum eſt; hæ autem dicuntur duobus modis; aliæ enim nobis notæ, aliæ per ſe, & abſolute notæ ſunt; fortaſſe igitur nobis initium ab iis rebus ſumendum eſt, quæ nobis ſunt notæ, &c. Patefeci in introductione, dum loquebar de ordine, ſententiam illam Ariſt. non de ordine, ſed de via eſſe intelligendam.

Ex quo eluceſcit conſpicuus error eorum, qui inquiunt Ariſtotelem tunc non de via, ſed de ordine loqui. Et quod in re conſpicua aberrent, multiplici ratione redditur notum, & primo accurate perpendendo ſingula verba, nedum nuper relata, ſed etiam cætera, quæ in eodem cap. leguntur, ſingula enim aperte patefaciunt, Ariſtotelem non de ordine, ſed tantum de via loqui: & quomodo de ordine recte dici poteſt, id á quo ordimur debere eſſe notum nobis, cum id á quo ordimur primo declarandũ proponatur? repugnat namq; dicere id primo eſſe declarandum, quod eſt nobis notum; declaratio enim ad ignota refertur; at in via per nota declarantur ignota, ſic etiam viæ à principiis ductæ, & ad principia ducentes, de quibus philoſophus mentionem facit, ad viam pertinent, & conſtituunt oſtenſionem vel quia, vel propter quid. Et quamuis ordo quoque modo aliquo ſit ratio, vt ego in ordinis declaratione patefeci; non tamen eſt ratio à principiis ducta, vel ad principia ducens, ſed tantum relatio quædam ordinatorum ad primum. Et hoc eſt conſpicuum, quia ordo docendi non conſideratur inter cauſſam, & rem effectam, ſed vel inter varias cauſſas explicantes rem eandem, externas nempe & internas, vel inter varias partes ſubiecti, variaque effecta; progreſſus autem à re effecta ad cauſſam, & vice verſa, ad viam, & ſpecies demonſtrationis pertinet. Miſſa facio cætera, quæ in introductione conſideraui, quæ an recte ſolui poſſint, aliorum ſit iudicium. Et confirmo ſecundo eundem errorem conſenſione omnium approbatorum interpretum Ariſtotelis, & præſertim Euſtratii, D. Thom. Acciaioli, qui procul ab omni ſuſpicione locum illum de via, non de ordine explicant, quod etiam fecit doctiſſimus Vicom. in procemio phyſic. ſic in vniuerſo eo cap. Ariſtoteles, non de alio, niſi de via cognoſcendi ſummum bonum, verba facit.

Addo tertio pro lucidiore notitia veritatis, quod Ariſtoteles eo in loco inquit; recte Plato de hoc dubitabat, &c. Perpendamus, vbinam Plato de re illa dubitauerit; ſi accurate id, de quo Ariſtoteles loquitur, conſideramus & vniuerſos Platonis dialogos percurrimus, inueniemus id ſolum fieri in calce ſexti dialogi de rep. Nam ſermo Ariſtotelis eſt de cognitione ſummi boni

hominis; at in eo dialogo Plato, necnon in ſeptimo id ipſum conſiderat, nempe qua via, & methodo valeamus ea cognoſcere, quæ bona & iuſta ſunt, & ait, *nos per boni vmbras excitari, & duci in cognitionem ideæ boni, mox vice verſa regredientes, ex notitia exacta ideæ boni elicere, tanquam ex menſura, quid in cæteris bonum & iuſtum ſit:* aduerſus quam ſententiam diſputat mox Ariſtoteles poſt illud quartum caput, dum loquitur de idea boni.

Plato.

Verba Platonis, magis ad rem facientia, hæc ſunt; *vnum quidem genus intelligibilis eſt, quod animus his vtens tanquam imaginibus, quæ prius diuiſa ſunt, cogitur inquirere ex ſuppoſitionibus, non ad principium, ſed ad finem progrediens: alterum vero, quod ad principium non ſuppoſitum ex ſuppoſitione procedens, & ſine ad illud attinentibus imaginibus, ipſis ſpeciebus vtitur, per ipſas methodum faciens, &c.* hinc ex eo ſumta occaſione, conſiderat Plato differentiam inter ſcientiam, cogitationem, fidem & exiſtimationem, quæ omnia ad viam, & modum noſtræ cognitionis pertinent, non ad ordinem: cum itaque Ariſt. in eo 4. cap. de ea ſummi boni cognitione loquatur, de qua ait dubitaſſe Platonem; & Plato de cognitione ſummi boni loquens dubitet, variaque dicat non de ordine ſeruando, ſed de via, qua & illud, & per illud alia cognoſcuntur: iure optimo (conſentientibus omnibus expoſitoribus) aſſerente id conſpicuis verbis Ariſtotele, & approbante Platone, colligo Ariſtotelem de via loqui, de qua mox in ſeptimo de repub. ait Plato; *ex obſcuris nullam fieri cognitionem*; nullo autem pacto loqui de ordine, vt nonnulli pro tuenda ſua ſententia affirmant.

At obiiciet forte aliquis, ſi ſermo eſſet de via, puerilis cenſenda fuiſſet ea dubitatio Platonis; cum tamen Ariſtoteles eam vt arduam referat: profecto qui ita inſtaret, aperte deciperetur. Primo, quia pari ratione ea dubitatio de ordine fuiſſet puerilis, cum ex opinione inſtantium, ordo, vt via, petatur ex noſtro cognoſcendi modo, & ſit de eius definitione: ſecundo, ſi ea ſolutio ibi tradita eſſet de ordine, ne dum puerilis, ſed falſa eſſet, & aduerſa ſententiæ Ariſtotelis, qui frequenter ait: primo declaranda eſſe principia, & ſummum bonum in primo moralium Nicom. primo declaratum, ab Ariſt. nuncupatur principium, à quo orditur; non autem dicitur via ad principium: nam vt aſſeritur in 6. & 7. libris, in attinentibus ad actionem finis principium eſt, quare in ciuili ſcientia ſummum bonum, quod eſt finis principium, cenſeri debet, & progreſſus ille ad principium, de quo loquitur Ariſt. in eo quarto c. primi Nicomachiorum, *non eſt ordo à ſummo bono ad principia eius*: (vt minus recte nonnulli cenſent:) ſed eſt via, qua in cognitionem ſummi boni tendimus, quod vere in ciuili ſcientia principiũ eſt. Tertio de via loquendo non

Digitized by Google

nōn eſt puerilis ob varia genera eorum, quæ noſcenda ſunt, diſtinctaque genera demonſtrationum, in quibus modo à principiis, modo ad principia progredimur: ideo etiam in proœmio de anima loquens de via, ac inuicem cōparans obiecta, functiones munerum, & facultates, rem eādem, tanquam dubiam propoſuit. Demum minime verum eſt, quod ea dubitatio in eo 4. c. proponatur vt res apprime recondita: nam philoſophus eam, tanquam ſolutu facilem, pauciſſimis verbis abſoluit, & ſolutionem tradit ſoli viæ, non ordini congruentem.

Verum adhuc aduerſus principalem aſſertionem inſtabit aliquis, quia Ariſt. nunquam derelicto noſtro modo cognoſcendi naturam ſequitur, ſed frequenter derelicta natura ſequitur noſtrum modum cognoſcēdi; quare ordo ex noſtro modo cognoſcendi, tanquam ex regula, nō ex rerum natura, petendus eſt. Et confirmatur, quia aſſero c 19 ordinē naturæ nonnunquam non ſeruari ob noſtrum modum cognoſcendi; quare noſter cognoſcendi modus præfertur ordini naturæ.

Hæc inſtantia cum conſpicuo errore iuncta eſt: nam Ariſt. & præſertim in partibus eiuſdem ſcientiæ, frequēter, derelicto noſtro cognoſcendi modo, naturam ſequitur; non autem vice verſa, veluti in 1. phyſ. cont 2. ait, *principia à nobis eſſe remotiſſima, & natura prima, & tamen à principiis orditur*: aſſerit in eodem proœmio, *confuſa, & compoſita eſſe nobis primo nota*; & tamen nō ab eis in ordine auſpicatur, ſed a ſimplicioribus, quāuis in primo moralium dixerit, *non ex notis abſolute, ſed ex notis nobis eſſe progrediendum*, quod ad ordinem referendum eſſe iſti cenſent. Ait in proœmio phyſ. *viam eſſe petendam à nobis notis*, & tamen in via orditur ab eis, quæ opponuntur illis, quæ in ordine primo declarantur, nempe à confuſis, quæ opponuntur ſimplicibus principiis, de quibus primo loquitur: quare, ſi via petitur ex noſtro modo cognoſcendi, vt ait philoſophus, *ordo quia petitur ab oppoſitis, non petetur ab eo.* Inſuper actus eſt ratio diſtincte intelligendi; materia vero ex ſe dicitur ignota, & tamen quia eſt origine prima, cōſueuit philoſophus ab ea ordiri. Præterea motus eſt nobis notior, quam natura, & ignorato motu ignoratur natura; tamen quia natura eſt origine prior, de ea primo loquitur: *Cœlum à nobis valde diſtat, apprimeque eſt obſcurum*, vt dicitur in ſecundo de cœlo; *quia tamen eſt natura primum, prius de eo loquitur, quam de quatuor elementis mundum conſtituentibus*: innumera poſſent afferri exempla. Quod ſi nonnunquam ordinem naturæ deſerimus, id (vt ſæpe dixi) prodit ex impedimento, & ex noſtra imbecillitate; nos autem conditiones rerum abſolutas, non ea, quæ ex impedimento prodeunt, conſiderare tenemur, veluti abſolute ait Ariſt. in 2 phyſ. *naturam operari propter finem; cum tamen non-*

nunquam ob impedimenta ſecus eueniat: & præſertim, quia niſi ordiamur ab vno natura primo, ordimur ab altero, vt pateſeci, & niſi adſit ordo in natura rerum, non poteſt adeſſe in explicatione earum.

Per hactenus dicta ſatis conſpicue puto veritatem conſtare, tamen quicunq; aduerſæ opinioni ſunt addicti, inquiunt, quod cum Ariſtot. in libris phyſ. & alibi, orditur à principiis, & natura primis, id facit, non quia ſint natura prima, ſed quia eadem ſunt notiora, & priora nobis cognitione diſtincta; nos autem in ordine ſequimur noſtrum modum cognoſcendi, non confuſe, ſed diſtincte. Similiter inquiunt progreſſum a phyſicis ad metaphyſica reſpõdere noſtro modo cognoſcẽdi diſtincte, quatenus cognitio phyſicorũ antecedens, diſtincta eſt in ſuo genere: addunt quoque, dum Ariſtot. in ciuili ſcientia orditur à ſummo bono, quod ab eo orditur, non tanquam à fine pro cauſa conſiderato, ſed conſiderato tanquam re effecta. Et quamuis à fine pro re effecta, & non pro cauſa ſumpto ordiatur; tamen aſſerunt ſequi noſtrum modum cognoſcendi diſtincte, quatenus in ea ſcientia cętera ſine prænotione eius noſci nõ poſſunt: inſuper dicunt, in ciuili ſcientia ſummũ bonum ſecũdum naturam eſſe vltimum; leges vero eſſe primas, quia hæ ſunt cauſæ probarum actionum, quæ actiones probæ pariunt habitus virtutum, qui ſunt principia ſequentium actionum, in quibus ſummum bonum hominis eſt collocatum.

Hæc profecto ita ſe habent, vt cuncta (ni fallor) pro tuenda veritate in oppoſita verti debeant. Nam primo pugnãtia proferunt, cum dicant nos in ordine non ſequi naturam, ſed noſtrum modum cognoſcẽdi diſtincte; nam tunc ſolum cognitio eſt diſtincta, dum reſpondet naturæ rei, & ratio, quod ſit diſtincta, eſt, quia reſpõdet naturæ rei; vt enim res per naturam ſe habent ad eſſe, ita ad diſtinctam cognitionem. Cum itaque naturę ordo, & diſtincta cognitio reciprocentur, id quod alterius eſt cauſa, tanquam prima, & potiſſima ratio iudicari debet; at nõ modus noſter cognoſcẽdi poteſt ſtatui cauſa ordinis naturę, ſed vice verſa, ordo naturæ eſt cauſa diſtinctæ cognitionis. Quare ordo naturæ eſt prima, vera, & potiſſima ratio ordinis ſcientiarum, & qui ſecus dicunt, conditiones rerum euertunt, & ſimul (vt patuit) pugnantia proferunt.

Præterea minus recte loquuntur, cum dicant; nos ſequi noſtrum modum cognoſcendi diſtincte, quia dum ambigitur; an in ordine ſequamur noſtrum modum cognoſcẽdi, conſpicuum eſt, quid apud Ariſtotelem denotetur per noſtrum modum cognoſcendi; vbique enim denotare conſueuit id quod primo nobis eſt notũ, magiſque ſub ſenſum cadit, quod primo cognitum,

Digitized by Google

magna ex parte eſt confuſe notum: & hoc coguntur fateri illi, qui alterius ſunt ſententiæ, cum dicant nos frequenter prætermittere ordinē naturæ, & ſequi noſtrum modum cognoſcendi; nam dum id efficimus, non ſequimur noſtrum modum cognoſcendi distincte, ſed confuſe, cū opponatur ordini naturæ, quare conſpicue ſecum pugnant.

Similiter non recte dicitur, quod dum à phyſicis ad metaphyſica aſcendimus, ſequamur noſtrum modum cognoſcendi diſtincte: nam ſi id eſſet, tunc ſequeretur, quod dum à metaphyſicis deſcendimus ad phyſica, & per metaphyſica aſſignamus cauſam attinentiū ad phyſica, ſeruaremus modum cognitionis cōfuſæ, quod ꝓfecto nemo aliorum diceret: & iure; nam cognitio diſtincte (vt patuit) reſpondit naturæ rerum, & quæ cognitione diſtincta ſunt prima, etiā ſunt prima abſolute, ita ſapiens menſura quædam rerū dicitur, & quæ natura ſunt prima, etiam viro ſapienti ſunt prima, vt elicitur ex 6 topicorum c. 3. Et quemadmodum communiora, ſimpliciora, & principia, ſunt abſolute, & natura prima; ita ſunt prima in noſtra cognitione diſtincta: ꝓpterea dum formatur quęſtio de primo cognito, non dubitatur de primo noto cognitione diſtincta; de illo n. cōſentiunt omnes quod naturæ rerum reſpōdeat; ſed de ſolo primo noto confuſe: cum itaque metaphyſica conſideret communiſſima, ſimpliciſſima, & abſolute prima, iure vt natura, ita cognitione diſtincta, ab omnibus ſtatuitur prima, præterquam ab illis, qui id coguntur dicere, vt ſuam ſententiam tueantur.

At inquiunt præcurrentem illam cognitionem rerum phyſicarum eſſe diſtinctam in ſuo genere. Hoc aſſerere eſt labi in grauius erratum: dum enim comparatis duobus inter ſe, & ordientes ab vno eorum, dicimur ſequi modum cognoſcēdi diſtincte, id eatenus eſt verum, quatenus per illud, à quo ordimur, cognoſcitur alterum diſtincte, vt accidit, dum à phyſicis deſcendimus ad artē medendi; at de phyſicis, & metaphyſicis contra ſe habet; inquit enim philoſophus in 1. poſt. *principia particularium ſcientiarum habere communia, & ſcientiam, quæ in eis verſatur, nempe metaphyſicam, maxime facere ſcire*; maxime autem facere ſcire non eſt parere ſcientiam confuſam, ſed diſtinctam: quare ſi progreſſus à metaphyſicis ad phyſica reſpondet modo cognoſcendi diſtincte, cogimur fateri progreſſum à phyſicis ad metaphyſica, non diſtincto, ſed confuſo cognoſcendi modo reſpōdere. Ideo Ariſtot. in eodem primo poſt. dixit, *inferiores ſcientias comparatas cum ſuperioribus, cognoſcere quia*; & in procemio metaphyſicæ aſſeruit, *metaphyſicæ competere maximam acriuiam; acriuia autem reſpondet non confuſæ; ſed diſtinctæ cognitioni*: nos ambigimus, non an phyſica ſit ſcientia diſtincta, vel ne,

ſed qualis ſit progreſſus à phyſicis ad metaphyſica, & vice verſa, quod cōſiderantes, nunquam recte dicemus, progreſſum à phyſicis ad metaphyſica reſpondere cognitioni diſtinctæ.

Præterea, qui oppoſitum aſſerunt, ob ſtudium contradicendi ſuorum dictorum obliti, ſibimet aduerſantur: nam exponentes cont. 12. primi poſt. inquiunt nos nunquam effecta perfecte cognoſcere, niſi ea per cauſas nouerimus, ac vt effecta ſunt notiora nobis quam cauſæ cognitione cōfuſa; ita econtrario cauſæ ſunt notiores effectis cognitione diſtincta: at his addo, cū metaphyſica ſint principia, & cauſæ phyſicorum, iure progreſſus à metaphyſicis ad phyſica reſpōdebit cognitioni diſtinctæ; econtrario vero confuſæ: vt itaque aliena euertere videantur, ſibimet non parcunt, & controuerſia in eorum dictis per proxime dicenda apparebit magis conſpicua.

Manifeſtius enim adhuc à vero recedunt; dum inquiunt Ariſtotelem in ciuili ſcientia ordiri à ſummo bono, conſiderato nō vt cauſa in genere finis, ſed vt re effecta, & progreſſum illum à re effecta ad principia ſua pertinere ad diſtinctū modū cognoſcēdi. Nam in his dictis tria præſertim errata includuntur: primo enim mutuo ſe deſtruunt, mox (dum ſeorſim conſiderantur) ambo cum vero pugnant.

Quod mutuo ſe deſtruant, ex nuper dictis facile colligitur. Nam ſi ex re effecta ad principia progredimur, proculdubio ex eo progredimur, quod confuſe tantum eſt notum; nunquam enim res effecta diſtincte noſcitur, niſi (ipſiſmet alibi id aſſerentibus) per principia ſua: cum itaque ſolus progreſſus à cauſſis, & principiis reſpōdeat cognitioni diſtinctæ: conſpicuum eſt progreſſum oppoſitum ad ſolam cōfuſam cognitionem pertinere, alioquin ꝓgreſſus à cauſis reſponderet cognitioni confuſæ: nec ſat eſt dicere, ꝙ cognitio ſit diſtincta in ſuo genere; tū quia cognitio diſtincta eſt aliquid abſolutum, ſemper eodē modo ſe habens, ſemperque ex principiis pendēs; tum inſuper, quia vt cognitio abſolute diſtincta eſt ex principiis abſolute primis, ita cognitio diſtincta in genere debet eſſe ex principiis illius generis: quare in ciuili ſcientia progreſſus à re effecta ad principia ſua in eo genere, nequaquam dici poteſt reſpondere diſtincto modo cognitionis ciuilis ſcientiæ.

Quod autem ea dicta ſeorſim conſiderata approbanda non ſint, oſtendo. Nam primo nil cum vero pugnātius dici poſſe puto, quam ꝙ in ordine reſolutionis initium petatur à fine, non vt cauſa conſiderato, ſed tanquam re effecta. Hæc enim ſententia aperte aduerſatur generi ordinis; omnis enim ordo, ſiue in reſolutione, ſiue in compoſitione ſit poſitus, ſemper ab eo principium recipit, quod obtinet locum prioris, & cauſæ, ſiue enim

dicamur

Digitized by Google

dicamur ordiri à primo natura, ſiue ab eo, ſine quo cetera diſtincte cognoſci nequeunt, quæ ſubiecto ſunt idem, vt patefeci, ſemper id primum obtinet locum cauſæ; non autem rei effectę, quod etiam conſtat: dum conſideramus id, à quo ordimur, debere eſſe primum, vel ſecũdum inſtitutum, vel ſecundum originem, primum ſecũdum inſtitutum eſt cauſa in genere finis, primum origine eſt cauſa in genere materiæ. De ordine compoſitionis, quod id primum ſit cauſa, nemini eſt dubium, loquendo autem de ordine reſolutionis, de quo nunc eſt ſermo, Ariſt. variis in locis comparans progreſſus à principiis ad finem, vel vice verſa, ſemper patefacit, dum ordimur a fine, conſiderari finem vt cauſam, non vt rem effectam; nam in calce ſecundi phyſ. præter cetera, in context. 79. inquit: *in iis quæ propter aliquid fiunt, e contrario ſi finis erit, aut eſt, & id quod eſt ante, erit, aut eſt; ſi vero non, ſicut ibi, ſi non ſit concluſio, principium non erit, ita & hic finis, & id cuius gratia; principium enim hoc eſt non actionis, ſed cogitationis, &c.* Aperte philoſophus comparans eos progreſſus, & conſiderans progreſſum a fine ad principia; finem conſiderat vt id cuius gratia, quod eſt idem, ac dicere vt cauſam; ea enim eſt definitio cauſæ in genere finis: ideo ait in oſtenſionibus accipi pro medio, quod medium cauſa eſt, & principium. Idipſum confirmat 7. metaph. 23. vbi finem, veluti ſanitatem in arte medendi, quæ primo occurrit Medico, & per quam dirigitur, rationem, & principium appellat, indicans: quod dum Medicus, cogitando, ab ea orditur, illam conſiderat vt cauſſam: quam veritatem præclare approbauit Galen. qui ſub initio artis medendi dixit, *ex prænotione finis artes ſecundum rationem conſiſtere, nec alia de cauſſa addidit ſecundum rationem, niſi quia dum ordimur à fine, valemus ceterorum, de quibus agitur, rationem neceſſitatis patefacere, quod non contingeret, niſi finis in eo ordine conſideraretur vt cauſa; non autem tantum vt res effecta; ratio enim ex ſola cauſa ſumitur.*

Præterea cum hoc dicant, apertiſſime ſecum pugnant; oppoſitum enim aſſeruerunt ſecundo de methodis cap. 15 dixerunt enim ordinẽ reſolutionis, quatenus eſt á fine, poſſe dici à priori, quia finis quatenus eſt cauſſa, eſt ſecundum naturam prior iis, quæ ipſius gratia ſunt: quare modo aſſerunt ordinem reſolutionis peti à fine conſiderato vt cauſa, modo non vt cauſa, ſed vt re effecta: ex quo conſtat quantæ virtutis ſit deſiderium contradicendi.

Ex his etiam patet, non recte dici Ariſtotelem in ciuili ſcientia orſum fuiſſe à ſummo bono, conſiderato vt re effecta, & non vt cauſſa in genere finis; nam in procemio oſtendit competere homini ſummum bonum, ne in finibus ſit progreſſus in infini-

tum,& noſtræ appetitiones reddantur inanes,& cum ſit aliquid optimum,oſtendit attinere ad diſciplinam principalem,& regiam,& in 4.cap. proponit id conſiderandum, vt cauſam in genere finis,inquiens: *quoniam omnis cognitio, & prælectio, bonum aliquod expetit*; dicamus quodnam illud ſit, quod ponimus à ciuili ſcientia expeti,ac ita in progreſſu id ſummum bonum definit,& quod definiuit,aſſerit eſſe principium, & tanquam principiũ in genere finis,id conſiderat,vt conſtat ex calce 12.cap. & idipſum repetit in 6.& 7 libris inquiens; *in attinentib. ad actiones finem eſſe principium.* Cum itaque conſideret ſummum bonum, non vt eſt vltimum tantum,ſed vt optabile & optimum, & ea duo cõſtituant cauſam in genere finis,vt dicitur in 2.phyſ.23.colligendũ eſt, Ariſtotelem ordiri á ſummo bono cõſiderato non vt re effecta, ſed vt cauſa in genere finis, & tanquam principio. Nec ſecus dicere valemus, cum ordo reſolutionis ob id petatur à fine, quia finis appetitione,& inſtituto eſt aliquod primũ,cetera dirigens, ceterorumque,quorum eſt finis,neceſſitatem patefaciens, quæ omnia indicant conſiderari vt cauſam: & ſecus ſentire, re vera eſt noua mediteri.

Similiter id quod additur à vero abeſt,nempe quod conſiderando progreſſum à ſummo bono conſiderato, vt aiunt, in primo moralium vt re effecta, ad principia eius, pertineat ad cognitionem diſtinctam: dum n. conſideratur ſummum bonum vt res effecta,non poteſt diſtincte cognoſci,niſi per principia eius. Quod patet,quia definitio,& partes eius, explicant rem definitam,nõ confuſe,ſed diſtincte. Cum itaque philoſophus progrediatur à ſummo bono, & definitione ſummi boni, ad principia in definitione ſumpta,ſi ordo à ſummo bono ad ea reſponderet cognitioni diſtinctæ, oporteret quod vice verſa progreſſus à principiis in definitione ſumtis ad ſummum bonum reſponderet cognitioni confuſæ,quod nulla recta ratione dici poteſt;cõfirmatur,quia quamuis ſummũ bonum,vt cauſa in genere finis, primum ſit,tamẽ in aliis generib.cauſæ pendet ex aliis, nec poteſt exacte noſci,niſi ꝑ notitiam illorum; ideo Ariſt. vt diſtincte pro viribus ſummum bonum explicaret,fuit coactus in decimo moralium Nicomachiorum, poſt ceterorum explicationem, reuerti ad eius declarationem. Non itaque recte dicitur, ꝙ dum conſideratur ſummum bonum vt res effecta, & ab eo ordimur, quod ordo reſpõdeat diſtincto modo cognoſcendi,ſed neceſſario reſpõdet modo cognoſcendi confuſo, quam veritatem præclare patefecit Ariſt.in primo moralium Nicomach. c.7. inquiens, *ſummum bonum primo craſſa Minerua fuiſſe adumbrandum*; mox diſtincte eſſe explicandum,indicans diſtincte noſci per explicationem eorum,quæ in definitione illius fuerunt aſſumpta: nam

nam quamuis vt finis, & cauſa, modo aliquo ſit primum cognitione diſtincta, vt tamen in aliis generib. cauſæ pendet ex aliis, non diſtincte cognoſcitur niſi ex eorum cognitione.

Præterea id quoque omni ex parte approbandum nõ cenſeo, ꝙ dicunt ſummum bonum natura eſſe vltimum, leges autẽ eſſe primas: nam oppoſitũ aſſeritur ab Ariſtotele, & confirmatur ratione. Frequenter philoſophus ait *perfectum eſſe natura primum*; nam id ꝙ inſtituto, & perfectione eſt primum, abſolute ab Ariſtotele natura primum nuncupatur, & præſertim ita loqui tenemur, dũ loquimur de ordine reſolutionis, in quo vere ordimur à natura primo, cum ordiamur à primo ſecundum inſtitutum, ꝙ eſt cauſa cauſarum, dirigens ceteras cauſas, & optimum: inſuper non recte dicitur, leges eſſe cauſas virtutum, & non vice verſa, longe enim rectius dicitur, virtutes eſſe cauſas legum, quam econtrario, cum leges ex virtute prodeant & in virtutem dirigãtur: quod virtus ſit cauſa legum in genere finis, nemini dubium eſt, & aſſeritur ab Ariſtotele in 5. moralium Nicomachiorum: *Quod ex virtute, tanquam ex efficiente, eas formante, leges neceſſario pendeant*; facile oſtenditur: quia lex á prudentia formatur; prudentia autem non eſt ſine virtute, ideo ratio legum ferendarum, eſt potiſſima pars prudentiæ, vt docet Ariſtot. 6. moralium Nicomachiorum, cap. 8. eſt itaque virtus principium, & finis legum, & propterea vere eſt prior natura legibus; leges autem non principia abſolute ſunt, ſed inſtrumenta, quibus princeps vtitur tanquam prudens, pro dirigendis populis ad virtutẽ, & ſunt modo aliquo priores origine, non quidẽ virtute abſolute, ſed virtute eorum, qui lege ad virtutem dirigũtur; nã poſſunt homines etiã ſine lege, ſolo virtutis amore, euadere probi: cum itaque tantum ſint inſtrumenta, & ea quidem habitu ciuili elaborata, nequaquam abſolute debent dici natura priores virtute, ſed potius econtrario.

At ad principale redeundo, nitetur forte aliquis oſtẽdere, rectam ordinis rationem, nõ ex rerum ordinandarum natura petẽdam eſſe, quia ſi de ratione ordinis eſt, vt naturæ declarandorũ reſpõdeat, cum naturæ ordo ſit neceſſarius, quomodo ſcientiarum ordo, non ſemper erit cõſimilis, & prædictus neceſſitate? Inſuper cum imitari naturam ſit conditio ordinis, & nil ſine eo ſeruetur, quod attinet ad rationem eius, vt homo non ſeruatur ſine ratione, quomodo reperietur, & ſeruabitur nonnunquã ordo, qui non ſit imitatio naturæ? qui tamen aperte ſeruatur, veluti dum non à primis natura, ſed a primis nobis ordimur.

In hac ſentẽtia triplex includitur error. Primus attinet *ad regulas & definitiones*: omnis enim regula omniſq; definitio, debet accipi ꝑ ſe; nam ex accidẽte nulla eſt regula, nullaque definitio,

quæ aliqua ex parte non appareat falſa: ſic itaque cõgruens ordo, qui abſolute, & vere congruens eſt, ſemper reciprocatur cum natura rei, & hoc quod eſt per ſe, debet per definitionem explicari; non autem id; quod ex impedimento, & ex noſtra imbecillitate ortum ducit.

Alter error attinet *ad naturam rerum*; non enim recte dicitur, earum ordinem ſemper eſſe conſimilem; nam magna eſt varietas conditionis partium rerum ordinandarum, ex qua etiam iure prodit varietas aliqua ordinis partium diſciplinarum: Ideo recte Auer. in proœmio meteororũ ponit duplex genus ordinis, *vnum neceſſarium, alterum non neceſſarium*; quæ diſtinctio, non ex alio ortum ducit, quam ex varietate conditionis, & naturæ rerum ordinandarum.

Quod ſi earundem rerum conſimilis eſt ſemper ordo naturæ, profecto ita eſt conſimilis, vt in eis duplex natura primum ſemper inueniri poſſit, ex quo duplici primo, ratione varietatis inſtituti docẽtis, cupientis, vel exacte rem per ſua principia manifeſtare, vel media inuenire, eorumque neceſſitatẽ patefacere, modo ab vno, modo ab altero natura primo principium petitur, & ſumto quouis primo, progredimur mox p cetera eo ordine, quo per naturam ad primum ſunt diſpoſita, nec ſecus, idque non alia ratione, niſi quia tenemur naturam ſequi, ac ita ex rerum natura, tanquam ex fonte, duplex genus ordinis manat.

Demum non eſt verum, quod in cõſtituendo ordine, aliquando abſolute deſeramus naturam; nunquam n. id facimus: cum enim duplex ſit natura primum (vt ſæpe dixi) niſi ordiamur ab vno, ordimur ab altero, & ſi in illis verſamur, quorum nullum aliqua ratione ſit natura primum, dicimus ea non eſſe apta ordinari, quia eis, nec reſolutio nec compoſitio eſt apta competere, quæ duæ ſolæ ſunt ſpecies ordinis.

Per ea, quæ hactenus dixi, ſatis conſtare cenſeo, eos à recta ratione, & a vero recedere, qui inficiantur rectã ordinis rationẽ ex rerũ natura petendam eſſe. Vt autem etiam cõſtet eos recedere ab Ariſtotele, nõ inutile erit nonnulla addere attinentia ad varia loca, in quibus Ariſt. eam veritatem enuntiat, quę etiam ego retuli, dum ex inſtituto de ordine verba feci: nam Ariſt. in 1. phyſ. 57. in 2 de anima 34. in 1. elenchorum, in primo de ortu & interitu, in lib. de ſenſu & ſenſili, in 3. reth. ac etiam alibi, hanc veritatem luce clarius enuntiauit. Qui cupiunt pro ſua ſententia tuenda vim huiuſmodi auctoritatum vitare, varia proferunt, quæ longum, & inutile eſſet referre: propterea capita nonnulla potiora perpendam, vt ceterorum conſimile fiat iudicium. Inquiunt primo Ariſtotelem in primo phyſic. 57. dicentem eſſe ſecundum naturam vt communia primo declaremus, minime indicare nos

re nos id faciẽtes, naturam æmulari, & ſequi, ſed inſitum nobis natura eſſe, vt ita progrediamur, nõ ſecus ac cum dicimus inſitũ nobis natura eſſe, vt per nobis notiora cognoſcamus obſcura: inſuper inquiunt, primo nõnunquam declarãda ꝓponi priora natura, non quia priora natura ſint, ſed quia accidit ꝙ ea etiam ſint priora ſecundum noſtram cognitionem, ac propterea primo eſſe declarãda: præterea addunt, dum primo communia proponuntur, declaranda nequaquam poſſe dici nos æmulari naturam, quia vniuerſalia, & communia naturæ ſunt vltima, & ignota, cum natura nil efficiat, niſi particularia; vniuerſalia vero ſint opus noſtrum, noſtra mente cõfectum, ſolum priora & notiora nobis, quod aiunt præclare ab Auic. fuiſſe declaratum in primo ſuæ ſufficientiæ.

Hæc omnia ſi in oppoſita conuertentur veriſſima erunt: nam primo à vero abeſt quod dum Ariſt. inquit, *eſſe ſecũdum naturam, vt à communioribus ordiamur*, id debeat referri ad naturam noſtrã, quia ille progrediendi modus inſitus nobis natura ſit; non autẽ ad naturam rerum, quam in ordine ſequimur. Primo, quia nulla eſt certior ſententiæ Ariſt. explicatio, quam ea, quæ eſt per ipſummet Ariſtotelem. Frequenter Ariſtot. conſpicuis verbis, ſemetipſum declarans, id ſemper refert, non ad noſtram, ſed ad rerum ordinandarum naturam, veluti dum in 3. rhet. inquit, *ac primo quidem (vt ordo naturæ poſtulat) quæſitũ eſt id, quod re ipſa eſt primum*, & in 2. de anima 34. inquit, *facultatem nutriendi primo eſſe declarandam, quia eſt prima, & maxime communis*. Simili modo aliis in locis ſuam ſententiam explicans, non ex noſtra, ſed ex rerum ordinandarum natura, ordinem eſſe petendum affirmat: inſuper plurimum differt dicere, *eſſe nobis natura inſitum, vt à notioribus tendamus ad ignota*, quod de via legitur in 2. contextu primi phyſic. *& aſſerere eſſe ſecundum naturam, vt primo communia declaremus*, quod de ordine dicitur in cont. 57. hoc enim indicat eſſe conſentaneum naturæ rerum, vt ſemetipſum ſæpe declarat philoſophus.

Præterea minus recte dici exiſtimo, primo nonnunquam declaranda proponi ea, q̃ ſint natura priora, quoniam eadem ſint priora etiam nobis, & noſtra cognitione: nam ſi id eſſet, tunc Ariſt. peccaret per fallaciam non cauſæ, vt cauſa; id n. pro cauſa attuliſſet, quod ex horum ſententia non eſſet cauſa: inquit Ariſt. *ordiendum eſſe à primis, & prima eſſe declarãda, quia ſui natura ſunt prima*; at ſi ex natura non eſſet petenda recta ratio ordinis, Ariſt. non cauſam pro cauſa attuliſſet.

Sed longius adhuc à vero recedunt, dum inquiunt, *communia non eſſe priora natura*. Quod vt lucide conſtet, accipio primo (vt inſtituto noſtro inſeruit) vniuerſale eſſe duplex, vnum primæ, *Communia vere eſſe natura priora.*

Digitized by Google

alterum ſecundæ notionis: non eſt dubitatio de eo ſecundæ notionis; id enim ad logicum ptinet, ſed de vniuerſali primæ notionis, de quo in ſcientiis agitur, quod definitur, & de quo formantur demonſtrationes. De hoc loquens dico, huiuſmodi vniuerſale conſiderari dupliciter, vel vt abſolute eſt, præditūque eſt principiis, partibus & affectionibus, ac ita à natura producitur, in indiuiduis reperitur, & de eo vera ſunt, quæcunque in ſcientiis cōſiderantur: de quo Ariſt in 4. de gen. animalium c.3. dixit; *generat autem, & quod particulare eſt, & quod genus eſt*; (inſuper addit) *inſunt autem motus, alii actu, alii poteſtate*; *actu inſunt motus eius, qui generat & vniuerſalium, vt hominis, vt animalis, &c.* aperte philoſophus, id vniuerſaale, quod in rebus reperitur & ad ſcientias pertinet, ait *generare & generari, ac ita ſeruari æternum*. Secundo poteſt conſiderari non pro ſua abſoluta natura, ſed pro ea reduplicatione, vt abiunctum à ſingulis, pro qua ſola eatenus dicitur fieri ab intellectu, quatenus communem illam naturam apprehendit, nō apprehenſis iunctis cum ea: at dum in ſcientiis conſideratur, non ipſo pro formalitate ab intellectu ſuperaddita, ſed quatenus eſt naturæ opus, explicatur; ac ita de eo præcognoſcimus quod ſit, hinc ea, quæ illi tribuūtur, etiam ſingularibus cōpetunt. Hoc præclare patefecit Alex in 1. nat. q c.3. inquiens, *neque communium vt communium ſunt definitiones, ſed horum quibus ſingularem accidit competere naturam*: ſimiliter ait; *definitiones eſſe communium, quæ ſunt in ſingularibus*. Ex quibus conſpicue elicio, nō recte dici vniuerſalia, de quibus in ſcientiis primo agitur, & quæ definiuntur, ac explicantur, non eſſe opus naturę, ſed noſtri intellectus; vere enim ſunt naturæ opera; quod latius oſtenderem, niſi res ex ſe conſpicua eſſet: & præſertim quia dum dicimus communiora primo eſſe declaranda, non fit comparatio inter vniuerſalia, & ſingularia, q non attinent ad ſcientiam, ſed inter magis, & minus vniuerſalia, quorum non vnum magis quam alterum eſt opus intellectus, & ideo inſtantia, & ratio inanis eſt penitus.

Præterea accipiendum eſt, natura primum eſſe duplex, vnum *origine*, aliud *inſtituto, & perfectione*. Diſtinctio eſt Ariſtotelis 3. de anima 49 ſtatuentis, *primum in actione, & primum in appetitione*. Primum origine eſt id, quod eſt ſimplicius, & generatione prius; veluti principia comparata cum compoſitis in procemio phyſ. dicuntur natura priora, & materia comparata cum forma; in ſecundo de partibus animalium cap. 1. dicitur *prior generatione*: Primum autem natura ſecundum inſtitutum, & perfectionē eſt id, quod præſtantius eſt, & frequenter generatione eſt poſterius, vt aſſeritur in ſecundo de partibus animalium c. 1. cœli cont. 12. 2. cœli 23. & 8. phyſ. 75. Cum igitur natura primum ſit duplex, in or-

dine

dine cōpoſitionis ordimur à primo origine, in ordine reſolutionis à primo pfectione, & inſtituto: ex quo elicio, non recte dici, dum ordimur à communibus, nos non ſequi, & imitari naturam, & communia non eſſe natura prima. Quod autem ſint natura prima, oſtendo ratione, & auctoritate: *ratione*, quia ſunt ſimpliciora, ſunt principia ceterorum, ſunt primo nota cognitione diſtincta, ſunt priora generatione: hæc ſingula ſeorſum, oſtendunt ea eſſe priora natura; & iuncta ſimul, inſolubiliter id ipſum patefaciunt; ita dixit Porphyrius, ex genere, & differentiis, vt ex materia & forma, conſtitui ſpeciem, & Ariſtot. in 2. de gen. animalium, c. 3. affirmat, vniuerſalia prius gigni, inquiens; *non enim ſimul animal ſit, & homo, nec animal, & equus, eademque in ceteris animalibus ratio eſt; finis enim poſtea contingit; proprium autem eſt finis cuiuſque generationis, &c.* Conſtat itaque conſpicua ratione, communia eſſe priora natura: id ipſum patet *auctoritate*. nam ait Ariſtot. 6. Top. cap. 3. *genera eſſe ſimpliciter notiora, & priora ſpecie; at eſſe notius, & prius ſimpliciter, & eſſe notius, & prius natura in idem veniunt*, vt conſtat ex 2. cont. 1. phyſ. Præterea ſecundo cœli context. 22. legitur, *prius natura in quouis genere eſt, vnum multis, & ſimplex compoſito; at communiora in vnoquoque genere ſimpliciora ſunt*.

Ex quo conſtat quam longe à vero illi recedant, qui p vitanda auctoritate ſumta ex primo elēchorum, vbi ait Philoſophus, *ſumptò ſecundum naturam à primis initio, &c.* quibus verbis conſpicue indicat nos in ordine naturam ſequi. Ipſi paruipendendo locum illum aiunt, ea à quibus orditur Philoſophus, in eo libro eſſe, non prima natura, ſed communia quædam nobis nota: at ſi orditur à communibus, & communia ſunt natura priora, vt patefeci, vere naturam ſequitur, & à natura primis philoſophus orditur. Propterea Alexander locum illum explicans, præclare ait, *genera ordine natura priora eſſe ſuis formis*, hoc eſt, *differentiis*, recte patefaciens Ariſtotelem potiſſimam ordinis rationem ex natura elicere, vt ipſemet Ariſtoteles aperto ore id eo loci enuntiauit.

Præterea etiam conſpicue falluntur, dum pro ſe Auicennam afferunt in primo ſufficientiæ cap. primo, cum tamen conſpicue eis aduerſetur: nam aſſero ego, in ordine compoſitionis nos ordiri à primis natura, non dignitate, & inſtituto, ſed origine, & communia origine eſſe natura prima. Auicenna autem eo loci, non de primo origine, ſed de primo perfectione, & inſtituto loquitur, à quo ordimur ordine reſolutionis, verba eius ſunt conſpicua; inquit enim *res communes eſſe nobis notas ſecundum noſtras rationes, quamuis non ſint nota natura*, hoc eſt, quia non ſunt res, quas natura optet, vt perficiat eſſe in eis: & poſt pau-

ca: *iam pene manifeſtum eſt, quia hoc exigitur, vt natura ſpeciei operetur, indiuiduum non proprie deſignatum, & hoc eſt perfectio, & finis Vniuerſalis, & quod eſt prius, & magis notum natura*, hoc eſt, & non eſt hoc prius natura, ſi intelligimus prius (vt dictum eſt in categoriis) ſed intelligimus prius pro fine, &c. quibus nil clarius pro comprobatione meæ ſententiæ dici potuit; patefacit enim Auicenna duplex eſſe natura prius, origine ſcil. & inſtituto, vt ego frequenter aſſerui, & inquit ſe tunc loqui de primo, quod eſt finis, & ſecundum inſtitutum, conſiderat enim quid maxime natura expetat, & ſit finis generationis, & aſſerit huiuſmodi finem, eſſe ſingulare indefinite ſumptum, quem mox ſequutus eſt Scotus.

Præterea cum Ariſt. frequenter aſſerat, rectam ordinis rationem ex natura peti, ac id ipſum affirmet in ſecundo de gen. animalium c. 4. dum comparans animalia producentia animal perfectum, cum parientibus oua, inquit: *nunc à primis ordiendum eſt, prima autem ea ſunt, quæ ſunt perfecta, & huiuſmodi ſunt ea, quæ animal generant, eorumq́; prius homo eſt. &c.* Aperte philoſophus rationem ordinis ex natura petit, cum dicat ordiendum eſſe à primis, & prima ea eſſe quæ ſunt perfecta.

At admirabilem forte aliquis excitabit difficultatem, & mirari poterit, quod illam non animaduerterim: quia ſi duplex eſt naturæ ordo, vnus originis, alter inſtituti, & perfectionis, tum id quod perfectiſſimum, tum id quod imperfectiſſimum eſt, erit natura primum, & propterea cum Ariſt. dicat ordiendum eſſe à primo, non poterit colligere eſſe ordiendum ab homine; quia pari ratione colligi poterit, primo de imperfectiſſimis eſſe diſſerendum, cum ea quoque prima ſint.

Cum hæc dicant, in tres labuntur errores. Primo, quia vim auctoritatis non vitant; non n. deducere ad abſurda, eſt ſoluere: aperte ibi philoſophus rationē ordinis ex natura petit, cum de homine dicat primo eſſe agendum, quia primus eſt, denotando primum perfectione, & inſtituto, quod abſolute natura primum conſueuit appellare.

Secundo, ſi ea inſtantia alicuius eſſet momenti, non mihi ſed Ariſtoteli aduerſaretur: Ariſt. eſt, qui frequenter ait, *ordiendum eſſe à primis, & per prima nonnunquam denotat communiora, & priora origine*; vt in primo elenchorum, & in ſecundo de anima 34. & alibi, *nonnunquam perfectione*, vt in ſecundo de gen. animalium c. 4. quare per admirabilem hanc inſtantiam dicerem ego; cum Ariſt. frequenter aſſerat, ordiendum eſſe à primis, & per prima, modo vnum, modo alterum denotet, quomodo colligit, modo in vna, modo in altera ſignificatione, ab aliquo primo eſſe ordiendum?

Errant

Digitized by Google

Errant tertio, cum difficultatem penitus inanem extollant, & minus recte inquiunt; me eam non vidiſſe, cum ex dictis meis conſpicua eliciatur ſolutio: nam Ariſt. frequenter aſſerit, *rectam ordinis rationem ex natura eſſe petendam*, & quia natura primum eſt duplex, inde prodit duplex genus ordinis, ac vt ego c. 19 patefeci, ob rerum de quibus agitur, & inſtituti auctoris varietatem, modo ab vno, modo ab altero primo orditur, nec ob primi multiplicem ſignificationem nos decipit, quia inquiens ordiendum eſſe à primis, vel in illis verſatur, in quibus ordo originis eſt conſpicuus, & tunc denotat priora origine, vel in illis, in quibus huiuſmodi ordo vel non reperitur, vel non eſt adeo conſpicuus, vt in ſpeciebus ſub communi aliquo genere poſitis, & tunc denotat primum perfectione, & inſtituto: inſuper inquiens ordiendum eſſe à primis, ne decipiamur, ſimul declarat quid nomine primi ſignificet; vt in ſecundo de gen. animalium c. 4. ait, *ſe denotare perfectum. alibi vero ſe denotare communius, prius origine, & ſimplicius*; nam ab vtriſq; primis ordiri licet; ideo ait Auer. in 1. poſt. *licere in ſcientiis vti vocibus æquiuocis, dummodo eis non vtamur æquiuoce*, hoc eſt, in varia ſignificatione in præmiſſis, & concluſione. His accedit, quod dum Ariſt. ait, *ordiendum eſſe à primo*, duplicem conſueuit facere comparationem: vnam inter principia, vel ſimplicia, vel communia, & collocata ſub eis: alteram inter perfectum, & imperfectum, ſola conſiderata ratione perfectionis: in prima comparatione, ſimpliciora communia, & principia dicũtur prima: in altera vero, perfecta prima ſunt: ac ita per æquiuocationem nos minime decipit philoſophus, cum per diſtinctam comparationem aperte denotet, quid nomine primi ſignificet; nam imperfectum ſola imperfecti ratione, niſi aliud addatur, natura primum non dicitur.

At dicet forte aliquis; Ariſtotelem in 3. de anima ordinem à communiore non ſeruaſſe: vis enim mouens animalia, eſt communior mente; & tamen prius de mente loquitur, quam de facultate mouente.

Cum hoc dicant, aperte errant; vere enim Ariſtot. naturam ſequitur, & a primis origine orditur, ꝙ fieri debet in ordine compoſitionis: nam origine & natura, principia ſunt priora his, quæ ex principiis pendent, mens eſt principiũ ſaltem remotum motus, non autem vice verſa: principia enim motus ſunt appetitus, & mens practica, tertio de anima 49 denotãdo nomine mentis & veram mentem, & phantaſiam, adeo ꝙ adæquatum principium motus animalium ſit phantaſia, & mens, quod adæquatum principium eſt natura prius motu vniuerſe ſumto ex eo adæquato principio prodeunte, & cum eo reciprocatur: nam vis mouendi nõ eſt vere genus commune, vniuocum, & natura vna

eadem in omnibus, nec vere eſt diſtincta animæ pars, ſed diſtincta operatio, pendens, tanquam ex adæquato principio, non ex ſolo ſenſu, ſed ex ſenſu & mente, & ideo eſt aliquid natura poſterius ſenſu, & mente; in quibus explicandis vere Ariſtot. naturam ſecutus, & imitatus eſt, cum prius de principiis egerit.

His decurſis, perpendamus nonnulla attinentia ad ordinem externorum ſenſuum. Declaraui c. 19. introductionis, quod cum inter externos ſenſus ordo adeo neceſſarius nō ſit, vt vnus ſit principium, per quod alter ſit, & cognoſcatur. Ariſtoteles orditur à viſu origine poſtremo, quod cum faciat, etiam naturam ſequitur; viſus enim vt eſt præſtantior, & poſtremus origine, ita abſolute eſt natura prior; nam cum duplex ſit natura primum, vnum origine, alterum inſtituto, & dignitate, conſueuit frequenter philoſophus, primum dignitate abſolute nuncupare natura primum, vt conſtat ex primo cœli 12 ſecund. cœli 23. & phyſic. 58. & 75. Quod vero ſolum origine primum eſt, non adeo abſolute, ſed cum aliquo additamento, vel generationis, vel originis, cōſueuit natura primum appellare, vt ſeruauit in 2. de partibus animalium c. 1. dum materiam cum forma comparabat. Hinc oritur quod, dum ordo adeo neceſſarius non eſt, vt vnum ſit principium, per quod aliud ſit, & cognoſcatur; mos Ariſtotelis fuerit, vt magis naturam æmularetur, ordiri à præſtantiore; id enim eſt prius natura abſolute: ſic loquutus de plantis, & animalibus; orditur ab animalibus; locuturus de ſpecieb. animalium, dum nil obſtat, & cetera ſunt paria, orditur ab homine; loquuturus de externis ſenſibus, orditur à viſu; quod etiam in aliis nonnullis ſeruauit.

Ex quo tria quorundam conſpicua errata refulgent. Vnum eſt, quia dicunt viſum eſſe quidem primum perfectione; at non natura, & inſtituto naturæ, quod cū vero pugnare, patet, primo ratione: nam perfectius frequenter (vt dixi) ab Ariſt. nuncupatur natura primum: at in ordine externorum ſenſuum viſus eſt præſtantior ceteris; igitur eſt prior natura: id ipſum patet conſpicua auctoritate Ariſt. in 2. de ortu, & interitu, cont. 7. dicētis, ſenſum *videndi, & colores eſſe natura priores*; nam conſpicuam de natura facit mentionem. Ideo Philoponus, D. Thomas, Ægidius, & omnes interpretes, eo loci, vna cū Ariſt. affirmant ſenſum videndi natura eſſe priorem, quod male inficiantur nonnulli, vt opinionem ſuam tueantur.

At dicet forte aliquis, ſententiam illam Ariſtotelis de duplici naturæ ordine, duplicique primo, adeo vt primum generatione ſit vltimum inſtituto, & primum inſtituto ſit vltimum generatione, de his tantum eſſe veram, quæ inuicem ſe habent, vt cauſæ, & effecta, veluti elementa, mixta conſimilia, membra, & ani-

mal

Digitized by Google

mal totum; in reliquis autem ſolum notari poſſe ordinem naturæ, qui eſt originis; non autem alterum, qui eſt instituti, & appetitionis.

Hæc explicatio ſententiæ Ariſtotelis, eſt conſpicua eius euerſio: quod patet perpendendo exempla varia, quibus Ariſtoteles ſemetipſum declarat; nam in 8. phyſic. 58. & primo cœli 12. *ex eo quod perfectum eſt natura primum*, colligit, *circulum eſſe natura priorem recto, & motum in orbem motu recto; cum tamen nec circulus, nec motus in orbem, ex recto componantur, ſimiliter cœlum, quia inter ſimplicia corpora eſt perfectiſſimum, dicitur natura primum*: præterea Ariſtoteles in ſecundo de partibus animalium, capite primo, vbi eandem profert ſentẽtiam, *poſteriora nempe generatione eſſe natura priora*; comparat materiam cum forma, & formam ſtatuit natura priorem, cum tamen (ex eorum ſententia) materia non referatur ad formam, vt cauſa ad rem effectam. Et demum hoc cõſpicue patet ex Ariſtotele in ſecũdo de ortu, & interitu, cont. 7. vbi aperte *ſenſum viſus aſſerit natura priorem ceteris ſenſibus*. Abſolute itaque dicamus cum Ariſtotele in omni genere perfectius ſecũdum institutum eſſe natura prius, & iure, nam vnumquodque per naturã eo gradu optatur quo eſt; quare in genere, quod eſt perfectius, primo optatur, & ſecundum institutum eſt primum.

Aliud erratum eſt, quia inquiunt; animalia non eſſe natura, & instituto priora plantis, quia quælibet eſt ſpecies corporis physici, ex ſe conducens pro perfectione vniuerſi, propterea aiunt, dicere quidem valemus plantam natura priorem animali, & animalia homine, ſed non vice verſa, hominem animalibus, & hæc plantis natura priora dicere debemus, ſed tantum perfectione. *Quomodo animalia ſint priora plantis.*

At profecto non recte ſentiunt: iam patefeci, perfectiora ea eſſe, q ab Ariſtotele abſolute dicuntur natura priora; propterea aſſerere eſſe pfectiora quidẽ in genere viuentium; at non natura priora, eſt pugnantia pferre: nam in quouis genere (vt patuit) qꝫ eſt perfectius, eſt natura prius, vt in genere figurarum, & ſic de ceteris; quare ſimiliter in genere viuentium: qꝫ clarius adhuc oſtendo p cõceſſa ab illis; aiunt ſtirpes eſſe natura priores animalibus, quod ſolũ eſt verum ordine generationis. Accipio itaque pro maiore propoſitione ſententiam Ariſt. in 2. de partib. anim. c. 1. 8. phyſ. 58. 1. metaphyſicæ, c. 7. *poſteriora generatione ſunt priora natura*; huic minorem conceſſam addo: animalia ſunt poſteriora generatione: ex quibus neceſſario colligitur animalia eſſe natura priora plantis.

Similiter à vero abeſſe puto, quod dicunt, hominem non eſſe mortalium finem, & mundum nõ eſſe finem corporum conſpi-

rantium ad eius conſtitutionem: inquiunt enim ſimplicia corpora nequaquam eſſe propter mundum, tanquã propter finem; ſed ſingulas ſpecies naturalium corporum eſſe propter ſe ipſas: adeo quod ſi ordiremur à mũdo, & progrederemur ad corpora illum conſtituentia, ordo ille non eſſet à fine ad ordinata in finem. Quæ ſententia quamuis ex ſe, & conſenſione ſapientum conſpicue appareat falſa, vt tamen veritas clarior eluceſcat, aliquid de ea dicam. Quod mundus inter corpora recte ſtatuatur finis ceterorum corporũ cõſpirantium ad eius conſtitutionem, primo ita oſtẽdo: in omni genere id quod eſt perfectum, eſt natura primum, vt ſæpe dicitur ab Ariſtotele: in genere corporum mũdus ſolus eſt abſolute perfectus, vt dicitur in proœmio primi de cœlo: igitur eſt natura primus, & cum nõ ſit primus origine, erit primus inſtituto, & perfectione, quod primum finis dicitur ceterorum. Præterea accipio id ꝙ ab Ariſtotele dicitur in primo de cœlo, qui dicit cœlum, dicit formam, qui hoc cœlũ formam cum materia, & nomine cœli Ariſt. mundum ſignificat: inſuper ait mundum eſſe vnum, quia conſtat ex vniuerſa materia, ex cũctis nempe corporibus, grauibus, leuibus, & neutris, ex his hanc elicio oſtenſionem: materia eſt propter formam, tanquam propter finem, vt dicitur in 2. phyſ. 90 *Mundus eſt forma, & ſimplicia corpora illum conſtituentia, ſunt materia:* mundus igitur eſt finis corporum illum componentium. Similiter ex 2. phyſ. 31. totum formam denotat, partes vero materiam, forma autem finis eſt, 2. phyſ. 25. 74. 90. & alibi, cum igitur totum denotet formam, & forma ſit finis, cogimur fateri mundum, qui abſolute eſt totum vere eſſe finem partium conſtituentium illum: prĕterea cœlum, & reliqua ſimplicia corpora, ab Ariſtotele nuncupantur elemẽta mundi, vt 3 cœli cont. 1. & alibi, elementum refertur ad aliud 10. metaph. cont. 2. nam refertur ad id, cuius eſt elementum tanquam ad finem; ſunt itaq; ſimplicia corpora propter mundum, tãquam propter finem. Præterea inquit Ariſt. in 1. de repub. c. II. *ciuitatem eſſe natura priorem domibus, & ciuibus, cum ſit totum perfectum, & finis*, & quia mundus eſt tanquam communis ciuitas per naturam cõſtituta, longe magis cenſeri debet finis, & natura prior componentibus illum: hanc veritatem præclare approbauit Simplicius, & ante illum Alexander, inquit enim Simplicius 1. cœli 12. *mundus eſt perfectior partibus, & prior ipſis natura*, vt etiam Alexander confitetur; *prior autem natura dicitur ſuis partibus inſtituto, & perfectione:* demum omne vltimum, & perfectum eſt finis; hæc enim duo finem conſtituunt, vt ait Ariſt. in 2. phyſ. 25. *mundus autem comparatus cum ſuis partibus, eſt origine vltimus, & perfectus*, vere itaque finis eſt corporum conſpirantium ad eius conſtitutionem.

Mundum eſſe finem corporum illum conſtituentium.

Simplicius.

Alexander.

Conſimili

Conſimili quoque ratione non recte dicitur, hominem non eſſe finem mortalium corporum, ſed quodlibet naturale corpus propter ſeipſum eſſe. Nam aperte philoſophus 12. metaphyſ. 52. oppoſitum aſſerit; inquit enim, *omnia coordinata ſunt aliquo pacto; at non ſimiliter, & natantia, & volatilia, & planta, & non ſic ſe habent vt vnum, nil ſit ad aliud, ſed eſt aliquid, &c.* aperte philoſophus phyſica omnia corpora, & plantas, & animalia; ita ait in ordinem eſſe redacta, vt vnum aliquid ſit ad aliud, at in ordinatis, dum vnum eſt ad aliud, poſterius eſt finis prioris: præterea id, quod per naturam optatur, eſt ens, & bonum, & id primo, & maxime optatur, quod maxime eſt bonum, in orbe mortalium, inter phyſica corpora; optimus eſt homo; quare primo per naturam, & maxime tanquam finis cæterorum optatur: quod etiam per ſæpe dicta confirmatur. Quod enim eſt generatione poſtremum, eſt natura primum: homo, quia includit contenta in aliis mortalibus, & aliquid vltra, eſt generatione poſtremus: quare natura primus eſt. Quod conſpicue enuntiauit Ariſt. in 2. de gen. animalium, cap. 4. *dum hominem inter animalia primum ſtatuit, & cum non ſit primus origine, colligitur quod ſit primus ſecundum inſtitutum quod fini competit origine poſtremo.* Recte itaque nedum theologi, verum inſuper potiores philoſophi, hominem ſtatuunt finem mortalium, vt etiam humanam mentem cæterarum formarum iudicant finem, & formarum formam, vt ait Them. in 3. de anima. *Homo finis mortalium.*

Præterea adhuc clarius errant, quia nedum inficiantur, hominem eſſe finem mortalium, & mundum eſſe finem ſimplicium corporum, & partium eius, verum inſuper addunt, ſecundo de methodis, cap. 7. facta comparatione, inter communiora, & minus communia, *ſpecies infimas poſſe quidem in ſuo genere vocari vltimas, at non finem:* quia non omne vltimum eſt finis, vt ait philoſophus in ſecundo phyſ. 23. At addo ego: id vltimum, quod eſt optimum, eſt finis. Poſtremæ ſpecies, nedum ſunt vltimum, ſed etiam optimum, cum præditæ ſint vltima differentia, & poſtrema perfectione, qua carent ſuperiora genera; igitur vere ſunt finis. Quod etiam patet, quia vltimum generatione eſt natura, inſtituto, & perfectione primum, & finis cæterorum: ſpecies infima eſt generatione vltima, vt dicitur ſecundo de gener. animal c. 3. quare, &c. *Species vltimæ ſunt fines magis communium.*

Patuit itaque (vt ad id reuertamur, vnde receſſimus) Ariſtotelem in ſecundo de anima in explicandis ſenſibus, re vera ſequutum fuiſſe naturam, & orſum fuiſſe à viſu, vt à primo perfectione, & inſtituto, ac eundem ordinem ſeruaſſe in explicandis cæteris externis ſenſibus; Platonem vero & Auicennam, ſequutos fuiſſe naturam, ſecundum ordinem originis.

Digitized by Google

1018

At quæret forte aliquis; ſi Ariſtot. in lib. de anima, agens de ſenſibus, & à viſu ordiens, ſeruat ordinem naturæ, in lib. de ſenſu & ſenſili, agens prius de ſapore, quam de odore, quem naturæ ordinem ſeruauit? non originis, quia orditur à viſu & coloribus; non perfectionis, quia guſtatus non eſt præſtantior odoratu: ſolum itaque ſequitur ordinem facilioris cognitionis.

Quam inſtantiam qui magnifaciunt, conſpicue errant, primo quia ego, & cap. decimo nono, & alibi aſſerui nonnunquam ex euentu, & ob impedimenta, prætermitti ordinem naturæ; at illum non eſſe abſolute ordinem, cum ad nullam ordinis ſpeciem pertineat; facilitas enim & difficultas, nec reſolutionem, nec compoſitionem conſtituit, quæ duæ ſolæ ſunt ſpecies ordinis. Præterea aliud eſt conſiderare ſenſus, & conſiderare ſenſilia: ſenſus neceſſario ſecundum eſſe ſunt ordinati, & in gradus ita diſtributi, vt poſterior præcedentem ſupponat, de ſenſilibus ſecus ſe habet, non enim omnia in diſtinctos gradus ſecundum eſſe ſunt diſtributa, ſed varia in eodem gradu ſunt collocata. Quatuor primæ qualitates ſunt origine primæ, ex earum temperamento prodeunt mox illæ, quæ ſecundæ nuncupantur, & pro eſſe non vna alteram ſupponit: ſed omnes (diſtincta ratione) ex eodem temperamento proxime prodeunt, ordo proprie conſideratur inter ea, quæ ſubordinata ſunt, non inter ea, quæ æque primo ex aliquo prodeunt; ideo Ariſtoteles in explicandis ſubordinatis ſenſibus naturæ ordinem in ſingulis exquiſitiſſime eſt ſequutus; in explicandis autem ſenſilibus, quia per naturam eo ordine non ſunt prædita, non tam exacte id fecit, ſed prius ſaporem, quam odorem explicauit; nec propterea naturæ ordinem deſeruit, quia ſecundum eſſe, per naturam non ſunt ſubordinata; & in non ſubordinatis, ob varias oportunitates, valemus à variis ordiri, cum in eis, nec reſolutio, nec compoſitio locum habeat. Quod ſi etiam perfectionem inſpicimus, odores ob præſtantiam non fuerunt prius declarandi, quam ſapores, cum in vapore ſatis imperfecte mixto ſedem habeant: His accedit, quod Ariſtoteles ſaporem & odorem, tanquam affectiones fere eaſdem conſiderauit; ideo ſimul ambas in quarto cap. declarandas propoſuit inquiens: *de odore vero, & ſapore nunc loquendum eſt; fere enim eadem eſt affectio; non in eiſdem autem eſt vtrumque eorum, &c.* vt itaque affectiones per naturam maxime iunctas, ſimul ordine eas propoſuit explicandas; ratione tamen viæ cognoſcendi illas, quia per ſapores cognoſcuntur & denominantur odores, prius ſapores declarauit.

PARS

Digitized by Google

1019

De ſpeciebus ordinis opinio propria.

CElebris eſt opinio medicorum, & præſertim Galen. tria eſſe ordinum genera; vnum in compoſitione; alterum in reſolutione; tertium in definitione poſitum. Apud Ariſt. tamen, & Platonem duo ſola genera inueniuntur, compoſitionis ſcilicet, & reſolutionis; de tertio nullam faciunt mentionem: quorum ſententiam ego per multos annos ſum ſequutus, variiſque rationibus approbaui, quas retuli in introductione ad ciuilem ſcientiam. Hanc veritatem non ego primus inſpexi, nec eam mihi ambitioſe vnquam arrogaui; noui enim exſtitiſſe alios ante me, qui eam nouerunt. Hinc Hieronymus Balduinus (vt cæteros ſileam) in libris phyſicorum nunquam de pluribus, quam de duobus his ordinum generibus, mentionem fecit: & Celſus Martinengus Clarius, iuuenis doctus & philoſophus, ac medicus meritiſſimus, olimque auditor meus, in ſuo commentario de methodis quem ante multos annos edidit, recte dixit Platonem & Ariſt nullam de ordine ex definitione ſumto mentionem feciſſe. At cum duplex tantum cum Ariſtot. ſtatuam genus ordinis, quia conſueui veterum opiniones pro facultate defendere; ideo Galenum non damnaui, ſed aſſerui facile defendi poſſe. Cum enim in reſolutione ordiamur á fine; finis ille, vel eſt externus, vt in ciuili ſcientia ſummum bonum, quod externum eſt ab hominis generatione, vel eſt internus, ſiue ex internis rei principiis conſtitutus, vt domus dicitur finis artis ædificandi, primus nuncupatur finis rei genitæ, alter generationis. Tertio conſideratur vltimum prædicatione, qualia ſunt minus communia comparata cum communioribus, & ſpecies vltimæ comparatæ cum ſuperioribus generibus: ex hoc tertio non proprie ſumitur ordo reſolutionis; dum enim ordimur á ſpeciebus vltimis, facile labimur in varia abſurda, vt Ariſtot. nos monuit in primo de partibus animalium; propterea progreſſus á multis ſpeciebus ad genus, præſertim ad methodum pro via ſumtam pertinet, vt aſſerui capite 24. & hoc nos docet Ariſtot. prope calcem ſecundi poſter. dum loquitur de methodo indagandi definitiones. Quod ſi etiam in ordine huiuſmodi progreſſus nonnunquam inſpiceretur, ad reſolutionem pertineret, & redigi deberet ad reſolutionem pertinentem ad ſecundum genus finium; nam ambo initium ſumerent á fine, quod totum & compoſitum eſt, differrent ſolum, quia vnum conſideraretur, vt compoſitum ex principiis ſecundum fidē, alterum ſecundum vim imaginandi, vt in procœmio phyſicorum, cont. 5. inquit Auer. Ordo itaque in reſolutione poſitus, vel petitur á fine externo, vel in-

terno; nam cum forma, tum compoſitum, modo aliquo internus, & generationis finis dici poteſt: a quo duplici fine cum ordiamur, eleuamur mox ad ea, quæ in finem ſunt ordináta, idque efficere valemus duplici conſideratione. Primo ſolum conſiderando, quod à fine ordimur, vel externo, vel interno, ac inde ad ordinata in illum eleuamur. Secundo conſiderando, quod ordimur à definitione, vel vtriuslibet duorum finium, vel ſcientiæ eos fines conſiderantis, & ex definitione ſuſcipimus occaſionem diſputandi de cæteris, qui ordo etiam reſolutionis eſt, cum ſumatur à fine, cuius definitio eſt reſolutio, ac inde ſumta ſemper occaſione à definitione, & partibus eius, reſoluendo eleuamur ad cætera, qua conſideratione ego ordinem ex definitione ſumtum conceſſi, & aſſerui ad reſolutionem redigi. Reieci autem ordinem illum ea conſideratione, qua à nonnullis approbatur, qui inquiunt ordinem ex definitione ſumtum, non eſſe à principio vt compoſitionem, non à fine vt reſolutionem, ſed à medio, & ea cõſideratione dixi illum non ſimplicem eſſe ordinem, ſed ordinum permixtionem, cum ordientes à medio, modo ad ſuperiora aſcendendo & reſoluendo, modo ad inferiora deſcendendo & componendo progredi cogamur, vt c. 21. patefeci, adeo vt quemadmodum in progreſſu naturæ ſola reſolutio, & compoſitio ſimplex inuenitur: cætera ex his ſunt compoſita, ita in rebus explicandis hos duos ſolos ſimplices ordines ſeruare valeamus: Ariſt. enim naturam æmulatur & ſequitur. Conſiderandum inſuper, quod quamuis etiam in ordine compoſitionis á toto, eiuſque definitione ordiri valeamus, veluti in ſcientia de natura ordiri valemus à definitione corporis phyſici vniuerſe ſumti; id tamen totum eſt valde diſtinctum ab eo, á quo ordimur in ordine reſolutionis & definitionis. Nam in compoſitione, illud totum non eſt finis, quia eſt totum vniuerſale, ſolum poteſtate cætera continens, & eſt origine primum, quale eſt corpus phyſicum vniuerſe ſumtum, à quo ordientes, quia eſt genus ſupremum; non valemus deinde aſcendere, ſed cogimur deſcendere ad contenta, nec ex eius definitione (cum ſupremum ſit) valemus cum reſolutione occaſionem ſuſcipere diſputandi de cæteris, cum nec in eo actu cætera includantur, nec ab eo præſupponantur. At in ordine reſolutionis, cum poſtremum definiamus, quod vel actu includit, vel præſupponit cætera, eius definitio vt diſtincte eluceſcat, nos excitat cum reſolutione ad indagandas cæterorum, vſque ad prima definitiones. Sic itaque id totum à quo componentes ordimur, longe differt ab eo toto, à quo ordimur, dum reſoluere cupimus. Primum eſt totum vniuerſale & commune, vt corpus phyſicum vniuerſe ſumtum. Alterum eſt totum compoſitum & vltimum, vt mundus conflatus ex

tus ex cunctis ſpeciebus rerum natura conſtantium. Primum eſt maxime ſimplex, alterum maxime compoſitum: illud eſt primum origine & prædicatione, hoc vero inſtituto & perfectione. At cum corpus phyſicum valeat reſolutionis, & compoſitionis ordine explicari, non propterea cenſeo, nec vnquam aſſerui, Ariſt. in libro de cœlo vti ordine reſolutionis. Non enim Ariſt. in libro de cœlo, mundum accipit vt poſtremum ex omnibus rerum gradibus conſtitutum, ac illum in eos reſoluit, nec id facere valuit, cum iam prima & ſimpliciſſima in libris phyſicorum explicaſſet, ſolum philoſophus in libro de cœlo, ſibi tanquam ſubiectum explicandum propoſuit mundum, prima compoſitione, ex ordine ſimplicium corporum, grauium, leuium, & neutrorum conſtitutum, cuius compoſiti principia explicat, æternæque partis declarationem (vt ad phyſicum pertinet) abſoluit. Mox vero in cæteris libris naturalis ſcientiæ, ad exactam mortalium explicationem deſcendit, de quorum ordine, vt multa poſſem, ita nil modo dicere volo, ne longius ab inſtituto recedam: & præſertim, quia de illis ſeparata conſideratione exacte mihi occurret agendum. Conſtat itaque ex his quæ dixi, quomodo ego duo ſola ordinum genera conſtanter ſtatuam, & qua conſideratione ordinem ex definitione ſumtum approbem, ad reſolutionemque redigam, & qua à ſimplicium ordinum genere illum reiiciam: quæ etiam ex mea de ordine diſputatione, ab animis recte affectis colligi poſſent.

Exploduntur errata varia ſecus ſentientium.

CVm veritatem ſatis lucide patefecerim, facile modo eſt explodere errata eorum, qui ſecus ſentiunt. Et ſilentio præteriens, quam recte poſt varios, qui huius fuere opinionis, quod duplex ſolum ex Ariſt. & Platonis ſententia ſit genus ordinum aſſerere nonnulli valuerint, ſe nouam in lucem attuliſſe ſententiam, & nemini poſt Ariſtot. ad hæc vſque tempora notam; non enim id mihi curæ eſt, & nimium latus ſe mihi offeret digrediendi campus, ſi varia huius generis perpendere vellem. Cætera igitur negligens, ea ſola perpendam, quæ cum mea ſententia pugnare videntur.

Exiſtimabit forte aliquis, duplex illud genus ordinis, non ex duplici primo ſecundum naturam, duplicique naturæ progreſſu, ſed ex duplici diſciplinarum conditione ortum ducere: cum enim inſpectrices diſciplinæ ad ſolam rerum cognitionem dirigant, quæ cognitio ex principiis pendet; ideo ab eis neceſſario ordiendum eſt, ex quo conſurgit compoſitionis ordo; diſciplinę vero aliæ, quia ad operandum dirigunt, & ad finis adeptionem, propterea cum prænotione illius finis tradi debent, ex quo con-

ſurgit ordo reſolutionis: ac ita forte ob nouam oſtenſionem, opinio noua erit.

Quicunque hæc dicerent, duplici præſertim ratione à vero recederent, primo, quia noua ratio non reddit concluſionem & opinionem nouam; opinio enim ad concluſionem pertinet, & eadem concluſio ex variis colligi poteſt, nec propterea dicitur reddi noua. Secundo, quia ea ratio eſt conſpicuus error; iam patuit in præcedentibus, diſtinctionem generum ordinis, ex natura petendam eſſe: vt enim duplex eſt natura primum, duplexque naturæ progreſſus, ita duplex eſt genus ordinum. Ars namque naturam æmulatur & ſequitur, quod ex eo lucide patebit, quia cum artes, tum ſcientiæ, vtroque ordine tradi poſſunt. Inſuper conſpicua eſt inſtantia ex grammatica & logica; nam harum finis non eſt ſola cognitio, cum ſint diſciplinæ organicæ; & redigantur (aliis quoque concedentibus) ad artes, & tamen cum compoſitione traduntur: quare inanes penitus ſunt illæ conſecutiones, quia finis eſt ſcire; ideo vtendum ordine compoſitionis, & quia finis eſt operari, vtendum eſt ordine reſolutionis. Præterea quod diſciplinæ addiſcantur cognitis principiis & elementis, commune eſt non ſolis ſcientiis, ſed artibus, & diſciplinis omnibus, vt optimi interpretes affirmant, & præſertim id verum eſſet, ſi (vt inquiunt nonnulli) in ordine ſequeremur noſtrum modum diſtincte cognoſcendi; nunquam enim diſtincte aliquid cognoſcimus, niſi notis principiis eius. Quare ſi ex eo quod in diſciplinis cognoſcenda ſunt principia & elementa; colligeremus diſciplinam tradi cum compoſitione, profecto diſciplinæ omnes cum compoſitione traderentur. Nec ad id confugere licet, quod finis artium reſpondeat principiis ſcientiarum; nam quamuis primum in efficiendo opere differat à primo in inſtituto opificis; tamen (vt ad cognitionem & diſcipliuas pertinet) in omnibus principia, & fines inueniuntur, in omnibus reperitur duplex primum, duplexque progreſſus, & de omnibus eſt verum, non cognoſci pendentia ex principiis, niſi notis principiis; quia regula ea de omnibus firma, & conſtans eſt, vt res ſe habent ad eſſe, ita ad diſtinctam cognitionem.

At perpendamus nonnulla pertinentia ad tertium genus ordinis, quod ex definitione ſumitur, dicent forte nonnulli, hoc ordinis genus explodendum eſſe; quia huiuſmodi ordo initium recipit à definitione diſciplinæ, quæ ad proœmium pertinet; cum per eam definitionem illa proponantur, quæ declaranda ſunt, in progreſſu autem á proœmio ad tractationem nullus doctrinæ ordo conſtitutus eſt; ordo enim in ſola tractatione conſideratur.

At ſatis conſpicue decipiuntur primo, quia definitio vt principium

Digitized by Google

cipium ordinis ex ea ſumti, nequaquam ad procemium pertinet; & ſi in procemio traderetur, non traderetur vt principium ordinis, ſed quatenus per eam capita rerum explicanda proponerentur, quæ in curſu diſciplinæ eſſent declaranda; proprie tamen vt principium ordinis, ad initium tractationis pertinet, quod recte ſeruauit Galenus ſub initio artis medendi. Nam ad procemium nequaquam pertinet definire, ſed tantum id proponere, de quo eſt agendum, & dum primo definimus, non id facimus, vt explicanda proponamus, ſed vt rem de qua eſt agendum explicemus, initiumque ordini tradamus, quorum vtrumque ad tractationem pertinet. Præterea ſi id etiam ab aliquo fieret (vt à viro quodam docto factum noui) profecto non fieret vt ordini principium traderetur, ſed vt ad ordinem ex definitione petendum dirigeret; dirigere enim procemii eſt officium. Inſuper ego iam patefeci in ordine ex definitione ſumto, etiam ab alterius, quam á diſciplinæ definitione nos ordiri poſſe, cuius alterius definitio nequaquam ad procemium pertinet, cum ſit id totum compoſitum, quod in ea diſciplina eſt explicandum. Vera itaque ratio, quod non detur ordo ſimplex ex definitione ſumtus, diſtinctus á cæteris duobus ſimplicibus generibus ordinum, eſt, quia ſi conſideratur, vt eſt non à primo, nec ab vltimo, ſed à medio, eſt permixtio compoſitionis & reſolutionis; ſi vero conſideratur, vt eſt à fine & poſtremo, ad reſolutionem redigitur.

Ex his inſuper conſtat decipi eos, qui inquiunt, quod ego mecum pugno, cum ordinem ex definitione ſumtum, modo approbem, modo reiiciam: nam vt ex medio ſumtum, reiicio, quia ſic eſſet permixtio ordinum, non ordo ſimplex, vt vero ſumtum ex finis alicuius definitione, vel ſcientiæ finem conſiderantis, approbo, & ad reſolutionem redigo.

At dicent forte, me primo duo tantum ſtatuere genera ordinum, mox longe plura referre, cum tria ſtatuam genera reſolutionum; quibus addo ordinem ex definitione ſumtum; demum addere cogor ordinem quintum, & eſt ordo ille, quem Ariſt. ſeruat in declarandis externis ſenſibus; ille enim nec eſt per compoſitionem, cum non petatur ex prioribus origine, nec per reſolutionem, cum viſus non ſit finis cæterorum ſenſuum, non itaque re vera ſtatuo duo ſola genera ordinum.

Conſpicuus profecto eſt error; quod enim duo ſola ſint genera ordinum, variis, firmiſſimiſque rationibus patefeci. Varietates nonnullæ, quas in reſolutione inueniri aſſerui, nequaquam conſtituunt ſpeciem ordinis per ſe diſtinctam, ſed tantum per accidentia, & modos quæ varietas (vt patefeci) ex natura rerum, ex varietateq; finium: & modi quo a fine ordimur, ortum ducit, & quicunque varietates illas, à me explicatas non concederet,

rationi,naturęque rerum aduerſaretur. Hinc etiam Auer. in primo capite ſuarum collectionum, in ordine compoſitionis, varietates conſiderauit. De ordine ex definitione ſumto, quod numerum non augeat, ſatis ſuperque patefeci.

Præterea quicunque de ordine ex definitione ſumto loquentes, meam ſententiam nituntur euertere, ſecum apertiſſime pugnant, cum lib. 2. de methodis, cap. 14. ordinem illum á Galeno ſeruatum in arte medendi, quem Galenus ex definitione ſumtum appellat, dicant eſſe cum reſolutione: quare ordo ex definitione ſumtus, vt ad reſolutionem redigitur, primo ab eis conceditur, mox ſtudio contradicendi, vt a me approbatus reiicitur.

Similiter à vero abeſt, quod ordo ſeruatus ab Ariſtotele in ſecundo de anima in explicandis externis ſenſibus, nec ad reſolutionem, nec ad compoſitionem redigatur; nam proculdubio in ea parte philoſophus reſolutione vtitur: & dum inſtatur, quia non eſt finis; iam ego in præcedentibus conſpicue patefeci, quomodo viſus ſit finis, & ſit ſenſus dignitate, inſtitutoque naturæ primus, cæteros ſenſus præſupponens.

Colligo etiam minus recte nonnullos aſſerere, non poſſe dari modum illum ſecundum reſolutionis, qui eſt à toto compoſito, in ſimplicia & principia, illud componentia. Nam inquiunt: vel ordo ille ſeruatur in ſcientiis, vel in artibus; ſi in artibus, veluti ſi in arte ædificandi ordiremur á definitione domus, & inde eleuaremur ad partes; ordo conſurgens erit ille, qui primo pro reſolutione aſſignatus eſt, ex prænotione finis, & conſideratur tunc domus, non vt totum, ſed vt finis ædificatoris; ſi dicatur id poſſe fieri in ſcientiis, profecto verum non videtur, cum nec in ſcientia tota, nec in partibus id fieri poſſe videatur, non in tota, quia non valemus primo totum compoſitum cognoſcere ignorãtis partibus: quod neque in partibus id ſeruari poſſit, oſtenditur. Partes enim conſiderandæ, vel ſunt partes eſſentiæ, vel integrantes: de partibus eſſentiæ, conſtat primo eſſe declarandas, quia ſine earum cognitione non cognoſcitur totum; á toto autem confuſe noto pro inueniendis principiis ordimur in methodo pro via ſumta non in ordine, ſi fuerint partes integrantes, de illis perinde ſe habet, ac de toto; nam agere de partibus, eſt agere de toto: ideo Ariſt. non ſeorſim de toto animali loquitur, & de partibus eius, nec ſeorſim de mundo, & de eius partibus verba facit.

Quicunque ita inſtaret, primo ſecum, mox cum vero manifeſte pugnaret ſecum primo, quatenus ex vna parte inficiaretur, in reſolutione inueniri varietatem illam, ex varietate duplicis finis prodeuntem, à me explicatam, ex altera in artibus eam concederet:

deret: quod ſi inquiunt vtramque pertinere ad ordinem, ex prænotione finis, id ipſum eſt, quod ego aſſerui; at pro exactiore notitia varietatem finium conſideraui.

Inſuper ſecum pugnaret, cum dicat in eo ordine conſiderari compoſitum, non vt compoſitum, ſed vt finem: nam aſſerendo conſiderari vt finem, eſt idem, ac dicere conſiderari vt cauſſam; per finem enim, vt finem, cauſſam denotamus; nam *qui non eſt cauſſa, tantum per metaphoram eſt finis*, vt dicitur in 5. metaphyſ. At alibi aſſeruit in reſolutione, vltimum à quo ordimur non conſiderari vt cauſſam, ſed vt rem effectam, quod eſt idem, ac dicere vt compoſitum.

Similiter non recte aiunt, in ea reſolutione, in qua à toto compoſito ordimur, non conſiderari compoſitum, vt compoſitum. Nam quod conſideratur vt reſolubile in partes, & principia ſua, conſideratur vt compoſitum: at illud totum in ordine reſolutionis conſideratur vt reſolubile in partes, & principia ſua: igitur conſideratur vt compoſitum. Nam quod conſideratur vt relatum ad partes, & componentia, neceſſario conſideratur vt compoſitum.

Rectius itaque loqueremur, ſi diceremus in omni reſolutionis ordine, id à quo ordimur conſiderari vt cauſſam, & principium in genere finis, & ordientes à toto aliquo compoſito, id conſideramus vt talem finem, nempe vt compoſitum, quod eſt finis partium, à quibus tamen in alio genere cauſſæ pendere poteſt; nam hoc competit fini, vt maxime ſit cauſſa, & tanquam cauſſa in genere finis minime pendeat; cum tamen ex aduerſo pro ſuo eſſe abſoluto maxime pendeat.

Præterea adhuc cum vero pugnant, quia inquiunt in arte medendi ſolum reperiri finem, qui forma ſit, nempe ſanitatem, non autem compoſitum: in arte ædificandi è contrario reperiri pro fine non ſolam formam, ſed compoſitum. Hæc approbari non debent, quia in arte ædificandi finis pro termino ad quem eſt ſola forma, pro vltimo abſoluto & completo, eſt domus, pro fine rei genitæ eſt habitatio, quibus tribus in arte medendi reſpondent, ſanitas, ſanum, & actio illæſa, & quamuis medicus vtramque compoſiti partem non efficiat, ſed ſolam formam, nempe ſanitatem, id nil refert, quia fines modo conſideramus, quatenus in diſciplinis ſunt explicandi; at in arte medendi, non ſolum ſanitas, ſed etiam ſanum conſideratur, a quo ordientes, & progredientes ad ſimpliciora, reſoluendo progredimur. Ideo Galen. recte dicebat, *artem medendi eſſe ſcientiam ſanorum, ægrorum & neutrorum*; & diſtincta conſideratione, cum ſanitas, tum ſanum, pro fine artis medendi accipi poteſt; nam ſi corpus arte curabile eſt ſubiectum, corpus arte curatum finis erit pro

compoſito ſumtus: vt in ſcientia ciuili abſolute finis eſt hõ ad felix.

Inſuper ea, quæ prius retuli, & tam prolixe aduerſus meam ſententiam afferuntur, de ordine à toto compoſito, ad ſimplicia & componentia ſua, nequaquam cum mea opinione pugnant. Nam ego de ordine loquens, ſolum aſſerui, ordinem illum dari poſſe, nec addidi potius ſcientiis, quam artibus congruere; quare cum ab eis hic modus reſolutionis concedatur in artibus, aperte ea ordinis varietas conceditur, aduerſus quam tam prolixe diſputant.

Præterea addo, modum illum ordinis, à me in introductione tantum in genere approbatum, nedum in artibus, verum in ſcientiis quoque ſeruari poſſe, vt in præcedentibus affirmaui. Et dum inſtant, quia progreſſus à toto ad principia componentia non eſt ordo, ſed via, proculdubio non recte ſentiunt; nam & ordo, & via eſſe poteſt; dum enim ex toto inferimus componentia, & per illud vt per effectũ ea explicamus, via eſt: At ſi poſt totius confuſam quandam explicationem progredimur ad ſeparatam ordinatamque declarationem componentium, ſecus ſe habet; hic enim ordo eſt, veluti è contrario, dum per ſimplicia declaramus compoſita via eſt. At dum primo de ſimplicioribus, mox de compoſito verba facimus, non via, ſed ordo (omnium conſenſione) iudicatur, & par eſt ratio de progreſſu à ſimplicibus ad compoſita, & de progreſſu à compoſitis ad ſimplicia: ſi itaque in eo (omnium conſenſione) ſeruatur & ordo, & via; ambo etiam in hoc progreſſu concedi debent: & confirmatur conſpicua ratione, quia ſi in arte progreſſus à compoſito ad componentia conceditur quod ſit ordo, etiam in ſcientiis concedi debet quod ordo ſit; non enim quod ſit vel non ſit ordo ex eo pendet, quia ſeruetur, vel in ſcientia, vel in arte, & ſeruari poteſt ille ordo, cum in parte ſcientiæ tum in vniuerſa.

Cum pateat eos non recte ſentire, qui inficiantur ordinem à toto compoſito ad ſimplicia componentia in ſcientiis ſeruari poſſe, etiam conſtare debet, in principiis errare, ex quibus ſuam ſententiam colligunt. Nam ſi aduerſæ rationes vim haberent, conſimiliter omnes oſtenderent, ordinem illum à toto, vt fine, ad ſimplicia componentia, in artibus quoque reperiri non poſſe, vt cuilibet libere eas conſideranti conſpicuum eſſe poteſt: at ordinem illum aiunt ſeruari poſſe in artibus: quare reuera rationes illæ nullius ſunt roboris. Præterea eædem rationes ſecundum ſe, & abſolute conſideratæ facile diluuntur. Nam dum aſſeritur in vniuerſa ſcientia nos non valere primo totum cognoſcere ignoratis partibus; dico primo eandem eſſe rationem de artibus. Addo ſecundo, id eſſe commune omni ordini in reſolutione

tione poſito; nunquam enim exacte finis eſt notus, niſi poſt eius in ſingula principia reſolutionem: & præſertim hoc coguntur dicere illi, qui cenſent ſolum primo conſiderari finem, vt rem effectam, & non vt cauſſam; nunquam enim res effecta diſtincte noſcitur, non cognitis cauſſis. Hanc veritatem præclare Ariſt. patefecit in primo moral. Nicom. c. 7. inquiens, *ſummum bonum, quod eſt finis ciuilis ſcientia, primo adumbrate eſſe cognoſcendum & declarandum, mox exactius & exquiſitius.* Noſcitur itaque in reſolutione primo finis in parte, & præaccipitur vt cauſſa in genere finis, & per reſolutionem abſoluitur eius explicatio, & euceſcit etiam vt res effecta, pendens ex aliis cauſſis: & ideo hic ordo maxime eſt accommodatus pro inuentione ordinatorum in finem, & oſtenſione neceſſitatis eorum.

Inſuper quod ea ratio nullius ſit roboris, ex eo luculentiſſime conſtat, quia nonnunquam id ipſum contingit in ordine compoſitionis, ait Ariſt *ignorato motu, ignoratur natura, & tamen primo diſputat de natura*, ſic ignorata anima, ignorantur partes animalium, cum non ſint manus, & oculi ſine anima, niſi æquiuoce, & tamen prius agitur de partibus animalium. Pręterea clarius hoc patet ex eorum explicatione, quę ſunt ab vno, quorum commune quia non eſt natura vna in omnibus eadem, non diſtincte cognoſcitur niſi notis contentis ſub eo; & tamen de eo communi primo agitur. Veluti quamuis anima in ſecundo de anima primo vniuerſe definiatur: tamen quia eſt ab vno, *non diſtincte cognoſcitur, niſi notis contentis ſub ea*, vt ait Ariſt. poteſt itaque in ſcientia ordo ille ſeruari, & rationes aduerſæ nullius ſunt roboris.

Similiter non recte ſentiunt de partibus ſcientiarum, cum dicant ordinem illum à toto ad ſimplicia componentia, in partibus ſcientiarum ſeruari non poſſe, cum enim patuerit ſeruari poſſe in tota ſcientia, conſpicuum eſt in partibus quoque ſeruari poſſe: veluti ſi quiſpiam de homine ſibi agendum proponeret, poſſet non inepte à toto ordiri, illumque in partes magis & minus ſimplices, vſque in prima principia reſoluere: & dum inſtatur, quia ſi partes ad eſſentiam pertinent, prius ſunt noſcendæ quam totum; ſi vero fuerint integrantes; declaratio earum non eſt ſeiuncta à declaratione totius: Profecto par eſt ratio de artibus, cum tamen in artibus id poſſe fieri fateantur. Præterea nullius roboris ea ratio eſt, quia [illegible] patuit finem, & totum in ordine reſolutionis, nunquam omni ex parte cognoſci, niſi abſoluta reſolutione in ſingula principia eius; & principia ad eſſentiam attinentia, non in quouis ordine primo explicanda ſunt, ſed tantum in ordine compoſitionis.

Præterea longe id à vero abeſſe cēſeo, quod explicatio totius, & partium integrantium, in omnibus eadem ſit; non enim eſt ſa-

tis pro notitia totius, quod formam, finem, & perfectionem præ ſe fert, ſeorſim noſcere ſingulas partes eius. Nam ea quæ inter ſe differunt, diſtincta cognitione noſcenda ſunt: totum, & partes integrantes, ſeorſim conſideratæ, inter ſe manifeſtiſſime differunt, inquit enim Ariſtoteles in 5. metaphyſ. 19. *ſubſtantia vniuſcuiuſq; eſt, quod ſemel, ſex namq; ſemel eſt ſex; non autem eſt ter duo, aut bis tria*: & Auicenna in 3. tract. metaphyſicæ ait, *decem non ſunt nouem, & vnum, aut quinq; & quinq;*. Inſuper Ariſtot. in calce 7. metaph. ait, *ſyllabam non eſſe elementa, non enim ba, idem eſt, quod B. A* ſimiliter ait Ariſt. in primo poſter. c. 5. *qui cognoſcit habere tres angulos æquales duobus rectis de ſingulis ſpeciebus trianguli ſeorſim, non propterea vere cognoſcit triangulum habere tres.* Quod ſi eſt verum de ſpeciebus comparatis cum genere, longe verius erit de toto comparato cum partibus integrantibus, quia multa competunt toti, quæ non competunt partibus ſeorſim ſumtis. Veluti mundo (vt totum quoddam) competit vt ſit vnus, ſit omni ex parte perfectus, ſit conflatus ex omni corpore graui, leui, & neutro, ſit imago ſenſilis inſenſilis Dei, nil habeat extra ſe, & alia ſimilia; hæc competunt toti, non partibus, oſtendenda ſunt de toto, non de partibus, & toti competit definitio eius propria, quæ non eſt vera de partibus. Ideo reuera conſideratio totius eſt in parte diſtincta à conſideratione partium integrantium; accidit tamen vt magna ex parte notitia totius pendeat ex notitia partium, & ob id nonnunquam conſideratio non videtur diſtincta, cum reuera diſtincta ſit. Ex quo conſtat cœlum pro vniuerſo ſumtum, conflatum ex ordine ſimplicium corporum, cui variæ affectiones competunt, debuiſſe in aliquo libro naturalis ſcientiæ, tanquam ſubiectum conſiderari, quod profecto ſit in lib. de cœlo, vt egregie cenſuit Alex. Non enim vbi totum, & componentia illud conſiderantur, debent componentia iudicari ſubiectum, vt perperam cenſent nonnulli; componentia enim in gratiam totius conſiderantur; at hic non eſt locus huius diſputationis. Et quamuis Ariſt. de mundo loquens non ſit vſus ordine reſolutionis, vt prius patefeci; liceret tamen de eo ordine reſolutionis diſſerere. Veluti ſi de mundo diſputaturi, nobis primo hoc vniuerſum declarandum proponeremus, & conſideraremus per ea quæ ſenſibus occurrunt, admirationemque pariunt, quam formoſum, quam omni ex parte perfectum ſit, ac inde ad proxime componentia eleuaremur, & per ea ad priora per gradus vſq; ad auctorem mundi Deum, ex quo cœlum pendet, & vniuerſa natura; ſic multi conſiderant reſolutionem, & reditum cunctorum in Deum; alii è contrario cunctorum à Deo emanationem, qui cum ſint progreſſus diſtincti, diſtinctos pariunt ordines, animis recte conſtitutis non ignotos.

At im-

At imaginari poterit aliquis in meis dictis inſignes controuerſias, nam ex vna parte ordinem definitionis reiicio, ex altera ordinis eius tres videor ſpecies conſtituere, nempe à definitione ſubiecti, finis & ſcientiæ. Inſuper ſi ordiri cum definitione, eſt conſtituere definitionis ordinem, quia omnes diſciplinæ à definitione ordiuntur, omnes tradentur ordine ex definitione ſumto.

Hæc eſſe conſpicua errata ex prius dictis eſt notum: quicunque enim id aſſererent, errarent non diſtinguentes inter ordiri cum definitione, & ordinem ex definitione peti, ab eaq; ortum ducere. In omni profecto ordine ordiri valemus cum definitione, definiendo aliquid; at non ſemper quod cum definitione ordimur, ordo ex definitione petitur. Dicitur ordo peti ex definitione, dum ex definitione occaſionem ſuſcipimus, ordinate definiendi, & explicandi cætera, & id ſolum contingit, dum ordimur á definitione alicuius finis, vel ſcientiæ, ex cuius definitione finis eluceſcat, vt dixi in præcedentibus. Ideo cum hoc in parte ſeruauerit Ariſt. in libro de moribus, dixit Euſtr. Ariſt. ſeruaſſe ordinem, ſimilem illi poſito á Galeno, ex definitione ſumto; optime enim nouit Euſtr. Ariſt. ſolum duo ſimplicia genera ordinum ſtatuere, & ordinem ex definitione ſumtum ad reſolutionem redigi, neq; te ob id tres ſunt ſpecies ordinis ex definitione ſumti, ſed vna, ex definitione alicuius finis, & ea ad reſolutionem redigitur; vt cumulate pateſeci.

PARS SEPTIMA.

An cum artes, tum ſcientias, vtroq; ordinis genere tradere valeamus.

CVm duplex reperiatur ordinum genus, compoſitionis ſcilicet, & reſolutionis, declaraui ego, veterum ſapientum conſenſione, cum artes, tum ſcientias, vtroque ordine congruenter tradi poſſe, & iure optimo profecto. Ordo enim prodit ex natura, & conditione rerum, & ex duplici primo, duplicique progreſſu, qui in rebus ordinandis conſideratur; vnum eſt primum origine, caput compoſitionis, alterum inſtituto, & perfectione, quod eſt caput reſolutionis, propterea in diſtribuendis vtriſque vtroque genere ordinis vti valemus: vno reſolutionis, pro inuentione, aſſignandaq; ratione neceſſitatis ordinatorum in finem: altero compoſitionis pro exactiore rerum explicatione, & cunctorum ex ſuis principiis pateſacienda deductione. Ideo Ariſtot. eos duos progreſſus, quos ſeptimo metaphyſicæ 23. nuncupauit motus, nedum conſiderauit in attinentibus ad artes, verum in rebus quoque phyſicis, ad ſcientias attinentibus, vt

conſpicue conſtat ex calce ſecundi phyſic. Propterea medici medendi artem, theologi theologiam, & philoſophi res phyſicas, diſtincto ordinis genere explicarunt, quod eſſe rationi conſentaneum capitibus 22. & 23. introductionis ad ciuilem ſcientiam cumulate patefeci, nec quidem iniuria, vt enim pars ſe habet ad particulas ſuas: ita totum ad ſingulas ſui partes, vt argumentatur Ariſtot. in ſecundo de anima, context. nono. At pars in eadem ſcientia, modo cum compoſitione, modo cum reſolutione traditur, vt conſtat de ordine externorum ſenſuum, deque ordine plantarum, & animalium ab Ariſtot. & ab aliis explicatorum, quare id ipſum putandum eſt licere fieri de tota ſcientia, propterea capite vigeſimo ſecundo aſſerui, hoc inſpici poſſe in ſcientiis, & artibus, quod cum duplex ſit genus ordinis, raro tamen à principio ad finem ſeruantur ſimplices, & conſimiles penitus, ſine vlla in partibus varietate, quod minime contingeret, niſi in vtriſque vtroque ordinis genere vti liceret, cum tamen id ſit, denominatio ſemper ſumitur à partibus principalibus, & ab eo, quod totius diſciplinæ abſolute eſt principium, vel finis. Sic modo viri ſapientes conſiderant cunctorum á Deo emanationem, modo reditum in illum. Veluti Empedocles conſiderauit progreſſum ex mundo ſphæræ in mundum litis, & vice verſa, denotando duplicem ordinem inter Deum, & manantia ex eo.

Vetuſtiores philoſophi, metaphyſica cum phyſicis permiſcentes, priora ac ſimpliciora, ad metaphyſicam pertinentia, priuſquam phyſica declarare conſueuerunt: Ariſtot. è contrario, illa à phyſicis ſecernens, prius phyſica, quam metaphyſica docuit: ſimiliter medici, nedum varii, verum iidem, medendi artem ordine penitus diſtincto docuerunt. Ideo admirabilis Galenus ſub initio artis medendi ait, neminem ante ſe medendi artem cum reſolutione tradidiſſe, adeo vt cenſuerit, nedum cæteros, verum Hippocratem quoque, alio à reſolutione vſos fuiſſe ordine, ſimiliter grammatica & logica, quæ artes ingenuæ ſunt, cum compoſitione traduntur. Sic artes cęteræ, quamuis pro partium inuentione, aſſignandaque ratione neceſſitatis earum tradantur, vel inueniantur potius cum reſolutione; dum tamen conſiderantur vt collocatæ ſub ſcientiis, vt fructus earum, & cum exactiore cunctorum explicatione, id fit cum compoſitione. Quod indicare voluit philoſophus ſub initio libri de ſenſu & ſenſili, inquiens: *quare phyſicorum plurimi, & medicorum, qui magis philoſophico artem proſequuntur, hi quidem finiunt ad ea, quæ de medicina: illi vero ex iis quæ de natura, incipiunt de medicina, &c.* Accurate dixit philoſophus, *eos qui magis philoſophice, hoc eſt, exactius, & magis cum ſcientia artem medendi tradunt,*

dunt, ordiri à concluſionibus declaratis in ſcientia de natura, hoc eſt, à qualitatibus, elementis, temperamentis, & ſimilibus declaratis in phyſicis, quæ mox ſunt principia in arte medendi, à quibus ordientes, compoſitione vtimur, ſimul indicans quod dum ars medendi ſecus traditur, minus philoſophice explicatur, cum non à primis, & ſimplicioribus ſumatur exordium. Et conſiderandum quod dum dicimus, vbi deſinunt ſuperiores ſcientiæ, inde ordiuntur inferiores, id non ita debet intelligi, vt quod in ſuperiore vltimo loco fuit declaratum, id ſit initium ordinis inferioris; hoc enim raro, & ex euentu fit, neque eſt neceſſarium. Non enim huiuſmodi vltima arithmeticæ vel Geometriæ, ſunt principia muſicæ, perſpectiuæ & aſtrologiæ, nec huiuſmodi vltima phyſicæ neceſſario ſunt principia artis medendi, ſed in ea ſignificatione intelligi debet, in qua in primo poſteriorum ab Ariſtot. explicatur, nempe quod concluſiones ſuperioris ſcientiæ, in quauis eius parte fuerint explicatæ, ſumantur pro principiis inferioris, ita inferior dicitur cognoſcere quia, ſuperior vero propter quid, & in hac veriore ſignificatione vſus ſum, capite vigeſimo ſecundo, ſententia illa Ariſtot. in libro de ſenſu & ſenſili; *quod medici qui magis philoſophice artem medendi tradunt, à rebus phyſicis ordiuntur*: ideo explicans qui ſit ille finis phyſici, à quo medicus orditur, recte dixi non eſſe finem artis medendi, ſed qualitates primas, elementa, temperamenta, humores, & ſimilia declarata in phyſicis, quæ cum ſint concluſiones phyſicæ, & principia ſanitatis, & artis medendi, recte dicuntur fines phyſici, (concluſio enim eſt aliquid vltimum) & principia medici. Quod ea ſententia non debeat in alia ſignificatione accipi, nempe (vt nonnulli cenſent) referendo illam ad ſanitatem, quæ vltimo in phyſicis, primo in arte medendi explicetur, conſpicuum eſt: tum quia non ſanitas ea eſt, quæ vltimo loco in phyſicis declaratur; nam libri de plantis ab Ariſtot. ſtatuuntur vltimi: tum inſuper quia non ea eſt prima, quæ ſumitur, vt principium in arte medendi, philoſophice tradita, ſed ea ſunt, quæ numeraui; philoſophi enim maxime eſt, à primis rei principiis, pro re exacte explicanda ordiri: tum demum, quia Ariſtot. in fragmento libr. de ſanitate ait; *de ſanitate, & morbo non ſolum medici, ſed & phyſici eſt cauſſas quodam tenus referre*; quibus verbis indicat, ſe in eo libello huiuſmodi cauſſas traditurum, à quibus ſi medicus ordietur, non reſolutionis, ſed compoſitionis ordinem ſeruabit, vt in progreſſu clarius patebit. Inſuper conſiderandum quoque eſt finem, & artium, & ſcientiarum eius eſſe conditionis & facultatis, vt per illum cætera omnia ad diſciplinam pertinentia dirigantur; ideo ſemper ordinanti quamlibet diſciplinam debet eſſe prænotus, alioquin

diſciplinę ordinem ſeruare non poſſet;at cum ordinanti ſit prę-notus, non tamen ſemper primo in diſciplina explicatur, ſed modo ille, modo principia eius, ob varium ordinantis inſtitutum; eo tamen diſciplinam tradens ſemper vtitur, dum rationem declarandorum vult aſſignare, quod frequenter in proœmiis ſeruatur. Ideo quamuis modo aliquo finis ſemper ab ordinante prænoſcatur; non tamen ſemper diſciplina traditur cum reſolutione, & abſoluta prænotione finis, eiuſque prædeclaratione. Præterea etiam maxime in attinentibus ad ordinem hoc conſiderare expedit, quod duo præſertim ſunt, in quibus natura,& conditio ordinis maxime ſeruatur, cauſſæ ſcilicet, & partes communis ſubiecti: vt pertinet ad cauſſas, ſi ordimur ab internis, & ad externas progredimur, ac præſertim ad finem, componere dicimur; contra vero á fine ad interna principia progredientes dicimur reſoluere;vt vero pertinet ad partes ſubiecti, dum á ſimplicioribus ad magis compoſitas tendimus: compoſitione vtimur, contra vero reſoluimus: nam cauſſæ, & partes ſubiecti, ea ſunt, quæ eſſentiam, & conditionem ſcientiæ conſtituunt, ideo in his primo, & præſertim, natura, & conditio ordinis ſeruatur,cęteris autem catenus competit ordo,quatenus cum his nectuntur, vel ex his pendent.

Exploduntur errata varia.

CEnſeo per ea quæ dixi ſatis conſpicue veritatem refulſiſſe, ex rerum natura, & conditione depromtam, á viriſque ſapientibus approbatam: ex cuius elucidatione præclare patere poteſt, quam longe à vero recedant, qui ſecus ſentiunt. Primo enim errant in proferenda aduerſa ſententia; ſecundo in principiis & fundamentis eius;tertio in explicandis auctoritatibus veritati fauentibus;demum in reiiciendis illis,quæ pro explicanda veritate à me dicta fuere.

Vt pertinet ad primum, iam aperte conſtat falſam eſſe hanc ſententiam;ſcientias ſolo ordine compoſitionis,artes ſolo ordine reſolutionis tradi poſſe, quã rem latius in introductione ad ciuilem ſcientiã patefeci. Et hoc præſertim inſpicere licet,quod dum aliquem inſtituere volumus ad recte agẽdum, vel efficiendum, maxime vtimur ordine cõpoſitionis: ratio eſt, quia inſtituentes ad agendum, ſequimur & imitamur modum agẽdi, qui ordo eſt cum compoſitione,ordiendo á principiis, & per media progrediendo ad finem. Quod inſtituendi conſilium nobis in omni arte cõpetere poteſt, & præſertim in ſcientia ciuili, & hoc fuit conſilium meum in ſcientia ciuili,iuuenes ſcil.inſtituere,& inſtitutionis viam patefacere, vt ex proœmio & epilogo conſtat. Ideo iure ordine compoſitionis meo conſilio accommodatiſſimo præſertim ſum vſus;nam quamuis omnis diſciplina conducat

Digitized by Google

ducat modo aliquo pro inſtitutione, quædam tamen dirigitur, ad ſolam inſtitutionem, alia ad inſtitutionem cum inuentione, & ratione neceſſitatis partium eius iunctam.

Vt concluſio aduerſa abeſt à vero, ita principia, ex quibus deducitur, cum vero pugnant; nam dicit eam diſciplinam, quæ ſolam cognitionē quærit, expoſcere, vt primo principia explicentur, cum ex eis cognitio pendeat, à quibus ordiētes dicimur cōponere; diſciplinas vero, quæ vniuerſam cognitionē ad agendū, vel efficiendū dirigunt, neceſſario debere tradi cum prænotione finis, quia non cognitio, ſed operatio quæritur, ad quam per ſolam cognitionem finis dirigimur. Hoc fundamētum, & ex parte ſcientiæ, & ex parte artiū leuiſſimum eſt: primo ex parte ſciētiæ, quia nedum cauſæ internæ, à quibus pro compoſitione ordimur, ſciētiam pariunt, verum etiam externæ, quarū principalis eſt finis; quare ob idem fundamentum valemus etiā ordiri à fine. Quod lucide patet ex 1. cont. 1. phyſic. inquit enim philoſophus, tunc nos ſcire, cū cauſas primas nouerimus, principia prima, & vſque ad elementa, conſentiunt Græci interpretes, & cum eis Auerroes per eas voces denotaſſe philoſophum omnia quatuor genera cauſarum, quod expreſſit philoſophus ſub initio 8. metaph. & latius in 2. phyſ. cap. de cauſis, & patefecit phyſicum reſoluere conſiderata phyſica in omne genus cauſæ, inter quas cum numeretur finis, proculdubio ex ea ratione nō minus colligimus nos debere ordiri à cauſis externis, & à fine, quam ab internis, & ideo non minus colligimus nos poſſe vti ordine reſolutionis, quam compoſitionis.

At inquiunt, ſcientias carere fine, à quo ordiri valeamus, pro cōſtituendo reſolutionis ordine, hoc cum dicant in grauius labuntur erratum: competunt enim corpori phyſico omnia quatuor genera cauſarum, & omnia à phyſico cognoſcenda ſunt, vt aſſeritur in 2. phyſ. ſi omnia ſunt cognoſcēda, pro notitia corporis phyſici, cur nō vt ab internis, ita à fine ordiri valemus? & præſertim cum finis ſit cauſa cauſarum, dirigens omnes cauſas, prætereа vt ab artibus, ita in ſcientiis vterque ille finis reperitur, à quo ordientes reſolutionem conſtituimus; ordiri n. valemus, & à toto ſcibili, non dico vniuerſali, & communi, ſed vltimo, & cōpoſito, ac illud in ſimpliciora reſoluere, & à definitione illius ſcientiæ, quam in ordinem redigere cupimus, & etiam ab eo fine, qui ſcientia eſt, ac inde cum reſolutione per media vſque ad prima, & ſimpliciſſima progredi.

Sed dicent, dum in ſcientia progredimur à toto ad ſimplicia, ea eſt via, nō ordo. Hoc mihi certe mirabile eſt, quod in artibus ille progreſſus dicatur ordo; in ſcientiis autem non ordo ſed via ſit, quaſi differentia artis à ſcientia, conſtituat differentiam viæ,

ab ordine: via profecto eſt, dum ex vno inferimus aliud; at dum explicando, poſt vnum declaramus aliud, ordinem conſtituimus, & nil refert ſiue id fiat in ſcientia, ſiue in arte.

Verum addent in ſcientia non poſſe primo finem cognoſci, quia finis eſt ſcire, quod non in principio poteſt nobis competere, ſed in progreſſu ſcientiæ, in ſingulis enim ſcientiæ partibus partem ſcientiæ acquirimus. In hac inſtantia conſpicuus includitur error, pendens ex æquiuocatione. Nã aliud eſt primo cognoſcere quinam ſit, & quid ſit finis ille, à quo in reſolutione ordimur, aliud illum aſſequi: in ordine reſolutionis ſcientiarum, primo cognoſcimus quis, & quid ſit finis ille, vt quod ſit ſcientiam aſſequi de poſtremo compoſito ad illam ſcientiam pertinente, veluti in phyſicis de mundo abſoluto, & pfecto includente cunctas rerũ ſpecies, mox vero in partibus & vniuerſa ſcientia, conſequimur cognitionem, ac finem illũ, & idipſum accidit de artibus cum reſolutione traditis: primo enim addiſcimus qui ſit, & quid finis, mox conſtituentia illum, ac requiſita pro eius adeptione, adeo vt quatenus ad hoc pertinet, inter artes, & ſcientias nullum ſit diſcrimen; in vtriſque enim aliud eſt cognoſcere, aliud aſſequi finem, & in inſtantia ex vno in aliud cum æquiuocatione fit progreſſus. His accedit, quod (vt dixi) congruenter ordiri valemus a fine, qui eſt cauſa ſubiecti in genere finis, per quem, vt per ceteras cauſas ſubiectum cognoſcitur, & à quouis fine ordiamur, conſtituere valemus ſimplicem reſolutionis formam.

Nec alterius conditionis eſt ratio altera, qua oſtenditur artes ſolo reſolutionis ordine tradi poſſe; quia operatio quæritur, ad quam per ſolam finis prænotionem dirigimur: nam in artibus duo inueniuntur: primo ars ordine prædita, per quam addiſcimus operari; ſecundo vſus artis, ſermo non eſt de vſu artis, ſed de arte in ordinem redigenda, per quam operari addiſcimus. Pro arte addiſcenda, non eſt neceſſe vt ordiamur à fine, & primo illum diſtincte cognoſcamus; nam ſat eſt, vt ſit notus tradenti artem, & inuenienti: inuentio enim ea eſt, quæ neceſſario fit cum prænotione finis; at ille qui ad artem inſtituitur, non tenetur ſemper primo diſtincte cognoſcere finem: propterea docens artem, poterit à principiis ordiri, vel ſaltem ſolum in prooemio finem proponere; nõ autem primo illum declarare, vt etiam frequenter ſeruatur in ſcientiis. imo (vt in præcedentibus patefeci) non poteſt finis artium exacte, & diſtincte cognoſci, niſi prænoſcantur principia, & media, ex quibus pendet. Ideo quamuis artes familiarius pro earum inuentione, & aſſignanda ratione neceſſitatis partium, tradantur ordine reſolutionis, tamen magis exacte magiſque philoſophice (vt dicebat Ariſtoteles) tra-

duntur

duntur, dum primo ſimpliciora principia, quæ ſunt concluſiones ſuperiorum ſcientiarum, proponuntur, per quæ ordo compoſitionis conſtituitur.

At inquiunt, in artibus non per principia cognoſci cetera ex eis pendentia, & conſtituta, ſed cognitionem totam ex fine pendere, & propterea aiunt domum, & compoſita ad artes pertinentia, non cognoſci per lapides, ligna, & conſimilia eorum principia, & addunt Ariſtot. in principio ſexti metaphyſicæ aſſerere quidem ſanitati competere principia; at non dicere cognoſci per illa, ſed hoc ſolum dicere in primo context. primi Phyſicorum; quia tunc de ſcientiis loquitur, de quibus ſolum eſt verum, quod addiſcantur ex notitia principiorum; non autem de artibus.

Proculdubio hæc omnia noua ſunt, & vt noua, ita cum vero ſummopere pugnantia Regula eſt vniuerſalis de omnibus, vera, vt res ſe habent ad eſſe, ita ad diſtinctam cognitionem, pendent artificioſa pro eſſe à ſuis principiis; quare neceſſario per ea cognoſcuntur: regula eſt communis, non cognoſci ea quorum ſunt principia, niſi ex notitia principiorum. Quod conſpicuum redditur ex eorum definitionibus; inquit Ariſt. in prooemio de anima, cont. 16. *domum definiri per lapides, & per huiuſmodi eius principia*, cum enim definitio tradatur pro re diſtincte explicãda, cogimur fateri domum per lapides, & ſua principia cognoſci. Inſuper ait philoſ. ſecundo metaphyſicæ cont. 3. etiam *artes cognoſcere, & conſiderare quomodo res ſe habent, differre ſolum à ſcientia; quia cognitionem dirigunt ad opus, adeo vt in rerum cognitione non differant, propterea vt in ſcientiis, cõpoſita, & effecta cognoſcuntur per componentia, & principia eorum, ita in artibus putandum eſt ſe habere*. Quod eo in loco patefecit Auerroes, inquiens: *ſcientia effectrix, quamuis vtatur ratiocinatione, & ſpeculetur cauſas, tamen non dicitur ſcientia, quia non ſpeculatur cauſas, & definitiones, niſi vt ſciens agat*. aperte ait Auerroes: *in artibus, non ſecus ac in ſcientiis, nos ſcire per cauſas, differre ſolum quia ſcientia ex principiis, & cauſis pendens, in artibus dirigitur ad opus*.

Propterea etiam non recte ſentiunt, dum inquiunt ſentẽtiam Ariſt. in prooemio phyſicorum, nempe ꝙ tunc ſcimus, cum principia nouerimus, veram eſſe de ſolis ſcientiis, non de artibus; vniuerſe n. verum eſt prædita principiis, non cognoſci niſi ex notitia eorum. Ideo Simplicius, Philoponus, & quicunque ingenue philoſophantur, ſentẽtiam illam veram eſſe aiunt de diſciplinis omnibus, idque explicant Græci exemplo artis medendi, grammaticæ, & ſimilium, & quamuis Auerroes cenſeat Ariſtotelem ibi loqui de ſcientiis, non ob id inficiatur etiam pertinentia ad artes per ſua principia, & cauſas cognoſci.

Et lucidius adhuc á vero recedunt: nam cum Ariſt in principio ſexti metaphyſicæ dicat *omnẽ diſciplinam rationis participem, præditam eſſe principiis, cauſis, & elementis*; ac mentionem faciat de ſanitate, ad medicum pertinente, cui aſſerit ea cõpetere, inquiunt quod ea principia, cauſæ & elementa, competunt quidẽ ſanitati, á Medico conſideratæ; nõ ita tamen, vt per ea ſanitas cognoſcatur, ſimiliter aiunt, quod domus non cognoſcitur per lapides, & ſua principia componẽtia; nam hoc dicere eſt idem, ac aſſerere, nec ſyllabas cognoſci per elementa, nec dictiones per ſyllabas, nec res ita ad diſtinctam cognitionem ſe habere, vt ad eſſe, quod eſt peruertere conſpicua principia diſciplinarum. Et confirmatur, quia non ob aliud Ariſtoteles in principio ſexti metaphyſicæ mentionem facit de principiis cauſis, & elemẽtis, competentibus omni diſciplinæ, rationis participi, niſi vt patefaciat, per ea cognoſci cetera pendentia ex illis; ideo mentionem facit de diſciplina participe rationis; ratio enim per principia conſtituitur: immo Ariſtoteles ſemetipſum conſpicue in eodem contextu explicat, inquiens; *per ea principia, vel conſpicua, vel ſuppoſita, cetera declarari*: neſcio quid clarius dicere valuerit. His accedit quod Ariſtoteles idipſum in 11. metaphyſicæ cap 6. confirmat, inquiens: *omnis ſcientia. ſui ſubiecti principia, & cauſas quærit, vt ars medendi, & grammatica*; & loquitur de principiis ſubiecti, manifeſtans ſubiectum per ea cognoſci. Et certe ego, nec quidem mente concipere valeo, quod artificioſa compoſita per eorum principia non cognoſcantur, vt in arte medendi, humanum corpus, & ſanitas, per humores, temperamenta, elementa, & ſimilia non cognoſcantur; ſed cuncta noſcantur per finem, qui etiam finis non conſideretur vt cauſa, ſed vt res effecta, cum oppoſitum eius, ratio, experientia, auctoritas Ariſtotelis & ceterorum conſenſus nobis patefaciant. Immo finis in artibus ille eſt, qui dum conſideratur tanquam res effecta, maxime ex notitia ſuorum principiorum eluceſcit.

Præterea cum aperte conſtet, inane id fundamentũ eſſe, quod artes ſola reſolutione tradantur, exemplo grammaticæ, logicæ, & ſimilium, quæ artes ſunt, & tamen nõ reſolutionis, ſed potius compoſitionis ordine traduntur; inquiunt de logica id contingere ob eius conditionem: cum enim in mentis notionibus verſetur, eius docendi ordo, ab operatione non ſecernitur; dum enim docet inſtrumentorum generationem, ſimul quoq; inſtrumenta format; inſtrumentum namque eſt habitus logicæ in animo formatus antequam ad philoſophandum applicetur, adeo vt tunc inſtrumenta logica efficiantur, dum logicam addiſcimus, quę inſtrum:: ti fabrica, à logicę doctrina non ſecernitur, hinc

hinc habitum adepti ad philoſophandum accedimus, eoque habitu vt inſtrumento vtimur.

Varia in his refulgent errata; nam qui hæc proferunt, primo ſecum, mox cum vero pugnant, ſecum quia ex vna parte inquiunt compoſitionis ordinem ex eo in diſciplinis prodire, quia finis eſt ſcire, quod aſſequi non valemus, niſi à principiis ordiamur, per quæ ſcimus; ordiri autem à principiis eſt componere ex altera fatentur, quod etiam ſi finis nõ fuerit ſcire, vt patet de nuper relatis artibus, quæ etiam ex eorum ſententia non ſcientiæ ſunt ſed artes, ſeruari poteſt ordo compoſitionis, quare ea, quæ ab illis ſtatuitur origo, & prima cauſa ordinis compoſitionis diſciplinarum, non eſt eius propria, & adæquata cauſa, cum ſine ea in diſciplinis ſeruetur compoſitio.

Præterea cum logica, & grammatica tradantur cum compoſitione; vel per principia, cognoſcimus compoſita ex eis, vel ne, ſi non, fruſtra, ab eis ordimur fruſtra, p ea definimus compoſita, vt enuntiationem per orationem, propoſitionem per enuntiationem, & ſic de ceteris; nam definitio traditur gratia diſtinctæ explicationis, ſi ſic, tunc ſecum iterum pugnarent, quia aiunt in artibus per principia non cognoſci ea, quæ pendent, vel componuntur ex eis, vt per lapides non cognoſci domum.

Inſuper cum (virorum ſapientum conſenſione) aſſeruerim c. 22. hoc licere inſpicere in ſcientiis, & artibus, quod cum duplex ſit genus ordinis; rato tamen ab initio diſciplinæ ad finem, ſine vlla partium varietate, conſimiles ſeruantur; ex varia namque partium conditione oritur, vt nonnunquam varietur ordo, denominatio tamen ordinis vniuerſæ diſciplinæ petitur ab eo, ꝙ magna ex parte, & præſertim in explicandis communibus cauſis ſubiecti, & principalioribus eius partibus ſeruatur. Ex hoc conſtat eorum error, qui ex dictis colligũt, me plura, quam duo genera ordinum conſtituere; non enim connexio ſimplicium, numerum ſimplicium auget, duo ſola ſunt genera ſimplicium ordinum; ea tamen ob varias oportunitates in eadem diſciplina nonnunquam miſcentur.

At clarius adhuc à vero recedunt cũ addant, in ordine ſolum inſpiciẽdam eſſe diſciplinam totam, & ratione totius, quamlibet partem debere iudicari talem, quale eſt totum, vt quamuis totum quoddam ſit animal, nõ propterea quæuis eius pars debet eſſe animal, quod cum dicant, & in enuntianda ſententia, & in afferendo exemplo recedunt à vero.

In ſententia primo, quia in conflato ex partibus integrantibus dum denominatio cõpetit, & partibus, & toti, primo competit partibus, quam toti: quia enim partes omnes corporis ſunt albæ, vel plures, totum denominatur album, vel ſimplici-

ter, vel magna ex parte; ideo dicebat Ariſtot. in primo de ortu, & interitu, in cap. de accretione, quia partes creſcunt, totum dicitur creſcere: ſimiliter quia ordo vel cōpoſitionis, vel reſolutionis ſeruatur in omnibus, vel pluribus partibus ſcientiæ, tota ſcientia dicitur vel vno, vel altero ordine tradita, non vice verſa; nam partes componentes, relatæ ad compoſitum, obtinent locum principii.

Errant deinde in afferendo exemplo, & peccant per fallaciam æquiuocationis totius, & partium; tranſeunt enim á toto cui competat denominatio ratione partium integrantium, ad totum cui aliquid competat, non ratione partium integrantium, ſed munere formæ, & partis eſſentialis, per quam ſolum totum denominatur. Nam ordo competit ſcientiæ, ratione partium integrantium, quod patet ex eius definitione: dicitur enim congruens diſpoſitio partium, at animal per animam conſtituitur, quæ eſt pars eſſentialis, dās eſſe toti per quam ſolum totum denominatur animal, & non partes; diſciplina autem ſecus ſe habet: nam & tota, & partes ordinatæ dicuntur, vel vno, vel altero genere ordinis, & ppterea vt corpus poteſt dici album per omnes, vel per plures partes; ita diſciplina vel per omnes, vel per plures partes, poteſt dici prædita ordine, vel reſolutionis, vel compoſitionis.

His accedit quod dum in meam irruunt ſententiam, ſibimet non parcunt, & conſpicue ſecum pugnant: dixere enim in libro de natura logicę capite ſeptimo, Ariſtoteles in tradenda logica, partim compoſitione, vt in libro de interpretatione, partim reſolutione, vt in lib. poſt. vſum fuiſſe, ex quo conſtat eorum conſenſione ordines in partibus variari, & in eadem diſciplina permiſceri, nec ſemper eſſe talem partium omnium, qualis eſt totius.

Inſuper in grauiora labentes abſurda, inquiunt logicam vt artem expoſtulaſſe ordinem reſolutionis, vt fabricantem inſtrumentum ordinem compoſitionis.

Nam ſi logica vt ars expoſceret reſolutionem, cum primo proponatur vt ars, primo in ea apparere deberet reſolutio, & præſertim quia dicunt in arte nil cognoſci poſſe niſi per finem, & ex prænotione eius, ſi vero vt fabricans inſtrumenta expoſceret compoſitionem, quia inſtrumenta logica poſtremo fabricantur, in analyticis, in eis deberet apparere, & ſeruari compoſitio; cum tamen (ipſiſmet aſſerentibus) oppoſitum ab Ariſtotele ſeruetur.

Præterea longe à vero recedunt; dum aiunt in logica docendi ordi-

al ordinem, non diſtingui ab operatione, & fabrica inſtrumenti, quatenus inſtrumentum eſt ipſemet habitus logicę in animo formatus: hoc enim eſſe falſum, ex eo aperte conſtat, ꝙ in præcedentibus fuit oſtenſum, nempe inſtrumenta logica, non eſſe habitum diſciplinæ logicæ, ſed ea, quæ habitu logico formantur, quæ etiam iuncta ſcientiis, & artibus ab eis differunt, cum quibus nectuntur.

Ex hactenus dictis conſtat, perperam à nonnullis explicari primum contextum primi phyſicorum, & primum contextum ſexti metaphyſicæ, dum ex eis colligunt, in ſolis ſcientiis nos poſſe vti ordine compoſitionis, non in artibus, cum ex eis colligatur, non ſecus in artibus, quam in ſcientiis nos poſſe vti compoſitione, quia in ſcientiis & artibus principia competunt, per quæ compoſita cognoſcuntur, quod exemplo ſanitatis pertinentis ad artem medendi patefecit Ariſtoteles.

At longius adhuc à vero recedunt; dum inquiunt, Ariſtotelem per principia ſanitatis, quorum mentionem fecit in principio ſexti metaphyſicæ, & alibi, denotaſſe nō qualitates, elemēta, temperamenta, humores, & ſimilia, vt ego expoſui, ſed remedia, quibus medicus vtitur pro ſeruanda, vel recuperāda ſanitate, quo nil cum vero pugnantius dici poſſe cenſeo, quod oſtendo primo auctoritate Alexandri, qui exponens primum contextum ſexti metaphyſicæ dixit, *principia illa ſanitatis*, quorum mentionem fecit Ariſtoteles, *eſſe calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem, ex quibus temperamenta prodeunt, in quorum geometrica mediocritate collocata eſt ſanitas.*

Inſuper id oſtendo auctoritate ipſiuſmet Ariſtotelis, qui in ſecundo de partibus animalium capite ſecundo inquit: *rerum natura conſtantium, partim calida, partim frigida, alia ſicca, alia humida ſunt, nam vitæ, & mortis, hæ ſunt cauſa, atque etiam ſomni & vigiliæ, iuuentutis & ſenectutis, morbi & ſanitatis.* Sunt enim hæc (vt alio loco expoſuimus) initia elementorum naturalium, &c. Aperte philoſophus qualitates primas, & prodeuntia ex illis, ſtatuit principia ſanitatis, & ægritudinis, non remedia. Quod lucidiſſime confirmatur alia auctoritate Ariſtotelis in libro de ſenſu, & ſenſili, dicentis; *phyſici munus eſſe, cognoſcere prima principia ſanitatis, & ægritudinis*; at ad phyſicum non attinent remedia, ſed ea quæ ego eſſe principia dixi, nempe qualitates, elementa, temperamenta, & ſimilia, quæ Auicenna dixit Medicum à phyſico recipere. Inſuper confirmatur auctoritate Auerr. libr. 1. ſuarum collectionum cap.

Digitized by Google

primo dicentis, Medicum recipere à phyſico cauſas ſanitatis, vt elementa, & ſimilia, ac ita patefecit, quo modo finis phyſici ſit principium Medici. Demum hoc conſtat per conſpicua verba Ariſtotelis in 11. metaphyſicæ, c. 6. dicentis: *omnis ſcientia ſui ſubiecti principia, & cauſas quærit, vt ars medendi, & grammatica*; aperte Ariſtoteles per principia denotat ſe ea ſignificare; quæ dixi; nam ea ſunt principia ſubiecti, nempe humani corporis ſanabilis; non autem remedia: male itaque cenſent Ariſtotelem per principia ſanitatis, denotaſſe remedia.

Ex quo etiam alius error eluceſcit; nam minus recte ſententiam Ariſtotelis explicant, prolatam in lib. de ſenſu & ſenſili. Inquit philoſophus, *Medicos, qui philoſophice artem profitentur, principia à phyſico recipere*, à fineq; phyſici auſpicari: nam aiunt, Ariſtotelem his verbis denotare ſanitatem, & ægritudinem, de quibus prope finem phyſicæ agitur, à quibus orditur Medicus, & præſertim à ſanitate, vt fine, conſtituendo ordinem reſolutionis. Quæ ſententia longe abeſt à vero: primo, quia liber de ſanitate, & ægritudine, non eſt liber poſtremus inter libros phyſicos, ſed libri de plantis, nec ſat eſt dicere quod eſt fere vltimus, quia ſic non ſeruatur, quod Medicus ab eo ordiatur in quod deſinit phyſicus, cum abſolute vltimus liber non ſit. Præterea eſto quod Ariſtoteles id ſignificet, non propterea ex eo colligitur, quod Medicus teneatur vti ordine reſolutionis, ſed potius oppoſitum. Nam inquit Ariſtoteles, *phyſici eſſe de ſanitate, & ægritudine, prima principia cognoſcere*: indicat itaque philoſophus in arte medendi primo declarandā eſſe prima principia ſanitatis, quæ prima principia (vt patuit) ex ſententia Ariſtotelis ſunt qualitates, elementa, temperamenta, humores, & ſimilia, à quibus ordientes compoſitione vtimur; non enim per principia ſanitatis potuit philoſophus denotare remedia (vt nōnulli minus recte aiunt) quia inquit Ariſtoteles, *medicum ſumere ea principia à phyſico*; á quo tamē nō remedia accipit, ſed ea principia quæ dixi, quæ cum ſint concluſiones phyſicæ, & principia medicinæ: recte dicitur finem vnius, eſſe principium alterius, & huiuſmodi principia, cum relatione ad ſanitatem putandum eſt Ariſtotelem declaraſſe in libro de ſanitate, & ægritud. Similiter putandum eſt in eo Ariſt. declaraſſe ex refrigeratione vaporum à frigore cerebri pendere fluxiones, vt affirmat hoc pertinere ad librum de cauſis morborum, in ſecundo de partibus animalium cap. 7.

At inquiunt; quamuis in arte medendi primo declarentur elementa, temperamenta, & ſimilia principia, non propterea deſeritur ordo reſolutionis, quia de illis loqui, eſt loqui de fine, & verba facere de huiuſmodi principiis, eſt loqui de ſanitate. Verum

rum errant, quia ea ſunt interna principia ſubiecti artis medendi, nempe humani corporis, mox ſanitatis, ſubiecto enim artis medendi cōpetunt & interna, & externa principia, ordiri à principiis internis ſubiecti, & ab ordinatis in finem, non eſt proxime agere de fine, ſed de ſubiecto, nec eſt vti reſolutione ſed compoſitione: pro reſolutione enim requiritur non vt à primis internis principiis ſubiecti, ex quibus pendet finis ordiamur, ſed vt ab ipſomet fine.

Prætera ea principia ſanitatis relata, quæ primo in arte medendi explicantur, vel declarant ſanitatem, vel ne, ſi non declarant, agere de illis, nō erit agere de ſanitate; quia ſanitatem non explicent, ſi declarāt, hoc eis aduerſatur; quia inquiunt arti medendi, & ſanitati, competere quidem principia: at non talia, vt per ea cognoſcantur reliqua.

Præterea vt minus recte varia loca Ariſtotelis interpretantur, ita ſummopere errant in explicanda ſententia 23. context 7. metaphyſicæ, cum ex eo colligāt in artibus ſolo reſolutionis ordine licere vti: verba Ariſtotelis hęc ſunt. *generationum & motuum; hac quidem intellectio, hac effectio vocatur, ea quæ eſt à principio, & forma, intellectio eſt, quæ vero ab vltimo intellectionis eſt effectio*, quam ſententiam repetit, & in calce ſecundi phyſicorum, & ſeptimo moralium, & alibi. Inde prodire ea communis regula; primum in efficiendo opere in appetitione eſſe vltimum, quam ſententiam meæ opinioni non obeſſe, nec aduerſæ prodeſſe, ſatis conſpicue cap 23. introductionis patefeci; ex quo conſtat errare eos qui inquiunt, in eo contextu Ariſtotelem aſſerere, artes ſolo reſolutionis ordine tradi poſſe, & ordinem docentis eſſe contrarium ordini artificis operantis. Nam quod ex eo contextu nequaquam id eliciatur, primo notiſſimum redditur, quia id ipſum aſſerit philoſophus in calce ſecundi phyſicorum competere rebus phyſicis, à natura productis, quod etiam competit artibus: cum itaque Ariſtoteles id proferat, quod aſſerit commune etiam rebus phyſicis, & phyſica explicentur ordine compoſitionis, non valemus ex eo colligere, artes ſola reſolutione tradi poſſe; non enim ex fundamento communi pluribus valemus id colligere, quod competat vni ſoli contradiſtincto ab aliis.

Præterea Ariſtoteles ſuis verbis, nil aliud patefacit, niſi progreſſum duplicem, vnum quo aliquid efficiendo; alterum quo media indagando, & inueniendo procedimus. non autem aſſerit ordinem illum, inuentionis neceſſario in tradendis artibus ſeruari, ſed neceſſario ſeruari in indagandis mediis; his accedit quod Ariſtoteles id quod dicit de intellectione, & principio intellectionis à fine ſumpto, non ad ordinem refert, ſed ad viam,

in qua ex vno infertur aliud, vt aperte conſtat ex calce ſecundi phyſicorum, & præſertim ex contextu 89 & 90. nam ait, *ex fine in ratione inferri principia, non vice verſa*; at dum conſideramus, quomodo ex vno valeamus, vel non valeamus inferre aliud, conſideramus pertinentia ad viam, non ad ordinem. Quod aperte confirmatur, quia inquit philoſophus context. 90. in ſcientiis præaccipi finem, & ex eo inferri materiam, & ordinata in finem; quare ſi eam ſententiam referemus ad ordinem: colligemus Ariſtotelem aſſerere, in ſcientiis cum mathematicis, tum phyſicis (nam de vtriſque mentionem facit) primo declarari finem, ac ita in eis ſolum ſeruari poſſe ordinem reſolutionis, quod nedum eſt conſpicue falſum, verum etiam ſecus ſentientibus maxime aduerſum.

At obiiciunt: ſi Ariſt. loqueretur de via, tunc vterque progreſſus deberet viæ inſeruire; at progreſſus à materia ad finem viæ non inſeruit; non enim ex ea valemus finem inferre, quare &c. conſpicuus in hac inſtantia includitur error, quod oſtendo. Primo reflectendo argumentum, ſi Ariſt. loqueretur de ordine, cum loquatur de ſcientiis, nõ deberet reiicere progreſſum à materia ad finem, quia hic ꝓgreſſus ſeruatur in ſcientiis, dum traduntur ordine compoſitionis; at illum reiicit, vt conſpicuum eſt: quare non loquitur de ordine.

Inſuper idem ꝓgreſſus frequenter ſeruatur in artibus in quibus prius materia, quam finis explicatur, vt prius in arte medendi declaratur materia ſanitatis, nempe temperamẽta, humores, & ſimilia, quæ materiæ obtinent locum, quam ſanitas; cum itaque progreſſus à materia ad finem cum in ordine ſcientiarum, tum in ordine artium ſeruetur, & Ariſtoteles neget illum progreſſum ſcientiis, & artibus competere, cogimur aſſerere, ſi Ariſt. ſeruare volumus, eum tunc de via verba facere, non de ordine, quia via ſola ea eſt, in qua ſeruari nõ poteſt; non autem ordo. Ex quo cõſtat eam inſtantiam cõſpicue euertere aduerſam ſententiam, meæ autem nedum nõ obeſſe, ſed manifeſtiſſime prodeſſe. Et dum inquiunt, ſi Ariſtoteles loqueretur de via, vterque ꝓgreſſus deberet inſeruire viæ, profecto hoc inferri non poteſt, quia Ariſt. non vtrumque progreſſum approbat, ſed vnum reiicit. Solum autẽ valemus colligere progreſſum approbatum ab Ariſt. qui eſt à fine ad materiam, inſeruire viæ, nõ alterum quod veriſſimum eſt de via, de ordine autem alieniſſimum eſt à vero, vt patuit.

Sic itaque ex 23. cont. ſeptimi metaph. calce ſecundi phyſicorum, & locis aliis, hoc ſolum colligimus in rebus, quæ vel arte, vel natura fiunt, duplicem conſiderari progreſſum, vnum inſtituto opificis pro inuẽtione mediorum; alterum productionis,

& in

Digitized by Google

& in via ſolum ex fine non poſſe inferre materiam, & media requiſita pro fine, non vice verſa. At quicunque in ordinem diſciplinam diſtribuit, vtrumque progreſſum imitari, ſeruareque valet.

Verum obiiciunt nonnulli, quia ridiculum videtur, quod aſſeramus, cum in attinentibus ad artes, duplex ille progreſſus inueniatur; nos poſſe imitari vtrumque: ita enim imitabimur nos ipſos, & erimus imitatores noſtri; cum tamen imitatio non ſuimet, ſed alterius eſſe dicatur. In hac inſtantia duplex includitur error: vnus eſt, quia imitationis nomine aliquando vtimur late; ideo ego dicebam imitari, & ſeruare. Inſuper id verbum imitari reſpicit naturam & cōditionem rerum, quæ ad artes pertinent; ſeruare vero refertur ad nos, qui conditionis rerum ſumus imitatores.

Alter error eſt, quia imitatio non ſemper expoſcit perſonas diſtinctas, ſed vel diſtinctas perſonas, vel diſtinctas actiones: nam manibus imitamur nonnunquam officia pedum, voces externæ dicũtur nonnunquam imitationes internarum affectionum animi, vt lugentibus, & ridentibus accidit: hinc dicimus dari riſum, fletum internum & externum. Sic in ordinandis diſciplinis, imitari valemus, cum progreſſum noſtri inſtituti, tum progreſſum effectionis operum, ac ita varietas conſpicue ſeruatur.

Verum quicunque ſunt aduerſæ ſententiæ, & artes ſolo reſolutionis ordine tradi poſſe exiſtimant; inquiunt id, à quo ordimur, debere eſſe notum, in artibus nil eſt notum præter finem, quare à ſolo fine ordiri valemus; nam finis ſolus nunquam proponitur vt ignotus, nunquam quæritur, nunquam de illo eſt vlla conſultatio, non enim ambigitur, an ab exercitu quærenda ſit victoria, à Medico ſanitas, ſed in omni arte finis ſupponitur vt notus, adeo quod ſi media quoque, & principia eſſent nota, nulla ars conſtitueretur, quę doceret operari, ſed ſolus reperiretur artifex operans: ſi igitur datur ars docens operari, oportet ignotum aliquid reperiri, quod vt ignotum quæratur, & addiſcatur, id non poteſt eſſe finis; erunt igitur principia ex quibus pendet, & conſtituitur finis, & cum ab ignotis non ordiamur, ſed ſemper à notis, neceſſario ordiemur a fine, ac ita reſoluendo progrediemur.

Quicunque ſententiam falſam tueri nituntur, coguntur varia dicere, cum vero pugnan a. Primo à vero abeſt, quod conditio eius, à quo ordimur, ſit, vt notum eſſe debeat, imo oppoſitum eſt verum; de ratione enim eius, à quo ordimur, eſt vt ſit ignotum, quod oſtendo. Id à quo ordimur illud eſſe dicitur, quod primo declarandum proponitur; quare ſi proponitur

explicandum, proponitur vt ignotum: non enim primo declararetur ſi notum eſſet. Veluti Ariſtoteles in proœmio phyſicorum proponit primo declaranda principia, quæ ait eſſe obſcuriſſima nobis, ideo methodum tradit indagandi, & explicandi illa, ſolum eſt conditio viæ, vt ordiamur à notis, non autem ordinis.

Præterea ſi ea inſtantia alicuius eſſet roboris, ſimiliter ex ea colligeremus in ſcientiis ſolo reſolutionis ordine nos vti poſſe: nam phyſicus non conſultat, an quærenda ſit ſcientia de corpore phyſico, id præaccipit vt notum, idque ſolum ei eſt notum; cetera autem latent: quare ex hac admirabili ratione colligerem, ſcientiam phyſicam ſolo reſolutionis ordine tradi poſſe; notus enim eſt ſolus finis modo relato, principia autem maxime latent.

Præterea cum vero maxime pugnat, quod finis in artibus cōſideratus pro re effecta, vt ipſi conſiderari cenſent, ſit apprime notus: imo oppoſitum eſt veriſſimum, nempe quod finis ita conſideratus, ſit apprime ignotus. quod oſtendo. Nam id in omni diſciplina eſt maxime ignotum, cuius in ea præſertim quæruntur principia: at in arte medendi (vt ait Ariſtoteles) *quæruntur principia ſanitatis, in naturali ſcientia principia vltimi compoſiti phyſici:* quare ea ſunt maxime ignota in ea diſciplina, & eorum notitia maxime pendet ex aliis; res enim vt ad eſſe, ita ad cognitionem ſe habent. finis ſumptus pro re effecta maxime pro ſui eſſe, ex ceteris omnibus pendet; quare etiam pro ſui cognitione, finis ſolum eſt primo notus, quadam craſſa, & confuſa notitia, nec conſultamus an quærendus ſit; at quid ſit, in quo ſit poſitus, ex quibus conſtituatur, & alia huiuſmodi, maxime ſunt dubia, & maxime quærimus.

At reſpondebunt forte, finem in artibus, & ſummum bonum de ciuili ſcientia ſaltem ea ratione eſſe nota, quia quamuis eorum definitio ſe nobis offerat vt ignota: tamen hac ſignificatione non dicitur, quia ex eius cognitione cognitio ceterorū pendet: eſt enim ordinis conditio, non vt ab iis ordiamur, quæ ex ſe ſint nota, ſed ab illis, ſine quorum notitia nil aliorum cognoſci poteſt.

Qui hoc dicunt, primo ſuam ſententiam non ſeruant: dixerunt enim id à quo ordimur, debere eſſe notum. de eo cognitionem non quæri, finē nunquam proponi vt ignotum, adeo quod ſi media eſſent nota, nō daretur ars docens, modo vero ratione coacti, fatentur quæri vt ignotum.

Præterea verum non eſt. quod ſine finis notitia nil aliorum ad artem attinentium cognoſci poſſit: nam per qualitates, elementa, temperamenta, humores, & alia conſtituentia humanum

num corpus, noſcimus, tanquam per principia, ſanitatem, & ea ſine notitia ſanitatis cognoſci poſſunt p regulam communem, prius poteſt cognoſci ſine ſuo poſteriore; at nõ vice verſa, & hoc cõſpicue patet, quia Medici magna ex parte de his primo verba faciunt, quod facere non poſſent, niſi cognoſci poſſent abſque notitia ſanitatis.

At inſolubili aliqua fortaſſe ratione vtentur, in artib. ea pars, q̃ latet, theorica dicitur, parti practicæ neceſſario antecedit; ideo neceſſario in tradendis artibus vtimur ordine reſolutionis; deducitur conſecutio, quia in parte theorica agitur de fine, in practica de ordinatis ad finem.

Reuera aſſero hanc rationem inſolubilem, quia recte eã conſiderantibus, nodum & difficultatem non includit, ſed tantum cõſpicua errata. Nam primo ſi ſolam artium diuiſionẽ in theoricam, & practicam cõſideramus, & conditiones vtriuſque partis perpendimus, ex ea ratione oppoſitũ colligemus. Quoniam (vt frequenter Ariſt docet) vniuerſa contemplatio, & pars theorica artium, in practicam, vt in finem artis dirigitur. Contemplamur enim vt operemur, quare ex theorica in practicam progrediendo ex ordinatis in finem tendimus ad finem, quod compoſitionis eſt officium. Nã vniuerſa ars medendi, dici poteſt ars de ſanitate, ex 7. metaphyſ. 23. de qua agitur in parte practica modo practico, in parte theorica modo theorico, qui modus theoricus in practicum, vt in finem dirigitur, quare ex ea ratione aperte oppoſitum colligimus.

Præterea quicunque ita argumentantur, & ſecum, & cum vero apertiſſime pugnant; nam ſi in parte theorica agitur tantum de fine, & finis (vt aiũt) eſt adeo notus, q̃ ſi media conſtarẽt, nulla ars docens formanda eſſet, cur tantopere ciuiles philoſophi, medici, & ceteri qui artes tradunt, laborant pro parte theorica? p explicando fine, de quo ſolo ex inſtantium ſententia agitur in parte theorica, proque declarandis principiis conſtituentibus illum? Quomodo aiunt Medici partem illam eiſſe apprime obſcuram? partẽ illam facultate, & virtute vniuerſam artem includere? Et demum ſi ſola practica, in qua agitur de mediis pro aſſequendo fine eſt dubia, inanis erit vniuerſus labor, qui pro parte theorica impenditur.

Inſuper ea ratio (vt patefeci cap. vigeſimoquarto) aliis quoq; de cauſis eſt fallax. Primo quia pars theorica ea eſt, quę docet, & præſertim explicat attinentia ad artem, nec ſolus finis in ea explicatur, ſed ſubiectum eiuſque principia; ideo in eius partibus præſertim ordo eſt conſiderandus, in quibus explicandis, & ordine compoſitionis, ordiẽdo à principiis internis ſubiecti, & ordine reſolutionis, ordiẽdo à fine vti valemus. Secundo id funda-

mentum eſt inane: quoniam media pro aſſequendo fine, virtute, & facultate, in parte heroica explicantur; quia in ea traduntur communes regulæ, explicanturque principia, & fontes eorum, veluti prudentia, quæ eſt recta ratio ferendarum legum, pro aſſequendo fine (vt ſuo loco pateſeci) in parte theorica ciuilis ſcientiæ declaratur, in parte antem practica, virtute eorum communium, & principiorum, quæ in theorica fuere declarata, ad vſum, connexionem, & quædam magis propria deſcendimus. Ideo non quia in ciuili ſcientia vltimo tradantur leges, dicitur ſcientia ciuilis reſolutione tradi. Ordo enim in potioribus partibus conſiderari debet, quæ virtute, & facultate, vniuerſam diſciplinam continent, & idipſum de arte medendi dicendum eſt.

Conſtat itaque aduerſa fundamenta non eſſe talia, vt ex eis eliciendum ſit, præclariſſimos medicos tam diu fuiſſe hallucinatos; recte enim ipſi nouerunt, artes non vno ſolo ordinis genere tradi poſſe. Et præſertim, quia (vt ſuo loco pateſeci) media pro fine aſſequendo ſunt duplicia; vel enim ſunt partes rei, quæ efficitur, proprieque eius principia, vt lapides, & ligna quæ ſunt partes domus, á quibus ſi (artem docentes) ordimur, vltimo de toto ex principiis cõflato differentes, compoſitionis ordinem ſeruabimus, vt accidit in tradenda grammatica, & in artibus variis ſeruatur, quæ puris mathematicis ſubiiciuntur. Vel ea media non ſunt partes, & proprie cauſæ ſubiecti, ſed inſtrumẽta pro aſſequendo fine, vt leges pro aſſequendo ſummo bono, de quibus ſe habet (vt dixi) nempe quod ad ea deſcendere, nõ eſt reſoluere, ſed potius componere, quia eſt deſcẽdere ad opus, communia cõtrahere, eaque cum propriis nectere His accedit, quod, vt dixi cap. 23. ordo ciuilis ſciẽtiæ, artiſque medendi, præſertim conſideratur inter cauſas ſubiecti inuicem comparatas, & partes principales ſubiecti, non inter eas, & remedia, ſiue leges, quæ non proprie cauſæ, nec partes principales ſunt; ſed tantum inſtrumẽta pro aſſequendo fine, quæ inſtrumenta ſequuntur partes principales: veluti in arte medendi, cõſiderari præſertim ordo debet, inter cauſas ſubiecti, hoc eſt, inter interna eius principia quæ ſunt elementa, temperamẽta, & ſimilia, & finem; ſi a fine ordiemur, erit reſolutio, ſi ab internis principiis ſubiecti, erit compoſitio. Similiter conſideratur ordo inter partes ſubiecti ſimpliciores, & magis compoſitas; ordo enim cum inter cauſas ad inuicem, tum inter partes ſubiecti inter ſe, præſertim verſatur, & ab his petenda eſt denominatio, hæc dixi capite vigeſimotertio, & iterum affirmo, dum nõ igitur, quia pars theorica antecedit practicæ, colligendum eſt ſeruari ordinem reſolutionis.

At

At inſurget forte aliquis aduerſus hæc, inquiens; ſententiam hanc cum vero pugnare, quia per eam á partibus artis medendi reiicitur curatrix, quæ tamen à Medicis inter principales partes artis numeratur, quæ cum tradatur poſtremo loco, neceſſario ordinem reſolutionis conſtituit: propterea obiicere poterunt, quod cum ipſi non ſint Medici, exacte cognoſcunt partes artis medendi, quas ego per relatam ſolutionem videor euertiſſe.

Verũquicunque hæc mihi obiiciunt, in quatuor errata conſpicue labuntur. Primum eſt, quia male mihi tribuunt, quod curatricem partem excluſerim; cum enim conceſſerim diuiſionem artis medendi, in theoricam, & practicam, late vſurpando has voces, etiam curatricem, quæ eſt pars practica, neceſſario conceſſi, & præſertim, cum, (loquens de arte) patefecerim, *artem omnem eſſe effectricem, & ad aliquid efficiendum dirigi*: non itaque excluſi curatricem ab arte medendi, ſed tantum aſſerui; & aſſero ordinem in arte medendi non præſertim verti inter remedia, & cetera in ea arte cõſiderata, ſed proprię verſari inter cauſas ſubiecti ad inuicem, & partes ſubiecti inuicem comparatas, quæ ſunt partes principales, vere aptæ ordinem conſtituere, cum enim ars medendi in theoricam & practicam diuidatur: pars practica eſt finis eius; theorica vero inſtruit, & dirigit ad eam, in qua dilectione cum reſoluendo, tum componendo recte progredi licet, ex quo elicitur denominatio ordinis illius artis: & hoc id fuit, quod Galenus, & celebriores Medici in aſſignando ordine conſiderarunt.

Alter error eſt, quia iſti negligendo ea, quæ retuli, inter quæ præſertim verſatur, & conſiderari debet ordo, ſolum inſpiciunt theoricam vt finem, practicam vt requiſitam pro aſſequendo fine, & inde eliciunt omnem artem cum reſolutione tradi: quod verum non cenſeo, vt prius late patefeci. Hinc non recte aiunt, quod in parte theorica, à quouis ordiamur, ſiue à principiis, ſiue à fine, nil refert, quia ſemper ordo reſolutionis eſt, cum ſit ex prænotione finis; at hoc cum vero pugnat, quoniam in parte theorica, & in attinentibus ad eam, vt patefeci, præſertim conſideratur ordo, & plurimum differt in ea ordiri à principiis ſubiecti, & ordiri à fine: & aſſerere quod idem ſemper conſurgat ordo, eſt idem, ac dicere, ſiue aſcendamus ſiue deſcendamus, idem ſeruatur progreſſus.

Tertio etiam à vero recedere videntur, quia quamuis ego ſolam conſiderauerim diuiſionem artis medendi in theoricam, & practicam, quæ ſola pro ſoluenda difficultate inſtituto meo inſeruiebat, & non deſcenderim ad diſtinctionem eius artis in minores partes diuiſionem, quæ longe a meo inſtituto

aberant; tamen ſi vulgatiſſima illa quinque membra conſiderabimus, q̃ omnium conſenſione competunt arti medendi, eandem veritatem à me approbatam inſpiciemus. Diuidunt artem medendi in φυσιολογικὴν, παθολογικὴν, σημειωτικὴν, ὑγιαστικὴν, καὶ θεραπευτικὴν, in quibus partibus nedum reſolutionis, verum etiam compoſitionis ordinem, conſpicue inſpicere valemus: nam ſi eo traduntur ordine, quo à me fuerunt relatæ, quia à principiis progrediemur ad finem, & ad inducendam ſanitatem, quod ſibi vt finem conſtituit Medicus, iure optimo, ordine compoſitionis vtemur, & præſertim, quia à parte phyſiologica ordiemur, in qua communia, & interna principia ſubiecti artis medendi explicantur, ad compoſitionem pertinentia. Et confirmatur: quia phyſiologica inuentione eſt vltima; primo enim ſecundum inſtitutum Medici occurrit finis, qui eſt ſanitas, ſanitatiſque poſſeſſio in humano corpore, qui finis in eo eſt poſitus, vt vel præſentem ſanitatem ſeruemus, vel deperditam recuperemus, & inde prodeunt duæ partes artis medendi, præſeruatrix, & curatrix; at finem aſſequi non valemus, niſi munere indicationum, & inde oritur pars σημειωτικὴ. Indicationes reſpiciunt rem indicatam, & in ea verſari debent, quæ vel eſt aliquid præter naturam, & oritur pathologica, vel ſecundum naturam, & prodit phyſiologica, quæ cum poſtrema ſit inuentione, & communia, ac prima principia patefaciat cum ſubiecti, tum finis artis medendi, ſi ab ea ordimur, componere dicimur, ac ita lucide inſpicimus in arte medendi, etiam compoſitionis ordinem ſeruari poſſe, vt doctiſſime patefecit Hieronymus Capiuaccius, medicus, & philoſophus noſtri temporis acutiſſimus in ſuo libro de differentiis doctrinarum.

Hieronymus Capiuaccius.

Ex his conſtat, quod ſiue pars theorica comparetur cum practica, quod ego feci in conſideratione ordinis, ſiue inter minus communes partes fiat comparatio, ſemper hoc ſeruatur, quod ſapientes medici exiſtimarunt medendi artem alio quam reſolutionis ordine tradi poſſe, & ſimiliter artes ceteras.

Quarto loco etiam conſpicue ſecum pugnare videntur, quia ex vna parte inquiunt ſe non eſſe Medicos, ex altera ſe tantum poſſe eſſe medicos patefaciunt; ceteros vero, qui medici nomine celebrantur, eſſe ſtolidos, ſtupidos, & ignorare quod dicant. Nam Medicum conſtituit, non ſignum coronæ; ita enim multi veterum, qui inter Medicos numerantur, Medici non fuiſſent, cum eo ſigno non fuerint honeſtati, ſed medicum conſtituit habitus animi: at ſi vera eſt eorum ſententia, ipſi ſoli valent eſſe Medici, cum ipſi ſoli recte percipiant, quomodo ab aliis ſit tradita, vel tradi debeat ars medendi, ſine qua pædia nemo rite Medicus iudicari valet, nec ea Pædia valemus eſſe inſtructi, niſi

partium

Digitized by Google

partium artis medendi, quæ in ordinem ſunt redigendæ, notitiam habeamus. Quod cæteros medicinæ auctores ſtolidos iudicent, conſpicue patet, ex dicendo ab Auerroe, quem dicunt in ſuis medicinæ collectaneis, nedum reſolutionis ordine exquiſitiſſime fuiſſe vſum; verum inſuper ordinem illum, eiuſque rationem conſpicue explicaſſe, cum tamen ex aduerſo Auerroes conſpicuis verbis oppoſitum aſſerat: inquit enim in procemio ſuarum collectionum, *ſe compoſitionis ordinem ſeruaſſe, & præter cætera hæc profert.* Vocari nomen ſuum colliget, eo quod incepi in eo ordinem doctrinæ à rebus vniuerſalibus, & ab eis progrediar, quouſque deueniam ad particularia, vt fit in doctrina trium ſpecierum compoſitionum, vt eſt declaratum in primo phyſicorum, ita feci in hoc libro: primo enim conſideraui communes regulas ſcientiæ, deinde progrediar ad membra ſua, & ad partes ſuas ſic manifeſtiſſime ait Auerroes, ſe vti ordine compoſitionis, & patefacit quomodo vtatur eo ordine, quia à communiſſimis orditur, & ad minus communia deſcendit, indicans ſe id ſeruare, quod ſeruauit Ariſtoteles in phyſicis, & mentionem facit de triplici genere compoſitionis, declarato ab eo in quinto cont. primi phyſicorum. Quare dicere Auerroem ſeruaſſe ordinem reſolutionis, eſt, vel præpoſtere eius ſententiam referre, vt apparuit, vel idem ac dicere, Auerroem ignoraſſe quid fecerit, aut dixerit: ſimiliter ſi medicos conſideramus, qui ætate Galenum anteceſſerunt, quoniam (eodem Galeno in procemio artis medendi referente) nemo eorum artē medendi ordine reſolutionis tradidit, & ex horum ſententia, ſecus ac per reſolutionem tradi non poſſit, nemo eorum, vel Hippocrates, vel quiuis alius fuerit, artem medendi tradere valuit, & recte medicus iudicari potuit: ſignum enim ſcientis eſt poſſe docere. ſi de Galeno loquimur, ipſe minus cæteris ex horum ſententia ſciuit quid fecerit, vel dixerit, nam primo ait, neminem aliorum artem medendi ordine reſolutionis tradidiſſe, cum tamen ab Hippocrate, & ab aliis tradita fuerit, & ex horum ſententia, non ſecus ac reſolutionē tradi potuerit. Inſuper Galenus (ex horum ſententia) ignarus ordinis quem ſeruauit, ait, *ſe medendi artem omni ordinis genere tradidiſſe:* ignorauit itaque quid fecerit. De poſterioribus, qui inter medicos celebrantur, nil dicam, cum Galenum ſequantur, cum aſſerant Auicennam præſertim vſum fuiſſe compoſitione, & propterea cum ſuis ducibus delinquant. Iniuriam itaque ſibi faciunt, dum ſe inficiantur medicos; cum tamen ſua ſententia, & rationibus cæteros deliraſſe, & ſe ſolos eſſe medicos patefaciant; adeo vt vel nemo mereatur dici medicus, vel hi ſoli eo cognomine ſint digni: nec indignari debent nomine medici, quaſi vili denotati, cum nec principes defuerint, qui eo honeſtari

Error in referenda ſententia Auerrois.

libentiſſime permiſerunt: non enim medendi ſcientia eſt inepria, & inanitas, qualis eſt ars diuinandi futura contingentia, ad humanam vitam, & ſortem pertinentia, per aſtronomicos aſpectus, aſcenſiones, ſtellarum imperia, & nuncupatas natiuitates, quæ & recte animi inſtitutioni, & Peripateticæ philoſophiæ adeo aduerſatur, vt qui vni adhæret, ab altero ſe recedere patefaciat.

Hæc ego pro meæ multorumque opinionis defenſione, in gratiam amicorum qui id frequenter à me petiere, ſcribere non recuſaui; ideo ea tantum tetigi, quæ cum mea ſententia pugnare iudicaui, à cæteris pro facultate abſtinui: ſatis enim apud viros iudicio præditos conſtat qualia ſint; nam qui profitentur ſe cæteros derelinquere, ſæpe dignos ſe reddunt, vt à cæteris derelinquantur. Ego profecto omnes magnifacio, & potius cupio videri minus ſapere, quam nimium ſapere; id enim nimium, vt Plato docuit, pernicioſius eſt, quam nil penitus ſapere.

FINIS.

INDEX

INDEX SINGVLARVM RERVM ET SENTENTIARVM, QVÆ in vniuerſo hoc opere proferuntur & explicantur.

ACademici, cur in vtramque partem diſputationem permiſerint. 413. academici virtutes morales vt diuidant 304. academici, nullum ſponte malum eſſe cenſebant. 262 266. academicorum de origine bonæ fortunæ ſententia. 741. academici, ſub nube poſtremum finem hominis nouerunt. 560. academici gratiam à pulcritudine non ſeiungunt. 372. academici hanc vitam, mortem eſſe dixere. 751. Academici & Peripatetici, quomodo libertatem impugnatam ex modo ſperandi Dei defendant. 211. academicorum ænigma. 847. academicorum de propenſione hominis ad vitia opinio. 242. academicorum de ſcientia ciuili diuiſio 15. academicorum de modo cognoſcendi ſententia. 448. academicorum opinio de ſummo bono perpendenda. 771. academicorum de diuiſione virtutum error. 306. academicorum de bono vniuerſo conſideratio. 622

Accretio, quæ. 328

Actio quomodo debeat cenſeri ſummum bonum. 811. & ſequent. actio vna improba cur innumeras probas fœdet. 567. & ſequent. actio publica hominis, ſubiectũ principale ſcientiæ ciuilis. 10. actio præcedens, talis debet eſſe, qaalis futurus eſt habitus. 307. actio, quandoq; late ſumitur. 188. actio vna improba innumeras probas labefactat. 356. actionis gradus ſex. 872. actiones probæ, vt expleant deſideria noſtra. 842. actionem contemplationi, vt præferant Theologi. 489. Scotus. ibid. vt Henricus de Gandauo. ibid. actiones penitus prauæ dantur. 335. neutræ an dentur. ibid. actiones quibus pateſit hominis libertas. 203. actiones humanæ, quomodo conſiderari debent, vt ſint ſubiectum ſcientiæ ciuilis. 11. 12. actiones humanæ, ſubiectum ſcientiæ ciuilis. 7. 8. earundem adæquatum. 9. actiones humanæ, ex habitu morali prodeunt. 9. ex habitu prudentiæ. 9. earum ſcopus qui. ibid. actiones purius, & impurius ſponte factæ. 181. actiones & obiecta virtutum diſtincta, diſtinctas virtutes oſtendunt. 310. actus primus duplex. 394

Aduerſitates, quæ felicitatem mutent. 643

Adulatio amicitiam ſoluit. 609

Ægyptii ſapientia Græcis priores. 437. Ægyptiis Princeps, & Sacerdos idem. 881. Ægyptiorum ſacerdotii dignitas. 917. Ægyptiorum de vniuerſa iuſtitia ſententia. 488

Digitized by Google

Æmulationem pertinere ad cupiditatem, non ad iram, affirmare, error. 87
Æneæ heroica laus. 551
Ænigma Academicorum à Platone prolatum. 847
Ætas ad rectam inſtitutionem accommodatiſſima, quæ. 868
Affabilitas ad appetitum iræ potius quam cupiditatis ſpectat. 316. affabilitas. 322. affabilitas amicitiæ ſimilis, quid ſit. 328
Affectio quomodo definiri debeat. 67. affectio animi in dolore ex alienis commodis, quid pariat. 304. in dolore ex alienis incommodis. ibid affectio, cum ſit facultas, non diſtinguitur ab eo, cuius eſt affectio 796. affectiones virtuti ſimiles homini conueniunt. 333. affectus in nobis natura non eſſe voluerunt Stoici. 111. affectus animi, magis ſequuntur temperamentum in fera, quam in homine. 129 affectibus quomodo vtendum. 121. 122
Affinitatem amicitiæ prætulit Heſiodus. 600
Agens in homine, quod. 246
Agere inuite dupliciter contingit. 114. quid ſit. 166. agere per inſcitiam, & inſcientem differunt. 165. agere per inſcitiam ſingularum circumſtantiarum contingit dupliciter. 106. agere de partibus eſt agere de toto. 1024. agere inuite quid. 166. agere ſponte dupliciter contingit. 167. agere inuite, & ſponte male confundunt Latini 169 agere ſponte, competit etiam animalibus imperfectis. 100
Alberti Magni de ſubiecto ſcientiæ ciuilis error. 7
Alcinous: vnde virtutum diſtinctionem ſumſerit. 311. Alcinoi de virtute non ſuſcipiente magis & minus opinio. 359. Alcinoi, de ſede virtutum moralium opinio. 285. Alcinoi de iuſtitia opinio. 298. Alcinoi de virtute definitio. 273. Alcinoi de præſtantia contemplationis opinio. 494. Alcinoi de numero virtutum opinio. 338. Alcinoi de temperantię præſtantia opinio. 339. Alcinoi de ciuili ſcientia definitio. 12
Alexander Aphrod. à nonnullis iniuria damnatus. 410. Alexander liberum arbitrium in ſola voluntate poſuit. 223. Alexandri de libero arbitrio ſententia. 217. Alexandri de ſede virtutum rationalium in anima opinio. 390. reiicitur ibid. Alexander ſcientiam eſſe reminiſcentiam voluit. 456. & ſeq. Alexandri de vnitate virtutis ſententia reiicitur. 345. Alexandri de amicis dictum. 601. & ſeq. Alexandri de præſtantia fortitudinis opinio. 349. Alexandri de differentia actionis & effectionis opinio. 509. & ſeq. Alexandri de vitio ſapientiæ iuncto ſententia. 680 & ſeq. Alexandri Magni de Diogene ſententia. 643
Alfonſi Ateſtini heroica laus. 546
Algazelis de rerum ordine ſententia. 831
Aloyſii Piſauri laudes. 953. Aloyſii Mocenici laus heroica. 548
Alteratio, octauus actionis gradus. 163
Amabile, quid. 375. amans an ſit neceſſe vt ab amato ametur 584. neceſſe eſſe quibus rationibus nititur. 585. item quibus non eſſe

Digitized by Google

eſſe neceſſe. ibid. amans quo amore neceſſe non eſt, vt redametur. ibid. quo vt redametur. 585. & ſeq. amans, an amato præſtantior, iure dubitatur. 594. cum amato præfert Plato, ibid. & ſeq. cum amato præferri, quibus rationibus nititur. 595. amantis anima, vt per amorem aſcendat. 596. amantis conditio, vt præſtantior ea amati. ibi. vt æquales inter ſe. ibid. amans in amicitia vtilitatis ſemper ignobilior, falſum. 597. amantem, cur Plato plus quam Ariſt prætulerit. ibid. amans ſui quiſque debet eſſe, & quibus rationibus. 602. & ſeq. amans eſſe ſui dupliciter intelligitur. 605. amantium iræ amoris redintegratio, vt verum. 610. amatus, an amato præſtantior, iure dubitatur. 594. amato amantem præfert Plato. ibid. cum amanti præferri quibus rationibus nititur. ibid. amati conditio, vt præſtantior ea amantis. 507. vt æquales inter ſe. ibid amato cur amantem Ariſtot. minus quam Plato prætulerit. 598

Actio duplex. 160. eiuſdem ſex gradus enumerantur. ibid. antecedentes & ſubſequentes, an eiuſdem ſpeciei. 161. eiuſdem eſſe ſpeciei, cur falſum. ibid. actiones præcurrentes, cur imperfectæ. ibid. quomodo ſpecie diſtinctæ à ſubſequentibus. 162. actionis gradus decem. 163. actio inuita duplex. 163. quid ſit. 164. actio inuita, non ab omni ignorantia conſtituitur. 165. conſtituitur ab ignorantia circumſtantiarum. 166. actio ſpontanea duplex. 167. inuita item duplex. 168. mediæ magis ſponte, quam inuitæ. 168. actio ſpontanea, an ſoli homini competat. 169. actio dupliciter vſurpatur. 506. vt diſtincta, vtque cum actione confuſa. ibid. actionis definitio 507. actioni vt competat definitio artis. 508. frequenter cum effectione connectitur. 509. actio, vt dici poſſit finis agentis dubitatur. 510. præſtantior effectione. ibid.

Aliud eſt conſiderare ſenſus, aliud conſiderare ſenſilia. 1018

Alumna virtutis quæ eſt. 967

Amicitiæ nomen late patet. 573. amicitia multiplex. ibid. amicitiæ genus duplex. ibid. amicitia per naturam morali virtuti minime annexa. ibid amicitia cognitionis in tres partes diſtributa. 574. amicitia humana duplex. ibid. amicitia vera, quæ. 374. & ſequent. inter pares multiplex. 375. eius diſtinctio á fine petenda. ibid. amicitia exacte vera, quæ. ibid. amicitiæ forma publica, vel priuata. ibid amicitiæ definitiones variæ. 367. & ſequent. amicitiæ imperfecta definitio, ibid. exacta. 377. amicitiæ forma vbi explicatur. ibid eius materies quæ. 578. eius cauſſa efficiens. ibid. eius ortus vnde. ibid. amicitiæ finis, qui. 579 amicitia, ad quam animæ partem pertineat. 580. eam ab indigentia oriri Plato voluit, Cicero non. 581. amicitiæ cur priuatio mater, copia pater dicitur. ibid amicitiæ principium, ſecundum Platonem. 582. amicitia omnis iunctam habet priuationem aliquam 582 & ſeq. amicitia humana, quam priuationem expoſcat. 583. an com-

petat fato, vel prælectione dubium. ibid. indifferenter ab vtroque pendere affirmatur. 584. an debeat neceſſe mutua eſſe. 584. eius ſagittæ duplicis generis 585. amicitia an ſit virtus, Ariſtoteles dubitauit. 586 eam redigere videtur inter perturbationes. ibid. amicitiam eſſe virtutem, vt probetur. ibid. & 587. non eſſe virtutem, vt probetur. 587. & ſeq. ſententia, quod partim ſit virtus, partim virtutem ſequatur non approbanda. 588. & ſeq. de ea aſſertiones quatuor. 589. amicitiam non eſſe virtutem abſolute oſtenditur. ibid. eſſe virtuti ſimilem. ibi. eſſe vſum & fructum virtutis. ibid. iuſtitia præſertim formari, ac dirigi verum eſt. 590. amicitia & ius in iiſdem verſantur. ibid dupliciter dici poteſt eſſe vniuerſa virtus. ibi. & ſeq. vt ſeruet medium, vt non 591. eam virtuti prætuliſſe Ariſtot. viſus eſt. 591. ei virtutem Cicero prætulit. 592. vt altera alteri præferatur. ibid. ad quam caritatem pertineat amicitia. ibid. bonum externum & animi eam facit Ariſt. ibid. & ſeq. an præferatur honori dubitatur. 593. amicitiæ cur videatur præferendus. ibid. amicitia, amor eſt æqualitatis. 594. amicitiæ nomen dupliciter vſurpatur. 604. amicitia inter quos conueniat. 607. rara & breuis inter principes. 608. inter mares potius quã inter fœminas iungitur. 609. ei inimicitia & adulatio aduerſantur. ibid. in quo amicitia ab adulatione differat. ibid. amicitia, qui non perfecte fruantur. ibid. & ſeq. amicitiæ indigus an ſit vir felix. 610. amicitia, quãdo ſeruetur cum variatione fortunæ. 617. & ſeq. amicitiæ fructus. 619. amicitiæ libertas quæ. ibi. amicitia honeſta triplex. 596. amicitiam in eo eſſe poſitam. vt amemus, tenet Ariſt. 598. in ea duæ res conſiderantur. 599. inter quot ea verſari poſſit. 599. quæ inter duos vel tres tantum verſetur ib. in ea multitudo inanis. 600. amicitia publica inter multos eſſe poteſt. ibid. amicitia publica extẽſione, præfertur priuatæ. ibid. priuata quomodo publicæ præferenda ibid. amicitiæ, cur præferẽda videatur affinitas. 600. & ſeq. cur ea affinitati videatur præferenda. 601. amicitia, an verſari poſſit inter fratres. ibid.

Amicorum diſſenſiones grauiſſimæ & fratrum. 610 amicus igne, & aqua magis neceſſarius. ibi. amici pro theſauris ab Alex. habiti. 611. amicis deſtitutus, non omnino felix. ibid. amicus in aduerſane, an in proſpera fortuna magis neceſſarius. 614. amicus an fortunã proſperam amico magis quã ſibi debeat optare. ib. amicus, an pro amico mortem obire debeat. 615. amicis nil donãdum eſſe videtur. ib. & ſeq. muneribus qua ratione donandi 616. amicus, an amico, quam maxima bona optare debeat. 617. optare debere quib. rationibus nitatur. ib. & ſeq. amicitiam ſeruari cõtingit dupliciter. 618. amicitia inter Deũ & homines quæ. 619. amicus, vt dignitatẽ amici eminentiorem expetere debeat. ib. amicitiam primum rerum principiũ ſtatuit Empedoc. ib. amicorum cõiunctio quæ. ibi. amici vulnus etiam ſalubre. 620.

amicus

amicus cœcus cur dictus à Plat. ibid. amici indigentia, noſtra eſt. 582. amicus eſt, ſolus vir probus. ibid. amicus, qui dicatur. 576. amici in tertio gradu bonorum naturæ collocandi. 650. & ſeq. amici fortunæ munus. 627

Amor multiplex. 573. amor per naturam morali virtuti minime annexus. ibid. amor cognitionis in tres partes diſtributus. 574. amor maxime cum amatione cõuenit. 574. in quo differat á dilectione. ib. cum eo ante iunctũ eſt deſiderium. 576. amorem & amicitiam, quid eſſe dixerit Plato. ib. & ſeq. amoris mutui nomen, cur amicitiæ tributum. 577. amoris fabula á Themiſtio tradita. 578. amoris cauſſa efficiens, quæ. ibid. amor mutuus vt in amicitiam tranſeat. ib. amoris fines varii á variis traditi. 579. amoris connexio à Platone per fabulam explicata. 579. & ſeq. amoris & amicitiæ principium idem. 580. amor, vt dicatur in nobis terminum recipere. 582. amor omnis priuationẽ aliquam habet iũctam 583. amor diuinus, quã priuationem expoſcat. ib. an competat fato vel prælectioni, dubium. ib & ſeq. indifferẽter ab vtroque pendere affirmatur. 584. an debeat neceſſe mutuus eſſe. ibi. amor, qui non eſt neceſſe mutuus. 585. quis neceſſe mutuus. ibid. amor dupliciter dici poteſt eſſe vniuerſa virtus. 590 & ſeq. abſolute ſumtus præfertur honori. 594. amor, vt perficiat amantem, vt amatum, vt vtrumque. 597. amor dupliciter conſideratur. ibi. inter fratres ſaluberrimus. 602. amoris redintegratio per iram, vt detur. 610. amor eminentiſſimus, quid. 619. amorẽ in primo Chao ſpiraſſe affirmauit Heſio. ibid. amor vt cœcus & oculatus. 620. amor honeſtus a laſciuo, in quo differat. 621. cur puer. ibid. amor & odium perturbationes præcipue. 106. cur Magnus Dæmon dictus amor. 103. amorem ſequitur cupiditas. 103. 104. amorem definire eſſe deſiderium, partim verum, partim falſum. 105 amor, cur male dicitur cupiditas. ib. amorem à deſiderio non diſtingui cenſuit Leo Hebræus. ibid. amorem à cupiditate diſtingui, verum. ibid. cur enim per deſiderium quandoque manifeſtauerit Plato. 106. cum à cupidine diſtinxit Homerus. ib. amor late ſumtus quid? ibid. quomodo idem. & non idem cum deſiderio. ib. quomodo non reperiatur ſine deſiderio. ib. amor & odium perturbationes ciuili vitæ neceſſariæ. 115. amor moderatus omniũ prima communis virtus. 319. amor, vnum ex octo vinculis virtutum. 348. & ſeq. amor, cur pulcritudinis non gratiæ filius dictus. 706. amor appetitui iraſcendi, vt cupiendi conuenit. 87. amoris nomen, valde dulce. 675

Ammonius, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 452. Ammonii de gradibus moralium virtutum ſententia. 305. Ammonii de ordine addiſcendi opinio. 52

Anacharſis, inter Græciæ ſapientes connumeratus. 434

Analogia ad viam non ad ordinem pertinet. 998

Anaxagoræ de viro felice ſententia. 763. Anaxagoræ Chaos homo. 75

INDEX.

Anaxarchus fortunæ victor. 753
An conditio ordinis ſit, vt cuncta referantur ad vnum. 985
Ancillæ virtutis, quæ. 569
Andreæ Duodi heroica laus. 549
Androgynus Platonis, quo munere formatus. 422
Anima, quomodo excitetur in corpore. 448. anima & facultates eius non adæquatum principium agendi. 215. anima ad virtutem quibus auxiliis excitatur. 235. anima rationis compos dupliciter vſurpatur. 144 anima animalium dupliciter conſideratur. 240 anima per naturam dominatur corpori. 250. anima duobus modis in corpore conſiderata. 448. anima cōtinet omnia per rationes. 825. animam eſſe temperamentum dicere falſum. 125. animæ pars ſentiens re diſtinguitur à mente. 89. animam rationalem ab irrationali nō re, ſed ratione differre 112. animarum manandi modus, ſecundum Platonem. 800. animarum alæ duæ 801. in hac vita cum Deo necti poteſt. 800. & ſeq. animam agere, cur quandoque neget Ariſtoteles. 810. & ſeq. animæ, vt competat gratia. 701
Animalia, hominem plurimas artes docuere. 412. animalia inſtinctu naturæ ducuntur. 238
Animi præſtantia, vehementiorum perturbationum cauſſa. 133. 134. animi munera, quæ cenſeri debeant. 627. ea ſola noſtra cenſenda ſunt. 629. animi interna reſpublica. 885 animi principes facultates duæ. 153
An ordo petatur ex natura rerum, vel potius ſecundum auctorem ex modo cognoſcendi. 992
A notioribus initium ſemper ſumendum eſt. 998
An phyſica ſit ſcientia diſtincta, necne. 1003
Antiquitas, cur nobilitati iuncta dicatur. 664
Antonii Mirandulani de ciuili ſcientia opinio. 15. reiecta. ibid. Antonii Montecatini laudes. 441
Antonii Andreæ de mente error. 415
Apes, vt dicuntur prudentes. 270
Apollonii Tyanæi peragratio. 437
Appetitio honoris, quid. 137
Appetitus ſenſuum officium. 288. appetitus in naturalem, & violentum non recte diuiditur. 144. & ſeq. appetitum moueri dicere non abſurdum. 230. appetitus male liberalitate, & magnificentia diſtinctus tribuitur. 316. appetitus diſtincti, diſtinctionem virtutum oſtendunt. 310. appetitum iraſcendi ab appetitu concupiſcendi non eſſe vnquam ſeparatos, dicere error 86. & ſeq. appetitus mentis duplex. 145
Argumentatio quid eſt ſecundum logicos. 977
Ariſtocratia, quæ. 895. & ſeq.
Ariſtodemus inter Græciæ ſapientes enumeratus 434
Ariſtonis Chii de vnitate virtutum ſententia. 308
Ariſtoteles ſummum bonum recipere magis & minus affirmat. 853. Ariſtoteles hominem ſponte fieri malum tenet contra Platonem. 853. & ſeq. Ariſtoteles, diſtinctionem virtutum vnde petendam cenſuerit. 311. Ariſtotelis definitio de bono vniuerſo à Seneca damnata. 623. Ariſtoteles, vt prudentiam in nobis produ-

produci exiſtimauerit. 468. Ariſtoteles, quibus rationibus amatum amanti prætulerit. 594. & ſequent. Ariſtoteles contra Platonem continentiam dari voluit. 253. Ariſtoteles ordinis obſeruantiſſimus. 28. Ariſtoteles & Plato de ſede iuſtitiæ in anima conueniunt. 298. Ariſtoteles de ſponte, & non ſponte malo, non omnino conuenit cum Platone. 266. Ariſtoteles, qua ratione ciuilem ſcientiam in actione verſari dixit 12. Ariſtoteles, libertatem arbitrii in ratione poſuit. 229. & ſeq. Ariſtotelis loquendi modus popularis. 267. Ariſt. ſponte malum non ſpōte malo, vt antefert. ibid. & ſeq. Ariſtoteles moralem virtutē aſſuetudine acquiri modo negare; modo affirmare videtur. 300. Ariſtot. cur quandoque naturæ ordinem pro noſtro cognoſcendi modo dimiſerit. 39. & ſeq. duplicem ſolum in docendo ſeruauit ordinem. 43. Ariſtoteles, prudentiam quomodo definiuerit. 465. Ariſtoteles, virtutem diminutionem & incrementum non recipere poſſe viſus eſt affirmare. 359. Ariſtot. in docendo vires humani ingenii periclitatus. 442. Ariſtotel. verecundiam virtutem, & non virtutem dixit. 336. cur eam virtutem appellauerit, cum non ſit. ibid. & ſeq Ariſt. naturam arti prætulit. 525. Ariſt. ſcientiam eſſe reminiſcentiam non putauit. 456. Ariſt. cur minus amantem præferat, quam Plato. 598. Ariſt. ſapientiam prudentiæ prætulit. 493. Ariſt. amicitiā eſſe virtutem dubitauit. 586. Ariſtoteles à Luciano irriſus 644. Ariſtoteles, vt honorem honorantis eſſe intellexerit. 688 Ariſtot. qua ratione ſummum bonum ad ciuilem pertinere probauit. 767. qua ad phyſicum. 767. qua ad metaphyſicum. ibid. Ariſtoteles, vt nobilitatem definierit. 656 & ſequent. Ariſtot. formam ſtatuit finem materie. 990 Ariſtoteles, ſummum bonum in contemplatione poſuit. 851. Ariſtoteles pulcrum à bono ſeiunxit. 697. Ariſtoteles virum felicem non indignum amicitia facit. 611. Ariſtotelis de voluptate, & dolore ſententia. 94. & ſeq. Ariſtotel. & Platonis circa inuite facta diſſenſio. 180 Ariſtot. mundi æternitatem ſe probaſſe, perperam credidit. 907. Ariſt. in ſcribendo ordo. 41. Ariſtot. de ſententia magiſtratu præſtantiore lege. 167. Ariſtotelis de diſtinctione rerumpub. ſententia. 896. Ariſtotelis de præſtantia formæ optimarum ſententia. 904. Ariſtotelis de origine formarum reipub. ſententia 907. Ariſtotelis de vindicta ſumenda ſententia. 569 Ariſtotelis de viris probis ſententia. 858. & ſeq. Ariſtot. nouiſſe Deum immenſæ virtutis, dicere leue. 173. Ariſtot. de homine imperio digno ſententia. 909. Ariſtoteli perturbationum enumerationes variæ 80. Ariſtotelis opinio de ſponte malo, vt intelligenda. 265. Ariſtotelis contra Platonem impugnatio de mendace & verace. 267. Ariſtotelis & Platonis diuerſus docendi ordo 438. cur ſcientias in ordinem redegerit. 439 Ariſtotelis & Platonis de errore ſcientis conciliatio. 239. Ariſto-

telem, ſummum bonum in voluptate collocaſſe falſum. 793. Ariſtot de nobilitate ſententia vera. 653. & ſeq. Ariſt. de temperantia & fortitudine opinio. 339. Ariſto. hymnus in laudem virtutis. 378. Ariſt. & Platonis de ſapientia comparatio. 438. Ariſtotel. de magnanimitatis præſtantia opinio. 370. Ariſtot. de diſtinctione virtutum rationalium aſſertiones variæ 394. & ſeq. Ariſtotel. de fide Phyſica opinio. 403. Ariſtot. de vniuerſa iuſtitia opinio. 366. Ariſtotel. de verecundia, & pudore opinio 337. Ariſtotel. de annexione virtutum opinio. 348 Ariſtotel de coniunctione artis, & fortunæ opinio. 513. Ariſtot. cum ſeipſo, & cum Platone de virtutis definitione conciliatio 275. Ariſtot. cur in 10. moral. redit ad explicandum ſummum bonum. 966. Ariſt. de neceſſitate mutui in amicitia. 584. Ariſtot. amicitiam virtuti prætuliſſe viſus eſt. 591. & ſequent. Ariſtot. locus de pædia á Lambino deprauatus. 408. Ariſtot. de ſibi tradenda morte opinio, quæ. 566. Ariſtot. de præeligenda morte opinio. 559. Ariſtot. de virtutibus mentis opinio. 387. Ariſtot. virtutem heroicam, non niſi in ſplendide natis inueniri voluit. 546 Ariſt. de morte præeligenda ſententia. 571. Ariſtotel. de paucitate amicorum opinio. 599. & ſeq. Ariſt. de virtute, & viro bono ſententia. 574. & ſeq. Ariſtot. de fortuna ſententia. 707. Ariſtot. de legum præſtantia ſententia. 923 & ſeq. Ariſtot. de viro probo inconſtans ſententia. 644. Ariſt. de Perſarum natura ſententia. 947. Ariſt. de infelicitate hominis ſententia. 758. & ſeq. Ariſt. de caſu & fortuna ſententia. 658. & ſeq. Ariſtot. de ſummi boni eſſentia opinio 835. Ariſtot. de non mutandis legibus ſententia. 936. Ariſtot. de miſeria opinio. 867. & ſeq. Ariſt. de præſtantia regni ſententia. 903. Ariſt. de lumine ad imperandū apto ſententia. 912. Ariſt. de attinētia ſummi boni ſentētia 848. & ſeq. Ariſt. de tyrāno ſentētia. 880. Ariſt. de formis adminiſtrationis publicæ ſententia. 895

Arioſtus in ſingularibus certaminibus Homerum imitatus. 570

Arithmetica, quæ. 445

Arma contra fortunam, ex conditione bonorum eius. 881. ex conditione hominis. ibi. ex fine. 750. & ſeq. ex conditione vitæ noſtræ. 751. ex victoria fortunæ. 752. arma nobilitatem non parant. 668. arma ciuilitatis ſubiecerunt Ariſt. & Plato. 668. & ſeq.

Armeni, ſapientia Græcis priores. 737

Ars fortunæ comes. 707. ars, quomodo principium operandi. 156. ars, quid. 8. ſubiectum eius quod dicatur. ibid. ars, an honore digna. 681. artes duplicis ſunt generis. ibid. qua ratione laudandæ. ibid. ars poſtrema dignitate, prima neceſſitate. 503. vt ſcientiæ filia. ibid. quatuor ſignificat. ibid. artis imago, quæ. ibid. ars vera, quæ dicitur ibid. artis integra definitio. 504 an ſit primum efficiens operis. ibid. cur [illegible] ſolute non poſſit eſſe [illegible] principium. 505 qua [illegible] dicatur principium [illegible]. 506. artis & prudentiæ [illegible]. ibid.

ibid. artis definitio vt competat actioni. 507. & ſeq. eius materies duplex. 511. eius cauſſa efficiens multiplex. ibi. artes a tribus Diis oriri voluit Plato. ibid. vnde vere ortum ſumſerint. ibid. aliquid in ſe naturale includunt. 512 artes duplex finis ibid. arti an competat conſultatio. 512. & ſequent. an fortuna. 513 an prælectio. ibid. artis duplicis generis. ibi. ars magis indiga conſultationis, quam ſcientia. 514. artium diuiſiones variæ. 515. ars perperam actio dicta. 507. & ſeq. vt dici poſſit theorica & practica. 515 artium diuiſio longe a Platone tradita. ibid. earum numerus, diſtinctio & ordo ex fine petendus. 516. artes principes duplices. ibid. liberalium cognitio ad ciuilem pertinet. 517. earum finis qui. ibid. ars ingenua, quid. ibid. ſordida item quæ. ibid. artes ingenuæ quot. 518. artium ingenuarum gradus tres. ib. quæ corpus ingenue parant. ibid. quæ animum 519. quæ formam ingenuitatis impartiantur. ibi. & ſeq. ars nulla ſubſtantiam efficere poteſt. 520. ars partim ſimile, partim non ſimile gignit. 521. quid habeant à phyſica, quid á mathematica. ibid. & ſeq. artes Phyſicæ vnde perfectionem accipiant. 522. an præferendæ naturæ dubitatur. 523. præferendam eſſe naturæ, quibus rationibus nititur. 523. & ſeq. artem naturæ cedere, quibus rationibus nititur. 525. eſt inſtrumentum naturæ. ibid. vt ſit dux certior, quam natura. 525. & ſeq. eam Plato non prætulit naturæ. 526. & ſeq. cedit naturæ ratione ordinis. ibid. eius opera, vt perficiantur ab arte. ibid. qua ratione præſtare naturæ dici poſſit. 528. ars medendi diuiditur in theoricam & practicam. 1045. artes & ſcientias an vtroque ordinis genere tradere poſſimus. 1029. ars maxime æmulatur naturam. 976. artis obliuio datur, non prudentiæ. 474. ars in parte prudentiæ ſimilis. 475. & ſeq. artium duo genera. 188. artis & prudentiæ comparatio. 473. artium diuiſio in duas partes. 17. artes neceſſitate primæ cęterarum virtutum. 412. dignitate poſtremæ. ibid. artifex, an vtatur conſultatione non iniuria ambigitur. 187. artifices multi conſultatione vtuntur. ibid. artifices priſci cur poſterioribus præferantur. 522. artifex ſciens, errare poteſt. 256. duplici ratione ex euentu peccat. ibid. artifex, non errat vt artifex. 375. artifex, an honore dignus. 681 qua ratione laudandus. ibid.

Aſpaſius amicitiam eſſe virtutem dubitauit. 536. Aſpaſii de voluptate & dolore. 94. Aſpaſii de ira error. 137

Aſſenſio, ſeptimus actionis gradus. 163. aſſenſio duplex. ibid.

Aſſimilatrix, quæ. 449

Aſſuetudo format fores. 160

Aſſyrii ſapientia Græcis priores. 437

Aſtronomi hominis libertatem impugnant. 202. Aſtronomorum de propenſione hominis ad virtutẽ, & vitium opinio reiicitur 245. Aſtronomorum de fortuna falſa opin. 735. Aſtrononiorũ vanitas. 209. quæ vere prędicere poſſit. ib. eorum leuitas, dum hominum li-

Digitized by Google

bertatem attingunt. 210. rationes de attingenda hominum libertate. ibid. Aſtronomorum de prudentia ſenum falſa opinio. 469. Aſtronomorum de origine bonæ fortunæ ſententia. 741. Aſtronomia recta appetitus inſtitutione apta. 952
Aucupium, ars laudabilis. 518
Audaces fortuna iuuat, vt ſit verum. 737
Auem pacis de rerum ordine ſententia. 832
Auerroes, vt artes diuiſerit. 516. Auerroes, virtutem, diminutionem, & incrementum recipere poſſe negauit. 359. Auerroes ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 453. Auerroes contemplationem ſine ciuili actione dari affirmat. 862. Auerrois de nobilitate ſententia vera. 656. & ſeq. Auerrois de ortu artium ſententia. 511. Auer. contra Vicomercatum defenſio. 220. Auerr. de ſapientis conſideratione opinio. 429. Auerrois de præeligenda morte opinio. 559. Auerrois de ordine error. 36
D. Auguſtini de fortuna ſententia. 710. D. Auguſt. de amicitia ex fato, & prælectione opinio. 584. D. Auguſt. de amicitia definitio. 577. D. Auguſt. de amore moderato ſententia 320. D. Auguſt. libertatem arbitrii in voluntate poſuit. 226 D. Auguſt. de incremento colligatarum virtutum opinio. 354. & ſeq. D. Auguſt. de diuiſione virtutum ſententia. 305. & ſeq. Auguſt. de felicitate Dei ſententia. 714. & ſeq. Auguſt. de non petenda morte opinio. 558. Auguſt. Barbadici heroica laus, 548. Auguſt. Valerii laudes. 44
Auctor noſter de ordine ſine ordine loqui non vult. 965. auctor in philoſophia de moribus compoſitionis ordinem ſecutus, cur á perturbationib. exordiatur, nec prius animi partes explicet. 967. auctor neminem eorum, qui de facultatibus ſcripſerunt, damnat ſed eos magnifacit, dum nouum modum reſolutionis conditioni metaphyſicæ congruentiſſimum adfert. 969
Auicenna de præſtantia temperantiæ opinio. 369. Auicennæ de rerum ordine ſententia. 831
Auriga animæ, qui. 801
Auſonii dictum, de gratia. 699

B.

Barbari Græcis ab Ariſt. prælati. 437
Beatum eſſe, quid. 850
Beneficentiæ vis. 608. beneficētię opinio ad honorandū excitat 677
Beneuolentia, principium curſus ab amore ad amicitiam. 579. beneuolentia maxime cum dilectione conuenit. 579. beneuolentiæ, & dilectionis differentia. 579. & ſeq.
D. Bernardi de infelicitate hominis. ſententia. 759. Bernardi de diuitiis ſententia. 631
Bias, inter Græciæ ſapientes numeratus. 434. Biantis de præſtantia magiſtratus ſententia. 924
Bion ſcientiam eſſe reminiſcentiam noluit. 456
Boetius, libertatem arbitrii in ſola ratione poſuit. 223. Boetius virum felicem non indignum amicitiæ facit. 630. Boetii ſententia de ſummo bono in virtute poſito. 773 Boetii de aduerſa fortuna ſententia. 738

Digitized by Google

Boetii de infelicitate hominis ſententia. 759. Boetii de inconſtãtia fortunæ ſententia.727. Boetii de experto bonam fortunam ſententia. 747. Boetii de obiecto voluntatis ſententia. 199
Bonum vniuerſum ab Academicis conſideratum.622 & ſeq. Peripateticis 622. boni vniuerſe ſumti definitio. 623. bonum, vt definitum à Diogene.623. vt à Plotino. ibid.vt à Platone.624. exacta definitione claret.ibid. bonum primum à Plotino & Platone circumſcriptum. ibid. boni primi conditiones tres. 625. eius deſcriptio ex mente auctoris. ibid. bonum proprium á Plotino circũſcriptum. 625. bonum proprium triplex. 626. boni diuiſio à Platone tradita. ibid. boni diuiſiones plures. 626 & ſeq. boni ratio ſecundum Boetium. 630. bonum ſummum, cur non collocatum in diuitiis dixerit Ariſt.631.in fortunæ & naturæ bonis non eſſe poſitum dixit Ariſt. 633. in eis nonnulli collocatum eſſe affirmarũt. 639. & ſeq. bonum ſummum, in qua voluptate ab Epicuro poſitum.644. ipſum requirere munera fortunæ & naturæ, quo ſenſu verum.545.& ſeq. bonũ ſummum quod à nobis quærendum.646.& ſeq. an conſtituatur á ſola virtute.808.& ſeq de eo ſoli Chriſtiani theologi recte ſentiunt. 809. bonorum naturæ & fortunæ ordo qui. 650. boni placet nomen, at non officium. 902. bonum ſenſuum ſuapte natura hominem allicit. 246. bonum, quod optatur, multiplex 200 vt plurimum apparens, non verum. ibid. bonum abſolute, quod. ib. bonum, multiplex. 561 bonum cum bono in homine pugnat. 246 in homine abſolutum bonum quod. ib. bonum abſolutum præſtantius bono cõtracto.483.bonum, per Dei participationem eſt tale.824. bonum contemplationis præſtat bono actionis. 501. bonum Ariſtoteles à pulcro ſeiunxit. 697. bonum ſummum á bona fortuna non diſtingui, falſum.707.bonum, quod amico magis optandum, quam nobis.617.bonum interna commotione naturæ omnes appetunt.245.bonum, quo communius, eo præſtantius. 366. bonum triplex. 261. & ſeq. boni & pulcri coniunctio, ſecundum Platonem.695.bona quatuor malum parturientia. 739 bonorum fortunæ fures euadere debemus. 753.bonorum fortunæ conditio, vt arma prudentiæ contra fortunam. 748 bonum natura expeti ab omnibus. 244
Buridani, de amicitia quod ſit virtus, error. 588

C.

CÆci, munere amicitię perfecte frui non poſſunt. 610
Cædes ira facta, duplex 178. & ſeq.
Cæſaris de Nores laudes. 442
Calcaria animæ, quæ. 801.(437
Caldæi, ſapientia Græcis priores.
Caput aurigæ animæ quod. 801. caput virtutis, quod 378
Carondas Carthaginenſium legiſlator. 939
Caſertæ de vita perfecta ſententia. 816. reiicitur. ibid.
Caſus & fortuna quid, ſecundum veteres. 708 caſus & neceſſitas inter ſe pugnant. 709. caſus &

fortuna nomina inania videntur..715.caſum dari ratio & experientia docent. ibid. & ſeq. caſus non eſt cauſſa cœli. 718. non habet locum in cœlo, & in Deo. ib. vt habeat locum in cœlo. ibid. dupliciter conſiderari poteſt. 720.caſus non eſt à caſu, eſt verum. ibid. caſus an detur ſcientia dubium. ibid. eius conſideratio ad quam philoſophiæ partem pertineat. ib. & ſeq. an pertineat ad naturalem. ibid. vt ad moralem. 721. caſus dupliciter vſurpatur. 721. vt diſtinguatur à fortuna. ibid. & ſeq. caſus & fortunæ affinitas. 722. caſus fruſtra, & late ſumtus diſtinguitur. 722. & ſeq. caſui tribuitur res. 723. non eſt cauſſa determinata. 724. redigitur ad cauſſam efficientem. ibid. vt ad mentem, & naturam redigatur. ibid. ad materiem redigendus videtur. 724. in his, quæ raro eueniunt, locum habet. 730 & ſeq in his, quæ eueniunt, extra, ſemper & frequenter. ibid. in his, quæ raro fiunt, maxime fulget. 733. quinque modis magis & minus recipit. ibid. an magis locum habeat in principe, vel in priuato. 734. locum habet in prudente & imprudente. 734. in fœmina plus quam in mare locum habet. ibid. & ſeq.

Catoni Vticenſi heroica virtus falſo attributa. 550

Cauſſa efficiens libertatis ſecūdum Alexādrum, quæ. 216. cauſſa efficiens vera. 217. cauſſa efficiens, vt comparat vitio. 872. cauſſa quatuor modis ad finē ſe habere poteſt. 723 cauſſæ ſecundæ, nō operantur niſi cū primis, 208. cauſſæ ſecundæ quō obſiſtant primis. 209. cauſſa efficiens, duplex. 724

Centrū menſūra dicitur circuli. 987

Certamen ſingulare licere, vt ex Ariſtotele eliciant nonnulli. 567. certamen ſingulare ſæpe inſtituit Homerus. ibid. abſolute conſideratum eſt malum. 568. per ſe aduerſatur legi naturæ. ibid. per ſe conſideratus, repugnat Ariſto. & Platoni. ibid. cum conditione & euentu concedi poteſt. ib. malum eſſe quibus rationibus nititur. ib aduerſari legibus, quibus rationibus nitatur. ibid. pugnare Ariſtotelis fundamentis, quibus rationibus nitatur. 568. & ſeq. ex euentu poſſe concedi, vt probetur. 569. vnde ortum duxiſſe credatur. 570. certaminum ſingularium cauſſæ duæ. 569. & ſeq. certamine ſingulari victus, an ſe interfici permittere debeat, vel ſe victū tradere. 571. quo caſu mortem præeligere poſſit, quo non. 571. & ſeq. certamen ſingulare, ab homine maxime alienum. 694. certamen ſingulare fortunæ & prudentiæ. 754. certamina, quæ vires naturæ patefaciunt. 693

Caritas quæ. 344. ſecundum Ariſtotelem, quæ. ibid.

Chilon, inter Græciæ ſapientes, numeratus. 434

Chimicæ artis vis, quæ. 520

Chori Gratiarum tres. 701

Chriſtus ex nobili genere voluit ortum ducere. 662

Chryſippi inconſtantia. 78. Chryſippi de virtutum connexione ſententia. 357. Chryſippi de numero virtutum opinio. 214

Cicero perturbationes à conſtantiis cur diuidebat 112. damnandas

Digitized by Google

 105.

cenſuit. 113. Ciceronis de virtutis pulcritudine ſententia. 866. Cicero perturbationes in quatuor capita diſtribuit. 81 Ciceronis de ingenio opinio. 149. Ciceronis de tyranno ſententia. 880. Ciceronis errores in referendis Ariſtot. opinionibus. 26. Ciceronis ſententia de hominibus a philoſophia congregatis, falſa. 913. de amicitia dictum. 620. Cicero Ironiam Socratis commendat 488. Ciceronis de gloria ſententia. 676. de Nicomachiis opinio. 25. reiecta. ibid. & ſeq. error de conuenientia Platonis & Ariſt. cum Stoicis. 648. & ſeq. de ſimilitudine virtutis & amicitiæ ſententia. 590. Cicero recte inſtitutionem humanam officia vocauit 10. Ciceronis de Philoſophia ſententia, non omni ex parte vera. 435. & ſeq. de connexione virtutũ ſententia. 320. de præſtantia iuſtitiæ opinio. 368. de pietate opinio. 341 Cicero perturbationes in quatuor partes cum Stoicis diuiſit. 116. reiicitur. 104. Ciceronis de præſtantia ſapientiæ opinio. 495. Cicero frequenter in ſententiis Ariſt & Plat. errauit. 712. Ciceronis de munere magiſtratuũ ſententia. 923. de fortuna non cœca, ſententia recta. 727. de ortu amicitię opin. 581 reiicitur. ib. de amicitia definitio 577. ſententia de legibus optima. 472. Cicero amicitiam virtuti poſthabuit. 592

Circumſtantiæ actionum, quæ. 166

Circumſpectio prudentiæ comes. 468

Ciuilis ars, præſtantior medica 54. ciuili cognoſcere, in quo ſapientia verſetur, maxime conducit: idque quadruplici ratione. 969. ciuilis prudentia, quæ. 470. ciuilitas requiſitum in amicitia. 607. ciuilitatis prima forma, vnde. 89. & ſeq.

Ciuis probus, & vir probus, vt idem, & non idem. 888. ciuis ciuitatis Dei, qui. 886. ciuis probus cur difficilius reperiatur, quam vir probus. 888. ciuis nomine qui intelligendus. 885. & ſeq. ciuis efficitur homo per tertiũ eleuationis gradum. 556. ciuis mundi ſolus homo. 891. ciues improbi eſſe debemus in deprauata rep. ib. ciuis bonus & vir bonus, an idem ſint. 883. ciuium virtus in qua rep. principatum obtineat. 889

Ciuitas, cur ſubiectum politicæ. 12. ciuitas eſt natura prior domibus & ciuibus. 1016. ciuitas minime ſubiectum ciuilis ſcientiæ. 7

Claudii Burgheſii laudes. 442

Cleobolus inter Græciæ ſapientes numeratus. 434

Cleopatiæ heroica virtus falſo attributa. 551

Cœlum & aſtra formandis hominum moribus conferunt. 130

Coextenſio principium virtutum, earundem vinculum. 350

Cogitatio quartus gradus cognitioni noſtræ congruens. 401

Cognitio & animaduerſio, vt diſtinguantur. 856. cognitio principiorum homini competit. 413. cognitio axiomatum, vt nobis per naturã competit. 459. cognitio primorum principiorum ſine origine. 452. cognitio facultatum animæ, an neceſſaria ciuili philoſopho. 969. cognitionis genus Ariſtotelis duplex. 463

Cognitionis facultas duplex. 149. cognitio Dei quomodo acquiratur. 132. & ſeq cognitio, quomodo pertineat ad phantaſiam, & quomodo ſit officium facultatis dianoeticæ. 141
Collum virtutis, quod. 378
Communio vxorum & liberorum in rep. à Platone commendata. 939 ab Ariſt. damnata. ibid.
Comites in congreſſibus, qui 330.
Comes politicus Fr. Piccol. pro recta ordinis ratione propugnator. 963. comites virtutis, quæ. 541. comites prudentiæ, quæ. 468
Communia vere ſunt natura priora. 1009
Comparatio ſapientiæ Ariſt. & Plat. 438. comparatio artis & prudentiæ. 474 comparatio artis & naturæ 526. comparatio inter virtutes morales triplex. 335. iuſtitiæ cum cæteris moralibus ibi comparatio inter ſe ſingularum partium virtutis 368 comparatio tẽperantiæ cum cæteris partib. virtutis 369. cõparatio fortitudinis cum cæteris partib. virtutis. 370. cõparatio magnanimitatis cum cæteris. 533. liberalitatis. 534. mãſuetudinis. 535 comparatio virtutum ex opinione diuerſorum. 372
Compoſitio triplex. 51. compoſitio diſciplinæ apta. 46
Conciliatio Ariſtot. & Plat. de vindicta ſumenda. 567. conciliatio Ariſt. & Plat. de mendace & verace. 257. conciliatio Ariſt. & Plat. de ſummo bono, in quo ſit collocatum. 796. conciliatio opinionum, felicem ſuæ felicitatis inſcium dari, & non dari. 856. conciliatio Ariſt. & Plat. de ſcientis errore. 239. cõciliatio Ariſt. & Plat. de fine Imperiorum. 896. conciliatio Ariſt & Plat. de mundi æternitate inanis 908. conciliatio Ariſto. & Plat. de forma publicæ adminiſtrationis. 895 conciliatio Ariſt & Plat. de præſtantia legis, & magiſtratus. 922. conciliatio Ariſtot. & Plat. de præmio magiſtratuum. 927. conciliatio Ariſt. & Plat. de communione vxorum & liberorũ in rep 937. conciliatio Ariſt. & Stoicorum. 121. & ſeq. cõciliationem omnium inter Ariſt. & Platonem dari, falſum. 264. cõciliatio opinionum D. Thom. & Scoti de connexione mentis humanæ & abſtractę. 847. conciliatio Peripateticorum & Stoicorum circa ſummum bonum. 778. conciliatio Plat & Ariſt. de voluptate & dolore. 105. & ſeq conciliatio Ariſt. & Plat. de vnitate virtutis in mare & in fœmina. 890. conciliatio Stoicorum & Peripateticorum de ſummo bono, in quo ſit collocatum. 778. conciliatio Ariſt. & Plat de non ſponte malo. 265. conciliatio in omnibus Ariſt. & Platonis, confundit ordinem docendi. 441. & ſeq. cõciliatio Ariſt & Plat. de ſapientia. 424. conciliatio Ariſt. & Plat. de ſede iuſtitiæ. 298. conciliatio Ariſt. ſecum, & cum Platone de virtutis definitione. 275. conciliatio Ariſt. & Plat. circa inuite facta. 181. conciliatio Ariſt. & Plat. de pudore. 336 & ſeq. conciliatio Ariſto. & Plat. de vnitate virtutis Regum, Gubernatorũ, Dominorum, & patrisfamilias. 889 conciliatio Scoti & D. Thomæ. 356
Concluſio falſa ex principiis falſis colligitur. 982

Con-

Concordia quid. 576
Conditio virtutis quæ. 378
Coniunctio vitii, & miſeriæ. 875. & ſeq. coniunctio amicorum quæ. 619
Connexio virtutum quæ. 348. vnde oritur. 349. eam minime neceſſariam aſſeruit Scotus. 351. connexio datur perfectarum, non imperfectarum. 353. de quibus perfectis virtutibus detur connexio 354. connexio virtutum neceſſaria defenditur. 356. & ſeq. connexio hominis cum intelligentiis, quibus rationibus probetur. 832. quibus negetur. 838. & ſeq. connexionem humanę mentis, & ſeparatæ negat Diuus Thomas. 844. Scotus defendit. 845. non dari, quibus rationib. probetur. ibid. dari quibus rationibus probetur. 845. & ſequ. connexio virtutum, quæ. 313
Conſtantia virtutis duo requirit. 353
Conſultatio quintus actionis gradus. 163. conſultatio bona prudentiæ iuncta. 145 media componit in attinentibus ad prudentiam. 146 conſultatio an ad artificem ſpectet, dubitatur. 512. & ſequ. conſultatio abſoluta bona, quæ. 479. quotuplex. 480. conſultatio à fine ſumitur. 32. conſultatio ad cognitionem pertinet. 383. conſultatio, quid. 148 in quo conuenit cum prçelectione, ibid. in quo differt. 185. an ſit de illis tantum, quæ ad nos pertinent, dubitatur. ibid. an ſit de fine, vel de ordinatis ad finem, dubitatur ibid. & ſeq. an ſit de ſolis humanis actionibus, dubitatur. 186. an locum habeat in ſcientiis. ibid. eſſe de rebus alienis videtur. ibid. conſultatio, quomodo intelligenda ſit pertinere ad nos tantum. ibid eſt de fine, ſecundum Platonem. ibid. conſultationem non eſſe de fine, ſed de ordinatis ad finem dicere, verius. ibid. conſultatio de fine, & pro fine inter ſe differunt. 187. an locum habeat in artibus. ibid. non adhibetur in artibus definitis, & certis. 188. proprie ſumpta, non reperitur in ſcientiis. 189. late ſumta duobus modis reperitur in ſcientiis. ibid. verſatur in re dubia, vt in propria materie. 192 ſæpe tribuitur Deo, & naturæ. ibid. quomodo competat naturæ. 193
Conſanguinei, amicis vt præferendi. 601
Conſenſio Ariſtotelis, & Platonis de origine formarum Reipubl. 908. conſenſio Ariſt. & Platonis de Idea boni 810. conſenſio interna triplex. 604
Conſilium Ariſt. in ſcientia de moribus quod fuit. 965
Conſtitutio rei conſpirationem variarum cauſarum requirit. 300. & ſeq.
Conſultrix prudentia, quæ. 470
Contentio de dignitate inter virtutes vtiliſſima. 373
Contextus quidam Ariſt. minime ab Auerroe intellectus. 364.
Contemplatio ſeruatur ſine bono ciuili. 861 contemplatio, quę non ſummum bonum. 819. contemplatio actioni anteferenda. 490. actionis parens. ibid. non indiga opis alienæ. 491
Continentia, in qua animę facultate ſit poſita, ambigitur. 291. con-

tinentia appetitũ cupiendi componit, 252. an ſit dubitare non incongruum, ibid. non dari continẽtiam voluit Plato, 253. dari voluit Ariſt. 253. continẽtiæ effectus in homine, 254. continentia, in quo differat à temperantia, 255. quid ſit, ibid. continentiæ actio videtur nobilior actione temperantiæ, ſed falſo. ibid.

Contingentia, quomodo neceſſaria & indefinita. 211

Controuerſia inter Ariſt. & Platonem de vindicta ſumenda, 568. & ſeq. controuerſia inter Ariſtot. & Plat. 12 de gratia eorum parentibus, 705. inter Ariſtot. & Platonem de habitibus mentis. 387

Copia duplex, 582 copia & bonum pater amicitiæ cur. 581

Corvi tutis quod. 378

Corpus artificioſum an à phyſico diſtinctum. 520. & ſequ. corpus humanu campus obliuionis, & flumen negligentiæ, 448. corpus, & carnem cauſam eſſe malorũ maleficii ſenſit Plato. 247

Coſinus Medices magnus dux Hetruriæ. 659

Crura virtutis, quæ. 378

Culpa non eſt Dei, ſed præeligentis. 206

Cupiditatis, & deſiderii nomen idem denotant. 108. cupiditatem ab amore non diſtingui falſum, 110. belluam multorum eſſe capitum 111. cupiditas amorem ſequitur. 108

Cura familiaris à publica diſtincta partim datur, partim vero non, 19. curæ familiaris duplex conſideratio. 18. & ſeq.

Curæ animæ, qui. 801

Cuſſani error. 352

Cynicorum de voluptate ſententia. 788

D.

Damnari ab his, qui ſoli ſapere videntur, eſt à ceteris approbari. 964

Dæmones qui heroes. 530. & ſeq.

Dantis, de amore neceſſe mutuo ſententia. 585

Deducere ad abſurda non eſt ſoluere. 1010

Definitio ingenii, 150 definitio nobilitatis naturæ, 658. rei ſpeciem explicat, 161. definitio voluntatis, conſultationis, præelectionis, 184. definitio obedientiæ, 249. moralis vitii, 869. nobilitatis à Simonide tradita, 655. ab Ariſtot. ibid. verecundiæ, 337. ſcientiæ ciuilis, ſecundum Euſtratium, 12: non omnino recipitur, 13. fati, 207. definitiones amicitiæ variæ, 576. definitio ſummi boni, ſecundum Ariſt. 811. definitio honoris ex Speuſippo, 671. definitio ex Ariſtot ibid. exacta, 657. Ariſtot. de honore definitiones duæ, 671. & ſeq. definitio vitii ſecundum Academicos, 241. & ſeq. perturbationum à Stoicis tradita, 69. reiicitur, ibid. iuſtitiæ, 331. iræ, 136. & ſequ. amoris partim vera, partim falſa, 105. actionis, 507. Peripatetica pulcritudinis, 698. definitio recta magiſtratus, 916. definitio pulcri ſecundum Platonem, 696. definitio liberi arbitrii, 219. definitiones perfecti variæ, 817. definitio legis, 934. definitio virtutis ſecundum Eudoxum, 272. quotuplex relata à Platone, 273. eiuſdem propria definitio, ibid definitio demonſtrationis Ariſtotelica quæ eſt? 974.

ordinis

Digitized by Google

ordinis quæ eſt, 975. duo præcipiuntur, & quæ ita, ibid. explicatio definitionis ordinis, ibid. & 976. definitum non eſt notum (teſte Ariſt. 6. Topic.) quouſque partes ſingulæ, in definitione poſitæ, non fuerint conſpicuæ, 966. quinam idonei ſunt huius philoſophiæ, ibid. & ſeq. definitio traditur diſtinctæ explicationis gratia, 1037. quid eſt: 977. definitio eiuſdem ab Alcinoo tradita, 273. ab Theage ibid. à Plotino, ibid. à Stoicis, 274 definitio exacta virtutis moralis, 274. definitio eiuſdem ſecundum Ariſt. 275. definitio eiuſdem explicans omnes cauſas, ibid. definitio boni vniuerſi, 607. definitio opinionis, 401. definitio amicitiæ imperfecta 577. exacta, ibid. inſtinctus naturalis, 240. definitio fortunæ ſecundum Proclum, 709 definitio primi boni ſecundum Plotinum, 508. & ſeq ſecundum Platonem, 569. manſuetudinis, 327 definitio ſcientiæ ciuilis tradita ab Alcinoo, 12. exploditur, ibid. definitio exacta gratiæ, 702. & ſeq. definitio bonæ fortunæ, 726. eiuſdem vera definitio, 741. & ſequ. definitiones quando nõ exacte traduntur, 67. definitio integra artis, 504. definitio prudentiæ ſecundum Stoicos, 465. ſecundum Ariſt, ibid definitio feritatis, 553. definitio ſcientiæ à multis tradi poteſt 443

Defectio in perturbatione verecundiæ, quæ. 333

Defunctis, an conueniat honor, 683

Δειότης ingenii affinis. 147

Democriti de caſu, & fortuna ſententia, 716. Democriti, de ſcientia opinio. 446

Denominatio fit à præſtantiori, 433 denominatio vnum ex octo virtutis vinculis. 349

Deſcriptio rectæ inſtitutionis, 946. deſcriptiones formarum imperandi. 897

Deſiderabilia in mundo tria, 753. deſiderium honoris principatum obtinet in homine, 138. deſiderium arcto nodo cum amore cõiunctum, 576. deſiderium, quomodo idem, & non idem cum amore, 106. ſemper amori iunctus, 107. deſiderium honeſti, quibus perturbationib. ceteris præſtare videatur, 135. deſiderium boni eſt ſecundum naturam ex mente Marſ Ficini, 174. deſiderium pulcri impropriè violentum dicitur, 175. boni magis naturale, quam pulcri dixerunt nonnulli, ibid. tam bona, quam pulcra eſſe naturalia, dicere, verius, 175. deſiderium pulcri dicitur competere nobis per naturam, & cognitionem. 176

Determinatio ad agendum, à quo pendeat. 215

Deus imperiorum caput, 916. Deus vt deſideria noſtra expleat, 842. Deus vniuerſæ virtutis parens, 379. Dei ſcientia, cauſa rerum, 201. Dei felicitas, quæ, 756. Deus omnia cognoſcit per eminentiam, 205 Deus non propriè dicitur fortuna, 711. Deus ex ſententia Platonis, & Ariſtotelis vnus, 764. & ſequ. Deus gratiarum fons, 700 Deus omnia continet eminentiſſime, 825. Deus princeps internæ Reipub. 886

Deus, quorundam eſt cauſa abſolute, quorundam modo quodam.

Digitized by Google

206. Deus, vt cauſa peccati. ibid. Deum, quomodo cuncta dicātur expetere. 619. & ſeq. Deus, momēto æternitatis diſtinctiſſime cuncta cognoſcit, 205. Deus ſolus, liber ea libertate, quæ nulli ſubiicitur, 200. Deus ſolus regiæ dignitatis formā retinet, 250. Deus, cuncta creat perfecta intrinſecus, non extrinſecus, 457. Dei, & hominis comparatio, 892. Deum, qui homines cognoſcant, 806. & ſequ. Deus eſt ipſum bonum, pulcrum, & vnum. 695. Deus tripliciter conſideratur. 555. Deus, principium inſtinctus naturalis. 239. Deo vt competat gratia. 701
Dexteritas iocorum in congreſſibus 330. dextrum, competit virtuti, 871
Diabolus, vt dicatur prudens. 465
Dialecticorum origo, vnde. 446
Διάνοια inter habitus numerata, 382
Differentia inter opinionem, & ſcientiam, 401. differentia ſapientiæ, & mentis, 425. item ſapientiæ, & ſcientiæ, ibid. differentia inter dialecticam Platonis, & metaphyſicam Ariſtot. 423. differentia continentiæ, & temperantiæ, 255. differētia inter iuſtitiam, & ceteras virtutes, 296. differentia, & alteritas nō ſunt idem, 396. differentia inter egere, & opus eſſe. 612. differentia inter caſum, & fruſtra, 722. & ſequ differentia inter ideam, & rationē, 825. differentia actionis, & effectionis quæ, 506. differentia amoris, & dilectionis 575. differentia dilectionis, & beneuolentiæ, 576. differentia inter amicitiam, & adulationem, 609. differentia voluntatis, & prælectionis, 184. differentia iuſtitiæ a ceteris virtutibus, 333. differentia inter honeſtum, & laſciuū amorem, 610. differentia finis, & officii, 411. differētia honoris, & gloriæ triplex, 676
Dignitas pendet ex eo, in quo diſciplina verſatur. 969
Dilectio, & approbatio probitatis conſiderantur in amicitia, 597. dilectio, & amor, in quo differant, 575. cum ea maxime conuenit beneuolentia, ibid. dilectionis, & beneuolentiæ differentiæ, 576
Diminutio, quæ. 328
Diogenes, vt bonum definierit, 623. Diogenis de homine pfecto ſentētia, 317. Diogenis Laertii de ſapientiæ auctorib. error, 437. Diogenis de aduerſa, & proſpera fortuna ſententia. 739
Dionyſius felicitatem in hac vita dari negauit, 819. Dionyſii de eclipſi opinionis ratio, 251. & ſequ. Dionyſii Areopagitæ de prouidentia opinio, 206. Dionyſii de malo ſententia, 870. Dionyſius Areopagita latiſſime malum accipiebat. 266
Diſciplina recta confert ad heroicam virtutem illuſtrandam, 544. diſciplinæ perinde ſe inuicem habent, ac earum fines. 980. diſciplina diſciplinæ, vt præfertur, 491. diſciplinarum inuentores, cur dii dicti, 535. diſciplinarum tradendarum duplex modus, 44. diſciplina aliarum princeps quę, 20. diſciplinæ præſtantia ex fine, 10. diſciplinæ humanæ, quæ philoſophiæ nomine dignæ, 822. & ſeq.

Diſpu-

Digitized by Google

Diſputationes vnde oriantur, 44
Diſtinctio virtutum, à quo conſtituatur, 545. diſtinctio cognitionis, & animaduerſionis, 888 & ſequen. diſtinctio amicitiæ à fine petenda, 574. diſtinctio ſpecifica duplex, 538. diſtinctio artium ex fine petenda, 516. diſtinctiones ſummi boni, 851. Diſtinctio Rerumpubl. vnde petenda, ſecundum Platonem, 896. vnde ſecundum Ariſt. ibid. diſtinctio vitiorũ, 873. diſtinctio à quatuor cauſis petenda, 397. peti poteſt ab omni genere cauſæ, ib. ortum ducit à fine, 399. diſtinctio rerum vnde petenda, 312
Diſſenſio inter Ariſt. & Platonem de Idea boni, 810. diſſentire ab his, qui ſoli ſapere videntur, eſt cum cœtu ſapientum conſentire, 964. diſſenſiones fratrum, & amicorum grauiſſimæ. 610
Diſſimulatores, moribus politiores eſſe videntur, 329
Diſtributio quædam virtutum dubia, 316. & ſeq.
Diuinus efficitur homo per quintum eleuationis gradum, 555. & ſeq.
Diuiſio felicitatis, 756. diuiſio virtutum moralium, ſecundum Academicos, 304. & ſequ. diuiſio ſcientiæ ciuilis Antonio Mirandulano, quæ, 15. diuiſio boni tradita à Platone, 626. & ſequ. diuiſio ſcientiæ ciuilis ſecundum communem opinionem, 13. diuiſionis ratio vnde ſumenda, ſecundum communem opinionem, ibid. diuiſio virtutum, ſecundum Auguſtinum, 305. & ſeq. diuiſio quando definitioni conducit & cur, 978. diuiſio ſcientiæ ciuilis ab Academicis tradita, 16. reiicitur, ibid. diuiſionem philoſophiæ ciuilis, 17. diuiſio iuſtitiæ, 331. diuiſio exacta prudentiæ, 470. diuiſio boni vniuerſi, 914. diuiſiones artium variæ, 515. diuiſio in theoricam, & practicam ſoli philoſophiæ conuenit, ibid.
Diues an magiſtratui aptior quam pauper, 927. diues improbus miſerior, quam improbus pauper, 878
Diuitiæ magiſtratum gerentis, quæ debeant eſſe, 927. diuitiæ in ſexto gradu bonorum naturæ collocãdæ, 650. diuitias negligere ciuilis non debet, 637. diuitiæ, fortunæ munus, 628. diuitiæ, vt ſubſtantiis præferuntur, 639. & ſeq. diuitiarum cumulatio contra naturam, 630 & ſeq. diuitiæ, vel naturæ, vel artis. 628
Doctrina, vt dirigat virtutem moralem. 301
Dolor ex aliorum accidẽtibus, quid pariat. 335
Dominici Duodi heroica laus. 549
Domus eſt finis artis ædificandi, 1019
Draco, Athenienſium legiſlator, 939
Duces virtutis, qui, 378

E.

EBrietas, cur facinus excuſet, 182
Effectio, modo cum arte confuſa, modo ab ea diſtincta, 506. & ſequ. effectionis proprie ſumptæ definitio 508. effectio tranſiens, & immanens, 509. dignitate actioni cedit. 510
Efficiens, multiplex. 301
Electio præelectionis genus. 190 conuenit iumentis, & feris. ibid.

Digitized by Google

electores magiſtratuum quales eſſe oporteat. 919
Elementa inſtinctu naturæ ducuntur, 237. & ſeq. elementorum motus in orbem dicitur medius, & mixtus, 172. ad latus dicitur moueri violentia. ibid. elementa an conſeruent vim, dum mouentur in orbes. 173
Eleuationi animæ; quę minima pręſint. 801
Empedoclis de amicitia ſententia, 619
Encomium valde iunctum eſt cum laude. 675
Entis principia non ſunt. 428
Enuntiationes, quomodo veræ, 411. enuntiatio ſyllogiſmi practici, vnde elicitur. 466
Ephecticorum origo vnde. 446
Epicharmi de nobilitate ſententia, 655
Epictetus, fortunæ victor. 753
Epicurei, in hac vita nobis ſummum bonum competere exiſtimarunt. 757 deterrime de poſtremo hominis fine ſenſerunt, 561. Epicurus virtutem pro ſummo bono neceſſariam eſſe cenſuit, 967. Epicurus, in qua voluptate ſummum bonum collocauit. 644. Epicuri opinio, de ſummo bono perpendenda, 771. de abſtinendo à magiſtratibus ſententia, 928. de fine amoris opinio, 579. de ſcientia opinio, 446. de diuitiis ſententia 630
Epimenides, inter Græciæ ſapientes connumeratus. 454
Equi animæ, qui. 722
Error Portii de obiecto voluntatis 197. de appetitu, 198. Galeni, de anima, 125. Scoti de perturbationibus, 69. Aſpaſii de voluptate & dolore, 94. Pomponatii de fato, 268. Scoti de motu cœli, 176. Scoti de fide, 343. Aſpaſii circa iram, 137. Antonii Andreæ de mente, 415. Porphyrii de ratione ferarum, 190. Simplicii de natura, 171. Leonis Hebræi de numero moralium virtutum, 314. & ſeq. Plutarchi de Heroibus, 532. error quorundam, qui dicunt, philoſophiam illam ciuilem noſtri auctoris, non vnam eſſe, ſed multarum diſciplinarum confuſionem, nec vllo fine eſſe præditam, 970. Academicorum de diuiſione virtutum moralium, 310. Marſilii Ficini de ſede iuſtitiæ in anima, 298. Latinorum de diſtributione virtutum, 316. error & ſcientia ad tria poſſunt referri, 256. in ſciente eſſe poteſt, ibid. D. Tho. de actionibus humanis. 9. Stoicorum de libero arbitrio 217 Auerr. de ordine, 36. error Platonis de corpore, & carne, 246. Cuſſani de ſcientia, 359. Lambini de cognitione, 383. Stoicorum de paritate vitiorum, 363. errores multorum circa doctrinam Ariſt. & Platonis, 438. error Scoti de felicitate, 775. de virtutum diſtinctione, 399. de felicitate nō conſiſtente in actione, 778. & ſeq. Platonis de continentia, & tolerantia, 251. Diogenis Laertii de ſapientiæ auctoribus, 437. multorum Ariſtotelem cōtra Platonem defendentiū, 438 vtrumque damnantium, ibid. hunc pro illis reprehendentium, 438. Lambini in vertendis verbis Ariſt. 383. Stoicorum circa perturbationes animalium, 131. Theodori de Pædia, 409. Scoti de ente 415.

Galeni

Digitized by Google

Galeni de cognitione perſimile, 462. error Horatii de felicitate, 624. error Sueſſani, de virtute heroica, 545. error Pici Mirandulani, de fortuna, 712. errores in attinentibus ad prudentiam, qui, 474. error Lambini in annotationibus Ariſt. 464. Ciceronis de cõuenientia Platonis, & Ariſt. cum Stoicis, 649. Ludouici Boccaferrei de caſu, & fortuna error, 719. Ficini de heroibus, 530
Eſſentia rerum dupliciter conſiderari poteſt. 847. & ſeq.
Eudoxi de virtute definitio. 272
Eudoxi opinio de ſummo bono perpendenda. 771
Εὐβουλία, ingenii affinis. 145
Εὐδαιμονία, ſummum bonum, cur dictum. 755
Euentuum aduerſorũ ordo, qui. 822
Εὐμάθεια, non eſt habitus. 385
Εὐπραξία, ſummum bonum, cur dictum. 756
Εὐτυχία, ſummum bonum, cur dictum. ibid.
Εὐζωΐα, ſummum bonum, cur dictum. ibid.
Εὐφυΐα, ingeniis affinis, 147
Euriphani de vita hominis comparatio. 641
Euripides felicitatẽ in hac vita dari negat, 819. Euripidis de prudentibus ſententia, 482. & ſeq. Euripidis de nobilitate ſententia Socraticæ ſimilis, 655. Euripidis de viro nobili ſententia. 653
Euſtratii de viro purgato ſententia 305. Euſtratii de ſcientia ciuili definitio, 12. & ſequ. Euſtratii de appetitu ſenſuum opinio, 287. de obiecto voluntatis ſententia, 199. Euſtratii de virtute heroica opinio. 542
Exercitatio latior, quam aſſuetudo & mos. 160
Exiſtimatio bona, fortunæ munus, 628
Experientia principium proximum inueniendi artes. 511. & ſeq.
Explicatio ſententiæ ciuilis datur in libris de moribus. 21
Exploſio variorum erratorum. 988
Ex obſcuris nulla fit cognitio 1000
Exſuperantia in perturbatione verecundiæ, quæ. 331

F.

Facilitas & difficultas ordinem nõ conſtituunt, 994. Facilitas ad virtutes, & vitia eſt á natura, 301
Faceti in congreſſibus qui. 330
Factum perturbatione, quomodo dicatur factum ſponte. 183
Facultas animæ duplex, 140. facultas dirigens diſtinguit hominem à feris, 221. facultas appetens non diſtinguitur à cognoſcente, 218. facultans appetens a cognoſcente ſola ratione diſtincta, 215 facultates quatuor ad animã pertinentes. 56 facultas adminiſtrandi magiſtratum quæ. 918. & ſequ. facultatem vitalem a virtute nutriendi ſeparant Medici, 140. facultatib. mentis, quo gradu competat libertas, 229. facultati nutriendi competere ſummum bonum negatur, 849. item nec ſentiendi. ibid.
Fama cum gloria ſummopere iuncta, 676 fama in qua tertio gradu bonorum naturæ collocanda, 650. & ſeq.
Phantaſia in primo gradu perturbationum. 319
Fato omnia ſubiici crediderunt nonnulli Platonem ſequuti(?), at male, 20, fatum non omnino ineuita-

bile. ibid. à natura ſola ratione diſtinguitur. ibid. fatũ quid ſit. 208. fato cũcta fieri voluit Põponatius. ib. fati definitio. ib.
Federici Pendaſii laudes. 441
Felicitas, quomodo ſe habeat ad Deum ſecundũ Platonem 824. felicitas animę eſſentialis 827. felicitas duplex. 219. felicitas ſingulorũ & ciuitatis, eadẽ. 14. felicitas Peripateticorum Stoicis damnata. 656. felicitatẽ, vt non bonum dixerit Ariſt. 877. felicitas vulgi quæ. 878. & ſeq. felicitatẽ, q̃ aduerſitates mutẽt. 643 felicitas vbi poſita 611. felicitas humana duplex. ibid. felicitas, q̃ amicis indiga. 612. felicitatis cognitio valde homini accõmodata. 754. felicitatis diuiſio. 756. felicitatem in vtraq; vita poſuerunt nõnulli. ib. & ſeq felicitatẽ homini cõpetere leui ratione Ariſtoteles docuit. 759. felicitatis euerſiones vnde. 760. felicitas cuiuſq; ſectæ à ceteris reiecta. ibi. felix denominatur homo duplici modo. 819. & ſeq felix, an amicitiæ indigus. 610 & ſeq. ei amicitiã cõpetere ad exactam pfectionem 611. felix omnino non eſt, qui amicis deſtitutus. ibid. quibus amicis nõ indiget. 612. felix abſq; bonis fortunæ nemo. 616. felix an valeat eſſe homo in hac vita, dubiũ. 757. felix homo an dici poſſit in vita. 818. felicitas humana triplex, vel vna. 803. ptinet ad facultatẽ contẽplandi, & appetẽdi. ibid. an dici poſſit eſſe in homine in hac vita permanẽte. 818. felicitas, an in præſenti vita detur. ibid. qui id negarint. ibid. & ſequ. qui affirmarint. 819. felicitas an ſeruetur poſt mortem, dubitatur. 820. non ſeruari probatur. ibid. & ſequ. felix ſuæ felicitatis inſcius an detur. 855. dari, quibus rationibus probetur. ibid non dari verius, & qua ratione. ibid. vt detur, vtque non detur. ibid. & ſequen. felix ſuæ felicitatis inſcius, quo loquendi modo vſurpetur. 857. felix an miſer euadere poſſit dubium. 858. euadere poſſe probatur. 859. vt ſit verum, & vt non. ibid. & ſequ. felix non omnino ſine contemplatione. 862
Feræ natura obediunt homini. 250 feræ neque vitium, neque virtutem habent. 270. feræ hominem magis, quam cetera animalia timent. 132. feræ nec continentes, nec incontinentes. 193. feræ vt virtute præditæ. 270. feras non operari ſponte dicere abſurdum Ariſtot. 169. feræ differunt ab homine ratione finis. 221. feræ, an agant oppoſita. ibid. feritas, vnum ex quatuor hominum peruertentibus. 868 feritatem eandem eſſe cum profanitate, dicere, abſurdum. 545. & ſequ. feritas quid. 552. vnde oriatur. ibid. eius capita tria. ibid. feritas in homine vt dicitur eſſe. ibid & ſequen. an ſit vitio deter or dubitatur. 553. deteriorem eſſe, quibus rationibus nitatur. ibid. qua Ariſtotelis auctoritate. ibid. qua Ariſtotelis auctoritate contrarium probetur. ibid. feritate peius eſſe vitium, quibus rationibus nitatur. 553. & ſequen feritatis ſignificatio multiplex. 554. feritas ex morbo quæ. ibidem. ex aſſuetudine item quæ. ibid.

ibid. ex deprauata natura. ibid. ex magnitudine vitii,555. feritas minus mala vitio, ibid. deterior, ibid. feritas vt vitetur an præeligenda mors. 557

Fides, quintus gradus cognitioni noſtræ congruens 401. fides inter virtutes rationales à Platone numerata, 402. varias habet ſignificationes, ibid. & ſequ. fides phyſica quid ſit, ſecundum Ariſt. 403. fides, & opinio à ſcientia diſtinctæ ab Ariſtot. ibid. fidelitas prudentiæ, quæ, 476. fides imaginationem ſequitur, 449. fidei nomen tripliciter vſurpatum, 343. fides theologica quid, ibid eius obiectum Deus eſt, ibi. diuiditur in infuſam, & acquiſitam ibi. habitum eſſe practicum male cenſuit Scotus. ibid. ſimilis potius auditui, quam viſui, ibi. fides phyſica, quæ, ibid. ciuilis, & moralis quæ, ibid.

Finis Reip. duplex, 914. finis, & officium in quo differunt, 411. finis vnius eſt initium alterius, 1040. finis condendi leges, qui, 297. artium, earum numerum præſcribit, 516 amoris varie traditus 579 & ſeq. finis cuiuslibet ordinis eſt vnus, 983. finis libertatis, qui, 216. finis artis duplex, 512. finis communis, vnum ex octo virtutum vinculis, 348. finis diuiſio, 296. fine homo pcliuior ad virtutem, quam ad vitium, 244. finis virtutis communis, & proprius, 480. proprius relatus ad communem obtinet rationem medii, 480. & ſeq. finis ordinem præbet, 32. ſequitur ab eo ratio conſilii, ibid. debet eſſe vnus, ibid. finis actuum hominis, qui, 10. finis ingenuarũ artium, qui, 517. & ſequ. honoris qui, 672. prudentiæ præſtantior ſine ſapientiæ, 484. & ſeq. hominum alio modo Theologis, alio Peripateticis ſtatuitur, 344. totius philoſophię ciuilis ſummum bonum 14. obedientiæ qui, 251. Imperiorũ varii, 897. legum, qui, 942

Flaminii nobilis laudes. 441

Fortuita, quomodo non fortuna, 710

Fortuna, medica neceſſaria, 411. & ſequ. ad heroicum fulgorem augendum confert, 543. & ſeq. an ad artificẽ ſpectet, 513. proſpera, num magis amico optãda, quam ſibi, 614. ad virtutes conquirendas, quandoque cõfert, 304. fortunæ idolus qui. 728. & ſeq. fortuna cur vitrea ficta, 728. cur ferrea, ibid. cur bifrons, 729. cur pedibus carens, ibid. cur fœmina, ibid. eius comes, cupido, ibid. eius idolus proprius qui, 730 fortuna in his, quæ raro eueniunt, locum habet, 730. in his, quæ eueniunt extra, ſemper, & frequenter, ibid. in his, quæ raro fiunt, maxime fulget, 732. quinque modis, magis, & minus recipit, 733. an magis locum habeat in principe, vel in priuato, 734. locum habet in prudente, & in imprudente, ibid. in fœmina plus, quam in mare locum habet, ibid. & ſequ. fortunam inimicam virtuti falſo nonnulli dixerunt, 735. non eſſe inimicam probatur, ibid. inimicam eſſe, quibus rationibus probetur, 736 fortuna, an dementes curet, 737. oppoſita quædam iure de ea dicta, ibid. proſpera magis, quam aduerſa obeſt, 737. magis aduerſam, quam

proſperam obeſſe probatur, ibid. fortuna bona, in quo verſetur, 740. à quibus principiis ortum ducat, 741. fortuna bona, quid, ibid. vnde manet, ſecundum Ariſt. 742. eius vera definitio, ibid. & ſeq. fortunæ bonæ fundamenta, quæ, 745. fortuna, vt dicatur dominari prudentiæ, ibid. fortunæ ſuę, vt quiſque ſit faber, ibid. ludis inſipiens, ibid. fortunam bonam expertum eſſe, an melius, 747. fortunæ repellendæ habitus, 748 eius bona, vt arma contra ipſam, ibid. fortunam vincere honeſtum 752. fortunę bonorum fures euadere debemus, 753. eius cum prudentia certamen ſingulare, 754. munera quæ, 627. an bona ſint, dubitatur, 630. ea nonnulli penitus negligenda cenſent, 632. ea eſſe ſummum bonum Ariſtot. negat, 633. vt ſeruēt rationem boni. ibi. ea bona quandoque appellauit Plato, 639. vt ſint ſimpliciter bona, ibid. vt mereantūr dici ſimpliciter bona, 635. inſtrumenta ſunt, 636. non ea, ſed eorum deprauatus vſus mala parit, 637. quomodo bona, cum non ſint finis, ibid. ea non bona Theologi affirmāt, 639. eorum vtilitas quæ, 640. fortunæ munera ſunt inſtrumenta virtutum, 640. à Stoicorum repudiata, ibid. requiri ad ſummum bonum, quo ſenſu verum, 645. quatenus ea ſibi neceſſaria Chriſtiani cenſere debēt, 646. eorum ordo, qui 650. fortunæ nobilitas quæ, 656. fortunæ iocum eſſe in magiſtratuum electione, non abſurdum, 919. fortunæ aliquid condonare, cur vtile, ibid. fortunæ munera homini neceſſaria, 622. fortunæ mutatio, quando amicitiam nō tollat, 617. poſteriorum an ſpectent ad defunctum 821. fortuna plurimum confert ad conciliandum amorem, 583 fortunam bonam á ſummo bono, non diſtingui, falſum, 707. fortunæ notitia ciuili philoſopho debetur, ibid. fortuna & caſus quid ſecundum veteres, 708. fortunæ ſubiecta, ordine non deſtituta cum fortuna, & inter ſe pugnant, ibid. poteſtas quæ, 709. fortuna an ſit Dæmonica facultas, 710. an ſit verus Deus, ibid. fortuna & ſors, Parcarum ſpuriæ ſorores dictæ, 711 fortunæ nomen multipliciter vſurpatur, 713. fortuna & caſus, nomina inania videntur eſſe, 715. eam dari, ratio & experientia docent, ibid. fortuna non habet locū in cœlo, nec in Deo, 718. vt habeat locum in cœlo, 719. dupliciter cōſiderari poteſt, 720 fortuna, non eſt à fortuna, vt ver4 ib. fortunæ, an detū ſcientia, dubiū, ibi. eius conſideratio, ad quā philoſophiæ partē pertineat, 720. vt pertineat ad naturalem, 721. vt ad moralem, ibid. fortuna & caſus diſtinguuntur, ib. quandoque confunditur, ibid. in inanimis, vt locum habeat, 722. fortunæ ſors nectitur, 723. non eſt cauſa determinata, 724. redigitur ad cauſam efficientem, ibid. vt ad mentem, & naturam redigatur, ibid. ad materiem redigenda videtur, ibid. fortunæ diuiſio in bonam, & malam, 726. fortuna nullius, & multorum cauſa, ibid. cœca & oculatiſſima, 727. vt inconſtans, & cōſtans dicatur, ibid.

Digitized by Google

occulta, & manifeſta, 728. Nemeſis dicta. ibid.
Fœminæ, & maris virtus, an eadem, 890 fœmina an mas, rectæ inſtitutioni accommodatior, 948. & ſeq. fœminę difficile ſubiiciuntur legibus. 880
Formæ imperii ſex, 840. forma honoris, quæ, 672. forma prima ciuitatis, vnde manarit, 910. formarum reip. orig. quæ, 907. forma reipubl. in ordine collocata, 918. & ſeq. forma magiſtratuum duplex, ibid. forma Reip. nulla ſine iuſtitia conſiſtere poteſt, 902. formarum imperandi deſcriptiones, 897. formæ ſummi boni tres, duæ & vna, 823. forma virtutis vna eſt, recta ratio, 338. forma vniuerſi, ordo, 31. forma ordinis quæ, 29. forma libertatis quæ, 216 formæ rerump. variæ, 894. & ſeq. forma in quinto gradu bonorum naturæ collocanda, 650. forma inſtitutionis, quæ, 947. forma amicitiæ, in quo explicatur, 577. & ſequ. formæ liberæ, & non liberæ quæ, 249. & ſeq. formæ rerumpubl. tres de dignitate contendunt, 903. forma internæ reipublicæ eſt vniuerſa virtus, 886
Formica, vt dicitur prudens. 270
Formulæ virtutum ex opinione Ariſtotelis. 323
Fortitudo ſecunda in ordine virtutum, 374. fortitudo vniuerſa, 375. fortitudinem qui ceteris virtutibus præferant, 214. fortitudo vera, quæ, 142. fortitudinis cum ceteris partibus virtutis comparatio, 370. qua ratione videatur eminentior, ibid. fortitudo ratione ardui maximè fulget, 372. fortitudinem ad ſolum futura referre abſurdum, 316. fortitudo in quo differat à tolerantia 411. dextra parte clauda à Platone facta, 349. vt definienda, 323. definitio fortitudinis. ibid.
Fortunatus, qui dici poſſit, 470. fortunatus an omnis felix, 746. habitus repellēdæ fortunæ qui, 748
Fragilitatis humanæ impulſus, 242
Fran. Medices magnus dux Herruriæ, 649. Fran. Bonamici laudes, 441. Franciſ. Duodi heroica laus, 549. Franciſ. Mauroceni laudes, 723. Franc. Erini Secundi laudes, 441. Fran. Mariæ ducis Vrbini heroica laus. 537
Fracaſtorii de inſtinctu naturali opinio. 240
Frater fratri an amicitia poſſit eſſe coniunctus, 601. fratrum diſſenſiones grauiſſimæ. 610
Frena interna, & externa animę, quę 801
Fructus obedientiæ, qui 251. fructus prudentiæ, qui. 476
Furoris ſpecies duæ. 596

G.

Galenus quomodo definit artē medendi, 976. Galenus, quo ſignificatu habitum acceperit, 153. Galeni de propenſione hominis ad virtutem, & vitium opinio, 244. Galenus fortunatū eſſe Medicum volebat, 412. Galeni de coniunctione artis & fortunæ opinio, 513. de cognitione per ſimile opinio, 461 falſa oſtenditur, 462 Galen. perturbationes damnandas cenſuit, 114. appetitū honoris iraſcibili tribuit, 316. quo ſenſu artem medicam dixit ſcientiam 443. Galeni de modo acquirendarum moralium opinio, 299,

Digitized by Google

Galenus mores temperamētum corporis ſequi, male ſenſit, 124. & ſequ. Galeni opinio, de numero ſectarum philoſophorum. 770

Genus ſcibile ſolum competit ſcientiis pro ſubiecto. 8

Geometria quæ. 445

Gloria, fortunæ munus, 628. gloria, in tertio gradu bonorum naturæ collocanda, 650. gloria differt à laude, 675. gloriæ, & famæ connexio, 676. gloriæ, & honoris differentia triplex. ibid.

Gradus ſeruitutis à corpore vſque ad Deum, 213. gradus quatuor litium componendarum, 692 gradus pœnarum quatuor, 876 gradus potentiarum quatuor, 145. gradus obedientiæ ſeptem, 894. hominum tres, ibid. materies rerumpublic. in tres principes gradus diſtributa, ibid. gradus prudentiæ, gradibus moralium virtutum reſpondent, 482. & ſequen. gradus voluptatum quatuor 782. gradus ſummi boni duplex, 503. cur non quadruplex, 824. gradus virtutum quatuor, ſecūdum Porphyrium, 305. gradus quatuor prudentiæ, prouidentiæ & legis, 471. & ſequ. gradus ſummi boni, num ſeorſum vnus ab alio ſeruari poſſint, 861. gradus rerum aſcendēdo à Deo, 825 gradus vitiorum quatuor, 869. gradus rerum ſub Deo collocati, omnes materies, & ſubiectum obedientia ſunt, 251 gradus eminentior eminentiorem obedientiam requirit, 250. gradus quinque cognitioni noſtræ congruentes ſtatuit Plato, 401. gradus hominum tres, 854. gradus mentis, omnes arbitrium libertatis accipiunt, 229 gradus actionis ſex, 872. nobilitatis quatuor, 655. rerum quinque, non tres, 446. quartus aſcenſionis ciuilis, virtus, 269. tres artium ingenuarum, 518. principes cognitionis tres, 574. eleuationis hominum quinque, 56. gradus actionis decem, 163 gradus honoris vnde ſumantur, 682. ex meritis ſumi, ibi. ex conditionibus, ibi. ex materia honoris, 682. vnde eliciantur ſecundum Platonem, 683. animæ bonum ſibi accommodatum quærunt, 245. & ſequ. in homine duplex, vt duplex reſpondet appetitus, 246. alter alteri inſeruiens tamen inter ſe pugnant. ibid.

Græci, cur ſapientibus nullum præmium propoſuerunt, 492. & ſeq. græci ab alienis nationibus ſapientiam didicere, 437. Græcorum de diſtinctione petenda opiniones variæ. 395

Gregorii de connexione virtutum opinio. 348

Gratia in quinto gradu bonorum naturæ collocanda, 650. inter perturbationes à nonnullis numerata, 83. vt opponitur iræ, 327. tripliciter vſurpatur, 699. gratiæ nomen, cui præſertim competat, 700. gratiarum effuſio ſoli Deo competit, ibid. quid proprium, ibid. gratia, quæ cum pulcritudine iuncta, 701. gratia non eſt nomen æquiuocum, 700. gratiarum varii chori, 701. gratia, vt cōpetat Deo, menti, animæ, naturæ, materiei, ibid. gratiam à pulcritudine ſeiunctam verius, 701. & ſeq. quid eſſe dixerint nōnulli, 702. gratia quid vere ſit, 702. cur ſoli cōpetat homini, 703. gratiæ diſſen-

Digitized by Google

diſſenſio inter Ariſt. & Platonem, vocis potius, quam rei. 704. cur tres, pulcritudo, vna, ibid. gratiarum vna, cur ſemper nobis auerſa, 705. gratiæ, quæ nudæ, quæ indutæ, ibid. gratia an pulcritudine præſtantior, ibid. gratiæ, an vna ſine altera, 706. cur virtutes fingantur, ibidem. gratia, in qua hominis parte magis refulgeat, ibid.

Gymnaſticæ ad rectam inſtitutionem apprime apta. 950

H.

HAbitus, & diſpoſitio non reuera ſpeciem qualitatis conſtituunt, 158. habitus morales, qui, 283. habitum ſummi boni, num difficilius exuere, quam ſummi mali, 860. habitus quid ſit, 263. & ſeq. an mutari poteſt, 264. habitui, vt conueniat honor, 680. habitus more firmatur, 301. virtutum, & vitiorum ſunt in moribus, 80. habitui artis, vt competat recta ratio 304 habitus non accipitur pro genere ſingularum virtutum, 322. habitus aſſuetudine acquiſitus in appetitu ſenſuū, vt in ſubiecto recipitur, 286. modi in omni contemplandi genere, duo, 403. mētis duplex, 379. inſtrumentarii, vel principales, ibid. diſtinguuntur ratione rei, in qua verſantur, 380. recte ex ſui ratione, ibid. habituum numerus vt redundans videtur, ibid. vt diminutus, ibid. habitus organici dirigunt affectionē. 381. habitus rationis ab Ariſt. varie numerati 381. quomodo pertineant ad logicum, 386. cur ad phyſicum, 386. vt ad ciuilem, ibid. habitus nomen multarum ſignificationum, 153. quid ſit, ibi. late ſumtus, dicitur de omni qualitate, ibid. quomodo ſit qualitas, ibi. quomodo acquiratur, 154. mentis efficacia, item appetitus appetentis, ibid. principium eſt bene, vel male operandi, verum, ſed an primum dubitatur, ibid. cur non abſolute cauſa prima, 155. medium inter primam cauſam, & finem, ibid. magis conuenit cum ſecunda cauſa, quam cum inſtrumento, 156. quomodo ſit primum principium, ibid. habitus contracti ſignū. ibi. an ſit qualitas, dubitatur, ibi. animæ duplex, 157. quomodo qualitas, & relatio, ibid. relatus ad mentem eſt relatio tantum, 158

Hebræi ſapiētia Græcis priores, 437

Henricus de Gandauo, vt actionem contemplationi præferat. 489

Heracliti ſententia, vt veræ. 447.

Heracliti de temperantiæ præſtātia opinio, 369 Heraclitus ſcientiam è medio penitus ſuſtulit. 446

Hercules inter heroas maxime fulget, 535. Hercules, vt felicitatis ſpecimen. 642 & ſeq.

Hermippi de numero ſapientum Græciæ opinio. 434

Hermioneus, inter Græciæ ſapientes connumeratus, ibid.

Herodotus felicitatem in hac vita dari negat. 819

Heroica virtus, vt medium ſeruet, 280. & ſequ. heroica prudentia, illuſtris in Medicea familia, 639. heroica virtus maxime fulget in animis ingenuis, 529. 536. heroica virtus, quæ dicatur, 534. vnde oriatur, ibid. quorum virtutum ſit ſplendor, 535. ſpectat proprie ad morales virtutes, ibid. minus

proprie conuenit præclaro artifici, 536 ſapientiæ inferior, ibid. in vniuerſa iuſtitia maxime fulget, ibid. virtutes heroicæ abſolute non ſunt magnanimitas, & magnificentia, 537. an ſpecie à morali diſtincta, ibid. diſtincta à morali ſpecie, qua ratione probatur, 538. qua ratione probatur non diſtincta, ibid. dupliciter vſurpatur, ibid. vt diſtincta à morali ſpecie, vtque non. 539. eam in mente collocarunt nonnulli, 541. eam ad appetitum ſenſitiuum pertinere verius, ibid. eam ad appetitum iraſcendi pertinere minime verum, ibid. eam eſſe perturbationum euulſionē, falſum. 542. heroica moderatio quæ, 543. maxime fulget munere fortunæ, 544. ex cōgruenti inſtitutione ibid. ex opinione recta, ibid. & ſeq. heroicam virtutem eādem eſſe cum ſanctitate falſum, 545. non ſemper diſtinguitur à morali per diſtinctionem finium, ibid. ex mente Theologorum, & Plat. in omni hominum gradu reperiri poteſt. 546. fulget præſertim in principe viro. ibid. cur in omni hominum gradu ſplendeat, ibid. & ſequ. in fœmina minus, quam in viro. 547. heroica Venetorum caritas, 548. & ſequ. præſtantior, ſed minus neceſſaria morali, 555. heroicus ſplendor duplicis generis principia obtinet, 543 quando ortum ducat ex flagranti amore honeſti, ib. qui reſpondeat imminenti caritati Theologorum, ibid. ex vehementi perturbatione oritur, ibid. in aduerſa fortuna maxime oſtenditur, 544. manifeſtatur etiam diſciplinæ munere, ibid. & ſequ. apparet præſertim in viro principe, 546. heroici fulgoris vice vitium non amplectendum, 550. heroica hominum facinora, falſa ibid. heros vnde dictus, ſecundum Plat. 529. heroes vbi fingantur habitare, ibid. heroes ſupra animas hominum collocati, 530. heroum genus eſſe ſemideos, falſum, ibid. heroes qui ſint, ibid. vnde dicti ſecundum Plat. 531. heros qui, ibid. heroum Inſulæ in Britania, ibid. cur ducere genus à Diis dicti, 532. herois oppoſitū genus hominum quod ibid. heros eminentem quandam hominis conditionem denotat, 532. & ſeq. heroes Chriſtianorum, martyres, 534. qui dicti ab antiquis, 535. & ſequ. cur ſemper inter homines verſari dicti, 536. ſapientibus inferiores, 536. heroas qui ſe eſſe oſtendunt, ibid. heros, fortuna etiam illuſtratur, 544. heros in aduerſa fortuna fulget, 544. herois officium aduerſa vincere, ibid. herois officium quod, 547. heroes multi vitioſi dicti, 549. heros efficitur homo per quartum eleuationis gradum. 555

Heſiodi de affinitate amicitiæ præferenda ſententia, 600. Heſiodi de amoris origine opinio. 619

Hieronymi Capelli laudes. 520

Hieronymi de Ponte laudes. 411

Hiſtoriæ vtilitas quæ. 467

Homerus fortunam Oceani filiā dixit, 728. recte finxit virum prudētē iraſci, 116. prudēs in effingendis amicis, 437. verecundiam egeno minime conferre dixit, 337. Homeri verba, de miſeria. 867

Homo, quomodo ſcientiæ ciuilis videatur ſubiectum, 11. quando-

que

que mortem præeligere debet, 503 hominũ gradus tres, 856. homo animalium omnium maxime egenus. 914. diſcit, non animo, 454. homo magis de tribuendo, quam de recipiendo honore ſolicitus eſſe debet, 848. ſex modis conſideratus, 691 homo an in hac vita valeat eſſe felix, 757 homo quatuor modis ſeruus, 893. homo, vt fortunæ ſuæ faber, 745. homo duplici modo denominatur felix, 819. & ſeq. homo Platonis triplex, 764. hominem ludum eſſe fortunæ, vt intelligatur, 765. homini quid familiarius ignorantia vel vitium, 875. hominis felicitas quæ, 757 homo cur ſolus dicatur diues, & pauper. 638. homo in aduerſa fortuna, non omnino felix, 648. homines, qui Deum cognoſcant, 806. homo, vt ludus à Diis factus, 765. hominẽ ludo à Diis factum non imperfectionem, ſed perfectionem denotat, 766. ſummi boni eſſe capacem, quibus rationibus nitatur, 760. homo per ſummũ bonum ſimilis Deo, 848. homines ad rectã inſtitutionem accommodatiſſimi, qui, 947. homo ſenſitiuus triplex à Platonicis poſitus, 604. homines medii plurimi, 877 homo quinque modis affectus dum agit, 233. hominis laus de fortuna victoris, 753. homo principia ſuarum actionum per voluntatem, 261 homo dupliciter fit ſponte malus, 265. & ſequ. homo non quia ſubiectus Deo non liber, imo magis, 212. hominum differentia & diſtinctio, 236. homini affectiones virtuti ſimiles conueniunt, 333. hominis pædia præditi officium, 403. & ſequ. homo maxime propenſus natura ad bonum ſenſuum, 246. homo ſolus eſt mundi ciuis, 891. homo natura ſeruus an detur, 892. cum tribus comparatur & ad tria refertur, 892. omnis, vt liber. ibid. cur maxime diſciplinæ indigus. 3. quando fere fuerit liber, 226. ſcientiæ ciuilis minime ſubiectum, 6. hominem procliuiorem ad bonum, quam ad malum, 243. homines, quibus rationibus labuntur in ſcelera, 260. & ſeq. homo eſt finis mortalium, 1015. & ſeq. homo, cur princeps & dominus actionum ſuarum, 229. homo quomodo ad vitia magis, quam ad virtutes ſit pronus, 241. homo libertatem & contingentiam iunctas habet, 264. qua ratione oſtendatur particeps libertatis, ibid. hominis conditio, arma contra fortunam, 750. homo, inſtinctu naturæ ducitur, 238. hominis incontinentis affectio, 255. homo cœleſti aui ſimilis, 529. homo per ſapientiam dicitur fieri omnia, 556. homo, cur diſciplinæ indigus, 16. homo ex ſententia Ariſtot. quid, 758. homines, magis vnus quam alius ad hanc vel illam virtutem, apti, 310. homo efferatus heroi oppoſitus, 532. an ſponte fiat bonus, vel malus, ibid. vt vere ſecundũ naturam affectus, 251. ſeiũctus ſenſibus, non egeret virtute morali, 284. virtutis ſtudioſus, qui dicatur, 305 qui Dæmonicus, qui Deus, ibi. homini nõ opinio ſolũ ſed ſciẽtia etiam cõpetit, 400 homo felix an ſuæ felicitatis inſcius eſſe poſſit, 855. homo vt felix

Digitized by Google

in vita, 818. an in ea dici poſſit felix, ibid. homo, cur paruus mundus, 750 & ſeq. homo ſolus inter mortalia viuentia nobilis, 660. homo præſertim miſeriæ particeps, qui, 879. homo ad vitia pronior quam fœmina, ibid. & ſequ. homo dupliciter à virtute recedere poteſt, 353 homo ab animalibus artes doctus, 412. hominis perturbationes, cur plures, quam ferarum, 133. hominum diſpoſitiones quatuor ad ſcientiam, 449. homo Anaxagoræ caos, 750 hominis perfectio, in quo conſiſtit, 216. & ſeq. homo, qua ratione dicatur liber, 215. hominem feræ magis quam aliquid animal timent, 132. hominis temperamentum faciſſimum alterari, 134. homo perperam educatus deterior omni fera, 763. homini, melius eſt ſeruire, quam regnare, 213. hominis peculiare bonum virtus 881. homo duobus modis ciuis dicitur, 886. homines ſinguli, dici poſſunt mundi probi, vel improbi ciues, 886. & ſeq. homo, cur ſolus dicatur diues, & pauper, 638. hominis conditiones quatuor in vrbe, 693. hominem, quæ pugnæ honorent, 694. hominum gradus tres, 894

Honeſtum non æque omnibus gradib. idem, 888. honeſtum eſt ſcopus internæ reipublicæ, 886. & ſequ. honeſtum perficit voluptatem, non è conuerſo, 791. finis vnus virtutum, 338

Honor, magis externum bonum quã amicitia, 590. an præferatur amicitiæ dubitatur, ibid. cur ei præferendus videatur, ibid. & ſeq. honor externorum bonorum maximum, quo ſenſu intelligitur, 591. honor non valde optandus, 315. externorum bonorum maximum 326. debetur occidenti tyrannum, non furem, 880. in tertio gradu bonorum naturæ collocandus, 650 & ſequ. fortunæ munus, 628. honoris cognitio vtilis vnicuique, 669. honoris deſiderium in homine, quod 670. honoris formæ ſeptem, 671. honoris definitio ex Speuſippo, ibid. eiuſdem ex Ariſtot. definitiones duæ, ibid. & ſequen. eiuſdem ex Cicerone definitio, 672. honoris forma, quæ, ibid. materies, ibid. finis, ibid. cauſa efficiens, ibid. exacta definitio, 673. honor publicus, eſt verus cenſendus honor, 673. late ſumptus plura ſub ſe continet, 674. honoris nomen à laudis nomine diſtinctum, 675. honor diuinus & humanus, ibid. honorum merita ex virtute veniunt, 967. honoris & gloriæ differentia triplex, 678. eius variæ definitiones inter ſe cõſtant, 489. in eius definitiones cur virtutis mentio fiat, 490 an præmium ſit virtutis rationalis dubitatur, ibi. & ſeq. conuenire virtuti rationali, rationi, & auctoritati conſentaneum, 491. cur maxime proprie referatur ad virtutem morum, ibid. honor, vt habitui competat, 492. an ſapientiæ præmium dici poſſit, ibid. an artibus competat, 681. honoris gradus vnde ſumantur, ibid. ſumpti ex materia, 682. honor, an pueris conueniat, 683. an defunctis, ibid. an ſit bonum laude dignum, 684. quadrupliciter conſideratur, ibid. honore an afficere poſſit vir prauus, 685.

honor

honor an expetendus, ibid. dum nimis expetitur, negligitur, ibid. dum nimis negligitur expetitur. 686. honorem honorantis magis quam honorati eſſe, iure dubitatur. 686. & ſeq. eſſe honorantis & honorati ſimul, falſum. 680. & ſequent. vt ſit honorati, vtque honorantis. 688. honorem magis inferre, quam recipere curare debemus. 689 honore priuari non poteſt vir probus. ibid. & ſeq. honoris amiſſio & læſio non ſunt idem. 690. honoris ordines ſex. 691

Horatii ſententia de viri boni ſpe & timore, dubia. 644. Horatii de felicitate error. 642. Horatii de innocentia vitæ ſententia. 877

Hymnus Ariſtotelis in laudem virtutis. 378

I.

IAcobi Superantii heroica laus. 549

Iamblicus, numina in ordines nouem digeſſit. 530

Ianus bifrons actionem & contemplationem notat. 497

Idea, in quo differt à ratione. 825. idea ad quod genus cauſſæ redigatur. 505. Ideas mentis, fundamentum habituum ſtatuit Plato. 550. Idea boni, vbi à Platone tractata. 804. Ideæ nomen à Platone tripliciter vſurpatur. ibid. Ideæ boni, pulcri & vnius, cur non competant menti, vt cæterorum. 805. & ſeq. Idea boni diſtincta ab aliis Ideis non datur. 806. Idearum opinio Platonis ab Ariſtot. impugnata. 807. Idea boni ex mente Platonis perperam ab Ariſt. impugnata. 808. & ſeq. Stoici felicitatem in hac vita dari affirmant. 819

Idololatria ciuilis, quæ. 920. Idolus fortunæ, qui. 728. cur terrens. ib. cur ſine pedib. 729. cur fœmina. ib. Idolus eius proprius, qui. 730

Id quod eſt ex euentu, eſt raro. 981

Iecoris natura, cur in homine procreata. 91

Ignis duplex conſideratio. 173. Ignem moueri in orbem non minus per naturam, quam dum mouetur deorſum quomodo dixit Ariſt. ibid.

Ignorantia vnum ex quatuor hominem peruertētibus. 868. ignorantia, non omnis inuite factum conſtituit. 165. ignorantia an homini familiarior quam vitium. 875. ignorantia, duplici ratione comparatur cum vitio. 876

Imaginandi vis, duplex. 449

Imago Dei per obedientiam fulget in homine. 250

Immanitas, vna ex tribus feritatis faucibus. 552

Imperium mundi non mixtum, ſed regium. 905. imperii formæ ſex. 895. imperia à Deo manarunt. 908. imperii ciuilis partes tres. 909. imperiorum mixtiones quę. 898. connexiones eorum quindecim. ibid. imperii prima cura, quæ. 916. imperia publica ſunt quædam Regnorum degenerationes. 913. imperium Dei ſolum rectum. 888 imperia oppoſita, vt miſceantur 901. imperia cito dilabentia, quæ 906. imperia creaturæ, vt bona. 250. imperiorum fines varii. 897

Impoſſibilia dupliciter conſiderantur. 196

Improbitas abſolute & ferina. 554. improbitati parātur pœnæ apud

inferos. 878. & ſeq. improbus, agenda ignorat. 224
Imprudentes cur miſeri. 743. imprudens, qui dicatur. 333. imprudentia in perturbatione verecundiæ. ibid.
In ciuili diſciplina cur in initio animi facultates non ſtatim referri debeant. 968
In conſiderandis perturbationibus rhetorica eſt pullulatio ſcientiæ de moribus. 971
Inconſtantia opinionum de ſummo bono, vnde. 764
Incontinens eligit, non præeligit. 191. incontinentia, vnum ex quatuor hominem peruertentibus. 868. incontinentiam non dari voluit Plato. 252
Indigentia, quæ. 581. & ſequent. indigentia amici noſtra dicitur. 582
Indignatio duplex. 176. indignatio, quæ. 333. & ſeq. indignationem, in viro probo locũ habere Stoici negarunt. 335. & ſeq.
Infinitorum non eſt ſubordinatio. 29
Ingenium varia ſignificat. 145. minime ad ſenſus pertinet. ib. quid ſit ſecundum opinionem nonnullorum. 149. de eius ratione duo ſunt. ibid. eius definitio. 150. in bonam & malam partem vſurpatur: ingenium abſolute bonum quid: qua in re maxime fulgeat. ibid. vnde conſurgat. 150. eorum varietas. ibid. & 151. eorum varietas vnde ortum ducat ſecundum Originem ibid. Panætium. ibid. Proclum & Porphyrium. ibid. varietatis ingeniorum vera origo. 152. ingenium vt in parte mortali & immortali, conſideretur. ibid. ingenia hominum huius ſeculi iudicando, quæ. 963
Inimicitia amicitiam ſoluit. 609. inimici humanæ conditionis qui. 476
Iniuriam non inferre magis, quam non recipere, curare debemus. 689
Iniuſtitia habens arma. 878
Innocentia vnicum vitæ ſolamen. 877
Inopia & priuatio cur mater amicitiæ. 581
Inſania non proprie aduerſatur virtutibus moralibus. 313. inſania, non ita ſe habet in actionibus, vt perturbatio. 182. & ſeq.
Inſcitia craſſa & negationis. 449. inſcitia Socratis, quæ. 450. inſcitia tertius gradus cognitioni noſtræ congruens. 401
Inſcriptio librorum moralium ex Platone. 22. ex Ariſtot. ib. inſcriptiones a perſonis ſolitæ. 24
Inſipiens, fortunæ ludus. 746
Inſtigatio interna duplex. 237. & ſe.
Inſtinctus, quid. 237. & ſeq. inſtinctus naturalis, quid. 238. magna latitudine præditus. ibid. in homine eminentiſſime refulget. 238. diuiditur in communem & proprium. Item vel vnius ſpeciei, vel quorundam indiuiduorum. ibid. ſemper eſt conſimilis. ibid. principium eius, quod. 239. eius definitio. 240. an præcedat cognitionem, dubium. ibid. & ſeq. reſoluitur. 240. videtur non habere locum in homine, ratione mentis. ibid. contrarium verius. ibid. quomodo tribui poſſit intelligentiis. 241. in quo maxime refulgeat, proprie ſumtus.

Digitized by Google

tus.ibid. eo ductæ res omnes bonum quærunt. 245

Inſtitutio recta, quid. 946. inſtitutionis rectæ fundamẽtum quod. 947. vbi ipſa primo refulgeat. ibid. ad quam ſcientiam pertineat. ibid. & ſequent. Italis accommodatiſſima. ibid. quibus, & cui ætati maxime conueniat. 948. cui ſexui. ibid. inſtitutio maris & fœminæ, an eadem eſſe debeat. 949. & ſequent. inſtitutione indiga, quæ. 950. inſtitutum auctoris in philoſophia de moribus quod eſt. 965. tria hic apprime vtilia ab auctore eliciuntur. & quæ. ibid. inſtitutum auctoris, & ratio inſtituti quæ. 963. inſtitutioni rectæ adhibenda, quæ. 950. & ſequent. inſtitutio appetitus quæ. 950. mentis item quæ. 952. inſtitutionis rectæ capita ſexdecim. 953. inſtitutio recta viri probi. 19

Inſtrumentum, diſtinguitur à ſecũda cauſſa. 155. inſtrumenta logica differunt & ab habitu logicæ, & á diſciplina, cum qua nectuntur. 973. inſtrumenta logica ſunt omnibus communia. 979

Inſulſus, qui dicitur. 330

Integritas & perfectio virtutis, vnum ex eius octo vinculis. 322. 349. & ſeq. integritas. 322

Intelligentia, primus gradus cognitioni noſtræ congruens. 401. intelligentiæ, quomodo inſtinctum naturæ dicantur habere. 240. & ſequent. intelligentia practica ad formandam prudentiam neceſſaria. 276. intelligentia princeps aliarum virtutum mentis. 413. intelligentias iungi homini in hac vita, quibus rationibus probetur. 831. quibus negetur. 838

Intellectus liber, vna cum voluntate. 235. intellectum volũtati præpoſuit Plato. 850. & ſeq. intellectus poteſtate & agens. 872. & ſequent. intellectus, ſine voluntate non fruitur. 850. intellectus, quomodo ſeipſum intelligat. 843. intellectus hominis ſingularia primo cognoſcit. 418. intellectus agens, quomodo nihil eorum intelligat, quæ hic ſunt. 830

Intentio, quæ. 397

Interpreti nonnunquam terminos ſcientiæ egredi licet. 968. error quorundam, qui huiuſmodi egreſſum damnant, ab auctore reprehenditur, & quinam damnandi ſint, indicat. ibid.

Inuidus, inuidia & inuidentia vnde. 335

Inuite iure opponitur ſponte, & eſt duplex. 175. inuite, abſolute, & pro tunc. 167. & ſeq. inuite, abſolute, & pro tunc, an detur. ib. inuite fieri aliquid, quomodo dicatur. 263

Ioann. Iacobi Diedi laus. 345. Ioan. Pici Mirandulani de fortuna error. 712. Ioan. Pici de origine bonæ fortunæ ſententia. 741. Ioan. Bernardini longi laudes. 441

Ioci in congreſſibus. 330. iocus hominis proprius. 765

Iouem Saturni regnum vſurpaſſe, cur ſimulatum ſit. 495. Ioui Deorum Trinitas aſſiſtens. 511

Ira quomodo fortitudini conducit. 115. ira bipartito diſtinguitur. 88. ira, qua ratione cæteris perturbationibus præſtare videatur. 135. iræ gradus quinque. 136. ira quid. 137 ira cupiditate præ-

Digitized by Google

ſtantior. 93. ira quomodo Deo conueniens, & non conueniens. 122. iram animalia non cognoſcunt. 131. iram ſine oppoſitione ſtatuere error. 88 ira, vt ſit redintegratio amoris. 610 iræ latitudo quid contineat. 326. iratum agere & per iram differunt. 182

Ironia, an vitium. 329

Italia, munere principum fortunata. 667

Iucundiſſimum, vt ſe habeat ad ſummum bonum. 865. iucunditas, non eſt eſſentia ſummi boni. 790. & ſequent. iucundum & moleſtum quid contineant. 328 iucunde viui non poteſt, niſi prudenter, honeſte ac iuſte viuatur. 967

Iudicans prudentia, quæ. 470. iudicare, officium prudentis eſt. 167. iudicium tertius actionis gradus. 63. iudicium mentis conſpirat ad omnes virtutes earumque actiones. 265. & ſeq.

Iumenta & feræ, ſummum bonum non cognoſcunt. 763. iumenti & hominis comparatio. 892

Ius quotuplex. 332. iuris prudentes prudentiam ſapientiæ antefecerunt. 483. & ſeq. ius in iiſdem verſatur cum amicitia. 590. iuris ciuilis bene addiſcendi modus. 21. & ſeq.

Iuſtitiam qui cæteris virtutibus præferant. 371. & ſeq. iuſtitia vniuerſa, quæ. 319. iuſtitiæ amicitia ſimilis. 590. iuſtitiam in voluntate poſuit D. Thomas. 291. iuſtitiæ conditio. 322. iuſtitia, vt ſeruet medium. 280 iuſtitiæ perfectæ vſus, illuſtris in Mediceorum familia. 659. & ſeq. iuſtitiam nomine perfectæ virtutis Ariſt non denotat. 812. iuſtitia variis modis medium ſeruat. 280 iuſtitia, quæ ſit iniuſtitia, datur. 887. & ſeq. iuſtitia omnium virtutum princeps. 373. iuſtitia quæ medium arithmeticum, quæ geometricum ſeruare debeat. 902. iuſtitia definita à iuris prudentibus. 292. eſſe habitum & virtutem voluntatis, falſum. 293 re idem eſt cum vniuerſa virtute morali. ibid. iuſtitiam parti rationali conuenire verum. 293. & ſeq. more & aſſuetudine acquiritur. ibid. eſt moderatio perturbationis. 295. in quo differat à cæteris virtutibus. ibid. cur vltimo loco declarata ab Ariſt. ibid & ſeq iuſtitiæ ſedes ſecundum Pythagoreos, vbi. 297. de eius ſede conuenit Ariſtoteles cum Platone. 298. cur ei præſertim tribuatur congruens ratio partium animæ. ibid. iuſtitiæ nomen, dupliciter vſurpatur. 330 quid ſit pro parte ſumta. 331. eius definitio. ibid. eius diuiſio. 332. vt conueniat cum cæteris virtutibus 332. & ſequent. iuſtitiæ cum cæteris virtutibus in parte conſideratis comparatio. 365. iuſtitia vniuerſalis turris triangularis. 366. an præſtantior ratione iuſtitiæ, vel virtutis ambigitur. ibid. eſſe præſtantiorem vt eſt virtus, quibus rationibus nititur. ibid. quibus vt iuſtitia. 367. iuſtitia vniuerſa ſtellæ Veneris ab Ariſt. ante habita. ibid. eſſe præſtantiorem vt iuſtitiam verius. 368

Iuuenis & ſenis, an eadem virtus. 796. iuueni, verecundia & pudor conuenit. 336. iuuenis, ad ciuilem ſcientiam cur non accommoda-

Digitized by Google

modatus.404. iuuenum recta inſtitutio vtilis. 945

L.

LAcedæmones, virtutum ſemina legibus curabant. 236 Lacedæmoniorum de morte obeunda ſententia.572 Lacedæmoniorum de adminiſtranda cum fœminis republ. vſus.949. Lacedæmoniorum reges in liberorum educatione accurati. 663. Lacedæmoniorum in educandis pueris mos. 666. & ſeq. Lacedæmoniorum de liberis educandis ſententia. 123

Laurentii Medices magnificentia erga ſtudia literarum. 737

Laſus, inter Græciæ ſapientes connumeratus. 434

Laus, maxime cum encomio iuncta 666. & ſeq. laus an conueniat honori. 684. laus, vt bonum laudantium.587. laudis aſſerta ſunt, quæ ſunt honoris. 688

Læſio duplex, pura & præmeditata. 179.læſio, & honoris amiſſio, non ſunt idem. 690

Lætitia menti á Platone tributa. 782

Lambini de Cogitatione error. 383. Lambini error in vertendis verbis Ariſtotelis. 408. Lambini in annotationibus Ariſtotelis error. 464

Latini, male confundunt agere inuite, & agere ſponte.169. Latinorum de dolore & voluptate ſententia. 96. Latinorum de diſtributione virtutum error. 316

Leonici, de pædia opinio.404. Leonis Decimi erga ſtudia literarum propenſio. 737. Leo fortis vt dicitur. 270. Leonis Hebræi de numero moralium virtutum opinio. 315. Leonis Hebræi de amore opinio.105. Leonis Hebræi opinio, de amantis & amati præſtantia. 597

Leophantus, inter Græciæ ſapientes annumeratus. 434

Leucippi de ſcientia opinio. 446

Lex Pittaci de ebriis. 182. leges, regulæ ſunt internæ reipubl. 886. leges abſque diſciplina morali, ciuilem philoſophiam non attingunt. 21. & ſeq. leges ex virtute originem ducunt, & in eam diriguntur. 1007. lex à prudentia formatur. ibid. prudentia ſine virtute non eſt. ibid. legum defectionibus magiſtratus ſubueniunt 915. & ſequent. leges ſunt eorum, quæ fiunt ſponte. 160. leges non euertunt, ſed confirmant liberum arbitrium hominis. 212. legum ferendarum ratio, Ariſtoteli pars ciuilis ſcientiæ. 25. vbi perficiatur. ibid. leges, tribus hominum conditionibus proſunt. 16. legum ferendarum ratio, vnde elicitur. 21. leges ad hoc inſtitutæ, vt vtamur, non abutamur libertate. 234. legumlatores, legum inuentionem retulerunt in Deum. 472. legum ferendarum ratio, vt ad libros de republ. vtque ad eos de moribus ſpectet. 22. legum ferendarum ratio, vnde elicitur. 471. lex ex prouidentia oritur. ibid. legi naturæ aduerſatur ſingulare certamen. 567. leges magiſtratibus vt præſint, vtque ſubſint. 546. lex, quid. 14. vnde manet. ibid lex quid ſit. 931. lex quadruplex à quadruplici ordine. ibid. lex, de quib. ſit. 932. legum gradus quatuor inter ſe comparati. ibidem.

Digitized by Google

leges omnes an ſint iuſtæ, iure dubitatur. 933. leges æquiuoce, quæ. ibid. lex quæ ſit ſecundum Platonem. ibid. leges quomodo eædem apud omnes. 934. leges an mutare liceat. ibid. legum mutatio Ariſtoteli non placuit. 934. leges, vt mutandæ, vtque non. 935. legis origo ad quatuor relata. 938. legum initia æterna ibid. legum condendarum officium, cuius ſit. 939. legum condendarum finis, qui. ibid. legum conditor, quid inſpicere debeat. ibid. legumlatores varii. ibid. legum ferendarum primus peritus. 940. lex in Deum quatuor de cauſſis referenda. 940. leges quæ, in quos Deos relatæ. ibid. lex, an ex hominis ratione prodeat. 941. leges quo fine conditæ. ibid. legum rectarum caput primum. 942. legum duo prima præcepta. ibid. lex naturæ & ciuilis. ibid. leges naturæ duodecim. ibid. & ſeq. lex, an præeſſe vel ſubeſſe magiſtratui debeat, dubium. 921. præeſſe debere quibus rationibus nitatur. 922

Legens publice ſcientiam, an verſetur in actione, vel effectione. 509. dupliciter conſideratur. 510

Liberalitas, ratione affinitatis cum caritate maxime fulget. 373. liberalitas circa quæ verſetur. 325. liberalitas appetitui diſtincto non competit. 316. liberalitas, quarta in ordine virtutum. 374. liberalitatis cum cæteris partibus virtutis comparatio. 371. ex moralibus ſimilima caritas. ibidem. nos Deo ſimiles reddit. ibid. ea Deus mundum creauit. ibidem. culmen eius magnificentia. Ibid.

Libertas vera non exquiritur ad ſponte factum, late ſumtum. 216. libertas, quæ vere iudicanda. 902. libertatis munere, quando recte vtatur homo. 213. libertas quæ dicatur arbitrium. 201. libertas hominis à phyſicis vincta. 202. ab aſtronomis impugnata. ibidem. à metaphyſicis vt euertitur. ibidem. languidam efficiunt Medici. 202. logici cum ea contendunt. 203. quæ rationes eam patefaciant eſſe in homine. ibidem. libertas adumbrate ſeruatur in homine. 204. & ſequent. libertas, quomodo contra præſcientiam & prouidentiam defendatur. 205. ſeruatur cum neceſſitate. 207. impugnata ratione modi operandi Dei, quomodo defenditur. 210. & ſequent. refulget in Deo libertas & neceſſitas, in homine cum varietate complicata. 211. libertate nulli ſubiecta ſolus Deus liber. 212. libertas contra logicos defenditur. 215. ſemper competit homini. 214. qua ratione dicatur eſſe in homine. 215. libertatis materia duplex. 216. libertatis forma, quæ. ibidem. eius finis, qui. ibidem. eius cauſſa efficiens ſecundum Alexandrum. ibidem. numeratur inter ea, quæ denotant perfectionem abſolute. 217. eius vera cauſſa efficiens. 218. eius definitio. 219. libertatem in ratione ſola poſuerunt nonnulli. 222. & ſequent. nonnulli in ſola voluntate. 226. libertas arbitrii locum habet in omni mentis gradu. 229. quo gradu compe-

tat

tat facultatibus mentis. ibidem. eius origo ſecundum Ariſtotelem in ratione conſideratur. 229. & ſeq. libertas eſt in voluntate & in intellectu. 233

Liberum dicitur eſſe multiplex. 200. liberum quod nulli ſubiicitur. ibidem. liberum indifferens. ibidem. liberum quod ſponte operatur. ibidem. liberum ratione iunctum. 201. liberum arbitrium, quid. 219. liberum vere, quod. 219

Libri philoſophiæ ciuilis, Nicomachii dicti. 24 libri de republic. cur præſtantiores libris de moribus dicti. 19. & ſequent. libri de moribus varii, omnes Ariſtotelis. 24. libri de moribus, bonum publicum non ſingulorum explicant. 21. libri de moribus præſtantiores libris de republ. 20. libros de moribus cæteris prius addiſcendos verius. 61. libros de republica docendi ordine primos nonnulli aſſeruere. 60. reiicitur opinio. ibid.

Linconienſis circumſcriptio de bono proprio non approbanda. 625. Linconienſis, de moralibus ab Ariſtot. enumeratis ratio. 315. ſententia eius reiicitur. ibidem. & ſeq.

Lingua & os, gratia magis inſignita. 706. lingua virtutis quæ. 378

Lis, inter Stoicos & Peripateticos de perturbationibus. 130. & ſeq. lites; quomodo componi poſſint. 183 litem inter Stoicos & Peripateticos in verbis, non in re poſitam cenſuit D. Auguſtinus. 118. litium componendarum gradus quatuor. 692

Literæ nobilitatem non parant. 668

Logica facit diſcipulos 406. Logica cur non dicitur inſtrumentum. 975 ſic ars medendi cur dicatur ſanitas. ibid. logica dupliciter conſideratur. 409. logica potius ars, quam ſcientia 510 logicam, eſſe ſcientiam dicere error. 444. logicorum contra libertatem contentio. 203

Luciani in Ariſtotelem irriſio. 644

Lucifer, inobedientia damnatus. 252

Lucra nobilem virum decentia, quę. 666 lucrum elicere ex magiſtratu, an liceat. 924. non licere, qua ratione nitatur. ibid. licere, quomodo verum. 926

Lucretiæ heroica virtus falſo attributa. 551. Lucretii de ſcientia opinio. 446

Lucta, naturæ certamen. 692

Ludi nomen, quid importet. 765

Ludouici Boccaferrei de caſu, & fortuna error. 719

Lumen ſupernum an neceſſarium ad notionem diuinorum. 847

Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator. 939. Lycurgus educationem nobilitate potiorem eſſe voluit 666

Lydus, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 452

M.

Magiſtratus in republica neceſſarii. 915. & ſequent. magiſtratus quid. 916. magiſtratuum proles æquitas. ibidem.

magiſtratus recta definitio. ibid. magiſtratus dupliciter vſurpatur. ibid. magiſtratus primi officium quod. ibid. magiſtratuum primorum diſtinctio vnde petenda. 917. magiſtratuum materies quæ. 917. magiſtratum adminiſtrandi ſcientia, quid requirat. ibid. magiſtratum adminiſtrantis voluntas, quæ. 918. magiſtratu digni, qui. ibid. magiſtratum adminiſtrandi facultas, quæ. ibid. magiſtratum creandi modi, ſeptem. 919. magiſtratuum electores quales eſſe oporteat. ibid. magiſtratus perpetuus, an ad tempus eſſe debeat dubium. 920. magiſtratus primus minus cæteris variatur. ibid. an præeſſe vel ſubeſſe legibus debet, dubium. 921. ſubeſſe debere, quibus rationibus nitatur. ibid. vt præſint, vtque ſubſint legibus. 922. magiſtratuum munus quod. 923. magiſtratum gerentibus, an lucra prouenire debeant, dubium. 924. magiſtratuum præmia quæ. 831. & ſequent. magiſtratum an aptius adminiſtret diues, quam pauper. 927. an illos quærere debeat vir probus. ibid. magiſtratum creandi ratio apud antiquos. ibid. & ſequent. magiſtratum quærendi modus. 928. magiſtratum gerens non confidat ſuis viribus. 929. magiſtratus virum oſtendit. 883

Magnanimitas non eſt abſolute virtus heroica. 537. magnanimitas Mediceorum quæ. 659. & ſeq. magnanimitas & magnificentia, vt medium ſeruent. 280. magnanimitatis cum cæteris partibus virtutis comparatio. 370. eius excellentiæ vis. 371. ornamentum omnium virtutum. ibid. magnanimitas ratione affinitatis cum caritate maxime fulget. 373. magnanimitas maxime fulget in honore. ibid.

Magnificentia appetitui diſtinctio non competit. 316. magnificentia circa quæ verſetur. 325. magnificentiam, qui cæteris virtutibus præferat. 373. magnificentia non eſt abſolute virtus heroica. 537. magnificentia Mediceæ familiæ, quæ. 659. & ſeq.

Mahometus Arabum legislator. 940

Macrobii de quatuor virtutum gradibus ſententia. 305

Maleuolus & maleuolentia. 333

Malignitas vitium in Spiritum ſanctum. 554

Malum duplex 870. malum vt non ens. ibid. vt ſemper nitatur bono. ibid. vt ſit perfectum. ibid. malum latiſſime acceptum á Dionyſio Areopagita. 264. malum extrinſecus, vt accedat ad hominem. 247. mala abſolute fiunt bona pro tempore. 167

Manſuetudo gratiæ iuncta. 322. manſuetudinem, quæ cæteris virtutibus præferant. 373. manſuetudinis cum cæteris virtutis partibus comparatio. 534. & ſeq. quibus rationibus cæteris præſtãtior. 535. ſimilima paci & tranquillitati. ibid. manſuetudo ratione affinitatis cum humana conditione maxime fulget. 373. quarta in ordine virtutum. 374. manſuetudinis definitio. 327. manſuetudo quid. 287

Manus virtutis, quæ. 378

Materies, ianua caſus & fortunæ. 724.

Digitized by Google

724. materies interna, & externa actionum hominis. 10. materies amicitiæ, quæ. 578. materies obedientiæ, quæ. 249. 250. materies ordinis, quæ. 19. materiei primæ libertas. 200. materies principium contingentiæ. 208. materies honoris, quæ. 672. materies non eſt potentior primis cauſſis. 208. materies prima conſideratur ſolum á diuino. 418. materies proxima reipubl ciues. 362. materiei, vt competat gratia. 701. materies conſultationis duplex. 346. materies magiſtratuum, quæ. 917. & ſeq. materia prima ducitur inſtinctu naturæ. 238. materia eſt propter formam, tanquam propter finem. 1016. materia eſt cauſſa formæ, & forma materiæ, errant grauiter qui contrarium ſentiant. 990, materia libertatis duplex 216. materies rerumpublic. quæ. 891. materies artium, duplex. 8. materies conſiderationis quæ. 8. & 9. materia continet omnia per vmbras. 825

Mars artium inuentor. 511

Marſilii Ficini de heroibus opinio reiicienda. 538. & ſeq. Marſilii Ficini de virtutum præſtantia, opinio. 372. Marſilii Ficini error de ſede iuſtitiæ in anima. 298. Marſilii Ficini de præſtantia cótemplationis opinio. 494 Marſilii Ficini, de nominibus ſummi boni ſententia 656. Marſilius Ficinus, vnde diſtinctionem virtutum ſumſerit. 311

Martyres vt beati in tormentis. 647. Martyres, ab Auguſtino heroes nuncupati. 534

Mas, an fœmina rectæ inſtitutioni accommodatior. 949. mares prudentiores fœminis cur. 469. mares facilius amicitia ligantur, quam fœminæ. 608. & ſeq. maris & fœminæ virtus an eadem. 897

Macariſmus, ſummum bonum, cur dictum. 755

Mater, cur potius, quam pater nobilitatem impartiri dicatur filio. 664. & ſeq.

Mathematica quo ſignificatu ſcientia dicta. 442. & ſeq. Mathematica ſola diſtinctam ſcientiam parit. 444. Mathematica quid artibus conferat. 521. & ſeq.

Maturitas prudentiæ, quæ. 477. & ſeq.

Maxime facere ſcire non eſt parere ſcientiam confuſam ſed diſtinctam. 1003

Medicea familia omni ex parte nobiliſſima. 659. & ſeq. Mediceorum erga ſtudia literarum munificentia. 736. Mediceorum familia, nobilitatis exemplar. 659. & ſeq.

Medicus, male vtens arte dupliciter conſideratur. 221. medicus in eo orditur in quo definit phyſicus. 1040. medicina eſt ſcientia ſanorum, ægrorum & neutrorum. 979. medici empirici, qui. 473. medici, cur dicti ſapientes. 422. medicus debet eſſe fortunatus 412. medici libertatem impugnant. 202 & ſeq.

Mediocritas iocorum in congreſſibus. 330. mediocritas quę in congreſſibus. 328

Medii vnius varia eſſe extrema non abſurdum. 312. medium finis aſſequendi duplex. 50. medium Platonis, ſponte apud Ariſtotel.

181.182. medium in perturbatione verecundiæ quod. 335. medium perturbationum proſequutionem, & fugam continet. 319. medium virtutis vnum eſt præelectio. 338. medium triplex. 277. medium arithmeticum quod. ibidem. muſicum item quod. ibidem. Geometricum item quod. ibidem. medium virtutis cum latitudine ſumtum, gradus recipit. 362. Stoicorum error de paritate vitiorum. 363. medium inter virtutem & vitium, vt detur. 365 media differre faciunt hominem à feris. 211

Memoria & reminiſcentia ad eandem animæ partem ſpectant. 454. & ſeq. memoriæ vtilitas, quæ. 467

Mendaces qui, ſecundum Platonem. 255

Menedemi de vnitate virtutum ſententia. 308

Mens quo magis à materia ſoluta, eo liberior. 218. mentis humanæ, & abiunctarum mentium varietas. 843. mentis duplici facultati duplex virtus competit. 822. & ſequent. mens omnia continet per ideas. 825. mens hominis fortunam deſpicere debet, non ſuſpicere. 750 mentem vniuerſæ humanæ ſpeciei vnam eſſe dicere, abſurdum. 296. mens in Deum conuerſa concipit ideas. 806. mens vt pertineat ad phyſicum. 770. menti, vt competat recta ratio. 504. menti habitus duo competunt. 372. & ſequent. mentis inſtitutio, quæ. 952. menti, vt competat gratia. 701. menti quando pareſſe voluntas. 232. mentis princeps inter virtutes. 413. mentis virtutes plures. 169. mens, & ratio ſecundum Platonem poteſt vitare fatum. 207. mentem humanam, vt ſeparatas apprehendere ſenſerint philoſophi. 844. menti, nec memoria, nec vis mouendi competunt. 142. mentis poteſtate, & mentis agentis officium. ibidem. eius differentia triplex 143 mens dupliciter vſurpatur. ibidem. mentium participatarum, diſtinctio vnde. 824. & ſequent. mentis officium quod 288. menti principatus conuenit, potius, quam voluntati. 851 mens non eſt inſtrumentum artis. 155. mentium ſeparatarum felicitas, quæ. 757. mens ſecundus actionis gradus. 163. mentes ſeparatæ ſubiectum metaphyſicæ. 433. & ſequent. menti proprie conuenit perturbatio 79. mentes ſeparatæ quomodo determinatæ ſunt ad optimum. 216. mentis procliuitas, quæ 244. mens non participata, quæ. 824. mentem non eſſe naturam, cur dixerit Ariſtoteles 177. mens immortalem facultatem animæ apprehenſionem principiorum ſignificat. 413 & ſequent. menti tanquam obiecta reſpondent prima principia 414. verſatur in cognitione primorum principiorum. ibidem. mens diuiditur in ſimplicem & complexam. 415 & ſequent. abſolute vera, & pura fulget in theologia. 416. mens, quæ ad rationem pertinet, eſt immobilium 417

Menſura rerum tradita à prudentia.

Digitized by Google

tia. 477. menſura dicitur id, quo alia cognoſcimus. 986
Mercurius, Gratiarum dux. 707. Mercurii de ſanctitate opinio. 342. Mercurius ter maximus Ægyptiorum legislator. 936
Metaphyſica ſola inter ſcientias humanas nomine ſapientiæ digna. 416. metaphyſici officium quodnam eſt. 973. metaphyſica qua ratione dicatur ſapientia. 444. metaphyſicæ conſideratio triplex. 433. eius ſubiectum triplex. ibidem. metaphyſicæ nomina, quæ. 243. metaphyſica quid artibus conferat. 522. metaphyſicorum contra hominis libertatem impugnatio. 202
Methodus ex noſtro cognoſcendi modo ſumenda. 33. vt diſtinguatur ab ordine. 34. & ſeq. methodus, vt ſumatur ex noſtro cognoſcendi modo. 37
Metrodori ſententia in fortunam. 644
Minos Cretenſium legislator. 939. Minos ob iuſtitiam inter heroes celebratus. 536
Miſer, an felix euadere poſſit dubium. 857. miſericordiam in viro probo locum habere Stoici negarunt. 335. & ſequent. miſericordia & verecundia prauæ á Stoicis habitæ. 120. Homerus amorem á Cupidine diſtinxit. 106. miſericordia duplex. 336. miſeriæ nomine quid denotetur. 867. miſeria quid ſit, facile dignoſci poteſt. ibidem. miſeria duplex. 868. eiuſdem cauſſæ quatuor. ibidem. quomodo reperiatur, & non ſit. 870. apprime cum vitio iuncta. 875. miſeria, in quo hominum gradu locum habeat. 877. & ſequent. ei vt ſit iuncta voluptas, & dolor. 878. miſeria parantur pœnæ apud inferos. ibidem. miſeriæ homo particeps, qui præſertim. 879 miſeria, vt in viro publico magis, quam in priuato locum habeat. 880
Mixtiones imperiorum, quæ. 898. Mixtum imperium ex optimatum & regio, vt cæteris præſtare probetur. 904. mixtiones ex pluribus, quam ex duobus imperii formis. 900. & ſeq.
Moderatio perturbationum, cur non virtus in feris. 131. moderatio ſingularum perturbationũ maxime competit iuſtitiæ. 298. moderatio perturbationis conſpirat ad omnes virtutes, earumque actiones. 296
Modus diſtinguendarum rerum. 313. modi habitus in omni contemplandi genere, duo 403. modus definiendi reſpondere debet modo conſiderandi. 922
Monſtra, an dicantur fieri caſu vel ne. 715
Moralia, pars non totum in ſcientia ciuili. 15. moralia ab Ariſt. ordine reſolutiuo tractantur. 762. moralis definitio ſcientiæ. 403. moralium librorum inſcriptiones. 21. & ſeq. moralis nobilitas, quæ. 655. & 657. moralis nobilitatis definitio. 637
Mors naturalis, necne. 177. mortem non ſolum à natura, ſed ſecundum naturam placuit Ariſt. 178. mors, & ſenium tribus modis conſiderantur. ibid. mortem obire pro amico, an debeamus. 614. & ſequent. mors, an petenda, pro

Digitized by Google

vitanda miſeria, vitio, vel ferita-te. 557. non eſſe petendam, quibus rationibus nititur. ibid. & ſequent. mortem aliquando præeligendam, quibus rationibus nititur. 559. & ſeq. mors præueniens, non abſolute vitam aufert. 561 mors, vt malum, non eſt optabilis. 562. tribus rationibus præeligi poteſt. ibid. mortis non petendæ rationes diluuntur. 564. & ſequent. mortem, an liceat ſibi tradere dubitatur. 566. mors an præeligenda á dimicante ſingulari certamine. 567. mors an potius traditio præeligenda ſit à ficto ſingulari certamine. 571. mortem quo caſu poſſit præeligere, quo non. ibid. mortis obeundæ ſententiæ diuerſorum. ibid. mortem minus quam ſeruitutem timendam Plato voluit. 572

Mos non eſt vere, quod per naturam non acquiritur. 236. mos, vt dirigat virtutes morales. 301. mos proprius hominis, vt extendatur ad feras. 22. & ſeq. ad animum, & ad corpus extenditur. 23. morum compoſitio conſideratur à ciuili. 9. morum diuiſiones plures. 23. mores, qui proprie dicantur. 22. & ſequent. moribus ſerui, qui ſint. 893. morem ſequi temperamentum, tripliciter contingit. 128 mos eſt vt illud quod eſt commune omnibus artibus, dicatur in logica; & illud quod eſt proprium vniuſcuiuſque artis, dicatur in ea arte. 972. mos, qui non ſequatur temperamentum. 129 mos late vſurpatur, duplex. 159. internus duplex. 160. moris nomen cui proprie competat. 160. habituum, partim cauſſa efficiens principalis, partim ſecunda ſunt, actiones præcurrentes. 164

Motor vt tranſeat à poteſtate ad actum. 224. motor liber, & motor ab alio. 214. motus triplex, in perturbationibus conſideratur. 68. motus noui actionis gradus. 163. motus conſiderationis tres. 102. motus duplex et conſideratur 197 motus qui tranquillitatem animi perturbet. 121. motus primi non ſunt in noſtra facultate. 124. modo aliquo ſunt in facultate noſtra. 129 motus tres conſiderati in homine, vt ad facultates mouentes pertinet. 230. motus vel omnino naturalis, vel omnino violentus, vel mixtus. 172. elementorum in orbem dicitur medius & mixtus. 172. & ſequen. animalium medius & mixtus. 173

Moyſes Iudæorum legislator. 940. Moyſis de virtute opinio. 275

Mulieres heroica virtute inſignitæ. 578. & ſequent. mulierum feritas, quæ. 554. mulieres non faciles ad amicitiam. 608. & ſequent.

Multitudo amicorum inanis. 599

Mundus quid 619. 243. 971. mundi ciuis, homo ſolus merito nuncupatur. 961 mundus an ſit finis corporum conſpirantium ad eius conſtitutionem. 1016. mundus eſt finis ſimplicium corporum eiuſque partium ibid. mundus eſt ordo cunctorum, ſiue cōpages concinno ordine digeſta. 971. mundus eſt forma, & eius materia ſimplicia corpora cum conſtituentia. 1016. mundus vincere

cere

Digitized by Google

cere quid. 243. mundus litis ab Empedocle excogitatus. 750. mundi imperium regium, non mixtum. 905. mundus Circæ diuerſorium. 532
Motus appetitus iraſcendi quod. 92. munera naturæ, & fortunæ homini neceſſaria. 622. munera beatorum inexplicabilia etiam ipſis. 827. munera ſapientibus ſpreta 616. munera cur amico non tribuenda. 617. cur tribuenda. ibid. munera animi, quæ cenſeri debeant. 627. naturæ item quæ. ibid. fortunæ item quæ. 628. animi ſola noſtra cenſeri debent. 629. munerum naturę detrimenta. 632. munus phyſici eſt de anima agere 968. munera naturæ & fortunæ nonnulli negligenda cenſent. 633 vt ſeruent rationem boni. ibid. ea bona quandoque appellauit Plato. 634. vt mereantur dic ſimpliciter bona. 635. & ſeq. munera naturæ, & fortunæ ſunt inſtrumenta 636. non ea, ſed eorum deprauatus vſus parit mala. 637. quomodo bona, cum non ſint finis. ibid. ea non bona theologi affirmant. 639. munerum fortunę vtilitas 640. munera naturæ & fortunæ, ſunt inſtrumenta virtutum ibid munera naturæ & fortunæ à Stoicis repudiata. 641. munera naturæ & fortunæ requiri ad ſummum bonum, quo ſenſu verum 645 & ſeq. quatenus ea ſibi neceſſaria Chriſtiani cenſere debeant. 646. eorum ordo, qui. 647
Muſica recte appetitus inſtitutioni apta. 952. muſica arithmeticæ ſubiecta. 445
Mutatio fortunæ, quando amicitiam non tollat. 617. & ſequent.

N.

NAtionum varietas ex varietate locorum. 123
Natura res dirigit in finem congruentem. 243. naturæ rerum tanquam literæ prouidentiam Dei enarrantes. 240. natura homo procliuior ad virtutem, quam ad vitium. 244. natura ſerui, qui ſint. 473. natura & fatum, re item ratione diſtinguuntur. 471. naturæ ſolertia in formando hominem ad voluptatem procliuem. 798. natura nihil facit fruſtra, vt intelligendum. 717. naturam nec ratione, nec conſultatione vti affirmare verius. 193. natura nobis inſitum eſt, vt á notioribus tendamus ad ignota. 1009. natura á Stoicis conſultrix dicta. 193. natura priora duplicia. 40. natura conſultatione non eget. 193. naturæ leges duodecim 942. naturæ, vt competat gratia. 701. natura continet omnia per ſemina. 825. naturæ munera, homini neceſſaria. 622. naturam ſequi, eſt armare ſe contra fortunam. 751. naturæ certamina, vires corporis patefaciunt. 692. natura, an ſit arte nobilior dubitatur. 523. ei artem anteire, quibus rationibus nitatur 524. & ſeq. arti naturam anteire, quibus rationibus nititur. 525. & ſeq. eius operandi modus eminentior. 525. vtitur arte, vt inſtrumento. ibid. ei Plato non prætulit artem. 526. præſtat arti ordine. 527. vt opera naturæ perficiat. ib. qua ratione præſtare naturæ dici poſſit ars 528 naturam inſtrumentum artis di-

cereabſurdum. 155. natura format mores. 160. natura & mos, quomodo cauſſa prælectionis ſecundum Alexand. 217. natura rerum, ordinem miniſtrat. 36. naturalis virtus, quæ. 260. naturalia neceſſitatem annexam habent. 584

Neceſſarius vt ſtet cum libertate. 211 neceſſitas partium non niſi ex prænotione finis patere poteſt. 965. neceſſitas prudentiæ, quæ. 477. neceſſitas etiam in contingentibus. 202. neceſſitas & fortuna pugnant inter ſe. 709

Nemo ignorato fine principia & media dirigere poteſt 966. nemini Romanorum in honoris templum ingredi licebat, niſi prius per virtutis templum progrederetur. 967. maximo hoc naturæ munere homo eſt donatus, quod virtus in omnium animos lumen ſuum effundit, ita vt etiam qui non ſequuntur, eam videant, teſte Seneca in lib. de beneficiis. ibid.

Nicomachios libros per Nicomachum Diogenes dixit. 27. Nicomachii inter morales Ariſtot. libros ſolum abſoluti. 24. à Cicerone Nicomachii putati. 25. Nicomachios ab Ariſt. conſcriptos. ibid. eiuſdem eſſe parentis, ac politici. 26. Nicomachus Ariſtotelis filius. 24. cur Nicomachios ſcripſiſſe creditur. 24. 25

Nicolai Turci laudes 641. Nicolai de Ponte heroica laus. 550

Nigidii de vſura opinio. 637

Nihil eſt in genere, quod non ſit in aliqua ſpecie. 983

Nobilis, quæ teneatur agere. 661. nobili ſordidæ artes non decent. 661. nobili à fortuna deſtituto, quæ artes honeſtæ. 662. nobilis vir ad quæ vtilis. ibidem. cur accuratiore educatione indigus. 663. cur diu viuere dicitur. 663. & ſequent. nobilis, qua ratione diues ſeruari poſſit. 665. nobili, quæ lucra deceant. 665. & ſequent. nobilis an in vrbe tyrannide preſſa locum habeat. 666. & ſequent. nobiles non ſunt, qui ſine virtute ſunt. 378. nobilitas, quid. 124. nobilitas generis radices habet in ſemiuirtutibus. 236. nobilitas duplex. 269. nobilitas in primo gradu bonorum naturæ collocanda. 650. nobilitas requiſitum in amicitia. 607. nobilitas duplex. 628 & ſequent. nobilitas generis fortunæ munus. 629. nobilitatis ſermo, omnibus ætatibus accommodatus. 651. nobilitatem, qui ſpreuerint. 652. & ſequent. eam eſſe non eſt dubium. 653. & ſequent. nobilitas naturæ legibus non aduerſatur. 654. eius definitio á Simonide tradita. 655. ab Ariſtot. ibid. eius gradus quatuor. ibid. nobilitas, vt deſinat in vitioſo. 656. nobilitas naturæ duplex. ibid. nobilitas diuinæ parens Deus. 657. nobilitas dupliciter vſurpata. 658 & ſequent. nobilitas in Medicea familia, quæ. 659 & ſequent. nobilitas in ratione carentibus non inuenitur. 660. & ſequent. ad alia præter hominem analogice extenditur. ibidem. nobilitatis fructus, qui. 661. cum libertate valde iuncta. 662. nobilitati cur iuncta antiquitas dicatur. 664. nobilitas potius à patre duci videtur. ibidem. cur

Digitized by Google

cur potius à matre duci dicatur. *665*. qua ratione potius ducatur ex patre. ibidem. nobilitas qua ratione cum diuitiis ſeruari poſſit. *665*. vt educatione potentior videatur. *666*. & ſeq. nec armis, nec literis paratur. 668

Nomen miſeriæ quid denotet. 867. nomen herois vnde ducatur. 529. nomen ſapientiæ aſtutis tributum. 422. hominis conditione maius. ibid. nomen boni, non officium placet. 901 nomen artis quatuor habet ſignificata. 880 & ſeq nomina ſummi boni, quæ. 754.

Nomothetica prudentia, quæ. 470

Non omne vltimum eſt finis. *1017*. nonnulli hominum ob immoderatam loquacitatem, vel ob cognitionem tantum adumbratam, de quouis ſuo arbitratu loquuntur: alii vero ob exſuperantem φιλαυτίαν ſua tantum magnifaciunt, aliena deſpiciunt. *963*

Numa Pompilius, Romanorum legiſlator. 940

Numerus virtutum à numero animi ægritudinum deſumendus. 321. numerus moralium virtutum ſecundum opinionem multorum. 314. numerus virtutum vndenarius, redundans & diminutus eſſe videtur. *338*. diminutus cur videatur. ib. redundans, cur. ib. vt ex mente Ariſt. talis eſſe colligatur 340. numerus artium ingenuarum. 517. numerus habituum mentis, vt redundans videatur. *380*. vt diminutus. 381. numerus artium ex fine petendus. *516*. numerus vitiorum. 873

Numina, eleuationi animæ quæ præſint. 801. numinum ordines nouem. 530

Nūquam diſtincte aliquid cognoſcimus, niſi notis principiis eius. 1022

O.

OBedientia libēs appetitus ſenſuum conſpirat ad omnes virtutes earumque actiones. 296. obedientiæ gradus ſeptem. *894*. obedientiæ duplex conſideratio, 248. obedientia quid ſit late ſumta. ibid. obedientia late ſumta, duplex. ibid obedientia partium in homine duplex ibid. obedientia interna, quæ. ibid. vt dicatur actio, vtque paſſio. ibid. obedientia item triplici modo conſiderata. ibid. obedientia vera, quæ. *249* obedientia vera, omnis bona. ibid. obedientia exacta, quomodo præſtari poſſit. ibid. obedientia quid ſit. 250. eius materies, quæ. ibid. obedientia eminentior eminentiori gradui conuenit. 251

Origo eius vnde. 251. eius finis, qui. ibidem. eius fructus qui. ibid. & ſeq.

Obiectio phyſicorum contra hominis libertatem. 202. aſtronomorum. ibid. metaphyſicorum. ibid. logicorum. *203*. obiectum voluntatis, quod. 199 obiecti vis, in excitando. 174. obiectum fidei Deus. *343* obiecta non euertunt, ſed cōfirmant liberum hominis arbitrium. 212. obiectum voluntatis proprium quod. 292. obiectum iræ præſtantius obiecto cupiditatis. *94*. obiectū præſtantius, vehementiorum perturbationum cauſſa. *134*. obiectum facultatis cupientis, quod. 90.

Digitized by Google

obiectum facultatis iraſcendi, quod 90. & ſeq. obiectum, quod. 197

Obliuio prudentiæ non datur, artis datur. 473. & ſeq.

Obſcura cognoſcuntur per notiora. 1009

Obſtupefactio, in perturbatione verecundiæ, quæ. 333

Oculi virtutis, qui. 378

Officium condendi leges, cuius ſit. 939 officium proœmii eſt dirigere, nec ad id pertinet definire, ſed ſaltem illud proponere, de quo eſt agendum. 1023. officium ciuilis eſt decernere, cui ſcientiæ & quouſque danda ſit opera. 969. officium boni placet, non autem nomen. 902 officium prudentis eſt iudicare, probi perſiſtere in ſententia. 167. officium appetitus ſenſuum. 288. officium virtutis eſt, eleuare ad Deum. 379. officium mentis, quod. 288. officium differt á fine. 411

Omnis regula & definitio per ſe accipitur, nulla vero ex accidente eſt, quæ non appareat falſa aliqua ex parte. 1007. & ſeq.

Opinio Auerrois, de modo conſiderandi ſubiectum ſcientiæ ciuilis. 7. opinio, cur numeranda inter habitus non videatur. 380. & ſeq. vbi enumerata ſit inter habitus ab Ariſtot. 381. opinio recta, ſplendorem heroicæ virtutis auget. 544 opinio Latinorum de numero perturbationum, dubia. 83 & ſeq. opinionis & ſcientiæ differentia 401. opinio quid ſit. ibid. opinio non ſemper vera. 402. opiniones de ſummo bono inconſtante, cur. 764 opinionis, communis de diuiſione ſcientiæ ciuilis reiectio. 13. opinionem & ſcientiam idem eſſe voluerunt nonnulli. 400. diſtingui ab ea, quomodo probetur. 401 opinio ex imaginatione & fide inſurgit. 449

Oportunitas prudentiæ quæ. 478

Oppoſita, vel indiſtincta, vel in eadem occaſione conſiderantur. 223. oppoſita quædam, iure ſe formant dicta. 737. oppoſitorum vnum tot modis dici, quod alterum, vt verum. 540. oppoſita nata fieri in eodem. 762

Optimatum forma vnde prodierit. 913. optimatum imperium quod 895. optimatum Imperii origo. 911. optimatum Imperium, maxime hominibus congruit. 905. optimatum reſpubl. virtutem maximi facit. 742. optimatum Imperium, vt cæteris præſtare probetur. 904. optimatum, cum populo mixtio, quæ. 899. & ſequent. optimatum imperium quid ſit. 897. optimatum, vt ſe habeat ad ſummum bonum. 865

Opus reſpondet habitui. 974. talis eſt habitus, quale eſt opus eius, & vice verſa. ibid.

Ordinata ad vnum non referri falſum. 30. ordinata, referuntur ad vnum. 29

Ordo compoſitiuus aptus ad ſcientias docendas. 439. ordo facultatum in anima duplex. 150. ordo quid eſt? 975. 985 ordo quis ſeruandus. 965. ordo ex rerum natura petitur, & in noſtram cognitionem dirigitur. 977 ordo inter varias ſcientias non pendet & petitur ex natura rerum. 980. ordo naturæ eſt cauſſa diſtinctæ cogni-

Digitized by Google

cognitionis,1002. ordiri cum definitione eſt conſtruere definitionis ordinem. 1019. ordo Ariſtoteli ſeruatus duplex, 43. ordo compoſitiuus,vnde,44. item reſolutiuus,43. & ſequ. duplex à Platone ſeruatus,44. ordines honoris ſex, 691. ordinis reſolutiui vſus in ſcientiis tradendis, 45. & ſequ. ordo virtutum mentis duplex, 412. ordo bonorum naturæ & fortunæ,650. ordo quadruplex,931. ordo naturæ pro noſtro cognoſcendi modo cur quandoque ab Ariſt. dimiſſus 39. & ſequ. ordinis neceſſitas, 28. eius cauſa efficiens,30. ordo,vt a methodo diſtinguitur, 28. eius forma, & materia, quæ, 29. ordo quadruplex.28 diſciplinarum multiplex, ibid. ordo addiſcendi duob. modis conſideratur, 29. ordo diſciplinis accommodatus,quid,ibid. ordo reſolutiuus ſcientiis, compoſitiuus diſciplinis apti, 46. vterque vtrique accommodatus, ibid. & ſequ. ordinis genera tria, 41. eius rationes variæ,ibid. reiiciuntur, 42. ordinis genera duo eſſe verius,ibi eius rationes, ibid. ordo virtutum ab ordine animi ægritudinum deſumendus, 321. ordo artium ex fine petendus, 516. ordine vniuerſi, homo procliuior ad virtutem, quam ad vitium, 144. ordo trium graduum conſideratus in formando homine, 533. ordo aduerſorum euentuum,qui, 822. ordo, eſt forma rerum,894. ordo late ſumtus, continet ſub ſe methodum, 44. 45. ordo Galeni doctrinæ,32. ordinem ex natura rerum ſumi verius, 35. ordinis ex natura rerum ſumendi auctoritas,34.35. rationes,35. & ſeq. ordo ab Ariſt. natura rerum dictus, 34. ordo redintegrationis publicarũ adminiſtrationum, 910. ordo rerum partim mutabilis, partim immutabilis, 208. ordo inter virtutes, non eſt neceſſarius 322. ordo reſolutiuus, ſeruatus ab Ariſtotele in moralibus, 62. cur. 64. ordinis ex noſtro modo cognoſcendi ratio falſa, 36. reiicitur,38. ordo motus,qui. 75. ordo an ſumatur ex noſtro cognoſcendi modo,33. ordinis à noſtro cognoſcendi modo ſumendi, auctoritas, ibid. ratio. ibid.

Origenis de ingeniorum varietate opinio. 151

Origo regiæ formæ, vnde, 910. optimatum, 911. popularis,ibid. origo redintegrationis imperiorum ab Ariſtotel. tradita,912. origo formarum Reipubl. quæ, 907. origo legum ad quatuor relata, 938. origo obedientiæ, quæ, 251

Orphei de vniuerſa iuſtitia ſententia,166. Orphei de temperantiæ præſtantia opinio, 369. Orphei ſententia à Platone explicata, 802

Ortus amicitiæ,qui. 578.& ſeq.

Ouidii de inconſtantia fortunę ſententia. 727

P.

PAcis contrahendæ optimus modus. 184

Pacto ſerui qui ſint. 893

Pædiæ officium,quod, 404. pædia quid ſit, ibid. eſſe experientiam falſo aſſeruerunt nonnulli, 403. an ſit habitus diſtinctus vel ne, manifeſtandum eſt, 406. in quo

requiratur, ibid. pædiam ab Ariſt. denotari logicam falſum, ibid. quid verè d notet, ibid. vnde oriatur, ibid eius diuiſiones plures 408. pædiæ vtilitas duplex, ibid. tribus modis conſideratur, 410. vt diſtincta ab aliis non numeratur inter habitus, ibid. pædia, quo referatur. 384
Pœnæ parantur improbitati & miſeriæ apud inferos. 878
Palæſtra naturæ certamen. 692
Pallas cur ex capite Iouis dicatur orta, 425. Pallas cur ſapientiæ, & belli Dea, 497. Pallas, artium inuentrix. 11
Panætii de ingeniorum varietate opinio. 151
Paradoxa ſapientiæ varia. 521
Parentum diſcrimen in procreanda prole. 653
Paritas ætatis ſtudiorum & fortunæ requiſita in amicitia. 607
Pauiditas in perturbatione verecundiæ, quæ. 353
D. Pauli de propenſione hominis ad vitium opinio, 243 Pauli Thupoli heroica laus. 549
Paſtoris nomen, cur impoſitum fuerit regibus. 912. & ſeq.
Paucorum poteſtas ab Ariſtotele nomine Reipub. dignata, 902. paucorum & populi mixtio, 899. & ſeq. paucorum imperium, quid ſit. 897
Pauper, an magiſtratui aptior quam diues. 927
Peccatum cur latius accipiatur, quā vitium. 334. & ſeq.
Pectus virtutis, quod. 378
Perfecti definitiones variæ, 816. perfectio hominis in quo conſiſtit, 216. perfectionis hominis in ſeruiendo collocata, 214 quælibet, num debeat exoptari ab homine, 437. ſecus ſe habet in arte & ſcientia, ac in moribus. 268
Periander, inter Græciæ ſapientes numeratus. 432
Peripatetici de fine hominis non idem ſentiunt, ac Theologi, 344 Peripateticorū litem, cum Stoicis in verbis, non in re poſitam eſſe cenſuit D. Auguſtinus, 118. Peripateticos & Academicos rectius loqui, quam Stoicos, 119. Peripatetici, virtutes ideales homini in eleuatione ad mentem conuenire negant, 306. Peripateticorum opinio de ſummo bono perpendenda, 771. Peripateticorum de fortuna bona, vel mala ſententia, 726. Peripatetici ſummum bonum in hac vita nobis competere exiſtimarunt, 757. Peripateticorum de vniuerſo bono conſideratio, 622. de præeligenda morte ratio. 562
Perſarum filii ſumma cura inſtituti, 945. Perſarum ſententia de viro magiſtratu digno, 918. Perſarum reges in educatione liberorum accurati. 663
Perſiſtere in ſententia, officium viri probi eſt. 166. & ſeq.
Perſpectiua, quæ, & vnde. 445
Perturbatione factum, quomodo dicatur factum ſponte, 183. perturbationes ſedare datum eſt homini, ibid. perturbationes non euertunt, ſed confirmant liberum hominis arbitrium, 212. perturbationes vt bonæ, ita prauæ dantur, 335. perturbationes omnes, quomodo recte componantur, 322. perturbatio verecundiæ, quid contineat, 353. perturbationum euulſio, vitio non

Digitized by Google

non virtùti vertitur, 542. quæ commendatur, ibid. perturbationum numerus multipliciter aſſignatus, 79. earum incertus numerus apud Plat. 80. earum numerus à Galeno traditus, 80 Cicero in quatuor capita diſtribuit ibid. ſecundum D. Thomam vndecim numerantur, 81. perturbationum diſtinctio non ſumitur ab arduo & non arduo, 84. inclinationem habere ab appetitu cupiendi aſſerere error, 85. & ſequ. non reperiri in appetitu iraſcendi, aſſerere, error, ibid. earum numeratio diminuta, 86. perturbationes, cur non menti conueniant, 91. & ſequ. quæ iure dicantur, 97. dolore & voluptate permixtas eſſe recte Platoni placuit, 98. in quatuor partes à Stoicis diuiſas, ibid. male 100. & ſequen. Turiſano tripartitas, 101. male, 102. earum veræ diuiſionis aſſignatio, ibi. cõmuniſſime ſunt amor, & odium, ibid. perturbationes per obiecta indagantur, 109. quæ nomine carent vnde ortum ducant, ibid. perturbationum triplex genus vnde, ibid. ad cupiditatem pertinẽtes, quæ, 110. ad iram pertinentes, quæ, 111. prauas eſſe cenſuerunt Stoici, 111. & ſequ earum conditiones, 113. damnandas cenſuit Cic. ibid. Senec. 113. Galen ibi. eas eſſe quid fatum Stoici male cenſuere, 115. donatas homini à Deo, ideo minime prauas, ibid. earum vtilitates in recto vſu, ibid. moderatio non euulſio earum conducere, 116. perturbationes moderatæ nos ducunt in cœlum, ibid. à D. Auguſt. Chriſtiano viz digna dictæ, 117. item à Chryſoſtomo, ibid. perturbationum gradus, 118. earum vniuerſum genus non damnant Peripatetici, 119. eas qua ratione damnent Stoici, ib. ortũ ducere à falſo iudicio, falſum, 121. ſequi temperamentum corporis, Galeno placuit, 122. male, 124. propenſiones ad eas reperiri in homine, 127. earum nonnullæ definitum aliquod temperamentum neceſſario ſequuntur, 129. oriuntur à facultate imaginandi, 130. ſoli homini competunt, ibid. etiam beſtiis eas conuenire verius, 131. communes rationali, & irrationali. Moderatæ ſunt virtutes in homine, non feris, 132. hominis cur ſint plures quam ferarum, 133. in mente locum habere nonnulli putarunt, ibid. perturbationes hominis vehementiores, quam ferarum, 133. & ſeq. cur. 134. quæ inter ſe de magnitudine litigent, ibid. variæ varios ſibi vendicant principatus, 138. perturbationes animi, homini familiares, 65. & ſequent. de eis ſolicitus debet eſſe homo, 66. perturbationis nomen, quid ſignificet, ibid. perturbationes definire, cuius officium, 66 & ſequ. earum perfectæ definitiones, vnde eliciantur, 67. diuerſis rationibus actiones, & paſſiones dicuntur, 68. earum motus tres, ibid. earum variæ definitiones, 69. eas abſolute prauas eſſe dicere error, ibid. earum exacta definitio, 71. perturbatio cur dicatur motio, ibid. de definitione earum dubia quædam, 72. earũ ſolutiones, 72. perturbationes a Stoicis iudicia appellatæ falſo, 74. pertinere

Digitized by Google

ad facultatem apperendi verum, 75. ita tenuit Ariſt. ibi. perturbationes animi ab auctore conſtitutæ ſunt, tanquam materia virtutum, 970. perturbationes, an côueniant homini ſecundum rationem, 76. mediç inter habitum, & facultatem, 77. appetitui ſenſuum conuenire verius, 76. & ſeq. connexionem habent cum corpore, 77. & ſequen. perturbationis nomen, duplex 79. per ſimilitudinem etiam Deo conuenit, ibid. vt in ratione locum habeat. 80

Petrarchæ de amore neceſſe mutuo ſententia 585

Petri Duodi heroica laus. 549

Perſpicacia prudentiæ, quæ. 477. perſpicaciæ vtilitas quæ, 467. perſpicacia, ingenii affinis. 145

Phantaſia, primus actionis gradus, 163. phantaſia cum ratione ſextus actionis gradus. ibid.

Phantaſmata, vt ſe habeant ad intellectum. 837

Phantaſtica, quæ. 449

Pherecydes inter Græciæ ſapientes connumeratus. 434

Philippi Mocenici laudes. 442

Philolai de non petenda morte ſententia, 558. Philolaus Corinthiorum & Thebanorum legislator, 939

Philonis ſententia de natura cum ſeruitute pugnante, falſa. 893. Philonis de virtute opinio. 275. Philonis de numero moralium virtutum opinio, 314. Philonis Iudæi de regula examinandarum rerum opinio, 177. Philonis de libero viro ſententia. 902. Philon Hebræus dextrum & ſiniſtrum in vitio aſſignauit. 871

Philoponi de cognitione opinio, 381. Philoponi de præeligenda morte opinio, 559. Philoponi de virtutibus pertinentibus ad ſcientiam opinio. 385

Philoſophia, quæ in ordine docendi prima, 52. philoſophia ciuilis, quo ordine procedat ad inſpectricem, 59. philoſophiam naturalem prius morali addiſcendam eſſe verius, 53. & ſequ. philoſophia inſpectrix bonorum morum parens, 301. philoſophiæ cognitio magiſtratibus gerendis neceſſaria, 917. & ſequ. philoſophia moralis deſtrueretur, ſine libero arbitrio, 212. philoſophia moralis cur prius declaranda, 60. philoſophiæ definitio, 55. philoſophia ciuilis recte inſtituit appetitum, 951. philoſophiæ duplex genus, 822. & ſeq. philoſophia ſola recte diuiditur in theoricam, & practicam, 515. φιλαυτία eſt mater ambitionis, vnde inuidia prodit, quam contemtio aliorum ſequitur, 963. philoſophia interdum à quibuſdam in philologiam permutatur, ibid. philoſophia addiſcendi ordo ſecundum Latinos, 60. & ſequ. reiicitur, 61. philoſophi nomen modeſtius, quam ſapientis, 423. philoſophi hominem quandoque mortem præeligere debere cenſuerunt, 559. philoſophi, vt ſimile ſimili cognoſci affirmabant, 461. philoſophorum de hominis propenſione ad malum opinio, 243. philoſophos recte adminiſtrare Reſp. vt verum. 303

Phyſica, quid artibus conferat, 523. phyſici libertatem hominis impugnant, 202. phyſica, quo ſignificatu

ficatu ſcientia dicta, 443. phyſica ſcientia quæ. 444

Phyſiognomia non penitus inanis, 130. phyſiognomia diuinatricum omnium firmiſſima. 131

Pietas cur non inter virtutes ab Ariſtotele enumerata. 341

Pindari de fortuna ſententia. 728. Pindari de ſpe, opinio, 343. & ſeq. Pindari de præſente vita opinio, 751

Pironiorum origo vnde. 446

Piſcatio nil habet ingenui. 518

Pittaci lex de ebriis, 182. Pittacus ebrios duplici pœna puniendos cenſuit 263. Pittacus, inter Græciæ ſapientes numeratus. 434

Plantæ, inſtinctum naturæ ſequuntur. 237

Plato amantem præfert amato, 594. Platonis, & Ariſtot. in ſapientia comparatio, 438. Platonis ingenii acumen, 439. Platonis opinio, de fortitudine clauda dextera parte, 349. Platonis de lucro opinio, 574. & ſequ. Platonis, de obiecto voluntatis ſententia, 198. Platonis de connexione hominis cum Deo opinio, 824. Platonis de legibus ſentẽtia, 935. & ſeq. Platonis de præſtantia virtutum opinio dubia, 372. Platonis de magiſtratibus quærendis ſententia, 895. Platonis de præeligenda morte opinio, 559. & ſequ. Plato, ſapientiam prudentiæ prætulit, 493. & ſequen. Plato naturam arti prætulit, 526. Platonis de vero amico ſententia, 578. Platonis de amicitia à fato prodeunte ſententia, 583. Platonis de non petenda morte ſententia, 558. Platonis de fine amoris opinio, 580. Platon. de ortu artis opinio, 511. Plato, vt bonum diuiſerit. 626. Plato cur ſcientias in ordinem non redegerit, 439. in docendo ſuperno lumine confiſus eſt, 440. Platonis de attinentia ſummi boni ſententia, 849. Plato cur magis amantem præferat, quam Ariſtot. 598. Platon. de viris probis ſententia, 877. Platonis de inferenda iniuria ſententia, 689. & ſequ. Platonis de ortu amicitiæ opinio, 518. Platonis de numero Rerumpubl. ſententia, 901. Platonis ſententia de artibus, 521. Platonis de gloria differentia, 488. Plato circa felicitatem cum Theologis fere conſentiens, 787. Platon. de fortuna ſententia, 707. Platonis de ſapientia opinio, 421. Platonis de ordine bonorum inter ſe opinio, 650. Plato. de pulcri & boni coniunctione opinio, 695. Platonis de gradibus voluptatis ſententia, 782. Platonis de honore, & dedecore ſententia, 669. Platonis de vitio ſapientiæ iuncto ſententia, 695 & ſequ. Platon. de diuitiis ſententia, 632 Platonis de gradibus honoris eliciendis ſententia, 683. Plato ſcientiam dari affirmauit, 446. Platonis de recte inſtituendis liberis ſententia, 945. Platonis de tyranno ſententia, quæ, 880. Platonis de homine imperio digno ſententia, 909. Plato naturæ & fortunæ munera bona appellauit, 634. Platonis de viri boni ſapientia opinio, 435. Platonis de amicitia definitio, 576. & ſeq. Platonis de producentibus in nobis habitum prudentiæ opinio, 468. Platonis de pædia opinio, 407. Platonis de ho-

Digitized by Google

nime vere libero ſententia, 903. Plato virum felicem non indigum amicitiæ facit, 611. Plato minus recte virtutes appellauit ſcientias, 310. vt tamen defendi poſſit, 311. Platonis diuiſio appetitus in iram, & cupiditatem, 90. Platonis cum Ariſtotele conciliatio de verace & mendace, 257. Platonis & Ariſtotelis de ſciente qui peccare valet conciliatio 258 Plato de ſponte & non ſponte malo non omnino cõuenit cum Ariſtotele, 266. Plato neminem ſponte fieri malum cenſuit, 267. Platonis de corpore & carne error, 246. & ſequ. Platonem in omnibus cum Ariſt. conuenire dicere, abſurdum, 264. Platonis opinio, de non ſponte malo vt intelligenda, 265. Platonis de homine quod ſponte non peccet opinio, reiecta, 262. & ſequ. Plato & Ariſt de ſede iuſtitiæ in anima conueniunt, 298. Plato in aſſignando modo acquirendarum virtutũ moralium obſcurus, 302. Platonis de virtute definitiones quatuor, 272. propria ſecundum eũdem definitio, 274. Plato, Magneſiorum legislator, 940. Platonis de miſeria opinio, 868. Platonis de legibus in decem referendis ſententia, 940. Platon. de ſede iuſtitiæ opinio, 297. Platon. de appetitu ſenſuum opinio, 287. Platonis de continentia opinio, 252. Plato varia de virtute enuntiauit ob varietatẽ conditionum virtutis, 303. Platonis de forma adminiſtrationis ſententia, 894. de Minoe ſententia, 868. de numero virtutum moralium ſentẽtia, 314. Platonis, de moderato amore ſententia, 320. Platonis de origine formarum Reip. ſententia, 907. Platonis ſententia de lege præſtantiore magiſtratu, 922. Plato, vt bonum definierit, 824. Plato ſummum bonum in mixtione ſapientiæ & voluptatis male collocauit, 790. & ſequ. Platonis de præſtantia magiſtratuum ſententia, 924. Platonis de imperiorum inſtauratoribus ſententia, 893. Platonis de voluptate, & dolore ſententia, 94. & ſeq. Platonis de homine ad imperandum apto ſententia, 910. Platonis, de fraterna amicitia ſententia, 602. Plato ſcientias in ordinem non redigit, 995. Plato humanorum ſapientum regula & exemplar, 963. Pythagoræ imitator, 963. cur nil ex propria ſententia in lucem edere voluit, ibid. Platonis de vniuerſa iuſtitia ſententia, 366. Platonis de numero virtutum opinio, 338. Platonis diuiſio de pædia, 408. Plato an virtutes vna ſint diſputauit, 308. omnes vnam eſſe dixit, ibid. Plato appetitum honoris iraſcibili tribuit, 316. Plato, cur priſcos recentioribus prætulerit, 322. Platonis, de heroibus opinio, 530. Plato de attinentibus ad Deum melius quam Ariſt. ſenſit, 341. Platon. de verecundia & pudore opinio 337. Platonis de temperantiæ præſtantia opinio, 369. Platonis de incremento colligatarum virtutum opinio, 355. Plato, libertatem arbitrii in ſola ratione poſuit, 223. Platon. de præſtantia imperii mixti ſententia, 904. de nomine herois opinio, 529. Platonis de vindicta non ſumenda

Digitized by Google

inenda ſententia, 569. Plato virtutem nunc nos doceri poſſe affirmauit nunc negauit. 299. Platonis de diſtinctione Rerumpublic. ſententia, 893. Plato, qua ratione ciuilem ſcientiam verſari in contemplatione dixit 12. Platon. de præſtantia regni ſententia 903. Plato intellectum voluntati præpoſuit, 350 Platonicorum de ſibi tradenda morte opinio, 566

Plotinus felicem ſuæ felicitatis inſcium dari dixit, 855. Plotini, de Platonica definitione pulcra defenſio, 698. de conſultatione naturæ opinio, 192. de non petenda morte ſententia, 558 Plotinus, prudentiæ rectum genus non aſſignauit, 465 Plotinus libertatem arbitrii in ſola ratione eſſe voluit, 223. Plotini de virtute definitio, 273. de ſibi tradenda morte opinio, 566. pulcra de prouidētia opinio. 205. de virtute morali diuiſio. 304. Plotinus naturā arti prætulit. 526. & ſeq. Plotinus ſummum bonum magis & minus recipere negat. 851. Plotini de humano corpore ſententia. 751. Plotini de præſtantia contemplationis opinio. 490. Plotinus vt bonum definierit. 623

Plutarchus, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 452. Plutarchi de heroibus error. 532. Plutarchi de paucitate amicorum opinio. 599. Plutarchi de copia amicorum ſententia. 608

Plato, cur cœcus fictus. 631

Pœnarum gradus quatuor. 876

Pomponatius, fato cuncta fieri voluit. 108

Politi homines, qui. 328

Popularis imperij origo 911. Popularis imperij præſtātia, quæ 905. Popularis ſtatus, qui ſit. 896 Popularis imperij formæ vnde manant. 913. Populare imperium, cum legibus maxime accommodatum 905. Popularis ſtatus quid ſit 987. Popularis ſtatus, cum regio mixtus, qui. 900

Prophyrius ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 432. Porphyrij de ratione ferarū error. 190. Porphyrij de virtute mortali diuiſio. 304. Porphyrius, cur animalia prædicta ratione crediderit. 238

Portij opinio de obiecto voluntatis nō vera. 197. & ſeq. Portij impugnatio, contra eos qui libertatem in ſola voluntate ponunt, inualida. 228

Poſteriora generatione ſunt natura priora. 1015

Potentia traſcendi, vnius ex tribus virtutis fontibus 350. Potentia prudentiæ, quæ. 476

Practicæ ciuilis ſcientiæ effectus qui. 17

Prælectio ordinatorum in finem conſpirat ad omnes virtutes earumq; actiones. 296. Prælectio an ad artificem ſpectet. 12 & ſeq. prælectio, vnum ex octo virtutis vinculis. 350. Prælectionis perfectio ex duobus pendet. 382. Prælectio, quid. 184. Partim conuenit, partim differt à voluntate. ibid. in quo conuenit cum conſultatione. ibid. & ſeq. in quo differt. 185. eſt finis conſultationis. 185 Principium agentium. 187. prælectio in agibilibus, & in attinētibus ad artē. 188. an ſit in incontinente. 190.

Digitized by Google

verſatur in re dubia, vt impropria materie, 191. non extenditur ad impoſſibilia. 195
Præſcientia duplex. 212
Præmia magiſtratuum quæ. 926
Præſagium futuræ vitæ, vnde eliciatur. 564
Primum, datur in omni genere. 824 prima abſolute in ſcientiis, quæ cenſentur. 416
Principale ſcientiarum ſubiectum eſt anima. 977
Principatus virtutum à variis hominum conditionibus ſtatuti. 371. & ſequ. principatus virtutum collectio, 372. & ſeq. principatum inter morales virtutes collectio, 373
Principes humanæ ſapientiæ Ariſt. & Plato, 441. principes feliciſſimi, & infeliciſſimi, qui, 368. princeps efficitur homo per tertium eleuationis gradum, 555. & ſequ. principum Europæ laudes, 736. principum amicitiæ raræ & breues, 608. principes an dici debeant nobiles, 658 princeps internæ Reipub. prudentia, 886. Deus, ibid & ſequ. princeps & ſacerdos Ægyptiis idem, 881. principum Italiæ laus, 667. principium, duobus modis conſideratur, 154. & ſeq. principium, pars præſtantiſſima operis, 140 excedit totum, ibid. principia virtutum varia, ibid. principium virtutis vnum, prudentia, 338. principium ſumptum in definitione naturæ, eſſe patiens, non efficiens affirmare abſurdum, 170. & ſeq. principium obediendi duplex, 248 principia in homine contraria duo, ad varia diſtincta, 247. principia complexa, & incomplexa æque ad mentem ſpectant, 413. principia humanarum actionum, quæ, 10. principia ſimplicia, quæ, 414. principia entis, vt conſiderantur à metaphyſico 426. principia ſunt priora his, quæ ex principiis pendent. 1013
Priſcianus, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 455
Priuilegia ſapientiæ. 425
Probitas amicitiæ neceſſaria. 578
Probus efficitur homo per ſecundum eleuationis gradum, 555. & ſeq.
Probationes ſolæ ad artem rhetoricam pertinent, reliqua ſunt additamenta. 971
Procli de fortuna definitio. 709
Procli de ingeniorum varietate opinio. 151
Proles bona, fortunæ munus, 627. & ſeq. proles bona, in quarto gradu bonorum naturæ collocanda, 656
Prophanitas, vna ex tribus feritatis faucibus, 572. prophanitas, pars feritatis, non eadem cum feritate. 545. & ſeq.
Profitenti veritatem maior calumnia quam mendacium obiici nō poteſt. 965
Progreſſus in diſciplinis, qui, 41. & ſeq.
Prophetia, eſt inſtigatio diuina, 237
Proprietas virtutū moralium, quæ, 402. & ſeq. elicitur ex eius definitionibus. 403
Protagoræ de virtutum diſtinctione ſententia, 368. Protagoræ de ſeparatione virtutum opinio. 351
Prouidentia Dei homo proclinior ad virtutem, quam ad vitium, 244 prouidentia ex prudentia oritur, 471. prouidentia prudentiæ,

Digitized by Google

tiæ, quæ, 477. prudentes huius mundi, qua ratione dicti. 465. prudentes non vere prudentes, qui, 466. prudentes magis quam ceteri, cur ſenes, 408. prudentes magis mares, quam fœminæ, cur. 469. prudentes Veneti nobiles magis quam ceteri, cur. 470. prudentes veri qui, 482. & ſequ. prudentes heroici qui, 483. prudentiæ, vt dominetur fortuna, 745. prudentiæ officium eſt, medium ſtatuere, 277. prudentia, virtutum omnium epilogus, 339. non eiuſdem ordinis cum ceteris, 339. prudentia à ceteris moralibus ſegregatur, 309. & ſeq. prudentia vnum ex octo vinculis virtutum 349. prudentia Mediceorum heroica, 659. & ſequ. prudentia, qua ratione à Stoicis ſcientia bonorum, & malorum, & neutrorum dicta, 443. prudentiæ, & fortunæ certamen ſingulare, 754 prudentia poſt artem neceſſitate prima inter virtutes, 412. prudentia, bonam fortunam perficit, 746. prudentia ciuili maxime cognoſcenda, 464. diuiditur in diuinam & humanam, ibid. mortalis prudentia duplex, humana duplex, 464. & ſeq. prudentia quid, ſecundum Stoicos, 465. Plotinus eam definiendo verum genus eius non aſſignauit, ibid. prudentiæ deſcriptiones variæ, ibid. prudentia ſecundum Ariſtotelem quid, 466. prudentia formatur, optimum ſibi finem proponendo, ibid. prudentiæ habitus, vt producatur in nobis, 468 prudentia vt producatur in nobis ex mente Ariſt. ibid maxime iuncta eſt virtuti morali, ibid. prudentiam abſolutam tria reddunt, ibid. prudentiæ temperamentum quod, 469. prudentia & ciuilis ſcientia, habitu iunguntur, forma diſtinguuntur, 470. vt diuiditur, ibid. ciuilis duplex, ibid. in ſuas partes, vbi explicetur ab Ariſtot. 470. & ſequent. prudentia prouidentiam gignit, 472. prudentiæ, prouidentiæ, & legum gradus quatuor, ibid quibus modis conſeruatur, 473 prudentiæ cuſtodia, cur temperantiæ tributa, 473. prudentia cum arte comparata, 474. prudentiæ non datur obliuio, ibid. prudentiæ obliuionem dari, dubitatur, 475. vt obliuioni ſubiecta, ibid. qua in parte ſit ei ſimilis ars, 476 quos fructus pariat, ibid. vt ſalubris, tuta, optima, ibid. vt fidelis, 476. vt potentiſſima, ſecuriſſima, tranquilla, 477. vt regia, prouida, menſura rerum, ibid maxime neceſſaria, vigilans, ſobria, matura, ſolers, perſpicax, opportuna, ibid. & ſequen. auriga humanę vitæ, 478. dux humanarum actionum ſplendor rerum, ibid. humanæ vitæ auriga, 478. prudentia an præſtet morali virtuti dubitatur, ibidem: præferendam eſſe morali virtuti verum, ibid. an in mediis verſetur, dubium, 479. prudentia abſolute bona duplex 480 cur tantum in mediis verſetur, ibid. ſequitur virtutem moralem, & è conuerſo, 482 eam ſapientiæ iuriſprudentes anteferunt, 484. eius præſtantia, quæ, ibid. eſſe præferendam ſapientiæ, quibus rationibus nititur, 484. eam eſſe ſapientiæ inferiorem verius, 490. quibus rationibus nititur, ibid.

ei ſapientiam præferri voluit Ariſt. 493. præſtantior ſapientia neceſſitate, 495. & ſequ. prudentia vt melior homini, quam ſapientia, 496. an magis propria hominis quam ſapientia, ibid. prudentia ſine ſapientia inconſtans, 497. prudentia lunæ ſimilis, ibid. pendet à ſapientia, 500. vt ſit rerum domina, 502. vt arti iuncta, 218. prudentia & ars, dupliciter conſiderantur, 411. prudentiæ quæ vis, 205. prudentiæ arma vnde ſumantur, 748. prudentiam nomine perfectæ virtutis Ariſtoteles non denotat, 812. & ſequent. prudentia, eſt internæ Reipublicæ princeps, 886. prudentia non eſt forma interna, proxima & propria virtutum, 313. & ſequen.

Pygmæi qua ratione ludus hominis, 766

Pyladis, & Oreſtis amicitia. 615

Pythagoræ de virtute ſentẽtia, 270. Pythagor. de virtute opinio, 275. Pythagoræ de vniuerſa iuſtitia opinio, 366. Pythagoræ de temperantiæ præſtantia opinio, 369. & ſeq. Pythagoræ de nomine ſapientiæ opinio, 423 Pythagoras, inter Græciæ ſapientes connumeratus, 434 Pythagoræ de aduerſa fortuna ſententia, 738. Pythagoræ de animo purgando à perturbationibus ſententia, 953. de abſtinendo à magiſtratibus ſententia, 927. Pythagoras ſapientiæ ſtudioſus, 770. Pythagoræorum de ſede virtutis opinio, 298. Pythagoræi amicitiam ſupra omnes virtutes extollebant, 591

Pudor, an in viro probo locum habeat, 336. conuenit iuueni, ibid. non conuenit egeno, 337. vt omnibus conueniat, & non conueniat, ibid. pudor, in perturbatione verecundiæ. 333

Puerorum natura inſpicienda in educatione, 236. Pueri, vt prudentes dicantur, 503 vt ſcientias in promtu habeant, 452. pueris, an conueniat honor. 683

Pugnæ hominem honorantes, quæ, 694. pugna hominis interna, quomodo ei cõueniat, 247. pugna inter fortunam & prudentiam, 748. pugna differentiarum in ſpeciebus non eſt contrarietas, ſed oppoſitio, 313. ſeruari poteſt indiſtinctis virtutibus 314

Pulcrum ex ſui natura amabile, 175. pulcrum ſemper cum bono iunctum eſſe voluit Plato, 695. pulcrum, bonum, & vnum, cur iuncta, ibidem, pulcri & boni, an vna idea, vel duæ, 696. pulcrum, cur excitet appetitum boni, 696. & ſequ. Ariſtoteles à bono ſeiunxit, 697. pulcritudo virtutis, quæ, 378 naturæ munus, 627. & ſequent. pulcritudo in quinto gradu bonorum naturæ collocanda, 650. quid ſecundum Platonem, 696. inſpicitur in corporibus, 697. quomodo primo percipiatur, ibid. pulcritudo, vt à commenſuratione diſtincta, 698. pulcritudinis definitio Peripatetica, ibid. pulcritudinis ſententiæ communes, 699. pulcerrimum, vt ſe habet ad ſummum bonum, 865. pulcrum & bonum idem Platoni, 865. & ſeq. non idem Ariſtot. 866

Pugnatrix virtus contemptum voluptatum parit. 505

Que-

Q.

QValitatis nomen, vt competat habitibus mentis, 157. qualitatis prima ſpecies habitus & diſpoſitio, 156. qualitatis ſpecies non quatuor, ſed duæ, 158. & ſequen.

Quæſtuario homini cupiditas reſpondet. 92

Quamdiu, vna ex decem circumſtantiis actionum. 166

Quando, vna ex decem circumſtantiis actionum. 166

Quatuor de certamine ſingulari aſſertiones, 568. quatuor naturæ bona, 627. & ſequ. quatuor gradus ordinis ab auctore conſiderantur, 971. tria quorundam errata refulgent ex his, & quænam illa, 972. quænam ſunt iſta, quæ auctori noſtro occurrere poſſunt, 964. quem ordinem auctor in Comite Politico ſeruare vult, 965

Quidam hominum cuncta congruenter excipiunt: quidam vero ob deprauatam animi conſtitutionem omnia recta iudicant obliqua, 963. quid ſeruandum in hoc Politico tractatu, 964. quid ſit ſeruatum in philoſophia de moribus, 965. qui lectores inſtituere cupit, quis ordo ei ſeruandus eſt in explicando, 966. error primus quis, ibid. quis ſecundus, ibid. quis tertius, 967. quis quartus, ibid. quis quintus, ibid. quis ſextus, 968. quis ſeptimus, ibid. & ſeq. quis octauus, 969. quis nonus, 970. quidam dicunt philoſophiam de moribus tantum reſolutionis ordine tradi poſſe: auctor vero noſter ſaltem ordine compoſitionis vti vult, 966. quid eſt primum in ordine, quod menſura dicitur, 986. mẽſura duplex, ibid. qui honorem appetit, virtutem magnifacit, 967. qui ſummum bonum in honore ponunt, virtutem eſſe neceſſariam putant, 967. exemplum hic in Romanis propoſitum habes, ibid. quis error in referenda ſententia Auerrois, 1049. quidam hominum cuncta congruenter excipiunt: quidam vero ob deprauatam animi conſtitutionem, omnia recta iudicant obliqua, quinam iſti fuerunt, qui auctorem huius operis ſententiam mutare coegerunt, & cur. 964. quis progreſſus à phyſicis ad metaphyſica, 1004. quod generatione eſt poſtremum, natura eſt primum. 1017

Qui multis cupit eſſe amicus, eſt nemini, 599. qui labitur ad nimium in formidine, quo nomine dignus, 323 qui res conſpicuas diſſimulant, quo nomine digni. 382. qui vult finem, videtur velle ordinata in illum. 195

Quieſcere ſapere eſt. 53

Quod agitur vna ex decem circumſtãtiis actionum, 166. quo inſtrumẽto, vna ex decem circumſtantiis actionum. ibid.

Quomodo adulator ſe habeat ad amicum, quis declaret, 609. quo modo vna ex decem circumſtantiis actionum, 166. quomodo animalia ſint plantis priora, 1015

Quotuplex virtus. 269

R.

RAtionis expertia nobilitatis etiam expertia ſunt, 660 & ſeq. ratio recta, tripliciter conſide-

ratur, 504. cur ita dicta, 505. ratio ſcribendi quæ, 965. recta ordinis ratio ex rei natura peti debet, 998 ſententia Ariſt. eſt perpendenda, ibi. vt dicatur forma, ibid. ratio & virtus à Deo manarunt, 379. libertatis origo ſecundum Ariſtot. 230. cum propenſione temperamenti pugnat 125. recta conſpirat ad omnes virtutes; earumque actiones, 296. in quo differt ab idea, 815. cur à nonnullis ſedes liberi arbitrii credita, 122 rationis vis quę 763. rationis habitus ab Ariſt. varie numerati, 383. ratio cum appetitu ſenſuum quandoque concurrit, 80. recta, forma vna virtutis eſt. 337. & ſeq.

Rectum duplex 376

Relatio iuſtitię ad aliud quadruplex 330. & ſeq.

Religio, cur inter virtutes ab Ariſt. non ſit enumerata, 341. religionis efficacia. ibid.

Regium imperium ſolum mundo congruit, 905. regiæ formæ origo, vnde. 910

Regnum quid ſit 897. regnum, quod 895

Regula examinandarum actionum, vnde petatur, 278. regulæ internę reip. ſunt leges. 886

Reiectio erratorum variorum. 994

Rhetorica eſt propago quædam & quaſi pullulatio dialecticæ, 971. rhetorica ex ciuili ſcientia & dialectica eſt conflata, 970. non recte dicimus cōſiderationem perturbationum tantum eſſe rhetoricam. ibid.

Reſolutio ſcientiæ apta 46. reſolutio triplex. 51

Reſpublica quæ merito dici debeat, 902. Reſpubl. Venetorum ex quibus mixtionibus iuncta, 899. Reip. finis duplex, 914 Reſpublicæ recte formatæ à virtute prodeunt, ibid. Reip. beneficio veniunt homines in vnum, 915. Reipubl. forma in ordine collocata, 915. & ſequent. Rerumpubl. inſtitutores vel non dantur, vel non ſunt nobis noti, 908. Reſpublica quæ dicatur, 894 & ſeq. Rerumpublicarum diſtinctio vnde petenda ſecundum Platonem, 896. vnde ſecundum Ariſtotelem, ibid. Reſp. animi interna, 885. Reſpubl. Veneta, maxime ad rectum accedit, 887

Reges, cur paſtores dicantur, 943. & ſequ. regis & optimatum connexio optima, 349 897. regia imperandi forma, quomodo ceteris præſtare probetur, 902. regium imperium ceteris abſolute præſtat. 905

Requiſita ad perfectionem virtutū, ſunt vnum ex octo earum vinculis. 349

Res vt ſe per naturam habent ad eſſe, ita ad diſtinctā cognitionem, 1002

Ricardi opinio, de attinentia ſummi boni ad voluntatem & ad mē tem. 849

Ridiculus qui dicatur. 330

Robur virtutis, 378. robur viri probi, qui, 652. robur, eſt naturæ munus. 627. & ſeq.

Roma felicitatis, & infelicitatis exemplar ſuppeditata, 859. Romanorum de præeligenda morte ratio. 562

Romulus ob nobilitatem à paſtoribus honoratus. 662

Sacerdos

Digitized by Google

S.

Sacerdos & Princeps Ægyptiis idem, 881. Sacerdotii dignitas apud Ægyptios. 917
Sales in congreſſibus. 330
Salubritas prudentiæ, quæ. 476
Samonei de ſibi tradenda morte ſententia. 566
Sanctitas, cur inter virtutes ab Ariſtotele non ſit enumerata, 341. ſanctitatis efficacia. ibid.
Sanitas in primo gradu bonorum naturæ collocanda. 650. ſanitas virtutis quæ, 378. ſanitas cur inter naturæ bona principatum obtineat 650. & ſeq. ſanus efficitur homo per primum eleuationis gradum. 555. & ſeq.
Salomonis de temperãtiæ præſtantia ſententia. 369
Sapiens, vt à Deo viſitetur, 828. ſapienti, cur amicus Deus, 424. ſapientes viri, non heroes dicuntur, ſed diuini, 536 ſapientiæ primus locus à nonnullis tributus inter virtutes, 412. ſapientia in eo verſatur, in quo intelligentia & ſcientia verſantur, 969. ſapiens vere qui 413 ſapientes prudentibus illuſtriores, 493. ſapientibus cur non propoſitum præmium à Græcis, 680. ſapiens an prudentiæ nomine dignus, 483. ſapiens, in quibus verſetur, 426. ſapientis nomen nonnullis ſorte potius, quam merito contigit, 434. ſapientum Græciæ numerus inconſtans, ibidem. ſententiæ variæ, ibidem, ſapientes Græciæ, an vere ſapientes fuerint, dubium, 435. ſapiens verus qui, ibidem. ſapientes vt etiam fuerint prudentes, 436. & ſequent. ſapientes Græciæ, non primi fuere ſapientiæ inſtauratores, 437. ſapientes cur Græci potius, quam alii dicti, 438. ſapiens, Ariſtoteles ne magis an Plato fuerit dubium, ibidem. ſapientum humanorum principes Ariſtoteles & Plato, 440. & ſequent. ſapientes noſtri temporis, viam regiam ingreſſi, 441. ſapientiæ nomen late ſumptum, 421. diuiditur in diuinam & humanam, ibidem. humana ſapientia duplex, ibidem ſapientia vniuerſe ſumpta quid ſit, ibidem, ſumpta in parte duplex eſt, ibidem, ſapientiæ paradoxa varia, ibid. eius nomen aſtutis quoque cur attributum, 422. ſapientiæ vniuerſæ effectus, ibidem, eius tredecim priuilegia, 423. ſimplex habitus eſſe videtur, 424. non ſimplicem eſſe habitum videtur dicere Ariſt. 424. & ſequ vt ſimplex, vtque non ſimplex, ibid. vt differat à mente. & a ſcientia, 425. vt ex mente & ſcientia ſit conflata, 425. ſapientia non à Græcis primo inſtaurata, 437. ſapientia Ariſtot. & Platonis comparatio, 438. ſapientia, cur à philoſophia de moribus non aliena, 385 ſapientia, vna ex quinque rectis, vel veris, 410 & ſeq. ſapientia, ex euentu cum vitiis nectitur, 680. ſapientiam, vt parvipendere, vtque magnifacere debeamus, 842. ſapientia vera, non ſeruatur, niſi in animo purgato, 863. & ſequ. ſapientia an prudentia dignior, dubitatur, 483. præſtantior prudentia, 499. minus indiga quam prudentia, ibidem, præſtat ei ratione vtilitatis, 491. & ſeq præſtat ei, vt diuina conditio humanæ, ibidem. ſapientia

primas dignitatis partes iudicio aſſecuta, 493. ſapientiam heroicam eſſe contemplationem dicere error, 536 ſapientiam prudentiæ prætulit Ariſt. 493 ſapientia & vera iuſtitia, vere virtutes perfectę 814. ſapientia munus, 205. ſapientia à ſciẽntia non videtur diſtincta. 381

Scelus, cur puniendum. 182

Scepticorum origo vnde. 446

Scientia ſecundus gradus cognitioni noſtræ congruens, 401. ſcientia, quid. 6 neceſſario diſtinguitur a ſuo fine, 7. ſcientiæ ciuilis compoſitiuus ordo, 64. ſcientiæ vnius, vnum eſt ſubiectum, 31. ſcientia adminiſtrandi magiſtratum, quid requirat, 917. ſcientiæ, & opinionis differentia, 401. ſcientiæ an ſolo ordine compoſitionis: artes vero ſolo ordine reſolutionis tradi poſſint, 1032. ſcientiarum genera ad aliud referuntur, 388. ſcientiæ ciuilis abſoluta definitio, 13 diuiſio eius in tres partes, ibid. ſcientiæ ciuilis, & artis medicæ proportio 11. altera alteri reſpondet in parte, non in omnibus, ibid. ſcientiæ nomen quadruplex, 442 eius definitio tradi poteſt a logico 443. à phyſico, ibid. à metaphyſico, ibi. ſcientia quotuplex, 444 metaphyſica, quæ, ibid. phyſica, quæ, 444. ſcientiam diſtinctam ſola mathematica parit, 445. ſcientiarum ſeries, quæ, ibid. ſcientiæ facultas ſenſibus tributa à nonnullis, 446. ſcientiam non dari dicere, error, ibidem, dari ſcientiam verius affirmauit Plato, 446. ſcientia duplici ratione reminiſcentia eſt, 447. quomodo reminiſcentia ſit, 448. ſcientia vero refulget in quarto gradu, 449. circa eam quadrupliciter affectus homo, ibid. ſcientiæ deprauatæ affectionis, quæ, ibid. ſcientiam eſſe reminiſcentiam, quibus rationibus nititur, 450. ſcientia, vnde dicta, 452. ſcientiam reminiſcentiam eſſe, falſis nititur rationibus, 454. ſcientiam non eſſe reminiſcentiam, quibus rationibus nititur, 455. ſcientiam Ariſtoteles eſſe reminiſcentiam non putauit, 456. quomodo à nonnullis reminiſcentia credatur eſſe, 456. & ſeq. ſcientia docentis, vt producat ſcientiam in addiſcente, 459. ſcientia ciuilis magis homini neceſſaria, quam ceteræ, 52 & ſequ. rationes, cur prius ſit addiſcenda, 53. ſcientia & error ad tria poſſunt referri, 256. ſcientia dupliciter vſurpatur, 256. & ſequen. ſcientia, vnus ex tribus virtutis fontibus, 350. ſcientiæ vnius plura poſſunt eſſe principia 32. & ſeq.

Scopus quid proprie ſit, 396. & ſequ. ſcopus diſtinguitur a ſubiecto, 6. & 7. ſcopus internæ reipubl. eſt honeſtum. 886

Scotus connexionem virtutum nõ admiſit, 351. Scoti, de diſtinctione virtutum error, 399. & ſequen. Scoti de diſtinctione rationalium virtutum opinio, 395. Scoti de felicitate error, 778. & ſequ. Scoti error de fide, 343. Scoti opinio de iuſtitia in voluntate poſita diluitur, 295. Scotus, libertatem arbitrii in ſola voluntate poſuit, 226. Scotus, vt actionem contemplationi præferat, 489.

489. Scoti opinio de attinentia ſummi boni ad voluntatem, 849. Scoti de virtutibus moralibus vbi poſitæ ſint opinio, 281. Scoti opinio de virtute morali in voluntate, & mente poſita, vt poſſit defendi, 289. Scoti de perturbationibus error, 69 Scoti de fine præſcripto à prudentię virtutibus opinio vera, 481
Scurra, quis dicatur. 330
Scytharum regis æque exemplum inſigne. 563
Sebaſtiani Venerii heroica laus, 548
Sectæ philoſophorum tres. 770
Securitas prudentiæ, quæ, 476. & ſeq.
Semina virtutum ſunt. ſemiuirtutes, 235. & ſequ. ſemina virtutum, & vitiorum vni magis, quam alteri inſerta, 654. ſeminis diſcrimen in procreanda prole, 653. & ſeq.
Semiuirtutes ſunt viæ, & gradus ad virtutem, 235. natura competẽtes duplicis generis, 236. ſemiuirtutes tot, quot virtutes, 254. ſemiuirtutes, feris non competunt, 255. ſemiuirtutes, noſtra opera comparatæ, quæ, 254. radices nobilitatis generis. 255
Senatores Veneti, cur ceteris nationibus prudentia præſtant, 470
Senecæ de fortitudine opinio, 242. Senecæ de gratiarum conditionibus opinio, 704. Senecæ ſententia, de ſummo bono in virtute poſito, 773. Senecæ de præſtantia ſapientiæ opinio, 494. Senecæ de virtutibus opinio, 377. Seneca perturbationes damnandas cenſuit, 113. & ſequ. Senecæ de vera libertate ſententia, 903. Senecæ de nobilitate opinio, 653. Senecæ de amore ſapientis ſententia, 578. Senecæ de proſpera fortuna ſententia, 738. de viro probo ſententia, 877. Senecæ de experto bonam fortunam ſententia, 747. Senecæ de temperantiæ præſtantia opinio, 369. fortitudinis, 370. Senecæ Stoicos defendentis ignorantia, 634. Seneca ſponte malum priorem non ſponte malo dicit, 268. Seneca D. Pauli amicus creditus, 118 Seneca felicem ſuæ felicitatis inſcium dari, negat, 855. Seneca, naturæ & fortunæ munera bona eſſe negat. 630
Senectus bona, eſt naturæ munus, 626
Senes, cur ceteris prudentiores, 468. Senis, & iuuenis an eadem virtus, 890. Senum conditiones tres. 337
Senſilium genera tria. 419
Senſus hominis, vnde, 141. Senſus videndi natura eſt prior. 1004. ſenſus tactus, & guſtatus exactiores in homine, quam in feris, 133. & ſequ. ſenſuum ordo nõn neceſſarius, 39. & 40. Senſuum ordo à Platone conſideratus, 35
Sententiæ variæ à ſapientibus Græciæ prolatæ. 434. & ſeq.
Series ſcientiarum quæ. 445
Seruire cur homini melius, quam regnare. 370
Serui, natura, moribus, fortuna, & pacto qui ſint. 893. & ſeq.
Serui, ſunt viri improbi apud Platonem. 903
Seruitus vera, quæ. 212. & ſeq.
Seruitutem cum natura pugnar

minime verum, 893. & ſequ. ſeruitutis gradus a corpore, vſque ad Deum. 213
Sexus ad rectam institutionem accommodatior, qui. 948
Signum habitus cõtracti, 156. ſigna cœleſtia, per quæ deſcendit & aſcendit anima. 801
Simile ſimili cognoſci ambiguum 460. ſimile ſimili cognoſci, quibus rationibus nititur, 461. ſimile ſimili non cognoſci quibus rationibus nitatur, ibid. ſimile in tribus reperiri cenſuit Plato. 462. ſimile ſimili, vt cognoſci, & non cognoſci contingat, 463. ſimile, quomodo cognoſcatur ſimili. 487
Simonides felicitatem in hac vita dari negat, 819. Simonidis opinio de ſapientia ab Ariſt. reiecta, 424. Simonidis de reiicienda cõtemplatione opinio reiecta, 498. Simonidis de ſapiẽtia opinio, 421 Simonides, vt nobilitatem definierit. 652 & ſeq.
Simplex nullum, pulcrũ vt ſimplex, 698. ſimplicia, inſtinctu naturæ ducuntur, 257. ſimplicia prius declaranda, & cur. 36
Simplicius libertatem arbitrii in voluntate poſuit, 228. Simplicii de ſcientia, & reminiſcentia opinio Ariſtoteli, & Platoni aduerſatur, 455. Simplicii de ſede rationalium virtutum in anima opinio, 389. reijcitur, 390. Simplicii de conſultatione naturæ opinio, 191. Simplicii de vitio ſapientiæ iuncto ſententia, 680. Simplicii de ordine addiſcendi ſcientias opinio, 52. Simplicii de præeligenda morte opinio, 599. Simplicii in conciliatione Ariſt. & Platonis, error, 264 & ſeq. Simplicii de philoſopho ſententia vera, 502. Simplicii de natura error, 171
Singularium quomodo non ſit ſcientia, ſed ſenſus. 418
Siniſtrum, competit vitio. 871
Sueſſani de heroica virtute error, 545
Sobrietas prudentiæ, quæ. 477
Socrates philoſophiam è cœlo in terram deduxiſſe dictus. 264. Socratis de nobilitate reſponſum, 653. Socrates continentiam eſſe impugnabat, 252. Socrates, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit, 453. Socrates quam inſcitiam ſit profeſſus, 450. Socrates fortunæ victor, 753. ſapiẽtiæ ſtudioſus, 770 Socratis aurum ſapientia. 749. moderata ſententia, 826. Ironia non vitioſa, 329. de recte inſtituendis liberis ſententia, 946. Socrat. excuſatio, de volũtaria morte. 551. & ſeq.
Solertia prudentiæ, quæ, 478. ingenii affinis, 146. ſolertia, quid, 384. ſolertiæ vtilitas quæ. 467
Solonis ſententia, de felicitate præſentis vitæ, vt vera, 820. Solon felicitatem in hac vita dari negat, 818. Solon, Athenienſium legiſlator, 939. Solon inter ſapientes Græciæ numeratus. 434
Solutio à materia, cauſa & origo libertatis. 218
Somnia non mitti à Deo, qua ratione probetur. 743. & ſeq.
Σοφίας vnde ſit deductum nomen, 421
Sophiſtarum arrogantia. 894
Sophocles felicitatem in hac vita dari negat. 819
Sortem habere, qui dicantur. 723

Sors

Sors & fortuna, Parcarum ſpuriæ ſorores dictæ. 635. Sors caſui, & fortunæ annexa. 723
Spartanorum de morte obeunda ſententia. 572
Species vltimæ ſunt fines magis communium. 1017. ſpecies à philoſopho ſæpe neglectæ, cur. 67. & ſeq.
Spes pluribus modis accipitur. 343
Speuſippi definitio honoris. 671. Speuſippus, quomodo prudentiam definierit. 465
Spiritus quatuor ad optimam frugem virtutum ſemina perducentes. 237. Spiritus virtutis, qui. 378
Sphinx Thebanorum quid referret. 868
Splendor prudentiæ qui. 477. & ſequent. ſplendor heroicus, duplicis generis principia obtinet. 543. quando ortum ducat ex flagranti amore honeſti. ibidem. qui reſpondeat imminenti caritati. ibid. ex vehementi perturbatione oritur. ibid. in aduerſa fortuna maxime oſtenditur. 514. manifeſtatur etiam diſciplinæ munere. ibid. apparet præſertim in principe viro. 546. ſplendoris heroici vice minime vitium amplectendum. 550 ſplendor heroicus multis falſo attributus. ibid. ſplendor militaris diſciplinæ in Medicea familia. 659. naturæ munera, quę. 627. an bona ſint, dubitatur. 629. naturæ munerum detrimenta. 632. ea nonnulli penitus negligenda cenſent. ibidem. ea eſſe ſummum bonum Ariſtotel. negat. 633. vt ſeruent rationem boni. ibid. ea bona quandoque appellauit Plato. 634. vt mereantur dici ſimpliciter bona. ibidem. Inſtrumenta ſunt. 636. non ea, ſed earum deprauatus vſus mala parit. ibid. quomodo bona, cum non ſint finis. 637. ea non bona theologi affirmant. 939. naturæ munera, ſunt inſtrumenta virtutum. 640. á Stoicis repudiata. 641. requiri ad ſummum bonum, quo ſenſu verum. 645. & 646. quatenus ea ſibi neceſſaria Chriſtiani cenſere debeant. 646. eorum ordo, qui. 650. præferenda bonis fortunæ. ibid. inter ea principatum obtinet ſanitas. ibidem. naturæ nobilitas quæ. 656. naturæ nobilitas magis proprie bonum. 659
Sponte factum quod. 183. ſponte, an homo fiat bonus, vel malus. 259. ſponte, vox ab Ariſtotele latius vſurpata, quam á Platone. 181. ſponte fit ægrotus homo. 262. & ſequent. ſponte malus, an minus peccet non ſponte malo. 267. ſponte malus in prudencia deterior, in arte melior non ſponte malo. 268. ſponte abſolute, & pro tunc. 166. & ſeq. ſponte fit malus homo, dupliciter. 266. ſponte operari, an ſoli competat homini. 169. ſponte operari feras quomodo perſpicitur. ibid. ſponte vere quid ſit. ibid. ſponte & inuite facere, male confundunt Latini. ibid. ſponte agere perfectis, & imperfectis animalibus competit. 170
Sporades heroum Inſulæ. 531
Stephani Theupoli heroica laus. 549
Stereometria, quæ & vnde. 445
Stimuli animæ, qui. 670. ſtimuli animæ, qui. 80

Digitized by Google

Stobæi de ſimilitudine virtutis, & amicitiæ, ſententia 590. Stobæi de virtute opinio. 340

Stoici, quo ſignificatu habitum accipiebant. 153. Stoicorum definitio virtutum mala. 310. Stoici minus recte loquuntur Peripateticis & Academicis. 119. Stoicorum de libero arbitrio ſententia reiicienda. 207. Stoicorum de perturbationibus definitio. 77. de iiſdem ſentẽtia. 74. definitio perturbationum ab Andronico & Alcinoo tradita 69. & 70. á Boetho. 70. ab Aſpaſio. 70. ab Academicis. ibid. Latinis. 71. vera & exacta. ib. eiuſdem definitionis dubia quædam. 72. eorum ſolutiones 72. 73. Stoici naturæ & fortunæ munera bona eſſe, negant. 630. Stoici morum præcipue ſtudioſi. 111. & ſeq. Stoici moralis philoſophię laudatores 488. Stoicorum de conſultatione naturæ ſententia. 192. Stoicorum de virtute non ſuſcipiente magis, & minus opinio. 358 quibus rationibus nititur. ib. Stoici indignationem, & miſericordiam in viro probo locum habere negarunt. 336. Stoicorum de prudentia definitio. 465. Stoicorum, de præeligenda morte ratio. 558 & ſeq. Stoicorum inconſtantia, negantium fortunæ, & naturæ munera eſſe bona. 633. Stoicorum de viro felice opinio. 611. Stoicorum de ſibi tradenda morte opinio. 566. Stoicorum de ſibi conſciſcenda morte ſententia falſa. 572. Stoici, heroicam virtutem in omni hominum gradu inueniri poſſe voluerunt. 546. Stoicorum de ſapientia opinio. 421. Stoicorum de virtute definitio. 274. Stoicorum de dolore, & voluptate ſententia. 95. Stoicorum de felicitate Peripatetica opinio 641. Stoicorum de præeligenda morte ſententia. 560. Stoicorum inconſtantia circa perturbationes. 117. Stoicorum cum Peripateticis litem in verbis non in re poſitam aſſeruit D. Auguſt. 118 Stoicorum de caſu & fortuna ſententia. 716. Stoici perturbationes in 4 cap. diuiſere. 100. reiicitur ib. Stoicorum de felicitate hominis ſententia. 645. Stoici, ſummum bonum in hac vita nobis competere exiſtimarunt. 757. Stoicorum opinio de ſummo bono perpendenda. 771. Stoicorum de viro felice ſententia. 611. Stoicorum de fortuna bona, vel mala ſententia. 726. Stoici, auræ popularis captatores. 115. Stoicorum opinio de homine propenſo natura ad bonum quomodo defendi poſſit. 247. Stoicorum de fortitudine opinio. 243. & ſeq. Stoicorum de ſorte & fortuna ſententia. 712. Stoicorum de procliuitate hominis ad virtutem, & vitium opinio. 244

Strato Lampſacenus, ſcientiam eſſe reminiſcentiam noluit. 456

Subiectum æque reſpiciens oppoſita duplex. 176. ſubiecti communis principia ſunt communia. 13. ſubiecti nomen duplex. 433. ſubiectum quærendo. proximum, non remotum inquirimus. 6 & 7. ſubiectum totius ſcientiæ ciuilis. 11. partium eius. 11. & 12. ſubiectum vnum virtutis eſt, appetitus ſenſuum. 338. ſubiectum in ſcientiis eſt ſolum

Digitized by Google

ſolum genus ſcibile. 7. & 8. ſubiectum adæquatum totius, & partis non ſunt idem. 7. ſubiectum adæquatum ſciẽtiæ ciuilis, quod. ibid. ſubiectum quomodo acceptum ab auctore. 11. ſubiectum ſcientiæ ciuilis principale actio publica. 10

Summum bonum an pro patria, magis quam pro ſe deſiderare quiſque debeat, dubium. 605. ſummi boni eſſentiam in actione collocauit Ariſtotel. 835. ſummum bonum, tripliciter vſurpatur. 841. & ſeq. ſummum bonum pro vltimo ſcopo eſt Deus. 842. ſummum bonum huius vitę non abſolute ſummum bonum. 838. ſummum bonum, ſcientiæ ciuilis minime ſubiectum. 6. & 7. ſummum bonum, quomodo accipitur pro non ſubiecto. 12. & 13. ſummum bonum, cur videatur ſtatuendum ſubiectum ſcientiæ ciuilis 10. & 11. cur non ſit vere. 11. ſummum bonum natura eſt vltimum: leges vero primæ ſunt. 1007. ſummum bonum, ſcopus actionum humanarum. 8. & 9. ſummum bonum, varijs nominibus appellatum. 755. nobis in hac vita ſolum competere exiſtimarunt nonnulli 756 & ſeq. non competere homini in hac vita, vt probetur. ibid. illud homini competere, quibus nitatur. 758. in hac vita exacte inueniri non poteſt. 760. ſummum bonum duplex. 761. in hac vita inuenitur ſolum ſpe. ibid. quatenus in ea guſtetur ab homine. 761. & ſeq. non competit iumentis. ibid. ſummi boni opiniones inconſtantes, vnde. 763. & ſeq. eius conſideratio ad ciuilem pertinet. 766 ad phyſicum. 767. qua ad metaphyſicũ. ib. an pertineat ad ciuilem in dubium vertitur. 768 an itẽ ad phyſicum pertineat in dubium vertitur. ib. de ſummo bono ſententię variæ. 771. de eodem opiniones quatuor diſputandæ. ibid. & ſeq. ſummum bonũ vt in virtute, vtq; in actione conſiderari poſſit. 778 an cõſiſtat in actione, vel in gaudio ex ea ſurgente dubium. 779. in virtute poſitum, ſecundũ Stoicos 772. non poteſt non prodeſſe. 773 ſummum bonum, quodnam iudicari debeat. ibid. actum acquiri ab homine. ib. non in ſola virtute collocatum voluit Ariſt. 774. in actione á virtute prodeunte poſitum eſſe probatur. ib. ex ſui conditione perfectum. 774 & ſeq. cum iucunditate iunctum. 775 non conſiſtere in actionibus á virtute prodeuntibus quibus rationibus impugnari poſſit. 776 vt collocatum ſit in virtute, vtque in actione. 778. eius eſſentia an poſita in voluptate quæritur. 784. poſitum in voluptate quibus rationibus nititur. 784. non eſſe poſitum in voluptate, rationes traduntur & diluuntur 785. ſine iucunditate, & gaudio non reperitur. 790. & ſeq. vt ſit ab Ariſtot. definitum. 811. eſt ab vno. 813. eo frui ſolum in alia vita aſſerunt theologi. 918. vbi collocatum eſſe debeat. 819. & ſequen. vt complicatum cum natura & fortuna. 820. an per obitum aboleatur. 821. & ſequent. ſummi boni gradus duplex. 822. & ſeq. eius formæ tres. 823. & ſeq. ſummum bonum ad quam animæ partem

Digitized by Google

pertineat dubium. 849. ad animum non ad compoſitum pertinere voluit Plato. ibid. ad compoſitum attinere dicit Ariſtotel. ibid. illud non competere facultati nutrienti. ibidem non ad appetitum ſenſuum. ibid. illud voluntati Scotus tribuit. ibidem. voluntati competere quibus rationibus probetur. ibid. intellectui competere verius, & quibus rationibus. 850. ſummum bonum in contemplatione poſuit Ariſtotel 851. ſummi boni diſtinctiones. ibid. illud pertinere ad vtramque facultatem, vt probetur. 852. potius ad intellectum, quam ad voluntatem pertinere verius. 852 an recipiat magis & minus dubium. 853. non recipere, quibus rationibus probetur. ibid. recipere quibus. ibid. vt recipiat, & vt non. 854. qua conſideratione abſolute non recipiat magis & minus. 855. ſummum bonum cur in habitu virtutis eſſe collocatum negarit Ariſtot. ibid. abſolute in actione perfecta eſt poſitum. 856. ſummi boni qui gradus firmior, dubium. 886. ſummum bonum morale firmius contemplatione. 887. contrarium vt probetur verum. ibidem. ſummi boni habitus num difficilius, quam ſummi mali exuatur. 860. eiuſdem gradus num vnus ſine alio ſeruari poſſit. 861. ſummum bonum in contemplatione poſitum, vt expoſcat morale. 862. ſolis Theologis notum. ibid. vt conducat etiam, corpori. 863. ſummum bonum, vt optimum. 866. vt pulcerrimum. ibid. vt iucundiſſimum. 867. hominem, quatuor res peruertunt. 868. Thebanorum ſapientes, vt ignorantiæ conditionem patefecerint. 228

Surdi munere amicitiæ perfecte frui non poſſunt. 610

Syneſiii de difficultate acquirendæ virtutis opinio. 142

Syllogiſmus quomodo definitur. 977

Σύνεσις ingenii affinis. 14. & 145. nomen eius ad ſcientiam etiam extenditur. 15. Syneſis affinitas cum ingenio. 145. cur ita dicatur. 146

Syntereſis & Syneſis. ibid.

T.

Talionem, quo iure damnarit Ariſtoteles. 26. & ſeq.

Talis ſemper denominatur ordo diſciplinæ, qualis eſt ordo naturæ rerum in ea declaratarum. 994

Tamburlanus qua ratione ad imperium Scytharum aſcenderit. 913

Themiſtius, ſcientiam reminiſcentiam eſſe voluit. 453

Temperamentum prudentię quod. 468. & ſequent. temperamenti varietas variat perturbationes. 138. temperamentum corporis formare mores cenſuit Galenus. 122. & ſeq temperamentum hominis facilimum alterari. 133 & ſeq. temperamentum ſequi contingit dupliciter. 129. temperamentum corporis attinentia ad ingenium ſequuntur. 123. temperamentum conuenit etiam, quibus non conuenit mos. 128. & ſeq.

Temperantiam, qui cæteris virtutibus præferant. 372. temperantia, vt medium ſeruet. 280. temperan-

rantia in quibus verſatur. 324. temperantiæ cum cæteris virtutibus comparatio. 368. eius neceſſitas. 369. regit vniuerſum. 369. & ſeq. immortalem efficere poſſe animam nonnulli crediderunt. 370. temperantiam communem Ariſtot. non reiicit. 320. temperantia, in quo differat á continentia. 254. temperantia, conſeruatrix prudentiæ dicta 473. temperantia tertia in ordine virtutum. 374. temperantia, quatenus iuſtitiæ præferatur. 372. temperantia ratione neceſſitatis & fundamenti reliquarum virtutum maxime fulget. 373

Thales inter Græciæ ſapientes numeratus. 434

Theages, vnde diſtinctionem virtutum ſumſerit. 311. Theagis de numero virtutum opinio. 359. Theagis de ſummo bono ſententia. 775. Theagis de appetitu ſenſuum opinio. 287. Theages, totam animam iuſtitiæ ſedem ſtatuit. 298. Theagis de virtute definitio. 273. Theagis de ſede virtutum moralium opinio. 285

Theatrum vniuerſi ex quo conſtitutum. 825

Theodori de pædia error. 409. Theodorus Gaza male Ariſtotelem vertit. 410

Theognides de virtute loquens haud ſibi inconſtans. 304

Theologi ſoli, ſummi boni notitiam habent perfectam. 864. theologi de fine hominis non idem ſentiunt ac Peripatetici. 344. theologi virtutes ideales homini in eleuatione ad mentem conuenire negant. 306. theologorum de origine bonæ fortunæ ſententia. 741. theologorum de caſu & fortuna ſententia. 716. & ſequent. theologi, humanas perturbationes non omnes euellendas cenſent. 542. theologi, ſcientiam eſſe reminiſcentiam nolunt. 456 theologorum de fortuna bona vel mala ſententia. 726. theologorum de præſtantia ſapientiæ opinio. 495. theologi, vt actionem contemplationi præferant. 489. theologi hominem quandoque ſibi mortem præeligere debere cenſuerunt. 560. theologi, recte ſentiunt de poſtremo fine hominis. 561. theologi de homine ſponte malo quid determinent. 267. theologi in hac vita felicitatem dari negant. 818. theologorum de medio virtutum opinio 280. theologorum de præeligenda morte ſententia. 560. theologi Chriſtiani ſoli de ſummo bono recte ſentiunt. 725. & ſeq. theologi, cur media melius quam cæteri decernunt. 278. theologorum de propenſione hominis ad vitium opinio. 242

Theologia ad quem mentis habitum referatur, dubium. 381

Theorica in omnibus artibus præſtantior practica. 20. Theoricæ ciuilis ſcientiæ effectus qui. 17

D. Thomas diuiſionem quadrimembrem virtutum cum Macrobio tenet 305. D. Thomæ de incremento colligatarum virtutum opinio. 315. D. Thomæ de amore ordinato ſententia. 320. D. Thomæ de ſede virtutum rationalium in anima opi-

Digitized by Google

nio. 390. reiicitur. ibid. & ſeq. D. Thomæ de connexione mentis humanæ & ſeparatæ ſententia. 844. D. Thomæ opinio, de iuſtitia poſita in voluntate. 295. D. Thomæ opinio de attinentibus ſummi boni ad intellectum. 849. D. Thomæ de diſtinctione virtutum opinio. 311. & ſeq reuocatur in dubium. 312. D. Thomas, quid ſtatuerit de numero perturbationum. 82. & ſeq. D. Thomæ error de actionibus humanis. 9. D. Thomæ opinio, de iuſtitia in voluntate poſita diluitur. 295

Thomæ Pellegrini laudes. 395

Timor mortis potentiſſimus in homine 136. illi ſoli competit. 138

Τὸ ἀγαθὸν, nominis ratio. 755

Tolerantia appetitum iraſcendi componit. 252. tolerantia, in qua animi facultate ſit poſita. 291. proprie pertinet ad rationē. 291. tolerantia an ſit, dubitare non incongruum. 252. non dari tolerantiam voluit Plato. 252 & ſeq. dari voluit Ariſt. 253. continentiæ effectus in homine. 254. & ſeq. tolerantiæ & fortitudinis differentia. 255. quid ſit. ibid. ſciens, an peccare valeat, dubitatur 256. errare poſſe ſcientem affirmatur. 256. & ſeq. ſciens, an peccet in attinentibus ad mortem. 257. ſciens vel actu, vel habitu. 258. ſciens actu non peccat. ib. ſciens ſub nube errare poteſt. 259

Totum, vt partibus dignitate non præferatur. 413

Tranquillitas prudentiæ, quæ. 477. tranquillitas rerum ex obedientia prodit. 25. & ſeq.

Trinitas Platonis quæ. 803

Turiſani de perturbationibus diuiſio. 101. reiicitur. 181

Tyrannica impietas, vna ex tribus feritatis faucibus. 510. & ſeq. tyrannidis & paucorum connexio peſſima. 900. tyrannis, omnium formarum adminiſtrandi deterrima 904 tyrannis quid ſit. 897. tyrannis quæ. 895. & ſeq. tyrannus, maxime ſeruus. 903. tyranni conditio, quæ. 667 tyranni & populi mixtio quæ. 900 tyrannus, cur miſerrimus & deterrimus omnium 880 tyrannum occidenti debetur honor. ibid. tyranni, cur impotentiſſimi. 260

Tyrii maxime de adulationis & amicitiæ differentia opinio. 609. Tyrii maximi, de præſtantia, ſapientiæ opinio. 494

Turris triangularis. 346

V.

VAria errata ad ordinis definitionem pertinentia reiiciuntur. 977

Varietas enumerationum Platonis de virtute, ex varietate conditionum virtutis oritur. 303. & ſeq.

Vbi ordo naturæ rerum non adeſt, ibi nec vllus ordo diſciplinæ. 981

Venationis laus. 518

Venus cur Dea voluptatis & amoris 107 & ſeq. Veneres, cur præſertim duæ. 582. & ſeq. Venus, non vna ſed plures. 704

Venetæ reip. laus. 547. & ſeq. Venetorum ſapiētia & probitas. 756. & ſeq. Venetorum reſp. ex quibus mixtionibus iuncta. 899. Veneta reſp. maxime ad rectum accedit. 887

Veracitas ad appetitum iræ potius, quam cupiditatis ſpectat. 316 veracitas quid. 329

Verecundiam prauā Stoici cenſent. 120. ve-

120. verecundia, quid in ſe contineat. 333. verecundiam in parte rationis compote reperiri dixit Ariſt. 192. verecundia errando homines afficiũtur 253. & ſeq. verecundia an ſit virtus quæritur. 336

Virtutem non eſſe verum. ibid. conuenit iuueni. ibid. quid ſit 337

Veritas à nullo philoſophorum conſpecta. 412

Veteratores & verſipelles, qui. 328. veteres mathematicarum ſtudioſi. 522

Vetuſtas, cur veneratione digna 523

Viæ ad virtutem duplices. 235. via virtutis ardua. 242. via aſſequendi ſcientiarum duplex 279. via vtrum propoſita á principiis ad finem, an è conuerſo. 39

Vigilantia prudentiæ, quæ. 477. vigilantia prudentiæ comes. 468

Vincentii Madii laudes. 441

Vigor animi, amorem ſequitur. 104

Vindictam ſumere de iniuria concedit Ariſtoteles. 567. & ſeq.

Vis nutriendi, eſt animæ facultas. 140. & ſeq vis imaginandi duplex 449. vis animi duplex rationis particeps. 92. & ſeq. vis imaginandi pueris, & feris eſt mens. 143. vis ad agendum, vt ſit vtilis. 467

Vires animæ ab eſſentia animæ non diſtinguuntur. 228. vires appetendi, pertinentes ad mentem duæ. 184

Vitam, cur nullam felicem eſſe poſſe crediderint nonnulli. 757 & ſeq. vitæ hominis infelicitas. 758. vitæ huius felicitas, quæ. 757. vita hominis lyræ ſimilis 641. vita humana, cur ferina miſerior videatur. 763. vita moralis dupliciter conſideratur. 762. vitæ perfectio quæ. 958. ratione ætatis. 816

Victoria de fortuna dulcis. 752 & ſequent.

Vincere mundum quid. 243

Vincula virtutum octo 348

Violentum à quo perfecto conſtituatur. 170 violentũ quid ſit. 165

Vir probus, cur facilius reperiatur, quam ciuis probus 888. vir probus in deprauata repub. quid facere teneatur. 891 vir probus omnis reipublic. prodeſt. 674. vir probus, omnium ſacratiſſimum, improbus prophaniſſimum. 869. vir probus ſolus fortunatus. 747. vir probus ſine prudentia nemo. 482. vir bonus abſolute qui. 484. vir bonus & bonus ciuis, an idem ſint. 883. vir probus honore priuari non poteſt. 689. læſus, quid agere debeat. 692. & ſequent. vir probus, & ciuis probus, vt idem & non idem. 888. & ſequent. vir bonus á ciue bono vt diſtinctus, vtque idem. 887. & ſequent. vir probus, an magiſtratum quærere debeat dubium. 927. virum prudentem iraſci, recte finxit Homerus. 116. viri probi inſtitutio, virum ſit ſcientiæ ciuilis. 19. viri ſapientes, heroes non dicuntur, ſed diuini. 536. vir publicus, vt priuato miſerior. 880. vir prauus, num honore afficere valeat. 685. vir incontinens videtur vti præelectione. 190 non operari cum præelectione affirmare, verius. 191. vir probus quam ſpeciem indignationis, & miſericordiæ admittat. 336. an admittat pudorem. ibidem. viro egeno an conueniat pudor. 337. viro probo conuenire poteſt. ibidem. vir probus, & ciuis probus, vbi idem. 19. & 20.

vir felix an amicitiæ ſit indigus. 610. ei amicitiam competere ad exactam perfectionem. 611. vir amicis deſtitutus, non omni ex parte felix. ibid. vir felix, quibus amicis non egeat. 612. vir felix, nemo abſq; bonis fortunæ. 600. vir probus ſolus amicitiæ particeps. 620

Virtus eſt imago Dei. 123. virtutes & vitia, homini ſoli competunt. 131. virtus moralis tribus modis in nobis gignitur 301. virtus moris, conuenit appetitui cupiendi. 92 & ſequent. virtus viri nobilis pluris facienda, quam ignobilis. 656. virtutes morum, quomodo tranquillitates dicantur. 151. & ſequent. virtutis mentio, cur fiat in definitione honoris. 677. virtutis rationalis, an ſit præmium honor. ibidem. virtutem rationalem eſſe honore dignam ratione & auctoritate probatur. 678. virtutum diſtinctio, à quo conſtituatur. 733. virtutum numerus, & ordo, ex numero & ordine ægritudinum animi deſumitur. 311. virtutem conſiderari præcipue in libris de moribus falſum. 16. & ſequent. virtus perficit ſummum bonum, quibus rationibus nititur. 409. virtutibus quibus quæ vitia interimantur 773. virtus, non ex ſui conditione perfecta. 774. & ſeq. virtus, minime ſubiectum in ſcientia ciuili. 7. virtutem magis quam vitium ad ſe hominem allicere multis rationibus. 244 virtus, vt prudentia ſecundum Platonem, vtque ſcientia. 302. & ſeq. poteſt & non poteſt doceri. ibid. eius variæ conditiones varias Platonis enuntiationes efficere. ibid. eius diuiſio ſecundum Academicos. 304. virtus abſolute duplex. ibi. virtutes non relatæ ad Deum, vitia ſunt. 306. earum diuiſio ſecundum Auguſt. ibi. virtutes ideales conuenire homini in eleuatione ad mentem minime verum. 306. virtus ciuilis à purgatrice minime recte ſecernitur. 307. virtutem non bonam, ſed conferentem eſſe falſum. ibid, an ſint ſpecie diſtinctæ, vel vna merito, dubitatur 308. omnes vnam eſſe affirmauit Plato. 308 & ſeq. verum eſt etiam apud Ariſto. 309. & ſeq. virtutes vnius ſpeciei eſſe omnes minime verum. ibid. virtus magis vna quam alia fulget in homine. 310. virtutes à prudentia, & inter ſe diſtinctæ. ibid. virtus omnis, vt dicatur prudentia. ibid. eius diſtinctionem Ariſt. ſumit ex partibus animæ. 311. de eadem multorum diſtinctio reiecta. ib. ſecundum voluptates diſtingui, falſum. 312. earum vera diſtinctio, vnde petenda. 313. morales, ſunt inter ſe valde connexæ. ib. virtus omnis, vt ſit iuſtitia ib. virtutum connexio, quæ. ibi. virtus non eſt proprie genus vnum cui competant plures ſpecies 314. de earum numero opinio diuerſorum 314. vndecim ab Ariſt. enumerantur. 315 earum formulæ ex Ariſt. collectę. 323. virtute morali ſola non abutimur. 258. virtus, cur magis quam vitium hominem ad ſe trahere debet. 244. virtus menſura rerum. 636. virtutis via ardua 242. virtus, an ſola ſufficiat ad conſtituendum ſummum bonum. 648. virtus perfecta quid ſignificet apud

Digitized by Google

apud Ariſtotelem. 812. & ſeq. virtus vniuerſa, eſt forma internæ reipubl. 886. virtuti fortuna inimica non eſt 735. virtutes hominem, vt pennæ aues eleuant ad cœlum. 529. virtus & vitium ſub. ... bertate perirent. 204. & virtus moralis omnis obe... ia eſt. 248. virtus abſq; munere naturæ & fortunæ impotẽs 640. & ſeq virtutis via duplex 235. virtus viri boni, & boni ciuis diſtincta eſſe affirmatur. 883. eadem eſſe probatur, 884. & ſeq. virtus & iuſtitia ſemper ſibi mutuo reſpondent. 887. virtus hominis perfecta duplex. 822. virtutes perfectæ, quæ. 814. virtus ciuium, in qua republica principatum obtineat. 889. virtutes, principia & formæ graduum 14 virtus in optimatum republica maxime valet. 741. virtus heroica, maxime fulget in animis ingenuis. 529 virtus heroica, quæ dicitur. 534. vnde oriatur. ibid. quarum virtutum ſit ſplendor. 535. ſpectat proprie ad morales virtutes. ibidem. minus proprie conuenit præclaro artifici. ibid. ſapientia inferior. 536. in vniuerſa iuſtitia maxime fulget 536. virtutes heroicæ abſolute non ſunt magnanimitas, & magnificentia 537. an ſpecie a morali diſtincta. ibidem & ſequen. diſtincta à morali ſpecie, qua ratione probatur 538. qua ratione probatur non diſtincta. ibidem. dupliciter vſurpatur. ibidem. vt diſtincta à morali ſpecie, vtq; non. 539. eam in mente collocarunt nonnulli 541. eam ad appetitum ſenſitiuum pertinere verius. ibi. eam ad appetitum iraſcẽdi pertinere minime verum. ibid. eam eſſe perturbationum cuuiſionem, falſum. 542. maxime fulget munere fortunę 543. ex congruenti inſtitutione. 544. ex opinione recta. 545. virtutem heroicam eandem eſſe cum ſanctitate, falſum. ibidem. non ſemper diſtinguitur à morali per diſtinctionem finium. ibi ex mente Theologorum & Platonis in omni gradu reperiri poteſt 546. fulget præſertim in principe viro. ibid. cur in omni hominum gradu ſplendeat. ibid. in fœmina minus quam in viro. 547. virtus Venetorum heroica. 549. præſtantior, ſed minus neceſſaria morali virtute. 554. & ſequen. ei præcipue competit eleuare hominẽ ad Deum. 555. vt eleuet hominem ad Deum. 556. vt reddat hominem ſimilem Deo in ſe conſiderato, ibidem. vt ſimilem Deo relato ad vniuerſum. ibid. vt ſimilem Deo, vt perficiant. ibidem. Theologicæ hominem magis Deo ſimilem reddunt. 557. virtutes ſingulæ in aliqua re principatum obtinent. 373. ſingularum principatus collectio. ibidem. quæ nam inter omnes principatum obtinet. ibi. virtute nec non vti, nec abuti poſſumus ex mente Ariſtot. 374. & ſequen. dubitatio huius veritatis quibus rationibus nitatur. ibid. virtutum moralium proprietas. 375. è moraliũ virtutum excellentia per ſententias explicatæ 375. & ſeqq. eius conditiones & forma, quæ. 378. virtus quomodo virgo. ibi nobilitatis parens.

ibid. de eius laudibus hymnus Ariſtotelis. ibidem. virtutis vniuerſæ parens Deus. 379. virtus vna cũ ratione manauit à Deo. ibid. virtutum mentis tractatio ad quem pertineat. 385. virtus mentis quibus rationibus probetur non eſſe qualitatem. 387. vt ſit relatio, vtque habitus. 388. de ſede virtutum rationalium opiniones quatuor. 389. in qua parte animæ ſtatuit eas Simplicius. ibid. in qua Alexander. 390. in qua Diuus Thomas. 389. in qua parte animæ ſit earum vera ſedes. ibid. cur dicantur virtutes rationis. 392. rediguntur omnes in tria capita 393. de earum diſtinctione varia aſſerit Ariſtoteles. 394. de earum diſtinctione quid ſentiant Græci. 395. per omne genus cauſſæ. 397. virtus mentis non ſemper vera. 401. & ſeq virtus, gradus quartus aſcẽſionis ciuilis. 269. virtutis explicandæ cura neceſſaria. 269. & ſequen. virtus multipliciter vſurpatur. 270. late ſumpta, quid ſit. ibidem. in tres gradus diſtribuitur. ibidem. virtus pro vmbra virtutis vſurpata 270. quomodo ſit in feris. ibi. in homine conſiderata triplex ibidem. virtus infuſa, quid. ibid. virtus natura homini competens, duplex. ibid. virtus ſingulorum duplex. 271. pro vi frequenter vſurpata. ibid. virtutes ſunt cauſſæ legum. 1007. virtus eſt principium & finis legum & natura prior legibus. ibid. virtus naturalis magis proprie, quæ 271. mentis virtutes plures. ibid. virtutes labore comparatæ. ibid. virtutis humanæ genus duplex. ibid. virtuti. genus acquiſitæ duplex 272. virtus abſolute, vel heroica, vel ciuilis ibidem. virtutes dari non dubium. 272. eius definitio ſecundum Eudoxum. ibid. definitiones eiuſdem quatuor r...
à Platone. 273. vt definita
ipſo Platone. ibid. vt ab A.
ibidem. vt à Theage. ibidem. vt à Plotino. ibid. vt à Stoicis. 274. virtus neq; facultas, neque perturbatio eſt. 274. habitum eſſe apte dicimus. ibid. definitio eius ſecundum Ariſtotelem. 275. definitio eiuſdem explicãs omnes cauſas. 276. cur dicitur habitus. ibidem. Senecę de vi eius opinio ibidem. virtus vniuerſa, vt ſit vna. 345. vna genere non videtur eſſe. ibidem. non vna ſpecie. ibi. non vna numero. ibidem. non analogia. ibidem. non vna ab vno, & ad vnum. ibidem. virtus vniuerſa dupliciter conſideratur. 346. vt eſt vna tanquam genus ab vno. ibid. eſt vna per connexionem. 348. particulares virtutes, cur melius partes quam ſpecies nuncupantur 348. cõnexiones earum quæ. ibi. earum connexio, vnde oritur 349. virtutes, quib. vinculis nectãtur, & quot. 25. & ſeq. & 29. & ſeq. virtutes ab Ariſtotele, & Platone ſeparatæ. 351. & ſeq. de earum ſeiunctione rationes 351. virtus duobus modis competere homini poteſt. 353. vt abſoluta eſſe poſſit. ibid. tribus modis morales gignuntur in homine. ibid. eius habitus, vt requirat firmitatem & conſtantiam. ibid. à virtute duplici modo recedere poſſumus.

ibi. imperfectæ ſeiungi poſſunt, perfectæ non ibid. virtutes perfectæ, quæ nam iunctæ ſint. 354. earum connexio neceſſaria defenditur. 356. & ſeq. virtutes morales, an ſuſcipiant magis & minus ambigitur. 358. incrementum non recipere voluerũt Stoici. 358. & ſeq. ita dicere viſus eſt Ariſtot. ibid. aſſerere abſolute in indiuiduo eſſe poſitas experientiæ repugnat. ibid. rationi. 360. virtus cur in homine gradus recipiat 361. virtuti magis, & minus conuenit per acceſſum & receſſum. 362. & ſeq. moralium virtutum comparatio triplex. 365. virtus præſtantior ratione amoris, quam ratione aliorum finium. 368

Vnio perfecta, quæ. 831

Vitiorum gradus quatuor. 869. vitium omne, eſt receſſus á lege. ibid. vitium morale, quid. 869. vitium vniuerſum an detur, dubium. ibid. vitium quomodo non ens. 870 vt perfectum. ibid. & ſeq. vitia vt inter ſe maxime iuncta, vtque diſiuncta. 871 vitium vt defectio, diminutio & priuatio. ibid. vitium dextrum & ſiniſtrum. 871. cauſſa efficiens, vt ei competat. 872. vitium omne, deprauatus amor. ibid. vitium in qua parte animæ ſit. ibi. vitiorum diſtinctio & numerus. 873. apprime cum miſeria iunctum. 875. an homini ignorantia familiarius. ibid. an magis contrarium vitio vel virtuti. 876. facilius tranſit in aliud vitium, quam in virtutem. ibid. firmum & non firmum eſt. ibid. magis in viro, quam in fœmina locum habet. 879. vitium, quodam modo non ens. 277. vitium ignorantiæ reſpondere, qua parte verum 498. vitium, qua ratione feritate peius. 553. & ſequent. qua feritate minus malum, qua peius 554. & ſeq. vitia naturalia eſſe homini quomodo dicantur. 247. vitium, virtutis heroicæ nomine non honeſtandum. 550. & ſeq. vitium, vnum ex quatuor hominem peruertentibus. 868. vitii definitio ſecundum Academicos. 260 vitia, vt conſiderantur à ciuili. 23

Vnitas eſt menſura numeri; hora temporis; vncia ponderis. 986. vnitas artis an pendeat ex vnitate finis. 992

Vnumquodque ad id referri debet, cui proxime ineſt. 973

Voluntas perturbationibus obnoxia ſecundum Scotum 78. voluntas, quartus actionis gradus. 163. voluntas adminiſtrandi magiſtratuum, quæ debeat eſſe. 918 voluntatis nomen, late vſurpatur. 228. & ſequent. voluntas, finem poſtremum homini proponit. 466. voluntas cur ad partem rationalem redigatur. 287. voluntas libera vna cum intellectu. 233. voluntatem ſedem liberi arbitrii ſolam eſſe voluere nonnulli. 226. voluntati intellectum præpoſuit Plato. 850. voluntas, optans finem, conſpirant ad omnes virtutes earumque actiones 191. voluntatis proprium obiectum quod. 292. voluntas, vnus ex tribus virtutis fontibus. 350. voluntatem nonnulli ſedem liberi arbitrii non eſſe poſſe voluerunt. 222.

Digitized by Google

voluntas, non quia rationem ſupponit, libertatem tollit. 231. vt ſit vis agens, atque patiens. 232. quando poſſit imperare menti. ibid. voluntati ſummum bonum tribuit Scotus. 849. voluntas quid. 184. partim conuenit, partim differt à prælectione. ibid. antecedit conſultationi. 189. & ſeq. conuenit ſeparatis mentibus. 30. & ſeq. voluntas dupliciter vſurpatur. 195. voluntas per ſe eſt finis, non mediorum. ibid. per conſecutionem extenditur ad media ibid. an extendatur ad impoſſibilia. ibid. vt ſe habeat ad impoſſibilia. 195. & ſeq. pertinet ad internam animi conſtitutionem. 197. an quod bonum eſt ſolum appetat dubium. 198. obiectum eius, quod. 199. & ſeq.

Voces octo, hominem ad bonum imitantes. 1

Voluptas, vltimus actionis gradus. 163. voluptas, & dolor inconſtantiæ auctores. 473 & ſeq. voluptas ad vitium hominem reddit prociuem. 142. voluptas ex ſe expetitur, ſed eſt parata ob aliud 798. vt perficiat actionem. ibid. voluptas & dolor, quomodo facultati cupiendi attributæ ab Ariſt 86. voluptatem & dolorem inter perturbationes numerare, vt error. 87. voluptatem & dolorem communia genera omnium perturbationum falſo cenſuit Aſpaſius. 94. & ſeq. voluptas vt iuncta miſeriæ. 8-8. voluptatum genus multiforme. 779 voluptas pura, quæ 780. voluptates ex actione, quæ. 780. & ſeq. voluptas omnis amplectenda, vt verum. 781. voluptatis varietas, vnde. ibid. voluptas, bona, mala, & neutra. ibi. eius gradus quatuor. 782. voluptas ſenſibus à Platone tributa 782. & ſeq. in voluptate an ſit poſita eſſentia ſummi boni. 784. voluptatem beſtiæ, & homines ſequuntur. ibid. voluptates quas admiſerit Plato. 790. voluptas expetenda non omnis. 794. voluptatis capita virtutum capita aſſignant. 320. & ſeq. voluptatum ſenſus genus duplex. 321. voluptatis genus duplex. 91. voluptas & dolor non ſunt proprie perturbationes. ibid. voluptatis & doloris ſententia apud Platonē. 95. apud Ariſt. ibi. apud Stoicos. ibid. apud Latinos. 96. voluptas & dolor perturbationes ſunt nō proprie. ibid. multipliciter vſurpatur ibid. & ſeq. voluptas abſoluta, quæ. 96. & 97. voluptas & dolor antecedunt, ſequuntur, & concomitantur perturbationes. 97 voluptatem non eſſe motum Ariſt dixit. ibid. voluptas, eſt aliquid totum. 98. qua ratione dici poſſit motus. 98. & ſeq. voluptas & dolor, quomodo ſe habeant ad amorem 107. voluptas varie conſiderata. ibid. antecedit, & ſequitur amorem. ibid. quomodo reperiatur in principio. 108. quomodo oriatur ex cognitione. ibid. voluptas, cur cæteris perturbationibus vehementior videatur. 134. ob eam, non ob cæteras perturbationes moritur homo. 135. voluptas & dolor dupliciter vſurpantur. 136. voluptati difficilius reſiſtimus, quam iræ. 138

Vrbani in congreſſibus qui. 330. Vrbanitas. 322
Vrbs corporum ſimplicium, orbis totus. 914. vrbs vtiliſſima orbis totus. ibid. vrbium templa, quid denotent. 915. vrbs congruenter humano corpori reſpondet. ibidem.
Vſus virtutis triplex. 16, & ſeq. ei locus eſt, vbi officio.
Vir bonus & ciuis bonus, non ſ vnum & idem.
Vtilitas, vel ex inimicis elicitur. 749
Vt pars ſe habet ad particulas ſuas: ita totum ad ſingulas ſui partes 1030.
Vulcanus artium inuentor. 511
Vxoris eligendæ, cur maxima cura prohibenda. 665

X.

XEnophontis de pædia libri. 407.
Xenocrates voluptatem penitus neglexiſſe viſus. 797

Z.

ZAleucus Locrenſium legislator. 939
Zamolxis Scytharũ legislator. 940
Zelotypia, ad quod redigatur. 110
Zenocrates munerum naturę contemtor. 632. Zenocratis de dæmone ſententia. 755
Zenonis definitio virtutum mala. 310. Zenonis, de vnitate virtutum ſententia. 308

FINIS.

FRANCOFVRTI,

Ex Officina Nicolai Hoffmanni, Sumptibus Iacobi Fiſcheri.



ANNO M. DC. XI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

1087

Digitized by Google

Digitized by Google

FINE

Digitized by Google

Digitized by Google

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google